239.02
V837



Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/rpdominicivivaop00viva_0

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS TERTIUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat

DE RESTITUTIONE, ac DE CONTRACTIBUS,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus suis Auditoribus traditum in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis.

PARS QUARTA

DE CONTRACTIBUS.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,
MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ALMA COLLEGE LIBRARY Los Gatos, Calif.
239.02 V837

51486

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
Qui in hoc Quarto tractatu Theologico-Morali
DE CONTRACTIBUS CONTINENTUR.

QUÆSTIO PRIMA.
De Contractibus in genere.

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Contractus?* 2
II. *Quam obligationem pariat Contractus?* 3
III. *An sit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel sine solemnitatibus Juris?* 5
IV. *Utrum Juramentum confirmet Contractus?* 10
V. *Quinam possint contrahere?* 12
VI. *Ex qua culpa Contrahentes teneantur ad Restitutionem in Contractibus?* 14
VII. *Cuinam competat Restitutio in integrum, si ex aliquo Contractu læsus sit?* 16
VIII. *An obliget Contractus celebratus sub Causa, Modo, Demonstratione, vel Conditione?* 17
IX. *Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia.* 20

QUÆSTIO II.
De Emptione, & Venditione.

ART. I. *Quid sit Emptio, & Venditio?* 22
II. *Quænam res emi, vel vendi possunt?* 23
III. *De Pretio justo rerum venalium.* 26
IV. *An Monopolia, & Negotiatio sint illicita?* 33
V. *An debeat Venditor aperire vitia rei venditæ?* 37
VI. *Ad quem spectent fructus rei venditæ?* 38
VII. *Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris; an venditoris, ante, vel post traditionem?* 40

QUÆSTIO III.
De Mutuo, & Usura.

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Mutuum? Et quinam a restituenda re mutuata deobligentur?* 41
II. *Quid, & Quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita?* 42
III. *An quævis obligatio imposita Mutuatario sit Usura?* 44
IV. *Quotupliciter potest aliquid ultra sortem exigi citra Usuram?* 47
V. *Expediuntur, quæ spectant ad Usurarium.* 53

QUÆSTIO IV.
De Censibus, seu Redditibus annuis.

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Census?* 55
II. *De Conditionibus Jure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius.* 56
III. *De Conditionibus Jure positivo requisitis ad Contractum Census.* 59
IV. *Expediuntur, quæ supersunt de Censibus.* 62

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Emphyteusi, Feudo, & Libello.

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Emphyetusis, Feudum, & Libellus?* 63
II. *De Conditionibus Feudi, & Emphyteusis.* 65
III. *Quinam possint in Feudum, vel Emphyteusim dare, aut accipere, & succedere? Et quando Feudum amittatur?* 66

QUÆSTIO VI.

De Cambiis.

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Cambium?* 67
II. *An Cambium minutum ferat palliatam usuram?* 68
III. *An Cambium locale contineat usuram?* 69
IV. *De Conditionibus a Pio V. requisitis ad Cambium locale, ne sit siccum, & usurarium.* 72
V. *De Cambio sicco.* 73

QUÆSTIO VII.

De Locatione, & Conductione.

ART. I. *Quid sint hi Contractus, & quænam locari possint?* 74
II. *Quid ferant Locatio, & Conductio?* 76
III. *De Conductione famulorum, & aliorum Officialium.* 78

QUÆSTIO VIII.

De Promissione, & Donatione.

ART. I. *Quid importet Promissio, & Donatio?* 81
II. *Quando obligent Promissio, ac Donatio; Et quomodo?* 82
III. *Quinam donare possunt, & quantum?* 87
IV. *Quando possit Donatio revocari?* 89
V. *De Promissione, & Donatione conditionali.* 90

QUÆSTIO IX.

De aliis præcipuis Contractibus.

ART. I. *De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca.* 92
II. *De Deposito, Commodato, & Precario.* 93
III. *De Contractu Societatis.* 96
IV. *De Ludo, & Sponsione.* 99
V. *De Quasi Contractibus.* 103

QUÆSTIO X.

De Testamentis, Legatis, & aliis ultimis Voluntatibus.

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quænam ejus Conditiones?* 105
II. *De Testamentis Privilegiatis.* 106
III. *Quinam testari possint, & Testamentum revocare?* 107
IV. *Quinam possint Hæredes institui?* 109
V. *De Renunciatione Hæreditatis.* 111
VI. *De Codicillis.* 112
VII. *De Substitutione Hæredis, & Fideicommissis.* 113
VIII. *De Legatis, & Fideicommissis particularibus.* 114

FINIS.

CUR-

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

PARS QUARTA.

DE CONTRACTIBUS.

PROŒMIUM.

POST tractatum de Restitutione jure merito disceptatur de Contractibus. Etenim cum per Contrahentium voluntates dominia transferantur, discutiendum quantum Juris ex unoquoque Contractu, aut quasi Contractu comparetur, ut plene dignoscere possimus, quid nostrum sit, quid alienum, quid retineri possit, quid restituere teneamur. Magnum profecto molimur opus, & omnibus apprime necessarium, cum homines quotidianis Contractibus implicentur. Agemus proinde prius breviter de Contractibus in genere, deinde ad singulos descendemus speciatim, agendo in secunda quæstione de Emptione, & Venditione. In tertia de Mutuo, & Usura. In quarta de Censibus. In quinta de Feudo, Emphyteusi, & Libello. In sexta de Cambiis. In septima de Locatione, & Conductione. In octava de Promissione, & Donatione. In nona de aliis frequentioribus Contractibus, nempe De Fidejussione, Assecutione, & Pignore, & Hypotheca, De Deposito, Commodato, & Precario, De Contractu Societatis, De Ludo, & Sponsione, ac De Quasi Contractibus. In decima demum de Testamentis, Codicillis, Legatis, Fideicommissis, & id genus aliis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Contractibus in genere.

INquiremus Primo, Quid, & quotuplex sit Contractus? Secundo, Quam pariat obligationem? Tertio, An sit validus, ubi per dolum, errorem, aut metum celebretur, vel sine solemnitatibus requisitis? Quarto, Utrum Juramentum confirmet Contractus? Quinto, Quinam possint contrahere? Sexto, Ex quanam culpa ad restitutionem teneantur Contrahentes? Septimo, Quibusnam concedatur restitutio in integrum? Octavo, An Contractus, vel Dispositio, celebrata sub causa, modo, demonstratione, aut conditione obliget? Denique; quæ supersunt de Contractibus in genere summatim explicabimus.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Contractus?

I. Contractus presse sumptus fert in utroque Contrahente obligationem; At late sumptus, ut in præsenti, fert obligationem saltem in uno contrahentium.

II. In hoc sensu definitur, quod sit Duorum vel plurium consensus, atque conventio.

III. Quatuor modis Contractus perficiuntur, Consensu, Verbis, seu certa Verborum forma, Scriptura, & Rei traditione.

IV. Contractus dividitur in Nominatum, & Innominatum, qui quadruplex, do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des. Item in Nudum, qui jure civili non parit actionem in foro externo, & Vestitum, qui illam parit, quod sex modis evenire potest.

V. Dividitur etiam in Gratuitum, seu lucrativum, & onerosum; Necnon in contractum bonæ fidei, & Stricti juris; Et in illum, qui est in favorem recipientis, & qui in favorem tradentis, aut utriusque.

VI. Demum dividitur in Formalem, seu expressum, & Virtualem seu implicitum, qui etiam dicitur Quasi Contractus, quatenus rationabiliter præsumitur adesse mutuus consensus, ut in Tutela, Mandato, Curatore.

I. SUmi potest Contractus stricte, & proprie, itaut ferat in utroque Contrahente obligationem, ut est Emptio, Mutuum, & similes; Et potest late accipi pro Conventione duorum, vel plurium, itaut complectatur tam Contractus, qui in utroque, quam Contractus, qui in uno saltem obligationem pariant, in hoc secundo sensu a nobis de Contractibus agendum, siquidem etiam Donatio, & promissio acceptata dici possunt Contractus, quamvis obligationem solum inducant in Donante, & Promittente, non vero in Donatario, ac Promissario.

II. Quæritur nunc primo, Quomodo Contractus definiatur.

Respondeo, Contractum late sumptum pro Pacto ex Ulpiano definiri, quod sit *Duorum, vel plurium consensus, atque conventio.* Unde fit, quod Donatio, & promissio ante acceptationem non dicantur Contractus, cum nondum habeatur consensus duorum; secus vero post acceptationem: Contractus vero presse sumptus ex eodem Ulpiano definitur, quod sit *Pactum ex quo ultro citroque oritur obligatio.* Hujusmodi est exempli gratia Mutuum, ratione cujus duo conveniunt, & invicem obligantur, itaut Mutuans non possit mutuum repetere ante tempus præfixum, & Mutuatarius teneatur tempore præfixo illud fi eliter restituere.

III. Quæritur secundo, Quotupliciter Contractus perficiatur.

Respondeo, non eodem modo Contractus omnes perfici, & celebrari; Aliqui enim solo mutuo consensu exterius manifestato statim perficiuntur; Aliqui indigent etiam scriptura; Aliqui certa verborum forma; Aliqui traditione rei. Quare universim quatuor modis Contractus perficiuntur, Consensu, Verbis, seu certa Verborum forma, scriptura, ac rei traditione. Primo dicuntur Consensu exterius celebrato perfici Contractus omnes, in quibus nulla requiritur ex speciali ratione aut verborum forma, aut scriptura; nec requiritur rei traditio; ut sunt Emptio, Venditio, & similes. Perficiuntur secundo verbis Contractus, qui indigent certa verborum forma per interrogationem, & responsionem, quæ dicitur forma stipulationis; Exempli gratia dicendo; Promittis dare centum Titio? Promitto. Hic tamen modus contrahendi per stipulationem pertinet potius ad forum externum, & parum est in usu: Olim enim eo Romani utebantur; nunc vero promissiones, & pacta non confirmantur stipulatione, sed publico Notarii instrumento, vel simplici scriptura manu promittentis subscripta, aut obsignata. Perficiuntur tertio Scriptura illi Contractus, qui ante Scripturam sunt invalidi; ut Emphyteusis, & alii Contractus, quos Contrahentes nolunt habere vim, antequam a Notario scribantur. Denique dicuntur Re ipsa perfici Contractus, qui non sistunt in sola conventione, sed indigent rei traditione, ut celebrentur. Cujusmodi sunt Depositum, Commodatum, Mutuum, Prmutatio, Pignus, Donatio; Isti enim ante traditionem rei non censentur celebrati, sed dicuntur Pactum nudum; unde nullam pariunt obligationem civilem, nisi in casibus mox explicandis.

IV. Quæritur tertio: Quotuplex sit Contractus?

Respondeo, Contractum late sumptum pro Pacto, Primo dividi in Nominatum, & Innominatum, Dicitur Contractus Nominatus, qui proprium habet nomen, ut Emptio, Venditio; Innominatus vero dicitur, qui proprium namen non habet, sed genericum Conventionis; Cujus quatuor sunt species, Do ut des, Facio ut facias, Do ut facias, Facio ut des: exempli gratia, si des Titio panem, ut det vinum, habetur Contractus, Do ut des; si vero tu obligeris ad scribendum, verbi gratia, ut Titius fodiat, habetur Contractus, Facio ut facias; Quod si des panem, verbi gratia, ut alter fodiat, Contractus hic dicitur, Do ut facias; Denique si fodias, verbi gratia, ut alter det panem, Contractus dicitur esse, Facio ut des. Omnes isti Contractus Innominati differunt a Contractibus habentibus speciale nomen. Nam si des panem, verbi gratia, ut alter det vinum,

vinum, hic Contractus non est Emptio, nam per Emptionem datur pretium pro merce, nec est alius Contractus Nominatus: Est quidem Permutatio, sed quatenus Permutatio est nomen genericum, quod convenit etiam Emptioni, Mutuo, &c Similiter si facias ut alter det, hic non est Contractus locationis, vi cujus datur opera solum pro pretio, non pro alia re; idemque dicas de reliquis.

Dividitur secundo Contractus in Nudum, & Vestitum. Contractus, seu pactum Nudum consistit in sola conventione duorum absque alia circumstantia dante robur Contractui; & actionem in foro externo ex jure civili. Sic Contractus, qui traditione rei perficitur, ut Commodatum, Depositum; &c. ante rei traditionem dicitur Pactum nudum; Et eodem modo Contractus innominatus antequam ex altera parte sit impletus, nisi superaddatur forma stipulationis, aut juramentum, est etiam Nudum pactum. Contractus Vestitus dicitur ille, qui vestitur aliqua circumstantia, ratione cujus robur habeat jure civili, actionemque civilem conferat pro foro externo. Sex autem modis ex Less. cap. 17. num. 17. dicitur vestiri Contractus; Primo, si sit Contractus nominatus, qui perficitur solo consensu, ut Emptio, Venditio, Locatio. Secundo, si sit Contractus nominatus, qui perficitur rei traditione, & ex altera parte sit impletus, ut est Depositum, Donatio, Mutuum, Pignus; hi enim Contractus antequam ex altera parte impleantur, sunt omnino nudi, nullam parientes actionem in foro externo. Tertio, tam Contractus nominatus, qui rei traditione perficitur, quam Contractus innominatus vestitur juramento, ut ostendit Molin. disp. 256.: Exempli gratia, si promisisti dare centum Titio, & jurasti, Titius habet actionem adversus te in foro externo. Quarto, vestitur Contractus Verbis, ut si Contractui accedat forma stipulationis. Quinto, vestitur literis: ut si literis fatearis tibi esse satisfactum, quamvis revera satisfactum non sit; quod appellatur Acceptilatio. Sexto vestitur cohærentia cum Contractu vestito, hoc est si Contractui vestito annectatur pactum nudum, hoc etiam dicitur vestitum; Verbi gratia, si vendam domum mille aureis Titio cum pacto, quod illam ego pro hoc anno inhabitem, & pro tali inhabitatione dem vestem, hic secundus Contractus accessorius, quamvis de se sit nudus, evadit vestitus per hoc quod annectatur Contractui venditionis, qui de se est vestitus; accessorium quippe sequitur principale.

V. Dividitur tertio Contractus in Gratuitum seu lucrativum, & Onerosum. Lucrativus est, in quo nihil rependitur, sed gratis celebratur, ut promissio, donatio, commodatum, precarium, testamentum, legatum. Onerosus est, in quo aliquid loco ejus, quod datur, dari, vel præstari debet; hujusmodi autem Contractus vel transfert plenum dominium, ut emptio, mutuum, vel transfert solum dominium utile, non directum, ut feudum, Emphyteusis, Ususfructus; Vel transfert dumtaxat usum, ut locatio, conductio; vel demum confert securitatem, ut pignus, hypotheca, fidejussio.

Dividitur quarto in Contractum Bonæ fidei, & Stricti juris. Bonæ fidei Contractus dicitur, in quo judex multa potest ex bono, & æquo arbitrari non judicando ex rigore legis; ut sunt emptio, locatio, commodatum, societas, depositum, pignus, & alii apud Molin. disp. 259. Stricti vero juris dicitur, in quo judex ad verba Contrahentium astringitur; ut in stipulationibus, in Feudo, Emphyteusi, Promissione liberali, Donatione, Assecuratione, & similibus. Hæc tamen pertinent ad forum externum, & parum sunt in usu.

Dividitur quinto in Contractum, qui sit in gratiam recipientis tantum, ut mutuum; & qui sit in gratiam tradentis tantum, ut depositum; & qui sit in gratiam utriusque ut Emtio, Pignus, Societas, &c.

VI. Denique alius est Contractus Formalis, quando scilicet expresse duo conveniunt, ut in emptione, venditione, &c. Alius est Virtualis, quando duo implicite conveniunt absque expressa pactione, se abstringentes, & hic vocatur Quasi contractus, qui habetur in Tutela, Mandato, Negotiorum gestione, & simili officio, videlicet Curatoris, Procuratoris, &c., in quibus non habetur expresse consensus mutuus obligationem inducens, ut in contractu, sed rationabiliter præsumitur adesse talis mutuus consensus; quia qui tutelam verbi gratia, aut mandatum suscipit, virtualiter se obligat ad tale munus rite gerendum juxta leges, aut consuetudines talis officii.

Ex quibus habes, in quo differat contractus a Quasi contractu, & quam obligationem inducat tam contractus formalis, & expressus, quam virtualis, & implicitus, seu quasi contractus.

ARTICULUS II.

Quam obligationem pariat Contractus.

I. Debitum aliud est Antidorale, seu Morale fundatum in ipsa rei honestate; aliud Legale, quod oritur ex virtute præcipiente aliquem actum, ita tamen, ut trahat onus restitutionis, si ex virtute justitiæ oriantur.

II. Obligatio ex justitia vel est pro foro interno, & hæc non dat actionem pro externo, sed exceptionem; Vel est tantum Civilis, ac nititur in falsa præsumptione, & dat actio-

nem solum pro foro externo; Vel est Civilis simul, & Naturalis, & pro utroque foro ligat. Hæc autem oritur aut ex contractu, aut ex quasi contractu, aut ex delicto, aut ex quasi delicto.

III. *Promittens non obligatur ex justitia (nisi juret, aut instrumentum publicum faciat,) sed ex fidelitate, quæ probabiliter non obligat sub gravi.*

IV. *Quivis contractus etiam nudus parit obligationem Naturalem, seu obligat in conscientia. Contractus duntaxat vestitus parit etiam obligationem Civilem. Pactum autem nudum non dat actionem, sed exceptionem, retentionem pignoris, aliosque parit effectus; Et jus Canonicum jubet pacta nuda impleri.*

V. *Pactum nudum parit obligationem etiam Civilem, si juramento firmetur, sic enim evadit vestitum.*

VI. *Pollicitatio, seu promissio non acceptata nullatenus obligat, nisi facta sit Civitati, Reipublicæ ob causam, &c.*

VII. *Quid si pollicitatio fiat Ecclesiæ, & ad pias causas? Si donans moriatur, antequam Nuncius moneat illum de donatione facta, ad donatarium ne, an ad hæredes spectat res illa donata?*

I. NOtandum primo, obligationem esse vinculum quoddam, quo quis astringitur ad aliquid faciendum; hæc autem vel potest fundari in ipsa rei honestate, & a Juristis dicitur Antidoralis, quia scilicet quis tenetur esse gratus suo benefactori; & tale debitum dicitur Morale, quia laudabile quidem est, sed non præcipitur: Vel obligatio fundatur in necessitate, & hæc importat debitum legale, seu præceptum, quod oritur vel a virtute Charitatis, vel Justitiæ, vel Religionis, vel Obedientiæ, vel ab alia virtute; ita tamen, ut sola obligatio orta ex virtute justitiæ præter peccatum inducat onus restitutionis, ut dicimus anno superiore.

II. Notandum secundo, quod obligatio ex justitia, de qua agitur in præsenti, alia est Naturalis tantum, quæ scilicet obligat duntaxat in foro conscientiæ, & in foro externo non dat actionem, sed solum exceptionem, & retentionem pignoris, ut mox explicabimus; Alia est tantum Civilis, quæ scilicet inducitur a lege positiva ex aliqua præsumptione, cui non respondet veritas a parte rei; (si enim responderet, ea obligatio esset etiam naturalis,) ut si quis juxta allegata, & probata falso existimetur debitor, & cogatur ad solvendum; & talis obligatio duntaxat Civilis dat solum actionem in foro externo: Alia demum obligatio ex justitia est Naturalis simul & Civilis; quæ non solum obligat in foro conscientiæ, sed etiam dat actionem in foro externo. Hæc autem ex quatuor capitibus oriri potest: Primo, ex Contractu, ut ex mutuo, locatione, &c. Secundo, ex quasi Contractu, ut ex tutela, negotiis gestis, aut alio simili officio, in quo scilicet rationabiliter præsumitur adesse mutuus consensus ferens obligationem. Tertio, ex delicto, puta ex furto, homicidio, vel alio contra justitiam. Quarto, ex quasi delicto, quando scilicet non ex dolo, sed ex imperitia, vel imprudentia aliquis læsus est; ut quando quis e fenestra saxum projicit, & casu prætereuntem lædit, itaut teneatur damnum compensare, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam.

III. Notandum tertio ex Sa apud Moyam, quod promittens non soleat obligare se ex justitia, nisi juret, vel faciat publicum instrumentum: Cum autem non conferat alteri jus justitiæ, tantum obligatur ex fidelitate, quæ non obligat in multorum sententia sub mortali.

IV. Quæritur nunc, Quinam Contractus pariant, præter obligationem naturalem, etiam civilem?

Respondeo, & dico primo; Quilibet contractus etiam nudus parit obligationem naturalem, seu obligat in foro conscientiæ, itaut non possit parte invita rescindi; dummodo tamen Contrahentes sint habiles ad contrahendum, & libere consentiant, & Contractus non sit irritus jure positivo, nec detur irritandi potestas. Ratio est, quia jure naturæ tenetur quis præstare, quod altero acceptante promisit.

Dico secundo; Contractus, qui dicitur pactum nudum, parit tantum obligationem naturalem, non vero civilem: Contra vero parit etiam obligationem civilem pactum vestitum. Ita communiter ex leg. *Juris-Gentium*, ff. *de Pactis*, ubi dicitur: *Nuda pactio obligationem non parit, sed exceptionem*. Quare in foro conscientiæ positis nudis pactis tenetur quilibet implere promissum, & fidem absolvere; at iis jus civile non assistit concedendo actionem, ne scilicet lites multiplicentur; immo tolerat, & permittit eorum rescissionem, quamdiu neutra ex parte pactum nudum est impletum; Si vero ex altera tantum parte sit impletum, permittit, vel quod resiliat is, qui contractum implevit ex parte sua, vel quod alteram partem cogat ad implendum illum. Verum in foro etiam externo talia nuda pacta pariunt aliquos effectus; Primo scilicet exceptionem, hoc est oppositionem adversus actionem actoris, sive ea sit dilatoria, sive peremptoria, de quibus Less. lib. 2. cap. 17. num. 2.: quamvis quædam pacta nuda privilegio Juris dent etiam actionem civilem, ut Donatio verbalis acceptata, Promissio dotis, Promissio solvendi pro se, vel pro alio; ut notat idem Less., Secundo, tribuunt jus compensandi in foro con-

conſcientiæ. Tertio, jus retinendi pignus. Quarto, impediunt ſoluti repetitionem, immo jus Canonicum, cum conditum ſit ad ſalutem animarum, & reſpiciat ſolum obligationem conſcientiæ, jubet impleri pacta nuda; niſi forte præſumatur fraus, aut error: hanc enim ob cauſam non concedit actionem ad exigendum promiſſum, niſi exprimatur cauſa cur ſit promiſſum; præſumitur enim ex errore, aut fraude factam eſſe promiſſionem.

V. Dico tertio, pactum nudum, ſi juramento firmetur, parit non ſolum naturalem, ſed etiam civilem obligationem, idque ob Numinis reverentiam. Ita commmuniter. Nam pactum nudum juramento veſtitur, ut ſupra diximus.

VI. Quæritur ſecundo, An promiſſio non acceptata, quæ dicitur Pollicitatio, habeat rationem pacti, & obligationem naturalem, aut civilem inducat?

Reſpondeo, neutram obligationem inducere; non civilem, ex leg. *Si Pactum* ff. *de Pollicit.* Neque naturalem, ut communiter docent apud Molin. diſp. 263. qui enim promittit alteri, ſeu donat, ſub tacita illa conditione promittit, & donat, ſi rem ille acceptet; atque adeo antequam acceptet, promiſſio, & donatio nullam obligationem parit, & revocari poteſt. Verum ſicut votum obligat ſtatim ac emittitur, quia ſtatim acceptatur a Deo, ſi ſit de meliori bono, ita promiſſio facta Civitati, vel Reipublicæ ob cauſam, puta propter incendium, terræmotum, &c. vel ob gratitudinem, ob honorem ſibi decretum, aut decernendum, ſtatim obligat, antequam acceptetur, ſeu in pactum tranſeat, ex leg. *Ob cauſam*, ff. *de Pollicitat.* Ratio eſt, quia Princeps generali lege propter bonum publicum talem pollicenti obligationem impoſuit, dummodo exterius promiſerit, nec ſolum propoſitum manifeſtarit; Unde fit, quod ex tali lege utraque habeatur obligatio, tam naturalis, quam civilis, quia legi obtemperare tenemur in conſcientia, ut ſuo loco diximus.

VII. Dubium eſt, An etiam pollicitatio facta Eccleſiæ, vel ad piam cauſam ante acceptationem obliget, itaut non poſſit revocari? Affirmat Molin. diſp. 263. quia jura civilia adimentia obligationem pollicitationi non loquuntur de pollicitatione facta ad pias cauſas; cum non poſſint id ſtatuere ſine conſenſu Pontificis. Sed communius cum Leſſ. Sanch. & Laym. cap. 1. negant; quia nullum jus poſitivum in favorem Eccleſiæ id ſtatuit, & jure naturali nullam obligationem parit pollicitatio. Si quis tamen juret, pollicitationem factam Eccleſiæ ſe non revocaturum, donec intimetur ad acceptandum, certe non poteſt illam in reverentiam Numinis revocare: atque adeo ad id non vi pacti, & ex juſtitia, ſed vi juramenti, & ex Religione teneretur. Si tamen promittens juret ſe non revocaturum, non explicando an poſt, vel ante acceptionem, putat Sanch. apud Bonac. quæſt. 1. quod poſſit ante acceptionem illam revocare, eo quod intelligi debeat, ſe non revocaturum poſt acceptionem.

Dubium eſt ſecundo, Utrum ſi pollicitator moriatur, antequam perveniat ad donatarium Epiſtola, vel Nuntius, qui illum moneat de donatione, res donata pertineat ad hæredes donantis, an vero ad donatarium, ſi velit acceptare? Sanch. & Leſſ. apud Laym. loc. cit. putant, quod ad donatarium, quia ex parte donantis jam donatio eſt valida, & perfecta. Communius tamen docent, quod ad hæredes donantis; cum donatarius non habeat jus acceptandi, neque ex vi pacti, cum pactum requirat conſenſum duorum; mortuo autem donante, ejus conſenſus non perſeverat, ſed extinguitur, ex Cap. *Si gratioſe de Reſcriptis in 6.* neque ex vi mandati; quia etiam mandatum extinguitur morte mandantis, ſi executio nondum dari cœpit, ex leg. *Mandatum*, Cod. *Mandati*. Putat tamen Laym. primo, quod donatarius, ſi rem donatam accipiat a Nuncio, poſſit illam ſibi retinere, donec ab hæredibus repetatur. Secundo, quod ſi Nuncius culpabiliter diſtulerit rem tradere donatario, & interim donans moriatur, teneatur (ut oſtendit Molin. diſp. 263.) ad duplicem reſtitutionem alteram donatario, ut patet, alteram hæredibus donantis, quia donatio non fuit acceptata, & mandatum morte mandantis expirat; unde res donata in tali caſu debetur hæredibus donantis. Verum ad hanc ſecundam non obligant ante ſententiam judicis Laym. & alii apud Dian. part. 6. tract. 7. reſol. 4. putantes donantem ceſſiſſe juri ſuo, & gratiam illam eſſe jam factam donatario. Notat demum Laym. cap. 26. mandatum ad pias cauſas non expirare morte mandantis, ſicut non expirat mandatum de danda dote puellæ, ex leg. *Si ego de jure dotium* ob ſpecialem favorem dotis.

ARTICULUS III.

An ſit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel ſine ſolemnitatibus Juris.

I. Error poteſt eſſe vel circa ſubſtantiam rei, vel circa qualitates. Dolus vel poteſt dare cauſam Contractui, vel poteſt incidere in Contractum. Metus poteſt eſſe vel a cauſa neceſſaria, vel a libera, vel incuti ad extorquendum contractum, vel ad alium finem; Poteſt etiam eſſe juſtus, vel injuſtus, levis, vel gravis.

II. Error

II. Error circa substantiam invalidat Contractum, sive talis error sit Antecedens, seu inducens ad contrahendum, sive sit Concomitans, quatenus etiam errore deprehenso adhuc Contractus fieret, quamvis ad hunc non inducat.

III. Error circa accidentia universim Contractum non invalidat, (ut nec Contractum Matrimonialem,) dummodo dolus ab altero proveniens non det causam Contractui; tunc enim Contractus rescindibilis esset rescindendus ad arbitrium decepti. Quod si quis expresse dicat se nolle contrahere, si erret circa qualitates expositas, tunc etiam Contractus Matrimonialis esset irritus, necnon Professio Religiosa.

IV. Dolus circa substantiam multo magis, quam error hujusmodi irritat Contractum. Dolus vero circa qualitates dans causam Contractui, si proveniat ab altero Contrahente, est irritandus ad arbitrium decepti; secus vero si proveniat a tertia persona; quæ tamen tenetur damnum resarcire.

V. Non datur obligatio adimplendi Contractum initum per dolum circa qualitates a tertia persona provenientem, si ex altera parte nondum sit adimpletus. Nec Sponsalium Contractus obligat, si notabilis mutatio aut superveniat, aut de novo appareat.

VI. Si contractus per dolum ab altero Contrahente provenientem dantem causam Contractui esset juxta probabilem opinionem irritus, teneretur deceptor solum ad damnum compensandum; secus si esset irritandus.

VII. Contractus per dolum incidentem in Contractum celebratus non est irritus, sed irritandus ad arbitrium decepti.

VIII. Dolus, ac error circa causam finalem irritant promissionem, & donationem: Secus vero si sint circa causam impulsivam. Hinc ad restitutionem tenetur pauper, qui paupertatem simulans, magnam obtinet eleemosynam; Secus vero si parvam.

IX. Votum simplex pariter irritum est, si emissum sit per dolum versantem circa causam finalem; non tamen votum solemne, sicut nec Matrimonium.

X. Universim est jure naturæ validus Contractus per metum gravem celebratus ad illum extorquendum, licet sit rescindibilis; Jure tamen saltem positivo Matrimonium sic contractum est irritum; sicut etiam Professio Religiosa. Sic pariter Sponsalia, Renunciatio, Beneficii, Donatio, Testamentum, Legatum, & similia.

XI. Si tamen metus sit justus, aut si sit injustus, sed non incussus ad Contractum extorquendum, neque irritus est contractus, neque irritandus: Sicut neque si levis sit metus injustus ad Contractum extorquendum incussus. Quid de metu reverentiali, ac de precibus importunis?

XII. Probabile est, invalidum esse Matrimonium initum cum metu levi injuste incusso ad illud extorquendum.

XIII. Contractus, deficientibus solemnitatibus juris substantialibus, (sine quibus scilicet Contractus annullatur,) non solum est irritus in foro externo, sed etiam probabilius in foro conscientiæ. Nec quia cessat aliquando finis legis inducentis formam Contractus, ideo tunc cessat ea lex obligare. Testamentum tamen, deficientibus solemnitatibus, solum pro foro externo est irritum.

XIV. Hinc probabilius est, restituenda esse, quæ per Contractum gratiosum accepta sunt sine solemnitatibus substantialibus; Et Contractus minorum esse irritos sine auctoritate Curatoris; Contra vero legata in testamento minus solemni relicta solvenda esse.

I. RECOLENDA quæ fuse alias annotavimus, præsertim in Opusculo de Principiis Moralitatis. Primo errorem, seu ignorantiam vel contingere circa substantiam Contractus, ut si Contrahens credat unam rem emere, verbi gratia vinum, & emat aliam, puta aquam; Vel contingere circa qualitatem, & accidentia, ut si credens emere equum strenuum, & robustum, emat ignavum, & pigrum. Secundo, dolum vel dare causam Contractui, quando scilicet contrahens non contracturus esset deprehenso dolo; Vel incidere in Contractum, quando scilicet deprehenso dolo Contractus fieret, quamvis non ita libenter; esto aliquando idem dolus respectu Titii possit dare causam Contractui, & respectu Caji incidere in Contractum; ut si vendatur equus quindecim annorum, & dicatur esse septem annorum, & Titius non empturus esset, Cajus vero esset illum empturus, quamvis minori pretio, dolo deprehenso. Tertio, Metum esse vel justum, vel injustum; Vel incuti a causa extrinseca necessaria, vel a causa libera; Vel inferri ad extorquendum Contractum, vel ad alium finem. Demum vel esse leve, vel gravem, itaut ad metum gravem reducatur metus reverentialis, si sit conjunctus cum minis, vel verberibus; necnon preces importunæ Superiorum, ut notat Dian. part. 2. tract. 5. Miscel. resol. 20.

II. Quæritur nunc primo, An Contractus per errorem celebratus sit validus?

Respondeo, & dico primo; Error circa substantiam irritat Contractum; Verbi gratia, si emisti vitrum loco gemmæ, irrita est emptio. Et ratio est, quia deficit consensus essentialiter requisitus ad Contractum; etenim ex leg. *Per errorem*, ff. de *Jurisdictione omnium Judicum*: Nihil est magis contrarium consensui, quam error,

error, scilicet circa substantiam. Idque non solum verum est in Contractu oneroso, sed etiam in gratuito, puta in donatione, promissione, necnon in voto; Nec solum verum est si error circa substantiam sit antecedens, sed etiam si sit concomitans. Dicitur autem error Antecedens, quando inducit ad Contractum, qui deprehenso errore non fieret. Dicitur Concomitans, quando non inducit ad Contractum, sed ita illum comitatur, ut deprehenso errore adhuc Contractus fieret: Verbi gratia, si ex errore pro auro emeris gemmam non inductus ad emendum ex tali errore; nam etiam emisses, detecto tali errore circa substantiam. Ratio dicti est, quia ad valorem contractus requiritur consensus absolutus actu existens; atqui in casu nostro consensus absolutus non datur, (eo quod error etiam concomitans circa substantiam tollat consensum,) sed solum daretur consensus, si deprehenderetur error; ergo in casu nostro cum errore concomitante non stat validitas Contractus. Sic si quis ducat ex errore Teresiam putans esse Bertam, quamvis etiam contraxisset cum Teresia, si errorem deprehendisset, adhuc de facto matrimonium factum cum Teresia est nullum, quia non habetur absolutus consensus, sed solum conditionatus erga illam, & error concomitans est circa substantiam.

III. Dico secundo, Si error sit circa accidentia, Contractus est validus; ut si emas equum, quem putas septem annorum & invenias illum esse quindecim annorum; dummodo dolus non det causam Contractui, seu non inducat ad contrahendum, ut mox dicemus. Ratio est, quia cum hujusmodi errore circa qualitatem stat consensus; ut constat in matrimonio, quod certum est esse validum, si quis contrahat cum Berta putata virgine, & nobili, quamvis deinde inveniat illam defloratam, & ignobilem.

IV. Quæritur secundo, An sit validus Contractus celebratus per dolum?

Respondeo, & dico primo, certum esse, quod contractus celebratus per dolum circa substantiam sit irritus. Si enim est irritus talis Contractus celebratus per solum errorem sine dolo, a fortiori si errori, seu ignorantiæ decepti adjungatur dolus deceptoris.

V. Dico secundo, contractus celebratus per dolum circa qualitates dantem causam contractui, ubi dolus proveniat ab altero contrahente, est irritandus ad arbitrium decepti, itaut huic competat actio ad contractum rescindendum, & deceptor teneatur in conscientia omne damnum resarcire. Ita Laym. Less. Con. & alii: Quamvis Bonac. cum aliis putet, contractus bonæ fidei non solum esse irritandos, ut constat, ratione doli, sed etiam irritos; non quidem jure naturæ, ut patet, (aliter hujusmodi matrimonium non esset validum,) sed jure positivo. Certum tamen est, quod tam contractus matrimonialis, quam Professio Religiosa, nec irrita sunt, nec irritanda, nisi dolus dederit causam illis; quia cum importet statum perpetuum, non præsumitur deesse consensus debitus, nisi dolus sit circa substantiam, vel nisi expresse quis dicat se nolle contrahere, si circa talia accidentia erret. Præterquamquod matrimonium cum sit ex Christi institutione indissolubile, non potest esse irritandum.

Dico tertio, Quando dolus circa qualitates dans causam contractui non provenit ab altero contrahente, sed vel a tertia persona, vel a propria opinione, qua contrahens seipsum decipit, tunc Contractus est validus; ut docent communiter contra Medin. apud Trull. cum non desit sufficiens consensus, quamvis deceptus habeat actionem contra tertium, a quo fuit deceptus, & decipiens tenetur omnia damna resarcire;

Neque obstat, quod in leg. *Ea vero*, ff. *Pro socio* dicatur: *Societatem dolo initam non esse validam*; unde videntur jure positivo esse irriti Contractus per dolum celebrati.

Nam, ut notat Trull. lib. 7. cap. 17. disp. 13. num. 5. in jure, quod irritandum est, sæpe dici solet irritum; quia potest deceptus reddere Contractum irritum.

Notandum tamen, quod si contrahens invincibiliter fuit deceptus a tertia persona, & dolus circa qualitates dedit causam contractui, non tenetur contractum adimplere, si ex altera parte non est adhuc adimpletus. Ita Bonac. ex Less. & Sanch. Et ratio est, quia hæc videtur esse tacita contrahentium intentio, quod nolint cognita deceptione contractum implere: Et ideo Sponsus non tenetur ad matrimonium celebrandum, postquam cognovit aliquid adesse, quo ab initio cognito sponsalia non celebrasset. Præterquamquod non est obligatio implendi contractum, quando supervenit notabilis mutatio; In jure autem idem est notabilem mutationem de novo apparere, ac de novo advenire.

VI. Ex quibus deciditur quæstio illa, An deceptor teneatur ad implendum contractum, cui dolus dedit causam, si deceptus, adhuc cognito dolo velit illum perficere?

Respondeo enim, quod si contractus per dolum celebratus sit invalidus, & solum possit exceptione doli elidi, seu solum possit ad arbitrium decepti irritari, procul dubio teneatur deceptor implere contractum, sic volente decepto. Talis est probabiliter Contractus, quando dolus ab altero contrahente provenit, & dat causam contractui, juxta sententiam nostram in secunda conclusione, & talis est Contractus celebratus per dolum incidentem in contractum, ut dicemus in quarta Conclusione. At si vera esset sen-

ſententia Bonac. adducta in ſecunda Concluſione, quod contractus bonæ fidei celebratus per dolum dantem illi cauſam ſit jure poſitivo irritus, dicendum cum eodem Bonac. Leſſ. cap. 17. num. 32. Sanch. contra Molin. diſp. 352. num. 8. decipientem teneri ſolum ad reſarcienda damna, eo quod decipiendo peccaverit contra juſtitiam; non vero teneri ad perficiendum contractum ante Judicis ſententiam, quia Contractus oneroſus fert obligationem mutuam; ergo cum deceptus non obligetur, nec obligabitur decipiens vi contractus.

VII. Dico quarto, contractus celebratus per dolum incidentem in contractum (quem numero primo explicavimus) eſt validus in utroque foro ex leg. *Et eleganter de Dolo*. Et ratio eſt, quia habetur ſufficiens conſenſus, nec a jure irritatur: Tenetur tamen decipiens damna reſarcire, & deceptus poteſt ad arbitrium contractum reſcindere. Quare ſi ematur vinum, quod vendens falſo dicit eſſe plurium annorum, vel talis loci, tenetur deceptor damna reſarcire, ſi ſit deterioris conditionis; Quod ſi ſit æque bonum, vel æqualis valoris, ac ſi eſſet plurium annorum, vel talis loci, non peccabit mortaliter decipiendo, nec tenebitur ad ullam reſtitutionem, quia emptor non graviter læditur: At ſi emptor minori pretio eſſet tale vinum apud alios empturus, ſi cognoviſſet deceptionem, tenetur decipiens reſarcire hoc lucrum ceſſans, quamvis vinum, quod vendidit, juſto pretio rigoroſo vendiderit. Ratio eſt, quia dolo, & mendaciis fuit cauſa injuſta efficax, quod tale lucrum ementi ceſſaret. Notat tamen Molin. diſp. 352. num. 18. quod ſæpe mercatores mentientes, & juramento affirmantes rem, quam vendunt, pluris valere, vel carius emiſſe, &c. excuſentur ab ulla reſtitutione, quia emens non ſolet talibus dictis fidem adhibere, cum ea ſit conſuetudo mercatorum; Unde cum non augeatur pretium ratione talis mendacii, & doli, non conſurgit obligatio reſtitutionis.

VIII. Dico ultimo, promiſſio, & donatio ſunt irrita, ſi dolus, ſeu error circa cauſam finalem interveniat; (quo ſcilicet errore cognito promiſſio, & donatio non fierent). Contra vero valida ſunt, ſi dolus ſit circa cauſam impulſivam; quo ſcilicet cognito fierent quidem, ſed non ita libenter, vel tam cito. Ita Bonac. Leſſ. & alii communiter.

Unde fit, quod accepta per ſimulationem, & dolum verſantem circa cauſam finalem, ſeu motivam, ſint reſtituenda, cum abſit animus donandi; Et ideo communiter docent apud Dian. part. 5. tract. 7. reſol. 21. quod qui accepit eleemoſynam magnam fingendo paupertatem, vel conſanguinitatem, teneatur illam reſtituere vel danti, ut putat Molin. Leſſ. & Bonac. hic, vel aliis pauperibus, aut piis operibus, ut docet Navar. & Sot. eo quod videatur res illa pauperibns conſecrata. Ratio eſt, quia quando eleemoſyna eſt magna, dolus præſumitur verſari circa cauſam motivam: quando vero eſt parva, non datur obligatio reſtitutionis, quia dolus eſt circa cauſam impulſivam.

Quamvis enim verum ſit, quod cognito dolo, eleemoſyna non data fuiſſet, non tamen cenſetur deceptus, quod velit obligare decipientem in re parva ad reſtitutionem; quia talis eleemoſyna cenſetur data potius titulo charitatis, & pietatis, quam paupertatis, ut docet Granad. apud Dian. loc. cit. unde cauſa finalis eleemoſynæ ſubſiſtit. Et propter eandem rationem docent communiter apud Bonac. hic punct. 3. §.2.n.13. quod ſi Epiſcopus conferat Beneficium Clerico idoneo, ſed affecto talibus defectibus, quos ſi cognoſceret Epiſcopus, Beneficium non conferret, talis collatio eſt valida, quia ſubſiſtit cauſa finalis collationis, quæ eſt idoneitas Clerici; Alioquin omnes fere Contractus eſſent conditionati, & invalidi, quia fere ſemper quædam ignorantur, quibus cognitis, Contractus non fierent.

IX. Ex dictis ſequitur, irritum eſſe votum ſimplex emiſſum per dolum verſantem circa cauſam finalem, cum deſit animus ſe obligandi: Contra vero votum ſolemne, uti etiam matrimonium eſt validum, etiamſi error ſit circa cauſam finalem; ut ſæpe diximus; quia cum ferant ſtatum perpetuum, poſtulant, quod non irritentur per talem dolum; Sicut nec per metum levem injuſte incuſſum ad ea extorquenda irritari poſſunt, ut cæteri contractus.

X. Quæritur tertio, An contractus per metum celebratus ſit validus?

Reſpondeo, & dico primo: Contractus celebratus per metum ſive levem, ſive gravem injuſte incuſſum ad ipſum extorquendum jure naturæ validus eſt; eo quod metus non tollat conſenſum ſufficientem ad contrahendum; ſicut non tollit conſenſum ſufficientem ad peccandum. Poteſt tamen irritari ad arbitrium ejus, qui metum gravem per injuriam paſſus eſt, ſive metus incuſſus fuerit ab altero contrahente, ſive a tertio, ut communiter docent ex cap. 2. & 4. *De his, quæ vi*, cum æquitas id requirat. Excipiuntur tamen quidam caſus. Nam ſaltem jure poſitivo invalidum eſt matrimonium celebratum per metum gravem injuſte incuſſum ad illud extorquendum, ut communiter docent; Eſto nonnulli putent eſſe irritum etiam jure naturali. Secundo, ſunt irrita ſponſalia, ut putat, Bonac. & Sanch. contra Con. Hurtad. & Perez, qui putant eſſe ſolum irritanda. Tertio, Juriſdictio per talem metum extorta videtur irrita ex Sylveſt. quamvis Bonac. & Leſſ. putent probabilius,

bilius, solum in aliquibus casibus, puta in absolutione censuræ, esse irritam. Quarto, renunciatio Beneficii, sicut etiam donatio, & promissio, necnon quæ vim habent donationis, ut remissio debiti, legatum, & testamentum, sunt irrita, non quidem jure naturæ, ut putant Pont., & Medin. apud Dian. part. 2. tract. 5. miscel. resol. 108., sed jure positivo, ex Reginald., & Rebel.; quamvis multi doceant esse solum irritanda, & teneri solum ad restitutionem, qui metum injuriose incussit.

XI. Dico secundo: Contractus celebratus per metum etiam gravem juste incussum ad illum extorquendum, nec irritus est, nec irritandus; quia nulla intercedit injuria; ut si quis metuens, ne a Judice damnetur propter stuprum, promittat Bertæ matrimonium, vel dotem. Idem dicas si metus incutiatur injuste ad alium finem, & Contractus sponte eligatur tanquam medium ad evadendum metum, ut si captus a latrone promittas matrimonium, vel dotem Bertæ, ut te liberet.

Dico tertio; Contractus celebratus per metum levem injuste incussum ad illum extorquendum non videtur rescindibilis, ne in foro quidem conscientiæ: Et extorta tali metu probabiliter videntur non esse sub obligatione restituenda. Ita Medin., Basil., Perez de Matrim. disp. 57. sect. 6. cum Tambur. loc. cit., & Dian. part. 3. tract. 5. resol. 117. contra Less., Pal., Sanch., & alios. Et ratio est, quia metus levis facile repelli potest; unde si quis cum tali metu consentit in contractum, non præsumitur ex vi metus, sed ex propria libertate consentire. Hinc fit, quod in sententia illorum, qui dicunt apud eundem Tambur., solas importunas preces afferre metum levem, & metum reverentialem esse levem, non tenetur ad restitutionem, qui aliquid ex Contractu per talem metum celebrato accepit: Verbi gratia, si mulier, vel filius, vel subditus, Marito, Parentibus, Superiori per metum reverentialem, aut importunis precibns ducti aliquid promittant, vel hæreditatem renuncient, vel fidejubeant solvere legata, &c.

Quia tamen probabilis etiam est (& me judice probabilior, ut fuse ostendi in Opusculo de Principiis moralitatis quæst. 6. art. 3.) sententia opposita Less. lib. 2. cap. 17. dub. 2., Pal., Sanch., lib. 4. disp. 9. Laym. cap. 6. putantium tali metu extorta restituenda esse, ac posse metum levem passis succurri auctoritate Judicis, ut rescindatur Contractus, (quamvis non detur actio ad rescindendum Contractum, nisi quando metu gravi celebratus est ad vitandas lites; ut nec datur actio, quando læsio est infra dimidium,) ac eosdem posse in foro conscientiæ propria auctoritate illos rescindere, dummodo relaxatio a juramento forte præstito petatur; ideo probabile etiam est, uxorem, filium, subditum non teneri stare iis contractibus; Immo si quid forte ex vi illorum solvant, posse clam compensare, si alia via non possint illud recuperare; Et is, qui aliquid ex iis contractibus accepit, tenetur juxta hanc sententiam in conscientia illud restituere.

XII. Addit Tambur., probabile esse ex Lug., quod matrimonium celebratum cum metu levi injuste incusso ad illud extorquendum invalidum sit in foro conscientiæ, eo quod jura requirant ad matrimonii validitatem consensum plene liberum. Sed probabilius est ex Sanch. esse validum; quia metus levis non tollit perfectam libertatem, eo quod facile depelli possit.

XIII. Quæritur quarto, An validus sit Contractus celebratus sine juris solemnitatibus?

Respondeo solemnitates juris alias esse substantiales, sine quibus scilicet Contractus a jure irritatur, vel quia contrahentes redduntur inhabiles ad contrahendum, vel quia Contractus sine illis non solum prohibetur, sed etiam annullatur; Alias vero esse accidentales, quæ scilicet non tollunt validitatem contractus. Hinc aperte sequitur, quod contractus tunc solum sit invalidus, quando sine solemnitatibus substantialibus celebratur: Sicut enim contrahentes apponere possunt conditiones aliquas, sine quibus non obligantur, ita Princeps potest formam juris stabilire propter bonum commune apponendo conditiones aliquas substantiales, sine quibus obligatio non inducatur.

Dubitatur solum, Utrum in foro tantum externo talis contractus sit invalidus, an etiam in interno? Censeo equidem cum Bonac., Azor., Less. lib. 2. cap. 19. num. 35., quod hujusmodi contractus sint universim invalidi etiam in foro conscientiæ. Sed excipitur testamentum tam ad pias causas factum, ut communiter docent, quam ad causas non pias, ut verius docet Less., & Molin. contra Bonac., & alios; ejus enim solemnitates videntur solum pro foro externo requiri, ut probat Less. loc. cit. Et ratio disparitatis videtur esse, quia alii contractus, si sunt invalidi ex defectu solemnitatum, facile possunt iterari; testamentum vero raro iterari potest ob imminentem mortem Testatoris. Molin. tamen, Sot., Reginald., & alii probabiliter putant non solum testamentum, sed etiam alios contractus esse validos in foro conscientiæ, si adsint requisita jure naturæ, etiamsi desint solemnitates juris substantiales, dummodo lex non reddat expresse irritum contractum in foro conscientiæ; Sicut Trident. reddit etiam in foro conscientiæ irritum matrimonium sine Parocho, & testibus; sed communius rejiciuntur, quia dum lex irritum reddit contractum sine solemnitatibus, eo ipso adimit contrahen-

tibus potestatem se obligandi, ut docent communiter de matrimonio clandestino; & ideo contractus sine solemnitatibus juris invalidi sunt in foro conscientiæ.

Neque dicas, quod cessante fine legis in casu particulari cessat lex; finis autem stabiliendi solemnitates in contractibus est, ut adimantur fraudes; ergo sublatis fraudibus, contractus in foro conscientiæ est validus.

Nam primo, transmissa majore, negatur minor; non enim finis solemnitatum est, ne adsint fraudes, sed ne adsit periculum fraudum, (ut docet Bonac. hic,) quod nunquam cessat. Secundo, falsum pariter est, quod cessante fine legis inducentis formam substantialem contractus, vel inhabilitantis aliquem ad contrahendum, ea lex cesset; lex enim, quæ inducit formam, pertinet ad essentiam contractus; unde sicut sine forma substantiali ruit compositum; ita ruit contractus, sublata forma stabilita a lege: Hac de causa matrimonium inter consanguineos est nullum ante dispensationem, quamvis detur causa ad dispensandum, seu quamvis in aliquo casu cesset causa, ex qua inductum fuit impedimentum dirimens consanguinitatis, unde possit dispensari; Sic etiam Professio Religiosa nulla est ante annos a jure præfixos, &c.

XIV. Hinc sequitur primo, quod accepta per contractum gratuitum sine solemnitatibus substantialibus celebratum, juxta probabiliorem sententiam restituenda sint ante judicis sententiam; quia nullo justo titulo retineri possunt: Accepta vero per contractum onerosum retineri possint titulo compensationis. Secundo sequitur, contractus Minorum, & Pupillorum de re immobili, vel pretiosa, esse irritos, si celebrentur sine auctoritate Curatoris, vel Tutoris; quia jura irritant tales contractus. Tertio, ex eo, quod testamentum, ut diximus, deficientibus solemnitatibus solum pro externo foro sit irritum, sequitur juxta hanc probabiliorem, & communiorem sententiam, quod hæres ab intestato teneatur in conscientia dare hæreditatem hæredi instituto in testamento minus solemni, & solvere legata in tali testamento relicta, modo constet de voluntate Testatoris. Unde fit, eum, cui res aliqua legato relicta est in testamento minus solemni, posse uti compensatione occulta, quando aliter id consequi non potest. Quomodo autem possit hic legatarius uti compensatione occulta, cum debitum sit solum probabile, probabilitate tamen circa jus, non circa factum, (sicut etiam in nonnullis aliis similibus casibus) fuse expendimus in superiori tractatu de restitutione quæst. 6. art. 3. n. 12. juxta doctrinam Cardinalis de Lugo disp. 16. de Just. sect. 5., Lessii c. 19. n. 23. Molin., Granado, & aliorum apud P. Andream Zuccherium in suis valde eruditis Decisionibus Patavinis casu 2. Mensis Martii.

ARTICULUS IV.

Utrum juramentum confirmet contractus.

I. *Juramentum confirmare contractum est vi juramenti dare jus alteri, & actionem adversus jurantem propter contractum cæteroqui irritum jure positivo.*

II. *Juramentum additum contractui irrito jure naturali in multis differt a juramento addito contractui irrito jure positivo.*

III. *Universim contractus jure positivo sive Civili, sive Canonico irriti juramento confirmantur.*

IV. *Non confirmantur tamen juramento contractus jure positivo irriti, si metu injusto aut ipsi contractus, aut juramentum superadditum extorqueantur.*

V. *Indiget relaxatione facta a Prælato hujusmodi juramentum, ut non servetur.*

VI. *Votum simplex metu extortum non indiget relaxatione, ut non servetur; secus vero juramentum. Illud quippe ex traditione Ecclesiæ est irritum, non vero istud.*

VII. *Juramentum metu injusto extortum superadditum Contractui, qui a lege irritatur propter bonum commune, non obligat, nec indiget relaxatione, ut non servetur. Tale est juramentum additum matrimonio, ac sponsalibus metu injusto extortis, nec non Professioni Religiosæ; & probabiliter etiam Voto Religionis.*

VIII. *Quinam possit relaxare isthæc juramenta addita contractibus? Regulares privilegiarii quamvis possint vota etiam jurata commutare, non possunt tamen hæc juramenta relaxare.*

IX. *Quænam causa requiratur, ut licite hæc juramenta relaxentur?*

I. IMplexe nimis a Doctoribus quæstio isthæc discutitur. Equidem in Opusculo primo de Principiis Moralitatis quæst. 7. abunde, ac pro modulo meo dilucide exposui, quæ hac de re a Theologo morali non videbantur ignoranda: Hic summatim nonnulla perstringimus.

Quæritur itaque primo, Quid sit juramentum confirmare contractus?

Respondeo, tunc juramentum confirmare contractum, quando contractus de se jure positivo irritus, atque adeo ne in foro quidem interno obligans, superveniente juramento de eo servando, redditur obligatorius non solum in conscientia, sed etiam in foro externo, itaut pro hoc foro detur actio creditori. Dixi id habere Contractum jure positivo irritum, ut est, verbi gratia, alienatio fundi dotalis, Contractus pupilli sine auctoritate tutoris, renuntiatio futuræ successionis in paterna hæreditate, & similes.

miles. Etenim si contractus sit irritus jure naturali, (ut sunt contractus usurarii) juramento firmari non possunt; quamvis enim qui juravit solvere usuras, vi juramenti, & in obsequium Numinis in testem invocati, teneatur illas solvere; at non tenetur vi contractus, seu vi promissionis factæ usurario; nec usurarius vi talis juramenti actionem ullam habet ad usuras exigendas: Immo mutuatarius post solutionem usurarum factam, ut impleat, quod juravit, potest per occultam compensationem illas recuperare, utpote injuste ab Usurario acceptas, & sine ullo justo titulo: Quod si ante solutionem tale juramentum ab Episcopo relaxetur, nullatenus tenetur usuras solvere.

II. In multis itaque differt juramentum additum contractui jure naturali irrito a juramento addito contractui, qui sit irritus jure positivo. Primo quidem, quia illud nullum jus confert alteri, nec confert actionem in foro externo, prout confert juramentum additum Contractui, qui jure positivo sit irritus. Secundo, quia obligatio servandi juramentum additum contractui irrito jure naturali est personalis, oriturque solum a virtute Religionis; unde non transit ad hæredes: Contra vero obligatio juramenti additi contractui irrito jure positivo, cum det jus alteri, & actionem pro foro externo, est obligatio etiam ex justitia, & ideo transit ad hæredes. Tertio, quia juramentum in primo casu potest a Prælato relaxari, ubi fuerit in contractu læsio ad finem contendendi in judicio absque perjurio; At in secundo casu relaxari non potest, eo quod det alteri jus justitiæ; Et Prælatus nequit relaxare juramentum in præjudicium alterius. Quod autem juramentum additum contractui, qui jure positivo sit irritus, pariat jus justitiæ, & actionem pro foro externo adversus jurantem, atque adeo confirmet huiusmodi contractum, non provenit ex vi ipsius juramenti, quod obligat solum ad veritatem rei juratæ servandam, sed provenit ex jure positivo sive Civili, sive Canonico.

III. Quæritur secundo, Quosnam contractus jure positivo irritos juramentum confirmet, conferendo adversus jurantem jus, & actionem etiam pro foro externo?

Respondeo, nonnullos apud Suar. l. 2. de Juram. cap. 29. putare, quod solum confirmentur contractus, qui beneficio restitutionis in integrum rescindi possunt. Azor. lib. 11. cap. 5. putat confirmari solum contractus irritos jure civili. Sed probabilius dicendum cum Sanch. lib. 3. cap. 12., Molin. disp. 156. Guttier., & aliis communius, universim contractus sive jure civili, sive jure Canonico irritos juramento confirmari, itaut tribuant parti jus, perinde ac si contractus non essent jure positivo irriti. Idque constat ex multis textibus, quos exponit Merol. disp. 1. c. 3. n. 428. Suar. loc. cit. & Less. cap. 17. n. 56. censent debere in contractu firmando a juramento inesse obligationem naturalem servandi promissnm, ut deinde vi juramenti superaddatur obligatio civilis. Sed cum omnis contractus jure positivo irritus obligationem illam naturalem præsupponat, aliter frustra irritaretur; ideo omnis omnino contractus irritus jure positivo juramento firmatur.

IV. Queritur tertio, An juramentum confirmet contractus metu extortos jure positivo irritos?

Respondeo, nullum contractum jure positivo irritum firmari juramento, & tribuere alteri jus, ac actionem adversus jurantem, si talis contractus sit metu injusto extortus; Nec si sit sponte quidem celebratus, sed juramentum superadditum sit metu injusto extortum. Ratio est, quia juramento non inest vis confirmandi contractus ex natura sua irritos, ut diximus, sed solum ex jure positivo; atqui non est verisimile, quod jus positivum velit firmari juramento contractus metu injusto extortos, aut contractus sponte initos, quibus superadditur juramentum metu injusto extortum; ergo hujusmodi contractus juramento non firmantur, sive tales contractus sint irriti jure positivo in bonum privatum, ut sunt, v. g., contractus minorum, aut mulierum, sive in bonum publicum, ut juramentum de non extrahendis equis, frumento, pecunia e Regno, quod a lege vetatur. Quamvis Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 20. n. 13. censeat hos duntaxat contractus meticulosos juramento non confirmari. Sed ratio a nobis adducta probat de utrisque.

V. Juramentum tamen hujusmodi, quod sine culpa servari potest, relaxatione facta a Prælato indiget, ut non servetur intuitu Religionis. Siquidem ex cap. *Cum pactum*, *de Pactis in 6.*, & ex cap. *Cum contingat*, *de Juram.* universim obligant juramenta, *quoties servari possunt sine dispendio salutis æternæ*.

VI. Neque dicas, Votum simplex metu extortum esse irritum; ergo etiam juramentum metu extortum, unde non indiget relaxatione. Negatur enim consequentia. Et disparitas est, quia ut notat Franciscus de Lugo quæst. 10. n. 64. ex Sanch. lib. 4. de Matrim. dis. 14., votum simplex metu extortum jure positivo non quidem scripto, sed tradito, seu ex traditione, & consuetudine habente vim legis ab Ecclesia irritatur, non secus ac irritatur ex traditione Ecclesiæ matrimonium fidelis cum infideli metu extortum; At juramentum metu extortum ab Ecclesia non irritatur; unde indiget relaxatione, ut non servetur, si citra culpam servari potest.

VII. Advertit tamen Suar. lib. 2. de Juram. cap 26., Sanch. lib. 3. cap. 9., Merol. disp. 1.

cap. 3. n. 486., juramentum metu extortum superadditum contractui, qui irritatur a lege ob publicam utilitatem, non obligare, nec indigere relaxatione. Etenim ſicut non obligat juramentum in præjudicium tertii, ex cap. *Quamvis pactum*, *de Pactis in 6.*, ita a fortiori non obligat juramentum in præjudicium boni publici; eſſet quippe vinculum iniquitatis; Propterea juramentum adjectum ſponſalibus, aut matrimonio metu gravi extortis nullatenus obligat, ut docet Sanch. lib. 4. diſp. 21. Azor., Sa contra Henr. lib. 21. cap. 9., Sotum, Ledeſm., quia iſti contractus meticuloſi ob publicam utilitatem irritantur; ne ſcilicet oriantur rixæ inter Conjuges, ac mala prolis educatio in Reipublicæ detrimentum. Idemque dicendum de juramento adjecto Religioſæ profeſſioni metu extortæ, & probabilius ex Suar., Sanch., Rodriq. contra Sot., & Palat., etiam de juramento adjecto ſimplici voto Religionis metu extorto. Et ratio ulterior eſt ex Merol. loc. laud., quia juramentum relaxari poteſt, quoties in contractu, cui illud adjicitur, apparet turpitudo ex parte creditoris; ſed in caſibus adductis apparet hæc turpitudo, quod ſcilicet executioni dentur iſti contractus, qui jure poſitivo ſunt irriti ob publicam utilitatem, ſi metu injuſto extorqueantur; ergo relaxari poteſt.

VIII. Quæritur quarto, quinam Prælatus poſſit juramenta iſthæc contractui adjecta relaxare?

Reſpondeo, ſolum Pontificem poſſe aliquando, & quidem ob urgentiſſimam cauſam, relaxare juramentum in præjudicium tertii; At quando non eſt in præjudicium tertii, ſi ex parte creditoris appareat turpitudo, (ut eſt juramentum de ſolvendis uſuris, aut ſi contractus, aut ipſum juramentum ſuperadditum contractui ſint metu extorta,) tunc poterit Epiſcopus, ac ejus Vicarius hujuſmodi juramentum relaxare; Abbates pariter habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: Non tamen Parochus, aut Confeſſarius; Sicut nec poſſunt iſti in votis diſpenſare: Regulares vero, quamvis habeant privilegium commutandi vota etiam jurata, quæ non ſint in præjudicium tertii, ut habetur in Compendio Privilegiorum Societatis *V. Commutatio* §. 1. ex Bulla Gregorii XIII.: at non proinde poſſunt relaxare juramenta addita contractibus, quia nomine votorum juratorum cenſentur venire ſolum juramenta, quibus vota confirmantur, & quæ intuitu pietatis, ac ſoli Deo fiunt; non vero quæ contractibus ſuperadduntur, ut docent communiter. Qua de cauſa Pater noſter Generalis Thyrſus Gonzalez literis encyclicis advertit, quod privilegium nobis conceſſum relaxandi iſthæc juramenta ſine præjudicio tertii ſit ſolum relate ad Noſtros, ut habetur in Comp. Privileg. *V. Confeſſarius* §. 6.

IX. Requiritur tamen cauſa, ut relaxatio iſthæc licite concedatur; Eaque eſſet vel ſi turpitudo in contractu habeatur ex parte creditoris, ut quando quis juravit ſe uſuras ſoluturum; Vel ſi juramentum, aut contractus ſint metu extorta; Vel ſi dolus inciderit in contractum; puta ſi quis deceptus fuerit in pretio rei emptę cum juramento non contraveniendi contractui, ut notat Sanch. lib. 3. cap. 21. (nam ſi dolus dederit cauſam huic contractui, juramentum relaxatione non indiget;) Vel propter ingratitudinem donatarii, cui juramentum adjectum eſt de illa non revocanda, ut notat Molin. diſp. 221.

ARTICULUS V.

Quinam poſſint contrahere?

I. Contrahere non poſſunt, qui carent uſu rationis; & qui a Jure impediuntur; ut pupillus ſine licentia Tutoris, qui tamen in ſui favorem valide contrahit.

II. Contractus pupilli, aut Minoris, niſi fiat de licentia Tutoris, aut Curatoris, & cum Judicis facultate, quando alienatur res immobilis, aut mobilis, quæ ſervando ſervari poteſt (v. g. per triennium) eſt invalidus. Si vero alienetur res mobilis, quæ ſervari non poteſt, requiritur ſolum licentia Tutoris, aut Curatoris; Quod ſi abſque hac licentia fiat, probabilius in foro conſcientiæ eſt validus, & obligatorius; quamvis non in foro civili.

III. Pupillo, & Minori abſque licentia debita contrahentibus competit reſtitutio in integrum.

IV. Probabiliter Pupillus, & Minor, quibus competit reſtitutio in integrum ob contractus ſine licentia initos, retinere poſſunt in conſcientia, quæ ob tales contractus deberent ſolvere.

V. Filiusfamilias puber, aut pubertati proximus poteſt quidem contrahere de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus: non tamen de Adventitiis, aut Profectitiis.

VI. Qui non eſt pubertati proximus, invalide donat etiam bona Caſtrenſia, vel quaſi; quæ tamen probabiliter poſſunt a donatario retineri.

VII. Filiusfamilias non debet Patri operas artificiales, ſed obſequiales, niſi tamen ab eo alatur.

VIII. Uxor ſolum de bonis paraphernalibus contrahere poteſt, non vero de dote. Religioſi pariter contra Superioris voluntatem nequeunt ſe obligare.

I. Certum eſt, omnes, & ſolos uſu rationis præditos contrahere poſſe, ſi habeant adminiſtrationem bonorum, de quibus ſint con-

sint contracturi, & a jure non impediantur. Unde sequitur primo, amentes, furiosos, dormientes, ebrios, & infantes ante usum rationis contrahere non posse, cum ad contrahendum consensus liber, & usus rationis requiratur. Sequitur secundo, nec posse prodigum contrahere sine Curatoris consensu, eo quod illi a jure administratio suorum bonorum prohibeatur; Et pari ratione pupillus ante decimum quartum annum sine licentia Tutoris, & Minor ante vigesimum quintum completum sine licentia curatoris contrahere non possunt; cum id a jure ipsis vetetur. Nihilominus si pupillus, vel Minor contrahant cum majore in sui commodum, contractus est validus ex leg. *Si Curatorem* apud Bonac., & Sanch. l.6. disp. 38., secus vero si contrahant in sui damnum; quia quod in favorem teneræ ætatis institutum est, non debet illi præjudicare.

II. Quæritur nunc primo, An contractus pupilli, vel minoris sine licentia Tutoris, vel Curatoris obliget saltem naturaliter, seu in foro conscientiæ, quamvis non obliget in foro civili?

Respondeo, quod si pupillus, vel minor cum licentia Tutoris, vel Curatoris alienent rem immobilem, vel etiam mobilem, quæ servando servari potest (idest, ut putat Bonac., per triennium) contractus est invalidus etiam in foro conscientiæ: nisi id fiat non solum auctoritate Tutoris, vel Curatoris, sed etiam de Judicis licentia, & ex justa causa; qualis censetur esse ad emenda alimenta, ad solvenda debita, &c. Si vero alienent res mobiles, quæ servando servari non possunt, de sola licentia Tutoris, vel Curatoris, absque facultate Judicis, contractus in utroque foro est validus. Si demum rem hujusmodi mobilem alienent sine licentia Tutoris, vel Curatoris, probabilius est, quod in conscientia teneatur stare contractui, quamvis non obligentur civiliter, ut docent probabilius, & communius cum Bonac., Sanch., Rebel. contra Covar. apud Trull. disput. 7., & Dian. part. 2. tract. 5. Miscellan. resol. 44.; Et ratio est, quia obligatio naturalis, & in foro conscientiæ consurgit ex consensu contrahentium, quotiescumque lex non irritet contractum; talis autem contractus non irritatur, ut colligitur ex leg. *Marcellus*, ff. *de Fidejussoribus*, sed solum prohibetur, atque adeo est validus.

III. Certum tamen est, quod Pupillo, & Minori sic contrahentibus datur a lege restitutio in integrum, seu possunt coram Judice repetere, quæ sic alienarunt.

Hinc sequitur, quod qui habuit rem immobilem, vel etiam mobilem, quæ servando servari potest a pupillo, vel minore per contractum, sine licentia Judicis inserta in actis per tabellionem, & absque justa causa, teneatur in foro conscientiæ ante sententiam Judicis illam restituere, eo quod contractus fuerit invalidus; nisi tamen illam retineat titulo compensationis. Contra vero, qui rem mobilem dictam habuit per contractum sine licentia Tutoris, vel Curatoris celebratum, non tenetur illam restituere, antequam coram Judice repetatur, quia probabilius talis contractus est validus in foro conscientiæ.

IV. Dubium est, An Minor teneatur in conscientia solvere, quæ debet ex promissione, vel alio contractu, Verbi gratia, quæ perdidit in ludo pecunia credita, posito quod possit per Judicem repetere id quod forte solvit, beneficio restitutionis in integrum?

Respondeo, communius docere cum Trull., Bonac. contra Salon. apud Dian. part. 2. tract. 5. Miscellan. resol. 44., quod qui potest repetere solutum, potest non solvere, nisi tamen se soluturum jurasset, licet hoc juramentum probabile sit, ut notat Trull. lib. 7. cap. 27. disp. 4. n. 6., quod relaxari possit, sicut juramentum de solvendis usuris) Ratio est, quia videtur frustranea illa circulatio: & in Regul. 71. Juris in 6. dicitur, quod cui datur actio ad repetendum, eidem datur exceptio ad retinendum. Nota tamen, quod si pupillus solvat alteri, ille non tenetur restituere ante sententiam Judicis, etiamsi pupillus possit id repetere coram Judice. Adde demum, quod si pupillus non possit coram Judice repetete propter contradictionem aliquorum indebitam, potest etiam illud sibi compensare, ut advertit Tambur. lib. 5. cap. 4. §. 2. n. 11.

V. Quæritur secundo, An filius familias, dum est pubes, vel pubertati proximus, contrahere possit?

Respondeo, masculum dici puberem anno decimoquarto completo, dici vero pubertati proximum a decimo anno cum dimidio usque ad decimum quartum; fœminam vero dici puberem anno duodecimo completo, dici vero pubertati proximam anno nono cum dimidio usque ad duodecimum. Hoc præsupposito, ad quæsitum dico, filiumfamilias puberem, vel pubertati proximum posse quidem contrahere de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, cum eorum liberam habeat administrationem, (sunt autem bona Castrensia, ut notat Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. *V. Peculium filiorum*, quæ comparat filius ratione militiæ, vel in famulatu Regis: aut quæ ex hoc peculio Castrensi ludendo, vel negotiando lucratur: Et quasi Castrensia dicuntur bona, quæ filius acquirit ex Artium liberalium professione, vel ex publico munere, puta advocati, medici, aut ex Sacerdotii, vel Beneficii proventibus, aut ex Regis liberalitate) At de bonis adventitiis (quæ scilicet aliunde, quam ex re Patris acquisivit, puta a Matre,

Avia materna, vel extraneo) necnon de Profectitiis (quæ scilicet ex bonis Patris proveniunt, quamvis cum industria, & labore filii) non potest contrahere; cum usus fructus adventitiorum, & dominium cum usufructu profectitiorum ad Patrem pertineat.

VI. Dico secundo: Filiusfamilias, antequam sit pubertati proximus, invalide contrahit, seu donat etiam bona Castrensia, vel quasi. Quia tamen probabile est non irritari a lege tales contractus, ideo probabile est, quod qui a filiofamilias non proximo pubertati aliquid accepit sine consensu Patris de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, possit ea retinere, donec repetantur coram Judice beneficio restitutionis in integrum.

VII. Ex dictis sequitur, posse filiumfamilias suas operas artificiales locare, & se obligare ad alteri serviendum, quia filius non debet Patri operas artificiales, sed solum obsequiales, nisi tamen cum eo vivat, & ab eo alimenta recipiat, ex leg. *penul.*, ff. *de Obsequiis*.

VIII. Quæritur tertio, An Uxor possit absque Mariti consensu contrahere?

Respondeo, posse de bonis paraphernalibus, non tamen de dote, cujus administratio spectat ad Maritum. Eadem ratione non possunt Religiosi aliis se obligare contra Superioris voluntatem, cum per professionem subdantur omnino voluntati Superioris.

ARTICULUS VI.

Ex qua culpa contrahentes teneantur ad restitutionem in contractibus.

I. Sine culpa Theologica gravi non datur grave onus restitutionis. Quænam dicitur culpa lata, levis, levissima, ob quas in contractibus dari potest restituendi obligatio?

II. In contractibus, qui sunt in utilitatem solius dantis, datur onus restituendi ob culpam latam; si vero sint in utilitatem solius recipientis, datur onus ob culpam levissimam, excepto Precario; si demum in utilitatem utriusque, ob culpam levem.

III. Ex hac doctrina plura ad praxim deducuntur.

IV. Quamvis citra culpam Theologicam gravem non detur onus restituendi sub gravi, nihilominus in contractibus secundum se præsumitur Theologica culpa gravis, si detur culpa illa juridica, ob quam pro foro externo contrahens ad restituendum obligatur.

V. Si casu fortuito res pereat, contrahens ad nihil tenetur, secluso pacto, aut mora culpabili.

VI. Qui non potest in navi, imminente naufragio, res suas simul, & alienas conservare, quandonam debet suas potius projicere, quam alienas?

I. DIximus cum de Restitutione, neminem per se loquendo sub gravi teneri ad restitutionem, nisi ex culpa Theologica gravi, idest ex peccato mortali. Notavimus tamen, aliquando peccatum mortale committi per culpam juridicam latam, aliquando per levem, aliquando per levissimam. Est autem culpa juridica lata omissio illius diligentiæ, cautelæ, circumspectionis, quam communiter homines ejusdem conditionis, & professionis adhibere solent, ex leg. *Latæ*, *ff. de Verborum significatione*; Unde si Medicus, verbi gratia, ignorat, quæ communiter Medici sciunt, dicitur ignorare ex lata; sic qui librum commodatum relinquit ante fores domus, vel in via publica, dicitur committere culpam latam juridicam; quamvis, si id faciat ex oblivione inculpabili, excusetur a culpa Theologica, eo quod possit stare a culpa juridica sine peccato. Culpa juridica levis dicitur omissio diligentiæ illius, quam adhibere solent diligentiores, ut si quis librum commodatum relinquat in cubiculo aperto. Culpa levissima juridica dicitur omissio diligentiæ, quam adhibere solent diligentissimi; ut si quis librum commodatum claudat in arca, quin manu tentet an arca sit clausa.

II. Quæritur nunc primo, Ex qua culpa teneatur ad restitutionem damni secuti contrahens?

Respondeo distinguendo; nam vel Contractus sunt in utilitatem solius accipientis, ut est commodatum; & tenetur ex culpa levissima, ex leg. *Contractus*, *ff. de Regulis juris*, quia æquitas postulat, ut maxima in eo adhibeatur diligentia. Excipitur tamen a jure Precarium, quia quamvis sit in utilitatem solius accipientis, ut commodatum, tamen tradens Precarium potest ad libitum illud revocare, quod non habetur in commodato; Unde solum de lata culpa tenetur aliquis ad restitutionem in Contractu Precarii, ut in eodem textu decernitur. Si tamen Contractus sit in solius dantis utilitatem, ut Depositum, tenetur contrahens solum de culpa lata, seu de dolo; non enim æquitas postulat, ut major adhibeatur diligentia in rebus alienis, quam in propriis; atque adeo satis est, & requiritur diligentia, quæ communiter solet adhiberi. Si demum Contractus sit in utilitatem utriusque, ut est Locatio, Pignus, &c. tenetur quilibet etiam de levi; ut si locetur equus, vel currus, & damnum patiatur, cum id æquitas postulet, ut communiter docent.

III. Hinc sequitur, quod Artifices, qui in re alterius laborant, teneantur de levi, si propter stipendium laborent; si vero gratis, teneantur-

neantur solum de lata. Secundo, qui rem alienam mittit per servum si ea amittitur, vel servus cum ea fugit, videndum quamnam diligentiam debebat dominus adhibere, ut decernatur, an ad restitutionem teneatur; majorem enim diligentiam, adhibere debebat, verbigratia, ad restituendum pignus, quam ad restituendum depositum. Tertio, Venditor tenetur de levi, si res vendita ante traditionem pereat, qui Contractus venditionis est in utilitatem utriusque; Et eadem ratione famulus, & custos rei alienæ mercede conductus tenetur de levi, si res custodiæ tradita pereat. Quarto, qui commodavit alteri, verbi gratia, vasa vitiosa ad conservandum vinum, unde vinum effunditur, tenetur de lata culpa; Si vero eadem vasa vendiderit, tenetur etiam de levi, quia prior Contractus est solum in gratiam recipientis; secundus in gratiam utriusque. Quinto, Nautæ, qui res alienas deposito recipiunt consueto stipendio, sicut etiam stabularii, caupones, &c. tenentur in conscientia de levi culpa, eo quod Contractus sit in utilitatem utriusque; in foro autem externo ex leg. *quinta* §. *Ad hoc nautæ*, tenentur etiam de levissima, jure sic disponente, ad compescendam istorum malitiam, ne cum furibus conveniant.

IV. Rogabis, An qui de levi, vel levissima tenentur damnum restituere, obligentur in foro conscientiæ ante judicis sententiam?

Respondeo, communius cum Less. lib. 2. cap. 27. dub. 5., Navar., Azor. affirmare contra Henr., Sot., & alios, qui putant in Contractibus nonnisi de lata, idest ex gravi culpa juridica teneri, secluso speciali pacto: quorum sententiam probabilem putat Less.; Equidem censeo nunquam ad restitutionem teneri, nisi præcesserit culpa Theologica mortalis. Verum culpa juridica levis, quæ in uno Contractu de se non est mortalis, in altero Contractu, in quo debemus esse diligentiores, erit mortalis. Nam contrahentes se obligant ad præstandam curam, & diligentiam, quam jura præscribunt; quare cum jura majorem diligentiam in uno Contractu præscribant, quam in alio, ideo omissio majoris diligentiæ in uno Contractu erit peccatum mortale, & obligabit ad restitutionem, non vero in alio: Quod si per oblivionem, vel inadvertentiam sine culpa mortali Theologica damnum sequatur, existimo contra Bonac. punct. 6., quod non teneatur contrahens ad restitutionem. Quare secundum se præsumitur culpa Theologica gravis, & datur in conscientia onus restitutionis, quando in Contractibus datur illa culpa juridica, ob quam pro foro externo contrahentes ad restituendum obligantur.

V. Quæritur secundo, Ad quid tenetur contrahens, quando res aliena perit casu fortuito?

Respondeo, quod secluso pacto, vel mora culpabili contrahentis, ad nihil teneatur; quia res, quæ perit, domino perit. Dixi tamen primo, excepto pacto, nam si accipiens obligarit se ad restitutionem rei, etiamsi casu fortuito pereat, tunc tenebitur ex pacto, ut communiter accidit in assecurandis mercibus, quæ mari transvehuntur. Dixi deinde excepta mora culpabili; hæc enim ad restitutionem obligat etiam ex casu fortuito, nisi res etiam apud dominum peritura esset, ut diximus cum de Restitutione.

Hinc fit primo, quod si Titius equum habeat commodatum, vel locatum, ut eat Apuliam versus, & contra pactum eat Romam versus, ubi in flumine, aut aliter equus casu pereat, teneatur ad restitutionem, ut docent Vasq., Rebell., Bonac. loc. cit. quia culpabiliter, & contra conventionem equum eo transmisit, ubi periit, quamvis per accidens. Fit secundo, quod si quis vestem, verbi gratia, sibi commodatam distulerit restituere tempore præfixo, & deinde casu incendatur, obligetur ad restitutionem; quia fuit in mora culpabili eam restituendi tempore præstituto.

VI. Quæritur tertio, An teneatur ad restitutionem, qui custodiens, verbi gratia, in navi res suas, & alienas, cum non possit utrasque servare, projicit alienas, & conservat suas?

Respondeo, distinguendum esse. Nam si conservat res alienas, itaut teneatur de levissima, verbi gratia, quia habet commodatas, procul dubio tenetur in casu adducto ad restitutionem. dummodo res suæ, quas conservat, sint æqualis, vel minoris valoris. Et ratio est, tum quia id statuitur in *lege prima*, *ff. de Obligationibus*, tum etiam quia cum teneatur de levissima, tenetur circa rem illam se gerere, sicut se gereret diligentissimus; sed diligentissimus in tali casu rem illam conservaret præ aliis; ergo si non conservet, tenetur ad restitutionem, ut docet Bonac. loc. cit., Molin., Sà, Less. lib. 2. c. 27. dub. 8.: Si vero teneatur de levi, ut in Contractu Pignoris, & Locati, poterit res proprias neglectis alienis ejusdem, vel minoris valoris conservare; quia circa illas tenetur se gerere, ut vir prudens; vir autem prudens in tali casu præferret res suas alienis. Si tamen alienæ essent majoris valoris, non posset illis preferre res suas: non enim id faceret prudens; Quamvis in tali casu putat Molin., quod possit a domino talis rei petere pretium rei suæ vilioris, quam neglexit, ut rem illam pretiosiorem conservaret. Demum si solum de lata tenetur, ut in Contractu Depositi, non tenetur rem suam viliorem negligere ad custodiendam pretiosiorem alterius, si non speret damnum sibi refectum iri.

AR-

ARTICULUS VII.

Cuinam competat restitutio in integrum, si ex aliquo Contractu læsus sit.

I. Quid ferat restitutio in integrum?

II. Minoribus conceditur beneficium restitutionis in integrum, si læsi sunt in Contractibus nisi impetrarint veniam ætatis, aut Contractum ratificaverint facti Majores.

III. In multiplici casu possunt Minores hoc beneficio gaudere, sed nonnisi per quatuor annos post vigesimum quintum.

IV. Majores contrahentes cum minoribus possunt tale damnum præcavere, aut obtinendo veniam ætatis, aut exigendo juramentum, vel fidejussionem.

V. Præter Minores gaudent hoc privilegio Ecclesiæ, Hospitalia, & alia loca pia; Item Personæ Ecclesiasticæ, quando sunt læsæ quoad jura Beneficii, Respublica, Civitas, Oppidum, Castrum, necnon Rudes, ac Mulieres, Milites, dum militant, & alii.

I. Dicitur Restitutio in integrum, Reductio in eum locum, in quo quis fuit ante læsionem, ex Glos. in cap. *de Auditis*, *de In integrum restitut.* Ea fert Beneficium, seu remedium, quo personæ aliquæ læsæ a Judice restituuntur in pristinum Jus, & statum, itaut Contractus licet validus ab ipsis celebratus rescindatur, vel saltem pretium æquetur, si in pretio graviter læsæ sint; (modica enim læsio pro nihilo reputatur,) Verbi gratia, si in Contractu centum aureorum subjerint jacturam decem; vel per emersionem damni, vel per cessationem lucri, possunt petere restitutionem in integrum.

II. Quæritur primo, An, & in quibus casibus concedatur Minoribus restitutio in integrum?

Respondeo, Minoribus, iis scilicet, qui nondum vigesimum quintum annum expleverunt, non solum concedi, quod possint rescindere Contractum celebratum in suum incommodum, tanquam irritum, & non obligantem, quamvis obliget alios; ut habetur *Instit. de inutilibus stipulationibus*, §. *Pupillus*; sed etiam concedi beneficium restitutionis in integrum, quando se læsos in Contractu deprehendunt; ut si vendiderint rem nonaginta, quæ valet centum, ex leg. *Ait, prætor. ff. de Minoribus*. Non potest tamen Minor tali beneficio gaudere: Primo si impetravit veniam ætatis a Principe. Secundo, si ratificavit Contractum post vigesimum quintum annum. Tertio, si addiderit juramentum; quamvis, ut diximus art. 4., possit relaxationem juramenti petere, & privilegio restitutionis in integrum gaudere.

III. Porro hoc beneficio uti potest Minor, primo, si in transactione, venditione, emptione læsus fuit, itaut nullam ex iis Contractibus utilitatem reportet, sed solum damnum non modicum, etiamsi justo pretio rem vendiderit. Secundo, si adivit damnosam hæreditatem, vel si repudiavit hæreditatem lucrosam, vel beneficium utile resignavit. Tertio, si rem suam amisit usucapione, vel præscriptione. Quarto, si rem notabilem donavit sine rationabili causa, qualis censetur esse propter nuptias, vel ex decenti remuneratione. Quinto, si mutuam pecuniam accepit, eamque ludo perdidit, poterit negare solutionem, restituendo solum id, in quo factus est ditior, ex *leg.* 2. Cod. *de Filiofamilias*. Sexto, Minor, cui a debitore facta fuit solutio debiti sine licentia Tutoris, vel Curatoris, poterit per Judicem compellere debitorem ad novam solutionem, si pecunia non sit conversa in utilitatem Minoris.

Notandum tamen, privilegio hoc posse gaudere Minores dumtaxat per quatuor annos, postquam vigesimum quintum annum expleverint, & Majores facti sunt; dummodo Contractum non ratificaverint completo anno vigesimo quinto.

IV. Notandum præterea, quod Majores, qui cum Minoribus contrahunt, possunt damnum præcavere: Primo, obtinendo a Principe veniam ætatis minoris. Secundo, extorquendo juramentum a Minore, quod communius Doctores docent firmare Contractum. Tertio; procurando fidejussorem, qui se obliget ad restituenda damna, si velit Minor hoc beneficio uti.

V. Quæritur secundo, Quinam alii hoc privilegio gaudeant, præter Minores?

Respondeo, gaudere Primo Ecclesias; quo nomine veniunt Hospitalia, Monasteria, & loca pia, quæ privilegiis Ecclesiæ gaudent, itaut per quadriennium possint tali privilegio uti, & quidam etiam adversus aliam Ecclesiam, ut docet Laym.. Secundo, personas Ecclesiasticas, si sint læsæ in aliquo secundum se spectante ad jura Beneficii. Quare si in locatione Beneficii sint læsæ, non possunt tali privilegio gaudere, quia læsio hæc non spectat ad jura Beneficii. Tertio, Rempublicam, quo nomine venit etiam Civitas, Castrum, Oppidum, Universitas studiorum. Quarto, Rudes, & Mulieres, quæ jura ignorant. Quinto, Milites, dum militant, & alios, ut videre est apud Molin. disp. 574., Sanch. lib. 6. disp. 38. Relate vero ad Religiosos in Compendio nostrorum Privilegiorum V. *Privilegia* §. 9. dicitur Joannes XXIII. concessisse Patribus Olivetanis, ut læsio quæcumque iisdem facta etiam ob culpam ipsorum Religiosorum ipso jure non teneret, quin opus esset restitutionem in integrum pro læsione hujusmodi impetrare.

ARTICULUS VIII.

An obliget Contractus celebratus sub Causa, Modo, Demonstratione, vel Conditione?

I. Contractus fit sub Causa, si explicetur causa movens ad Contractum, sive ea sit Finalis, sive Impulsiva.

II. Fit sub Modo, si adjiciatur onus contrahenti nullatenus suspendendo Contractum, sicut suspenditur per Conditionem. Sed quid si dubitetur num fiat sub Modo, an sub Conditione?

III. Sub Demonstratione fit dispositio, quando indicatur qualitas aliqua, vel rei, quæ disponitur, vel ejus, in quem fit dispositio.

IV. Fit demum sub Conditione, quando usque ad adventum Conditionis suspenditur Contractus. Conditio autem potest esse honesta, turpis, impossibilis, impertinens, &c.

V. Non subsistente causa finali, Contractus est invalidus; secus vero si non susibstat causa impulsiva.

VI. Si causa finalis testamenti non subsistat, sed susistat causa finalis legatorum, hæc sunt valida, illud vero nullum. Pariter nulla est donatio eleemosynæ, aut collatio Beneficii, si causa finalis non subsistat; seu quando innotescente falsitate, non solum non conferretur talis eleemosyna, aut Beneficium, sed conferens vellet collationem esse irritam.

VII. In dubio num deprehensa falsitate donans vellet irritam esse donationem, favendum possidenti, & standum pro valore actus.

VIII. Valida est dispositio facta sub Modo, etiamsi Modus, qui sit causa impulsiva, non adimpleatur; ut si quis donet filiæ centum, ut Religionem ingrediatur, & deinde hæc non ingrediatur: Secus vero si sit causa finalis.

IX. Error in Demonstratione non invalidat Contractum, nisi apponatur per modum Conditionis, aut Causæ finalis, aut refundatur in errorem circa substantiam.

X. Contractus sub Conditione honesta, aut impertinente ante Conditionis purificationem non obligat: Nec si fiat sub conditione turpi; At post hanc purificatam probabilius obligat.

XI. Conditiones impossibiles Contractum reddunt simpliciter nullum: Non tamen Contractum matrimonialem, in quo habentur pro non adjectis tam Conditiones impossibiles, quam turpes, quæ non sunt contra substantiam Matrimonii, (seu contra tria illa bona, fidelitatis, prolis, & Sacramenti;) sicut etiam in ultimis voluntatibus, saltem pro foro externo.

XII. Habetur pariter pro non adjecta conditio ista, Si non nupseris, Si Religionem non ingrediaris. Quid si quis relinquat alicui biscentum, si nubat, centum vero si Religionem ingrediatur? Aut si quis relinquat hæreditatem Titio, itaut si sine filiis decedat, ea transeat ad Cajum, & Titius Religionem ingrediatur? Num legatum relictum pro Virginibus maritandis possit iisdem dari, si velint ingredi Religionem?

XIII. Num possit contrahens, antequam conditio purificetur, resilire.

XIV. Conditiones necessariæ non suspendunt Contractum, sed habentur pro impletis.

I. Dicitur primo Contractus, vel dispositio fieri sub causa, quando explicatur causa, propter quam movetur aliquis ad contrahendum, vel disponendum; ut si dicat dare eleemosynam propter consanguinitatem. Causa autem duplex esse potest, Finalis, & Impulsiva: Finalis est, quæ ita movet contrahentem ad Contractum, ut sine illa Contractus non fieret; Impulsiva est, quæ impellit, sed sine illa Contractus fieret, quamvis non ita facile. Verbi gratia, si quis det eleemosynam pauperi dicenti esse suum consanguineum, eo animo, ut si non esset consanguineus, eleemosyna non daretur, talis causa dicitur finalis: Si vero adhuc daretur eleemosyna, quamvis non cum eadem liberalitate, dicitur causa impulsiva.

II. Dicitur secundo Modus in Contractibus clausula illa, qua adjicitur onus contrahenti, ita tamen, ut non suspendatur Contractus, sicut suspenditur per conditionem. Modus explicari solet per particulas, Ut, Pro, Ne, & similes: Verbi gratia, do tibi hæreditatem, ut mihi construas sepulchrum, vel pro reficienda Ecclesia, aut ne desit tibi pecunia ad faciendam eleemosynam, &c. Aliquando modus videtur importare conditionem; ut si dicatur, do tibi hæreditatem ea conditione, ut construas mihi sepulchrum: Sed si constet de mente disponentis, quod velit apponere modum, non conditionem, talis dispositio censenda est facta sub modo, non sub conditione; si vero dubitatur de mente disponentis, censenda est facta sub conditione, ex Molin. & aliis apud Trull. & Bonac. contra Bard. disp. 6. cap. 10. §. 2. & alios apud Scildere.

III. Tertio dicitur Contractus, seu dispositio fieri sub Demonstratione, quando demonstratur, seu indicatur aliqua qualitas, vel rei, de qua disponitur, vel ejus, in quem fit dispositio; ut si dicatur, Do tibi prædium meum Nolanum, quod est centum jugerum, vel quod in tui gratiam emi a Petro; vel contraho tecum, quæ es dives, pulchra, &c.

IV. Dicitur quarto fieri Contractus sub Conditione, quando suspenditur Contractus usque ad adven-

adventum conditionis; ut si dicatur, Do tibi prædium, postquam adeptus es doctoratum, vel si ostenderis esse ex mea familia, vel donec vixeris, &c. Conditio autem potest esse turpis, honesta, impossibilis, impertinens, necessaria, &c. ut fuse explicatur in tractatu de Matrimonio, cum de consensu conditionato.

V. Quæritur nunc primo: An validus sit Contractus non subsistente causa: verbi gratia, si quis emat equum, quia est strenuus, validusne erit Contractus, si non sit strenuus?

Respondeo, causa finali non subsistente Contractum non esse validum, secus vero si non subsistat causa impulsiva; Ita communiter; Et ratio est, quia Contractus vim habet ex voluntate contrahentis, qui non vult contrahere non subsistente causa finali, ut supponitur. Præterea dolus dans causam Contractui irritat contractum; sed Contractus extortus per causam finalem non subsistentem, censetur extortus per dolum dantem causam Contractui; ergo est invalidus.

VI. Hinc sequitur primo, quod si testamentum fiat ex causa finali falsa, & legata in eo contenta sint ex causa finali vera, testamentum sit nullum, legata vero sint valida; quia utile per inutile non vitiatur in rebus dividuis.

Sequitur secundo, quod si eleemosyna detur ex causa finali paupertatis, vel consanguinitatis, quæ non subsistit, talis donatio sit irrita, & detur obligatio illam restituendi, quando rationabiliter creditur, quod velit illam dominus restitui. Docent tamen communius, quod qui ostiatim petunt parvas eleemosynas fingendo paupertatem, non teneantur ad restitutionem; quia causa finalis, propter quam datur talis eleemosyna, est charitas potius, quam paupertas; quamvis eleemosyna non daretur, si fictio paupertatis innotesceret. Sic valida est collatio Beneficii facta Clerico idoneo, quamvis si ejus vitia innotescerent, Beneficium non conferretur, eo quod causa finalis est idoneitas, quæ jam habetur, non probitas illius. Quare dicendum, illam esse causam finalem dispositionis, vel Contractus, qua deficiente non solum non fieret dispositio, sed etiam disponens vellet dispositionem esse irritam; Sic qui dat eleemosynam parvam fingenti paupertatem vere non daret, si sciret illum non esse pauperem, sed non vult donationem illam esse irritam, ut ex communiter contingentibus præsumitur; & ideo donatio illa est valida, & non datur obligatio restituendi: Aliter fere omnes Contractus essent invalidi, ut notat Molin. & Bonac. quia fere in omnibus subsunt aliquæ circumstantiæ, quæ si innotescerent, contractus non fierent.

VII. Sequitur tertio, validam esse donationem factam vel fœminæ, ut alliciatur ad turpe facinus, vel Superiori, ut alliciatur ad dandum Beneficium, vel diviti, ut alliciatur ad mutuandum, quamvis vere non alliciantur, & si id prævideretur, donatio non fieret. Ratio est eadem; quia donatio est absoluta, non conditionata, ut notat Trull. hic: Contra vero invalida est institutio hæredis, quando Titius fit hæres, quia falso putatur esse filius; hæc enim institutio est æquivalenter conditionata. Nec solum est verum, quod si innotuisset falsitas, non facta fuisset talis institutio, sed etiam verum est, quod instituens vellet illam rescindi: Quæ tamen a prudenti viro ex communiter contingentibus judicanda sunt, ita tamen ut in dubio melior sit conditio possidentis, & stetur pro valore actus.

VIII. Quæritur secundo, An Contractus, vel dispositio facta sub modo sit valida, etiamsi modus non adimpleatur?

Respondeo esse validam, cum modus se habeat tanquam causa impulsiva tantum, & non suspendat dispositionem, vel Contractum; dummodo tamen modus non sit contrarius substantiæ Contractus; si enim quis det mutuum, verbi gratia, ut accipiat aliquid ultra sortem, quia hoc destruit Contractum mutui, jam talis Contractus esset invalidus, utpote contractus usurarius, & non mutui; Sic si quis iniret Matrimonium cum Berta, ut adulteret, ut non concipiat, &c.

Hinc sequitur, donationem factam sub modo, qui non impletur, non esse revocabilem: Verbi gratia, si quis donet centum filiæ, ut Religionem ingrediatur, ea non ingrediente, donatio est valida; quia modus hic fuit causa tantum impulsiva: Secus vero si fuisset causa finalis, ut si quis donet centum filiæ, ut nubat consanguineo, talis modus videtur esse causa finalis, ut notat Bonac. unde si per illam stet, ne consanguineo nubat, non sunt danda illi centum. Verum in dubio, an modus sit causa finalis, vel impulsiva, censendum est, quod sit impulsiva; quia judicandum pro valore donationis. Notatque Rebell. apud Bonac. & Trull. disp. 9. quod habeat modus vim conditionis, quando implendus est ante perceptionem emolumenti, vel si sit in favorem donantis; Verbi gratia, Dono tibi centum, ut mihi construas sepulchrum; Et e contra conditio habet vim modi, nisi aliter constet de mente disponentis, quando post perceptionem emolumenti implenda est, vel quando in favorem alterius apponitur.

Sequitur secundo, quod donatio facta, verbi gratia, Monasterio sub aliquo onere sit valida, etiamsi Monasterium tale onus non adimpleat; quia modus hic censetur esse causa tantum impulsiva, si aliter non constet de voluntate donatoris, nec aliud sit in donatione expressum, ut notat Less. lib. 2. cap. 18. num. 127.

Bonac.

Bonac. hic punct. 4. Quare qui donat aliquid Ecclesiæ eo pacto, ut celebretur festivitas alicujus Sancti, vel ne alienetur sub pœna restituendi rem illam, si id non adimpleatur, procul dubio donatio est irrita, si modus non adimpleatur; quia expresse constat esse hanc causam finalem.

IX. Quæritur tertio, An error in Demonstratione invalidet Contractum?

Respondeo non invalidare, dummodo demonstratio non apponatur per modum conditionis, vel causæ finalis, vel non refundatur in errorem circa substantiam. Ratio cur error in Demonstratione non invalidet universim Contractum, est, quia talis error est qualitatis, qui non vitiat Contractum. Quare si dicatur, Do tibi prædium meum Nolanum, quod est centum jugerum, valet dispositio, etiamsi prædium sit jugerum centum quinquaginta; quia talis error non pertinet ad substantiam: Si autem esset, verbi gratia, mille jugerum, ex conjecturis colligenda est voluntas disponentis, ut notat Bonac. Dixi tamen, nisi demonstratio apponatur per modum conditionis; ut si dicatur, Contraho tecum, qui dabis mihi tantam dotem; sensus enim est, si dabis mihi tantam dotem; vel nisi apponatur per modum causæ finalis: ut si dicatur, Contraho tecum, quæ es mea consanguinea, itaut sensus sit; quia es mea consanguinea. Vel demum nisi error in demonstratione refundatur in errorem circa substantiam; ut si dicatur, Contraho matrimonium tecum, quæ es Berta, vel quæ es Regina Hispaniæ; error enim personæ in matrimonio pertinet ad substantiam matrimonii, & sic reddit illud invalidum. Eodem modo si quis dicat Relinquo tibi centum, quæ mihi debet Cajus, invalida est donatio, si Cajus nihil debeat, eo quod error sit in substantia rei; Quod si tantum debeat sexaginta, hæc tantum danda erunt donatario, quia error non est in substantia, sed in qualitate.

X. Quæritur ultimo, An Contractus factus sub conditione validus sit, antequam purificetur conditio?

Respondeo, & dico primo. Si Contractus fiat sub conditione honesta, & possibili de futuro contingenti, non obligat ante eventum conditionis, sed statim post eventum conditionis obligat; Ut si dicatur, Contraho tecum, si tuus Pater consenserit, si mihi Titius solverit debitum, &c. Ratio est, quia contrahens non intendit se obligare, nisi post purificatam conditionem; Et idem dicas de conditione impertinenti: verbi gratia, Contraho tecum, si cras pluerit; hæc enim suspendit etiam, non vitiat contractum, ex Sanch. lib. 5. disp. 8. & Bonac.

Dico secundo; Si fiat Contractus sub conditione turpi, ut contraho tecum, si occideris Petrum, ante purificationem conditionis nullam inducit obligationem; quia nemo obligari potest ad ponendum id, a quo tenetur abstinere; Utrum autem post conditionem purificatam obliget? Less. cap. 18. dub. 3. & alii communiter affirmant, quia non amplius allicit ad peccatum; Quamvis nonnulli apud Sanch. lib. 5. disp. 9. num. 9. putent, quod non obliget, quia adhuc ad malum allicit illa spes lucrandi sic contrahendo post talem conditionem; Sicuti nonnulli contra communiorem sententiam apud Less. lib. 2. cap. 18. dub. 3. putant quod promittens aliquid pro turpi opere non teneatur solvere, etiam turpi opere patrato. Certum tamen est, quod si Contractus sit sub conditione turpi de præterito, vel de præsenti, non invalidetur; ut si quis dicat, Contraho tecum, quia prosecutus es odio, vel quia odio prosequeris Titium; istæ enim conditiones supponunt peccatum, non alliciunt ad illud.

XI. Dico tertio; Conditiones impossibiles reddunt Contractum simpliciter nullum, non enim parere possunt obligationem ante eventum conditionis, ut patet; nec post, cum conditio impossibilis nunquam purificari possit.

Notandum tamen, id esse speciale in Contractu matrimonii, quod conditiones turpes, quæ non sint contra substantiam matrimonii, (videlicet contra tria illa bona fidelitatis, prolis, & Sacramenti, idest si adulteraveris, aut si prolem evitaveris, aut si uterque velit se obligare vinculo matrimonii non in perpetuum, sed ad tempus duntaxat, & dissolubiliter,) necnon conditiones impossibiles habeantur pro non adjectis: Unde matrimonium contractum sub conditione, si Petrum occidas; si montem aureum videas, non invalidant matrimonium: Dummodo tamen non sit certum, contrahentes nolle contrahere his conditionibus non impletis; etenim matrimonium sine consensu procul dubio invalidum est. Quando tamen consensus habetur, conditiones istæ ab Ecclesia habentur pro non adjectis in solo matrimonii Contractu; nisi tamen reputentur falso ut honestæ, & possibiles, ut notat Sanch. lib. 5. disp. 3. num. 8. Quare si quis dicat, Contraho tecum matrimonium, si tuus Pater consentiat, & Pater sit mortuus, unde consentire non possit, Contractus hic est nullus, quia sub hypothesi impossibili putata possibili; Nec talis conditio impossibilis rejicitur a jure in Contractu matrimonii; quia in tali casu vere deficit consensus ad validitatem matrimonii requisitus.

Notandum secundo, in ultimis voluntatibus (saltem pro foro externo ex Vasq. de Restitut. cap. 7. disp. 10. apud Bonac. hic) haberi pariter pro non adjectis conditiones impossibiles, & turpes; idque in favorem actus, cum non

 possit

possit testator post mortem inquiri, serio ne, an joco illas apposuerit.

Præterea rejicitur, & habetur pro non adjecta illa alia conditio, si non nupseris, si uxorem non duxeris. Unde si Bertæ ante primas nuptias legentur biscentum, si non nubat, centum vero si nubat, danda illi sunt bisecutum, etiamsi nubat; quod tamen verum est relate ad primas, non vero relate ad secundas nuptias. Idem dicendum in favorem Religionis, & Ecclesiæ, ex Bonac. de conditione illa, si Religionem non ingrediaris, quæ pariter habetur pro non adjecta; Unde si Bertæ relinquantur centum, si nubat, adhuc illi danda sunt centum, si ingrediatur Religionem, idque ex præsumpta voluntate testatoris: Quod si expresse hic velit dare aliquod emolumentum temporale pro nuptiis carnalibus, quo non indiget, si Religionem ingrediatur, ut si dicat, Do illi biscentum, si nubat; centum vero si Religionem ingrediatur, in tali casu cum non possit præsumi voluntas testatoris, quod velit dare biscentum, etiamsi Religionem ingrediatur, putat Sanch. lib. 1. disp. 33. num. 32. cum Molin. contra Bonac. hic, Sylvest. Rebel. & communiorem Doctorum sententiam, quod solum illi centum danda sint, si velit ingredi Religionem.

Hinc putat Rebel. apud Bonac. quod si quis relinquat hæreditatem Titio eo pacto, ut sine filiis decedat, Titio in Religionem ingrediente, hæreditas transeat ad monasterium, non ad Cajum, eo quod conditio illa videatur rejicienda, quatenus potest a Religione retrahere.

XII. Dubium est primo, an si relinquatur legatum pro Virginibus maritandis, possit hoc dari alicui Virgini in Religionem ingredienti, eo quod spirituale matrimonium cum Christo contrahat, quod præstat matrimonio carnali? Affirmant Molin. & Rebel. Negat tamen Bonac. hic, & alii apud Sanch. loc. cit. quia mens testatoris observanda est; cum autem loquatur testator de matrimonio, non loquitur nisi de matrimonio carnali.

XIII. Dubium est secundo, An qui sub aliqua conditione celebravit Contractum, possit ante adventum conditionis licite resilire?

Respondeo, ante acceptationem posse resilire, qui liberaliter promisit tam ante, quam post adventum conditionis, & similiter promittens promissione onerosa potest resilire ante repromissionem: At posita acceptatione, vel repromissione, non potest contrahens resilire ante adventum conditionis; quia ex intentione contrahentium oritur talis obligatio. Excipitur solum donatio causa mortis: nam ut infra dicemus, habet ex dispositione juris hanc tacitam conditionem, Nisi revocetur, ut advertit Bonac. punct. 4.

XIV. Dico ultimo; Conditiones necessariæ, verbi gratia, si cras sol orietur, non suspendunt obligationem ortam a Contractu asque ad eventum conditionis, sed statim obligatio consurgit, nisi expresse contrahentes dicant nolle se obligare ante conditionis eventum. Ita communiter. Ratio est, quia conditio necessaria habetur pro impleta; Unde fit, quod contrahentes matrimonium sub conditione necessaria, possint statim illud consummare ante eventum conditionis; cum jam sit ratum, secus vero, si fiat sub conditione contingenti.

ARTICULUS IX.

Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia.

I. Contractus per Procuratorem validus est, quamvis Procura sit revocata, si non sit intimata; Non tamen matrimonium, nec Sponsalia, nec Votum, nec Contractus in præjudicium tertii, & similes. Mortuo Principali Contractus per Procuratorem celebrati sunt irriti, etiamsi id ignoret Procurator, si res sit integra, & non pertineat ad causas pias.

II. Si quis per Nuncium, aut Epistolam mittat aliquid donandum, & interim dominus moriatur, donatio est nulla.

III. Pariter est nulla emptio, si quis mandet per Nuncium aliquid emi, & ante emptionem revocetur mandatum. Sed est validus Contractus, si fiat ab Institore, qui interim revocetur, si non proponatur publice talis revocatio.

IV. Evincere est auferre rem de manu emptoris, eo quod non pertineat ad venditorem, & tunc emptor habet jus adversus venditorem, ut servetur indemnis.

V. In omnibus Contractibus onerosis, præterquam in nonnullis casibus, datur obligatio de evictione, non tamen in Contractibus lucrativis, secluso pacto, & culpa contrahentis.

VI. Contractus, qui est invalidus, per hoc, quod alter ficte, aut per metum consenserit, probabilius per verum, ac liberum ejusdem consensum internum ratificatur, quin requiratur novus consensus utriusque. Contractus vero irritus propter dolum dantem causam Contractui, aut propter impedimentum dirimens, requirit novum utriusque consensum, postquam veritas innotuerit.

VII. Probabilius idem dicendum in matrimonio propter aliquod impedimentum invalido: debet enim illud innotescere utrique parti, antequam revalidetur matrimonium. Sed quid in casu urgentissimæ necessitatis ad scandalum vitandum?

I. QUæritur primo, Quandonam sit validus Contractus per Procuratorem celebratus? Respondeo, & dico primo, si Contractus

per

per Procuratorem celebretur, validus est, & ad illum Principalis obligatur, etiamsi procuram ante revocaverit, modo non sit prius intimata; Unde debitor, quia tali Procuratori solvit, liber est ab iterum solvendo, ex leg. *Si mandatum*, *ff. Mandati* apud Trull. dub. 10.

Dico secundo; Gesta per Procuratorem mortuo principali nulla sunt, etiamsi procurator mortem ignorarit, dummodo res sit integra, & non pertineat ad causas pias. Ratio est, quia solum in causis piis mandatum non expirat morte mandantis, quando res est integra; nam si ante mortem res cœpta sit, etiam post mortem valet gestum, quia acquisitum est jus per inceptionem. Verum tamen est, quod Procurator, si quod damnum patitur sine culpa sua, poterit illud repetere a Principali.

Dico tertio; Matrimonium per Procuratorem celebratum est irritum, si sit revocatus Procurator, etiamsi revocatio non sit illi notificata, ut communiter Doctores docent. Et ratio est, quia Respublica non potest in hoc Contractu consensus defectum supplere. Et idem dicendum in similibus Contractibus, puta in Sponsalibus, in Cognatione spirituali per Procuratorem contrahenda, in Voto per procuratorem emisso, in Excommunicatione, per alium lata, in actibus, & Contractibus, in quibus agitur de præjudicio tertii. Hinc si revocetur Procurator ad Beneficium acceptandum, vel ad agendum in judicio, nulla est acceptatio Beneficii, vel sententia pro eo lata; & idem dicas de aliis casibus adductis a Pontio cap. 15.

II. Hinc sequitur primo, quod si quis per Nuncium, vel Epistolam mittat aliquid donandum, verbi gratia, Titio, & antequam Nuncius, vel Epistola perveniat, moriatur dominus, donatio ipso jure est irrita, ex *leg. 2. ff. de Donationibus*.

III. Sequitur secundo, quod si Petrus per Nuncium mandet emi, verbi gratia, frumentum, & ante emptionem revocet mandatum, sit pariter emptio nulla; Principalis tamen tenetur ad omne damnum, quod inde pateretur venditor, si verbi gratia, non reperiret amplius similes emptores. Et ratio est, quia tale damnum subit ex inconstantia Principalis, ut notat Filliuc. apud Trull. dub. 10. Contra vero si institor faciat aliquem Contractum, & interim revocetur institor, Contractus est validus, si non sit publice proposita revocatio, ex leg. *Quicumque*, *ff. de Institore*. Ratio est, quia publice proponitur institor, & publice debet revocari. Est autem institor, qui instat alicui negotio, cui præpositus est, verbi gratia, vineis vendendis, frumento emendo; Sicut etiam is, cui dantur vestes circumferendæ, & vendendæ; qui autem eas proponit, dicitur Exercitor.

IV. Quæritur secundo, Quid importet obligatio, quæ dicitur ad evictionem?

Respondeo, evictionem esse ablationem rei emptæ, vel alio Contractu habitæ per sententiam judicis; unde evincere est auferre rem de manu emptoris, propterea quod alius probet rem esse suam, & ad se, non ad venditorem pertinere. Teneri itaque venditorem de evictione, est teneri venditorem procurare, ut emptor legitime habeat rem venditam, vel ut servetur indemnis, si ab alio res illa in judicio evincatur; Unde fit, quod emptor, quando res empta sibi evincitur, seu tollitur, habeat jus ad recuperandum pretium simul cum expensis a venditore.

V. Habetur autem obligatio de evictione in omnibus Contractibus onerosis, ex leg. *Libera*, *ff. de Sententia interlocutoria*; Primo itaque in venditione. Secundo, in permutatione. Tertio, in divisione hæreditatis; quando enim hæreditas dividitur inter plures, & id, quod unus accipit, evincitur, alii hæredes tenentur huic de evictione: Et eadem est ratio, quando res communis pluribus dividitur inter illos. Quarto, in promissione dotis Genero. Quinto, in Emphyteusi, Censu, Locatione, & similibus Contractibus onerosis. In Contractibus vero lucrativis, secluso pacto, & culpa contrahentis, non habet locum evictio.

Notandum tamen, quod non teneatur de evictione venditor, vel qui aliter rem alienavit: Primo, si mota lite emptori, id non denuncietur ab emptore venditori: ut possit rem illam defendere. Secundo, si in Contractu expressum fuit, quod non teneatur de evictione. Tertio, quando sententia est aperte injusta; quia perinde est ac si res furto ablata esset. Quarto, quando emptor culpa sua amisit rei emptæ possessionem.

VI. Quæritur tertio, Quomodo ratificari debet Contractus, qui fuit invalidus?

Respondeo, & dico primo: Si Contractus fuit invalidus, eo quod ficte, vel per metum alter consenserit, probabilius est nihil aliud requiri, nisi consensum internum liberum ejus, qui ficte, vel per metum consentit. Ita communius cum Less. cap. 17. dub. 11. contra Sanch. lib. 2. disp. 32. requirentem novum consensum utriusque. Ratio Conclusionis est, quia in tali casu nihil defuit præter consensum liberum internum unius contrahentis; ergo si is habeatur, Contractus erit validus.

Dico secundo: Quando Contractus fuit invalidus ex eo quod dolus dederit illi causam, tunc deceptus non censetur illum ratificare, nisi veritate detecta iterum exterius consentiat. Ratio est, quia quandiu veritas ignoratur, consensus non est liber. Et idem dicitur, si tempore Contractus suberat aliquod impedimentum irritans; ut communiter docent in Contractu matri-

matrimonii, & in Professione Religiosa; si enim impedimentum irritans non innotescat, novus consensus est repetitio antiqui invalidi, & sic Contractus est invalidus. Quare requiritur, ut postquam innotuerit impedimentum occultum esse sublatum, iterum consentiant contrahentes saltem exercite, videlicet cognoscendo se affectu maritali, &c.; Et eodem modo in donationibus, & aliis Contractibus dolo factis; detecto enim errore, si donans non contradicit, cum facile possit, censetur exercite ratificare donationem.

VII. Difficultas est in Matrimonio, quando fuit irritum ob aliquod impedimentum, num debeat eo sublato innotescere utrique conjugi, ut uterque de novo contrahat; Multi apud Less. loc. cit., Sanch. lib. 7. disp. 36. docent satis esse, quod innotescat tantum alteri parti, verbi gratia uxori, quæ erat conscia talis impedimenti, & ista inducat maritum ad iterum contrahendum, casu quo primus Contractus fuisset invalidus. Communior tamen, & probabilior sententia docet, debere utrique innotescere invaliditatem primi Contractus, ut valide possint iterum contrahere. In casu tamen gravissimæ necessitatis licitum est uti priore sententia, quando scilicet facile est, ut alter, cui de novo impedimentum innotescit, nolit matrimonium revalidare, & inde oriantur odia, rixæ, homicidia, liberorum velut illegitimorum desertio, necnon uxoris tamquam concubinæ infamia: Atque hæc de Contractibus in genere dixisse sit satis.

QUÆSTIO II.

De Emptione, & Venditione.

Absoluta disputatione de Contractibus in genere, descendimus ordinata methodo ad disputandum de singulis principalioribus in specie. Et primo quidem de Emptione, & Venditione, quæ in usu frequentissimæ sunt, & subjacent plurimis difficultatibus. Quæremus autem primo, Quid sit Emptio, & Venditio? Secundo, Quænam res emi, vel vendi possint? Tertio, Quonam sit pretium justum rerum vendibilium. Quarto, An monopolia, & negotiatio sint illicita? Quinto, An debeat venditor aperire vitia rei vendendæ? Sexto, Ad quem spectent fructus rei venditæ? Septimo, Cui res vendita pereat, si perit ante traditionem?

ARTICULUS I.

Quid sit Emptio, & Venditio?

I. Emptio est Pactio pretii pro merce: Sicut Venditio est Pactio mercis pro pretio. Quid veniat nomine mercis? Traditio rei, aut pretii non requiritur ad Contractum perficiendum, sed ad transferendum dominium.

II. Tributum, seu laudemium debetur Gabellario, seu domino, qui erat tempore Contractus, non illi, qui est tempore traditioni. Quid si Contractus exigat ratihabitionem?

III. Si pro merce datur pretium simul, & alia res, Contractus dicendus erit venditionis, si pretium excedat talem rem, ut proinde gabella debeatur; secus vero erit permutationis. Quid si res non excedat valorem pretii, quod cum illa datur?

IV. Non est Emptio, sed locatio, & conductio, quando Artifex ponit solas operas, & non materiam: Secus vero si materiam simul & operas ponat, & in hoc casu gabella erit solvenda.

V. Non tamen si Artifex materiam simul, & operas ponat ædificando domum in fundo meo.

I. Definitur Emptio, quod sit *Pactio pretii pro merce*; sicut contra Venditio definitur, quod sit *Pactio mercis pro pretio*. Nomine autem mercis venit quælibet res vendibilis, videlicet res mobiles, immobiles, actiones, jura, & quodcumque pecunia æstimari potest. Quare tria ad Emptionem, & Venditionem requiruntur, merx, pretium, & mutuus consensus exterius expressus: Nec requiritur ad hunc Contractum traditio rei, aut pretii, ut perficiatur, ex *leg.* 4. *De contrahenda emptione*; quamvis requiratur traditio rei, ut per Contractum hunc transferatur dominium illius.

II. Dubium tamen est, quando ex emptione, vel venditione rei tributum aliquod, seu gabella, vel laudemium solvendum est Gabellario, vel domino directo, cuinam tribuendum, Gabellario ne, qui existebat tempore emptionis, an illi, qui existit tempore traditionis rei?

Respondent communiter cum Molin. Bonac. hic contra Vasq., & Tiraquel., deberi illi, qui erat tempore Contractus, cum emptio sit perfecta ante traditionem rei, si consensus sit absolutus: Quod si consensus sit conditionalis, tunc suspenditur consensus; verbi gratia, si intendant contrahentes contrahere dependenter a confessione scripturæ, vel alterius conditionis, &

in tali casu etiam tributum debetur quidem post impletam conditionem, sed Gabellario, qui existebat, quando celebratus fuit Contractus, non quando purificatur conditio; quia impleta conditione Contractus fictione juris retrotrahitur ad tempus, in quo fuit celebratus, ex leg. *Qui balneum* apud citatos Doctores. Et idem docent, si Contractus requirat ratihabitionem; Quamvis Vasq., & Tiraquel. putent oppositum, quod scilicet gabella solvenda sit Gabellario existenti tempore ratihabitionis.

III. Quæritur nunc primo, Utrum habeatur Emptio, an Permutatio, vel alius Contractus innominatus, quando pro merce datur pretium simul cum alia re? verbi gratia, si pro domo dentur centum aurei, & equus, habeturne emptio, itaut debeatur gabella, an non?

Respondeo, quod si pretium excedat rem, quæ cum illo datur pro merce, talis Contractus dicendus sit Emptio, secus Permutatio: Quod si res, & pretium erunt ferme æqualia, talis Contractus erit vel Emptio, vel Permutatio ad arbitrium Contrahentium. In dubio autem num intenderint celebrare Contractum venditionis, an permutationis, attendi debent verba, quibus Contractus celebratus est, ex leg. *In stipulationibus*, *de Regulis juris*. Quare quando gabella pro emptione alicujus rei solvenda est, Contractus dictus dicendus simpliciter emptionis, si pretium excedat rem, quæ cum illo datur, ut si pro domo dentur centum, & equus, qui valeat viginti aureis, atque adeo gabella solvenda est: Contra vero si res excedat pretium, ut si pro domo dentur centum, & equus, qui valeat quingentis aureis; Quod si equus valeat etiam centum aureis, puto cum Molin. & Bonac., quod pro tali Contractu dimidia gabella solvenda sit, contra Bald., & alios existimantes esse Contractum venditionis, & sic gabellam esse integre solvendam; & contra Gomez, & alios putantes esse Contractum permutationis, & sic gabellam simpliciter non esse solvendam.

IV. Quæritur secundo, In quo differat Emptio a locatione, & conductione?

Respondeo, quod si Artifex ponat solas operas, non materiam, ut si ex auro meo Artifex conficiat annullum, talis Contractus dicitur locationis, & conductionis; quia Artifex locat operas suas, & ego illas conduco: Si vero Artifex materiam simul, & operas ponat, censetur emptio, & venditio, ut si Artifex det mihi annulum ex auro suo; Unde gabella solvenda est.

V. Excipiendum tamen, si in fundo meo Artifex fabricet domum, apponendo materiam, videlicet lapides, tegulas, calcem; &c., censetur enim Artifex operas suas locare, ex leg. *Sabinus* ff. *de Conrrahenda emptione*, quia domus in alieno solo fabricata cedit domino fundi, & ideo in tali casu gabella non esset solvenda.

ARTICULUS II.

Quænam res emi, vel vendi possunt?

I. Res pretio æstimabiles duntaxat emi, vel vendi possunt, seclusa speciali prohibitione; Unde non possunt vendi spiritualia, nisi ratione materiæ; Nec Templum sine licentia; Nec res pupilli, vel minoris; Nec homo liber, nisi pro vita tuenda, pro aliis redimendis, aut si Saraceni bello justo sint capti.

II. Res indifferentes, quibus homines sæpe ad malos usus utuntur, quandonam vendi possunt? Num possint ex motivo propriæ utilitatis vendi hujusmodi res, quæ, non vergunt in damnum proximi, & quarum abusus a Republica toleratur? Quid si locando domum ludentibus, aut meretricibus grave inde damnum sequaur?

III. Quandonam, & a quibus, & sub quibus conditionibus vendi possunt publica officia secularia, puta Gubernatoris, Judicis, &c.?

IV. Quonam pacto emi possit res furtiva? Ad quid tenetur, qui bona fide rem furtivam emit, & revendidit? Et quid si mala fide emerit?

V. Venditio rei alienæ jure positivo est solum invalida quoad transferendum dominium talis rei, non vero quoad transferendum dominium pretii. Hinc potest dominus rei venditæ sibi illam vendicare, ubicumque repererit, & Venditor mala fide illam vendens solum tenetur Emptori damnum resarcire.

VI. Quandonam poterit quis cogi ad vendendas res suas?

VI. Si res eadem uni donetur, alteri vendatur, & tertio vendatur simul, & tradatur, ad quem istorum ea spectabit?

VIII. Quando donatur res Titio ob eo, qui impar est solvendis omnibus debitis, poteritne Titius rem illam sibi retinere? an debet creditoribus donantis illam restituere?

I. Certum est, vendi posse omnia pretio æstimabilia, nisi specialis prohibitio adsit, quæ illicitam, vel invalidam reddat venditionem.

Hinc fit primo, spiritualia vendi non posse, cum non sint pretio æstimabilia; Potest tamen vendi calix consecratus, aut aliud ratione materiæ, vel ratione laboris in eo conficiendo: Labor tamen, qui per se annectitur rei spirituali, verbi gratia, in administratione Sacramentorum, &c. sine labe simoniæ vendi non potest.

Secun-

Secundo, nec potest vendi templum sine licentia etiamsi vendatur ratione materiæ, cum talis venditio irritetur in leg. *Sancimus*, *de Sacrosanctis Ecclesiis*; Et ut notat Trull. dub. 19. prohibitum etiam est vendere vasa sacra integra etiam ratione materiæ; secus vero si sint confracta; quia tunc sanctitatem amiserunt.

Tertio, res pupilli, vel Minoris, &c., vendi non possunt a Tutore, vel Curatore; quamvis in conscientia valida sit venditio, si bona fide justum pretium solvatur.

Quarto, non potest homo liber vendi, ex leg. *Sed Celsus*, *Cod. de Contrahenda emptione*, nisi pro vita propria tuenda, vel pro alio redimendo, ut fecit S. Paulinus Episcopus Nolanus; vel si vendatur filius a Patre ob nimiam egestatem; vel si vendantur Saraceni justo bello capti.

Notandum tamen, quod licet possit aliquis se vendere ad vitam tuendam, non possunt tamen alii illum emere; quia ex lege charitatis debent illi vel mutuum dare, vel conducere eorum operas anticipata solutione.

II. Quæritur nunc primo: An liceat vendere res indifferentes, quibus homines sæpe ad malos usus utuntur, ut sunt chartæ lusoriæ, taxilli, arma, venena, &c.?

Respondeo, Reginald. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 41. negare, quia hoc esset cooperari ad proximi ruinam, quod est peccatum contra charitatem. Equidem dico cum Sanch., Trull. dub. 20. Pal. Dian. loc. cit. quod vendere rem ex se tendentem ad malum sit illicitum; ut vendere Idola Paganis, Judæis panem azymum, vestes sacerdotales, gladios circumcisorios, ædificare Judæis Synagogas, Mauris Mesquitas, Idololatris Delubra, &c. Sicut nec licet Judæis vendere Crucifixum, si præsumatur eos abusuros ad irrisionem. Circa res vero indifferentes non tendentes ex se ad malum, distinguendum est; Nam vel abusus illarum est in damnum Tertii, & a Republica non toleratus; Et non licet eas vendere; sic non licet vendere venenum illi, quem scio abusurum, nec mulieri prægnanti ea, quæ tendunt ad abortum, nec gladium Petro, si sciam, quod velit alium interficere; Si tamen res indifferentes non sunt in damnum proximi, & earum abusus toleratur a Republica, licitum est eas vendere; Nec tenetur Venditor examinare mores, & intentionem ementium, dummodo ex motivo propriæ utilitatis, aut alia ex rationabili causa ea vendat. Ratio est, quia nemo tenetur, quamvis possit, cum suo notabili damno vitare peccata alterius, quæ non sunt in damnum Tertii, & a Republica tolerantur: Et ideo communiter docent, quod possum ab Usurario parato accipere mutuum solvendo usuras. Quare licitum est vendere aleas, & taxillos, quamvis advertam emptores iis male usuros; possum etiam vendere Judæis agnum, & flores; possum vendere fucos, & ornamenta meretricibus, cibos iis, quos scio violaturos jejunium; possum locare domum usurariis, meretricibus; dummodo tamen istæ sua vicinia non plurimum noceant aliis fœminis honestis; hoc enim vergeret in damnum aliorum; Unde non quælibet necessitas, & utilitas, sed magna, & notabilis requiretur, ut posset domus iis locari. Propter eandem rationem non possum locare domum ludentibus, qui ludo sæpe blasphemias, & furta adjungunt; quia major causa requiritur ad permittenda hæc peccata publica blasphemiæ, & furti, quam alia minus gravia, ut dicemus cum de Contractu locationis.

III. Quæritur secundo: An vendi possint publica officia secularia, puta Gubernatoris, Judicis, &c.?

Respond. cum D. Thom. opusc. 20. ad Ducissam Brabantiæ, Less. lib. 2. cap. 27. dub. 4., Sanch., & aliis apud Trull. dub. 21. & Dian. part. 2. tract. 5. resol. 108., quod quamvis ex natura rei non sit id illicitum, quia ratione eminentiæ, & occasione lucri sunt pretio æstimabilia, tamen plerumque perniciosum est ea vendere ob multa incommoda, quæ inde sequuntur; videlicet quia sic non conferuntur dignioribus, sed ditioribus; & quia ementes hæc officia potius curant pecuniam recuperare, & ditescere, quam bonum Reipublicæ: unde lites excitant, prorogant, aliaque mala committunt; At concurrentibus aliquibus circumstantiis vendi licite possent, ut docent citati Doctores, præciso jure positivo in contrarium. Etenim in *leg. 2. Cod. de Monopoliis* prohibitum est ea vendi: Ubi tamen consuetudine in contrarium jus hoc commune abrogatum est, vendi licite possunt sub nonnullis conditionibus; & primo quidem, dummodo qui vendit sit Princeps supremus, seu Respublica libera, quia hæc sunt bona Reipublicæ, ac proinde eorum dispensatio soli Principi supremo convenit; Unde non possunt Marchiones, Duces, & Dominii locorum vendere (nisi ex Principis concessione, vel ex legitima præscriptione) nec officia, quæ habent annexam jurisdictionem, ut Gubernatoris, Judicis, &c.: nec illa, quæ habent annexam aliquam justitiæ administrationem, ut Tabellionis, Decurionis, &c.; bene vero si non habeant annexam justitiæ administrationem, ut officia Janitoris, Præconis, Custodis carceris, Præfecti cursorum. &c.; Quod si illa priora officia vendiderint, tenentur ad restitutionem, nisi bona fide vendiderint, & sit transactum triennium, quo bona mobilia præscribuntur. Notat tamen Trull. ex Cordub., & Lopez, censeri dari tacitam licentiam ad ea vendenda, quando Rex sciret Magnates ea vendere, & dissimularet, cum posset impedire.

Se-

Secunda conditio est, ut vendantur dignioribus, ut docent communius, & verius, vel saltem dignis, juxta probabilem sententiam nonnullorum apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 172. cum Vasq. Turrian. & aliis.

Tertia est, ut vendantur moderato pretio.

Quarta, ut id censeatur necessarium, vel utile bono Reipublicæ; nam hæc officia non sunt propria Principis, ut tributa, sed sunt communia Reipublicæ, quæ eorum administrationem, & collationem commisit Principi communius utilitatis causa. Azor. tamen apud Dian. loc.cit. cum Filliuc. notat, non damnandas has venditiones factas a supremo Principe, vel de licentia illius, concurrentibus his circumstantiis, quia multi putant esse utiles Reipublicæ, eo quod emptores metu pœnæ, ne officium amittant simil cum pretio, quod dederunt, coguntur recte fungi munere suo.

Insuper Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 7. notat posse a Marchionibus, & aliis Principibus subjectis vendi officia sæcularia, quæ ipsis absolute sunt data sine obligatione, quod non vendantur: Hæc autem esse præsumuntur, si solent absolute de iis disponere sine obligatione reddendi rationem alteri Superiori de eorum collatione, & si immemorabiliter antecessores consueverunt vendere sine alterius licentia. Ratio est, quia ex una parte ea officia sunt pretio æstimabilia; ex alia parte, quando Rex hæc officia donat iis, quos scit per se non esse obituros, ut fœminis, vel viris nobilibus suæ aulæ, probabile est ex Azor. Regem dare facultatem illa vendendi: Caveant tamen, ne indignis vendant, aut pretio immoderato.

Immo Villalob. Aragan. & alii apud Dian. part. *6.* tract. *6.* resol. 3. putant, Proreges posse ea vendere, dante iis facultatem consuetudine, & quia constituuntur a Rege ut Alter ego. At Dian. loc. cit. ex Mendoza ostendit id Proregibus prohiberi; Additque non suffragari consuetudinem, nisi Rex illam sciat, & non reclamet.

IV. Quæritur tertio: An possit emi res furtiva, vel quæ talis esse dubitatur?

Respondeo, emi non posse, nisi cum intentione restituendi eam domino deductis expensis; sic enim negotium domini utiliter ageretur: Quod si dominus deinde non compareat, converti debet in usus pios. Ubi notandum ex Pal. apud Dian. part. 4. tract. 3. resol. 27. non censendam rem esse furtivam, nisi rationibus efficacibus, & moraliter convincentibus id probetur; quia ex leg. *Merito*, ff. *Pro socio*, nemo præsumitur malus, donec probetur. Qui autem mala fide rem emit, comparente domino tenetur illam dare domino, etiamsi pretium amittat; si vero bona fide emit, & bona fide revendidit, ad nihil tenetur. At si ante revenditionem constat de furto, potest probabiliter rescindere Contractum cum latrone, si aliter non possit pretium suum a domino recuperare; Quamvis Cajet. putet simpliciter domino dandam esse: Immo putat etiam Marchant.apud Dian. part.5. tract. 14. resol. 87. & part. 2. tract. 17. resol. 4 quod qui emit mala fide rem furtivam, possit rescindere Contractum cum fure, & non teneatur eam reddere domino cum amissione pretii, quia nemo tenetur cum suo incommodo rem alterius in meliorem statum deducere; Sed communis sententia est in contrarium in pœnam ejus, qui mala fide emit rem furtivam.

V. Notandum præterea ex Bonac. punct.2. & Croix lib.3. part.2.n.*694*. venditionem rei alienæ esse invalidam quoad transferendum dominium rei, non tamen quoad transferendum dominium pretii, si solus emptor mala fide procedat, & venditor nesciat rem esse alienam, ex leg. *Rem alienam*, *ff. de Contrahenda emptione*. Unde fit, dominum, cujus res vendita est, posse rem illam sibi vindicare, ubicumque sit, nisi legitimo temporis cursu præscripta sit ab emptore bonæ fidei: Et eadem ratione usurarius vendens res alienas loco usurarum acceptas, non transfert illarum dominium; unde dominus potest illas sibi vindicare; Nisi tamen res illæ functionem recipiant, seu sint ejus generis, quæ si sint commixtæ cum rebus emptoris, non possint discerni: Qui tamen mala fide vendidit, quamvis non teneatur reddere pretium emptori, quando dominus vindicat sibi rem suam, tenetur tamen resarcire illius damna, si emptor bona fide emit rem illam; secus vero non tenetur.

Dices: Contractus celebratus per dolum dantem illi causam est irritus; talis est Contractus celebratus ab emptore ignorante rem esse alienam; ergo est invalidus, & consequenter sicut non transfertur dominium rei in emptorem, sic nec dominium pecuniæ in venditorem.

Respondeo, contractum per tale dolum celebratum non esse irritum jure naturæ, sed jure positivo. Quod patet, quia Cotractus Matrimonii est validus, etiamsi celebretur per dolum circa qualitates dantem illi causam; ut si quis contrahat, quia putat Bertam esse virginem, pulchram, divitem, secus non contracturus. Quare sicut jus positivum non irritat Contractum hunc matrimonialem, ita nec irritat Contractum emptionis rei alienæ quoad transferendum dominium pecuniæ, quamvis sit irritum quoad tranferendum dominium rei alienæ, eo quod semper res clamet ad dominum.

IV. Quæritur quarto: An possit quis cogi ad vendendam rem suam?

Respondeo regulariter loquendo id non licere; interveniente tamen justa causa, videlicet

propter bonum publicum, id licet: Unde cogi quis potest ad vendendum frumentum tempore inopiæ, ad vendendam domum pro Monasterio, Hospitali, Ecclesia, pro scholis publicis, pro via publica facienda, pro Palatio Principis. Similiter ut notat Molin. tom. 3. disp. 709. apud Laym. §. 5. quamvis quilibet possit in suo fundo altius ædes attollere, & fenestras aperire; tamen potest id publica auctoritate prohiberi, si e talibus fenestris videri possent personæ Religiosæ intra proprias ædes habitantes; vel si vicinus magnum inde ferret gravamen, & ille valde exiguum commodum, (dummodo tamen talis servitus non aperiendi fenestras, vel non attollendi muros congruo pretio compensetur.) Sic artium professores cogere possunt fabrum, verbi gratia, ferrarium, ut ex officina sua migret, si publicis lectionibus impedimento sit.

VII. Quæritur quinto: Quando res eadem pluribus diverso tempore venditur, aut donatur, locatur, &c. cujus erit?

Respondeo, quod cæteris paribus, *Qui prior est tempore, potior est jure*, ex Regul. 54. in 6. Si vero uni sit solum donata aut vendita, & alteri vendita simul sit, & tradita, & pretium solutum sit, tunc secundus emptor est præferendus, ex leg. *Quoties*, Cod. *De rei vindicatione*; & obligabitur venditor primo emptori ad interesse.

Verum tradita regula patitur aliquas exceptiones. Prima est, si prima venditio facta sit Ecclesiæ, loco pio, vel Civitati; quamvis enim illis res non sit tradita, & alteri sit deinde vendita, & tradita, prior venditio præferenda est, ex Laym. §. 4. Ratio est, quia ex *leg. ultima*, Cod. *de Sacrosanctis Ecclesiis*, dominium rei iis transfertur ante traditionem per venditionem mutuo consensu perfectam; sicut etiam per donationem, legatum, &c. Secundo, si posterior emptor, cui res est tradita, conscius erat prioris venditionis; tunc enim in pœnam fraudis poterit prior emptor intra annum a die scientiæ rem sibi vindicare. Idem dicas si res uni vendita, deinde alteri ex titulo lucrativo donationis, quamvis ignoranti, & bona fide accipienti sit tradita; quia supponitur esse in fraudem alienata. Quod si per annum a die scientiæ non repetatur a primo emptore, poterit talis donatarius illam sibi retinere, & venditor tenetur resarcire damnum emptori.

VIII. Dubitatur tamen, An si donetur res, verbi gratia equus, vel si pecunia mutuetur Titio in fraudem Creditorum ab eo, qui impar est solvendis omnibus debitis, possit Titius donatarius conscius fraudis equum, vel pecuniam sibi retinere, si intra annum non repetatur a Creditoribus?

Respondeo certum esse, quod non possit, si ad id positive cooperatus sit, puta consulendo, &c. quia qui ad injustitiam cooperatur, reus est restitutionis; Si tamen non cooperatus sit, communior, & probabilior sententia docet, quod etiam teneatur, quia licet non cooperetur suadendo, & impellendo, cooperatur consentiendo, & acceptando; Less. tamen cap. 20. n. 168. putat, quod non teneatur, quia donatarius in sui commodum id solum permitteret, (quod videtur licere,) non tamen ad id induceret.

ARTICULUS III.

De pretio justo rerum venalium.

I. *Pretium rei justum triplex est, Legale, Vulgare, & Conventionale. Quandonam in pretio vulgari dicitur Summum, Medium, & Infimum? Justum pretium ex quinque capitibus crescere, aut decrescere potest.*

II. *Num possint ultra taxam vendi res notabiliter meliores, dummodo non segregentur a vilioribus? Quid de vino aqua diluto?*

III. *In subhastatione pretium crescit, aut decrescit pro medietate valoris rei, si procedatur sincere; Sicut etiam relate ad res, quæ per proxenetas per vicos discurrentes venduntur.*

IV. *Qui aliquid vendendum accipit, assignato pretio, quandonam possit excessum talis pretii sibi retinere? Quid de Sartoribus, quibus pars pretii dicitur a Mercatoribus relaxari?*

V. *Num possit aliquid sibi retinere pro suo labore, qui rem alterius vendendam suscepit? Et quid si promiserit illam gratis se venditurum?*

VI. *Merces ultroneæ vilescunt pro tertia, & aliquando etiam pro dimidia parte.*

VII. *Qui merces vendit ad creditum, potest illas vendere pretio justo summo citra usuram; Num possit etiam aliquid accipere pro lucro cessante, vel pro periculo proximo amittendi sortem? Num possit quis emere aliquando merces minoris ob solutionem anticipatam?*

VIII. *Num possint citra usuram emi minoris, quam contineant apodixæ, seu credita immatura?*

IX. *Non potest aliquid carius vendi, eo quod sit valde utile emptori; potest tamen sic vendi, si venditor ex ejus amissione grave incommodum patiatur.*

X. *Qui est ignarus valoris rei, quam vendit, si dicat se donare excessum pretii, quod recipit a vendente, invalide donat: Quando autem communiter ignoratur valor rei, potest emi, quanti communiter estimatur, etiam ab eo, qui conscius est talis valoris.*

XI. *Pro foro externo non est rescindendus Contractus, nisi læsio sit ultra dimidium, at pro foro interno, si læsio sit notabilis, reducenda est ad æqualitatem.*

XII. Quo-

XII. Quonam pacto citra injustitiam emi, vel vendi res potest cum pacto redimendi, aut retrovendendi? Quid de Contractu, qui dicitur Godere a Godere?

XIII. Contractus Mohatra quandonam est injustus? Et quando est justus, sed scandalum præbens, & a Christiana charitate alienus?

I. CErtum est, pretium non esse desumendum a rei nobilitate, sic enim musca magis valeret, quam aurum, eo quod illa sit animata, & nobilior; sed desumendum ab æstimatione rei in ordine ad humanam utilitatem, & necessitatem. Triplex autem cujusque rei pretium justum datur, Legale, Vulgare, seu naturale, & Conventionale. Legale dicitur, quod a lege vel Reipublicæ, vel Principis, aut alterius auctoritatem habentis taxatur; Et ad illud etiam Ecclesiastici tenentur, quamvis non quoad vim coactivam, sed directivam, quatenus jure naturæ debent illo pretio vendere; quin tamen possint a laicis puniri, si contraveniant, ut notant Sanch. & Trull. Vulgare, seu naturale dicitur, quod valet juxta vulgarem, & communem æstimationem prudentium, attenta multitudine, vel penuria rerum, abundantia pecuniæ, multitudine, vel paucitate emptorum, &c. Differt autem Legale a vulgare, quia illud consistit in indivisibili, hoc vero suscipit magis, & minus. Et ideo triplex apud Doctores datur justum pretium vulgare, scilicet Infimum, Medium, & Supremum: Ut si res communiter vendatur vel nonaginta quinque, vel centum, vel centum & quinque: Primum dicitur pretium infimum, Secundum medium, Tertium summum, ut exemplificat Filliuc. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 112. Vel si pretium summum sit undecim, medium decem, & infimum novem. Non est autem universim verum, quod pretium summum possit esse decima pars pretii medii, ut si pretium medium sit centum summum sit centum & decem, aliter, ut advertit idem Dian. Mercatores, qui vendunt pecunia numerata merces pretio medio centum, possent ab usura excusari, si credito venderent centum & decem, idest pretio summo. Demum pretium Conventionale est illud, in quo partes conveniunt sine dolo, & fraude; Quod habet tantum locum in rebus voluptuosis, & quæ perninent ad ornatum; ut sunt lapides pretiosi, falcones, &c. non in rebus necessariis, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 56. Salon. tamen apud Trull docet id verum esse de rebus raris, ut si vendatur adamas rarus, chrysolitus, equus formosissimus; nam lapides pretiosi, equi, & similia regulariter non habent raritatem, ob quam possint ad arbitrium vendi quanti plurimi, aut emi quanti minimi.

Notat autem Less. cap. 21. num. 13. & Dian. apud Trull. lib. 7. cap. 20. dub. 2. quod si Magistratus esset notabiliter negligens in mutanda taxa pretii, possint tunc res vendi pretio vulgari, quia lex illa censetur iniqua, si evidens sit negligentia, aut constaret Magistratum esse vel corruptum muneribus, vel male instructum de circumstantiis mercium, vel ex odio ementium, aut vendentium taxasse pretium. Pariter quando communiter violatur taxa, Principe sciente, & non puniente, taxa non obligat, quia censetur Princeps in lege dispensare.

Notandum præterea, pretium justum crescere, vel decrescere ex quinque capitibus. Primo, ex parte rei venditæ, si scilicet sit abundantia, vel penuria. Secundo, ex parte pretii, si sit abundantia, vel penuria pecuniæ. Tertio, ex parte emptorum, vel vendentium, si sit eorum paucitas, vel multitudo. Quarto, ex parte expensarum, & periculorum in asportandis mercibus. Quinto, ex parte modi vendendi, ut si vendantur ad minutum, vel solutione pretii anticipata, quando est periculum recuperandi pretium, &c. vel cessat aliud lucrum ex tali pecunia, dummodo id manifestetur emptori.

II. Quæritur nunc primo, An si pretium, quo venduntur boves, verbi gratia, vel triticum, sit taxatum, & Petrus habeat boves, vel triticum longe præstantiora reliquis, possit ultra taxam ea vendere?

Respondeo, Salas negare apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 52. tum quia taxa est imposita pro omni genere talium rerum; tum etiam quia aperiretur ostium, ut quilibet dicere posset res suas esse notabiliter præstantiores. Verum Molin. Regin. cum eodem Dian. affirmant, dummodo excessus in bonitate sit notabilis. Ratio est, quia sicut si triticum esset corrosum vermibus, & longe deterius illo, quod communiter venditur, deberet minui pretium; ita si sit longe præstantius, debet pretium augeri. Notat tamen Filliuc. apud Dian. loc. cit. resol. 35. quod si sit pretium taxatum pro fructibus, carnibus, piscibus, &c. peccaret venditor, & ad restitutionem teneretur, si seligeret bonos, ut cariori pretio venderet, & reliquos venderet pretio taxato. Ratio est, quia pretium taxatum est pro utrisque permixtim. Putant tamen Homob. & Salas apud Dian. loc. cit. resol. 51. & resol. 80. non peccare qui vendit vinum aqua dilutum descendendo in pretio quantum pretio mediocri cum eo vitio valet, quod emptori non manifestat, dummodo venditor inde nullum damnum patiatur, eo quod sit brevi illud consumpturus: & dummodo id non sæpius fiat, quia sic minueretur pretium commune vini non mixti aqua: cum enim non agnoscant emptores mixtionem aquæ, existimant minui pretium commune,

mune, & ideo nolunt emere ab aliis vinum majori pretio, unde aliis venditoribus inferretur damnum, & injustitia.

III. Quæritur secundo: Quodnam sit pretium justum in subhastatione?

Respondeo, Bonac. hic num. 21. apud Dian. loc. cit. resol. 55. & Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 7. sentire, quod sub hasta res tanti valeat, quanti vendi potest, quia ista est praxis timoratorum. Sed communius, & verius cum Salon. docent, quod si res valeat, verbi gratia, centum pretio mediocri, justum pretium infimum in subhastatione sit quinquaginta, & justum pretium summum sit centum quinquaginta, (& idem docet Trull. de rebus, quæ per proxenetas per vicos discurrentes privatim venduntur,) dummodo tamen in venditione procedatur sine fraude, & dolo; non tamen si venditor occultet rei defectus, vel si immittat fictos emptores, qui simulent emere, ut res carius vendatur; vel si emptor alios subornet, aut precibus valde importunis, vel vi, aut metu illos inducat, ne offerant majus pretium, ut ipse vilius emat. Non peccat tamen probabiliter ex Dian. loc. cit. resol. 76. contra nonnullos oppositum sentientes cum Tamb. loco laudato, si emptor in publica licitatione roget amicos, ne offerant plus certa quantitate, ut possit illam rem emere pretio justo, licet infimo. Ratio est ex Petro Navarro, quia non quodcumque monopolium mercatorum, ut nonnisi certo pretio emant, est iniquum, si revera illud est justum pretium; in casu autem dicto emptor non inducit caritatem, sed utitur industria non fraudulenta, ut sibi res justo pretio detur, timens excessum illius.

IV. Rogabis hic, An qui aliquid vendendum accipit assignato tanto pretio, verbi gratia, centum aureorum, si illud vendat pluris, scilicet centum viginti aureis, possit excessum illum sibi retinere?

Respondeo cum communi apud Trull. dub. 3. negative, nisi saltem tacite dominus id illi significarit, aut nisi rem illam sibi eo pretio emisset, antequam ageret de venditione, unde exponatur periculo vendendi vilius, quod periculum compenset spe vendendi carius. Et ratio est, quia assignatio talis pretii est facta, ne res illa infra, non vero ne supra vendatur. Verum Angelus V. *Emptio* cum Busemb. hic probabiliter putat, quod si quis accipiat aliquid vendendum infimo, vel medocri pretio, possit retinere excessum, si ex sua industria vendat rem illam pretio rigoroso; secus vero si quid detur famulis Mercatorum vendendum omni meliori modo.

Rogabis secundo; An Sartores, qui pro aliis emunt pannum, possint a mercatoribus accipere partem pretii, quam iis remittunt mercatores pro qualibet ulna, eo quod ex sua officina illud emant?

Respondeo, Filliuc. & Dian. loc. cit. resol. 26. contra Salas affirmare; dummodo fideliter agant negotium eorum, pro quibus merces emunt, itaut non pluris pendatur iis merx, quam valeat, & quam alteri cuicumque venderetur. Ratio est, quia nullum inde damnum provenit domino, & mercatores rationabiliter illam pretii partem donant Sartoribus, qui frequentando eorum officinas dant iis ansam lucrandi. Salas tamen probabilius id negat, quia mercatores falso dicunt se aliquid remittere, ut alliciant.

V. Rogabis tertio; An si rem alterius suscepisti vendendam, poteris juste aliquid tuo labori proportionatum accipere?

Respondeo cum Tambur. cap. 7. §. 9. posse, si non dixisti te gratis venditurum; si autem dixisti expresse te gratis laboraturum, docet quidem Fagund. quod adhuc possis juste pretium laboris tibi retinere, quia supposita illa promissione inserviendi gratis, infidelis potius eris, quam injustus, si laborem tibi compenses, cum nemo teneatur servire gratis. Sed verius dicendum cum Tambur. quod non possis id juste; tum quia cum deceperis dominum, dicendo servire gratis, teneris servare illum indemnem; facile ille reperisset alium amicum, qui gratis venderet: tum etiam quia si gratis exhibuisti famulatum tuum, non potes deinde pretium accipere propter id, quod gratis donatum est.

Dices cum Lug.: Qui promisit usuras, non tenetur eas solvere, quia mutuans non habet jus ad illas; Sicut nec tenetur, qui promittit vendere rem pretio injusto; ergo nec qui promittit servire gratis.

Respondeo, nego consequentiam; quia in primis casibus nullum habet jus ille ad usuras, & ad pretium injustum, cum a nemine possit id accipere ex illis titulis; ac in ultimo casu potest venditor titulo donationis accipere gratis tuum famulatum; unde si a te decipiatur, debet servari indemnis, ut notat Tambur. de Sacrific. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 57. Et ideo Sacerdos, qui promisit pro exiguo stipendio missam celebrare, tenetur ad id ex justitia, si dominus alios reperisset, qui gratis tali stipendio celebrarent, ut idem Tambur. notat ex Decreto Sacræ Congregationis contra Suar.

VI. Quæritur tertio: Quandonam sit justum pretium mercium ultronearum?

Respondeo cum Less. Bonac. & aliis apud Dian. loc. cit. resol. 53. merces ultroneas vilescere pro tertia parte, itaut si pretium justum illarum in officina sit, verbi gratia, sexaginta,

quan-

quando quis eas emit rogatus a venditore, possit eas emere quadraginta; Immo Rebel., Sal., Cajet., Palat. apud eundem Dian. putant, vilescere etiam pro dimidia parte, unde res illa possit juste triginta emi; quia talis modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum. Verum Trull. putat, non posse in iis certam regulam assignari, sed judicandum esse ad arbitrium prudentis viri attentis circumstantiis; nam quando magna est copia mercium, multitudo vendentium, & paucissimi sunt emptores, possunt etiam ultra dimidium vilescere merces ultroneæ, ut pretium justum sit id, in quo partes conveniunt; ut accidit anno 1609., quando Neophyti, seu los Moriscos mandato Philippi Tertii ex Hispania expulsi sunt: Disertius Moya part. 2. tract. 5. disputat. 1. quæst. 3. §.4. docet, in his casibus communiter res parvi æstimari, & sic pretium illarum non esse illud antiquum, sed quod nunc habent, sicut quando navis onusta advenit, vilescit pretium ex copia rei hic & nunc.

Illud certe observandum ne quis facile inducatur ad ditescendum ex miseriis alienis, ut velit vilissime emere, eo quod alter maxime indigeat, cum ex hoc uno capite usuræ sint illicitæ: Sicut enim mutuatarius ex necessitate mutui offert usuras, ita ex necessitate aliquando pauperes vendunt res suas vilissimo pretio; Christiana autem charitas refugit ab his oblationibus accipiendis suadetque, ut mutuemus gratis, & emamus pretio justo. Notat tamen Caram. apud Moyam laudatum, quod sicut quando rogatus emis, vilius emis, videlicet rem valentem centum emis quinquaginta, ita si rogatus vendis, potes centum quinquaginta vendere, immo aliquando biscentum.

VII. Quæritur quarto, An liceat vendere pluris ad creditum, seu dilata solutione, quam vendi res soleat pecunia numerata?

Respondeo universim esse usuram, si vendatur ad creditum res pluris, quam sit ejus justum pretium rigorosum; si vero vendatur res ad creditum pretio justo rigoroso, quæ tamen pecunia numerata pretio justo infimo venderetur, non committitur ulla injustitia; ut docet Lug. de Empt., & Vendit. n. 104. Notat tamen Dian. part. 1. tract. 8. resol. 22. apud Trull. dub. 18. in aliquibus casibus posse ad creditum res vendi ultra pretium justum rigorosum. Primo scilicet ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; Verbi gratia, si ex defectu pecuniæ cogar solvere meo creditori interesse, vel cogar abstinere a negotiatione, & lucro, quod cæteroqui facerem cum illa moneta, vel si ut emptori gratum faciam, non conservo rem illam vendendam carius alibi, vel alio tempore: Debeo tamen id aperire emptori, qui forte alios venditores adiret, ne tantum pretium solvat; Secundo, ratione periculi proximi amittendæ sortis, ex Less. lib. 2. cap. 21. n. 34. apud Dian. resol. 57. contra Navar., & alios, dummodo dicat emptori se illo titulo aliquid accipere; Præsertim si dubium sit, an id illi placeat; nam forte nollet eo titulo aliquid dare; Quod si quæras, quale erit propter hoc periculum pretium justum? Respondet Less. esse, quod tu libenter, & rationabiliter alteri dares ad redimendum tale periculum. Tertio, quia sic vendendo multiplicantur aliquando emptores, & sic crescit pretium mercium.

Dubium etiam est, An possit quis emere minoris anticipata solutione, quando aliquæ res eo modo emi solent, ut lanæ, triticum, vinum, caseus, sericum, frondes, mori, &c.?

Respondeo cum Dian. par. 1. tract. 3. resol. 22. contra Val. affirmative; ita scilicet ut non solum possint sic emi infimo pretio justo, sed etiam aliquando minoris infimo, propter rationes adductas; Primo quidem propter lucrum aliquod forte cessans, aut damnum emergens; Secundo, propter periculum non recipiendi tempore suo merces, aut non sinceras; Tertio, quia sic emendo multiplicantur venditores, & sic minuitur pretium vulgare mercis; Quarto, quia sic emendo facile rogaris emere, ita tamen ut in gratiam venditoris emas, & sic ultronearum mercium pretium etiam ex hoc capite minuitur; Quinto, quia aliter merces si omnes emerentur numerata pecunia tempore traditionis, vilius venderentur propter earum multitudinem, & propter necessitates, vendentium, ratione quarum emptores rogarentur, præsertim ad evitandos sumptus in iis conservandis. Ubi advertit Bonac. hic n. 20., hinc non sequi, quod universim per se simpliciter possit res aliqua emi minoris credito, quam valeat pecunia anticipata; quia hoc est virtuale mutuum, ex quo certe non potest percipi lucrum.

Notandum tamen cum Salon. apud Trul. dub. 9., venditionem istarum mercium anticipatam aliquando esse perfectam, itaut anticipato detur pro iis pretium; sicut quando emitur vinum in vinea, lana in ovibus, & oleum in oliva, triticum in herba, folia mori in arbore; Et in tali casu emi potest justo pretio, etiamsi infimo, res, vel jus in illam, itaut lucrum, vel damnum rei cedat emptori, non venditori, & ideo dicitur venditio perfecta: Aliquando venditio anticipata est imperfecta, quia scilicet emens dat pecuniam anticipato non taxando pretium rei, & vendens solum promittit rem, ejusque dominium pro tempore futuro; Et in tali casu lucrum, vel damnum rei cedit venditori, & pretium taxandum erit tempore traditionis, quanti tunc res æstimabitur, itaut non sumatur pretium

tium rigorosum, aut infimum, sed medium, ut servetur æqualitas.

Hinc fit, licitum esse etiam hunc Contractum emptorium, Do tibi mille aureos, vel solvendos tempore messis in tritico pretio, quod nunc determinetur prudentis arbitrio, vel solvendos tempore messis in tritico pretio tunc frequentius currenti, vel quod sit inter rigorosum, & infimum.

Non potest tamen fieri Contractus emptorius dando pecuniam pro tritico consignando tempore messis, itaut eo vilius ematur, quo majus tempus intercedit inter consignationem pecuniæ, & tritici; quia sic propter dilationem, seu propter mutuum, haberetur lucrum.

Notandum secundo, quod quando emptor emit anticipato ex tuo fundo, v. g., decem modios tritici, vel ex tuo oliveto decem coros olei, si venditio sit perfecta, & fundus non reddat decem, non poteris obligari ad ea supplenda; nam sicut si reddat duodecim, omnia duodecim sunt emptoris, ita si reddat octo, non teneris supplere: Si vero venditio sit imperfecta, Garz., & Salon. putant, quod Contractus sit usurarius, si venditor obligetur supplere, si ea non habeat, seu si obligetur dare decem modios tritici, quando solum octo proveniunt ex suo fundo. Ratio est, quia qui rem, quam vendit, non habet, non tenetur restituere, nisi pecuniam quam accepit; cum non habeatur in tali Contractu, nisi emptio. Unde si hic obligetur ad quærendos decem modios, quos non habet, obligaretur ad aliquid pretio æstimabile ultra sortem principalem, quod est usura. Si tamen conditionate obligetur ad dandos decem modios, si habeat ex suo fundo, secus vero ad reddendam eandem pecuniam, Contractus non esset usurarius.

VIII. Quæritur quinto, Utrum chirographa, seu apodixæ, hoc est credita immatura, emi possint minoris, quam contineant? V. g., si Petro debeat Cajus centum solvenda post annum, poterisne tu illa emere nunc nonaginta quinque?

Respondeo cum Trull. dub. 10. & Dian. resol. 49., quod si ea debita non sint solvenda sine expensis, & molestiis, procul dubio possint minoris emi, prout æstimantur tales molestiæ, expensæ, vel incertitudo debiti; & sic non solum debita in futurum solvenda, sed etiam quæ de præsenti solvenda essent, possunt emi minoris. Si vero ea debita in futurum solvenda sunt facilis solutionis, & omnino certa, & liquida, putant communiter, quod sit usura palliata emere illa minoris: Quamvis Sanch. in Consil. p. 1. lib. 1. cap. 7. disput. 17. cum Azor., Salon., Cajet., Sa, Trull., & Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 8. putet probabilem esse oppositam sententiam, quod id liceat; quia pretium justum rei pensitandum est secundum communem æstimationem; atqui juxta communem æstimationem magis æstimatur pecunia præsens, quam jus ad pecuniam habendam post annum; ergo potest tale jus emi minoris pecunia numerata. Et ratio a priori videtur esse, quia centum aurei, qui nunc habentur, ex nunc possunt esse utiles; jus vero ad centum habendos post annum non est utile per totum hunc annum. Ad rationem in contrarium respondent, talem contractum non esse mutuum palliatum, sed esse venditionem veram, ut proinde si jus illud ad centum quantumvis liquidum forte pereat, emptori pereat, non venditori; Nec est novum, quod ematur jus ad rem, sicut emitur, v. g., jus transeundi per viam; Et ideo Dian. cum aliis docet, quod etiam ab ipso debitore possint ea minoris emi.

Sed prima sententia tenenda est; quia talis emptio videtur esse potius mutuum virtuale, supposito, quod non cesset lucrum in emente, & periculum amittendi sortem sit remotum; & ideo jure merito proscripta est ab Innoc. XI. thesis 41. dicens: *Cum pretiosior sit numerata pecunia, quam numeranda, & nullus sit, qui non minoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Qua de re plurima diximus in Trutina thesium damnatarum exponendo hanc thesim, & quadragesimam secundam ab Alexand. VII. proscriptam, quæ habet: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*.

Rogabis, An si sciam debitorem non esse solvendo, possim chirographum, vel debitum illud vendere pretio currenti iis, qui id nesciunt? Respondetur negative, quia teneor manifestare vitia occulta rei, quæ venditur, ut si venderem agrum sterilem; quicquid in contrarium dixerint nonnulli apud Less. lib. 2. c. 21. dub. 10.

IX. Quæritur sexto, Utrum vendi possit res aliqua, puta domus, vel vinea carius, eo quod sit utilis emptori?

Respondeo cum Bonac. n. 27 negative, quia venditor non potest vendere rem carius propter aliquid, quod suum non est; hæc autem utilitas non est sua; ergo. Potest tamen aliquid carius vendi propter affectum specialem, quem habet venditor ad rem illam, qua se privat in gratiam emptoris (ut notat idem Bonac. num. 15.) unde si pretium sit a Principe taxatum, adhuc poterit pluris vendi, quia pretium constitutum a Principe est super re secundum se, non habita ratione affectus specialis venditoris ad ipsam, vel damni subsequentis, &c.; Debet tamen venditor ex Laym. cap. 17. n. 10., & Less.

Leff. emptorem monere, quod ultra pretium justum aliquid recipiat ratione oblectationis, & commodi specialis, quo se privat; aliter emptorem deciperet.

X. Quæritur septimo, An qui gemmam emit a rustico ignaro valoris illius gemmæ, possit illam emere quanti minimi, protestando quod illam emeret, v. g., uno aureo, itaut si valeat mille aureis, retineat eam titulo donationis?

Respondeo cum Bonac. n. *6.* negative, quia ignorantia venditoris non minuit pretium rei, & res non potest vendi minoris quam valet, invito venditore: Quare etiamsi rusticus dicat se donare, invalida est donatio, quia involuntarie donat, cum nesciat gemmæ valorem; ad validam enim donationem requiritur perfectum voluntarium: Secus tamen dicendum, si valorem gemmæ venditor simul, & emptor ignorent; tunc enim ineunt contractum sortis exponendo se æqualiter periculo lucri, & damni; Contractus autem sortis licitus est, quando uterque æquali periculo se exponunt.

Notat tamen Bonac., Leff., Molin. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 79. contra Turrian., quod si in fasce herbarum, vel lignorum, quæ venduntur, inveniatur herba magnæ virtutis ignotæ venditori, possit emptor conscius talis virtutis emere fascem illum pretio currenti. Idem docent, si quis sciret in alterius fundo latere thesaurum, vel venam metalli, vel fontem, &c., posse quippe ipsum emere pretio ordinario. Ratio est, quia communiter fascis ille, & hic ager non æstimatur pluris; neque enim habetur ratio de thesauro communiter ignoto. Hinc etiam inferunt, quod si in aliqua regione res aliqua pretiosa parvi æstimetur, idque ignorent incolæ, possit res illa parvo emi, ut fecerunt Hispani ementes aurum apud Indos: Et si lapidario esset ignota virtus alicujus lapidis pretiosi, qui illius valorem sciret, posset emere pretio communi; Etenim in pretio taxando habenda semper ratio est æstimationis communis; Contra vero si quis ex ignorantia venderet adamantem pro vitro, non potest sic emi; quia communiter adamas non æstimatur ut vitrum, quamvis vendens putet illum esse vitrum.

XI. Quæritur octavo; An si quis in pretio deceptus fuit, possit rescindere contractum, vel repetere id, in quo læsus est?

Respondeo cum communi apud Laym. cap. 17. §. 1. omnem emptionem, & venditionem, in qua justi pretii latitudo exceditur, esse iniquam, & per restitutionem deducendam esse ad æqualitatem, nisi liberalis datio, vel remissio ejus, qui deceptus est, saltem præsumpta, habeatur: Quando enim modica inæqualitas accidit in contractu, præsumendum, quod contrahentes velint invicem remittere; secus vero si inæqualitas sit notabilis. Verum in foro externo ad vitandam litium multitudinem tunc solum potest venditor rescindere venditionem, quando læsus est ultra dimidium, ex *leg.* 2. Cod. *de rescindenda venditione*, ut si merx, quæ infimo pretio valet decem aureis, vendita sit minus quinque: Et quamvis talis facultas in jure detur solum venditori, nihilominus communiter docent pari ratione concedendum etiam emptori, ut possit in foro externo rescindere emptionem, si læsus sit ultra dimidium; ut si merx, quæ summo pretio valet decem aureis, empta sit plus quindecim: Quamvis enim Cujacius, Abbas, Pinellus, & alii apud Laym. loc. cit., & Dian. part. 7. tract. 10. resol. 22. putent, tunc solum posse rescindi contractum ab emptore, quando plus duplo solvit, videlicet si merx, quæ valet decem, ematur plus viginti, sicut in venditione læsio debet esse infra dimidium; At commmunius cum Molin., & aliis docent rescindi posse, etiamsi plus quindecim ematur merx, quæ valet decem, sicut in venditore decepto consimilis læsio dat jus ad rescissionem contractus. Idemque dicendum in aliis contractibus, puta permutatione, locatione, emphyteusi, &c.

Dubitarunt aliqui, An in foro etiam interno idem servandum, ut tunc solum detur obligatio restitutionis, quando læsio est ultra dimidium? Affirmavit Bald., & alii apud Sal., eo quod excessus pretii retineatur auctoritate judicis: Gerson etiam docuit læsionem citra dimidium in contractibus esse contra jus naturæ, non tamen obligare ad restitutionem, quia talis contractus est validus. Sed communiter docent has sententias esse improbabiles, tenerique lædentem ad restitutionem, id exigente justitia; Unde Apost. 1. ad Thessal. 4. dicit: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

XII. Quæritur nono: An possit res emi, vel vendi cum pacto redimendi, aut retrovendendi?

Respondeo, certum esse id licere, itaut retrovendatur vel eodem pretio, si sic pactum ineatur, vel pretio, quod æstimabitur tempore retrovenditionis, si nullum præcessit pactum; ut putat Tamb. c. 7. §. 8. n. 21. Ratio est, quia talis contractus de se nullam continet injustitiam, servatis servandis; Sicuti igitur, ut dicemus quæstione sequenti art. 4. quæsito *6.*, licitus est Census redimibilis cum pacto saltem implicito retrovendendi, ita licita est emptio rei cum pacto retrovenditionis.

Notandum tamen, quod si pactum sit in favorem emptoris tantum, eo quod is solum possit repetere pretium quandocumque libuerit, res,

quæ,

quæ, v. g. valet sexaginta, vendi debet pluris, quam valeat, videlicet, ut nonnulli putant, tertia parte pluris, nempe octoginta; Si vero sit in favorem venditoris tantum, eo quod ad arbitrium possit rem suam sibi reassumere, restituto pretio, res debet vendi minoris quam valeat, videlicet quarta parte minoris, hoc est quadraginta quinque circiter. Si demum sit in favorem utriusque, itaut quilibet possit ad libitum repetere suum pretium, & suam rem, res vendi debet etiam pluris, quam valeat, minoris tamen, quam si fiat pactum in favorem solius emptoris, ut notat Trull. dub. 14.; quia semper majus beneficium est emptoris, quod possit rem, quæ semper est in promptu, restituere ad arbitrium, quam venditoris, quod possit restituere pecuniam, quam non facile habere potest, & ideo vendi posset res decima parte pluris, quam valeat, puta sexaginta sex.

Plures tamen conditiones in hoc contractu requiruntur. Prima, ut habeatur vera intentio emendi, & vendendi, (aliter esset usura palliata) & ideo pretium debet esse justum; Proinde si Emptor rem illam alteri vendat, non potest primus venditor rem illam sibi vindicare, quia posito quod vendiderit, non habet amplius jus in rem, sed in personam: Secunda, ut fructus rei pertineant ad emptorem, cujus res est, & cui perit, si forte pereat; Proinde potest talis res locari eidem venditori, & tunc fructus pertinerent ad venditorem. Tertia, ut contractus emptionis, & locationis non sit immoderatus, ne sit usura palliata; Proinde non est habenda ratio pecuniæ, videlicet ut quinque, v. g. pro centum exigantur, sed habenda est ratio fructum, qui percipi possunt a re empta, & locata, demptis expensis, & molestiis. Quarta, ut non vendatur res pretio rigoroso cum pacto, quod eadem retrovendatur eidem personæ pretio infimo; hic enim contractus, qui dicitur Mohatra, vulgo *Stocco*, est usurarius, ut dicemus quæsito sequenti. Verum, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 58., & 33. ex Trull. si venditor nolens mutuare pecuniam velit vendere rem credito pretio rigoroso, prævidens, quod ille sit retrovenditurus alteri rem pretio infimo pecunia numerata, non peccat contra justitiam, si ad illum non obliget, ne implicite quidem.

Ex quibus sequitur, quid dicendum de contractu, qui vulgo dicitur *Godere a godere* quando scilicet tu das Titio domum valentem centum, & Titius dat tibi centum, itaut ad arbitrium utriusque possit quilibet rem suam reassumere. Procul dubio contractus hic dictus a Juristis Antichrisis est usurarius, quatenus tradenti pecuniam nullum lucrum cessat, & interim percipit fructus ex ea domo, qua fruitur, ut notat Azor. apud Bonac. punct. 7., & apud Dian. resol. 82.: Nihilominus si per hujusmodi contractum habeatur vera emptio cum pacto retrovenditionis pretio justo, non haberetur mutuum virtuale, atque adeo nec usura. Et ratio a priori est, quia per contractum venditionis transfertur dominium rei in emptorem, qui subit ejus rei periculum, si forte pereat; unde nil mirum, quod res ea possit eidem domino fructificare; Secus vero si non habeatur venditio, ut dicemus etiam quæst seq. art. 4. quæsit *6.* Debet tamen in hoc, ut diximus, res vendi decima parte pluris, quam valet, v. g., domus valens centum debet vendi centum, & decem, cum majus sit beneficium emptoris, quod possit rem restituere ad arbitrium alterius, quam venditoris, quod possit ad arbitrium alterius restituere pecuniam, quæ non semper in promptu est.

XIII. Quæritur decimo, Utrum venditiones reciprocæ ejusdem rei licitæ sint, quas Hispani vocant Mohatras; V. g., si Titius indigeat centum aureis, & petat mutuos a mercatore, potestne mercator vendere illi credito, v. g., pannum pretio rigoroso, puta centum & decem, ut illud vendat alteri pecunia numerata pretio infimo justo, videlicet centum & sic habeat centum aureos, quibus indiget; quod si careat novo emptore, exhibeat se mercator ad iterum emendum idem pannum centum aureis, cum ipse vendiderit centum & decem?

Respondeo cum communi, quod si mercator vendens pannum credito centum & decem ineat pactum cum Titio, ut sibi revendat illud pecunia numerata centum aureis, certe talis contractus sit illicitus & manifeste usurarius; unde proscripta est ab Innoc. XI. propos. 40. dicens: *Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu revenditionis prævie inito cum intentione lucri;* quam fuse expendimus in Trutina thesium damnatarum; Si tamen non habeatur pactum retrovenditionis, sed detur a mercatore facultas Titio, ut revendat pannum pecunia numerata cui maluerit, in tali casu putant multi apud Less. c.2. dub. *16.*, quod intercedat usura palliata, quia ea intentione venditur pretio summo, ut retrovendatur sibi pretio infimo pecunia numerata, cum non facile reperiatur alter emptor: Less. tamen cum Navar. apud Dian. part. 1. miscel. resol. 58. docet posse in tali casu palliatam usuram non intercedere, si talis contractus retrovenditionis ne implicite quidem ineatur, quando scilicet facile poterit emptor habere ab alio pecuniam numeratam, qua indiget; Sic enim mercator justo pretio vendidit, quamvis vendiderit pretio rigoroso, & justo etiam pretio redimit, si sibi offeratur redimendum pretio infimo.

Notat tamen Less., quod quamvis sine injustitia,

stitia, & usura palliata possit sic vendi pannum, & redimi a mercatore, tamen talis contractus sæpe non vacat culpa. Primo enim peccare potest mercator contra charitatem cogendo miserum ad emendum pannum, quo non indiget cum tanto impedio, cum possit illi succurrere dando mutuum; Secundo, propter malum exemplum, & scandalum, quod datur, cum talis contractus habeat speciem usuræ, & contractus mohatræ ab Innoc. XI. damnati.

ARTICULUS IV.

An monopolia, & negotiatio sint illicita?

I. Monopolium est unius venditio, & quadrupliciter contingere potest.

II. Si venditores conspirent in pretium justum rigorosum, solum peccant contra charitatem; sicut si emptores conspirent in pretium infimum. Qui tamen malis artibus ad id inducunt mercatores, peccant etiam contra justitiam.

III. Probabilius contra justitiam peccant, qui omnes merces alicujus generis emunt, ut carius illas vendant. Num peccent, qui hęc emunt postquam cives sibi necessaria pararunt?

IV. Injustum est monopolium, quando quis impedit malis artibus merces, ne in Civitatem advehantur, ut carius vendat res proprias; Sicut quando quis rumores disseminet, quod naves mercibus onustæ sint submersæ, ut pretium mercium augeatur; Aut si vendens sub hasta apponit fictos licitatores, qui plus offerant, ut alii in pretio ascendant.

V. Monopolium, quod habetur, quando ex Principis privilegio aliquis solus certas merces vendit pretio justo, licitum est, si detur causa talis concessionis, & pretium non taxetur ab iis venditoribus; aliter est injustum.

VI. Negotiatio non est intrinsece mala, sed mali speciem præsefert, cum sæpe variis culpis annectatur.

VII. Clericis in Sacris, ac Religiosis sub mortali prohibetur negotiatio. Num etiam Beneficiariis? Prohibetur pariter iisdem conducere aliena prædia, ut fructus vendant, necnon emere jumenta, ut ea locent.

VIII. Non est prohibita iisdem negotiatio œconomica, sed Lucrativa, & Politica. Num tamen possint per alios negotiari?

IX. Qui habet alibi suam pecuniam, & ne patiatur jacturam cambii, emit ibi res aliquas, quas hic vendat, tunc non dicitur negotiari, quando id facit ad servandum se indemnem, non ad lucrandum.

I. MOnopolium idem sonat, ac venditio unius, sicut Monopola sonat unicus venditor. Contingit autem monopolium multipliciter. Primo, si venditores conspirent inter se de pretio, itaut non minoris vendant; Secundo, si unus, vel pauci omnes merces emant, ut deinde vendant quanti plurimi, eo quod notabilem inopiam, & caritatem inducant; Tertio, si impediant, ne aliæ merces advehantur, ut ipsi pluris vendant merces suas cum damno Reipublicæ. Quarto, si Princeps alicui concedat privilegium, ut solus vendat certum genus mercium.

II. Quæritur primo, An monopolium primo modo sumptum liceat, videlicet si mercatores conspirent inter se de pretio?

Respondeo, si conspirent in pretium injustum, seu supra rigorosum, procul dubio peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem; Si vero conspirent in pretium justum, sed rigorosum, non peccant contra justitiam, ut docent communiter contra Rebell., sed peccant contra charitatem; quia Respublica ob tale monopolium sentit grave incommodum: (Et eadem est ratio, si emptores conspirent in pretium infimum, ut accidere solet in licitationibus.) Si tamen minis, vel fraude mercatores impedirent, ne alii minoris vendant, quam pretio rigoroso, certe contra justitiam peccarent, quia injuria fieret emptoribus.

III. Quæritur secundo: An liceat monopolium secundo modo sumptum, quando scilicet unus, vel pauci omnes merces alicujus generis, verbi gratia, vinum, frumentum coemunt, ut carius vendant?

Respondeo, Molin. disp. 345. putare probabile, quod sic peccetur solum contra charitatem, & contra justitiam solum legalem, atque adeo sine onere restitutionis: Quam sententia Less. cap. 21. num. 151. putat probabilem, quia res emitur justo pretio, ut supponitur, & deinde sine injustitia res illa supprimitur: Siquidem nemo tenetur ex justitia vendere. Sed communiter docent peccari contra justitiam particularem, seu Commutativam, & sic cum obligatione restituendi; quia per fraudem inducitur inopia rerum illarum, & caritas, ac augetur pretium rei: Notat tamen Bonac. apud Dian. cit. resol. 24., & Trull. dub. 18. contra Rebel., Sal. probabile esse, quod qui non exercuit monopolium, nec fuit causa, quod pretium rei justum cresceret, possit rem suam vendere eo pretio, quo ab aliis venditur; quia tunc tale pretium est pretium commune, atque adeo justum, etiamsi auctum sit per fraudem aliorum. Notat secundo, quod secluso monopolio possit regulariter quilibet suas merces supprimere usque ad tempus opportunum, quo eas majori pretio vendat. Notat tertio Trull. ex Salon. non esse damnandos mercatores, qui merces emunt postquam Rei-

Reipublicæ cives sibi necessaria pararunt. Notat quarto Dian. loc. cit. resol. 27. ex Filliuc. excusari ab onere restitutionis transferentes triticum extra Territorium, etiamsi ob id pretium notabiliter augeatur. Notat demum Reginald. lib. 25. num. 328. monopolia licere, quando ideo tantum fiunt, ut merces justo mediocri pretio vendantur; sic enim nec caritas inducitur, nec Respublica, aut privati læduntur, sed ea industria mercatores utuntur, ne cogantur pretii vilitatem incongruam subire. Unde juxta hunc Auctorem non dicendi sunt peccare, quando nulli irrogatur injuria. Docet etiam Nav. apud Dian. loc. cit. resol. 76. monopolium non esse iniquum, si fiat, ne alii pretio injusto res vendant, aut etiam pretio rigoroso.

IV. Quæritur tertio: An liceat monopolium tertio modo sumptum, quando scilicet impeditur, ne merces aliunde in Civitatem advehantur, ut propriæ carius vendantur?

Respondeo cum communi apud Dian. loc. citat. peccari contra justitiam, si id fiat fraude, & minis; peccari vero solum contra charitatem, si solis precibus id obtineatur, quando ob id caritas, & inopia inducitur. Ad hujus generis monopolia revocatur, Primo, quando multi conveniunt, ut opus ab uno inceptum alter non perficiat; Secundo, quando aliqui rumores disseminant, vel literas confingunt, quibus exprimitur, naves onustas mercibus fuisse submersas, ut sic pretium mercium augeatur; Tertio, quando vendens sub hasta apponit fictum licitatorem, qui plus offerat, ut alii emptores in pretio ascendant; Quarto, si artifices conveniant, ut non doceant artem, nisi soluto certo pretio.

V. Quæritur quarto: An liceat monopolium quarto modo sumptum, quando scilicet Princeps concedit privilegium, ut unus tantum vendat certas quasdam merces?

Respondeo licere, si adsit justa causa talis concessionis, modo venditor non excedat pretium justum, vel taxatum a Principe, vel taxandum judicio prudentium. Habetur autem causa justa concessionis, si id fiat in bonum publicum; quando scilicet vel Princeps eget pecunia pro bono publico, vel expedit, ut unus vendat, quia non sunt multi, qui possint tales merces asportare. Sic juste conceditur bibliopolis, ut alii non possint vendere talem librum, vel quia sine tali privilegio nemo eum imprimeret, & venderet propter proximum periculum perdendi potius, quam lucrandi; vel quia sic reliqui ad laborem animantur. Juste etiam a dominis locorum conceditur, ut unus, vel duo sint tabernarii in suis locis, propter eandem rationem, ut notat Trull.. Quod si sine justa causa illud concedatur, injuria fit reliquis volentibus vendere: Unde ad restitutionem damni tenentur, Primo illi, qui tale privilegium impetrarunt, & lucrum reportarunt; Deinde in istorum defectum tenentur, qui privilegium concesserunt. Pręterea concedens privilegium inique ageret, si relinqueret pretium taxandum a venditoribus, daretur enim occasio vendendi pretio injusto cum damno Reipublicæ: Quod tamen intelligendum de mercibus usui humano necessariis, ut sunt panis, vinum, linum, pannus, &c., non de iis, quæ pertinent ad luxum, & delicias, quas nemo cogitur emere, ut sunt picturæ, tapetes sericorum, panni pretiosi, aleæ, &c.

VI. Quæritur quinto; Quid sit, & an sit intrinsece mala negotiatio?

Respondeo, Negotiationem idem esse, ac otii negationem, cum Negotiatores curis, & solicitudinibus abundent: Definitur, quod sit *Emptio rei cum animo eam integram, & immutatam vendendi propter lucrum*; si enim res mutetur, non est negotiatio, sed industria, & artificium. Docet autem D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 4. non esse intrinsece malam, sed indifferentem, cum possit bene, vel male fieri; quamvis habeat speciem mali, tum quia animus lucrandi præseferre videtur avaritiam, & quia sæpe exercetur interpositis fraudibus, dolis, mendaciis, monopoliis, juramentis, furtis: licet ea vitia negotiatoris sint, non negotiationis.

VII. Quæritur sexto; Quibusnam prohibeatur negotiatio?

Respondeo prohiberi Clericis constitutis in Sacris, & omnibus Religiosis sub pœna excommunicationis, & suspensionis, non quidem latæ sententię, sed ferendæ; Unde communissime Doctores docent contra Cajetan., Rodriq., & Michaelem de Palatio apud Dian. loc. cit. resol. 72., istos peccare mortaliter, si negotientur, etiamsi negotiatio non sit turpis, & absit scandalum: Quamvis Less., Filliuc., & alii apud eundem Dian. excusent eos a mortali, si semel, aut iterum negotiationem exerceant; quia negotiatio dicit frequentiam aliquam. Ratio cur prohibeatur, est, quia ex Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*; Et 1. ad Timoth. 6. dicitur: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Utrum autem prohibeatur etiam Beneficiariis, qui non sunt in sacris constituti? Dubitant Doctores; Communiter affirmant, sed aliqui apud Dian. resol. 73. negant.

Notandum tamen primo, Clericis prohiberi tantum negotiationem lucrativam, qua res immutata venditur majori pretio, non artificiosam, qua res arte mutatur, & venditur; quia hæc artificium potius est, quam negotiatio: Nec prohibetur Clericis usus artis honestæ, cum legamus Actor. 18. Paulum artem scenofactoriam exercuisse. Quare licitum est Clericis secluso scandalo e-

mere

mere jumenta, ut nutrita carius vendant, emere oves, ex quibus vendant agnos, & lacticinia; Possunt etiam vendere rem immutatam carius, quam emerunt, nisi ad id emerint. Non possunt tamen conducere aliena prædia, vel similes res fructiferas, ut fructus vendant; quamvis enim hoc non sit negotiari, ut advertit aperte Trull. disp. 19. num. 8., est tamen illis expresse prohibitum *Causa* 21. *quæst.* 3. *cap.* 1. & 3., ut notat Lug. disp. 265. num. 19., & Sal. dub. 2.; Less. tamen, & Molin. disp. 347. docent posse id efficere ad suam, suorumque sustentationem, immo in casu necessitatis possunt etiam negotiari, ut notat Sal.: Quamvis autem possint propria prædia, ac jumenta locare, non possunt tamen emere jumenta solum ut ea locent; quia hoc esset genus negotiationis, ut docent etiam Less. & Molin. (*a*)

„ (a) Plura de negotiationibus, quæ Clericis illicitæ sunt, habet Benedictus XIV. de *Synodo* lib. 10. c. 6. Sed hic sufficiet reddere ejusdem Apostolicas litteras datas die 25. Februarii 1741. quibus declarat, & edicit nullam negotiationem, alias Clericis prohibitam, posse ab iisdem, sub alieni nominis velamine, exerceri, eique, etiam per alios, operam dantes obnoxios fecit poenis, quæ a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis statutæ sunt contra Clericos negotiatores.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Apostolicæ servitutis commissum Nobis divinitus officium assidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in Nobis est, provida sollicitudine coercentes, Dominici ovilis gregem, Superna opitulante gratia, ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura constringit de iis, qui Ecclesiastico Ordini adscripti, & ad sanctioris vitæ genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate prælucere debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne cæteros Christi fideles, quos pro gradus sui Sanctitate verbis, & exemplo ædificare debent, morum suorum pravitate a cœlestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

„ Cum itaque, ut non sine gravi animi Nostri mœrore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaserit animos, ut illicitam Ecclesiasticis negotiationem ad evitandas pœnas adversus illam exercentes a Sacris Canonibus, & Apostolicis Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum Constitutionibus sancitas sub alieni nominis velamine, Dei timore, Ecclesiastici nominis decore, & æterno suarum animarum periculo posthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; & quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæsitis deinde coloribus, & vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant, quasi vel Dei oculos, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, latere, vel Supremi Judicis, qui non fallitur, examen effugere possint: Nos attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, cœlestia despicere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus negotiator ex inope dives, & ex ignobili gloriosus tanquam pestis, ut B. Hieronymus docet, fugiendus est, ad exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico Cœtu eliminandam, & ut Sancto Ecclesiæ Dei famulatui addicti ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes studeant bene agere, & divites fieri in bonis operibus thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum, omnes & singulas Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum prædictorum Constitutiones, illarumque quamlibet contra quoscumque Clericos illicitos negotiatores desuper quomodolibet respective cum omnibus, & singulis poenis contra eosdem Clericos illicite negotiantes editas, quas Constitutiones hujusmodi, ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad verbum nihilo penitus omisso pro insertis haberi volumus Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Nostris innovamus, confirmamus, & approbamus, eisque, & earum cuilibet novum Apostolicæ firmitatis, & inviolabilis observantiæ robur adjicimus, illasque sic innovatas, confirmatas, & approbatas cum omnibus, & singulis poenis in eis & earum qualibet adversus Clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis ad Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque, & singulæ Constitutiones, earumque quælibet adversus eos desuper editæ fuissent, & in eis, & earum qualibet expressi, & denominati repercirentur, motu, & potestatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, & ampliamus: illorumque omnia, & singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita sub inevitabili spolii pœna ad formam Constitutionis fel. rec. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri, quæ incipit . . *Decens esse* . . subjicimus, & subjecta esse volumus, & declaramus.

„ Insuper ut in sortem Domini vocati depositis quocumque mundanarum curarum onere, & humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, qui propter Nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia Nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius, & expeditius sequantur memores salutaris illius B. Apostoli moniti, qui clamat, & dicit: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit, per easdem Nostras præsentes perpetuo valituras motu, & potestatis plenitudine præfatis decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium Ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, & ad eosdem Clericos sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, & aliis cohæredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, aut socios prosequuti sint,

„ illud ſtatim dimittere teneantur; Si vero nego-
„ tium hujuſmodi ſine ipſius Clerici temporali de-
„ trimento ſtatim dimitti nequeat, tunc ſi intra
„ Italiam, Inſulaſque adjacentes exiſtat Clericus,
„ a Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E.
„ Cardinalium decretorum Concili Trident. Inter-
„ pretum Congregatione, ſi vero extra Italiam,
„ ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci
„ licentiam illud ad aliquod tempus retinendi: pro-
„ viſo interim, quod negotium hujuſmodi a laico
„ adminiſtretur, impetrare teneatur, dictaque Con-
„ gregatio, aut Ordinarius Loci, perpenſis ſingu-
„ lorum caſuum circumſtantiis, licentiam imper-
„ tiatur, tempuſque in eo ad idem negotium di-
„ mittendum præſcribat; & ſi Clericus negotium
„ præfatum, licet a Laico, ut præfertur, inſtitu-
„ tum, abſque licentia hujuſmodi gratis ſemper
„ ſibi impertienda, aut illud ultra tempus ſibi
„ permiſſum retinuerit, vel etiam intra tempus
„ prædictum negotium per ſe ipſum adminiſtrave-
„ rit, pro negotiatore illicito haberi, illumque om-
„ nibus, & ſingulis etiam ſpolii pœnis præfatis
„ ſubjectum eſſe motu, & poteſtatis plenitudine di-
„ ctis perpetuo volumus, & definimus.

„ Ac demum eo, quod fel. rec. Prædeceſſor No-
„ ſter Pius Papa IV. per ſuas literas quarum ini-
„ tium eſt.. *Romanus Pontifex* .. declaravit,
„ præfata Conſtitutione ſuper Spoliis Clericorum
„ ob illicitam negotiationem a ſe edita Prælatos,
„ Officiales, ac alios Sæculares, & cujuſvis Ordi-
„ nis Regulares Clericos, alioſque cujuſcumque
„ ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præe-
„ minentiæ in Urbe, & Curia, ejuſque Diſtrictu
„ decedentes, teſtandi tamen, codicillandi, & a-
„ lias de bonis ſuis quibuſcumque quomodolibet
„ diſponendi, vel ad ipſum proximiores, deceden-
„ tibus illis ab inteſtato, tranſmittendi faculta-
„ tem ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto, vel
„ ſuorum Officiorum privilegio, vel alio quovis
„ titulo obtinentes nullatenus comprehendi; & quod
„ Paulus Papa V. pariter Prædeceſſor Noſter per ſuas
„ Literas, quæ incipiunt.. *In eminenti* .. Clericos
„ Cives, & Curiales, ſive Incolas hujus Noſtræ
„ Almæ Urbis, tunc ſuæ, exemit a ſpolio, quoad
„ bona in eadem Urbe, ejuſque Diſtrictu intra decem
„ milliaria conſiſtentia etiam ex reditibus Eccleſia-
„ ſticis per eos acquiſita, unde dubitari contigit, an
„ ſuffragetur quoque ad evitandum Spolium Ca-
„ meræ Noſtræ Apoſtolicæ competens pro bonis ex
„ illicita negotiatione provenientibus; Nos Conſti-
„ tutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum Noſtro-
„ rum præfatas, quoad bona ex illicita negotia-
„ tione hujuſmodi a Civibus, & Curialibus, ſive
„ Incolis Clericis, cujuſcumque Ordinis, ac Di-
„ gnitatis quibuſcumque indultis, ac privilegiis mu-
„ nitis comparata, & in Urbe, ejuſque Diſtrictu
„ præfatis, & ubicumque exiſtentia minime ad præ-
„ miſſorum effectum ſuffragari, ſed illa ſic prove-
„ nientia Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ vero jure ſpo-
„ lii deberi, perinde ac ſi Conſtitutiones Pii, & Pauli
„ Prædeceſſorum hujuſmodi ad præmiſſorum omnium,
„ & ſingulorum effectum impediendum minime e-
„ manatæ fuiſſent, Motu ſimili pariter declaramus
„ & ſtatuimus, dictaſque Pii, & Pauli Prædeceſſo-
„ rum Conſtitutiones quoad præmiſſorum effectum
„ ſortiendum plenarie abrogamus, & abolemus.

„ Decernentes ſic præmiſſis omnibus, & ſingu-
„ lis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios qua-
„ vis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum
„ cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi
„ facultate, & auctoritate, judicari, & definiri de-
„ bere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper
„ is a quovis quavis auctoritate ſcienter, vel i-
„ gnoranter contigerit attentari. Quocirca Vene-
„ rabili Fratri Noſtro Annibali S. R. E. Cardina-
„ li Epiſcopo Sabinen. Albani nuncupato Camera-
„ rio Noſtro, & ejus in Camerariatus officio ſuc-
„ ceſſoribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus,
„ quatenus ſpolia ipſa ex bonis ex illicita nego-
„ tiatione provenientia, uti vere ſpolia prout alia
„ ipſius Cameræ jura exigi, & recuperari, ac præ-
„ ſentes Noſtras Litteras inviolabiliter obſervari
„ faciat, nec permittat, Cameram ipſam, vel pro
„ ea agentes deſuper modo aliquo moleſtari, per-
„ turbari, aut inquietari, Contradictores quoſli-
„ bet, & Rebelles per cenſuras, & pœnas Eccle-
„ ſiaſticas, & appellatione poſtpoſita compeſcendo,
„ nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis
„ proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas etiam itera-
„ tis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc,
„ ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non
„ obſtantibus prædictis Pii, & Pauli Prædeceſſorum,
„ aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Sy-
„ nodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpe-
„ cialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac
„ quibuſvis facultatibus teſtandi, aliiſque privile-
„ giis, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis con-
„ ceſſis, approbatis, & innovatis, etiam ſi de il-
„ lis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſ-
„ ſa mentio facienda eſſet, illorum tenores pro
„ ſufficienter expreſſis habentes, illis in reliquis
„ in ſuo robore permanentibus, cæteriſque contra-
„ riis quibuſcumque; etiam ſi aliquibus commu-
„ niter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indul-
„ tum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommu-
„ nicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas non
„ facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſ-
„ modi mentionem; Et quia difficile foret præſentes
„ Noſtras Litteras ad ſingula quæque loca deferri,
„ volumus, & declaramus, quod earum tranſumptis
„ etiam impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis,
„ & alicujus Prælati ſigillo munitis eadem prorſus
„ fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præ-
„ ſentibus abhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel o-
„ ſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam Noſtri decreti, approbationis, confir-
„ mationis, innovationis, declarationis, ſtatuti,
„ ordinationis, conceſſionis, derogationis & vo-
„ luntatis infringere, vel ei auſu temerario con-
„ traire; Si quis autem hoc attentare præſumpſe-
„ rit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri,
„ & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
„ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingen-
„ teſimo quadrageſimo quinto, Calendas Martii,
„ Pontificatus Noſtri Anno primo.

VIII. Notandum ſecundo, triplicem dari negotiationem, aliam Lucrativam, de qua hactenus locuti ſumus aliam Oeconomicam, emendo neceſſaria ad ſuam, ſuorumque ſuſtentationem, & vendendo ſuperflua, & hæc licita eſt Eccleſiaſticis, ſatis enim eſt, quod non ematur aliquid ea intentione, ut carius vendatur immutatum; Tertiam demum Politicam, emendo neceſſaria exercitui, & civibus, & hæc non decet Clericos, qui debent eſſe a negotiis ſecularibus alienis

Notan-

Notandum tertio, quod quamvis Clericis prohibitum directe sit tantum negotiari per seipsos, tamen indecens est negotiari per alium, qui totam industriam præstet; ut si pecuniam in societate mercatorum depositam habeant; Quare si non excuset necessitas, putant Less., Molin. Trull. esse saltem veniale per alios negotiari, secluso scandalo; quamvis Dian. loc. cit. resol. 72. cum Turrian. putet, ne veniale quidem esse ex vi prohibitionis per alios negotiari. Verum si Clerici, aut Religiosi negotiarentur per suos famulos, & factores esset mortale, quia hoc non est negotiari per alios, sed per seipsos, ut notat Trull.

IX. Quæritur demum apud Lug. de Just. disp. 27. sec. 3. & apud Dian. part. 7. tract. 1. resol. 21. An habeatur negotiatio prohibita, si Titius pecuniam, quam ex proprio patrimonio, vel beneficio habet in alia Provincia, non potest habere Neapoli, ubi degit, sine magna jactura cambii, & ideo ne afferatur Neapolim pecunia minus utilis, facit ea pecunia emi in sua Provincia merces aliquas, verbi gratia sericum, quod Neapoli vendat eodem pretio, & fortasse minori?

Respondent laudati Doctores, distinguendo; si enim moneta in utroque loco sit ejusdem valoris, unde sericum utrobique vendatur, verbi gratia decem carolenis circiter, non continetur in casu adducto negotiatio prohibita, quando magnum detrimentum in cambio sis passurus, etiamsi sericum illud vendas Neapoli carius, dummodo intentio emendi non sit ad lucrandum, sed ad servandum te indemnem: Contra vero si pecunia plus valeat Neapoli, quam in tua Provincia, idque facias, non ut serves te indemnem, sed ut lucreris.

ARTICULUS V.

An debeat Venditor aperire vitia rei venditæ?

I. Defectus rei vendendæ vel sunt in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate. Alii autem sunt Emptori noxii, alii vero solum reddunt rem inutilem: Istorumque ignorantia potest esse Emptori invincibilis, & potest esse vincibilis.

II. Contra justitiam peccat, qui rei vendendæ defectus in substantia, & quantitate non manifestat. Quid si quis vino præstanti aquam intermisceat?

III. Rei vendendæ defectus occulti in qualitate a Venditore ex justitia debent manifestari, quando Emptor interrogat de certo defectu, & quando res petitur ad certum usum, ad quem res illa est inutilis: Sicut etiam si res sit Emptori nociva.

IV. Emptor pariter tenetur manifestare ex justitia valorem Venditori illum ignoranti; Sed non tenetur, quando talis valor communiter ignoratur.

V. Validus est Contractus venditionis, quando Venditor ignorat vitium notabile rei venditæ, sed comperta veritate tenetur Emptori damnum resarcire.

I NOtandum primo, vitia, vel defectus rei alia esse in substantia, alia in quantitate, alia in qualitate. Dicuntur esse in substantia, si res aliqua pro alia diversa specie, vel numero tradatur, ut aurichalcum pro auro, equus A. pro equo B.; Sunt vero in quantitate, si res in pondere aut mensura deficiat, ut si dentur decem libræ, vel ulnæ pro duodecim. Sunt demum in qualitate, si verbi gratia animal infirmum vendatur pro sano, ager sterilis pro fęcundo, vinum aqua mixtum pro puro, vestis vetus pro nova.

Rursus defectus rei alii sunt noxii emptori, ut si ematur domus ruinosa pro integra, equus furiosus pro domito, pharmacum noxium, &c.; Alii reddunt rem inutilem tantum, sed non sunt noxii, ut si ematur vas argenteum habens aliquam rimulam pro integro, pharmachum inutile pro utili, equus senex pro juveni.

Notandum secundo, ignorantiam talium defectuum in venditore posse esse vel invincibilem, eo quod non teneatur tales defectus cognoscere; vel vincibilem, seu culpabilem, ut si ignoret defectum rei, quem communiter alii ejusdem artis cognoscunt; Sic venditor carnium tenetur agnoscere, an carnes sint bovinæ, vel arietinæ. His positis,

II. Quæritur primo: An teneatur venditor manifestare defectum rei in substantia, vel in quantitate?

Respondeo cum communi affirmative, itaut peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur, qui occultat; Etenim hujusmodi fraus, & dolus in re gravi est peccatum grave contra justitiam; unde tenetur compensare damnum, qui unam rem pro alia vendit, vel qui vendit rem deficientem in pondere, vel mensura. Et quidem ad restitutionem tenetur, Primo, qui frumentum, vel filum sericum ponit in loco humido, ut intumescat, & crescat: Secundo, agricolæ, qui tritico glebulas, aut alia semina intermiscent; quamvis non pe cet, qui vendit triticum cum glebulis terreis, quas communiter habet postquam in area expurgatum est; immo si perfecte illud purgarit, non peccat, si iterum admisceat tot terræ glebulas, quot communiter habet triticum, quod venditur: Tertio, qui vino aquam intermiscet; Quod si vino præstantissimo admisceat tenue, itaut fiat simi-

ſimile illi, quod ab aliis eodem pretio venditur, probabiliter ex Leſſ., & Bonac. apud Dian. part. 1. tract. 8. reſol. 51. non peccat; ſicut nec ſi intermiſceat eodem modo aquam, quando emptor tale vinum non eſt ſervaturus, ſed ſtatim conſumpturus (nam vinum aquæ mixtum ſervari nequit) quamvis, ſi id frequenter fiat, inferatur injuria venditoribus puri vini, ex Turrian. apud eundem Dian. reſol. 80., eo quod menſura puri vini ſic minuatur, & ideo in praxi talis ſententia conſulenda non eſt, ſed omnino rejicienda (quamvis Dianæ videatur probabilis) ne detur occaſio avaritiæ, & injuſtitiæ; Præſertim quia ſic venditur vinum pretio ſummo, quod renuunt univerſim emptores ſolvere, & fit injuria aliis venditoribus ſincere procedentibus, eo quod emptores facile illos deſerant decepti ab eo, qui videtur minoris vendere vinum dilutum.

III. Quæritur ſecundo: An teneatur venditor manifeſtare defectus rei in qualitate, & emptor valorem rei ignoratum a venditore?

Reſpondeo, & dico primo, ſi emptor interroget, an res habeat certum defectum, vel ſi res petatur ad certum uſum, tenetur venditor ex juſtitia manifeſtare vitia occulta; aliter venditio eſt nulla, & ante judicis ſententiam reſcindenda; & in foro externo datur actio, quæ dicitur Redhibitoria ad recuperandum pretium, & reſtituendam mercem, quia dolus dedit cauſam contractui. Ita Leſſ. apud Trull. dub. 11. Quod ſi emptor tantum interroget in genere, an res habeat aliquem defectum, tunc ſi res ſit utilis ad finem, & defectus alii occultentur, venditio eſt valida; ſi vero ſit inutilis ad finem, venditio eſt nulla, & reſcindenda: Sicut etiamſi ſi res ſit nociva emptori; ut ſi vendatur equus ferox pro domito, aromata evanida pro recentibus, ſervus furax, & fugitivus. Ratio eſt, quia etiam in hoc caſu dolus daret cauſam contractui, & emptor ſic interrogans cenſetur rationabiliter invitus; ut notant communiter apud Dian. part. 1. tract. 8. reſol. 59.

Dico ſecundo: Si emptor non interrogat de vitio rei, ſed ſuo judicio fidens rem aliquam ex multis deligit, non tenetur venditor manifeſtare ejus defectus, ſi ſit utilis ad finem, & non nociva emptori; Debet tamen tantum pretium accipere, quantum valet res illa cum vitiis ſuis; ut ſi vendatur vas argenteum cum aliqua rimula. Si tamen vitium, quo tacetur, eſt notabile, quo ſcilicet cognito emptor non emiſſet, quia ſcilicet reddit rem illam inutilem, aut nocivam, Contractus eſt nullus, daturque in foro externo actio redhibitoria, ſcilicet ad rehabendum pretium, & tenetur venditor reſarcire omnia damna. Ratio eſt, quia dolus daret cauſam Contractui; quoties autem dolus dat cauſam Contractui, Contractus eſt nullus, ex *leg.* 1. *Cod. de Ædilitiis actionibus.*

IV. Dico tertio: Sicut tenetur venditor manifeſtare emptori vitia, ita emptor tenetur manifeſtare rei valorem venditori ignoranti, verbi gratia, ſi vendat gemmam pro vitro, aurum pro aurichalco; Si tamen etiam emptor valorem rei ignorat, tenetur comperta veritate illius valorem venditori compenſare, ut communiter docent cum Leſſ. cap. 11. num. 84. apud Dian. reſol. 79.; Quamvis gemmæ in eo loco, ubi parvi æſtimantur, poſſint parvi emi, quia emuntur ibi pretio communi; ſicut etiam ager habens theſaurum latentem, & faſcis herbarum, in quo adſunt herbæ magnæ virtutis notæ ſolum emptori, emi poſſunt pretio, quo communiter æſtimantur, ut diximus.

V. Dico quarto: Si venditor ignorans vitium rei notabile rem illam vendidit, Contractus eſt validus, cum non intercedat dolus, ſed cognito vitio debet deſcendere de pretio rei, itaut tantum accipiat, quantum res cum eo vitio valet; Quamvis non teneatur reſarcire damna ſecuta emptori, ſi ſine culpa lata vitium illud ignorarit, ut notat Bonac. hic.

ARTICULUS VI.

Ad quem ſpectant fructus rei venditæ?

I. *Fructus pendentes rei venditæ ſpectant ad emptorem, niſi aliter conveniatur.*

II. *Pertinent tamen ad venditorem, quamvis res tradita ſit emptori, ſi pretium nondum ſit ſolutum, aut non ſit data fides de pretio ſolvendo.*

III. *Quomodo poſſit ſine labe uſuræ emptor, conceſſa venditori dilatione ſolutionis pretii, præcipere intereſſe ratione fructuum rei venditæ?*

IV. *Ex re vendita, & aliena poſſunt percipi fructus ſolum ratione lucri ceſſantis.*

V. *Si Contractus venditionis diſſolvatur poſt annum, ſive quia fuit conditionatus, & conditio non eſt purificata, ſive quia celebratus fuit per dolum dantem cauſam Contractui, fructus talis rei eo anno provenientes ſpectant ad venditorem.*

VI. *Spectant vero ad emptorem, ſi Contractus poſt annum reſcindatur, quia interceſſit læſio ultra dimidium juſti pretii.*

VII. *Quid ſi venditio reſcindatur ratione pacti de re retrovendenda?*

VIII. *Quid ſi venditio cum pacto addictionis in diem, vel cum pacto legis commiſſoriæ verbis directis celebrata deinde diſſolvatur? Et quid importent hæc pacta addictionis in diem, & legis commiſſoriæ?*

IX. *Si venditio reſcindatur jure Retractus, ſeu*

jure

jure congrui intra annum post venditionem, fructus medii temporis ad emptorem spectant. Explicatur, quid sit hoc jus Congrui, seu Retractus.

I. CErtum est primo ex Bonac., Less. lib. 5. num. 1. dub. 13., & aliis, fructus pendentes tempore venditionis spectare ad emptorem quoad valorem, quem habent tempore venditionis, nisi aliter conveniant contrahentes; Et ratio est, quia censentur esse pars rei emptæ: Et eodem modo si equus vendendus ostendatur emptori cum ornamentis suis, quando decernitur pretium equi, intelligitur cum suis ornamentis, nisi aliter conveniatur.

II. Certum est secundo, quod quando res vendita tradita est emptori, sed pretium nec est solutum, nec est habitum pro soluto, data fide de pretio, tunc fructus rei venditæ pertinent etiam ad venditorem, eo quod res domino fructificat; in tali autem casu dominus rei est venditor, non emptor, quamvis tradita sit emptori; ergo, &c. Contra vero si pretium est solutum, aut habita est fides de pretio, concessa dilatione ad solvendum, fructus pertinent ad emptorem, eo quod in tali casu dominus rei sit emptor, ut supra diximus; nec tenetur emptor ad interesse pro pretio non soluto, nisi aliter conventum sit.

III. Quæritur tamen primo, An possint isti contrahentes sine labe usuræ convenire, ut quousque pretium rei venditæ solvatur, teneatur emptor ad interesse ratione fructuum?

Respondeo cum Bonac. punct. 7., Molin. contra Less.. & Vasq. affirmative. Ratio est, quia in tali casu non teneretur emptor ad interesse ratione dilationis sibi concessæ ad solvendum, quæ est tacita mutuatio, sed teneretur ratione lucri cessantis venditori; venditor enim patitur ex anticipata hac venditione damnum hoc, quod non acquirat fructus rei venditæ; ergo bene potest spectato valore talium fructuum percipere interesse, quoadusque sibi pretium solvatur: Certum tamen est, quod si tale lucrum non cessaret, usura committeretur percipiendo interesse ob dilationem solutionis.

IV. Neque dicas, quod venditor in hoc casu perciperet fructus ex re aliena; Nam quando res facta est aliena per venditionem cum proprio incommodo, possunt percipi fructus ex tali re. Sic quando mutuans transfert mutuatario dominium pecuniæ, quæ sibi lucrum pareret, potest ex tali pecunia aliena percipere valorem fructuum, quos ipse lucraretur, nisi mutuasset. Tutius tamen est, quod venditor in his casibus ineat venditionis contractum sub conditione, quod pretium solvatur, reservato interim sibi dominio rei, quam locat emptori, quousque pretium solvat.

V. Quæritur secundo: Quando Contractus venditionis post annum, verbi gratia, dissolvitur, ad quem spectant fructus, quos illo anno parit res vendita?

Respondeo, & dico primo: Si Contractus, verbi gratia, post annum dissolvitur, eo quod celebratus fuerit sub conditione aliqua, quæ non est impleta, fructus illius anni pertinent ad venditorem, eo quod venditor ante conditionis eventum non transtulerit dominium: Et eadem est ratio, si venditio post annum dissolvatur, eo quod fuerit celebrata per dolum dantem causam contractui; talis enim venditio est invalida, & sic res venditori, qui est dominus, fructificat.

VI. Dico secundo; Si Contractus post annum dissolvitur, eo quod pœniteat contrahentes prioris Contractus, fructus illius anni pertinent ad emptorem, ut patet; quia ille est dominus. Et idem dicitur, si Contractus rescindatur, eo quod venditor deceptus sit ultra dimidium justi pretii; emptio enim est valida, quamvis rescindenda. Verum tamen est, ut notat Less. num. 122. emptorem teneri defectum pretii supplere, quantum intererat venditoris ipsum non fuisse deceptum.

VII. Dico tertio: Quando fit venditio cum pacto retrovendendi eodem pretio, tunc fructus medii temporis pertinent ad emptorem, qui est dominus secundum valorem, quem habent usque ad diem retrovenditionis; Si vero venditio dissolvatur revariato pretio, quia censetur fieri secunda venditio, quando celebratur hic novus Contractus, ideo fructus, juxta valorem, quem tunc habent, spectant ad secundum emptorem, qui redimit illam rem, eo quod fructus pendentes tempore Contractus censentur esse pars rei emptæ, ut supra diximus, nisi aliter conveniatur.

Hinc sequitur ex Molin. & Less. apud Bonac., quod quando rescinditur venditio, quæ prius celebrata fuit cum pacto retrovendendi eodem pretio, non sit solvendum novum vectigal, quia talis retrovenditio non censetur secunda venditio, sed rescissio primæ venditionis: Contra vero si dissolvatur venditio, quæ non fuerat celebrata cum pacto retrovendendi eodem pretio, aut si cum celebrata fuit cum pacto retrovendendi, verbi gratia, post quinque annos, deinde prorogetur tale tempus; nam rescissio ista cum non fiat vi primi, sed secundi pacti, censetur secunda venditio.

VIII. Dico quarto: Quando venditio cum pacto Addictionis in diem, vel legis commissoriæ verbis directis celebrata dissolvitur, tunc fructus medii temporis pertinent ad venditorem; Ita ex leg. *Item*, *de in diem addictione*, & ex leg. *Si fundus*, ff. *de lege commissoria*. Ratio

tio est, quia talis venditio habetur pro nulla, eo quod dissolutio venditionis retrotrahatur ad tempus, quo celebrata fuit: Unde probabilius est ex Less., & Molin. contra Gomez. & Tiraquel. pro tali venditione non esse solvendam gabellam. Dicitur autem venditio cum pacto addictionis in diem quæ fit hoc pacto: Vendo tibi domum, verbi gratia, ea lege, ut si intra annum repe- rero emptorem majus pretium pro ea solventem domus sit inempta: Dicitur venditio cum pacto legis commissoriæ, quæ fit hoc alio pacto; Vendo tibi domum hac lege, intra annum pretium mihi solvas, aliter sit inempta, & Contractum sit nullus. Dicitur hic Contractus fieri verbis directis, si verba ostendant Contractum esse irritum, ut si expresse dicatur, quod aliter res sit inempta, & Contractus nullus. Dicitur vero celebrari verbis obliquis, si verba ostendant Contractum esse irritandum; ut si dicatur, Aliter res ad me redeat, & Contractus dissolvatur, seu ex tunc sit dissolutus. Dixi proinde, venditiones istas esse nullas, & fructus medii temporis pertinere ad venditorem si fiant verbis directis: nam si fiant verbis obliquis, fructus medii temporis pertinent ad emptorem; quia venditiones istæ sunt validæ, & solum dissolvendæ.

Ex quo sequitur, quod si fiant venditiones istæ verbis obliquis, & interim res pereat tunc pereat in damnum emptoris, cum res domino pereat; facta autem hac venditione valida, & facta traditione rei, jam translatum est ejus dominum in emptorem; Si vero venditiones istæ fiant verbis directis, res periret venditori.

IX. Dico demum: Si rescindatur Contractus venditionis intra annum jure Retractus, seu jure Congrui, fructus talis medii temporis spectant ad emptorem, eo quod validus fuerit Contractus. Sciendum autem jus Retractus, seu jus Congrui competere consanguineo, vel vicino redimendi, ac de se retrahendi rem immobilem a te alteri venditam, restituto illi suo pretio; quod jus etiam in veteri testamento fuit lege declaratum Levit. 25.. Congrui autem jus competit consanguineo proximiori, si concurrat cum remotioribus, & duret per annum, & diem; quo elapso cessat tale jus. Quod si intra hoc tempus ab emptore fuerint factæ expensæ in re illa immobili empta, qui vult uti jure hoc congrui, debet præter pretium compensare illi expensas necessarias, ac utiles, non tamen voluptuarias; potest tamen, ut diximus fructus interim perceptos emptor, utpote dominus, sibi retinere.

ARTICULUS VII.

Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris, an venditoris ante vel post traditionem?

I. Res, quæ venditur, potest esse aut determinata, aut indeterminata; & potest vendi ad corpus, aut ad mensuram.

II. Res vendita, si sit determinata, & pereat post venditionem, & traditionem, perit emptori, qui est dominus. Ex jure autem positivo etiam perit, & fit deterior, aut fit melior emptori ante ejus traditionem.

III. Res vendita, quæ sit indeterminata, si ante traditionem pereat, perit venditori, pretium vero crescit, aut decrescit emptori.

IV. Hinc si vendatur dolium vini ad corpus, & ante traditionem pereat, perit emptori & eidem fit deterior, aut melior. At si vendatur ad mensuram, perit venditori; fit tamen deterior, aut melior emptori.

V. Si fundus determinatus vendatur, & ante traditionem alluvione absumatur, perit emptori, eidemque crescit, si per alluvionem crescat.

VI. Quid si vinum, verbi gratia, vendatur ad mensuram, & emptor differat illud mensurare?

I. NOtandum, quod res, quæ venditur, vel est determinata in individuo, ut hic equus; vel indeterminata, ut centum oves mei gregis, centum modii tritici, &c. Rursus vel potest vendi res ad corpus, ut si unico pretio vendatur totum corpus, verbi gratia totum dolium vini quinquaginta aureis; Vel potest vendi ad mensuram, ut venditur fundus decem jugerum quinquaginta aureis pro singulis jugeribus. His positis,

II. Quæritur primo, Cuinam res vendita pereat, si sit determinata, ut equus?

Respondeo, & dico primo, si res vendita pereat post traditionem, perit emptori. Ratio est, quia res regulariter domino perit; atqui post traditionem rei emptor evasit dominus; ergo illi perit.

Dico secundo: Si res vendita pereat, vel deterior fiat post venditionis Contractum perfectum, & absolutum, sed ante traditionem, etiam res perit, & fit deterior emptori, (dummodo tamen non adsit culpa, vel mora venditoris in re tradenda, nec expressum sit in Contractu, quod periculum ad venditorem pertineat). Ita communiter apud Bonac. punct. 8., Less. cap. 11. dub. 12. Ratio autem non est, ut putat Sylvester, quia emptor ante traditionem fit domi-

nus, sed quia ita Jura disponunt, ex *leg.* 1., *Cod. de periculo, & commodo rei venditæ*, & alia, qua fuse congerit Molin. disp. 366. Less. cap. 21. dub. 12. Quare sicut in damnum emptoris res fit in tali casu deterior, ita fit melior in bonum ejusdem emptoris.

III. Quæritur secundo: Cuinam pereat ante traditionem, aut deterior fiat res vendita, si sit indeterminata, ut centum modii tritici?

Respondeo perire venditori; pretium vero accrescere, aut decrescere emptori. Ratio est, quia contractus non censetur absolutus, sed conditionatus, si scilicet mensus fueris tot modios tritici, si tradideris tot oves. Quamvis autem in tali casu res pereat venditori, utpote illius domino, tamen fit deterior, vel melior emptori; Unde si res in pretio crescat, aut decrescat, lucrum, aut damnum pertinet ad emptorem, quippe qui non est rei dominus; sed jus habet ad illam rem conditione purificata. Ita Molin. loc. cit., Bonac. punct. penult., Salon., Less. cap. 11. dub. 12., & alii.

IV. Hinc sequitur primo, quod si dolium vini vendatur ad corpus, & effundatur ante traditionem, effundatur in damnum emptoris, quia venditio est rei determinatæ. Si vero vendatur ad mensuram idem dolium, videlicet tribus carolenis ad singulas mensuras, & ante traditionem effundatur, pereat venditori, quia talis Contractus non est absolutus, sed veluti conditionatus, si scilicet mensus mihi fueris ejus mensuras. Si vero pretium istarum mensurarum interim crescat, vel decrescat, id spectat ad emptorem; sicut etiam si deterior, vel melior fiat.

V. Sequitur secundo, quod si vendatur fundus determinatus, & ante traditionem alluvione absumatur, pereat emptori; Si vero per alluvionem aliquid illi accrescat, etiam accrescat emptori; par enim est, ut ad quem spectat incommodum, spectet etiam commodum.

Sequitur tertio, quod si ex certo numero ovium una vage sit vendita, & interim multæ oves pereant, adhuc una debeatur ex superstitibus emptori; Si vero omnes pereant, una ex illis perit in damnum emptoris.

VI. Sequitur quarto, quod si de communi consensu constitutus sit terminus ad mensurandum, v.g., vinum venditum tot aureis in singulas mensuras, periculum rei venditæ ad illum pertinet, qui est in mora. Si vero nullum tempus est constitutum, venditor potest coram testibus monere emptorem, ut intra certum tempus accedat ad mensurationem, quo elapso periculum pertinebit ad emptorem, ex leg. *Si quis vinea*, ff. *De periculo, & commodo rei emptæ*.

QUÆSTIO III.

De Mutuo, & Usura.

Plurima fuse diximus de Usuris in quarto ex Opusculis Theologico-moralibus typis jam dato. At quia tractatus hic de Contractibus mutilus esset, nisi in eo de hoc præcipuo Mutui contractu ageretur, idcirco post explicatam rationem Mutui, paucis hic perstringemus, quæ spectant ad Usuram, & ad purgandos alios contractus a labe Usuræ. Discutiemus itaque primo, Quid, & Quotuplex sit Mutuum; Et quibus in casibus deobligetur Mutuatarius a restituenda re mutuo accepta? Secundo, Quid sit Usura, & Quotuplex? Tertio, An quælibet obligatio imposita Mutuatario sit Usura? Quarto, Qua via possit sine labe Usuræ aliquid ultra sortem exigi? Quinto, Expedientur ea quæ pertinent ad Usurarium.

ARTICULUS. I.

Quid, & quotuplex sit Mutuum? & quinam a restituenda re mutuata deobligentur?

I Quid sit Mutuum, & in quo differat a commodato, & aliis Contractibus?

II. Si pecunia commodetur ad ostentationem, potest commodans aliquid percipere a Commodatario propter talem usum: At si pecunia detur mutua, nihil potest accipi propter ejus usum.

III. Mutuum potest esse tacitum, seu implicitum, ac virtuale; ut si vendatur res pluris, quam valeat propter dilationem solutionis.

IV. Ex juris privilegio, saltem pro foro externo, non tenetur filiusfamilias restituere pecuniam mutuo acceptam etiam post mortem Patris, si non habeat bona Castrensia, vel quasi Castrensia.

V. Pariter deobligantur Ecclesiæ, & loca pia, ac Oppida, nisi constet pecuniam conversam esse in eorum utilitatem. Quid de Pupillis, & Minoribus?

I. Quæritur primo, Quomodo Mutuum definiatur?

Respondeo, Mutuum prout distinctum a Commodato, Locato, Pignore, Hypotheca, De-

posito, & aliis Contractibus est *Traditio rei, seu pecuniæ, ut statim fiat accipientis, qui postea restituat tantumdem ejusdem rationis, & qualitatis*. Convenit proinde cum Commodato, &c. quia in utroque Contractu habetur traditio rei, sed differt ab illo, quia per mutuum, & non per Commodatum dominium rei transfertur in mutuatarium; Hinc enim talis Contractus appellatur Mutuum, quia per illud, quod est meum, fit tuum. Ex quo sequitur, quod incrementum, aut decrementum valoris rei mutuo datæ cedere debeat Mutuatario, utpote domino rei, & si res mutuo data pereat, eidem Mutuatario perire debet, quia res domino perit: Contra vero si res commodata casu pereat, non perit Commodatario, sed Commodanti, qui est dominus.

Præterea restitui debet a Mutuatario non eadem res individuo, ut in commodato, (esto possit ea reddi,) nec res alterius speciei, quia esset Permutatio, sed ejusdem speciei, & bonitatis. Ex quo etiam fit, quod mutuum sit de iis rebus quæ functionem recipiunt, seu quarum una substitui potest loco alterius, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia, &c. ad differentiam Commodati, & locationis, qui sunt de iis rebus, quæ functionem non recipiunt.

II. Quare si pecuniam quis accipiat ad ostentationem, & pompam, non ad illam expendendam, atque adeo cum obligatione reddendi eandem, non intelligitur celebratus Contractus Mutui, sed Commodati, ut proinde si casu pereat, ipsi Commodanti pereat; unde aliquid posset ab eo accipi propter usum talis pecuniæ, qui est pretio æstimabilis; non secus ac quando commodantur vasa argentea; Quod in mutuo fieri non potest, ut infra dicemus, quia si ex mutuo aliquid acciperetur a mutuante, hic lucrum reportaret, & ditesceret ex miseriis mutuatarii, qui cogitur ex sua miseria mutuum accipere; Qui vero vult pecuniam ad ostentationem commodatam, non cogitur ad id a sua miseria, unde non est mirum, quod commodans possit ex commodatione pecuniæ lucrum reportare: Præterquamquod usus rei commodatæ est pretio æstimabilis, & spectat ad dominum, unde commodans pecuniam ad ostentationem aliquid percipit ex usu rei suæ; At usus rei mutuatæ non spectat ad mutuantem, eo quod per mutuum transtulit ejus rei dominium in Mutuatarium, unde si quid acciperet propter talem usum, acciperet aliquid ex usu rei non suæ, quod est iniquum.

III. Quæritur secundo: Quotuplex sit Mutuum?

Respondeo, aliud esse expressum, seu formale, ut quando datur pecunia mutuo; aliud esse tacitum, seu implicitum, & virtuale, ut quando venditur domus majori pretio propter dilationem solutionis; tunc enim censetur virtualiter mutuari pecunia usque ad tempus præfixum solutionis.

IV. Quæritur tertio: An omnes obligentur ad restituendam rem mutuo acceptam?

Respondeo, jure naturæ omnes obligari, sed in quibusdam casibus privilegio juris positivi filiifamilias, Ecclesiæ, Civitates, & Minores possunt non restituere mutuum, & obligationem elidere exceptione. Nam primo filiusfamilias, qui sub patria potestate est, nec habet bona Castrensia, vel quasi Castrensia, nec publice creditur esse juris sui, si absque Patris consensu accepit pecuniam mutuam, non tenetur illam restituere, etiam post mortem Patris, ex *leg.* 1. *Cod. ad Macedonianum*, saltem pro foro externo; Immo Molin. disp. 30., & Less. cap. 20. n. 6. apud Trull. contra Rebell., Reginald., & alios communius putant, quod neque in foro conscientiæ teneatur, si velit uti privilegio talis legis idcirco latæ, ne filii hac occasione ad pecuniam persolvendam machinarentur mortem Patris. Notandum tamen, quod lex loquatur de sola pecunia mutuo accepta, non de aliis rebus, puta vino, oleo, &c.: Si tamen filius juravit se soluturum, tenetur vi juramenti; quamvis possit a Prælato petere relaxationem, aliter lex facile redderetur inutilis, ut notat Trull.

V. Secundo, Ecclesiæ, & loca pia, sicut etiam Oppidum, non tenentur restituere pecuniam mutuam, nisi creditor probet conversam esse in eorum utilitatem: Et idem dicas de Pupillo, & Minore, si eorum nomine Tutor, vel Curator mutuum accepit, ut communiter notant Doctores. Verum si Prælatus cum consensu Capituli mutuum accepit nomine Ecclesiæ, & possit solvere sine alienatione rerum immobilium, debet solvere, ut notat Trull. ex Less. c. 20. n. 11.

ARTICULUS II.

Quid, & Quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita?

I. *Usuras est lucrum immediate proveniens ex Mutuo: Unde non potest Mutuatario imponi, quod ponat, quæ alias debet ex alia virtute a justitia; Nec potest aliquid ab eo exigi tanquam debitum ex gratitudine; prævio pacto saltem implicito.*

II. *Usura alia est mentalis, alia realis, alia manifesta, alia palliata.*

III. *Non est Usura mentalis mutuare cum spe, & intentione lucri, dummodo non interveniat pactum; Sicut nec est simonia Officium recitare intendendo distributiones.*

IV. *Nec est Usura sperare ex Mutuo amicitiam:*

tiam: At probabilius hac non potest in pactum deduci.

V. *Non licet excitare Mutuatarium ad remunerationem tanquam debitam pro mutuo; licitum tamen est excitare illum ad aliquid omnino liberaliter donandum. Sed in praxi periculosum.*

VI. *Quid si dubites, an Mutuatarius aliquid omnino tibi liberaliter donet?*

VII. *Jure Civili, Canonico, & Naturali prohibetur Usura.*

I. USura definitur, quod sit *lucrum ex mutuo immediate proveniens.* Dicitur primo *Lucrum*, hoc est acquisitio rei supra sortem indebitæ; ut si mutuans centum recipiat centum & unum: Quare non erit usura, si mutuem tibi, ut desinas nocere, ut reddas depositum, vel debitum, &c. quia sic nullum lucrum reporto, seu non acquiro ultra sortem nisi id, quod alias erit mihi debitum ex justitia: Contra vero erit usura, si mutuem, ut præstes ea, ad quæ teneris, ex Charitate, aut ex Religione, aut ex Obedientia, aut ex Fidelitate, ut communiter docent apud Bonac. punct. 3. num. 15. contra Medin. Petrum Navar. & Valent. Ratio est, quia sic imponitur gravamen, ratione cujus tenetur Mutuatarius ad damna subsecuta, ad quæ non tenetur, si omittat, quæ debet ex charitate, aut ex alia virtute distincta a justitia. Dicitur secundo, *Proveniens ex mutuo*, nam si proveniat lucrum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel aliunde, non erit usura. Dicitur tertio *Immediate*, nam si lucrum mihi proveniat non immediate ex mutuo, sed ex amicitia, vel gratitudine, non erit usura; ita tamen ut antecedenter ne implicite quidem id sit deductum in pactum: nec exigatur tanquam debitum; proscripta enim est ab Innoc. XI. propos. 42. dicens: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam debitum ex justitia*: Et sensus est, quod si aliquid ultra sortem exigatur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & ex his titulis in pactum deducatur, procul dubio sit usura: Sicut pariter est simonia accipere pro re sacra aliquod temporale titulo gratitudinis, si id in pactum deducatur, ut ostendimus in Trutina thesium damnatarum exponendo tesim 45. ab Innoc. XI. proscriptam.

II. Quæritur primo; Quotuplex sit Usura? Respondeo, dividi primo in Realem, seu Externam, Mentalem, seu internam; illa habetur, quando intervenit pactum saltem implicitum reddendi aliquid supra sortem; Mentalis vero habetur, quando mutuans intendit lucrum tanquam debitum ex mutuo, quamvis nullum pactum imponat. Unde fit, usuram tribus modis accipi apud Doctores. Primo, pro lucro dicto supra sortem. Secundo, pro Contractu, quo aliquid promittitur supra sortem vi mutui. Tertio, pro ipsa voluntate lucrandi propter mutuum.

Dividitur secundo Usura in Manifestam, & Palliatam, seu implicitam; Illa habetur, quando manifeste intenditur lucrum; Hæc habetur, quando intentio lucri palliatur, & coloratur colore alterius Contractus; ut, si venderem credito centum aureis rem, quæ numerata pecunia valet octoginta; idem enim hoc esset ac mutuare octoginta, ut reddantur post annum centum.

III. Rogabis, an semper sit usura mentalis mutuare cum spe, & intentione, quod aliquid supra sortem reddatur, cum dicatur Lucæ 6. 31. *Mutuum date nihil inde sperantes.*

Respondeo cum Molin. Less. & aliis apud Bonac. punct. 2. tunc committi usuram, quando speratur, vel intenditur lucrum immediate ex mutuo tanquam debitum ex justitia, seu si speretur lucrum non ex liberalitate Mutuatarii, sed tanquam pretium ex mutuo: Contra vero si speretur lucrum ex mutuo non immediate, sed mediante amicitia, vel gratitudine, vel liberalitate, & non tanquam pretium mutui, non committitur usura, sive hujusmodi lucrum minus principaliter speretur, sive principaliter sit causa impulsiva, sive finalis mutui. Ratio est, quia non committitur usura, nisi aliquid accipiatur ultra sortem ex mutuo ab eo, qui dat invite, & involuntarie mixte; quæ autem absque prævio pacto etiam implicito dantur ex amicitia, gratitudine, vel liberalitate, libere, & omnino voluntarie dantur. Præterea sicut committit simoniam Canonicus, quando Divinum officium recitat, ut percipiat distributiones tanquam pretium Divini officii, non vero si Officium recitet, ut percipiat distributiones tanquam quid annexum Divino officio ad sui sustentationem, licet illas principaliter intendat; ita committit usuram, qui mutuo immediate intendit lucrum tanquam pretium mutui, non vero qui intendit mediante amicitia, quamvis causa finalis mutui sit lucrum. Non negaverim tamen, quod inordinate operaretur, tam qui recitando Divinum Officium principaliter intenderet lucrari distributiones, quam qui mutuando principaliter intenderet lucrum ex gratitudine; at sicut ille non committeret Simoniam, ita neque hic Usuram. Neuter autem peccaret, si principaliter ille recitaret Divinum Officium propter cultum Divinum, & minus principaliter, ut lucretur distributiones; & hic mutuando principaliter intenderet subvenire indigenti, & minus principaliter lucrum forte proveniens ex gratitudine mutuatarii.

Hinc sequitur primo, quod non committatur usura ab eo, qui mutuat indigenti, sperans

illum gratum, & liberalem fore; esto non esset mutuaturus, nisi id sperasset: Sicut non committit Simoniam, qui inservit Episcopo sperans ejus amicitiam, & ea occasione Beneficium; quamvis non inserviret, nisi id in spe haberetur, ut docet Navar., Reginald., Bonac. loc. cit. contra Salon., & Bagn. Committitur tamen usura, si lucrum speretur tanquam debitum ex justitia, sicut etiam si deinde mutuans exigat aliquid ultra sortem tanquam debitum ex gratitudine, vel benevolentia, ut diximus ex definitione Innoc. XI. damnantis propos. 42., quæ habet: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

IV. Sequitur secundo, non committi usuram ab eo, qui ex mutuo sperat amicitiam; quia amicitia est aliquid honestum, nec est pretio æstimabilis; est enim extra pretium, ideoque ut notat Reginald. lib. 21. n. 189. suapte natura nec venditur, nec emitur, cum consistat in affectu voluntatis, quæ non cogitur relate ad hujusmodi actus; ad usuram autem spectat, ut aliquid ex mutuo immediate speretur, quod de se sit pretio æstimabile.

Utrum autem possit in mutuo deduci amicitia in pactum, itaut non imponatur alia obligatio? Concedunt Sot., Navar., Azor., Reginald. loc. cit. lib. 25. n. 189. Sed verius negant Salon., Valent., Bonac. loc. cit., quia ex mutuo nulla potest imponi obligatio ex justitia ponendi id, ad quod mutuatarius alias non tenetur; atqui si in pactum deduceretur amicitia, & signa amicitiæ, mutuatarius vi pacti ad hæc teneretur ex justitia; ergo non potest sine labe usuræ in pactum deduci.

V. Sequitur tertio, eum, qui excitat Mutuatarium ad aliquid sibi tradendum in remunerationem mutui, esse acriter reprehendendum, cum usura sit exigere lucrum ex mutuo; Usuram tamen non committit, qui allicit, & excitat Mutuatarium ad aliquid sibi ex liberalitate tradendum, quando verosimiliter credit illum ex liberalitate, & plene voluntarie tradere: Et idem docet Less. cap. 24. dub. 17. de famulo, qui sponte domino inservit non petens stipendium, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum sibi Beneficium, quamvis id in praxi periculosum sit; Idemque dicendum de eo, qui tradit munera, ut hac ratione trahat ad benevolentiam, & sic ex benevolentia obtineat, quod petiturus est.

VI. Quod si dubites, Num Mutuatarius plene voluntarie, & ex liberalitate aliquid tibi tradat, an potius involuntarie mixte ex verecundia, & timore, ne alias deneges mutuum? Bonac. cum Less. cap. 20. n. 45. putat, quod non possis quicquam accipere, quia teneris cavere etiam periculum usuræ; quamvis præsumendum sit, quod libenter tradat, si tradit animo hilari, & sponte sua, qui cæteroqui gratus, & liberalis est. Tambur. etiam V. *Mutuum* docet, quod si dubium sit, an aliquis Contractus sit usurarius, non potes lucrum accipere, quia possessio stat pro mutuatario, qui est certus dominus suæ pecuniæ, cum interim mutuans dubium titulum habeat eam retinendi.

VII. Quæritur tertio; Quo jure prohibita sit Usura?

Respondeo, prohiberi non solum jure Canonico in Clement. de Usuris, & jure Divino apud Lucam 6. *Mutuum dantes, nihil inde sperantes*, & Psalm. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, &c.; sed etiam jure naturali, non secus ac furtum. Ratio est, quia contra rectam rationem est accipere plus, quam res valeat; atqui centum, quæ mutuantur, non pluris valent, quam centum; ergo si plus accipiatur, contra rationem accipiuntur. Neque enim vendi potest usus pecuniæ. Nam in mutuo usus rei non distinguitur ab ipsa rei substantia, quia, usus talis rei est translatio dominii in Mutuatarium, & veluti consumptio substantiæ rei, (quod non habetur in commodato,) translato autem dominio, usus ejusdem rei pertinet ad Mutuatarium dominum, unde non potest vendi a mutuante.

Neque dicas, Deuteronom. 22., usuras permitti. Nam sicut permittuntur meretrices ad vitandum majus malum, ita aliquando jure Civili permittuntur usuræ, non tamen proinde licent; nisi forte Deus ex suo dominio absoluto vellet donare illas mutuanti: Sicut enim Israelitæ spoliantes Ægyptum ex ordinatione Domini non commiserunt furtum, ita in casu nostro.

ARTICULUS III.

An quævis obligatio imposita Mutuatario sit Usura.

I. *Usuraria est omnis obligatio ex justitia Mutuatario imposita, ad quam aliunde non tenebatur; non vero si obligetur ad id, quod alias ex justitia erat debitum.*

II. *Quid si imponatur illi onus, ad quod solum ex charitate tenebatur?*

III. *Non sine usura imponitur mutuatario, quod præstet munus a lingua, aut ab obsequio, aut a manu, aut quod tibi quamvis digno officium, vel Beneficium conferat.*

IV. *Quid si quis mutuare nolit, nisi alter remutuet? Aut nisi ad suam scholam, molendinum, aut apothecam veniat?*

V. *Probabiliter non est usurarius, qui vendit merces pretio justo rigoroso pecunia credita,*

quas venderet pretio infimo pecunia numerata.

VI. *Num debens centum post annum possit nunc dare quinquaginta cum pacto, quod alia quinquaginta post biennium solvantur?*

VII. *Quid si mutuetur triticum vetus cum pacto, quod post annum restituatur novum?*

VIII. *Æstimatio valoris rei mutuatæ desumenda est ex eo quod ea valebat in loco, ubi fuit mutuata.*

I. QUæritur primo, Quænam obligatio imposita Mutuatario sit usuraria; Quænam vero licita?

Respondeo cum communi, omne pactum, per quod imponitur mutuatario onus, & obligatio ex justitia, ad quam alias non tenebatur, labem usuræ continere. Ratio est, quia talis obligatio est pretio æstimabilis, (eo quod tollat alteri, nempe mutuatario, libertatem, & obliget illum ad damna secuta,) & supra sortem acciperetur: Contra vero licitum est pactum, per quod imponitur obligatio ad id, ad quod alias ex justitia mutuatarius tenebatur, puta ad reddendum depositum, ad reddendum debitum antiquum, &c.

II. Molin. disp. 309. putat non esse usuram mutuare cum pacto, quod fiat id, quod ex charitate aliquis tenetur præstare; verbi gratia, quando Medicus sub reatu culpæ mortalis tenetur justo pretio mederi, &c. Et ratio est ex Tamb. cap. 8. §. 2. quia cum medicus hic absolute teneatur, non censetur superadditum novum onus obligando illum ex justitia. Sed communius id negant, quia si ex justitia teneretur, obligaretur ad resarcienda damna secuta; unde novum onus ex mutuo consurgeret.

III. Hinc sequitur primo, usuram committi ab eo, qui mutuat cum pacto, ut mutuatarius præstet munus aliquod vel a lingua, vel ab obsequio, vel a manu. Dicitur autem Munus a lingua alloqui Regem, verbi gratia, canere, laudare, &c. Dicitur Munus ab obsequio aperire alteri caput, comitari dominum, signa amicitiæ, & officia particularia exhibere; Munus demum a manu est colere agrum, domum conducere, vel locare, & his similia.

Sequitur secundo, committi usuram, si mutues cum pacto, quod mutuatarius conferat tibi, quamvis digno, aliquod Officium, vel Privilegium, vel Beneficium; Immo in hoc casu usura esset simoniaca, cum ineatur pactum rei temporalis pro spirituali: Unde fit, quod si cum damno mutuantis aliquod officium temporale acceptum sit, debeat tale damnum resarciri, & Beneficium sic acceptum dimittendum est, & fructus percepti vel in pios usus erogandi, vel dandi sunt Cameræ Apostolicæ; nisi cum illa fiat compositio. Quare non est audiendus Petrus Navar. apud Bonac. qui putat non committi usuram ab eo, qui non vult mutuare, nisi mutuatarius sibi, vel alteri conferat in præsenti Beneficium aliquod, vel Officium.

IV. Sequitur tertio, usuram committi ab eo, qui mutuat sub conditione, ut mutuatarius statim, vel in posterum remutuet; Obligatio enim remutuandi, quæ imponitur, est pretio æstimabilis. Verum quidem est posse utrumque se obligare ad mutuandum pro certo tempore, quia sic utriusque contrahentis par est onus, & obligatio. At non videtur licitum imponere mutuatario obligationem remutuandi, ut docent Rebel. Azor. Bonac. punct. 9. contra Petrum Navar. Molin. disp. 308. Less. Sal. qui putant licitum esse nolle mutuare, verbi gratia pecuniam, nisi mutuatarius in præsenti remutuet aliquid, quo mutuans indiget. Id tamen in praxi est periculosum.

Illud certum est, non esse usuram, si quis videns Titium non habere animum mutuandi in præsenti, aut in futurum, cum cæteroqui possit sine incommodo, nolit illi quicquam commodare; nam in tali casu non habetur mutuum cum obligatione remutuationis, sed solum non vult ille mutuare, quia videt Titium ingratum esse, ut notat Trull. dub. 6. & Dian. part. 1. tract. 8. resol. 10.

Sequitur quarto, committi usuram ab eo, qui mutuat cum pacto, ut ille ad suam scholam, vel molendinum, vel apothecam veniat; necnon ab eo, qui mutuat cum pacto non repetendi mutuum, donec mutuatarius frequentet molendinum, &c.: Quamvis possit absolute nolle mutuare, immo possit etiam speculative loquendo velle repetere mutuum, si videat mutuatarium ingratum nolentem frequentare suum molendinum, cum possit sine suo incommodo. Quod si tale pactum intercessit, tenetur mutuatario resarcire damnum ex tali pacto secutum.

Sequitur quinto, committi usuram ab eo, qui mutuat pecuniam, vel vinum, verbi gratia, cum pacto, quod restituatur mutuum in re diversæ rationis, puta in tritico tempore messis, quia imponit obligationem ex justitia pretio æstimabilem, ad quam ille non tenebatur. Potest quidem iniri contractus emptionis solvendo pecuniam anticipato pro tritico dando tempore messis pretio tunc taxando juxta æstimationem communem; sed in tali casu pecunia debet dari irrevocabiliter, ubi e contra pecunia, quæ mutuatur gratis nullo præfixo tempore, potest ad libitum revocari. Eodem modo possum anticipata solutione conducere operas coloni, & volenti meum agrum colere mutuare illi pecuniam, ut boves emat, & alia necessaria; sed non possum illi non parato ad colendum agrum meum mutuare cum pacto, quod vendat mihi suas operas, emendo boves, & colendo agrum meum; quia sic onus ex justitia indebitum ex

mutuo

mutuo consurgeret. Similiter possum anticipata solutione emere operam Medici, vel Advocati per annum verb. gr. at non possum mutuare illis cum pacto, quod vendant mihi operam suam; & justo pretio medeatur & causam defendat.

Sequitur demum, non committi usuram ab eo, qui novam obligationem ex justitia non imponit mutuando; verbi gratia ab eo, qui mutuat cum pacto, quod mutuatarius det pignus, vel hipothecam pro securitate mutui. Non tenetur enim mutuator mutuare cum periculo amittendæ sortis: Nec committitur usura ab eo, qui mutuat cum pacto, quod mutuatarius restituat sibi depositum debitum, aut quodcumque ex justitia debet; Non vero si ineatur pactum, quod ponat mutuatarius, quod ex charitate, vel obedientia tenetur ponere. Nec est usura mutuare ad redimendam vexationem injustam sive propriam, sive alienam. Verbi gratia, mutuare inimico, ut condonet injustam satisfactionem, quam exigit: Et probabiliter, ut notat Rebell. hic, si quis mutuet cum pacto, quod solvantur sibi legata non pia in minus solemni testamento relicta, non committit usuram, sequendo eam opinionem, quod ea debeantur in conscientia; secus vero si quis sequatur opinionem oppositam probabiliorem. Præterea nec committitur usura ab eo, qui mutuat sperans, & intendens remissionem rancoris, aut amicitiam, & ea mediante liberalem condonationem pœnæ debitæ; quia immediate non acquiritur aliquid pretio æstimabile.

V. Probabiliter non est usurarius, qui justo pretio, licet rigoroso, vendit credito merces suas, ut plures attrahat ad emendum, ut docet Molin. disp. 309. num. 51. & Sal. contra Sylvest. apud Bonac. quia quamvis vendens credito virtualiter mutuet, tamen vere justo pretio vendit res suas, ut diximus cum de Venditione art. 3. num. 7. ex Lug. de Emption. num. 104. & ex Dian. part. 1. tract. 8. resol. 21. Quamvis enim non possit mutuans exigere aliquid supra sortem eo titulo, quod pecunia numerata, & presens pluris æstimetur, quam numeranda, juxta propos. 41. damnatam ab Innoc. XI. potest tamen vendi credito merx pretio justo rigoroso, etiamsi cum pecunia numerata venderetur infimo; quia utrumque pretium est justum, & libere celebratur contractus ab emente.

Adde, nec committi usuram ab eo, qui obligat se ad mutuandum alteri, quandocumque sibi libuerit; & pro tali obligatione exigit pretium moderatum; Sicuti nec est usura aliquid moderatum exigere pro fidejussione, qua fidejussor obligat se ad debiti solutionem in defectum principalis, ex Salon. apud Trull. dub. 6. quia periculum solvendi est pretio æstimabile; Ex quo inferunt aliqui, quod si potest fidejussor aliquid agere pro fidejussione, possit etiam, saltem speculative loquendo, mutuans subire vices fidejussoris, & pro eo titulo exigere id, quod fidejussori distincto solvendum esset: In tali enim casu mutuans lucrum reportaret non precise ex mutuo, sed ex periculo amittendæ sortis, ratione cujus potest fidejussor aliquid accipere; itaut quo minus est tale periculum, eo minus solvi pro eo debeat, ut videre est apud Bonac. punct. 5. Ubi notat, quod si nullum sit periculum, nihil accipi possit, & quod non possit mutuans cogere mutuatarium ad suscipiendum seipsum pro assecuratore.

VI. Quæritur secundo, Si Titius debens centum Cajo post annum, det illi quinquaginta nunc cum pacto, quod alia quinquaginta solvantur post biennium, committiturne usura?

Respondeo, Less. Sal. Trull. Dian. part. 1. tract. 8. resol. 63. Tambur. lib. 7. tract. 3. cap. 7. §. 8. num. 8. putare, quod non committatur usura, quia unum mutuum datur pro alio: Bonac. tamen putat usuram committi, quia Titius dando quinquaginta anticipato revera mutuat hæc per annum, imponendo Cajo obligationem quod remutuet alia quinquaginta. Diximus autem quod mutuare imponendo obligationem remutuandi sit usura; Quia tamen non committitur usura, quando uterque contrahens obligatur ad mutuandum, ideo in hoc casu probabiliter non habetur usura; quia qui debet centum post annum obligat se, & vere dat quinquaginta per annum, dummodo ille veluti alia quinquaginta mutuet per alium annum; unde contentus sit ea accipere post biennium.

VII. Quæritur tertio; Ant sit usura mutuare, verbi gratia, triticum vetus, ut post annum restituatur novum?

Respondeo certum esse, quod solutio mutui facienda sit juxta valorem, quem res habebat tempore Contractus, nisi aliter conventum sit, quia secus non servatur æqualitas inter datum, & acceptum. Quare sicut si mutuaveris decem tarenos, & deinde moneta crescat in valore, itaut novem tareni æquivaleant decem illis acceptis, non debent restitui decem, sed novem; ita si mutuaveris decem modios tritici valentes decem aureis, & deinde crescat, vel decrescat valor tritici, non debent restitui decem, sed solum quantum æquivaleat in valore illis decem. Dixi, nisi aliter sit conventum; potest enim accidere, quod qui mutuat decem modios tritici valentes centum, æque se exponat periculo perdendi, & lucrandi, si post annum restituendi sint decem modii, quanticumque tunc valeant, & in tali casu restitui debent decem modii, vel pecunia, qua decem modii tunc emi possint. His præmissis resolvitur quæsitum; Nam si post annum triticum novum, quod restitui-

stituitur, tanti valeat, quanti valebat tunc triticum vetus, & nunc vetus triticum valeat minoris, potest iniri pactum, quod restituatur novum. Si vero triticum vetus tanti valebat tunc, quanti nunc, non potest tale onus ex justitia imponi mutuatario, ut reddat triticum novum, si ejusdem valoris, & bonitatis est triticum vetus, quod accepit, & quod reddit.

Dices: quamvis sit ejusdem valoris, tamen diuturnius conservari potest triticum novum; mutuans autem nisi mutuasset, potuisset tunc vendere triticum vetus, & eodem pretio emere nunc triticum novum, & conservare diuturnius; ergo æquum est, ut restituatur novum.

Respondeo procul dubio debere restitui novum, si mutuans habuisset talem animum, & manifestasset mutuatario: nam ratione damni emergentis procul dubio posset mutuatarius talem obligationem subire, ut dicetur art. sequenti; Si vero talem animum non haberet, quando mutuavit, quare debet restitui triticum novum, quod cum diuturnius conservari possit, eo ipso melioris est qualitatis, etiamsi eodem pretio vendatur, quia communiter emitur, ut edatur, non ut conservetur?

VIII. Dubium est: Utrum æstimatio rei mutuatæ judicanda sit tempore solutionis juxta valorem, quem res habet, in loco, ubi fit solutio, an potius juxta valorem, quem res habet in loco, ubi mutuum fuit acceptum?

Respondeo, faciendam universim esse solutionem juxta æstimationem, quam habebat res in loco, ubi fuit mutuata, itaut si aliter conveniatur, debeat spes lucri cum periculo damni compensari; aliter conventio esset usuraria, nisi propria sponte mutuatarius aliud offerat, quod sit utile mutuanti, sibi vero non damnosum.

ARTICULUS IV.

Quotupliciter potest aliquid ultra sortem exigi circa usuram?

I. Potest mutuator aliquid ultra sortem exigere ratione damni emergentis, aut periculi damni.

II. Num debeat moneri mutuatarius, ut teneatur damnum emergens compensare?

III. Potest ab initio pacisci mutuans de compensando lucro cessante, dummodo adsint quatuor conditiones.

IV. Spes lucri tanti æstimanda, quatum quis eam venderet alteri, aut ipse ab alio emeret.

V. Ratione periculi non quidem remoti, sed proximi amittendi sortem potest aliquid a mutuatario exigi.

VI. Nihil potest accipi pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus.

VII. Contractus trium, videlicet Societatis, Assecurationis sortis, & venditionis lucri, non continet usuram, si vere pecunia ad negotiationem implicetur.

VIII. Non solum est immunis a labe usuræ venditio rei fructiferæ, cum pacto retrovenditionis, & locatione ejusdem ipsi venditori, sed etiam emptio census sive realis, sive personalis, sive mixti, quamvis utrinque redimibilis. Servandum tamen hac in re jus positivum.

IX. Usurarius est Contractus Godere a godere, *si non sit emptio cum pacto retrovenditionis.*

X. Num possit, & sub quibus conditionibus dari mutuum cum pacto, quod si Mutuatarius præfixo tempore mutuum non restituat, teneatur aliquid solvere in pœnam moræ culpabilis? Et an talis pœna debeatur in conscientia ante sententiam judicis?

XI. An sit usura apponere in Contractu mutui pœnam legis commissoriæ? Et quid ea sit?

XII. Quandonam possint fructus pignoris dati mutuanti non computari in extinctionem sortis?

XIII. Quomodo ab usura excusentur Montes pietatis accipiendo, verbi gratia, sex in singulos centenarios a mutuatariis? Et quomodo excusentur, qui in iis suam pecuniam deponunt accipiendo quatuor per centum?

XIV. Qui bona fide celebravit Contractum usurarium, poteritne lucrum retinere ex eo, quod procul dubio Contractum licitum celebrasset, si advertisset illum esse usurarium?

XV. Num possit quis pecuniam ultra sortem acceptam bona fide retinere, si deinde dubitet, an Contractum licitum celebraverit?

I. QUæritur primo: An possit mutuator pacisci in principio Contractus, quod aliquid supra sortem solvendum sit ratione damni emergentis (puta quia cogitur solvere pro proprio debito interesse, dum mutuat pecuniam suam,) vel etiam ratione periculi damni?

Respondeo cum communi affirmative; æquitas enim postulat, ut damnum non patiatur mutuans, eo quod mutuet. Tres tamen conditiones requiruntur, ut mutuatarius teneatur compensare damnum emergens mutuanti. Prima, ut tempore Contractus deducatur in pactum damnum, quod revera accidet, vel quanti estimatur periculum talis damni; aliter non tenetur mutuatarius illud compensare, nisi forte fuerit in mora solvendi tempore præfixo. Ratio est, tum quia mutuatarius forte non accepisset mutuum cum tanto onere compensandi damnum; tum etiam quia eo ipso, quod mutuator non init pactum de damno emergente, censetur illud condonare mutuatario; Et idcirco non debetur, si non sit in mora restituendi tempore præfixo.

Secun-

Secunda conditio est, ut non deducatur in pactum aliquid supra damnum emergens, vel ultra id, quod æstimatur periculum damni. Tertia, ut revera damnum sequatur, & emergat præcise ex causa mutui, itaut non potuerit mutuator illud commode vitare; Quare si vel ex sua culpa, vel aliunde patitur tale damnum, non potest petere a mutuatario compensationem.

II. Dubium est; An mutuatarius, qui tempore prefixo non restituit mutuum, teneatur solvere mutuanti damnum emergens, etiamsi nullum pactum de illo præcesserit?

Respondeo cum Less. Molin. & aliis communiter apud Bonac. quod qui sine sua culpa tempore præfixo non restituit mutuum, verbi gratia ex impotentia, non teneatur compensare damnum emergens; quia neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione, neque ex vi Contractus ad id tenetur: contra vero si sit in mora culpabili, tenetur; quia quoties præfigitur terminus solutionis, censetur tacite iniri pactum de compensando damno emergente ex defectu restitutionis, ex *leg.* 2. §. *Non utique*, idque verum est, etiamsi mutuator elapso termino non petat solutionem; nam dies definita interpellat pro creditore, ex *Cap. fin. de Locato, & Conducto*, ut communius docent contra Azor. apud Dian. part. 1. tract. 8.& resol.87. & Tamb. cap. 8. §. 3. qui putant esse monendum, ut sic teneatur, seu ut debitor ponatur in mora; quia forte si de novo hoc onere moneatur, omnibus viis illud extinguere satageт. Quod si nullus sit constitutus terminus solutionis, non videtur mora esse graviter culpabilis, nisi quando creditor ob timorem, vel impotentiam, vel oblivionem non petit; unde videtur dilationem concedere, & sic non tenetur ad compensandum damnum emergens, ut communiter docent apud Bonac. disp. 1. quæst. 6.

Ex dictis sequitur, quod qui pactum iniit de compensando damno emergente, non teneatur aliquid supra sortem restituere, si revera nullum damnum sequatur mutuanti ex mutuo: Qui vero pactum iniit de solvendo, verbi gratia, aliquid supra sortem pro periculo damni imminentis, tenetur illud solvere, si revera fuerit periculum, & tanti illud æstimetur, etiamsi nullum damnum mutuanti sequatur.

III. Quæritur secundo: An etiam ratione lucri cessantis liceat in mutuo aliquid ultra sortem exigere, & ab initio pacisci, ut mutuatarius solvat lucrum cessans causa mutui?

Respondeo cum communi affirmative; quia mutuator non tenetur mutuare cum suo detrimento, seu cum jactura lucri sui. Et hoc verum est, etiamsi mutuans offerat se ad mutuandum, ut multi docent contra Conrad. apud Sa. Ex quo fit, ut mutuatarius eodem modo teneatur compensare lucrum cessans, ac damnum emergens, quando scilicet est in mora culpabili solvendi præfixo tempore.

Requiruntur autem ad id quatuor conditiones: Prima, ut vere mutuatio sit causa, cur cesset lucrum, quod habebatur in spe certa, vel probabili: Quare si quis mutuet mille, quod destinaverat negotiationi, non potest quicquam accipere ratione lucri cessantis, si habeat aliam pecuniam otiosam, quam possit commode substituere negotiationi, ut communiter docent contra Molin. disp. 316. quia non videtur pati ullum damnum ratione mutui. Secunda conditio est, ut non tantum exigatur, quantum est lucrum cessans, sed quanti æstimatur spes lucri cessantis, spectatis circumstantiis, detractis expensis: Immo detrahenda est æstimatio laborum, & molestiarum, quas subiisset mutuans negotiando, ut communiter censent contra Bann. & Sal. apud Bonac. qui verius putat detrahendum esse quantum mutuans libenter dedisset pro redemptione laboris, & molestiarum in negotiando; itaut si nihil remisisset pro redemptione laboris, sed optasset liborem in negotiando sustinere potius, quam quicquam dare ad illum redimendum, nihil pro æstimatione laboris detrahi possit. Tertia conditio, ut lucrum non statim exigatur. Quare qui ratione lucri cessantis exigit quinque pro centum, non potest solum dare mutuatario nonaginta quinque. Ratio est, quia pro nonaginta quinque datis acciperet in fine anni quinque, non vero pro centum, ut patet. Quarta conditio, ut moneatur mutuatarius de lucro cessante; & ut pretium lucri cessantis, vel ejus spei aut taxetur initio Contractus, aut relinquatur taxatio facienda deinde arbitrio prudentis viri, itaut sicut incertum est lucrum, pariter incertum sit pretium pro eo solvendum, quod deinde inspecto lucro, quod cessavit, & detractis expensis taxandum sit.

IV. Notat hic Dian. part. 1. tract. 8.resol. 64. pro praxi Confessariorum, spem lucri tanti æstimandam esse, quantum remanet de lucro sperato, dempto eo, quod alteri daretur pro assecuratione: Verbi gratia si quis mutuans centum speret demptis expensis pro lucro quindecim, & libenter daret alteri sex, ut assecuret novem, quæ supersunt, nonnisi novem potest pro lucro cessante accipere; quod est dicere, tanti æstimandam esse spem lucri, quanti venderetur a mutuante alteri, vel quanti ipse emeret illam ab alio.

Notandum secundo, lucrum cessans ex solo Contractu licito compensandum esse, non vero ex contractu illicito, puta ex Cambiis fictis, & siccis, ex usura, &c.

Notan-

Notandum tertio, quod si mutuatarius tempore præfixo non possit mutuum restituere inculpabiliter, non tenetur ad damnum emergens, & lucrum cessans, nisi quando a principio conventum sit de interesse proveniente ex mora, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. res. 43., & tract. 15. resol. 49. contra Molin.

Ex dictis sequitur, quod quando Judices præcipiunt debitoribus, ut solvant aliquam pecuniam pro interesse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quando sunt in mora, isti non teneantur in foro conscientiæ illam solvere, si non sint in mora culpabili, nec a principio conventum sit de interesse: Immo nec tenentur, si sint in mora culpabili, vel a principio conventum sit de interesse, quando revera lucrum nullum cessavit, nec damnum emersit; quia sententia illa nititur falsæ præsumptioni, quod lucrum cessarit; quamvis tenerentur vitare scandalum. Si tamen ab initio conventum sit de interesse non ratione damni, sed ratione periculi damni, aut spei lucri, si revera tale periculum fuit, vel talis spes, tenentur in conscientia tantum solvere, quanti periculum illud, & spes æstimatur, etiamsi non sint culpabiliter in mora. Demum si Judicis sententia de solvenda pecunia ratione moræ lata sit tantum in pœnam, non vero ratione lucri cessantis; Primo certum est, pœnam non deberi ante sententiam, ut infra dicemus; Secundo probabiliter, ut notat Dian. loc. cit., neque tenetur in conscientia solvere talem pœnam, qui ex impotentia inculpabili omisit restituere tempore debito.

V. Quæritur tertio; An liceat aliquid ultra sortem exigere ratione periculi sortis amittendæ, vel difficultatum, & expensarum in ea recuperanda?

Respondeo, Sot., Rebel., Tolet. & alios apud Dian. part. 1.tract.8. resol. 37. negare; quia tale periculum non quid est separatum a mutuo, atque adeo gratis subeundum est. Nec est eadem ratio de fidejussore, qui potest aliquid accipere pro fidejussione eo quod hæc sit pretio æstimabilis ratione obligationis civilis ab eo susceptæ. Sed Sal., Bonac., Filliuc., & Dian. probabiliter affirmant, quia hoc pertinet ad indemnitatem mutuatoris; qui tamen non debet id facere cum gravamine mutuatarii, quale esset, si volente mutuatario tradere pignus, aut adducere sufficientem fidejussorem, id recuset.

Ex hac ratione deducitur ex Salon. apud Trull., quod possit quis vendere credito rem aliquam supra justum pretium illius nude sumptæ, accipiendo supra justum pretium rei tantum, quanti æstimatur periculum amittendi pretium. Et ratio a priori est, quia sicut est pretio æstimabile suscipere obligationem fidejussoris, ratione periculi, cui hic se exponit, ita etiam in mutuante est pretio æstimabile conjicere se in idem periculum; Præsertim si mutuat homini non satis noto, aut dubiæ fidei; unde sicut mutuator potest exigere, ut detur sibi vel pignus, vel fidejussor, ita ipse accipere potest quod fidejussori dandum esset, eo quod idem periculum ipse subeat.

Notandum tamen, quod non plus exigitur ratione periculi, quam ipse mutuans alteri vellet dare pro talis periculi redemptione, ut justum pretium illius assignetur. Ad id, quod objicitur, respondetur, falsum esse, quod mutuo sit de se annexum periculum grave amittendæ sortis; solum est illi annexum periculum remotum, quale habetur, si detur mutuum viro magnæ fidei, & magnarum opum; unde pro tali periculo nihil exigi potest, cum nec tu quicquam alteri dares pro eo redimendo.

VI. Quæritur quarto: An liceat aliquid ultra sortem exigere pro obligatione non repetendi sortem usque ad certum tempus?

Respondeo negative, ut constat ex propos. 42. damnata ab Alex. VII. quæ habet: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Ratio est, quia talis obligatio non est pretio æstimabilis, quando revera nullum damnum subis, nec ullum lucrum tibi cessat ex carentia pecuniæ usque ad tale tempus. Quod si damnum aliquod subires, eo quod prives te opportunitate lucrandi, &c., tunc vel potes mutuare sine obligatione non repetendi ad longum tempus; vel poteris obligare mutuatarium ad compensandum damnum, quod es subiturus; vel ab initio pacisci, ut ultra sortem detur tibi tantum, quanti æstimatur periculum talis damni, spectatis omnibus circumstantiis. Nam, ut diximus, si periculum sit remotum, non est pretio compensandum, si vero proximum, potest pretio compensari, & sic præcise propter illam obligationem nihil accipi potest. Neque dicas cum nonnullis apud Trull. disp. 12., Bonac. punct. 6. Dian. resol. 48. posse aliquid exigi pro fidejussione, necnon pro obligatione mutuandi mille ad libitum mutuatarii suscepta per annum; ergo etiam pro obligatione non repetendi mille per annum. Nam primæ illæ obligationes sunt pretio æstimabiles ratione periculi, cui se exponit fidejussor, & qui se obligat mutuare; at in casu nostro supponimus, quod nulli periculo nisi remoto se exponat mutuans, & consequenter nihil pro eo accipere potest, sed gratis debet tali periculo se exponere, si vult mutuare. Præterquamquod, ut communiter docent, obligatio non repetendi mutuum per aliquod tempus est essentialiter annexa mutuo, itaut ad illam teneatur, qui vult mutuare; ergo si ex mutuo nihil potest accipi, consequenter nec potest aliquid accipi ex tali obligatione: Quod si non potest aliquid accipi ex obli-

ex obligatione non repetendi, verbi gratia per duos dies, neque potest accipi ex obligatione non repetendi per plures, & plures dies, nisi forte ratione lucri cessantis id exigeretur: Econtra obligatio mutuandi, quæ est pretio æstimabilis, est onus, ad quod simpliciter nemo tenetur; ergo pro illa potest aliquid accipi.

VII. Quæritur quinto: An possit Titius dare mercatori centum, & ab eo accipere, verbi gratia septem, vel sex, aut octo pro ratione negotiationis quotannis; quousque illa centum restituantur; idque ratione Contractus trium, seu ex vi Contractus complectentis tres Contractus, videlicet Societatis, Assecurationis capitalis, & Venditionis lucri incerti majoris pro lucro certo minori? si scilicet Titius init cum mercatore Contractum Societatis, dando illi centum, & vendit, verbi gratia, lucrum (quod speratur pro ipso fore viginti) pro duodecim certis, & ut assecuret capitale, remittit quatuor ex his duodecim, unde solum accipit octo quotannis.

Respondeo affirmative cum communiori contra Sot. Rodriq., & alios, dummodo vere talis negotiatio mercatoris apta sit fructificare quadraginta, verbi gratia, mercatori scilicet viginti, & danti pecuniam ad negotiandum pariter viginti, itaut justo pretio pro spe incerta illorum viginti possint accipi, verbi gratia, duodecim, & assecuratio capitalis spectato periculo possit solutione quatuor juste emi; aliter erit usura palliata. Ratio est, quia cum tres isti contractus possint juste, & licite celebrari cum tribus personis diversis, non est ratio, cur non possint etiam cum eodem celebrari, dummodo mercator ad illos non cogatur.

Neque est verum, quod mercator assecurando capitale virtualiter accipiat mutuum. Nam si esset mutuum, eo ipso mercator evaderet dominus illius Capitalis, & sic posset emere prædium, v. gr.; quod tamen est falsum, quia tantum debet uti pecunia ad negotiandum, ne sit usura palliata. Præterea si esset mutuum, eo ipso quando mercator fieret impotens solvere suis creditoribus, non posset socius, qui tradidit ea centum, quamvis extarent, ea sibi extrahere ante omnes creditores, quod pariter est falsum; quia cum socius sit dominus, illi debentur, & si pereunt, illi pereunt, quamvis mercator teneatur ea resarcire ex vi assecurationis. Molin. disp. 326. docet, quod si parva pecunia usuraria permisceretur cum magna pecunia usurarii, hic efficeretur dominus totius cumuli ex *Institut. De rerum divisione*; mutuator tamen habet jus in re, ut sibi ante omnes creditores detur ex illo cumulo pars sua; & eo consumpto remanet illi actio personalis in Usurarium; Quod si duo de communi consensu misceant propriam pecuniam, uterque est dominus illius acervi pro rata dividendi, & utrique pari ratione detrimentum convenit.

Oppones, quod Sixtus V. in Bulla incipiente *Detestabilis avaritiæ* damnet societatem, in qua periculum capitalis non remanet apud illud apponentem. Sed ut docent Bonac., & Reginald. contra Azor., & Rebell., damnatur a Pontifice talis societas, quando periculum sortis stat penes accipientem per solum Contractum societatis, non vero si periculum rejiciatur in accipientem per Contractum licitum assecurationis, cum non intendat Pontifex damnare Contractum hunc jure naturæ licitum, ut patet ex decisione Rotæ apud Farinac. decis. 137., & 180. Hic autem notat Hurtad. non esse opus, quod hic Contractus trium explicite fiat, sed satis est, quod fiat implicite, ut regulariter accidit, quando dantur mercatori centum, ut quotannis solvat sex salvo capitali, intendendo id efficere eo modo, quo fieri potest; vel quia creditur id licite posse fieri; Debet tantum mutuans advertere, quod revera mercator in negotiatione sic lucrosa tale capitale impendat, ne pallietur usura: Ex quo fit, ut possit plus exigi, quo negotiatio majus lucrum affert; debeat vero exigi minus, si negotiatio sit minus lucrosa.

VIII. Quæritur sexto: An præter venditionem rei cum pacto retrovendendi, (de qua locuti sumus quæst. 2. art. 3. quæsit. 9.) addendo Contractum locationis cum ipso venditore, immunis etiam sit a labe usuræ emptio census, (seu juris ad fructus) sive realis, sive personalis, sive mixti utrinque redimibilis, hoc est cum pacto retrovenditionis, sive in favorem solius emptoris, sive in favorem solius venditoris, sive in favorem utriusque?

Respondeo, & dico primo, licitam esse, ut diximus loc. cit., venditionem rei cum pacto retrovenditionis, itaut si emptori tradatur res, quæ illi fructificet, & illi pereat, si perit, possit emptor eandem rem, puta domum locare eidem venditori.

IX. Dico secundo, Illicitum esse Contractum dictum *Godere a Godere*; ut ibi diximus, nisi res vendatur, & emptori fructificet, & pereat. Ratio est, quia aliter mutuanti fructificaret, & periret mutuatario, quando est injustum.

Dico tertio cum Molin., Valent., Less., & aliis apud Hurtad. disput. 4. difficult. 5., emptionem census redimibilis ex natura sua esse licitam, dummodo statuatur justum pretium, juxta ea, quæ diximus cum de venditione cum pacto retrovendendi loc. laud.; Ratio est, quia emens censum cum tali pacto non dat pecuniam pro pecunia reddenda, in quo consistit mutuum, sed dat pecuniam pro jure, seu dominio utili ad annuam pensionem fundato in re; seu in per-

persona fructifera pensionis, cum pacto, quod possit postea revendi eidem primo venditori; In quo casu non habetur mutuum, sed emptio, quæ licita est, si justo pretio fiat.

Confirmatur, quia si in tali casu haberetur mutuum, & usura, sequeretur, quod remaneret obligatio census ad pensionem, etiamsi periret res, in qua census fundatur; atqui obligatio census cessat eo ipso, quod res, aut persona, in qua fundatur, fiat inutilis, & infructifera pensionis; ergo, &c. Non inficior tamen, quod etiam pereunte tali re, vel persona, possit remanere alia obligatio ad eandem pensionem, orta ex annexione hypothecæ facta ad securitatem solutionis, quæ pariter obligatio superaddita jure naturali est licita ex Less., & Filliuc. apud Hurtad. loc. cit. diff. 6. contra nonnullos, dummodo tale onus venditori appositum augmento pretii compensetur; quia scilicet uti potest emi pensio fundata in persona fructifera, adeo ut pereunte tali persona, vel reddita inutili, cesset omnis obligatio in vendente; ita potest emi etiam pensio fundata in persona fructifera, cum pacto, quod si talis persona reddatur inutilis, pensio solvenda sit ex alia re fructifera ejusdem venditoris. Et sic universim in emptione census, præter hypothecam specialem alicujus agri, verbi gratia, solet dari hypotheca generalis omnium bonorum ejusdem venditoris; Sed huic oneri, quod additur, debet fieri compensatio cum augmento pretii, ut explicabimus cum de censibus, advertendo ea, quæ requiruntur jure positivo, præsertim ex Bulla 80. Pii V., ut licite census ematur.

Notat hic etiam Hurtad. ex Less., Laym., Becan., quod qui pro centum postea reddendis ad arbitrium sive creditoris, sive debitoris, accipit quotannis aliquam summam, v. gr. quatuor, (quamvis non a mercatore,) possit aliquando excusari ab usura, si eos centum det, & alter accipiat in censum personalem ex utraque parte redimibilem; Et sic censendi sunt efficere indocti, qui intendunt contrahere eo modo, quo licite fieri potest, quamvis utantur nomine mutui. Præterea sicut potest fieri emptio cum pacto retrovenditionis tam quandocumque, quam V. G. infra decennium; ita jure naturæ potest emi census, qui sit redimibilis, vel quandocunque, vel tantum infra annum, vel nonnisi post quinque annos, vel simpliciter irredimibilis, dummodo pro diversitate oneris diversum sit pretium. Quoniam autem pretium justum census difficile est ab indoctis decerni, ideo illud censere debent esse justum, secundum quod communiter in patria propria a timoratis celebratur.

X. Quæritur septimo: An sit usura mutuare cum pacto, quod si mutuatarius statuto tempore non restituat mutuum, solvat aliquid in pœnam suæ moræ?

Respondeo cum communi contra Aragon., & alios affirmative. Et ratio est, quia mutuatarius non restituens tempore debito peccat contra justitiam; unde dignus est aliqua pęna; ergo sicut potest talis pęna a superiore imponi, ita potest imponi ex conventione partium. Plures tamen conditiones ad id requiruntur: Prima, ut pęna non apponatur in fraudem usuræ, ut accideret, si mutuans pęnam apponeret, verosimiliter credens mutuatarium non fore potentem ad solvendum tempore præstituto: Secunda, ut mutuatarius vere sit in culpabili mora; si enim nulla culpa præcessit, non tenetur luere pęnam: Quare si non solvat propter impotentiam, non tenetur ad pęnam; dummodo impotentia non fuerit causata ex alia culpa, videlicet quia comessationibus, & ludis rem consumpserit, prævidens se futurum impotentem ad solvendum: Tertia, ut pęna sit moderata juxta mensuram culpæ; sicut enim id requiritur in pœna judiciali, & legali, ita etiam in conventionali. Quarta, ut mora sit notabilis, nam dilatio etiam viginti dierum ex Dian. part. 1. tractat. 8. resol. 29. non dicitur notabilis.

Dubium est, An talis pęna debeatur in conscientia ante sententiam Judicis? Affirmant multi apud Dian. loc. cit.; quia hæc est differentia inter pęnam legalem, & conventionalem, quod illa non debeatur ante sententiam judicis, hæc vero debeatur; quia universim quod debetur ex contractu, ante sententiam judicis debetur. Sed Sanch. lib. 1. de Matrim. disput. 37. Less. Suar., Vasq. apud Bonac. punct. 7. negant; quia hæc videtur esse intentio contrahentium, (nisi aliud exprimant,) quod possint condemnari ad pęnam, si fidem non servent; condemnatio autem supponit sententiam judicis. Quod si exprimant Contrahentes se velle obligari ante sententiam judicis, certe obligantur, cum pacta, & conventiones vim, & robur habeant a Contrahentium voluntate. Illud advertit Bonac. ex Navar., & Salon., quod non teneatur mutuatarius pęnam hanc solvere, nisi expresse, vel tacite petatur; quia si non petatur, cum facile possit peti, præsumere potest, quod mutuans velit illam condonare, & cedere juri suo.

XI. Quæritur octavo; An sit usura apponere pactum legis commissoriæ in pignoribus pro mutuo acceptis; ita scilicet, ut si mutuatarius non solvat debitum statuto tempore, pignus pro eo datum fiat mutuantis, & sic debitor incidat in commissum, seu amittat jus rei suæ propter culpam commissam?

Respondeo, per se loquendo esse usuram; quia accipitur aliquid ultra sortem: Quod si tale pactum apponatur in pęnam sub conditionibus §. superiore explicatis, non est illicitum. Immo ex Molin., Salon., Rebel. apud Bonac. punct. 8.,

nec committitur usura, si apponatur pactum in mutuo, ut nisi restituatur intra tale tempus, pignus vendatur justo pretio, aut maneat justo pretio venditum. Ratio est, quia hoc non fit in gravamen mutuatarii, sed ut mutuans seipsum reddat indemnem, sicuti cum apponitur pęna. Equidem tamen puto, quod cum se habeat tale pactum, sicut pactum, de solvenda pęna, easdem conditiones requirere debeat; aliter consultius esset emere, quod tradendum est in pignus cum pacto, quod ad arbitrium venditoris possit retrovendi intra illud tempus, quod esset terminus mutui; si enim vendatur, eo ipso transit in dominium emptoris, & illi perit, si casu pereat; secus vero si detur in pignus.

XII. Quæritur nono; An sit usura percipere fructus ex pignore dato mutuanti in securitatem, & illos non computare ad extinguendam sortem?

Respondeo affirmative; nisi fructus accipiantur ratione lucri cessantis, vel damni, vel periculi sortis, vel pœnæ conventionalis, vel expensarum, quę forte fiunt in conservando pignore. Ratio est, quia per pignorationem non transfertur dominium; res autem debet domino fructificare. Unde qui agrum sterilem, quem dominus non colebat, accepit in pignus, & inde sua diligentia fructus percipit, tenetur illos deductis expensis in sortem referre; Quod si pignus justo pretio emerit cum pacto de retrovendendo, poterit fructus accipere, quin referat in sortem; quia per emptionem pignus factum est emptoris, qui sicut subit illius rei periculum, si forte pereat, ita ejus fructus percipit.

In duobus tamen casibus accipiens pignus non tenetur fructus in sortem computare: Primo, si dominus directus accipiat in pignus a suo debitore rem sibi feudalem, ex Cap. 1. *De feudis*; quia scilicet cum tali onere venditur feudum; Et idem dicas si emphyteuta det pignori domino directo rem emphyteuticam. Secundo, si detur marito pignus fructiferum, donec solvatur dos, ex Cap. *Salubriter*, *De usuris*; conceduntur enim tales fructus ad levanda onera matrimonii, & ad alendam uxorem.

XIII. Quæritur decimo; An excusentur ab usura Montes, qui recepto pignore, accipiunt v. g., sex pro singulis centenariis ab iis, quibus pecuniam mutuant? Et an excusentur ab usura, qui ponunt pecuniam in iis Montibus, accipiendo quatuor pro singulis centenariis?

Respondeo, fuse hac de re nos disceptasse in quarto ex Opusculis Theologico-Moralibus. Breviter hic dicimus, certum esse, Montes pietatis declarari a Leon. X. in Concil. Lateran. sess. 10., quod nullam speciem mali præseferant, si tantum absque ullo lucro accipiant, quod requiritur ad solvendas Ministrorum impensas, & ad rerum conservationem. Quare dubium non est, quod possint aliquid a mutuatario accipere ad sui indemnitatem, non vero ad ipsos Montes augendos. In dubium jure merito revocatur, An possint aliquid a Montibus pietatis accipere, qui pecuniam suam in iis reponunt, cum non omnibus cesset lucrum ullum, aut damnum emergat, nec supponatur haberi in his Montibus redditus sufficientes, ut census constituatur. Pelliz. in Man. reg. putat id licere ex eo præcise, quia summus Pontifex, utpote supremus Princeps, potest in bonum Communitatis bona unius alteri dare; & sic ut homines alliciantur ad deponendam pecuniam in his Montibus in bonum pauperum, liberaliter donat iis quatuor, verbi gratia, pro singulis centenariis; Hac itaque de causa a pauperibus exigunt Montes V. G. sex pro singulis centenariis, ut scilicet quatuor dent deponentibus pecuniam, & alia deserviant ad expensas necessarias.

Ex quo sequitur, quod liceat quidem privatę personæ Montem instituere, ut ex ea pecunia aliis mutuetur, exigendo tantum, quæ ad expensas necessarias requiruntur, non tamen exigendo id, quod requiritur, ut liberaliter donetur deponentibus in eo pecuniam, ut ad id alliciantur. Ratio est, quia solius Supremi Principis est posse in bonum Communitatis bona unius alteri erogare. Num autem possit ab his Montibus aliquid exigi ultra sortem, & ultra expensas necessarias, ut possit Mons augeri in subsidium pauperum? Expendimus fuse in Opusculo laudato, commendando praxim Montium frumentariorum, quos in singulis Oppidis summa cum laude erexit Eminentissimus Ursinus in sua Archidiœcesi Beneventana.

XIV. Quæritur undecimo: An qui bona fide celebravit contractum injustum, & usurarium, putans esse justum, possit retinere lucrum, quod acquisivisset, si celebrasset contractum justum, verbi gratia, societatis trium, vel Census, vel Cambii, &c., quem procul dubio celebrasset, si scivisset, contractum celebratum esse usurarium?

Respondeo, certum esse, quod si mala fide illum celebravit, non possit ullum lucrum retinere; nam non satis est, quod celebrasset Contractum justum lucrosum, ut possit actu lucrum percipere, ut communissime docent contra Verricel. tract. 4. quæst. moral. 2. n. 3. apud Tambur. cap. 8. §. 3.: Si tamen bona fide illum celebravit, Azor., Salon., Sylvest., & alii apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 47. propter eandem rationem putant, quod nec possit lucrum ullum retinere; Præsertim quia forte mutuatarius nollet in alium Contractum consentire. Sed oppositum probabiliter sentiunt Sa, Tanner., & alii apud

Dian.

Dian. part. 2. tract. 5. resol. 92., quia qui bona fide celebrat Contractum usurarium, putans illum esse justum, implicite vult justum titulum, & intendit lucrari eo modo, quo licite potest; videturque mutuatarius in id consentire implicite ad non fraudandum mutuantem lucro, quod licite posset acquirere. Idque præsertim est verum, si Mutuator dicat expresse se velle lucrari, v. gr., sex in singulos centenarios eo modo meliori, quo potest. Quam formulam solent Notarii addere Instrumentis, quia talis censetur esse mens contrahentis bona fide, quando res ipsis est obscura, & vident passim a timoratis similem Contractum celebrari.

XV. Rogabis, An obligetur ad restitutionem, qui mutuata alteri pecunia lucrum bona fide accipit, & deinde dubitat, an inierit Contractum licitum; vel dubitat, an habuerit intentionem absolutam saltem implicitam ineundi Contractum licitum, in quo dubio adhuc preseverat post diligentiam adhibitam?

Respondeo negative cum Medin., Valent., Bonac. punct. 11.; quia in dubio melior est conditio possidentis, præsertim in materia justitiæ.

ARTICULUS V.

Expediuntur, quæ spectant ad Usurarium.

I. Non acquirit Usurarius dominium rerum per usuram acceptarum, si extent in individuo. Quod si res istas vendiderit, jure positivo fit dominus pretii, quamvis Emptor non fiat dominus rerum illarum.

II. Si res per usuram acceptæ misceantur cum aliis rebus usurarii, hic fit dominus illarum: Mutuatarius tamen habet tunc actionem personalem adversus usurarium, & probabiliter habet jus in re relate ad illum cumulum.

III. Usurarius restituere debet res per usuram acceptas, earumque fructus naturales, ac mixtos, necnon lucrum cessans, ac damnum emergens, eo prorsus pacto, quo fur. Quid si Officium, aut Beneficium usurarie accepit?

IV. Tenentur pariter ad restitutionem, qui ad usuras cooperati sunt ex parte mutuantis, non tamen si id fecerint in bonum mutuatarii.

V. Usurarii manifesti vel ob notorietatem facti, vel ob sententiam judicis sex gravibus pœnis in jure mulctantur.

VI. Num punitio hujus delicti ad judicem etiam sæcularem spectet, an ad Ecclesiasticum dumtaxat?

VII. Licitum est petere mutuum ab usurario ob indigentiam. Num etiam id liceat, si pecunia petatur mutua ad negotiandum?

VIII. Num peccet mortaliter, qui petit ab Usurario mutuum, ut eo ad vana, & inutilia utatur?

IX. Si Usurarius sit habitualiter paratus ad dandum mutuum sub usuris, probabilius peccat mortaliter, qui illud petit ad usus vanos, aut malos. Si vero sit paratus actualiter probabiliter solum peccat venialiter; quia illud petit sine ulla causa honesta.

I. Quæritur primo: An usurarius acquirat dominium usurarum?

Respondeo, & dico primo cum communiori apud Molin. disp. 326., Less., Trull. disp. 17.; Si res usuraria extat in individuo, quin sit permixta cum aliis rebus usurarii, itaut discerni nequeat, tunc dominium non est translatum in usurarium; atque adeo fructus rei pertinent ad mutuatarium, qui est dominus, & illi res perit, si fortuito pereat, eodem modo prorsus, ac res furtiva. Ratio est, quia non satis est mera traditio rei ad transferendum dominium, nisi etiam habeatur titulus justus, sive si liberalis donatio, sive venditio, &c. ex leg. *Nunquam*, §. *De acquirendo rerum dominio*; atqui in casu nostro non habetur titulus justus; ergo dominium non transfertur. Verum tamen est, quod si usurarius vendat rem acquisitam per usuram, fit dominus pretii, quando emptor bona fide emit, etiamsi emptor non fiat dominus rei; idque verum est non quidem jure naturali, sed jure Cæsareo, ex leg. *Si in emptione*, ff. *De contrahenda emptione*.

II. Dico secundo: Si res usuraria sine voluntate mutuatarii misceatur cum aliis similibus rebus usurarii, itaut discerni nequeat, ut frumentum cum frumento, tunc rei illius transfertur dominium in usurarium, itaut mutuatario tantum competat actio in personam, non in rem, ex leg. *Si alicui*, ff. *De solutionibus*. Notat tamen Trull. lib. 7. cap. 11. dub. 3. ex Less. cap. 20. n. 157. valde probabile esse, & juri naturali conforme, quod mutuatarius habeat etiam jus in re relate ad talem cumulum, itaut ante alios illi debeat ex tali cumulo satisfieri; Immo potest ex illo sibi occulte accipere, quod suum est. Dixi, si sine voluntate mutuatarii misceatur, nam quando duo de communi consensu miscent rem aliquam, tunc uterque est æque dominus cumuli, ut notat Molin. disp. 326.

III. Quæritur secundo; Quid debeat usurarius restituere?

Respondeo, restituendam esse, Primo rem fœnebrem, seu acquisitam per usuram; Secundo, ejus fructus jam præceptos, etiamsi domino res illa non fructificasset, dummodo sint fructus rei, non industriæ; si enim cum pecunia fœnebri usurarius negotiatus esset, non tenetur lucrum restituere, ut communiter docent de fure, quia esset fructus meræ industriæ; fructus tamen naturales, & mixti restitui debent deductis

ctis expensis; quod etiam concedunt, qui docent dominium rei fœnebris transferri in usurarium, ut notat Trull. dub. 18.; Tertio, lucrum cessans, & damnum emergens; Quarto, si Contractus est usurarius præcise propter obligationem superadditam, non ex eo quod damnum ullum sequatur mutuatario, (verbi gratia, si mutuasti cum obligatione, ut ille frequentet tuum molendinum dando solitum pretium,) tunc ad restitutionem satis est, ut talis obligatio tollatur, nec debet quicquam restitui pro obligatione imposita; Quinto, qui mutuavit cum pacto, ut sibi conferatur officium, quod gratis conferri solet, debet officium resignare; quamvis non teneatur restituere fructus perceptos, si tali officio erat dignus, quia illi debentur ob justum stipendium laborum; si vero esset indignus, & cum damno vel Reipublicæ, vel particularium illud administravit, debet tale damnum compensare, nec tenetur quicquam mutuanti dare, si nullum illi damnum secutum est. Demum, qui mutuavit cum pacto, ut sibi Beneficium conferatur, debet tale Beneficium resignare, & fructus perceptos in pios usus erogare, nisi utatur Bulla compositionis.

IV. Tenentur autem ad restitutionem non solum usurarii, sed etiam qui ad usuram cooperantur ex parte mutuantis; non vero qui agunt partes mutuatarii. Sicut enim non peccat mutuatarius accipiendo mutuum ad usuram, ita nec qui ejus partes agunt. Quare tenentur ad restitutionem Judices, qui compellunt solvere usuras, vel nolunt audire mutuatarios volentes repetere usuras. Similiter qui illas consulunt, vel exigunt, aut aliter sunt causa efficax illarum, ut sunt testes, & Notarii concurrentes ad instrumentum usurarium, & proxenetæ, qui quærunt mutuatarios egentes, ut ad usurarios adducant, si ad instantiam mutuantis id agant proxenetæ; Secus vero si ad instantiam Mutuatarii, aut si se teneant ex parte mutuantis, & non sint causa efficax usurarum; ut sunt, qui notant rationes dati, & expensi.

V. Quæritur tertio: Quænam sint usurariorum pœnæ?

Respondeo, usurarios, qui vel sunt manifesti proprio facto, dantes palam ad usuram, itaut nulla tergiversatione celari possint; vel sunt judicis sententia de hoc crimine condemnati, Primo, esse infames infamia juris, atque adeo irregulares, & Beneficii incapaces; Secundo, ad communionem altaris non esse admittendos; Tertio, nec ad Sacramentum Pœnitentiæ, donec satisfecerint, vel dederint cautionem sive pignoratitiam, sive fidejussoriam Creditoribus ipsis, si sint præsentes, vel Episcopo, aut Vicario, aut Parocho; coram testibus, vel Notario habenti mandatum Episcopi, ex Cap. *Quamquam*, *de Usuris in 6.*; Vel si id non possint, debent jurare, se non posse, sed facturos quod poterunt; Quarto, nec ad sepulturam Ecclesiasticam admittendi sunt, & illos sepelientes sunt excommunicati; Quinto, testamenta eorum sunt irrita; Sexto, Ecclesiastici tenentur a suis Terris usurarios alienigenas, (idest qui ibi nati non sunt,) intra tres menses expellere.

VI. Utrum autem punitio hujus delicti pertineat ad Judicem Ecclesiasticum dumtaxat, an etiam ad sæcularem? Aliqui putant contra Tuscum, & Clarum, judicem sæcularem posse inter sæculares de usura cognoscere, sive de jure, sive de facto.

VII. Quæritur ultimo; An liceat petere mutuum ab usurario parato?

Respondeo, probabiliter nunquam licere petere mutuum expresse sub usuris; quia sic peteretur aliquid intrinsece malum, quod non licet. Ita Vasq., & alii apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. contra Sanch., Valent., Molin., qui putant posse sic peti; quia sensus talis petitionis est conditionatus; & permissivus, videlicet, da mihi mutuum, & si aliter nolis dare, quam sub usuris, illas tibi promitto. Verum petere mutuum promittendo usuras, cum sit inducere proximum ad peccatum; non licet sine causa sufficienti, quia tenemus peccata proximi etiam impedire, quoties commode possumus: Quare si petamus mutuum ob indigentiam, non peccamus permittendo peccatum usurarii; Si vero petamus non propter indigentiam, sed propter utilitatem, videlicet ad negotiandum, ut lucremur, putant communiter contra Rebell., quod nec peccemus, quia habemus justam causam permittendi peccatum usurarii.

VIII. Difficultas est, Utrum mortaliter peccet, qui petit mutuum ab usurario ad vana, & inutilia, puta ad epulas superfluas, ad ludos otiosos? Sanch. lib. 3. Sum. cap. 8. num. 23. apud Bonac. putat, quod peccet venialiter ob finem venialiter malum; quia peccatum usurarii non est imputandum petenti mutuum, sed malitię mutuantis: Sicuti si fœmina domo egrediatur sciens se ab adolescente impudico concupiscendam, probabiliter juxta plurium sententiam apud Dian. p. 3. tr. 7. resol. 31. venialiter tantum peccat. Verum Suar., Molin., Valent., Rebell., & Bonac. punct. 13. putant peccare mortaliter, etiamsi usurarius sit paratus, (quod tamen negat Sal. de Usuris disp. 48.) Ratio est, quia sine causa non possumus cooperari in mortale peccatum proximi; sed tenemur illud vitare ex charitate; qui autem petit mutuum non ob necessitatem, vel utilitatem, sed ob vana, & inutilia, nullam videtur habere causam cooperandi peccato usurarii; ergo mortaliter peccat.

IX. De-

IX. Demum Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. apud Tambur. lib. 5. cap. 2. ex Petro Hurtad. docet probabile esse, sine scrupulo peccati mortalis peti posse absque ulla causa honesta mutuum ab usurario parato: Sicut etiam peti posse Sacramenta a parato ministrare illa sub mortali; & suppeditari cibos parato frangere jejunium; quia usurarius non cadit in peccatum occasione alterius, sed ex insigni, & depravatissima malitia sua. Ita etiam Armill., Sot., Tolet, Cajet., Sa apud Sal., qui sic distinguit; Vel usurarius est habitualiter, vel solum actualiter paratus dare sub usuris; Si actualiter, putat, quod peccet venialiter propter scandala, quatenus petit mutuum sine causa honesta, etiamsi illud petat ob finem mortaliter malum, puta ad fornicandum. Ratio est quia quando ille est paratus actualiter dare sub usuris, quamvis physice repetat actum peccaminosum, moraliter tamen non repetit, sed in eodem actu manet, ipsumque continuat, & solum opere externo consummat; hoc autem videtur esse modicum damnum spirituale; & ideo qui est occasio illius, petendo sine causa honesta mutuum, prebet occasionem modici damni spiritualis, unde venialiter peccat: Si vero ille non esset actualiter, sed habitualiter paratus dare sub usuris, probabiliorem putat sententiam, quod peccet mortaliter, quam quod solum venialiter, si sine fine honesto petat mutuum.

QUÆSTIO IV.

De Censibus, seu Redditibus annuis.

NOmen Census sumitur a censendo, seu æstimando, nam pro æstimatione bonorum unjuscujusque solvi debebant Principi tributa; Unde factum est, ut Census sumatur pro ipso tributo, seu pensione, quo pacto sumitur Matth. 22., quando dicitur: *Licet Censum dare Cæsari, an non?* Sed in casu nostro sumitur Census pro jure ad annuos redditus ex re alterius percipiendos: Et de hoc quærendum Primo, Quid, & Quotuplex sit? Secundo, Quænam conditiones requirantur jure naturæ, ne Census sit usurarius? Tertio, Quænam conditiones requirantur jure positivo Canonico? Expediuntur demum, quæ supersunt de Censibus discutienda.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Census?

I. Definitur Census, quod sit jus exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius. Nomine autem rei venit hic etiam Persona, quæ possit lucrari.

II. Ratione modi dividitur Census in Reservativum, & Consignatitium. Per illum transfertur res, reservato jure ad pensiones. Per istum retinetur res sua, & consignatur alteri jus ad pensiones.

III. Ratione rerum Consignatitius subdividitur in Realem, Personalem, & Mixtum. Quamvis singuli ex his Censibus jure naturæ sint liciti, servatis debitis conditionibus; at spectata Bulla Piana solum licitus est Census Consignatitius Realis fundatus in sola re immobili.

IV. Dividitur etiam Census in Fructuarium, & Pecuniarium: Ille importat jus ad fructus, hic ad pecuniam.

V. Ratione durationis dividitur etiam in Temporalem, Vitalitium, & Perpetuum. Rursus in Redimibilem, & Irredimibilem, hic tamen a Pio V. prohibetur. Juxta conditiones Bullæ Pianæ celebrandus est Census, ubi ea Bulla sit recepta; secus juxta consuetudinem receptam regionis.

VI. Census personalis probabilius non est usurarius, si debitæ conditiones serventur.

I. QUæritur primo: Quid sit Census? Respondeo, esse *Jus exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius*. Unde Census non est ipsa annua pensio, nec res Censui subjecta, nec ipse Contractus, quo tale jus acquiritur, sed est ipsum jus, quod est in acquirente illud, qui dicitur Censualista, vel Censitor; cui juri correspondet obligatio solvendi dictam pensionem in altero, qui dicitur Censuarius: Quamvis autem jus ad annuam pensionem possit haberi ex aliis contractibus, puta ex donatione, locatione, commutatione, emptione, &c. dicitur tamen Census, si tale jus ematur, & fundetur in re fructifera alterius; Nomine autem rei comprehenditur etiam persona, & nomine rei fructiferæ intelligitur quælibet res utilis, ut ager, pecunia, persona potens lucrari, aut sperans bona, aut potens vendi, & in servitutem trahi, &c.

II. Quæritur secundo: Quotupliciter Census dividatur?

Respondeo dividi primo ratione modi in Reservativum, & Consignatitium. Reservativus dicitur quando quis transfert in alterum rem suam donando, vel vendendo illam, reservato sibi jure ad annuam pensionem super eadem re. Consignatitius vero dicitur, quando quis super bonis

bonis suis, quæ sibi retinet, consignat, seu dat alteri jus ad annuam pensionem: Quare hoc jus consignatum dicitur Census consignatitius, sicut jus servatum dicitur Census reservativus.

III. Subdividitur Census consignatitius ratione rei, super qua fundatur, in Realem, Personalem, & mixtum. Realis est quando fundatur super re condistincta a persona, ver. g. super vinea, qua pereunte ipse Census perit. Personalis fundatur super sola persona fructifera, seu quæ habet, vel sperat bona, vel potest ex suo labore aliquid acquirere; itaut ad ejus mortem pereat census, nisi huic contractui censualitio personali supperaddatur in securitatem solutionis alia res tanquam hypotheca, ad hoc ut ex ea percipiatur annua pensio, quando non potest percipi a persona, sive quia redditur impotens, sive quia moritur, prout conventum fuerit; Quamvis hæc hypotheca superaddita, cum sit nova obligatio, compensanda sit pretio suo. Demum dicitur Mixtus, qui fundatur immediate super re, simul, & persona, itaut quamvis res pereat, non pereat Census, sed persona debeat illum solvere vel ex aliis bonis suis, vel ex ipsa persona sua, quæ potest aliquid suo labore acquirere, prout etiam fuerit conventum. Triplex hic Census consignatitius jure naturæ licitus est, concurrentibus debitis conditionibus; quamvis ex Bulla Pii V. solum permittatur Census realis, & quidem fundatus in sola re immobili, ut dicam.

IV. Secundo dividitur census in Fructuarium, & Pecuniarium: ille est jus ad fructus, puta ad vinum, oleum, &c., hic est jus ad pecuniam.

V. Tertio dividitur ratione durationis in Temporalem, puta ad decennium; Vitalitium, qui scilicet durat tempore vitæ unius, vel plurium; & Perpetuum; Et hic subdividitur in Redimibilem, qui fit cum pacto de reemendo, itaut possit censuarius quando libuerit, restituere pretium acceptum a Censualista, & extinguere censum; & Irredimibilem, cui scilicet nullum pactum redemptionis adjicitur; & hic etiam a Pio V. prohibetur. Quare ubi recepta est Bulla ista Piana, celebrandus est juxta conditiones Bullæ: vel si Bulla recepta est juxta aliquas tantum conditiones, juxta illas celebrandus est; ubi vero ea Bulla non est recepta, celebrandus est juxta consuetudinem locorum, dummodo talis consuetudo jure naturali, aut Divino non repugnet.

VI. Dubitatur, An census personalis sit usurarius? Affirmant Navar., Lopez, Molin. disp. 387., & alii apud Pal. punct. 11. Sed communissime negant, quia quamvis videatur esse mutuum palliatum, inquantum intenditur lucrum ultra sortem, tamen revera habet rationem contractus venditionis, & emptionis juris ad annuas pensiones. Quod probatur primo, quia sicut olim Ecclesiæ debebantur decimæ personales, ex labore scilicet, aut ex negotiatione personæ provenientes, ita possunt pensiones personales deberi ratione emptionis. Secundo, si potest emi jus ad pensiones annuas super re frugifera, quidni etiam super persona frugifera, & industriosa? Quod si ad securitatem exigatur hypotheca, certo pretio majori tale jus emi deberet.

ARTICULUS II.

De conditionibus jure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius.

I. Jure naturali requiritur ad contractum census quod pretium sit justum spectatis spectandis; quod sit super re fructifera; & quod fundetur in re propria non habente jus impeditum.

II. Census perpetuo irredimibilis jure naturæ non est illicitus, dummodo majori pretio ematur.

III. Potest censuarius obligari, ne vendat alteri rem censui subjectam, dummodo tale onus compensetur.

IV. Tributum, quod ex fundo debetur Principi, solvendum est a Censuario; at expensæ pro scriptura census solvendæ sunt a censitore.

V. Potest pariter jure naturę fieri census, cum pacto quod pereunte hypotheca speciali, succedat alius fundus, aut ipsa persona censuarii, compensato tamen hoc onere.

VI. Si tota domus, super qua fundatus est census, corruat, census extinctus est, quamvis ea reædificetur; secus vero si corruat per partes.

VII. Usu receptum est, quod censuarius assecuret censitorem, non quidem pro casibus fortuitis, sed, ut si forte res Censui subjecta deprehendatur esse alterius, tunc altera succedat; Sicut etiam si fuerit Censuarius in mora ad solvendum, aut reddatur impotens.

VIII. Num possit in censu apponi pęna legis commissoriæ, sicut apponitur in Emphyteusi?

IX. Quomodo possit esse justus, & ex natura rei licitus census redimibilis ex parte emptoris? Si Census sit utrinque redimibilis, majus est onus compensandum in emptore, quam in venditore.

X. Census vitalitius personalis quonam pacto ex natura rei sit licitus? Num, & quanam via prohibeatur a Bulla Piana?

XI. Num sit licitus ex natura rei tam Census realis, quam personalis ex utraque parte redimibilis?

I. Certum est apud Doctores, Primo requiri ad valorem Census ex natura

rei in-

rei intentionem contrahentium, quod scilicet ematur, & vendatur tale jus. Secundo, requiri pretium justum, quod scilicet lege taxatum est, vel communi prudentium æstimatione, spectato periculo, & incommoditate exigendi pensiones, vel quod pereat res, super qua fundatur; spectato etiam incommodo, quod emens subire potest, si sibi restituatur pretium. Quare sicut quando res emitur cum pacto de reemendo ad arbitrium solius venditoris, potest res emi quarta parte minoris, quam valet, ut supra diximus ex Hurtad. & aliis; ita in Censu ratione talis tantum oneris in emente, quando ager valens centum fructificat quotannis quatuor, potest centum aureis emi jus ad quinque quotannis, seu potius octoginta aureis potest emi jus ad illa quatuor. Nec potest res censita ferre regulariter minores fructus, demptis expensis, quam sit pensio, potest tamen majores fructus reddere, ut ostendit consuetudo; possum enim emere decem tantum a fundo, qui reddit quindecim. Tertio requiritur jure naturæ, ut Census in re fructifera fundetur. Quarto debet fundari in re propria non habente jus impeditum, cum nemo possit alteri tradere jus, quod non habet, vel habet impeditum; Unde Maritus non potest subjicere censui dotem uxoris absque illius consensu, quia non est illius dominus; Nec uxor id potest, quia dotis dominium habet impeditum, cum ejus administratio spectet ad maritum. Quinto, ut si res censita pereat, vel fiat sterilis absque culpa censuarii, cesset census ad ratam: nam res domino perire debet. Demum, ut quodcumque novum onus venditori imponitur, debita mercede compensetur.

II. Quæritur nunc primo; An census perpetuo redimibilis sit jure naturæ illicitus?

Respondeo cum communi negative, dummodo majori pretio ematur, cum tollatur a censuario facultas redimendi suam obligationem. Quare sicut res, quæ valet centum cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris, potest emi quarta, vel tertia parte minoris, videlicet septuaginta quinque, & sine hoc pacto potest emi centum, quantum valet; ita census, qui quando est redimibilis ad arbitrium censuarii, emitur verbi gratia septuaginta quinque, si constituatur irredimibilis, debet emi centum, propter onus additum venditori, ut notat Bonac. num. 40.: Qui etiam advertit, quod quando censuarius vult redimere censum, debet id manifestare Censitori per duos menses antequam redimat, qua manifestatione facta, potest censitor intra annum duntaxat repetere pretium census a censuario, licet invito, cum ea sit juris dispositio.

III. Quæritur secundo: An possit censuario imponi onus, ne vendat rem censui subjectam?

Respondeo, posse id ex natura rei fieri, modo tale gravamen compensetur ad æqualitatem; censuarius enim, cum sit suæ rei dominus, non prohibetur ex vi census, ne suam rem alienet, itaut transferat alteri dominium simul cum obligatione solvendi ex illa annuas pensiones; Unde si obligatur ex pacto ad non alienandum, debet tale onus compensari; Non secus ac si obligaretur ad solvendum censitori laudemium, seu quinquagesimam, vel aliam partem rei, quoties voluerit illam alienare; Sicut obligatur solvere laudemium Emphyteuta domino proprietario in recognitionem dominii directi, quoties alteri vendit jus suum emphyteuticum, quod in re proprietarii habet, ut suo loco dicemus.

Notandum hic etiam, quod si censuarius vult aliis vendere rem, debet prius monere censualistam, an velit illam sibi eodem pretio emere, eumque aliis preferre debet; Quod si censuarius de hoc non admonet censualistam, potest hic ex Azor. annuam pensionem ab emptore exigere, vel rem emere sibi; par enim est, quod possit illam exigere ab emptore, cum quo nullum iniit contractum.

Quod si rem censuarius vendidit divisim pluribus, admonito censualista, dubium est apud Doctores, an hic exigere possit pensiones a singulis in solidum, an vero pro rata? Bonac. putat, quod pro rata, cum Rebel. & aliis; Navar. cum Molin. quod in solidum, quia æquitas non postulat, quod Censitor reportet incommodum exigendi censum a multis.

IV. Notandum etiam, quod onus solvendi tributum, quod ex fundo solvi consuevit Principi, spectet ad Censuarium, qui est dominus fundi; onus vero solvendi expensas pro scriptura census, & ejus expeditione pertineat ad censitorem; quia scriptura fit in commodum emptoris ad ostendenda, & comprobanda jura illius, & ideo apud ipsum remanet.

V. Quæritur tertio: An licitus sit census cum pacto, quod censuarius teneatur ad pensionem, etiam pereunte, vel reddita inutili re, super qua fundatus est?

Respondeo cum Sal. disp. 33. jure naturæ esse licitum hoc pacto, ut fiant quasi duo Contractus, alter census, alter assecurationis; itaut pereunte re, obligatio ad annuas pensiones remaneat in aliis bonis; immo etiam in ipsa persona, unde census realis evadat personalis. Ratio est, quia sicut potest census imponi cum pacto, quod pereunte una re succedat alia res, ita potest etiam succedere persona: Requiritur tamen Primo, ut persona sit fructifera, itaut aliquid sua industria lucrari possit: Secundo, ut talis obligatio justo pretio compensetur.

VI. Advertendum etiam, quod si res pereat culpa Censuarii, hic tenetur ad restitutionem,

nem, ut patet; Si vero ſine ſua culpa corruat, verbi gratia, domus, ſuper qua fundatus eſt cenſus: Vel corruit tota, & extinctus eſt cenſus, non facta aſſecuratione dicta; quamvis ex eadem materia reædificetur altera domus, quia non eſt amplius eadem: Vel corruit domus per partes, & partes reædificatur, & quia perſeverat eadem mortaliter, debetur penſio ex illa.

VII. Quæritur quarto; An poſſit cenſitor petere fidejuſſionem, ſeu aſſecurationem cenſus empti, itaut ſi res vendita ſit aliena, vel alteri cenſui ſit ſubjecta, res poſterius ſuppoſita cedat in locum prioris; & ſi venditor cenſus ſit hic & nunc impotens, vel in mora ad ſolvendum, poſſit emptor ad alia bona ſe convertere?

Reſpondeo affirmative, quia hoc ſpectat ad ſervandum emptorem indemnem, & uſu receptum eſt, ut notat Rebel. & Salon. quod hujuſmodi fidejuſſio fiat non aucto pretio, quamvis pactum fidejubendi ſit pretio æſtimabile. Ratio eſt, quia cenſitor habet jus conſulendi ſuæ indemnitati per fidejuſſores; Nec eſt eadem ratio obligare cenſuarium ad caſus fortuitos, ita ut re pereunte, vel facta infrugifera, teneatur ad penſiones; hæc enim eſt quædam obligatio, ad quam nullum jus habet cenſitor.

VIII. Quæritur quinto: Utrum poſſit cenſui addi pactum legis commiſſoriæ, ſeu quod ſi cenſuarius penſionem non ſolvat per biennium, vel triennium, incidat in commiſſum, ſeu rem cenſui ſubjectam amittat in pœnam negligentiæ?

Reſpondeo negative, nam ut ſupra diximus, pœna debet eſſe proportionata culpæ; in hoc autem caſu etiamſi cenſuarius non ſolveret penſionem culpabiliter, adhuc pœna hæc eſſet exceſſiva; ergo non licet, ut advertunt Trullenc. dub. 7. & Bonac. num. 38.: Eſto in emphyteuſi verum ſit, quod ſi per biennium non ſolvatur culpabiliter penſio, amittatur res emphyteutica Eccleſiaſtica; & laica amittatur, ſi per triennium non ſolvatur penſio, ut notat Hurtad. diff. 13. Et quidem probabilius ante ſententiam judicis; idque ratione conventionis talis contractus. Nihilominus ex natura rei, & ſecluſa lege poſitiva poteſt fieri pactum de ſolvenda aliqua pœna proportionata, ſi culpabiliter penſiones non ſolvantur; ſicut etiam de ſolvendo damno emergente: Immo tale onus amittendi rem cenſui ſubjectam, ſi non ſolvantur penſiones, poteſt etiam ex natura rei apponi, dummodo juſto pretio compenſetur, ex Hurt. diff. 7. Quare univerſim, ut contractus cenſus ſit licitus ex natura rei, nihil aliud requiritur, quam æqualitas inter cenſum, & pretium; & quod ſi in contractu cenſus ſuperaddatur novum onus emptori, illud compenſetur diminutione pretii; ſi vero imponatur venditori, compenſetur augmento pretii.

IX. Unde ſequitur, verum eſſe, quod docet Leſſ. Laym. Molin. contra Sot. Rebel. apud Hurtadum, videlicet licitum eſſe, & non uſurarium ex natura rei Cenſum redimibilem etiam ex parte emptoris; itaut poſſit emptor etiam nolente venditore cedere illi jus ad penſiones, & repetere pretium ſuum; dummodo pretio majori ematur ad compenſandum tale onus venditoris, quod eſt extra naturam Cenſus: Sicut etiam quando Cenſus ex parte ſolius venditoris eſt redimibilis, (ut debet eſſe ex Bulla Pii V.) compenſari ſolet tale onus emendo pretio minori: Quod ſi ex parte utriuſque eſt redimibilis, pretio medio emendum eſt; Advertendo tamen, quod in hoc caſu majus eſt onus venditoris, quod non ſemper habet paratum pretium ad illud reſtituendum, quam emptoris, quippe qui ſemper poteſt jus ad penſiones cedere; unde tale onus pretio majori compenſandum eſt. Si demum ſit ex utraque parte irredimibilis, onus videtur eſſe majus in emtore, quam in venditore; quia emptor patitur difficultates in exigendis penſionibus, præſertim ſi vendatur alicui Magnati res ſubjecta Cenſui, quam ipſe nolit emere; quæ difficultas non habetur ex parte venditoris, quippe qui ex pretio cenſus, quod ſibi reſtituatur, poterit aliquod prætium emere.

X. Quæritur ſexto: An Cenſus perſonalis vitalitius ſit validus jure naturæ?

Reſpondeo cum Bonac. num. 17. eſſe licitum concurrente juſto pretio; ita ſcilicet ut Cenſuarius vel ad vitam ſuam tantum, vel ad vitam alterius teneatur ſolvere penſiones, & non amplius: Ad eum modum, quo poteſt ſtabiliri in Cenſu, quod penſiones ſolvantur ad determinatum tempus, puta ad decennium, vendendo Cenſum, ſeu jus ad penſiones minoris, quam ſi eſſet perpetuus, ſeu augendo jus ad penſiones; nam ſi emitur centum, verbi gratia, jus ad decem quotannis in perpetuum, jus ad decem quotannis per decennium tantum deberet, verbi gratia, emi ſexaginta, itaut pro centum ematur jus ad ſexdecim quotannis. Quare eadem ratione poteſt ſtabiliri Cenſus vitalitius, taxando pretium, perinde ac ſi Cenſuarius in vita deberet perdurare dimidium temporis, quo poteſt moraliter ejus vita perdurare: Verbi gratia, ſi debeat ſtabiliri Cenſus ſuper perſona habente quadraginta annos, & hic probabiliter uſque ad ſexaginta annos poſſit vivere, debet dividi hoc tempus viginti annorum, & ita ſtabiliri Cenſus, perinde, ac ſi deberet perſeverare onus ſolvendi penſiones per decennium tantum: Hoc pacto uterque expo-

nitur

nitur æque lucro, & damno; atque adeo si quando Census est perpetuus, potest pro centum emi jus ad decem, ad hanc proportionem instituendus erit Census vitalitius; & ideo habens quadraginta annos, probabiliter victurus usque ad sexaginta, si velit constituere Censum personalem vitalitium, potest pro centum emere jus ad sexdecim, quoad vixerit juxta opinionem Molin. apud Bonac.

Nec placet opinio aliorum apud eundem, qui putant cum Covar. universim posse stabiliri Censum ad rationem unius pro sex, & cum Garz. ad rationem unius pro septem, & cum aliis ad rationem unius pro decem; quia debet examinari, num vita talis hominis sit probabiliter multum, an parum perduratura, & major debet esse pensio, quo brevius est perduratura.

Notat hic Hurtad. diff. 8. ex Filliuc. etiam post Bullam Pii V. prohibentis Censum personalem, posse hujusmodi Contractum vitalitium celebrari, itaut non habeat rationem Census, sed sit Contractus innominatus, quo persona pro pecunia sibi data obligetur ad aliquam summam quotannis pro sua vita, non tanquam ad pensionem ex persona fructifera, sed tanquam ad partem solutionis summæ acceptæ, attento periculo solvendi plusquam accepit, vel minus, ob incertitudinem vitæ personæ assignatæ; Ut si persona, quæ potest vivere probabiliter viginti alios annos, det alii centum cum onere, quod solvat decem, vel duodecim, (idque ratione lucri cessantis) quoad vixerit, immo posset etiam quatuordecim, verbi gratia, vel quindecim, si pariter etiam ineat Contractum trium cum mercatore.

XI. Quæritur septimo: An licitus sit Census utraque ex parte redimibilis?

Respondeo, multos cum Sot. Navar. negare apud Dicastil. & Trull. quia videtur habere rationem mutui. Alii tamen concedunt cum Less. Valent. Molin. disp. 377. apud Sal. dub. 25. quia pereunte re censita perit jus ad pensiones, & ad repetendum debitum; quod non haberetur, si esset mutuum. Quare Census realis utrinque redimibilis videtur esse similis Contractui, qui dicitur *Godere a Godere*; quando scilicet, ut diximus quæst. 3. art. 2. num. 12. fit emptio, verbi gratia, domus, cum pacto retrovenditionis, & deinde eadem domus locatur eidem venditori; Si vero Census hic utrinque redimibilis sit personalis, est pariter licitus, sed non consulendus propter periculum usuræ; non est tamen revera usurarius, quia pereunte persona non potest pretium suum Censitor ab heredibus repetere, sicut posset, si esset mutuum, ut ostendimus quæst. 3. de Usura art. 4. num. 7.

ARTICULUS III.

De Conditionibus jure positivo requisitis ad Contractum Census.

I. *Olim Martinus V. & Calixtus III. plura requirebant circa Contractum Census, prout in Germania solebat institui.*

II. *Nicolaus V. approbavit hunc Contractum, prout in Regno Neapolitano, & Siciliæ celebratur, sub quatuor præsertim conditionibus.*

III. *At Pius V. in celebri sua Bulla decrevit usurarium esse talem Contractum, si deessent decem conditiones. Et communius docent etiam in foro conscientiæ esse invalidum, & usurarium deficientibus his conditionibus, ubi Bulla est recepta.*

IV. *Debet primo constitui Census super re fructifera, & certis finibus designata, qua pereunte Census extinguatur; quamvis alia bona soleant tanquam hypotheca generalis addi solum ad securitatem solutionis.*

V. *Debet secundo pretium Census solvi pecunia numerata coram Notario, & Testibus. Quid si in pretio detur læsio, num debeat diminui pensio, an debeat pretium augeri?*

VI. *Debent tertio pensiones in pactum deduci, quæ aut in fine anni, aut singulis semestribus solvantur; Et in loco ubi fuerit conventum, dummodo non addatur novum onus Censuario.*

VII. *Debet quarto deobligari Censuarius a casibus fortuitis, nec obligari, ut reddita infructifera aut totaliter aut partialiter hypotheca speciali, alia substituatur. Quid si talis hypotheca specialis nonnullis duntaxat annis fructum non ferat?*

VIII. *Debet quinto non posse impediri Censuarius, quominus alteri vendat rem Censui subjectam? Nec si vendat, debeat laudemium solvere.*

IX. *Debet sexto Censuarius, si velit rem censitam vendere, monere Censitorem, & per mensem illum expectare, ut deliberet, si velit aliis præferri.*

X. *Debet septimo excludi pactum, quo Censuarius non solvens præfixo tempore pensiones obligetur ad interesse. At expensæ necessariæ ad exigendas pensiones a debitore culpabiliter moroso exigi poterunt; Sicut etiam probabiliter lucrum cessans intrinsecum, quamvis non extrinsecum.*

XI. *Debet octavo ex pensionibus non solutis non posse novus Census fundari, aut idem augeri.*

XII. *Debet nono Census esse redimibilis, dummodo antea per bimestre denuncietur Censitori, quod Census redimendus sit. Putant nonnulli,*

nulli, Censu irredimibiles non vetari, si majori pretio emantur. Census redimibilis emi poterit tertia, vel quarta parte minoris, quam valeat. Non vetatur in Bulla pactum, quod Census non possit per partes redimi.

XIII. Debet denique pretium ab initio statutum Censui non posse a Censitore vendi minori pretio, nisi forte census evaserit illiquidus, aut non facile exigibilis.

XIV. Universim pretium Census justum desumendum est ex praxi timoratorum cujuscumque regionis.

I. TRes extant Bullæ circa Contractum Census. Prima est Martini V. pro Germania approbata a Calixto III. in qua decernit Pontifex, Primo, quod Census constituatur super certa re, quæ sola maneat obligata ad pensiones; Secundo, quod solvatur pretium Census pecunia numerata; Tertio, quod possit libere venditor redimere Censum etiam per partes; Quarto, quod re illa casu pereunte pereat Census; Quinto, quod pensiones solvendæ non superent fructus rei Censui subjectæ. Notat tamen Hurtad. cum Less. Molin. Sot. contra Lopez, & Mirand. quod dicti Pontifices in ista Bulla nihil prohibeant, aut præcipiant, sed solum approbent Censum sic institutum in Germania.

II. Secunda Bulla est Nicolai V. quæ ex Hurtad. eodem modo approbat Censum institui solitum in Regno Neapolitano, & Siciliæ cum iis quatuor conditionibus; Primo, quod Census instituatur super re certa specialiter, & generaliter super omnibus bonis; Secundo, quod apponatur pactum de retrovendendo eodem pretio; Tertio, quod non fiat ultra decem pro centum; Quarto, quod pro securitate possint apponi pacta, & pœnæ.

III. Tertia Bulla est Pii V. quæ habetur apud Molin. disp. 389. statuentis plures conditiones in Censu, itaut sine illis celebratus habendus sit usurarius in iis Provinciis, ubi ea Bulla est recepta. Aliqui tamen cum Dian. part. 1. tract. 8. resol. 44. Sal. Navar. Less. Azor. Molin. Tambur. hic putant, solum in foro exteriori reputandos esse usurarios, si non desint ea, quæ jure naturali requiruntur, quia ex præsumptione fraudum eas conditiones Pontifex apposuit; Unde cessantibus omnibus fraudibus, & dolis, cessat obligatio in conscientia talis legis. Sed communius Hurtad. diff. 8. Trull. dub. 3. Faustus, Salon. Bonac. num. 43. & alii apud eundem Dian. loc. cit. putant, etiam in foro conscientiæ talem Contractum sine iis conditionibus celebratum esse invalidum, & fœneratitium; unde pensiones computandæ sint in extinctionem sortis principalis. Et ratio est, quia quamvis non sit injustus, & usurarius ex natura rei, est tamen talis ex jure positivo illum prohibente ob periculum usuræ, & injustitiæ. Præterquamquod omnis Contractus celebratus sine forma substantiali a jure requisita invalidus est, & in foro conscientiæ non obligat; ut communius Doctores docent: Conditiones a Pio V. requisitæ sunt hujusmodi.

IV. Prima est, ut constituatur Census super re immobili fructifera ex natura sua, & certis finibus designata. Unde excluduntur Census personales, etiamsi cum hypotheca celebrentur, (quicquid in contrarium dicant Navar. & Lopez apud Hurtad. putantes loqui Pontificem tantum de Censu reali, quod scilicet debeat super re immobili fundari, & præscindere a Censu personali.) Notandum tamen, reputari rem immobilem non solum agrum, domum, &c. sed etiam vectigalia, & officia perpetua, & Census perpetuos irredimibiles, immo etiam redimibiles, ex Hurtad. Bonac. Rebel. contra Molin. & Azor. disp. 189. Notandum etiam, quod quamvis res immobilis debeat esse nominatim designata, ut excludantur Census instituti super omnibus bonis, hoc tamen non tollit, quominus præter rem, aut res nominatim designatas, possint etiam addi omnia alia bona tanquam hypotheca ad securitatem solutionis pensionis. Quamquam pensio non duret, nisi quousque durat hypotheca specialis, seu res, super qua nominatim est imposita.

V. Secunda conditio est, quod Census ematur pecunia numerata, præsentibus Testibus, & Notario: Unde si pars tantum pretii solvatur numerata pecunia tempore Contractus, pars tantum pensionis correspondens debetur.

Dubium est, Num qui læsus est in pretio justo Census, verbi gratia accipiendo quinquaginta pro Censu valente centum, teneatur solvere tantum partem pensionis, verbi gratia quinque, an vero integram pensionem, puta decem, ita tamen ut Censitor teneatur supplere, seu restituere defectum pretii, & omne lucrum cessans, & damnum emergens Censuario ex defectu justi pretii?

Respondeo, Molin. & Sal. putare, quod teneatur tantum ad partem; Less. vero, Bonac. num. 22. & alii putant, quod possit Censualista integram pensionem percipere; quia non læsit Censuarium in pensionibus, sed in pretio Census, atque adeo solum tenetur hoc ad æqualitatem reducere; sicut qui emit agrum pretio diminuto, fit dominus totius agri, quamvis teneatur pretium ad æqualitatem reducere. Neque dicas; ita se habet totum ad totum, uti pars ad partem, ex leg. *Quæ de toto*, &c. Nam hæc lex intelligenda est, quando pars tantum pretii, de quo fuerat conventum inter contrahentes, fuerit diminuta, non vero quando pretium conventum fuit diminutum.

VI. Ter-

VI. Tertia conditio, quod pensiones in pactum deducantur, & quod non obligetur Censuarius ad solvendas pensiones anticipato; non enim ad id tenetur ex natura Contractus: Quare debet pensiones solvere aut in fine anni, aut pro rata temporis, vel ut moris est, ex Sal. disp. 42., singulis semestribus.

Rogabis, Ubinam solvenda sit pensio?

Respondeo non posse obligari Censuarium, ut suis expensis solvat pensionem in domo Censitoris; cum id etiam sit onus extra naturam Contractus. Quare Censuarius tenetur pensionem solvere in loco, ubi fuerit conventum, modo conventio non fuerit onerosa, ut fuse Bonac. disp. 1. quæst. 5. de Restitutione.

VII. Quarta, ne obligetur Censuarius ad casus fortuitos, hoc est ne obligetur ad pensionem, si res Censui subjecta præter suam culpam evadat infructifera. Quamvis enim possit Censitor petere assecurationem, vel fidejussionem, itaut si una res Censui subjecta reperiatur aliena, succedat alia; non potest tamen petere, ut si una res evadat infructifera sine culpa Censuarii, succedat alia; nec potest petere, quod si evadit res infructifera, aut perit secundum partem, adhuc integra pensio solvatur.

Dubium tamen est, An iis annis, quibus res censita nullos fructus affert ex casu fortuito, adhuc teneatur Censuarius solvere integram pensionem: V. g., si domus, in qua Census est collocatus, propter pestem, aut bellum non possit habitari aliquo anno?

Respondeo, Molin. disp. 390. cum Less. putare, quod iis annis non debeatur pensio. Ratio est, quia Census realis est emptio juris ad recipiendam partem fructuum, quos res censita quotannis reddit: ergo pereuntibus aliquo anno fructibus vel totaliter, vel partialiter, perit eo anno pensio vel totaliter, vel partialiter. Sed communius censent cum Bonac. n. 27., Rebel., Navar., quod debeatur pensio, nisi res censita multis annis sit infructifera; quia ea est communis praxis; & quia Census non est jus ad ipsos numero fructus; alioquin semper pensio deberet esse ejusdem rationis cum fructibus illius anni, nec posset Censuarius vendere fructus invito Censitore; sed est jus ad pensionem ex fructibus, quos solet res censita producere. Quod si culpa Censuarii pereat res, aut reddatur infrugifera, adhuc tenetur hic pensionem solvere, ut putant Bartol., & Medin.; Vel, ut putat Navar., Rebel., Sal., Less., tenetur Censuarius solvere pretium, & interesse lucri cessantis, & damni emergentis, cum non debeat pati damnum Censitor ex culpa Censuarii.

VIII. Quinta conditio, ut non privetur Censuarius facultate vendendi, aut donandi rem censitam; nec si vendat, teneatur solvere Censitori laudemium; quod alicubi est quinquagesima, alibi trigesima, & in aliis locis alia pars rei alienatæ.

IX. Debet tamen, (ut habetur in sexta conditione,) Censuarius volens vendere rem censitam monere Censitorem, num velit ipse illam emere eodem pretio, ut aliis præferatur, expectarique debet ejus deliberatio per mensem ex Bulla.

X. Septima, ut non fiat pactum, quo Censuarius existens in mora, seu non solvens pensionem constituto tempore teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, vel ad aliam pœnam, nec ad salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas. Ratio est, quia vult Pontifex tollere occasionem damni, & injuriæ, qua opprimuntur Censuarii non potentes solvere. Verum, ut notat Molin. disp. 390., & Hurtad., non prohibet Pontifex exigere expensas rationabiles, & moderatas factas ob moram debitoris culpabilem a creditore ad recuperandam pensionem; quia hoc debetur jure naturæ, sed solum vetat exigere quicquam aliud virtute pacti superadditi: Nec vetat exigere interesse lucri cessantis intrinseci; ut si pensio solvenda esset in tritico, tempore, quo valebat duos aureos, & erat tunc vendendum a creditore, deinde solvatur tempore, quo valet unum aureum: Etenim hoc interesse lucri cessantis intrinseci ex natura rei debetur; solum vetat exigere interesse lucri cessantis extrinseci, ut si mercator pensionem illam negotiaturus esset.

XI. Octava conditio, quod ex pensionibus non solutis, aut non solvendis non augeatur Census, nec novus creetur: Quamvis non prohibeat Pontifex, quod ex pensionibus jam solutis possit numerata pecunia novus Census creari, aut idem augeri.

XII. Nona, quod nunquam possit Censitor repetere pretium, sed semper liberum sit Censuario Censum redimere, restituto pretio: Quamvis debeat id Censitori antea per bimestre denunciare, qua denunciatione facta potest Censitor intra annum compellere Censuarium ad pretium solvendum, redimendumque Censum. Navar. tamen, Valent., Less., & alii apud Bonac. contra Rebel., & Sal. putant non prohiberi Census irredimibiles, dummodo majori pretio emantur; alioquin damnandi essent innumeri Prælati Ecclesiastici, qui percipiunt Census perpetuos, in quibus constituti, & fundati sunt tituli Beneficiorum; ut notat Bonac. Qui addit, Census redimibiles emi posse quanti res valet, detracta tertia, vel quarta parte, ob gravamen redimendi in gravamen venditoris appositum; V. g., si res censita valeat centum quinquaginta, & reddat quotannis septem, vel octo aureos, potest creari super illa Census redimibilis centum aureorum, vel centum & decem;

Si

Si tamen Censu esset irredimibilis, debet res censita emi, quanti valet, videlicet centum quinquaginta; aliquando tamen minoris, v. g. centum quadraginta, quia revera plus est habere plenum rei dominium, quam habere solum jus percipiendi certam pensionem, quam res illa reddit. Notatque pariter hic Bonac. ex Molin., Sal., Reginald., & aliis contra Navar., posse ex vi Bullæ in Censu apponi pactum, quod non redimetur per partes; alioquin emptor damnum pateretur recipiendo pretium per partes, immo majus damnum pateretur, quam Censuarius ob gravamen suum.

XIII. Decima, quod pretium semel Censui constitutum non possit minui, vel augeri ob varias temporum, aut contrahentium qualitates; Sed reddendum est emptori æquale pretium illi, quo ab initio fuit emptus. Non videtur tamen negandum, quod Census, qui non est liquidus, nec potest absque laboribus exigi, possit pretio minori emi, ex Less., Molin., Bonac.; Solum enim prohibetur, quod Census emptus, v. g., centum aureis, deinde aliis vendatur alio pretio, idque ad vitandas oppressiones, quas Censuum emptores facere solent, emendo Census vili ab indigentibus pecunia, & illos revendendo majori pretio.

XIV. Pretium autem Census in Regno Castellæ statutum a Philippo II. anno 1563. apud Sal. dub. 12. est pro uno quatuordecim, atque adeo nonaginta octo pro septem singulis annis: In Regno utriusque Siciliæ statuit Nicolaus V., ne minoris ematur, quam decem pro uno, seu non pluris solvantur quam decem pro centum. Philippus tamen Secundus videns crevisse sic emptores, statuit pro Sicilia quinque pro centum. Pro Germania etiam Carolus V., & Clemens VIII. pro statu Ecclesiastico auxerunt pretium Census. Videndum tamen quid in unaquaque Regione statutum sit, quidque ferat praxis, & judicium prudentium, & timoratorum.

In Italia, ut habet Sal. dub. 22. ut plurimum septem emuntur pro centum, & nunc temporis minoris; In Gallia octo cum dimidio; Et undecim, & duodecim pro centum, ubi viget negotiatio; quia pecunia præsens ibi multum æstimatur, & Census minoris; unde hujus pretium vilescit.

ARTICULUS ULTIMUS.

Expediuntur, quæ supersunt de Censibus.

I. Pii V. Bulla non obligat, ubi non est recepta. Num in Regno Neapolitano recepta sit.

II. Præscriptio militat etiam in Censibus adversus jus, quod habet Censitor exigendi pensiones.

III. Immemorialis continuatio solvendi pensiones vim habet causæ, & tituli, ita ut debeant continuari.

IV. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda potius est esse censuaria.

V. Si dubitatur vero, num Census sit redimibilis, an irredimibilis, censendus redimibilis.

I. QUæritur primo: An Bulla Pii V. omnes obliget?

Respondeo illam non obligare, ubi non est recepta. Nam in Cap. *Si quando*, *De rescriptis*, dicitur; Quando mandata, aut literæ Apostolicæ ad aliquorum Prælatorum, vel Principum manus pervenerint, integrum esse, si aliqua incommoda judicentur continere, Pontifici indicare, ut sua revocatione, & moderatione providere dignetur; Si autem taceat, censetur revocare, quia petitioni annuere, & consentire videtur. Sal. autem dub. 6. docet, in Regno Neapolis citra, & ultra Pharum non esse receptam. Nec est recepta Matriti; Rex enim dixit in commitiis habitis Matriti anno 1583. non esse receptam hanc Bullam, sed instantias necessarias Pontifici factas esse: Sicut autem per desuetudinem leges non amplius obligant, ita per non acceptationem; quamvis peccet qui sine causa illas non acceptat; proscripta siquidem est ab Alex. VII. thesis 28., quæ habet: *Populus non peccat, si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam*. Verum quidem est, quod Pontifex possit omnes obligare lege sua, etiamsi ea non acceptetur; cum non a Communitate, ut Principes civiles, & Reges, sed a Christo Domino habeat vim condendi leges; Suavitas tamen Ecclesiæ postulat, ut nolit Pontifex populum obligare, quando legem ex justa causa non acceptat; Et hac de causa in Gallia non obligat Tridentinum quoad leges positivas ibi non acceptatas, quamvis non possit non obligare omnes quoad dogmata, quæ in eo continentur.

II. Quæritur secundo: An in Censibus præscribi possit contra jus, quod habet Censitor exigendi pensiones; ita ut si spatio; v. g., quadraginta annorum non sit soluta pensio bona fide, non amplius debeatur?

Respondeo cum Vega, & aliis apud Sal. dub. 45. affirmative. Ratio est, quia ex leg. *Omnes*, Cod. *de Præscriptione triginta, vel quadraginta annorum*, habetur, quod omne jus sive publicum, sive privatum præscriptione extinguitur quadraginta annorum spatio, & intervallo; quod etiam in reditibus annuis procedit, ex leg. *Eos*, Cod. *de Usuris*.

III. Eodem modo solutiones factæ a tempore immemoriali, quamvis nullam causam contineant, jure præscriptionis inducunt obligationem, ut in posterum fiant; quia illa immemorialis continuatio vim habet causæ, & tituli ex Covar.:

var.: Si vero sint factæ per tempus non immemoriale, non valent ad inducendam obligationem titulo præscriptionis saltem in foro animæ; quia forte datæ sunt ex benevolentia, vel ex alia causa, quæ non parit præscriptionem.

IV. Quæritur ultimo: Quid dicendum, quando dubitatur, sitne res censuaria, an emphyteutica? Sitne Census redimibilis, an irredimibilis?

Respondeo ad primum, censendam esse rem censuariam; quia Census minus gravat, quam emphyteusis; Nam res emphyteutica amittitur non soluta pensione per certos annos.

V. Ad secundum vero dico, censendum esse redimibilem, propter eandem rationem, quia odia restringi debent, & in ambiguis, quod minus est, eligitur.

QUÆSTIO V.

De Emphyteusi, Feudo, & Libello.

QUærendum primo, Quid, & Quotuplex sit Emphyteusis, & Feudum, & in quo differant a Libello, & aliis Contractibus? Secundo, quænam sint conditiones horum Contractuum? Tertio, Quinam possint dare, & accipere, & succedere in Feudum, & Emphyteusim? Quarto, Quando, & quomodo amittatur Feudum? Nam Emphyteusim temporalem amitti per lapsum temporis præfixi certum est; Sicut etiam omnis Emphyteusis amittitur per hoc, quod non solvatur pensio, ut dicemus.

ARTICULUS I.
Quid, & Quotuplex sit Emphyteusis, Feudum, & Libellus?

I. Emphyteusis idem est, ac Plantatio, estque Contractus, quo res immobilis conceditur alicui quoad dominium utile pro pensione reali solvenda.

II. Feudum dicitur a Fidelitate exhibenda; Et quippe Contractus, quo Infeudator dat Feudatario rei alicujus immobilis dominium utile, cum onere præstandi obsequium personale in recognitionem dominii directi.

III. Libellus, seu Contractus Libellaticus est Contractus subfeudalis, aut subemphyteuticus, quo quis rem in feudum, aut emphyteusim acceptam alteri tradit pro pensione sibi solvenda; Et quidem cum consensu domini directi, si detur ultra decennium.

IV. Feudum, & Emphyteusis in multis differunt inter se.

V. In multis pariter differunt a Locatione; Necnon a Venditione, & Usufructu.

VI. Emphyteusis dividitur in Perpetuam, & Temporalem, Ecclesiasticam, & Communem, Novam, & Veterem, Hæreditariam familiarem, Non Hæreditariam, & Hæreditariam mixte.

VII. Dividitur etiam Feudum in Regale, & non Regale, in Nobile, & Ignobile, Francum, & non Francum. Aliud pariter est Ecclesiasticum, aliud Novum, aliud Masculinum, aliud Hæreditarium, aliud Indivisibile.

I. QUæritur primo: Quid sonet hoc nomen Emphyteusis? Et quid importet?

Respondeo Emphyteusim Græce idem esse, ac latine Plantationem, quia olim in emphyteusim dabantur solum terræ incultæ, ut plantationibus, & cultura fertiles evaderent. Nunc tamen quælibet res immobilis datur in emphyteusim, ita ut qui dat in emphyteusim, retineat rei illius dominium directum, & proprietatem, unde dicitur Dominus directus, seu proprietarius; Et ille, cui datur res in emphyteusim, acquirat ejus dominium utile, unde Emphyteuta dicitur dominus utilis. Hic autem tenetur quotannis domino directo pensionem solvere in recognitionem dominii directi. Quare Emphyteusis definitur, quod sit *Contractus, quo res aliqua immobilis ad longum tempus conceditur alicui quoad dominium utile pro pensione reali solvenda*, ex leg. 1. Cod. *de Jure Emphyteutico*.

II. Quæritur secundo; Quid sonet, & quid importet Feudum?

Respondeo, Feudum denominari a fide, seu fidelitate exhibenda. Est enim Contractus, quo quis tradit Feudatario, seu Vassallo rem aliquam immobilem quoad dominium utile, retento dominio directo, ita ut in recognitionem dominii directi teneatur illi præstare obsequium, seu servitutem personalem. Quare qui dat in feudum, dicitur Infeudator, & dominus fundi; qui accipit, dicitur Feudatarius, & Vassallus.

III. Quæritur tertio; Quid sit, & quid ferat Contractus Libelli?

Respondeo nomine Libelli venire Contractum subfeudalem, seu subemphyteuticum, quo scilicet quis rem acceptam in feudum, vel emphyteusim alteri tradit pro pensione sibi quoque solvenda: Potest enim res feudalis, vel emphyteutica alteri tradi in emphyteusim, vel locari, vel vendi servatis debitis conditionibus, de quibus mox.

IV. Ex dictis sequitur primo, differre Emphyteusim a feudo, quia in emphyteusi conceditur dominium utile pro pensione reali; in feudo vero pro servitio aliquo personali, saltem contento in

to in forma fidelitatis servandæ oblatæ sub juramento. Potest aliquando feudo addi aliqua pensio realis; & in tali casu, quamvis sit mixtum ex feudo, & emphyteusi, habet tamen rationem feudi, quamvis non nobilis, nec stricti.

Notandum etiam, quod Emphyteusis constitui debeat in sola re immobili, non vero in re, quæ cum immobilibus computatur, ut in annuis reditibus; Feudum tamen etiam in his constitui potest. Præterea dominus directus feudi, seu rei feudalis habet jurisdictionem in feudatarios quoad controversias feudales inter ipsos; non tamen dominus directus emphyteusis, seu rei emphyteuticæ. Item fœmina non potest succedere in feudum nisi in institutione id exprimatur; secus in Emphyteusi: Feudatarius non cogitur præstare obsequium non exigente domino, Emphyteuta vero tenetur ad pensionem: quia dies exigit, seu clamat pro domino: Feudatarius potest absque consensu domini se feudo abdicare; non tamen Emphyteuta: Feudatarius non potest rem feudalem oppignerare, donare, aut aliter transferre, bene tamen potest emphyteuta.

V. Sequitur secundo, differre Emphyteusim, sicut etiam Feudum, a Locatione; quia per locationem non transfertur dominium utile in conductorem, ut quando locatur equus; Et quamvis transferatur dominium utile pro certa pensione solvenda, quando locatio est ad longum tempus, ut notat Bonac., at locatio potest etiam constitui in re mobili. Præterea potest locatio fieri ad breve tempus, ubi Emphyteusis non potest fieri minus decennio, ex *leg.* 1. ff. *de Superficiebus*. Locatio demum fit pro pensione proportionata fructui rei, cum sit quædam venditio fructuum rei locatæ: Emphyteusis vero fit pro pensione minore, quam sit valor fructuum rei, eo quod fiat in recognitionem dominii directi.

Sequitur tertio, differre hos Contractus a venditione, quia per venditionem transfertur non solum dominium utile, sed etiam directum; Differunt etiam ab usufructu, quia usufructus potest etiam in rebus mobilibus constitui, & quia usufructus finitur morte usufructuarii, non tamen feudum, aut Emphyteusis, nisi res sit concessa solum in vitam Emphiteutæ, aut Feudatarii. Demum quia Emphyteuta, & Feudatarius possunt vendere, & donare jus suum, (quamvis Feudatarius non absque licentia domini directi;) Usufructuarius autem nequit jus suum alteri transferre.

VI. Quæritur secundo: Quotuplex sit Emphyteusis?

Respondeo, dividi primo in Perpetuam, qua scilicet datur res emphyteutica sine ullo termino; & Temporalem, qua datur ad tempus; quod tamen non potest esse brevius decennio; Aliquando tamen datur ad unam, vel plures vitas, vel ad plures generationes. Secundo dividitur in Ecclesiasticam, cujus scilicet dominium directum spectat ad locum pium: Et communem, seu profanam, cujus dominium habet laicus, vel clericus. Tertio, in Novam, quæ scilicet nondum transcendit primum Emphyteutam; & Veterem, quæ scilicet jam transcendit primum. Quarto, dicitur Hæreditaria; quæ scilicet datur Titio v. g., & ejus hæredibus, quamvis extraneis; dicitur Familiaris, quæ datur Titio, v. g., & aliis, qui sunt de familia, juxta pactum positum in investitura; Dicitur non Hæreditaria, quæ datur vel Titio soli, vel aliis etiam, quos ipse nominare voluerit; Dicitur Hæreditaria mixte, quæ scilicet datur Titio, & aliquibus tantum, non omnibus hæredibus.

VII. Quæritur tertio: Quotuplex sit Feudum?

Respondeo, dividi primo, ut notat Hurtad. diff. 16. in Regale, quod scilicet conceditur a supremo Principe cum jurisdictione, & titulo honorifico, puta Ducis, Marchionis, Comitis, &c.; & Non regale, quo præter jurisdictionem titulus honorificus non conceditur. Secundo, in Nobile, quod scilicet accipientem facit, vel ostendit nobilem, ut contingit, quando conceditur ab Imperatore, vel Rege; & Ignobile, quod non est hujusmodi, eo quod datur a privatis hominibus. Tertio, Francum est, quod scilicet est liberum ab omnibus obsequiis, & servitiis, exceptis iis, quæ continentur in forma fidelitatis, per quam Feudatarius jurat domino se futurum fidelem contra quemlibet, vel nullo excepto, & tunc dicitur Legitimum, vel excepto supremo Principe, & tunc dicitur Non legitimum: Non Francum vero est, quod non est liberum ab obsequiis, & servitiis; Nunquam autem censetur esse francum, nisi id exprimatur in institutione ipsius. Quarto, est Ecclesiasticum, quod scilicet ab Ecclesia, vel Clerico ut Clerico conceditur; est vero Sæculare, quod conceditur a Principe civili. Quinto dicitur Novum, quod non transcendit primum Feudatarium, seu non obtinetur successione, sed prima institutione; dicitur Paternum, quod scilicet cœpit obtineri a parentibus usque ad quartum gradum inclusive; Dicitur Antiquum, quod cœpit obtineri a majoribus supra quartum gradum, videlicet non solum a patre, vel matre, Avo, Abavo, Atavo, sed etiam a Tritavo. Sexto dividitur in Masculinum, quod scilicet tantum masculis conceditur; & Fœmininum, quod etiam fœminis. Septimo, in Hæreditarium, quod scilicet ad hæredes, quamvis extraneos, potest transmitti, & Non hæreditarium, quod scilicet ad Agnatos transmitti debet, etiamsi non sint hæredes. Octavo, in Indivisibile, quod nequit dividi; ut Ducatus, Marchionatus, &c.;

&c.; & Divisibile, quod scilicet dividi potest, ut sunt, quæ dignitatem non continent.

ARTICULUS II.

De Conditionibus Feudi, & Emphiteusis.

I. Ut Feudi Contractus celebretur, sex conditiones requiruntur; præsertim quod fiat in re immobili, & cum debitis solemnitatibus. Nec potest Feudum oppignerari, sicut oppignerari potest res emphyteutica.

II. Emphyteusis etiam varias conditiones requirit; præsertim (sicut in Feudo,) quod Emphyteutę transferatur dominium utile, & concedatur possessio naturalis, & physica rei illius immobilis; non tamen possessio civilis.

III. Quid requiritur ut possit Emphyteuta jus suum utile alteri donare, aut rem emphyteuticam legare, permutare, hypothecare, aut oppignerare? Et quando laudemium solvendum sit?

IV. Emphyteuta incidit in commissum, quando pensionem non solvit per duos annos, si res Emphyteutica sit Ecclesiastica; aut per tres, si sit laica. Et quando hæc redit ad proprietarium citra culpam Emphyteutæ, huic melioramenta utilia, & gravia compensanda sunt.

V. Pensio non est solvenda, si citra culpam Emphyteutę res pereat. Quid si deterior fiat?

VI. Qui incidit in caducitatem, poterit moram purgare celeritate solutionis intra decem dies.

VII. Si res emphyteutica transeat in manus mortuas, solvi debet domino directo quindennium.

I. QUæritur primo: Quænam conditiones requirantur ad Contractum Feudi?

Respondeo requiri, Primo, ut in re immobili, puta in agro, vel in re putata immobili, ut in reditibus perpetuis, constituatur. Secundo, quod talis rei transferatur in Feudatarium solum dominium utile, & concedatur proinde possessio naturalis, retento apud Infeudatorem dominio directo, & possessione civili; cum non possideat illud Feudatarius nomine proprio, sed nomine domini directi. Tertio, quod Feudatarius investiatur, seu mittatur in possessionem ab Infeudatore, & illi juret fidelitatem. Quarto, quod feudum concedatur solum propter obsequium personale, si scilicet a domino directo exigatur; aliter incidat in caducitatem, seu feudum amittat: Quamvis aliquando soleat concedi etiam ob pensionem realem, tunc autem non est purum feudum. Quinto, quod Feudatarius non possit sine consensu domini feudum alienare: & si alienet, alienatio sit irrita, & feudum amittat. Immo nec potest illud oppignerare, sicut potest oppignerari res Emphyteutica. Et disparitas est, quia aliquando ad solvendam pensionem emphyteusis opus est rem emphyteuticam oppignerare; at ad solvendum obsequium personale Feudatarius oppigneratione non indiget. Sexto, ut Investitura, seu missio in possessionem fiat cum debita solemnitate coram testibus, & in conspectu rei in feudum datæ.

II. Quæritur secundo: Quænam conditiones ad Emphyteusim requirantur?

Respondeo requiri jure communi, Primo, quod instituatur in rebus immobilibus fructiferis, & solo adhærentibus, ut in agris, domibus, &c. Secundo, quod transferatur in Emphyteutam dominium utile, atque adeo concedatur possessio naturalis, & physica, non vero civilis; nam dominus directus possidet illam civiliter, seu nomine proprio: Unde fit, quod Emphyteuta solum possit præscribere quoad dominium utile, non quoad directum; cum ad præscriptionem requiratur possessio civilis, quam Emphyteuta non habet relate ad dominium directum.

III. Tertio, quod nequeat Emphyteuta jus suum utile alteri vendere non admonito prius proprietario, ut si velit, possit illud intra duos menses emere; alias illud amittit. Potest tamen Emphyteuta jus utile suum alteri donare, verum rogando proprietarium, ut investiat, seu in possessionem rei mittat donatarium; quod tenetur intra duos menses proprietarius efficere, si persona sit talis, ut possit facile ab illo obtinere pensionem. Præterea potest Emphyteuta simili modo rem emphyteuticam legare, permutare, locare etiam ad decennium, hypothecare, & si non sit res Ecclesiastica, etiam oppignerare, rogato etiam proprietario, ut intra duos menses in possessionem mittat, ubi est necessaria possessio; alias rem amittit. Ubi notandum, quod si Contractu res alienetur, scilicet venditione, donatione, legatione, permutatione, & locatione ad minus ad decennium, tunc solvendum sit laudemium pro pretio a novo Emphyteuta ob laborem mittendi alium in possessionem. Quod tamen non est solvendum, si res detur filiæ in dotem, aut si hæres necessarius illam accipiat titulo hæreditatis. Laudemium autem solvendum est ex Trull. dub. 8. in conscientia, etiamsi non petatur, domino directo ab eo, cui res venditur, vel donatur, vel oppigneratur, quod in Regno Valentino est decima pars pretii, si vendatur, vigesima vero, si oppigneretur.

IV. Quarto requiritur, ut Emphyteuta obligetur solvere proprietario quotannis, aut alio pręfixo tempore certam pensionem, seu canonem, aut in pecunia, aut in fructibus, prout convenitur: Hæc autem regulariter debet esse minor, quam valeant fructus rei; quia non solvitur ad lucrum,

lucrum, sed in recognitionem dominii directi. Quod si pensio non solvatur per duos annos, quando res emphyteutica est Ecclesiastica, vel per tres, quando est laica, Emphyteuta incidit in caducitatem, seu in commissum, hoc est rem illam amittit cum melioramentis, etiamsi sit superior pii loci: Quamvis pio loco concedatur deinde restitutio in integrum, sicut Minori. Quando vero res emphyteutica redit ad proprietarium sine culpa Emphyteutæ, vel quia finitur emphyteusis, vel aliter, tunc melioramenta utilia gravia, quæ magnis expensis emphyteutæ accreverunt rei, solvenda sunt Emphyteutæ secundum valorem, quem tunc habent; non vero non utilia, aut non gravia, aut quæ casu accreverunt, &c.

V. Notandum tamen primo, quod si absque culpa Emphyteutæ res pereat, liber hic sit ab obligatione pensionis, (nisi forte se obligavit ad casus fortuitos,) quia res domino perit: Si tamen pars rei supersit, non potest cedere emphyteusi, ut notat Bonac. num. 16., sed debet adhuc integram pensionem solvere, dummodo non sit magna; tunc enim ex æquitate videtur diminuenda: Quod si res fiat notabiliter deterior ex culpa etiam levi Emphyteutæ, potest hic illa privari, ut notat Hurtad. diff. 13. Quamvis nonnulli id negent de re emphyteutica laica.

VI. Notandum etiam, quod qui culpabiliter omisit solvere pensionem per biennium in Ecclesiastica emphyteusi, aut per triennium in laica, tunc rem amittit, quando proprietarius declarat se velle Emphyteutam in eam amissionem incidisse; & probabiliter ad id tenetur ante sententiam judicis. Potest tamen Emphyteuta purgare moram celeritate solutionis intra decem dies.

VII. Notandum demum ex Trull. dub. 8. quod quando res emphyteutica transit ad manus mortuas, verbi gratia, in Ecclesiam, Universitatem, Collegium, quæ nunquam pereunt, tunc ne dominus directus privetur laudemio, quod haberet, si res emphyteutica sit in manu privati, qui facile moritur, debet illi solvi quindennium; hoc est decimoquinto anno solvi debet domino directo tanta pecunia, quanta correspondeat quantitati ultimi laudemii, ut docet Riccius punct. 43.

ARTICULUS III.

Quinam possint in feudum, vel emphyteusim dare, aut accipere, & succedere? Et quando feudum amittatur?

I. *In feudum, ac emphyteusim dare possunt, qui liberam habent bonorum administrationem; Unde nequeunt Pupillus, Minor, Furiosus, Prodigus habens Curatorem.*

II. *Episcopo id prohibetur, nisi relate ad bona, quæ solita sunt dari in emphyteusim, aut in feudum: Quænam autem dicantur sic solita dari?*

III. *In feudum accipere, ac succedere possunt, qui instituuntur, si nullo jure excludantur.*

IV. *Fœmina non succedit, nisi feudum sit fœmineum, ita ut expresse admittatur.*

V. *Sine culpa Feudatarii potest quinque modis feudum amitti.*

VI. *Potest etiam feudum amitti ob culpam Feudatarii; præsertim ob gravem ingratitudinem erga dominum directum, aut si alium proditorie occidat. Num feudum transeat ad Fiscum ob crimen hæresis, aut læsæ majestatis?*

VII. *Amisso feudo quænam melioramenta debentur domino directo, quænam vero debentur ipsi Feudatario?*

I. Quæritur primo: Quinam possint res suas immobiles in feudum, & in emphyteusim tradere?

Respondeo, in feudum, & in emphyteusim dare posse omnes, & solos, qui suorum, vel alienorum bonorum liberam habent administrationem, quandoquidem per hos Contractus habetur quædam species alienationis; cum dominium utile aut in perpetuum, aut per longum tempus transferatur: Unde fit, quod Pupillus, Minor, Prodigus habens Curatorem, ac Furiosus cum non habeant liberam suorum bonorum administrationem, non possint in feudum, aut in emphyteusim dare.

II. Nec possunt Episcopi, & alii Prælati inferiores, quamvis habeant liberam administrationem bonorum suorum Ecclesiasticorum; quia id iis prohibetur in *Extravag. Ambitiosæ, de Rebus Ecclesiæ non alienandis*. Excipiuntur tamen bona, quæ solita sunt dari in emphyteusim, aut in feudum; quia ea dari similiter possunt in evidentem Ecclesiarum utilitatem. Dicuntur autem solita dari, quæ bis saltem data sunt, vel si elapsi sint quadraginta anni, quamvis semel sint data.

III. Quæritur secundo; Quinam possint in feudum accipere, & succedere?

Respondeo, posse in feudum accipere eos omnes, qui ex una parte instituuntur in Contractu feudi successores, & ex alia parte nullo jure excluduntur a successione.

IV. Unde fœmina, quia ad servitium personale est minus apta, non solet succedere, nisi quando feudum est fœmineum, seu quando expresse admittitur.

V. Quæritur tertio: Quibus de causis feudum amittatur?

Respondeo posse feudum amitti tam per culpam,

pam, quam sine culpa Feudatarii. Sine culpa amittitur quinque modis: Primo, lapsu termini præscripti in institutione: Secundo, morte Feudatarii: Tertio, renunciatione feudi. Quarto, professione in Religione incapaci: Quinto, præscriptione triginta annorum, quibus alter feudum possederit bona fide tanquam Feudatarius.

VI. Ob culpam vero amittitur, Primo, ob gravem ingratitudinem in dominum directum, ratione cujus sit dignus privatione feudi: videlicet si Feudatarius fugit deserendo dominum in bello periclitantem, quando eum poterat juvare sine amissione suæ vitæ; Vel si sciens parari domino insidias, eum non faciat certiorem; Aut si ipse hostiliter dominum insecutus est; Vel si filius, aut vassallus Feudatarii offendit dominum, & Feudatarius admonitus a domino non adducit illum ad petendam veniam; Vel si turpiter lusit cum uxore, filia, aut nepte domini; Vel si Feudatarius vocatus ad Curiam contemnit venire; Vel si domino exigente obsequium debitum, neget se esse Feudatarium illius; Vel si abutatur jure feudi alienando illud sine consensu, (traditione tamen secuta:) Vel si dominum detulit apud judicem etiam ex jussu, excepto crimine hæresis; Vel demum si hæres Feudatarii non petit investituram intra annum post adeptionem feudi, aut si ipse Feudatarius post obitum domini directi non petit intra annum renovationem investituræ. Secundo, amittitur feudum ob culpam Feudatarii contra alium a domino directo; videlicet si occidat fratrem suum, aut si occidat aliquem proditorie: Feudum autem nunquam transire ad Fiscum docent non pauci apud Azor., & Hurtad.; Aliqui tamen putant transire ob hæresim, vel crimen læsæ Majestatis, si feudum sit novum; transit vero ad dominum directum, si ob ingratitudinis culpam amittatur.

VII. Queritur quarto: Ad quem pertineant melioramenta, quando feudum transit ad dominum directum?

Respondeo, melioramenta, quæ ex industria Feudatarii accreverunt, & sunt a feudo inseparabilia, ut ædificium, jurisdictio, aut alia servitus, ea deberi Feudatario secundum æstimationem, quam habent tunc, quando feudum amittitur: Alia melioramenta, quæ casu, aut naturaliter accreverunt, debentur domino. Vide de his Azor. lib. 10. cap. 20., Julium Clarum, & alios Jurisperitos.

QUÆSTIO VI.

De Cambiis.

EXaminabimus primo, Quid, & Quotuplex sit Cambium? Secundo, Quid ferat Cambium minutum? Tertio, Quid Cambium locale? Quarto discutiemus conditiones a Pio V. requisitas ad Cambium locale. Demum, Quodnam sit Cambium siccum, & usurarium?

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Cambium?

I. Cambium est Permutatio lucrosæ pecuniæ pro pecunia diversa, sive quoad materiam, sive quoad pondus, sive quoad locum.

II. Campsor tradens pecuniam Campsario, non transfert illius dominium, nisi sequatur traditio alterius pecuniæ facta a Campsario.

III. Dividitur Cambium in verum, & fictum, seu siccum; in Minutum, & Locale, quod etiam triplex est.

IV. Quodnam dicatur Cambium Custodiæ?

V. Ut taxetur pretium justum Cambiorum, attendenda præsertim est translatio, & assecuratio pecuniæ, ac proinde distantia locorum, & periculum viarum, necnon copia, aut inopia Campsorum, & Campsariorum.

I. IDem sonat Cambium, ac Permutatio rei pro re; Cambire enim, & commutare sunt synonyma. Verum Cambium stricte sumptum definitur, quod sit *Permutatio lucrosa pecuniæ pro pecunia diversa*; sive sit diversa quoad materiam, sive quoad pondus, sive quoad locum, &c.; Aliqui cum Cajet. reducunt Contractum Cambii ad emptionem, & venditionem, nam pecunia præsenti emitur pecunia absens; eo quod absens possit habere rationem mercis, tum ratione materiæ, quia melior est, vel deterior; tum ratione commoditatis conservandi, vel transportandi, vel numerandi; tum ratione distantiæ localis: Alii reducunt Cambium ad Contractum locationis, & conductionis operum; Alii ad Contractum permutationis, ita ut sit species permutationis pecuniam pro pecunia permutare, esto id fiat ex intentione lucri.

II. Petes, an Campsor dans pecuniam Campsario transferat illi dominium per traditionem?

Respondeo non transferre dominium absolute, sicut transfertur in mutuo, sed transferre sub conditione, quod Campsarius tradat aliam pecuniam; nam usque ad secundam hanc traditionem non habetur perfecta permutatio. Ubi notandum, officium Campsoris vetitum esse Clericis, quibus prohibetur negotiatio.

III. Porro dividitur Cambium, Primo in Verum, seu Reale, & Fictum, seu Siccum. Verum est, quando sine ulla simulatione habetur permutatio, & solutio pecuniæ. Fictum est, quando finguntur mitti literæ campsoriæ, ut alibi fiat solutio, quamvis revera aut non mittantur literæ aut non fiat alibi solutio, sed in eodem loco; Unde pro dilatione alicujus hebdomadæ ad restituendam pecuniam accipitur lucrum; quod est proprie mutuum, & usura: Dicitur tale Cambium siccum, quia caret titulo ad lucrum, & sic caret humore ad fructificandum.

Dividitur secundo in Minutum, & Locale, seu per literas. Minutum est permutatio pecuniæ diversæ speciei, vel rationis, ut aureæ cum argentea, hujus cum ærea, numismatum majorum cum minoribus, arrosorum cum integris, antiquorum cum novis, patr orum cum externis, vetitorum cum legitimis, &c. Locale Cambium, seu per literas est, quando permutatur pecunia præsens cum absente, quod per literas fieri solet.

Hoc autem Locale Cambium tripliciter fieri contingit: Primo, si Campsor prior accipit pecunias a Campsario, ut ei illas restituat in loco distante. Secundo, si econtra Campsarius prior accipit pecunias a Campsore, ut illas ei restituat in loco distanti. Tertio, si Campsor tradit hic, verbi gratia Neapoli, pecuniam Campsario, quam postea recipiat hic etiam post recambium.

IV. Datur demum Cambium custodiæ, quod est improprie Cambium, & consistit in hoc, quod Campsor, seu nummularius, vel trapezita, seu bancarius, vel depositarius custodiat pecunias apud se depositas; habetque rationem dati, & accepti, & paratus est semper restituere; Pro hac tamen custodia exigit aliquod lucrum, seu stipendium: Quia tamen regulariter non restituitur eadem ratio monetæ; ideo talis custodia habet rationem Cambii, ut videre est apud Sal. dub. 20.

V. Universim circa omnia hæc Cambia notandum est ex Hurt. diff. 8., illud censeri lucrum justum, quod vel lege taxatur, vel judicio peritorum in officio; Qui ut prudenter taxent, attendere debent ad peculiares titulos, & caussas, ob quas in quolibet Cambio licitum est lucrum: Verbi gratia in Cambio locali spectanda est translatio, & assecuratio pecuniæ, atque adeo advertendum ad distantiam localem, & ad viam, per quam fit translatio, cum hæc ad assecurationem pecuniæ pertineant: Et universim in quolibet Cambio attendenda est copia, vel inopia Campsorum, & Campsariorum, quia minus debet esse lucrum, quando est copia Campsorum; non secus ac quando est copia vendentium, minoris res valet.

ARTICULUS II.

An Cambium Minutum ferat palliatam usuram?

I. Cambium minutum fert pecuniarum permutationem cum lucro.

II. Non est usurarium, si ex justis titulis lucrum consonum reportetur.

III. Justi tituli sunt, Permutatio pecuniarum ex officio; Obligatio cambiendi; necnon commoditas, quę datur Campsario cambiendo pecunias minutiores cum grandioribus.

IV. Num famulus cambiendo pecunias domini, ipso inscio, possit sibi lucrum retinere?

V. Est pariter justus titulus lucrum cessans, aut damnum emergens, sicuti etiam si dentur pecuniæ puriores, aut rariores.

VI. Nequit pecuniam adulterinam pro vera expendere, qui illam pro vera accepit.

I. CAmbium minutum regulariter est illud, in quo dantur pecuniæ grandiores pro minoribus, vel econtra, exigendo aliquid pro tali permutatione.

II. Utrum autem lucrum hoc sit usurarium? Respondeo cum communi negative, dummodo judicio prudentium taxatum sit, Ratio est, quia pluribus titulis hujusmodi lucrum juste, & licite accipi potest.

III. Primus titulus est, quia ex officio Campsor cambit, occupatio enim, & opera in congerendo pecunias, in numerando, custodiendo, expectando, & in exhibendo se paratum ad eas permutandas in gratiam, & ad petitionem Campsariorum, digna est aliqua compensatione, & lucro.

Secundus titulus est obligatio ad cambiendum, quando scilicet Campsor a Principe, vel a Republica ad id obligatur in gratiam Campsariorum, non tamen quando ille sponte cambit: Sicut enim obligatio ad mutuandum est pretio æstimabilis quia fert de se onus, ita obligatio ad cambiendum.

Tertius est, quando dantur pecuniæ grandiores pro minutioribus, dando ver. g. aurum, vel argentum pro moneta ærea, quia pecunia grandior Campsario est commodior ad transferendum, custodiendum, numerandum, &c. Neque dicas, quod Princeps in taxatione pretii pecuniæ grandioris, puta aureæ, attenderit ad omnem utilitatem, & commoditatem, quam de se fert; alias non juste taxaret, cum utilitas pecuniæ ad ejus valorem conducat. Nam contra est, quia quamvis Princeps attenderit ad hæc omnia, taxando pretium pecuniæ, prout pecunia est mensura ad emptionem, & venditionem rerum, & ad solutionem debitorum; at non

at non quatenus est res quædam, quæ possit emi, vendi, cambiri, locari; constat enim pluris æstimari idem pretium, puta aureum in moneta grandiori, quam in minutiori, ob dictas commoditates.

IV. Hinc sequitur primo, lucrum ex hoc titulo non posse accipi, si econtra dentur monetæ minutiores pro grandioribus. Sequitur secundo, quod si famulus acceperit a domino suo mille aureos in auro solvendos creditori ipsius domini, & illos cum lucro commutet cum argenteis, vel æreis, quos solvit creditori, possit sibi tale lucrum retinere, quando dominus non curat, qua specie solutio fiat. Ratio est quia tale lucrum est fructus industriæ, & non valoris pecuniæ in ordine ad solutionem: Sicuti si fur, aut usurarius alienam pecuniam negotiatur, non tenetur lucrum restituere; quamvis debeat domino compensare damnum emergens, aut lucrum cessans. Quod si dominus vellet solutionem illa mille aureorum fieri creditori in moneta aurea, peccat venialiter famulus, ut notat Hurtad. contra justitiam in dominum non exequendo voluntatem illius, si restituat in argentea; peccat etiam contra justitiam in creditorem venialiter, vel mortaliter juxta quantitatem lucri illi cessantis, & tenetur illud compensare, si scilicet creditor fuisset ex tali pecunia lucrum reportaturus, non tamen si erat communi pretio expensurus, quia sic nullum damnum intulit, ut notat idem Hurtad., & Less. apud Trull. dub. 2.

V. Quartus titulus communis multis ali s Contractibus est luerum cessans, aut damnum emergens Camp ori, ut habeat pecunias paratas ad cambiendum; potest enim pro hac causa tantum accipere, quanti æstimatur spes illa lucri, aut expositio periculo damni in gratiam Campsariorum. Sunt etiam aliquando alii tituli, videlicet tum ratione puritatis materiæ, si scilicet dentur centum aurei purissimi antiquiores, vel exteri pro aliis aureis, quibus aliquid metalli est admixtum; tum ratione antiquitatis, vel raritatis, eo quod pluris æstimentur; tum ratione expendibilitatis; quando scilicet commutantur nummi, qui expendi possunt cum iis, qui non possunt. Et universim pro ratione plurium, vel pauciorum titulorum, quatenus concurrant, potest majus, vel minus lucrum a Campsoribus accipi.

VI. Quæritur hic, an qui scienter, aut ex inadvertenti pecuniam adulterinam accepit, possit illam cum veris miscere, & sic pro vera illam expendere?

Respondeo certum omnino esse, quod non possit. Ratio est, quia talis pecunia est vitiosa; res autem notabiliter vitiosa nequit alteri tradi vitio non detecto, ut diximus cum de Venditione. Neque ex eo quod quis fuerit deceptus, potest alios decipere: Sicut neque ex eo quod famulus meus furatus est a me, ideo possum ego ab aliis furari. Ita communiter cum Azor. part. 3. lib. 7. cap. 6. Bonac. hic num. 4.

ARTICULUS III.

An Cambium Locale contineat Usuram?

I. Cambium locale triplex est, si scilicet pecunia hic accipiatur a Campsore alibi restituenda; aut si hic accipiatur a Campsario solvenda alibi; aut si hic accipiatur a Campsore restituenda in hoc eodem loco.

II. Primi generis Cambium locale licitum est propter monetæ translationem saltem virtualem, etiamsi Campsor indigeat hic pecunia alibi solvenda; Necnon propter assecurationem pecuniæ, ac propter officium cambiendi.

III. Pariter si pecunia alibi restituenda sit pretiosior aut rarior.

IV. Provisiones Cambiorum, seu quod datur Campsori pro labore, & periculo, solet esse tertia pars scuti pro singulis centenariis.

V. Secundi generis Cambium est pariter licitum cum sex tituli concurrere possint ad lucrum reportandum.

VI. Cambium, & recambium, seu cum Recursa, multipliciter haberi potest. Probabilius est Cambium siccum esse usurarium; & solum speculative est probabiliter licitum, si in eo concurrant conditiones a Pio V. requisitæ.

VII. Num Campsor dans bona fide pecuniam restituendam Romæ, possit lucrum retinere, si deprehendat, quod Campsarius careat Romæ pecunia, quæ restituatur?

I. TRiplicis generis est, ut diximus, Cambium locale: Primo scilicet, Quando Campsor accipit hic, verbi gratia Neapoli, pecunias restituendas Campsario in loco distanti: Secundo, quando Campsarius accipit hic pecunias Campsori restituendas in loco distanti: Tertio, quando Campsor accipit hic pecunias Campsario restituendas in hoc eodem loco.

II. Quæritur tunc primo: An sit licitum Cambium locale primi generis, quando scilicet Campsor accipit, verbi gratia hic Neapoli, pecuniam a Campsario cum obligatione restituendi illam Romæ Procuratori Campsarii, & interim accipit a Campsario aliquod lucrum?

Respondeo cum communi affirmative. Ratio est, quia possunt varii tituli concurrere ad reddendum licitum, & justum tale lucrum. Primo scilicet ratione virtualis translationis monetæ in locum distantem; nam Campsor veluti

luti transfert Romam pecuniam, levando sic eo onere Campsarium; Unde fit, quod quo major est distantia horum locorum, eo majus stipendium accipi possit, etiamsi pecunia utrobique ejusdem valoris sit. Idcirco autem ex hoc titulo accipi aliquid potest, quia sicut translatio pecuniæ formalis digna est aliqua compensatione, si fiat in gratiam Campsarii, ita translatio ista virtualis; non enim est minus utile Campsario, quod transferatur pecunia formaliter, quam quod æquivalenter per hoc, quod Campsor habeat Romæ correspondentem, qui suo nomine pecuniam illam solvat; Et quod habeatur talis correspondens, est fortuna, vel industria, vel utraque simul Campsoris: Sicuti si quis locaturus est operam alicujus mittendi, verbi gratia Romam, ut reducat equum ad hanc Civitatem; si casu aliquis eo iturus est, & ad id faciendum se obligat, potest sibi pretium congruum accipere; quia id suæ fortunæ debet tribuere.

Non negandum tamen, quod cum translatio hæc virtualis non sit involuta tot periculis, & difficultatibus, sicut translatio realis, non poterit Campsor tantum exigere, quantum si transferret realiter, ut notat Trull., & Bonac.. Sicut enim decrescit pretium rei ex multitudine venditorum, ita decrescit pretium pro translatione pecuniæ, quando virtualiter tantum transfertur; quia multi ad id se offerunt, cum sine magna difficultate fiat talis translatio.

Adde, tale lucrum posse accipi a Campsore, etiamsi indigeat hic pecunia illa, quam accipit, u Romæ illam restituat, (dummodo a Campsario ad id præveniatur) propter easdem rationes: Sicut si Petrus debeat transmittere Romam suum equum, adhuc potest illum locare volenti Romam ire, & lucrum reportare. Ratio est ex Bonac., quia sicut merx ultronea vilescit, ita qui prius rogat in casu nostro, viliorem reddit partem suam; unde alter potest lucrum reportare; quamvis debuisset aliquid solvere, si prius rogasset.

Advertit tamen Villalob. apud Trull. dub. 3. esse rationi consonum, quod si uterque eodem modo indigeat tali cambio, neuter lucrum reportet.

Secundus titulus, quo Campsor in hoc casu potest lucrari, est Assecuratio, quia Campsor non solum subit onus transferendi pecuniam, sed etiam subit periculum rei, itaut sibi pereat, si forte perit. Neque obstat, quod revera transferendo solum virtualiter, & per litteras pecuniam, nullum periculum subeat; Nam id fortunæ suæ tribuendum est: Unde fit, quod quo longius est iter, & quo majora sunt pericula, eo majus lucrum possit accipi.

Tertius titulus esse potest ratione officii, hoc est, si ex officio aliquis cambiret, obligatus ad id a Republica, vel a Principe.

III. Quartus, si pecunia esset majoris pretii in loco, in quo restituenda est: Potest autem pecunia habere majorem æstimationem, non solum intrinsecam, si scilicet sit majoris ponderis, sed etiam extrinsecam, verbi gratia ratione inopiæ, vel ratione multorum petentium pecuniam ad Cambium.

IV. Ubi nota cum Filliuc. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 6., provisiones cambiorum, seu id, quod debetur Campsori pro labore, & periculo, ex inveterata, & immemorabili consuetudine inter mercatores, esse tertiam partem scuti pro singulis centenariis.

V. Quæritur secundo: An sit licitum cambium locale secundi generis, quando scilicet Campsor dat hic pecunias Campsario, ut sibi ab eodem restituantur Romæ, & interim aliquod lucrum accipit?

Respondeo affirmative cum communi contra nonnullos apud Sal. dub. 7.; Primus enim titulus justi lucri est eadem virtualis translatio pecuniæ; nam Campsor in gratiam Campsarii velut transfert huc pecuniam, quam ille habet Romæ; perinde enim est Campsorem hic pecuniam pro absente numerare, ac illam huc transferre. Secundus titulus ratione virtualis assecurationis, ut diximus in primo quæsito. Tertius etiam ratione officii, si scilicet ex obligatione Campsor tale munus exerceat. Quartus, si pecunia esset majoris pretii hic, ubi solvitur, quam Romæ ubi restituenda est. Quintus, quia communiter magis æstimatur pecunia præsens, quem absens, cum illa facilior sit, & commodior ad contrahendum: Ex quo sequitur, quod quando econtra Campsor accipit pecuniam præsentem pro absente, debeat decrescere aliquantulum ex hoc capite lucrum, quod juste ob alios titulos exigitur. Sextus esset ratione lucri cessantis, vel damni interim emergentis. Septimus ratione incommodorum, quibus se exponit Campsor, ut pecuniam suam Romæ recuperet; unde poterit pignus, vel fidejussorem exigere pro crediti securitate.

Ex dictis sequitur, quod etiam qui non est mercator possit aliquod lucrum ex cambio accipere ex plurimis titulis, ut notat Salas dub. 46.

VI. Quæritur tertio: An licitum sit tertii generis Cambium locale per literas cum recambio, vulgo *Con la Ricorsa*. Sciendum autem, quod ad hoc Cambium quatuor personæ concurrunt, duæ hic, videlicet Campsor, & Campsarius, & duæ, v. gr., Romæ, scilicet correspondens, seu Factor Campsoris, & correspondens Campsarii: Nam Campsor dat hic Campsario pecuniam restituendam Romæ factori Campsoris a factore Campsarii, & sic habetur

Cam-

Cambium cum lucro; deinde factor Campsoris veluti fingit se recipere Romæ pecuniam debitam a factore Campsarii, & iterum dare illi ad Cambium, obligando se, quod illa Neapoli restituenda sit a Campsario eidem primo Campsori, & sic habetur recambium, pro quo accipitur secundum lucrum a Campsore; primum scilicet sibi debitum propter primum Cambium, & secundum debitum suo factori existenti Romæ propter recambium; Aliquando etiam in hoc cambio cum recambio, seu cum recursa idem est correspondens, seu factor Campsoris, & Correspondens Campsarii, qui utrumque munus gerit in loco distanti, v. gr. Romæ, & inquantum factor Campsarii acceptat literas, & solvit Romæ pecuniam acceptatam a Campsario Neapoli; inquantum vero factor Campsoris, pecuniam Romæ solutam iterum dat ad cambium solvendam Neapoli a Campsario. Unde quando Campsarius non habet Romæ correspondentem, solet Campsor offerre illi correspondentem suum, ut utriusque partes impleat.

Aliquando tamen nec Campsor, nec Campsarius habent Romæ Correspondentes, sed Campsor habet Romæ famulum, cui scribit, ut pecuniis ipsiusmet Campsoris solvat sibi ipsi pro Campsario pecuniam, quam recepit Neapoli, & postea remittit solutionem faciendam Neapoli ipsi Campsori a Campsario. Quod autem dicitur de pecunia accepta hic solvenda, verbi gratia Romæ, dicitur de pecunia accepta hic, solvenda in proximis nundinis, quæ erunt verbi gratia post tres, vel quatuor menses. His explicatis,

Respondeo, multos Doctores cum Comit., Molin., Sot. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 1. putare, cambium hoc esse siccum, & usurarium, & lucrum esse omnino restituendum; quia solutio, quæ fit Romæ a correspondente Campsarii correspondenti Campsoris, est omnino ficta, & imaginaria, & literæ sunt omnino inanes, & apparentes. Quæ opinio communior est probabilior, & suadenda. Verum Azor., Less., Sa, Salon., & alii apud eundem Dian. probabiliter putant non esse usurarium, dummodo in eo cambio adsint conditiones requisitæ a Pio V., de quibus articulo sequenti; quæ opinio videri potest speculative duntaxat probabilis, quatenus practice fere semper desint conditiones ad cambium requisitæ. Ratio est, quia tam in cambio, quam in recambio potest haberi vera pecuniæ permutatio; nam campsarius recipit Neapoli pecuniam solvendam Romæ a suo factore factori campsoris; Quamvis autem factor campsarii non habet Romæ pecuniam ullam realiter, habet tamen virtualiter, & credito, quatenus potest illam facile habere, si ab alio ibi recipiat ad Cambium; Quod si potest recipere ad cambium ab alio, quidni etiam possit illam ad cambium recipere ab eodem correspondente campsoris, solvendam Neapoli a campsario eidem primo campsori? Sic autem habetur vera permutatio pecuniæ tam in cambio, quam in recambio. Certe si campsarius cogeretur a Campsore ad recambium, contractus esset illicitus, sicut dicitur de contractu Mohatra; Quando autem ad id non cogitur, sed offert commoditatem recambii, ut facilius possit solvere Romæ pecuniam debitam, videtur id favere potius Campsario, quam illum gravare, ut dicitur de eo, qui vendit caro pretio, & deinde se offert ad reemendum pretio infimo, videns, quod ille ideo emit caro pretio, ut vendat infimo, & sic habeat pecuniam, qua indiget. Certum etiam est, quod si Campsores in his cambiis habeant perversam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis, talis intentio esset usura mentalis; Secus vero si dent cum animo negotiandi, & cum lucro consono permutandi illam pecuniam eo pacto, quo licite fit inter mercatores. Salon. apud Trul. dub. 5. putat hoc genus cambiendi esse licitum, quia publice exercetur ab omnibus mercatoribus Italiæ, scientibus, & permittentibus Episcopis. Docent quippe Doctores cum Riccio apud eundem Trull., quod contractus, qui publice, & communiter etiam a prudentibus, & timoratis exercetur, quamvis sit suspectus, non debeat judicari fœneratitius. Et ratio videtur esse, quia cum licite possit campsor dare ad cambium, quamvis videat campsarium non aliter soluturum pecuniam, quam petendo ab alio recambium, licite pariter poterit dare ad cambium, quando campsarius ab eodem campsore petit sponte, ut per suum correspondentem, vel famulum fiat solutio, vel recambium; In hoc enim casu videtur haberi verum cambium, non siccum, quia literæ, quæ mittuntur, sunt causa veræ permutationis, in tantum ut si correspondens, vel famulus campsoris interim fugeret, vel decoqueret, non tenetur campsarius ad interesse, seu lucrum cambii, sed solum ad sortem principalem, eo quod in tali casu non intercessisset vera permutatio.

Equidem tamen censeo, sine scrupulo contractum hunc exerceri non posse a Campsore, qui videt Campsarium non habere pecuniam alibi, sed ad cambium hoc cum recambio redigi ex necessitate, quam habet mutui. Ratio est, quia quamvis vere dentur tales literæ, non deserviunt ad aliud, quam ad palliandam ingentem usuram; quia revera campsor videt campsarium simul determinari ad cambium, & ad recambium, atque adeo videt utrumque lucrum cambii, & recambii percipiendum esse mere ex dilatione tanti temporis, quantum requiritur, ut literæ

literæ eant, ac redeant. Unde Bonac. num. 11. advertit, quod quamvis licite fieri possit talis contractus speculative loquendo, valde tamen periculosus sit in praxi; præsertim in continuatione cambiorum, quibus ad multos menses, & annos renovantur cambia, & recambia, reducto ad principalem sortem lucro primorum cambiorum.

VII. Quæritur quarto: An campsor, qui bona fide dedit campsario pecuniam solvendam Romæ, existimans, quod ibi habeat ille pecuniam, si deprehendat deinde, quod Romæ non habeat pecuniam, possit lucrum cambii percipere?

Respondeo, Sal., & Ledesm. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 14. negare; quia cum campsarius ficte, & sine animo se obligandi promiserit, non tenetur in conscientia implere, sed tenetur solum de damno emergente, & lucro cessante. Molin. tamen cum Less. & Dian. affirmant; quia cum campsor bona fide contractum impleverit ex parte sua, tenetur etiam alter ex parte sua implere illum quantum potest; aliter semper contractus paterent fraudibus, & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi.

ARTICULUS IV.

De Conditionibus a Pio V. requisitis ad Cambium Locale, ne sit siccum, & usurarium.

I. Bulla Pii V. damnat ut usuraria Cambia, & Recambia, seu cum Recursa, & quatuor conditiones requirit ad licite cambiendum.

II. Nequit Campsor ratione dilationis lucrum accipere.

III. Neque pactum fieri potest de solvendo certo interesse, si solutio differatur. Num sit irritum tale pactum, an solum illicitum, ubi Bulla est recepta?

IV. Pecunia nequit ad Cambium dari, nisi pro nundinis proximis. Quænam dicantur nundinæ proximæ?

V. Nequit terminus solutionis protrahi cum majori lucro plus, quam exigit distantia locorum. Quid si mercatorum judicio tempus hoc solutionis protrahatur cum lucro ob justos titulos?

I. QUatuor sunt conditiones a Pio V. requisitæ in Bulla de cambiis edita anno 1571., in qua damnat etiam tamquam usuraria, & sicca cambia, in quibus ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco, eo quod alter alibi pecuniam non habeat.

II. Prima conditio est, ne Campsor ratione dilationis ultra terminum præstitutum concessæ paciscatur de aliquo lucro, cum id sit usurarium.

III. Secunda, ne ab initio, vel postea fiat pactum de certo interesse, etiam in eventu, quo non fieret solutio tempore debito; Quæ prohibitio fit ex præsumptione fraudis usurariæ. Quare si constet fraudes in aliquo casu non adesse, & pactum esse justum, putat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 15. cum Granad. contra Rebel., & Sal. dub. 13., quod non peccet mortaliter, qui tale pactum faceret: Less. vero cap. 23. n. 78., & Reginald. contra Filliuc. putant, quod quamvis tale pactum esset illicitum, & graviter peccaminosum, ubi ea Bulla est recepta, non sit tamen irritum. Notat tamen Less. num. 93. Sal. dub. 26., Rebel., Bonac., Primo, paucis in locis, & forte nusquam talem Bullam esse receptam saltem quoad omnes conditiones; Secundo, prohiberi tantum pactum de certo, & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, non vero pactum de lucro incerto, quod cessabit campsori, si in loco constituto Campsarius non solvat tempore determinato. Nec prohiberi, ne moderata adjiciatur pœna, si tempore convento solutio facta non fuerit.

IV. Tertia conditio a Pio V. requisita est, ne detur pecunia ad cambium, nisi pro nundinis proximis, vel si nundinæ non agantur pro terminis proximis, detur juxta consuetudinem locorum. Putant tamen Molin., Azor., & alii apud Bonac., & Sal. contra Valent. primo, quod non prohibeatur dare ad secundas, vel tertias nundinas ad cambium eodem pretio, quo daretur ad primas, quia talis lex statuta est in favorem campsariorum; Secundo, quod si proximæ nundinæ tam parum distarent, ut litteræ cambii pervenire non possint, ad hoc ut in eis solutio fiat, proximæ intelligendæ sint sequentes.

V. Quarta, ne termini ad solvendum longiores statuantur, quam postulat distantia locorum, ne scilicet detur occasio committendi usuras: Et sensus est, quod si distantia locorum exigit solum mensem, verbi gratia, ad faciendam solutionem, non protrahaturr, talis terminus solutionis ad duos menses cum incremento lucri; Est autem in Bulla sermo de terminis extra nundinas, cum non prohibeantur termini solutionum in nundinis: Quamvis sæpe triplo, vel sextuplo sint longiores, quam locorum intercapedo postulat; nam in iis locis non possunt commode alii termini constitui.

Videtur etiam improbari a Pio V. consuetudo illa, qua campsores eo amplius lucrentur, quo longius est tempus ante nundinas, cum prohibeat etiam, ne campsor protrahat tempus solutionis ob pactum recipiendi lucrum. Sed probabile est ex Sal. dub. 18., Cajet., Ledesm., & aliis contra Sot., Azor. apud Bonac. n. 9. non improbari, quando communi mercatorum judicio id fit; quia ob multas causas licite variari pot-

ri poteſt pretium cambii ratione temporis longioris, vel brevioris. Primo ſcilicet, quia in longiori tempore majus eſt periculum amittendi ſortem, & major eſt campſoribus ſpes lucrandi per negotiationem oblata occaſione; Secundo, quia quo plures ſunt menſes ante nundinas, eo plures petunt pecuniam a campſoribus, ut diu poſſint pecunia frui; quando autem plures ſunt petentes, tunc creſcunt pretia cambiorum; Tertio, quia quando conceditur plus temporis, quam natura cambii poſtulat, tunc virtualiter in uno cambio conceduntur multa cambia, quæ campſarii deberent facere, ſi ſolum tempus neceſſarium ad translationem concederetur.

Confirmatur, quia in unoquoque foro illud cenſetur eſſe pretium juſtum rerum, quod periti illius negotiationis, perſpectis bona fide circumſtantiis, imponunt, & quo inter ſe contrahunt, nemine conquerente; atqui periti, & probi campſores, & mercatores ſic univerſim contrahunt, nemine conquerente ut inſpecto tempore longiori ante ſolutionem, pretium cambii ob cauſas enumeratas augeant; ergo non eſt hoc damnandum; aliter ſoli laxiores, qui hanc opinionem ſequuntur, darent pecuniam ad hæc cambia, quorum ſolutio valde diſtat, & ſic pretia iſtorum cambiorum cum magno Reipublicæ detrimento valde augerentur.

ARTICULUS V.

De Cambio ſicco.

I. Si campſarius nec formaliter, nec virtualiter habeat in loco diſtante pecuniam reſtituendam, tam cambium eſt uſurarium, quam Recambium.

II. Si campſor bona fide contraxit, debet campſarius ſervare illum indemnem.

III. Campſor, ſi non teneatur ex officio cambire, poteſt nolle dare ad cambium in loco, ubi parum lucratur, ut det, ubi plus lucretur. Aliquando tamen peccat in hoc contra charitatem.

IV. Probabilius peccant etiam contra juſtitiam, qui circa cambia ineunt Monopolia.

V. Quænam dicantur eſſe Monopolia circa cambia?

I. EX dictis ſequitur, cambium ſiccum præcipue contingere in cambio locali, quando ſcilicet campſor dat pecunias campſario reſtituendas in loco, ubi hic pecuniam non habet nec formaliter, nec virtualiter in correſpondente: In hoc enim caſu campſor revera non transfert huc pecunias campſarii ex loco diſtante, cum alibi non habeat pecunias: Si tamen campſor cum campſario paciſcatur, quod ſi præfixo tempore non ſolverit pecunias in loco diſtante, accipiat illas ad recambium cum iterato lucro ex illo loco diſtante, & hic ubi accepit, ſolvat dupliciter, in hoc duplici cambio injuſtitia committitur, & tam cambium, quam recambium erunt ſicca, & ſine ullo humore, ſeu juſto titulo, quo poſſint lucrum illud parere. Unde quia lucrum pro ſola temporis dilatione acciperetur, eſſet uſurarium, & injuſtum; niſi forte acciperetur pro lucro alio ceſſante, aut damno emergente.

II. Notandum tamen ex Hurtad. diff. 6., quod ſi hujuſmodi cambium bona fide campſoris fiat, quia ſcilicet credit campſarium in loco diſtante habere pecuniam formaliter, vel virtualiter, tunc poterit lucrum accipere, cogendo campſarium, vel quod ſolvat in loco diſtante, vel ſi hoc non poſſit, quod ſolvat in eodem loco cum eodem lucro, quod ab aliis reportaſſet, ſi ad cambium dediſſet; cum enim campſor bona fide proceſſerit, tenetur campſarius ſervare illum indemnem.

III. Quæritur primo; An poſſit campſor petenti ad cambium in loco, ubi multum lucrari non poteſt, nolle dare, niſi in loco, ubi magis lucratur?

Reſpondeo cum Salon., Veg., Sal. dub. 43., quod ſi Reſpublica, vel Princeps dederit obligationem cambiendi campſori, hic teneatur dare ad cambium in loco, ubi petitur, & dari ſolet, ſecluſa tamen ea obligatione, non peccat campſor contra juſtitiam in caſu adducto; peccare tamen poteſt facile contra charitatem, & liberalitatem, nimis intendens propriis commodis, & parum curans gravia incommoda aliena, ut propria commoda proſequatur.

IV. Quæritur ſecundo; Utrum peccet etiam contra juſtitiam commutativam, an vero ſolum contra charitatem, & contra juſtitiam legalem, qui circa cambia facit monopolia?

Reſpondeo, Molin. diſp. 345. in fine cum Leſſ. cap. 21. dub. 20. probabiliter putare, quod ſolum contra dilectionem proximi peccet; Quod etiam probabiliter docent de iis, qui emunt res tempore abundantiæ pretio juſto, ut deinde vendant carius, inducendo interim caritatem in Republica. Ratio eſt, quia res iſtæ, quæ emuntur, & pecuniæ, quæ præoccupantur in cambiis, nulli debentur ex juſtitia: alioquin peccarent contra juſtitiam, & tenerentur ad reſtitutionem etiam ii, qui vendunt res revenditoribus, & ſervatoribus earum, quod nemo dixerit. Et ratio ulterior eſt, quia damnum, quod Reipublicæ ſequitur, videtur ſequi per accidens: Puniendi tamen ſunt iſti a Republica, & in pœnam cogi poſſunt, ut tempore caritatis vendant vilius, quæ ita in Reipublicæ præjudicium emerant: Communius tamen docent cum Ga-

Gabriel. Sylvest., Angel. apud eundem Molin., quod peccent contra justitiam, & teneantur ad restitutionem damni per monopolium illati Reipublicæ, ut diximus quæst. 2. art. 4. cum de monopoliis: Et ratio est, quia videtur Respublica, & ejus subditi, si minus jure naturali, saltem jure gentium habere jus liberi fori, ita ut per monopolia, similesque fraudes pretia rerum non augeantur; Et leges civiles, quæ ubique esse solent prohibentes monopolia, videntur jus istud conferre summe necessarium, ut commercia cum indigenis, & externis stare possint.

V. Hoc autem pacto monopolia circa cambia fieri solent ex Sal. dub. 38. Nummularii initio nundinarum præoccupant totam fere pecuniam sumendo eam ad cambium sub minori mercede ad diversa loca, ut sic ea in potestatem propriam redacta, non solum commune pretium pecuniæ, sed etiam cambiorum mercedem augeant: Aliquando etiam inter se conveniunt campsores de non cambiendo, nisi pretio justo summo; nam si pretio injusto cambirent, procul dubio contra justitiam peccarent, & ad restitutionem tenerentur.

Demum, ut notat Ledesm. apud Sal. dub. 30. campsor aliquando videns penuriam pecuniæ esse in foro, solet pecuniam suam abscondere, servaturus in aliud tempus, quo plus valebit, & quando deinde videt pretium cambii auctum, illam manifestat; In quo casu peccatur quidem contra charitatem, & justitiam legalem, si id fiat cum notabili damno Reipublicæ, non tamen contra justitiam commutativam; Quod etiam dicitur, cum quis, v. g., occultat suum frumentum, & servat usque ad mensem Maji, ut carius vendat; quod certe est contra charitatem, si fiat in gravi necessitate Reipublicæ; Quamvis Tolet. putet. lib. 5. cap. 93. hoc esse etiam contra justitiam commutativam.

QUÆSTIO VII.

De Locatione, & Conductione.

EXaminandum primo, Quid sint? Secundo, Quid ferant? Tertio, Quomodo famuli, & alii conduci debeant? Ubi nonnulla alia huc spectantia resolvuntur.

ARTICULUS I.

Quid sint hi contractus, & quænam locari possint?

I. Per locationem Persona, vel res ad usum, vel fructum pretio conducitur; Per conductionem vero Persona, vel res ad usum, vel fructum pretio accipitur.

II. Quæ possunt vendi, universim locari possunt, nisi aliquando id jure vetetur. Res usu consumptibiles solum ad ostentationem locari possunt, non secus ac pecunia. Res vero locata potest sublocari, sine tamen detrimento primi locatoris.

III. Domus meretrici, aut usurario locari potest ab eo, qui non tenetur eorum peccata impedire; Non licet tamen sternere, v. g., lectum meretrici, nisi forte ad mortem evadendam. Immo nec ad evadendam mortem licitum est esse internuncium meretrici ad peccandum. Num liceat saltem ad mortem evadendam deferre litteras provocantes ad peccatum?

IV. Tenere domum ludo expositam, si ut plurimum ludentes blasphement, aut furentur, nullatenus licet. Immo nec Principes possunt id permittere, quamvis possint permittere meretrices?

V. Non licet aurigis concubinam conducere ad Amasium, ne lucrum amittant.

VI. Ne metu quidem mortis licitum est cooperari cum peccato proximi, ponendo actiones proxime ad illud concurrentes, puta admovendo scalas volenti ascendere ad Virginem stuprandam.

VII. Cur aliquando possint in triremibus, & in Castris permitti ludi, qui sæpe cum blasphemiis, furtis, & dolis conjunguntur; non tamen in Civitatibus? Et quare in Civitatibus Histriones permittantur?

VIII. Universim qui possunt vendere, possunt locare, & qui possunt emere, possunt conducere; nisi jure positivo id vetetur, ut in multis casibus.

I. LOcatio definitur *Contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pretio conducitur*: Dicitur, Quo persona, quia potest se ipsum quis, vel servum alteri locare: Dicitur, Vel res, sive mobilis, sive immobilis: Dicitur, Ad usum, vel fructum; quædam enim locantur ad usum, ut saccus, equus, domus, &c.: quædam ad fructum, ut ager, pascua, reditus, vectigalia: Dicitur demum, Pretio, idest re pecunia æstimabili; nam si fiat pro obsequio personali, v. g. erit contractus innominatus, Do, ut facias, &c.; Quare distinguitur Locatio a Venditione, & Mutuo, quia per hæc transfertur dominium, distinguitur a Commodato, & Precario, quia his conceditur res liberaliter absque pretio; distinguitur a Deposito, quia

vi

vi depositi non conceditur usus rei, nec ejus fructus.

Econtra Conductio est *Contractus*, *quo persona, vel res ad usum, vel fructum pretio accipitur*; nam locatio, & conductio sunt contractus reciproci, ut emptio, & venditio.

II. Quæritur nunc primo; Quænam possint locari, aut conduci?

Respondeo, ea omnia, quæ possunt vendi, & emi, possunt pariter locari, & conduci, nisi jure aliquo prohibeatur; nam servitutes reales, ut prædiales, possunt vendi, non tamen locari, ex leg. *Locare*, ff. *Locati*; sicut econtra bona pupilli, Minoris, Ecclesiæ, & dotalia locari possunt, non vendi. Præterea res usu consumptibiles, ut panis, vinum, oleum, vendi possunt, non locari; nisi ad ostentationem, & pompam, vel ad pignus, eo quod per usum destruantur, nec fructum ullum ferant; Et idem dicas de pecunia. At res conducta non potest vendi, sed solum potest alteri sublocari, dumodo non patiatur inde damnum primus locator. Hinc fit, non posse conductorem sublocare meretrici domum conductam, quia id cederet in opprobrium primi locatoris, ut notat Trull., & Reginald.

III. Rogabis hic, An liceat locare domum meretrici, aut usurario, & universim rem aliquam ei, qui putatur ea abusurus?

Respondeo, in malum finem certe locari non posse; ad finem vero indifferentem, v. g. domum ad habitandum locare meretrici, aut usurario, tunc secluso scandalo possumus, quando non tenemur impedire illa peccata, quæ ibi committuntur, ut notat Less. cap. 24. dub. 7., Filliuc. tract. 36. cap. 1. quæst. 7., Trull. lib. 6. cap. 1. dub. 11.: Quare cum peccata meretricis, & usurariorum non teneamur impedire, siquidem permittuntur a Republica ad majus malum vitandum, ideo licitum est iis domum locare, etiamsi prævideantur ibi peccata esse patranda. Clericis autem cap. 1. de Usuris in 6. vetatur locare dommum Usurario publico alienigenæ.

Non licet tamen lectum, v. g., sternere meretrici, quia magis proxime ad peccatum se habet lectus, quam domus; & ideo ad cooperandum materialiter illius peccato, sternendo lectum, requiritur causa gravissima, v. g., si cæteroqui servo mortem minetur dominus: Immo nec gravissima isthæc causa satis est, ut possit licite famulus ferre litteras provocantes ad peccatum, ut communiter docent cum Sanch. contra nonnullos apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 46.: Esse vero internuncium invitando meretricem ad peccatum, ne ad mortem quidem declinandam licere, docent communissime, cum id sit intrinsece malum.

IV. Præterea communissime pariter Doctores cum Dian. part. 7. tract. 9. resol. 39. Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 9. docent contra Machadum, & Vincentium Justinianum, peccare mortaliter qui tenet domum ludo expositam; Nec posse Principes ad id dare facultatem, nec permittere; quia talis actio ut plurimum conjungitur cum blasphemiis, furtis, & dolis: peccata autem injustitiæ, & publica non possunt tolerari, ut possunt tolerari peccata occulta, v. g., meretricis: Ratio est, quia hæc non lædunt jus alterius, sunt occulta, & permittuntur ad majus malum vitandum; Eo modo, quo Judith sine peccato ornando se, permisit peccatum Holofernis, quod prævidebat, ad vitandum gravius malum servitutis publicæ; Sicut etiam permittuntur peccata Usurariorum, ne cogantur egeni vendere minimo pretio res suas: Ludus ergo, qui proxime conjungitur cum blasphemiis, & peccatis contra justitiam, non potest permitti præcise, ne pretium locationis domus amittatur; sicut nec potest vendi gladius, v. g., ementi illum ad occidendum inimicum: Quamvis possint vendi ea, quæ non proxime, sed remote cum peccato conjunguntur. v. g. ornamenta meretrici; quia malus usus tribuitur malitiæ utentis, ut notat Less., & Trull. lib. 6. cap. 1. dub. 12., quod pariter confirmabimus infra cum de Contractu Ludi quæsit. 2.

V. Dices primo; possunt ex Dian. part. 3. tract. 6. resol. 11., & Trull. loc. cit., qui sedes locant, vulgo *Seggettari*, necnon aurigæ conducere concubinam ad amasium, ne lucrum amittant; ergo pariter licitum est domum locare ludentibus.

Respondeo, antecedens non esse admittendum, & Dian. loc. cit. asserit esse id reprehensione dignum; Quod si nonnemo id admisit, inde est, quia, ut diximus, minor causa requiritur ad permittenda peccata luxuriæ, & occulta, quam injustitiæ, & blasphemiæ publica, quæ communiter committuntur a lusoribus: Eadem ratione licitum est ex Less. lib. 4. cap. 2. n. 24. carnes vendere volentibus frangere jejunium, quando si ego non venderem, facile ab aliis venderentur; nam in hoc casu non vendendo non vitarem peccatum internum illius, & peccatum externum adhuc poneretur, eo quod ab aliis hic emeret carnes; Sic etiam ex Molin., Rebel., Valent. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 44. licet vendere vinum iis, quos prævideo revendituros cum fraude.

VI. Verum si actio mea proxime cum peccato conjungatur, ut est scalas admovere, vel humeris sustentare, quem scio velle furari, aut velle ascendere ad Virginem stuprandam, non licet id facere, etiamsi alter id præstaret, me recusante: Quicquid sit an aliquando excuset causa urgentissima, verbi gratia, timor mor-

tis: Qua de re fuse diximus in Trutina thesium damnatarum exponendo thesim quinquagesimam primam ab Innoc. XI. confixam, ubi ostendimus probabilius esse, quod actiones hujusmodi proxime ad peccatum alterius cooperantes sint intrinsece malæ, atque adeo ne metu quidem mortis licitum esse sic cooperari cum peccato alterius: quamvis in illa profligata thesi solum damnetur, quod famulus actiones hujusmodi citra mortale exercere possit, quando incurritur metus notabilis detrimenti, *puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*.

VII. Dices secundo: Multi apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 15. putant permitti posse ludum, vulgo *Delli Bonavoglia*, existentibus in triremibus, & ludum, vulgo *Nel corpo di Guardia*, militibus ad tollendum illorum otium; ergo etiam in casu nostro.

Respondeo, transmisso antecedente, nego consequentiam: Disparitas est, quia ludus in triremibus, & in Castris permittitur, ne qui in triremibus sunt, & milites, dum otiantur, majora mala meditentur: at non licet in Civitate ad hunc finem ludum permittere; tum quia majora mala sequuntur ex ludo in Civitate: tum etiam quia multi filiifamilias furantur, ut ludant, &c.; tum demum quia non tam facile ex civibus, quam ex militibus grave malum timetur: Permittuntur solum histriones ad vitandum otium civium, quia ad permittenda peccata illa luxuriæ minor causa requiritur, quam ad permittenda peccata injustitiæ, & blasphemiæ.

VIII. Quæritur secundo: Quinam possint locare, & conducere?

Respondeo, ut in superiori quæsito, posse locare omnes, qui possunt vendere; & posse conducere omnes, qui possunt emere, & econtra, nisi jure positivo prohibeantur: Nam Tutor, & Curator possunt bona pupilli, & Minoris locare, non tamen vendere; Sicut maritus bona dotalia; & conductor bona locata potest sublocare, non vendere: Sic fundi Ecclesiastici locari possunt ad triennium, non vendi; quamvis si alternis annis fructificent, possint ad sexennium locari, & si tertio quoque anno fructificent, possint locari ad novennium, ut notat Hurt. hic difficult. 3.: Contra vero emere possunt prædia, non tamen conducere milites, sicut nec Curiales, (idest qui obligati sunt Curiæ, ut administratores rerum Fiscalium,) donec rationem administrationis reddiderint; Nec Tutores, & Curatores vectigalia conducere possunt, quousque suæ administrationis rationem non reddiderint: Nec Clerici, aut Monachi conducere possunt lucri causa extra necessitatem prædia laicorum; quamvis possint succedere alteri, qui ea conduxit, ex Cap. 1. *Ne Clerici, De vita, & honestate Clericorum*.

ARTICULUS II.

Quid ferant Locatio, & Conductio.

I. Locator expensas necessarias ad usum rei locatæ tenetur solvere, necnon onera, ac tributa eidem annexa.

II. Quatuor de causis Conductor expelli potest ante tempus præfixum; præsertim si tempore statuto pensio non solvatur.

III. Nequit Conductor absque justa causa rem conductam ante præfixum tempus dimittere. Quænam autem dicatur justa causa?

IV. Si Conductor citra suam culpam nequeat uti re conducta, num teneatur pensionem solvere, ubi impedimentum casu obveniens se teneat ex parte rei conductæ? Et quid, si obveniat ex parte Conductoris?

V. Qui vespere conducit operas pro die sequenti, & mane certiorem facit locatorem, quod iis non indigeat, ad quid tenetur?

VI. Quando ex infortunio aliquo fructus consueti non percipiuntur, num possit Conductor petere pro rata pensionis dimmutionem?

VII. Num vice versa teneatur pensionem augere, quando habetur casu magna ubertas?

I. Quæritur primo; Ad quid teneatur Locator?

Respondeo teneri locatorem, Primo manifestare Conductori vitium rei occultum; non secus ac tenetur venditor. Secundo, solvere Conductori expensas necessarias, ut possit re locata uti ad eum usum, ad quem illam conduxit; necnon expensas utiles ad eundem usum, dummodo melioratio rei nequeat ab illa separari absque detrimento. Tertio, solvere onera, & tributa annexa rei locatæ; onera tamen annexa fructibus rei, seu pro iis imposita, & expensæ factæ ad arandum, metendum, &c., solvendæ sunt a conductore. Quarto, non repetere rem locatam ante præfixum tempus.

II. Potest tamen quatuor de causis conductor expelli ante tempus. Prima est, si res conducta indigeat reparatione, quæ fieri nequeat, nisi conductor expellatur. Secunda, si conductor abutatur re conducta, sive ea scandalose utendo, sive damnum illi inferendo. Tertio, si conductor non solvat pensionem tempore consueto, aut statuto; Frangenti enim fidem fides non est servanda: Quamvis si rem ultra biennium conduxit, non possit expelli, nisi per biennium differat solutionem, ut notat Hurtad., non ex jure naturali, sed ex benignitate juris Canonici, ex Cap. *propter sterilitatem, de Locato, & Conducto*. Quarta, si domus locata ex fortuito casu non præviso necessaria sit locatori ad habitandum, puta si domus, quam habitabat, corruat,

ruat, vel comburatur, & nequeat aliam commode invenire. Ab hærede tamen suo successore particulari, puta a donatario, ab emptore, & a legatario rei locatæ potest expelli jure positivo, ex leg. *Qui fundum*, *ff. Looati*, dummodo compensetur conductori damnum, quod illi provenit ex expulsione.

III. Quæritur secundo; Ad quid teneatur Conductor?

Respondeo, conductorem primo non posse uti re conducta, nisi ad usum, propter quem illam conduxit, invito scilicet locatore. Secundo, non potest sine justa causa ante tempus præfixum rem conductam dimittere: Quod si dimittat, tenetur integram pensionem solvere, & damnum locatori, si quod evenit, restituere. Est autem justa causa dimittendi, si absque sua culpa non possit commode uti re conducta, puta si equus infirmetur, si pars domus conductæ corruat; vel si nequeat commode uti ob pestem, ob bellum, ob gravem inimicitiam, ob quam expedit conductori alio migrare, ex lege *Labores*, *ff. Locati* apud Hurtad. diff. 5. Tertio tenetur expleto tempore rem conductam integram restituere, nisi absque sua culpa facta sit deterior. Quarto tenetur solvere pensionem tempore præstituto, ita ut si pro quolibet mense solvenda sit pensio, debeat illam solvere in fine mensis, si pro quolibet anno, in fine anni, si pro tribus annis, in fine triennii, ut notat Filliuc. tract. 36. cap. 3 & Bonac.

IV. Quæritur tertio; An teneatur Conductor pensionem solvere, quando absque sua, & locatoris culpa non potuit uti re conducta?

Respondeo cum Less. Molin. Filliuc. Rebel. & aliis apud Hurtad. quod si convenerit cum locatore, quod in quovis casu pensionem solvat, ad illam teneatur, ex leg. *Si quis fundum*, *ff. Locati*; quia tale pactum est justum, dummodo pensio ob tale onus sit minor. Quod si talis conventio non præcessit, distinguendum est; nam vel impedimentum casu obveniens se tenet ex parte rei conductæ, verbi gratia, quia æquus, vel famulus infirmatur, aut domus ruinam minatur, aut ob pestem, vel bellum, propter quod domus deseritur, vel prædium non colitur; & in his casibus pensionem non tenetur solvere, nisi pro rata temporis, quo ea re potuit uti, ex lege dicta *Si fundus*: Vel impedimentum se tenet ex parte conductoris, verbi gratia, quia assumitur in dignitatem, ob quam ei non sufficit domus conducta, vel quia moritur, & in tali casu tenetur pensionem solvere, ex leg. *Qui operas*, *ff. Locati*; id enim æquitas postulat.

V. Notat hic Dian. part. 2. tract. 6. resol. 15. quod si quis, verbi gratia, vespere conducat operas pro die sequenti, & mane statim faciat certiorem locatorem, quod non indigeat opera ejus, non tenetur ad mercedem pro illo die, dummodo certum sit, quod pro eo die locator non esset alteri rem illam locaturus; quia locator nullam mercedem amittit mea causa.

VI. Quæritur quarto; An Conductor teneatur ad pensionem, quando ob sterilitatem anni, vel ob aliam causam non percipiuntur fructus, vel nonnisi diminuti percipiuntur?

Præmitto non esse sermonem de impedimento ex parte rei conductæ, de quo locuti sumus quæsito superiori, sed de infortunio erga fructus, quod contingit V. G. ob grandinem, ob gelu, ob nimiam pluviam, ex defectu pluviæ, vel si furto, aut incendio, aut alio casu perierunt. Nec est sermo, quando præcessit conventio; nam quilibet tenetur stare conventioni justæ. Notandum tamen ex Hurtado, quod si conductor obligavit se ad pensionem in quocumque casu grandinis, pluviæ; &c. tenetur ad illam, dummodo casus eveniens, non sit extraordinarius, & insolitus, qui scilicet a quadraginta annis non accidit, ut notat Trull. dub. 6. & Dian. part. 2. tract. 6. resol. 17. (quamvis si his etiam expresse renunciaverit, adhuc ad integram pensionem tenetur, dummodo pensio propter hoc onus diminuta sit) quia hic non censetur comprehensus sub ea conventione.

Respondeo itaque, quod quando nulla præcessit conventio, si nulli fructus percipiantur, conductor non teneatur ad pensionem, ex leg. *Ex conducto*, *ff. Locati*. Si vero sterilitas, & calamitas sit modica, tenetur integram pensionem solvere: Si tamen sterilitas, & calamitas sit magna, tenetur pensionem solvere non integram, sed pro rata, ex leg. *Si merces*, *ff. Locati*; dummodo sterilitas hujus anni non compensetur ubertate magna anni præcedentis, aut subsequentis, ut habetur in cap. *Propter sterilitatem*, *de Locato*, *& Conducto*. Dicitur autem sterilitas magna, quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum, quos dare consuevit, ut docent aliqui apud Hurtad. vel vix duas tertias partes, ut Navar. apud Trull. dub. 6. aut quando detractis expensis non supersunt fructus ad solvendam medietatem pensionis.

VII. Putant etiam Less. & Bonac. contra Rebel. & alios cum Hurtad. diff. 7. quod si ubertas aliquo anno sit magna ex casu, non ex industria conductoris, augenda sit pariter pensio pro rata: Verum in hoc standum consuetudini loci; Nam jus positivum, quod obligat ad diminuendam pensionem, quando est magna sterilitas, non obligat ad pensionem augendam, quando est magna ubertas, & jus naturale fert, ut neque ob ubertatem augeatur, neque ob sterilitatem pensio minuatur.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Conductione famulorum, & aliorum Officialium.

I. Stipendium justum famulorum, & similium operariorum est, quod dari iisdem communiter consuevit; ita ut decrescat, quando est illorum copia, aut quando cum famulatu conjunguntur alii honores, & lucra.

II. Qui liberaliter alicui voluit inservire, nequit labores sibi compensare.

III. Si ultro quis se offerat ad inserviendum domino, qui illo non indiget, satis est, quod habeat alimenta: At si illo indiget dominus, hic tenetur dare illi stipendium aliquanto minus consueto justo.

IV. Pueris honorariis, quando pretium non est taxatum, dari solet in retributionem victus, vestitus, ac bona educatio, ita ut deinde promoveantur.

V. Qui Episcopis inserviunt, nequeunt citra simoniam velle obligare illos ad conferenda sibi Beneficia: Compensari tamen solent eorum obsequia victu, vestitu, & nonnullis stipendiis, nisi censeantur ea remittere.

VI. Famuli, qui necessitate coacti paciscuntur de pretio injusto, quandonam possint occulta compensatione uti?

VII. Num teneatur ad restitutionem Sacerdos, qui necessitate coactus promittit duo Sacra pro uno stipendio consueto, & deinde unum tantum Sacrum offert?

VIII. Famulo per unam, aut alteram hebdomadam ægrotanti ex æquitate debetur salarium, necnon alimenta, & expensæ moderatæ ad ejus curationem.

IX. Num Capellanus per breve tempus ægrotans teneatur per alium celebrare? Et quodnam dicatur breve tempus?

X. Secundum se qui pluribus locat operam suam in solidum, potest a singulis integrum stipendium accipere.

I. CErtum est, famulis, aliisque Officialibus stipendium justum esse solvendum, modo fideliter laboraverint, saltem infra infimam laboris debiti latitudinem; aliter non solum tenentur restituere stipendium pro rata laboris omissi, sed etiam lucrum cessans, & damnum inde emergens domino. Pretium autem famulorum, illud dicitur esse justum, quod passim dari solet hujusmodi operariis, itaut non sit minus infimo, nec majus summo: Quare, ut notat Trull. dub. 5. stipendium justum dici debet, quando tantum est, quantum alii recipiunt, vel quando non desunt multi alii, qui eodem pretio inservirent, vel quando conventum fuit solum de tanto pretio.

Ubi notat Filliuc. tract. 36. cap. 6. quod aliquando multis laboribus poterit esse proportionatum parvum stipendium, si cum eo conjungantur alii honores, & emolumenta.

II. Notat etiam Filliuc. tract. 30. cap. 3. apud Trull. dub. 5. quod famulus præstans obsequio expendens aliquid animo liberali, aut ex charitate, & pietate in negotio alterius gerendo, non possit deinde mutata voluntate aliquid exigere, aut occulte compensare, cum non possimus repetere, quod jam donavimus: quamvis re integra possit mutare voluntatem, & velle propter pretium id facere, & non animo liberali.

III. Certum videtur secundo ex Laym. & Trull. quod si conductor non egeat opera alterius, sed solum ex misericordia exoratus ipsum conducat, tunc satis sit illi alimenta dare; Si vero dominus vere eget illius opera, aut magnam inde habet utilitatem, tenetur pro illa dare pretium justum saltem infimum; quia ille non intendit donare, sed vendere, quamvis ratione spontaneæ oblationis possit aliquid decrescere ab infimo pretio, cum merces ultroneæ vilescant.

IV. Certum est tertio, quod pueris honorariis, qui vulgo *Paggi* dicuntur, quando nullum stipendium taxatum est nec expresse, nec tacite, censetur competens retributio esse victus, & vestitus, ac bona educatio secundum statum suum. Solent autem Magnates dictis pueris, & aliis famulis præter sustentationem, in retributionem obsequiorum tribuere deinde illis majorem gradum obsequii, vel constituere aliquod stipendium, vel procurare illis aliquod officium a Principe.

V. Præsules etiam solent remunerari eos, qui in eorum obsequio sunt, beneficiis Ecclesiasticis, vel pensionibus ex gratitudine, non ex justitia; nam justa eorum merces solet esse victus, vestitus, & nonnullis aliquod etiam stipendium certis anni temporibus ad arbitrium domini. Notatque Less. apud Trull. minui aliquando posse justum stipendium, quando famulus illud non exigit, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum aliquod officium, vel beneficium, vel benevolentiam; censetur enim tunc sponte dare. Si tamen intenderet obligare hoc pacto Episcopum ad conferendum sibi beneficium Ecclesiasticum, committeret simoniam, & dominus teneretur defectum stipendii supplere.

VI. Quæritur nunc primo; An famuli, qui ob paupertatem coguntur pacisci de pretio injusto, possint uti occulta compensatione, quando non possunt aliter a dominis justum sui famulatus stipendium habere?

Respondeo, nonnullis visum esse id licitum. Primo quia, ut notat Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 58. qui ob necessita-

tem cogitur emere triticum pretio injusto, potest procul dubio se indemnem servare; quia injuste venditor agit, debetque putare, quod ille vere non consentiat tali pretio; ergo etiam famulus, qui cogitur propter necessitatem vendere suum famulatum pretio injusto, potest se indemnem servare; nam posito, quod dominus voluit emere famulatum, se implicite ad pretium justum obligavit. Secundo, Suar. de Sacr. disp. 86. sect. 4. apud eundem Tambur. num. 51. putat, quod si Sacerdos paupertate coactus acceptavit pro tenui stipe missam celebrare, possit ab injusto pacto resilire, & se indemnem servare; ergo etiam in casu nostro. Tertio, docet Lug. de Justit. disp. 16. sect. 4. num. 82. sicut qui necessitate ductus petit mutuum promittendo usuras, non tenetur ex justitia propter fraudulentam istam promissionem usuras solvere, eo quod ex vi contractus mutui, quem libere vult inire mutuator, non habet jus ad usuras: Et eodem modo, qui ex necessitate cogitur vendere triticum infra pretium justum, potest servare se indemnem; quia ex vi contractus emptionis implicite se obligat emptor ad pretium justum; ergo idem dicendum in contractu conductionis, ut si famulus ob paupertatem velit operam suam locare infra pretium justum, possit se servare indemnem.

Verum quamvis talis compensatio licita sit, quando per vim, aut dolum coguntur famuli injusto pretio inservire, ut communiter Doctores docent; non tamen quando sponte contrahunt; Unde damnata est prop. 37. ab Innoc. XI. dicens: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Ratio est, quia, ut notat Villalob. apud Dian. part. 2. tract. 6. resol. 16. & Tambur. loc. cit. dominus facile in tanta multitudine famulorum alios reperisset, qui propter idem pretium inservirent; unde famulus, qui fingit se consentire in pretio, quod judicat minus justo, decipit dominum, & cum hac deceptione est causa injusta damni, quod ille patitur per occultam istam compensationam, quæ non fieret ab alio servo.

Bene tamen advertit hic Carden. & Puent. Hurtad. (ut fusius dixi in Trutina Theologica hanc thesim exponendo,) quod licita sit compensatio sub circumstantiis suis, non solum quando dominus cogit ad inserviendum, minuendo de pretio justo, aut quando non solvit, quod tenetur ex pacto, sed etiam quando judicio Confessarii, aut alterius non quomodocumque docti, sed valde periti (cum in ea re non quilibet possit justitiam pretii dijudicare,) perspicuum est, pretium esse injustum; solum enim Pontifex contendit non esse licitam compensationem, per hoc, quod ipse famulus ferat judicium probabile de injustitia pretii.

Hinc patet ad rationes in contrarium adductas; Immo paritas mutui adducta à De Lugo retorquetur; Nam sicuti si tu promittendo usuras ita decipis mutuantem, ut sis causa injusta damni (quod forte patitur per mutuationem) aut cessationis lucri, certe teneris tale damnum emergens, aut lucrum cessans compensare: Eodemque modo qui necessitate, & paupertate coactus cogitur vendere infra justum pretium, non potest se servare indemnem, quando ex hac deceptione est causa cur dominus damnum aliquod patiatur, videlicet quia si non emeret à te pretio hoc, facile ab alio haberet, qui vel donaret, vel venderet eodem pretio rogando; in quo casu pretium justum esset minus, cum merces ultroneæ vilescant: Ergo idem dicendum in conductione. Si tamen dominus ab aliis eundem famulatum haberet minori pretio, etiam injusto, eo quod vel illos cogeret, vel illi etiam necessitate cogerentur, recurrit doctrina superius data à Puente Hurtado, & Carden. quod tunc sit licita compensatio, quando judicio aliorum valde doctorum perspicuum est pretium esse injustum. Quod etiam dicendum quando quis necessitate ductus cogitur vendere pretio infra justum. Facile tamen accidit in tanta famulorum copia, ut a dominis reperiantur famuli, qui rogent, ut in servitutem admittantur; in quo casu licet dominus teneatur illis pretium justum dare, at quia famuli rogant, ideo pretium famulatus vilescit.

Quando autem famulus rogat dominum, ut emat suum famulatum, (quo forte non indiget,) eo quod non possit facile alium dominum reperire, tunc si consentiat in pretium, quod esset justum rogantibus, non poterit petere pretium, quod est justum relate ad non rogantes; Siquidem per deceptionem esset causa injusta damni domini. Exemplificemus; Sit pretium infimum justum famulorum decem, si famulus consentiat in septem, non poterit alia tria compensare. Ratio est, quia dominus facile in tanta famulorum copia habet alios, qui rogant pro septem famulari; in quo casu justum esset tale pretium relate ad hos rogantes, juxta sententiam illam, quod merces ultroneæ vilescunt saltem pro tertia parte, & juxta nonnullos etiam pro medietate: ergo non poterit amplius quam septem talis famulus exigere: quia quamvis pretium justum relate ad eos, qui non rogant, sit decem, tamen dum famulus consentit in septem animo compensandi alia tria, decipit dominum, & est causa injusta illius damni, quod patitur: Et idem dicendum erit de emente, & vendente, & de offerente sacrificium pro tenui stipe, si eodem modo fuerint causa injusta damni per deceptionem.

VII. Cæ-

VII. Cæterum communius sententia Doctorum apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 7. est, quod qui ob tenuem stipem promisit totam missam applicare, non possit pro eadem quicquam ab alio accipere; præsertim post decretum Sacræ Congregationis Concilii apud Tamb. lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 1. num. 8. in quo hæc habentur: *Ubi pro pluribus missis plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua collata fuerunt, Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ut absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; aliter graviter peccant, & ad restitutionem tenentur*. Non me latet, quod hoc decretum nitatur interpretari Puente Hurtadus in expositione propos. 37. ab Innoc. XI. damnatæ, ubi docet id non intelligi, quando necessitate compulsus cogitur Sacerdos modo dicto pro tenui stipe missam celebrare. Et idem docet Peyrin. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 52.: Equidem tamen cum eodem Dian. huic opinioni non subscribo; cum decretum loquatur absolute, & juxta eam sententiam plurima incommoda facile sequuntur adversus animas in igne Purgatorii conflagrantes.

VIII. Quæritur secundo: An famulo debeantur alimenta, & merces tempore ægritudinis?

Respondeo, communius docere cum Bonac. Rebel. contra Molin. & Laym. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 86. quod non tenetur dominus solvere salarium famulo ægrotanti, nisi sit consuetudo alicubi in contrarium, & nisi sit in extrema, vel gravi necessitate, in quo casu tenetur tantum ex charitate. Ratio est, quia per famulum stat quominus operam suam præstet; Et quamvis in hoc culpam non habeat, tamen vere deficit in iis, ad quæ tenetur, præstandis: Ex æquitate tamen per modicum tempus, videlicet si per unam, aut alteram hebdomadam ægrotet, videtur salarium deberi, ut putat Trull. lib. 4. cap. 1. dub. 5. Sylvest. Bonac. Quod diximus de salario, dicendum etiam de alimentis, & de expensis etiam moderatis ad curationem necessariis, ut notat Hurtad. hic difficult. 8. nullo enim titulo debentur ex justitia, ut docet Bonac. & Rebell. contra Vasq. Sylvest. & Covar.

IX. Cappellanus etiam ægrotans per aliquot dies non tenetur per alium celebrare, ut videre est apud Summam Dian. *V. Missæ stipendium*, ubi Riccius putat, id esse verum, si tantum per octo, vel decem dies ægrotet, Mendoza per mensem, Peyrin. per bimestre, quia hoc videtur spatium breve relate ad annum.

X. Quæritur tertio: An qui pluribus in solidum locat operam suam, possit a singulis integrum stipendium accipere?

Respondeo cum communi affirmative; quando scilicet opera locata omnibus, & singulis est æque utilis, ac si esset pro uno duntaxat præstita. Ratio est, quia qui Romam, verbi gratia, proficiscitur propter proprium negotium, potest etiam ire propter negotium Titii, exigendo ab illo pretium, perinde ac si tantum propter Titium iret, ut communiter Doctores docent; ergo etiam qui proficiscitur Romam propter negotium Titii, a quo accipit pretium, potest etiam ire propter negotium Caji, & itidem a Cajo aliud simile pretium exigere; quia valor profectus non minuitur per hoc, quod pluribus sit proficuus: Sic qui profecturus Romam indiget equo, si inveniat equum reductivum, potest pro illo reducendo pretium exigere, ut omnes etiam Doctores docent; ergo etiam in casu nostro locans operam quampluribus in solidum singulis æque utilem, ac si pro illo solo locaretur, potest a singulis integrum stipendium accipere.

Notandum tamen cum Hurtad. diff. 9. hoc non militare, quando ad vitandam injustitiam locatoris taxatum sit stipendium operæ locatæ; tunc enim illi stipendio rationabiliter taxato standum est, sive opera sit proficua uni, sive pluribus.

XI. Utrum autem Sacerdoti, qui tenetur dicere Missam pro sola præsentia, ut ajunt, liceat unum stipendium accipere pro præsentia, & alterum pro applicatione Missæ? Negant Gavan. & Barbos. apud Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 14. tum quia Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii præcipit, ut pro singulis Missis singula stipendia accipiantur; tum etiam quia, ut notat Dian. part. 5. tract. 14. resol. 35. ex Rodriq. in tali casu stipendium, quod acciperetur pro applicanda Missa, videretur accipi pro re spirituali; atque adeo simoniace. Sed, ut notavimus in Trutina Theologica exponendo thesim octavam ab Alex. VII. proproscriptam, probabile est id licere (ut docent Suar. disp. 86. sect. 5. Vasq. & Lug. disp. 21. de Euchar. n. 21. qui scripsit post laudatum decretum) dummodo constet, quod offerens stipendium pro officiatura solum exigat præsentiam, sive ob concursum populi, sive ut speciali honore talis locus afficiatur. In hoc enim casu unum stipendium accipitur pro labore extrinseco Missæ, ut scilicet Missa in tali loco, & tempore celebretur, alterum pro Missæ applicatione, quando liberum est Sacerdoti Missam, cui maluerit, applicare. In dubio tamen an offerens stipendium velit utrumque, videlicet & præsentiam, & applicationem, nequit duplex stipendium accipi, ut docent communius contra Marchin. apud eundem Tambur. num. 19. Nec accipitur simoniace stipendium pro Missæ applicatione, quia accipitur ob sacrificantis sustentationem, ut explicavimus loco laudato.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Promissione, & Donatione.

QUærendum primo: Quid ferant isti Contractus? Secundo, quando obligent, & quomodo? Tertio, Quinam, & quantum donare possint? Quarto, Quandonam possit revocari Donatio?

ARTICULUS I.

Quid importet Promissio, & Donatio?

I. Promissio est spontanea, vera, ac deliberata fidei obligatio de re bona, & possibili.
II. Promissio prodiga etiam jurata non obligat, si ejus executio sit illicita; Quod si executio sit licita, probabiliter obligat solum ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas.
III. Donatio est datio liberalis; sive fiat ex liberalitate, sive ex gratitudine, quia res donata ex justitia debeatur. Jure positivo non transfertur dominium per donationem ante traditionem rei donatæ.
IV. Inter promissionem, & donationem verbalem fere nullum est discrimen.
V. Differunt tamen a Pollicitatione, quippe quæ stat sine acceptatione; Necnon a Pacto, quod fert utriusque contrahentis obligationem; Et a Stipulatione, quæ importat formulam quandam contrahendi.

I. QUæritur primo: Quid sit Promissio? Respondeo cum Less. Promissionem esse *Spontaneam*, *veram*, *& deliberatam fidei obligationem factam alicui de re bona*, *& possibili*. Dicitur *Spontanea*, nam vi, & metu extorta non obligat. Utrum autem promissio metu levi extorta sit valida jure naturæ? Dissidium est apud Doctores; Affirmant enim Sanch. lib. 4. disp. 14. cum Less. cap. 17. Negant Azor Molin. Vasq. ut diximus in Opusculo de Principiis Moralitatis quæst. 4. art. 1.; videtur quippe tam promissio, quam donatio natura sua postulare, ut liberaliter fiant: Dicitur *Vera*, nam promissio ficta non obligat, nisi aliquod inde damnum sequatur, ut dicemus fuse cum de Sponsalibus: Dicitur *Deliberata*, quia sine plena deliberatione, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, ne sub veniali quidem obligat: Dicitur *Fidei Obligatio*, nam propositum purum aliquid faciendi non obligat, nisi fides detur, & obligetur, seu nisi promittens velit se obligare ex virtute fidei, seu fidelitatis: Dicitur *De re bona*, *& possibili*; nam de re mala non obligat; Unde qui promisit ob pecuniam acceptam occidere inimicum, tenetur solum pecuniam restituere, antequam inimicum occidat; Nec obligat si sit de re impossibili, siquidem ad impossibile nemo tenetur.

II. Præterea promissio prodiga, quando ejus executio est illicita, non obligat, etiamsi juramento firmata sit; At si executio, & impletio promissionis prodigæ non sit illicita, obligat, quamvis facta fuerit cum peccato saltem veniali: Sicut in communiori sententia qui promisit dare Cajo centum propter homicidium, quamvis peccet promittendo, tenetur tamen posito homicidio implere promissum. Quare in casu nostro, si puella nobilis, verbi, gratia prodige promisit matrimonium pauperi, & ignobili contra voluntatem parentum, quamvis peccarit promittendo prodige, tenetur tamen juxta sententiam Less. Sanch. lib. 3. disp. 2. & Molin. disp. 271. stare promissioni dictæ, posito quod sine peccato illam implere possit; quia quamvis ante obligationem talis promissionis velle hujusmodi matrimonium contrahere sit peccatum saltem veniale prodigalitatis; at posita obligatione promissionis est solutio debiti, & actus fidelitatis, vel justitiæ; Sicut enim prodiga donatio incipiens a reali traditione (hoc est quando res ipsa simul traditur) vere transfert jus in rem, ita prodiga promissio transfert jus ad rem, quo jure posito teneris implere promissum.

Multi tamen cum Ledesm. Salon. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 27. docent oppositum; quod scilicet promissio prodiga, etiam juramento firmata, non obliget, nisi solum ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas, non vero ad incrementum; quia cum largitio prodiga sit saltem peccatum veniale, promissio licet jurata de tali traditione est nulla, eo quod sit de re mala; Unde qui promisit prodige centum meretrici, tenetur solum illi dare, quod alii ejusdem conditionis eidem dare consueverunt.

III. Queritur secundo: Quid sit Donatio? Respondeo esse Dationem liberalem, seu quæ fit ex liberalitate, vel gratitudine, ita ut nullatenus ex justitia res donata debeatur: Duplex autem datur donatio: Una, quæ conjungitur cum reali traditione rei, quæ donatur, & hæc transfert dominium rei in donatarium: Altera vero, quæ non conjungitur cum reali traditione rei, sed solum cum traditione verbali, seu cum promissione traditionis; & hæc quamvis natura sua sufficiens esset ad dominium transferendum, jure tamen positivo non transfert, nisi sequatur traditio. Quare si res donata prius Cajo deinde donetur & tradatur, seu vendatur Titio,

hic acquirit illius dominium, & Cajus habet ſolum actionem perſonalem in donantem; nam per ſolam donationem verbalem acquiritur ſolum jus ad rem, non in re, ut notat Leſſ. lib. 2. cap. 18. num. 12.

IV. Hinc infertur, Primo, promiſſionem differre a donatione; quia per promiſſionem, quæ reſpicit donationem futuram, non transfertur dominium, per donationem vero etiamſi verbalem, natura ſua dominium transfertur. Verum quia ſtante jure poſitivo per donationem verbalem de facto non transfertur dominium, ideo parum intereſt, ut notat Leſſ.loc.cit.num.15.inter donationem verbalem, & promiſſionem, vel ad ſummum in hoc differunt, ut notat Wadingus, quod donatio etiam ante traditionem pariat actionem civilem, ſecus vero promiſſio.

V. Infertur ſecundo, promiſſionem differre a Pollicitatione; quia pollicitatio eſt nuda promiſſio, ſeu datio fidei, nondum ſecuta acceptatione, unde omnis pollicitatio eſt promiſſio, non e contra.

Tertio infertur, differre a Pacto, quia hoc fert in utroque paciſcente obligationem; Contra vero promiſſio in ſolo promittente. Quarto differre a ſtipulatione; quia hæc importat formulam quandam contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & reſponſione debitoris.

ARTICULUS II.

Quando obligent Promiſſio, ac Donatio; Et Quomodo?

I. Promiſſio, ac donatio mere interna, ſi fiant Deo, obligant, non tamen ſi fiant homini.

II. Obligat promiſſio interna de dando aliquid homini, ſi ea fiat ſoli Deo per modum voti.

III. Si promiſſio interna fiat homini cum juramento, & non per modum voti, non obligat, & ante acceptationem revocari poteſt.

IV. Nec datur obligatio patefaciendi promiſſario internam promiſſionem; Nec per illam transfertur dominium.

V. Univerſim promiſſio externa, etiam jurata, ante acceptationem non obligat, ſed poteſt revocari, niſi juramentum fiat per modum voti.

VI. Jure poſitivo promiſſio facta Civitati, aut Infanti parit obligationem ante acceptationem; & probabiliter etiam quæ fit ad pias cauſas.

VII. Promiſſio facta Civitati jure poſitivo ſolum revocari non poteſt ante acceptationem, nec datur obligatio illam implendi ante petitionem.

VIII. Pro foro externo, ut promiſſio ſit valida, debet exprimi cauſa, propter quam fit.

IX. Promiſſio, ac donatio, ſi fiant abſenti per Nuncium, aut per litteras, quonam pacto valide acceptentur? Et quid ſi ante acceptationem revocentur?

X. Poſt mortem donantis valide non poteſt acceptari donatio miſſa per Nuncium, aut per Epiſtolam; niſi detur mandatum Nuncio, ut nomine Principalis donet, & mandatum hoc non ſit ad pias cauſas.

XI. Probabilius ad duplicem ſolutionem tenetur Nuncius, ſi ſua culpa non fuerit tradita donatario res donata ante mortem donantis.

XII. Petrus donans Paulo agrum cum onere, quod det Titio mille poſt quinquennium, etiam elapſo quinquennio poteſt hoc onus revocare, ſi nondum ſit acceptatum a Titio.

XIII. Probabilius promiſſio acceptata in materia gravi obligat ſub gravi ex virtute juſtitiæ, aut fidelitatis valde affinis juſtitiæ, ſeu quæ ſit juſtitia minus rigoroſa.

XIV. In multis diſcriminatur obligatio orta ex juſtitia ab obligatione orta ex fidelitate, quæ eſt juſtitia minus rigoroſa.

XV. Eſt, qui velit obligationem promiſſionis pendere regulariter ab intentione promittentis; Et in dubio an promittens voluerit ſub gravi ſe obligare, judicandum ex communiter contingentibus.

XVI. In promiſſione ſolet ſubintelligi conditio illa, Niſi rerum ſtatus notabiliter mutetur.

XVII. Ut poſſit promiſſio acceptata obligare ſub gravi, requiritur materia notabilis, quæ eſt duplo, aut quadruplo major, quam in furto. Hinc qui omittit facere unum Sacrum debitum ex juſtitia, aut ex voto, peccat mortaliter: ſecus vero ſi illud debeat ex fidelitate.

XVIII. Promiſſio facta ob turpem cauſam revocanda eſt; at patrato ſcelere probabilius obligat.

XIX. Jure naturali ſunt irritæ promiſſiones, quæ citra culpam impleri non poſſunt; jure tamen poſitivo plures aliæ promiſſiones irritantur. Quandonam iſtæ poſito juramento obligant?

I. Quæritur primo: An promiſſio, vel donatio mere interna obligent?

Reſpondeo, obligare, ſi fiant Deo inſpectori cordium, non vero ſi fiant homini; quia ut poſſit homo alteri homini obligari, requiritur manifeſtatio ſenſibilis per ſigna externa; Sicut etiam requiritur acceptatio, ut mox dicemus; Et quidem utrumque probabilius jure naturali, ſeu jure gentium requiritur, quam jure poſitivo, ut docet Leſſ. cap. 18. dub. 5. & 6. Ratio eſt, quia id ubique gentium obſervatur: Quamvis ſi poſſent homines internas cogitationes cognoſcere (ſicut poſſunt Angeli, quando ad eos diriguntur) poſſet per actus mere internos illis fieri donatio, vel promiſſio.

II. Hinc

II. Hinc sequitur primo, promissionem internam tunc solum obligare, quando fit per modum voti, seu promissionis factæ soli Deo, quamvis sit de re grata homini; ut si quis voveat seu promittat Deo facere eleemosynam Petro. Ratio est, quia talis promissio non fit Petro, sed Deo.

III. Sequitur secundo, promissionem internam factam homini cum juramento, sed non per modum voti, non obligare, & ante acceptationem posse revocari. Ratio est, quia talis promissio non fieret Deo, sed fieret homini; Juramentum autem, quod superadditur, sequitur naturam actus, & imbibit conditionem illius actus, supra quem cadit, *ex leg. final.* Cod. *De non numerata pecunia*; ergo cum promissio, seu pollicitatio facta homini ex natura sua ferat hanc conditionem, videlicet nisi revocetur ante acceptationem, ut notat Trull.dub.4. sequitur, juramentum cum eadem conditione ad id solum obligare, quod scilicet impleatur promissum, si non revocetur ante acceptationem. Ita Trull. dub. 3. ex Sanch.lib.1.disp.7. & Bonac.disp.3.q.11.punct.2.

IV. Dian. part. 3. tract. 5. resol. 116. docuit cum Sot. Ledesm. & aliis, quod qui mente aliquid alteri promisit, aut donavit, teneatur patefacere illi, quod pollicitus est. At Less. loc. cit. cap. 18. num. 34. dicit hoc videri durum, & incredibile, & nusquam gentium sit usitatum. Docuit pariter Dian. ibidem probabile esse, quod per solum actum internum possit per donationem, vel promissionem transferri dominium: Unde putavit, quod pauper quidam, cui constitit Petrum aliquid illi promisisse per actum interiorem, poterat illud sibi compensare per occultam compensationem, eo quod non posset in judicio ipsum exigere; Et ita etiam Mendoz. Palat. Santarel. apud eundem; Quod tamen communius negatur.

V. Quæritur secundo: An promissio, vel donatio manifestata obligent ane acceptationem?

Respondeo cum Less. lib. 2. cap. 18. dub.6. Bonac. loc. cit. punct. 4. Trull. dub. 4. & aliis communiter, regulariter nullam parere obligationem neque naturalem, neque civilem, seu neque in foro interno, neque in externo ante acceptationem. Ratio est, tum quia jure gentium, atque adeo jure naturæ omnis promissio videtur involvere hanc tacitam conditionem, si acceptetur; tum etiam quia in omnibus aliis contractibus onerosis ubique gentium licitum est ante acceptationem pœnitere, & revocare suam oblationem, ut patet in contractu sponsalium, Matrimonii, &c. Nec opus est expectare, donec alter acceptet, vel rejiciat; ergo id etiam verum erit in contractu donationis, aut promissionis: Unde fit, quod etiamsi donatio fuerit jurata, possit ante acceptationem revocari (modo juramentum non sit per modum voti) quia scilicet juramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, & eandem conditionem imbibit. Et hinc etiam fit, quod mortuo donatario ante acceptationem donatio sit invalida, nec possit ab hæredibus acceptari; quia non fuit ad illos directa, nisi aliud constaret de intentione donatoris.

VI. Dixi, quod regulariter ante acceptationem non obligent, nam ff. *De pollicitationibus* statuitur, quod non possit revocari promissio facta Civitati ad instaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum, vel ad opus aliquod faciendum, si sit inchoatum; immo prædictam legis dispositionem extendunt aliqui cum Molin. contra Laym. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 107. ad donationes factas Ecclesiæ, vel ad pias causas. Illud certum est, quod si fiat per modum voti talis promissio, dirigendo intentionem ad Deum, revocari non possit; In dubio autem, an promissio facta ad causas pias fuerit facta per modum voti? putat Trull. dub. 4. ex Sanchez, præsumendum esse, quod fuerit per modum voti, quia ita communiter contingit fieri. Præterea in leg. *Jubemus*, Cod. *De emancipatione liberorum* præcipitur, ut donatio facta infanti ante acceptationem sit firma. Et donatio facta adulto præsenti in ipsius favorem, si taceat, censetur acceptata, ut communius docent cum Villalob. apud Trull. dub. 4. contra nonnullos.

VII. Dubium est, jurene naturali, an positivo promissio ante acceptationem non obliget? Putant aliqui, quod solum jure positivo, aliter promissio facta Civitati non obligaret. Sed communius docent, quod jure naturali, ut probant rationes adductæ pro conclusione. Ad id, quod objicitur, respondetur, promissionem factam Civitati non obligare ex natura sua, neque ex jure civili ante acceptationem, se solum ex jure civili habetur, ut ante acceptationem non possit revocari, sicut posset ex natura sua. Unde fit, ut non teneatur promittens implere talem promissionem ante acceptationem; Immo solum requiritur acceptatio facta a Civitate, sed etiam petitio, ut tenearis solvere; Nec tenetur promittens promissionem suam insinuare Civitati, cum nulla lex id præcipiat.

VIII. Notandum demum, quod, ut promissio sit valida in foro externo, requiritur præter acceptationem, quod exprimatur causa, propter quam promittitur, aliter præsumitur errore, aut joco facta, ut notat Covar. apud Trull. hic.

IX. Dubium est secundo, quomodo acceptari debeat promissio facta absenti?

Respondeo cum Less. & Trull. quod donatio per nuncium deferenda debet coram nuncio acceptari; nec sufficit, si acceptetur coram aliis;

quia mens contrahentis ea esse solet, quod contractus non sit validus, nisi coram nuncio ad id destinato acceptetur. Si vero contractus fiat per litteras, sufficit, quod litteræ ad promissarium, vel donatarium pervenerint, si promissio, vel donatio sint gratuita; In onerosis vero contractibus requiritur ulterius, ut tibi vicissim per litteras, aut per nuncium acceptatio, vel requisitio alterius innotescat. Quod si revocetur donatio, antequam acceptetur, distinguendum est, nam si revocatio innotescit nuncio, nuncius nihil potest operari; si non innotescit, subdistinguendum est, nam vel nuncius solum refert donationem, & pariter talis donatio erit nulla; vel nuncius habuit mandatum faciendi donationem, & ejus acta valent, tribuuntque donatario jus ad rem, & donatori injiciunt obligationem ad consensum, quia tenetur ratum habere, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est.

X. Dubium est tertio, An post mortem donatoris possit valide acceptari donatio missa per Epistolam, aut per nuncium?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 6. Trull. hic, & aliis, verius esse, quod possit valide acceptari; tum quia ex parte donatoris valida fuit, ex leg. *Nec ambigi*, Cod. *De donationibus*, & manet virtute impressa litteris, vel nuncio, ut ad donatarium transeat; tum etiam quia gratia non expirat morte concedentis, ex Cap. *Si super gratiam*, *De officio delegati* in 6. in casu autem nostro habetur gratia, & non habetur in rigore loquendo mandatum, quod morte mandantis expiret, (ut plurimi Doctores putant apud Sanch. & Less.) si tamen datum sit mandatum Nuncio, vel Procuratori, ut nomine Principalis donet, si tunc donator ante acceptationem moriatur, donatio est nulla; nisi facta fuerit in favorem piæ causæ, quia id præsumendum est de mente mandantis, ut notat Covarr. & Less. num. 46.

XI. Hinc infertur, quod si culpa nuncii donatio, verbi gratia, equi non fuerit facta ante mortem donantis, tunc nuncius non solum debeat restituere equum hæredibus defuncti, cum ad illos spectet, sed etiam pretium equi debeat dare donatario, ut notat Less. quia ex lege justitiæ tenebatur adhibere diligentiam debitam, ut mandatum in commodum donatarii impleret. Probabile tamen est ex eodem Less. & Sa, quod mandatum donantis sit gratia quædam, quæ non expiret morte mandantis, & juxta hanc sententiam nuncius non tenebitur ad duplicem hanc restitutionem, sed satisfaciet, si equum det donatario juxta mandatum, quod habuit.

XII. Dubium est quarto, An si Petrus donet Paulo, verbi gratia, agrum cum onere, quod post quinquennium det centum Titio, possit Petrus revocare hoc onus antequam a Titio acceptetur?

Respondeo cum Less. dub. 9. quod si acceptetur a Paulo donatio, eo ipso acquirit Titius jus ad centum, quod transit ad hæredes; dummodo acceptetur etiam a Titio: Quousque autem a Titio non acceptatur, semper a Petro revocari potest tale onus, non solum ante tempus, quo erat implendum, (verbi gratia, in casu adducto ante quinquennium) quod communiter docent, sed etiam, ut probabiliter docet Less. contra Clarum, elapso eo quinquennio, quia semper revocari potest donatio, antequam acceptetur.

XIII. Quæritur tertio: Utrum promissio externa acceptata inducat obligationem gravem, an levem?

Respondeo, Cajet. Fernand. Henr. Mœratium, & alios apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 9. & part. 4. tract. 4. resol. 122. & apud Less. num. 14. probabiliter docere, quod tantum obliget ex fidelitate sub veniali, quando non sequitur alteri notabile nocumentum propter promissionem præstitam. Ratio est, quia frangere fidem in promissis, non opponitur justitiæ, sed fidelitati, seu veracitati; nam veracitas non solum obligat conformare dicta menti, sed etiam facta dictis, unde qui promissa non implet, perfidus, & mendax est; mendacium autem non est per se loquendo nisi culpa venialis.

Alii cum Azor. Bonac. Sa probabilius, & communius docent obligare sub mortali, quod pluribus ostendit Less. Primo, quia jure civili omnis promissio facta per formulam stipulationis tribuit actionem in foro externo, & promissor cogitur illam implere, ut omnes Doctores docent; ergo omnis promissio inducit gravem obligationem vel justitiæ, vel alterius virtutis valde affinis justitiæ; nam formula stipulationis non addit in conscientia majorem obligationem, quam habeat promissio sine tali formula; quæ idcirco requiritur ad tribuendam actionem in foro externo, ut constet, promissionem cum plena deliberatione esse factam. Præterquamquod quamvis jure Digestorum requisita fuerit stipulatio, ut promissio obliget pro foro externo, non requiritur tamen jure Codicis, ex leg. *Si quis argentum*, Cod. *de Donationibus*: Et jure Canonico ex Cap. 1. *De pactis*, datur actio ex promissione acceptata, etiamsi formula stipulationis non intervenerit, ut communiter Doctores docent; Quamvis requiratur expressio causæ, ne præsumatur error; quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiæ.

Secundo, quia ex promissione datur jus ad rem, quod transit ad hæredes Promissarii; Sicut obligatio promissoris transit ad ejus hæredes; huic

huic autem juri respondet obligatio ex justitia, & ideo Promissarius qui dicit rem deberi, potest illam exigere, aut condonare, dicuntque homines communiter sibi injuriam irrogari, si promissio violetur.

Tertio, quia homines non solent aequiescere simplici assertioni, sed solent exigere promissionem; ergo promissio non obligat ex sola virtute veracitatis, sed justitiæ, vel fidelitatis, quæ sit justitiæ valde affinis.

XIV. In eo autem ex Less. distinguitur obligatio orta a justitia rigorosa ab obligatione orta ex fidelitate, quæ est justitia minus rigorosa; quia promissio non dat jus in re, sed solum jus ad rem, poteſtque multis de causis revocari, nec ita obligat, ut violans promissionem teneatur etiam ad compensationem lucri cessantis; nemo enim sua liberali promissione censetur velle se ad id obligare, nisi exprimat. Præterea justitia respicit debitum perfectum suo perfecto juri debitum. At fidelitas, quia est justitia imperfecta, respicit debitum imperfectum, seu debitum promissionis. Denique qui ficte promisit liberaliter, quamvis peccaverit venialiter, non tenetur ullatenus implere promissum, si nullum ex promissione non præstita damnum alteri sequatur: E contra qui promittit ficte alteri vere repromittenti in contractu oneroso, non solum peccat mortaliter contra justitiam, si sine causa id faciat; eo quod injuria gravis irrogaretur alteri inducendo illum cum tali dolo ad se obligandum; sed etiam tenetur ex justitia ponere promissionem veram, & illam implere, quin satis sit resarcire damnum, quod inde sequitur, ut ostendemus agendo de Sponsalibus; & ratio est, quia id exigit obligatio justitiæ, ut æque utraque pars gravetur, & utraque verum consensum ponat: Quamvis si res est integra, & nullum damnum provenit Promissario, si promissum hoc non impleatur, ex Less. & Sylvest. non erit mortale, promissionem fictam non servare, (ut si quis animo decipiendi promiserit puellæ nuptias.) Immo poterit negare cum juramento coram Judice, se promisisse. Hæc, & alia congerit Less. quæ Mærat. tom. 2. tract. de Justit. disp. 19. sect. 10. conatur dissolvere.

XV. Tertia demum sententia docet, quod obligatio promissionis dependeat ab intentione promittentis; cum enim promissio sit quædam lex privata, non obligat ultra voluntatem promittentis: Unde poterit quis obligare se vi promissionis ad solam culpam venialem, ut docet Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 9. num. 6. Henr. Rebel. Molin. disp. 262. & alii apud Bonac. de Promissione punct. 2. num. 10. Ad eum modum quo potest vovens obligare se ad culpam duntaxat venialem, ut multi docent in materia gravi: Et qui non intendit se obligare per promissionem, præterquam conditionate (videlicet nisi detur incommodum aliquod, vel nisi aliud melius occurrerit) nullatenus obligabitur non posita ea conditione. In dubio autem utrum aliquis absolute, vel conditionate, sub gravi an sub levi noluerit se obligare, judicandum est ex communiter in tali materia contingentibus, quia id præsumendum. Certe, ut notat Trull. promissiones eorum, qui solent leviter multa promittere, non sunt intelligendæ, quod fiant animo serio se obligandi, aut alteri jus tribuendi.

XVI. Præterea semper in promissione subintelligitur illa conditionalis: Nisi status rerum notabiliter mutetur: Sicut enim, ut notat Bonac. ex D. Thom. in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter concessurus, si in speciali peterentur, juxta Regulam 81. Juris in 6. ita neque in gratuita promissione, aut in voto veniunt illi eventus, qui judicio prudentis viri fuissent verosimiliter excepti, si fuissent præcogitati.

Neque dicas, teneri ad perseverandum in Religione, qui illam vovit, etiamsi non advertit ad difficultates, quibus cognitis non vovisset: ergo etiam in omni promissione id erit verum.

Nam negatur consequentia. Disparitas est, tum quia judicio prudentis etiam debuisset hic perseverantiam in Religione vovere, adhuc cognitis difficultatibus; tum etiam quia status perpetuus semel electus non debet posse facile deseri; & ideo qui suscipit Ordines Sacros tenetur ad castitatem, etiamsi non suscepturus esset Ordines Sacros, si scivisset illis votum esse annexum; tum demum quia qui statum aliquem vult, implicite vult omnia, quæ illi sunt annexa, & sibi debet imputare, si non advertit ad onera talis status: Secus tamen dicendum de notabili mutatione, quæ est extrinseca rei promissæ.

Notandum tamen, ut dicemus etiam cum de Sponsalibus, quod quamvis in potestate promittentis, vel voventis sit velle tantum sub veniali se obligare, quando obligatio pendet ab hominum voluntate; ut si quis voveat jejunare; at quando promissio ex constitutione Ecclesiæ, vel ex lege Reipublicæ, vel ex consuetudine obligat sub mortali, non est liberum promittenti velle se tantum sub veniali obligare; Unde non potest quis professionem religiosam emittere cum intentione obligandi se sub veniali; Nam ex institutione Ecclesiæ talia vota obligant sub mortali; Nec potest aliquis contrahere matrimonium obligando se ad vinculum illud indissolubile tantum sub levi; Nec potest promittere matrimonium, seu contrahere sponsalia cum intentione obligandi se sub levi; nam ex institutione Ecclesiæ, & ex consuetudine obligant hæc sub gravi, ut ibidem ostendemus.

Notandum præterea, quod ut promissio acceptata

prata obliget sub mortali, requiritur materia notabilis, & quidem in majori quantitate, quam in furto, quia non adeo stricte obligat, quam furtum. Less. n. 56. requirit quantitatem duplo majorem; Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 5. n. 24. cum Bonac. apud Trull., quantitatem quadruplo majorem. Additque Sanch., & Rodriq. contra Bonac., & Trull. apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 9. quod qui liberaliter promisit alteri unum Sacrum animo se obligandi, non peccaret graviter non servando promissum, quia in genere promissionis, & damnorum spiritualium est materia levis.

Neque dicas cum Bonac., quod si omittatur Sacrum ex voto promissum, est peccatum mortale; ergo etiam si omittatur Sacrum alteri promissum. Nam disparitas est, quia quantitas, quæ dicitur notabilis relate ad furtum, est etiam notabilis relate ad votum; At relate ad promissionem quantitas, ut sit notabilis, debet esse major: Quare sicut peccat mortaliter, qui Sacrum voto promissum omittit, ita peccaret mortaliter, qui Sacrum ex justitia debitum propter stipendium acceptum omitteret; secus vero si liberaliter illud promisisset, quamvis animo obligandi se ad illud graviter; cum non dependeat a nostra voluntate posse nobis imponere gravem obligationem in materia levi, ut communiter docent contra Fagund. apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 50., Trull. lib. 2. cap. 2. dub. 12. n. 13.; ubi ostendit ex Bonac., & Sanch. lib. 4. cap. 12. n. 19. peccare mortaliter, qui violat votum dandi carolenum pro celebratione unius Sacri, quia maxime id conducit ad cultum Dei, & censetur materia gravis: Quare juxta sententiam Sanch. loco laudato votum dandi eleemosynam pro celebratione unius Sacri est votum de materia gravi: Contra vero promissio facta homini de celebrando uno Sacro est materia levis.

XVIII. Quæritur quarto: An promissio ob turpem causam obliget in conscientia, v. g., si promisisti Petro, ut occidat inimicum, vel fœminæ, ut consentiat in turpitudinem?

Respondeo cum communi, quod ante operis patrationem promissarius non solum non tenetur implere promissionem, sed etiam tenetur illam revocare; nemo enim ad peccatum obligari potest, sed debet ab ipso se retrahere: Patrato tamen opere malo, communius Doctores docent cum Less. c. 18. n. 20. contra Navar., & Medin., quod teneatur promissum implere, non solum virtute fidelitatis, ut Medin. putat, sed etiam justitiæ; quia præcessit contractus onerosus innominatus, Do ut facias; ergo si ille fecit, promissor tenetur ex justitia præstare id, quod promisit: Quamvis enim peccatum non sit pretio æstimabile ex se, est tamen ratione periculi, damni, laboris, delectationis, &c. Sic non est simoniacus Sacerdos, qui paciscitur, quod dentur sibi centum, ut celebret in loco periculosissimo, quia non accipit centum pro Sacrificio, quod non est pretio æstimabile, sed pro periculo, cui se exponit. Probabilem tamen putat Less. loc. cit. opinionem oppositam, quam ex Covarr. confirmat, & ex communi Doctorum utriusque Juris docentium, quod qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, puta pro furto, homicidio, adulterio, &c., non teneatur promissum implere, etiam opere secuto; tum quia leges reddunt irritos hujusmodi contractus, ut videre est apud Bonac. de Restit. quæst. 3. punct. 3.; tum etiam ne promissarius inducatur ad scelus patrandum sub spe, quod sibi solvendum sit pretium promissum.

XIX. Rogabis hic, Quænam promissiones sunt universim irritæ?

Respondeo, jure naturali esse irritas promissiones, quarum impletio est illicita, cum nemo possit ad malum obligari; Jure vero positivo probabile est, ut diximus, esse irritas promissiones ob turpem causam, quæ legibus punitur, etiam opere secuto; Quamvis probabilius sit oppositum, quia leges non tollunt obligationem naturalem, sed adimunt tantum actionem in foro externo. Secundo, sunt irritæ promissiones, quibus adimitur facultas disponendi de rebus suis; ut si quis promittat alteri se non revocaturum testamentum, aut non facturum alium hæredem præter ipsum. Tertio, promissiones, quæ præbent occasionem peccandi, ut si quis promittat alteri se condonaturum obligationem restituendi, si furetur, si injuriam irroget, &c.; aut si quis pactum ineat cum depositario, ne teneatur de dolo; aut si uxor vivente viro promittat matrimonium ei, cum quo adulteratur, post mortem sui viri, aut si quis promittat alteri se collaturum beneficium, quod primo vacabit, ex Cap. *de Testando* apud Bonac. disp. 3. quæst. 12. punct. 5.

Notandum tamen, quod omnia hujusmodi pacta, quorum executio non est illicita, si juramentum accesserit, servanda sint in foro conscientiæ ex obligatione juramenti, quamvis pactum videatur contra bonos mores; Et ideo promissio usurarum juramento firmata impleri debet, ex Cap. *Doctores*, de *Jurejurando*; Poterit tamen peti relaxatio juramenti ab Episcopo, si in iis pactis aliqua injuria intercessit, ut notat Less., Bonac., Trull.; quia in his tantum casibus juramentum de re licita non obligat; Primo, quando illud irritatur a Superiore, ut irritatur renunciatio jurata Novitii, quæ non sit facta cum scientia Episcopi, aut Vicarii intra duos menses ante professionem; Secundo, quando nemo valide acceptavit promissionem juratam; Tertio, juramen-

tum

tum non confirmat contractum jure civili irritum, tam quando dolus intercessit, quam quando metu extortum est, & quando gravissima, & enormissima læsio in eo continetur, eo quod hæc dolo comparetur; unde non indiget relaxatione, ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 28.. V. g., si vi, & dolo, vel per metum fiat alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ successionis, contractus Minoris de re Mobili sine licentia Curatoris, donatio inter virum, & uxorem, aut inter patrem, & filium non emancipatum: Quamvis probabilior sit sententia, quod in his casibus requiratur relaxatio juramenti ab Episcopo, ex eodem Dian. loc. cit., & Trull. de Juramento confirmante contractus. Si tamen sine dolo, & vi hujusmodi contractus fiant cum juramento, probabile est, quod non conferant jus justitiæ, unde relaxato juramento rescindi possunt. Quarto, juramentum non confirmat contractum irritum propter bonum commune, secus vero si sit irritus propter bonum privatum; V. g., juramentum de extrahendis mercibus prohibitis, aut si Clericus juret se sistere coram Judice laico: Sic etiam propter bonum commune probabiliter irritatur Contractus sponsalium metu extortus; unde si juramentum accedat, non obligat, ut docet Dian. part. 3. tract. 4. resol. 278. ex Sanch. lib. 4. disp. 21.: Contra vero, qui jurat solvere pecuniam ludo prohibito perditam, tenetur solvere, quia talis contractus non prohibetur primario propter bonum publicum, ut notat Pal. lib. 3. tract. 14. disp. 2. punct. 4. n. 12., ubi docet, idcirco juramentum de solvendis usuris obligare, quia fit ad vitandum majus malum.

ARTICULUS III.

Quinam donare possint, & quantum?

I. Donare potest, qui pollet usu rationis, habetque dominium, ac liberam suorum bonorum administrationem, nisi id sibi vetetur. Cui tamen prohibetur donatio, non prohibetur donatio remuneratoria.

II. Quid de Prodigo, de Impubere, de Filiofamilias, De Minore? Quid de Uxore absque consensu mariti, de Beneficiariis, de Superioribus Regularium, ac de Subditis Regularibus?

III. Licentia Religiosis data expendendi probabiliter non ita limitatur, ut si expendant ad usus turpes, peccent contra votum, & qui illam accipit, ad restitutionem teneatur.

IV. Donatio inter filios, & Parentes quandonam est irrevocabilis?

V. Inter conjuges est universim revocabilis, sed in multis casibus est irrevocabilis. Et quid, si superaddatur juramentum?

VI. Donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum est invalida; nisi fiat ad pias causas, aut fiat causa mortis, vel titulo oneroso. Quid si superaddarur juramentum?

VII. Sine insinuatione non est valida donatio, quæ excedat valorem quingentorum solidorum, seu ad septingenta, & quinquaginta scuta Hispaniæ; nisi tamen sit remuneratoria, aut fiat ad pias causas, vel causa mortis, aut si juramento firmetur.

I. Certum est, eos solos posse donare, qui habent & usum rationis, & dominium, ac administrationem bonorum, nisi jure positivo impediantur, ut diximus cum de Emphyteusi: Ubi notandum, quod ei, cui prohibetur donare, non prohibetur donatio remuneratoria, quæ dicitur antidoralis, hoc est quæ fit ob merita præcedentia, & ad remuneranda beneficia; hæc enim non est proprie donatio (ut est, quæ fit intuitu solius liberalitatis;) Sicuti nec est proprie donatio, quando quis solvit, quod promiserat: Contra vero, si Creditor debitum liberaliter remittat.

Sequitur hinc primo, quod amens, furiosus, & qui non est mentis compos, donare non possint; non enim pro tali tempore habent liberam administrationem bonorum, cum non utantur libertate.

II. Secundo, nec prodigus, qui a Magistratu sub Curatore positus est, cum careat administratione, unde donatarius tenetur restituere, quod accepit.

Tertio, nec impubes, (hoc est mas ante decimum quartum, & fœmina ante duodecimum annum,) quamvis possit ad pias causas donare.

Quarto, nec filiusfamilias, etiam pubes sine consensu, saltem tacito, Patris; nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia: Quamvis si de his bonis donaverit profuse, itaut sentiat notabile damnum, possit restitutionem in integrum petere.

Quinto, nec Minores viginti quinque annis absque consensu Curatoris; Censetur autem talis consensus adesse respectu donationum, quæ fieri solent ab aliis viris ejusdem nobilitatis, & patrimonii.

Sexto, nec uxor absque mariti consensu, nisi de bonis paraphernalibus: Quamvis possit dare eleemosynam, & munera, juxta morem aliarum mulierum ejusdem loci, & conditionis, etiamsi maritus omnes eleemosynas illi prohibeat, ut notat Dian. part. 5. tract. 8. resol. 34.; Ubi cum Molin. Ledesm., Ban., Malder., Veg. contra Turrian. docet, posse inscio marito dare vigesimam partem annui proventus, eo quod hoc pertineat ad decentiam status, & maritus irrationabiliter sit invitus.

Septimo, nec Ecclesiastici possunt sint mortali

tali donare, aut testari ad usus profanos de iis, quæ ex fructibus beneficiorum decenti sustentationi supersunt: Quamvis qui ea accepit, ad restitutionem non teneatur, ut fuse Barbos. lib. 3. de jure universo cap. 17.; quia Clerici sunt vere domini fructuum suorum beneficiorum, etsi teneantur superflua disponere in opera pia.

Octavo, nec Superiores Regularium donare poterunt ad usus profanos, v. g., ad locupletandos consanguineos; & qui aliquid ab iis accepit, ad restitutionem tenetur: quia non sunt domini, sicut sunt Beneficiarii, sed solum administratores, & œconomi; Unde donare tantum possunt servando leges fidelis œconomi, necnon Constitutiones, & consuetudines suæ Religionis; Et juxta intentionem Ecclesiæ, & suæ Religionis poterunt de rebus Monasterii disponere. Ratio ulterior est, quia dominium bonorum Monasterii est penes Conventum, qui nec consentit, nec potest consentire in donationes factas ad usus profanos, cum talis potestas sit illi adempta per Sacros Canones; Unde illud duntaxat poterunt donare, in quod Conventus ad id convocatus censetur rationabiliter consensurus. Hinc fit, posse Superiores Regularium, sicut alios habentes administrationem bonorum, facere donationes remuneratorias, quæ merita, & obsequia non excedant; Possuntque etiam eleemosynas facere juxta rationabilem voluntatem Conventus, quia sic utiliter geritur res administrata.

Nono, nec subditi Regularium donare possunt sine licentia Superioris saltem probabiliter præsumpta, nec possunt cum licentia ad profanas causas disponere, seu ad illicita; quia Superiores ad hæc dare licentiam non possunt; Unde qui aliquid ab iis accepit, tenetur restituere, juxta Bullam Clem. VIII. de Largit. numerum: Et Innoc. XII. in Constitutione de Facultate majoris Pœnitentiarii habet, quod qui a Regularibus ultra valorem decem scutorum acceperit, contra Bullam Clem. VIII., exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem a Summo Pœnitentiario non absolvatur; & infra prædictum valorem, nonnisi facta eleemosyna in favorem Conventus, si caute fieri potest.

III. Notat tamen Dian. part. 3. tract. 2. resol. 65.,& part. 7. tract. 9. resol. 15.,& tract. 11.,resol. 22.ex Bann., Lopez, Rebel., Pellizar., Suar., Lugo contra Sanch., Less., probabiliter licentiam datam Religiosis expendendi non ita limitari, ut si expendant in usus turpes, peccent contra votum, & qui aliquid recipit, teneatur ad restitutionem: ad eum modum, quo non potest dominus pignoris dare tibi facultatem, ut pignore utaris ad usus turpes; quando autem universim dat facultatem, ut eo utaris, non illam restringit, ita ut pecces contra justitiam, si ad usus turpes utaris. Unde fit, Bullam Innoc. XII. intelligendam esse, si quis det aliquid contra Bullam Clem. VIII. dilapidando bona Monasterii, aut ubi est ambitionis suspicio.

IV. Quæritur nunc primo: An donatio inter filios, & parentes sit valida?

Respondeo, validam esse donationem factam a filiis de bonis castrensibus, vel quasi; vel si fiat de bonis filio a Principe datis, vel de iis, quorum pater non habet usumfructum; ut contingit, quando aliquid filio donatur sub ea conditione, ut pater non habeat usumfructum. Præterea donatio facta a patre filiis non est valida jure communi, si non fiat rei traditio, facta tamen traditione est infirma, seu revocabilis: (quamvis confirmetur morte patris, aut per emancipationem filii:) Est tamen irrevocabilis, si fiat causa dotis, & nuptiarum, ex leg. *Pomponius Philadelphus;* vel si sit remuneratoria pro obsequiis, vel si filio emancipato, aut illegitimo, (sicut etiam quæ fit a Matre, vel aliis ascendentibus filio,) ut notat Hurtad. diff. 11., & fere in omnibus casibus, in quibus valet donatio inter Conjuges; Sicut etiam quando juramento confirmatur; nisi tamen filius atroci injuria patrem afficiat.

V. Quæritur secundo: An valida sit donatio inter Conjuges?

Respondeo, esse invalidam jure communi, ita ut possit a donatore revocari, ne conjuges ex mutuo amore se spolient bonis suis; quamvis morte donatoris confirmetur, si facta sit traditio donatario superstiti. Ita ex leg. *Cum hic status*, ff. *de Donationibus inter virum, & uxorem*. Est autem firma donatio Conjugum, si sit remuneratoria pro obsequiis, si vir remittat uxori dotem debitam, si donet illi quid annuum, & donatio non excedat fructus dotis uxoris, si uxor augeat dotem, si donatio fiat, ut donatarius assequatur dignitatem, v. g., doctoratum, nobilitatem, &c. Demum si donationi inter conjuges addatur juramentum de illa non revocanda, docent communius, quod juramentum sit servandum; Probabile tamen est ex Azor., & aliis apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 28., & Trull. lib. 7. cap. 16. dub. 5., quod juramentum adjectum non obliget, nec indigeat relaxatione, si vi, & dolo sit adjectum; Si vero sine vi, aut dolo adiectum sit, procul dubio servandum est. Sed probabile est ex Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 6. Suar., Pal., & aliis, ut diximus cum de Juram., quod non confirmet contractum, seu non det donatario jus justitiæ; unde relaxato juramento a Prælato, potest donatio revocari; ut poterat, si juramentum non esset adjectum; Et ad relaxandum hoc juramentum datur sufficiens causa, ne homines assuescant contra leges disponere ultra usus non necessarios.

VI. Quæ-

VI. Quæritur tertio: An possit quis donare valide omnia bona sua?

Respondeo, donationem omnium bonorum præsentium, & futurorum jure communi esse invalidam, ex leg. *Stipulatio* apud Less.; quia sic redderetur homo impotens ad testandum, quod videtur esse contra bonos mores in Republica bene constituta. Est tamen valida talis donatio, Primo, si fiat ad pias causas, cum non possit invalidari talis donatio per jus Civile; Secundo, si fiat causa mortis, ut sæpe fit inter conjuges, qui paciscuntur, ut superstes habeat omnia. Ratio est, quia hæc donatio non tollit potestatem testandi, cum possit revocari; Tertio, si fiat titulo oneroso; verbi gratia, titulo matrimonii, quia hæc donatio, cum non fiat ex liberalitate, non est proprie donatio; Quarto, si juramento firmetur, ut sentit Covarr., & Less. contra pleroique Jurisperitos; Ratio est, quia talis donatio non est contra bonos mores, perinde quasi sit quid illicitum, sed est contra bonos mores solum, quia expedit Reipublicæ passim esse libertatem testandi; Quare sine peccato potest quis donare omnia bona sua, & consequenter, si juramentum non revocandi donationem accedat, erit servandum.

VII. Quæritur quarto: An ad valorem donationis universim requiratur insinuatio, seu manifestatio facta a donatore Judici, quod velit talem rem donare tali personæ?

Respondeo, jure naturali non requiri; sed requiritur ex leg. *Sentimus* jure communi, quando donatio excedit valorem quingentorum solidorum; quorum quilibet valeat quatuordecim regales argenti, & novem mareviditos; unde quingenti solidi sunt ex Less. ad septingenta, vel septingenta, & quinquaginta scuta Hispaniæ; quando autem dictum valorem non excedit donatio, etiam sine insinuatione est valida; Et eadem est ratio, si quis remittat aliquod debitum liberaliter.

Ubi notandum Primo, quod si donatio fiat sine insinuatione ultra dictam summam, solum est invalida quoad excessum, non vero relate ad talem summam. Secundo, quod donatarius possit retinere excessum sic donatum, quousque a donatore, vel hæredibus repetatur. Tertio, quod donatio absque insinuatione est valida, etiamsi excedat quingentos solidos, si juramento firmetur, ut notat Less. n. 160. ex Claro. Sicut etiam si sit remuneratoria, aut si fiat ad redemptionem captivorum, ad reparationem ædium incensarum, & ad quamcumque piam causam, ut communiter contra Gomez apud Less. docent; quia hujusmodi donationes non subsunt juribus civilibus requirentibus insinuationem: Sicut etiam si filius renunciet hæreditatem, vel legatum, quod speret ratione substitutionis; aut Dux dividat spolia inter milites; Ac demum si donatio fiat causa mortis, ut tenet Clarus, ex leg. *ult.*, Cod. *de Donationibus causa mortis*, contra Molin. & Gomez apud Trull. num. 4.

ARTICULUS IV.

Quando possit Donatio revocari?

I. Donatio causa mortis est revocabilis; Secus vero Donatio inter vivos.

II. Potest tamen Donatio inter vivos revocari, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, si sit inofficiosa, dummodo non sit facta ad pias causas.

III. Revocari pariter potest, si deinde donatori proles nascatur, nisi huic privilegio expresse renunciet; Necnon ob ingratitudinem donatarii, nisi sit facta ob causam.

IV. Donatio causa mortis revocari potest, tam si donatorem pœniteat factæ donationis, quam si ea facta sit intuitu mortis imminentis. Necnon si donatarius præmoriatur.

V. Si dubitetur num donatio facta fuerit causa mortis, an inter vivos, præsumendum, quod sit inter vivos, nisi facta sit mentio mortis, quamvis facta fuerit tempore infirmitatis. Quid dicendum de donationibus factis in testamento, aut codicillis, si non fiat mentio mortis?

I. Notandum, donationem aliam esse inter vivos, aliam causa mortis: Dicitur inter vivos, quando quis sic donat, ut se vivo velit rem absolute, & simpliciter esse alterius: Dicitur causa mortis, cum quis sic donat, ut non velit rem absolute, & irrevocabiliter esse alterius, nisi post suam mortem.

II. Quæritur nunc primo: Quibus de causis revocari possit donatio inter vivos?

Respondeo, tribus de causis revocari posse, etiamsi sit acceptata, & res tradita. Primo, si sit inofficiosa, idest contra officium pietatis paternæ in filios, puta quando Pater tantum donat, ut filii priventur sua portione legitima, ex *leg.* 1. Cod. *de Inofficiosa donatione*: Si tamen ea sit facta Ecclesiæ, vel piæ causæ, non revocatur tota, sed solum usque ad legitimas filiorum; Immo possunt parentes minuere legitimas filiorum, tum per contractus onerosos; tum etiam ob donationem remuneratoriam, & ad pias causas; quia talis donatio non est proprie donatio, cum non fiat ex liberalitate; sed est donatio ob causam. Non revocatur tamen talis donatio, nisi post mortem patris, quando debetur filiis legitima.

III. Secundo revocatur ratione prolis de novo susceptæ, ut si quis prole carens donavit magnam partem bonorum; Etenim si nascatur pro-

les, poteſt revocari donatio etiam jurata, quia præſumitur facta ſub conditione, niſi naſcantur filii, ex leg. *Si unquam*, Cod. *de revocandis donationibus;* Niſi tamen donator expreſſe renunciet privilegio laudatæ legis, *Si unquam*, etiamſi ei naſcantur filii; Quod ſi donatio facta ſit Eccleſiæ, vel ad pias cauſas, aut alicui aſcendentium, videlicet patri, avo, &c., tunc non revocatur tota, ſed ſolum quoad legitimas filiorum poſtea ſuſceptorum; quamvis laudabiliter Eccleſia totum reſtituat propter ædificationem populi, ut fecit Aurelius Epiſcopus Chartaginenſis apud Leſſ. num. 109.

Tertio, ob ingratitudinem, ſi ſcilicet donatarius injurias atroces in donatorem effuderit, aut impias manus injecerit, aut damnum grave eidem intulerit, aut ſi inopia preſſum non aluerit, ut notat Sylveſt. apud Trull.; Non poteſt tamen ob hanc cauſam revocari, ſi facta ſit donatio propter obſequia, vel ad cauſam piam, vel cum juramento non revocandi etiam data ingratitudine; Sicut etiam ſi ſit facta Eccleſiæ, aut Monaſterio; quia tunc, ut notat Leſſ., cenſetur facta Deo, & ob cauſam.

IV. Quæritur ſecundo; Quibus de cauſis revocari poſſit donatio cauſa mortis facta?

Reſpondeo, tribus etiam de cauſis: Primo ſi donatorem pœniteat donationis factæ; & hoc modo teſtamenta, & legata revocari poſſunt pro arbitrio uſque ad mortem. Secundo, ſi quid donatum ſit intuitu periculi mortis inſtantis; ut ſi quis in gravi morbo, vel inſtante prælio donet, elapſo tali periculo cenſetur donatio revocata; Tertio, ſi donatarius præmoriatur; ut uſuvenit in teſtamentis, & legatis; Secus accidit de donatione inter vivos, quæ non extinguitur morte donatarii, ſi ſit acceptata, ſed tranſit ad hæredes. Quod ſi donator promittat, ſe donationem non revocaturum, eo ipſo talis donatio tranſit in donationem inter vivos, ſeu quæ dicitur irrevocabilis inter vivos.

V. Si tamen dubium ſit, an donatio fuerit inter vivos, vel cauſa mortis? Azor., Bonac. hic punct. ult., & Clarus ex communi ſententia docent non eſſe judicandum factam cauſa mortis, niſi ſit facta mentio mortis, etiamſi fiat tempore infirmitatis. Idcirco Azor. docet, donationem in teſtamentis, & codicillis non cenſeri factam cauſa mortis, niſi ſit facta mentio mortis, quamvis Clarus oppoſitum ſentiat.

ARTICULUS V.

De Promiſſione, & Donatione Conditionali.

I. Valida eſt donatio conditionata; & purificata conditione obligat, ſive conditio ſit de præſenti, ſive de præterito. Pariter ſi ſit de futuro neceſſario, quin ſuſpendatur obligatio uſque ad purificationem conditionis.

II. Si conditio ſit de futuro contingenti, ſuſpenditur obligatio uſque ad eventum conditionis, ſed donatio interim revocari non poteſt, niſi ſit donatio cauſa mortis.

III. Conditio impoſſibilis irritat donationem conditionatam; necnon quemcumque alium contractum, excepto contractu matrimoniali, & ultimis voluntatibus, in quibus habetur pro non adjecta.

IV. Idem dicendum de conditione turpi; quæ tamen reddit etiam irritum matrimonium, ſi ſit contra ejus ſubſtantiam, videlicet contra bonum prolis, fidei, & Sacramenti.

V. Conditio iſthæc, Si non nupſeris, appoſita ultimis voluntatibus, num habeatur pro non adjecta? Et quid de conditione, Si Religionem non ingrediaris?

I. NOn dubitatur, Promiſſionem, & Donationem ſub conditione de præſenti, aut de præterito eſſe validas, & obligare, ſi conditio ſit purificata. Pariter eſt valida, & obligat tam promiſſio, quam donatio ſub conditione de futuro neceſſario, puta ſi cras ſol orietur, quia nunc verum eſt conditionem eſſe adimplendam, & ſic cenſetur promiſſio facta ſub conditione de præſenti, ut docent communiter apud Gomez cap. 12. de Legat., & Leſſ.

II. Quæritur nunc primo; An promiſſiones, & donationes ſub conditione de futuro contingenti ante eventum conditionis obligent, & an revocari poſſint?

Reſpondeo, promiſſiones, & donationes ſub conditione de futuro incerto, exempli gratia, ſi fies Sacerdos, non obligare ad illas implendas ante eventum conditionis, ſed obligationem interim eſſe ſuſpenſam; obligare tamen ad illas interim non revocandas. Ita communiter; Et ratio eſt, quia promiſſor, ſeu donator non intendit ſe obligare ad dandum non purificata conditione, atque adeo ante hujus eventum ad nihil tenetur: Debet tamen promiſſionem, ac donationen interim non revocare, quia cum promiſſio ſit acceptata, acquirit jus promiſſarius, ne revocetur ante conditionis eventum: Excipitur tamen donatio conditionalis facta mortis cauſa; ex jure enim poſitivo in leg. *Qui mortis cauſa*, ff. *De mortis cauſa donationibus*, ineſt in hac donatione conditio iſthæc tacita, niſi illam revocavero.

III. Quæritur ſecundo; Num donatio ſub conditione impoſſibili, verbi gratia, ſi lunam detraxeris; aut ſub conditione turpi, verbi gratia, ſi hoſtem occideris, pariat ullam obligationem?

Reſpondeo, & dico primo: Conditio reapſe im-

impossibilis non suspendit obligationem donationis conditionatæ, cum non possit expectari eventus conditionis. Sed universim irritat donationem, seu promissionem, immo omnem alium Contractum; circumscripto tamen contractu Matrimonii, necnon ultimis voluntatibus, videlicet institutione hæredis, fideicommisso, legato, & donatione causa mortis, in quibus conditio impossibilis aut turpis illis adjuncta habetur pro non adjecta, ut constat ex variis juribus apud Gomezium de Legatis cap. 12. num. 67., & Less. cap. 18. num. 123. Ratio, cur universim conditio impossibilis omnem contractum irritet, itaut nulla ex eo consurgat obligatio, est, quia conditio isthæc denotat non adesse consensum in contrahente, nisi forte aliquando joco superaddatur.

Ratio autem, cur conditio impossibilis non irritet contractum matrimonialem, sed in eo habeatur pro non adjecta, est, quia Gregor. IX. in *Cap. fin. de Conditionibus expositis*, statuit in favorem Matrimonii, tam conditiones impossibiles, quam turpes, quæ non sunt contra substantiam conjugii, non irritare contractum, sed habendas esse pro non adjectis. Verum quidem est, id statui solum pro foro externo, quod præsumit adesse in his casibus consensum internum; at si revera consensus internus non adesset, matrimonium procul dubio non esset validum: Sicut neque est validum Matrimonium pro foro externo, si conditiones appositæ sint contra substantiam matrimonii, videlicet aut contra bonum prolis, ut si dicatur, contraho tecum, si generationem prolis evites; aut contra bonum fidei, seu fidelitatis, ut si dicatur, contraho tecum, si corpore quæstum facies; aut contra bonum Sacramenti, quod est indissolubile, dicendo, verbi gratia, Contraho tecum, quousque reperiam ditiorem.

Ratio vero, cur conditio impossibilis ex jure pariter positivo apud Gomez loc. cit. non irritet ultimas voluntates, sed habeatur pro non adjecta, est, quia mortuo testatore non habetur modus interpretandi ejus voluntatem, num scilicet joco, an serio talem conditionem apposuerit; & ideo ad vitandas lites statutum est, ut conditio impossibilis in his contractibus habeatur pro non adjecta: Nec solum pro foro externo, ut in contractu matrimonii, & Sponsalium, in quo citra internum consensum non potest dari obligatio in conscientia; sed etiam pro foro interno, quia potest in iis potestas humana supplere consensum internum, quatenus bona externa subduntur dispositioni juris humani supposita justa causa; quæ de facto habetur in casu nostro.

IV. Dico secundo: Conditio turpis (quæ dici solet conditio jure impossibilis, quatenus poni nequit jure inviolato,) si sit de futuro, irritat donationem, & quemvis alium contractum; (quamvis, ut diximus ex Gregor. IX., in contractu matrimonii, & in ultimis voluntatibus habeatur pro non adjecta, si non sit contra substantiam conjugii:) Quare donatio, ac promissio non obligat, si fiat sub conditione turpi, verbi gratia, Dummodo hostem occidas, aut, Dummodo ab operibus honestis abstineas. Ratio est, quia quando conditio ista est de futuro, contractus obligaret; aut alliceret ad peccatum, quod est rationi dissonum: Si tamen conditio turpis sit de præterito, aut de præsenti, cum ad peccatum non alliciat, contractum non irritat; unde valide donatur, verbi gratia, dos fœminæ, quæ fuit, aut est meretrix, si resipiscat. Quod autem donatur alicui sub conditione alicujus sceleris, verbi gratia Conjugatæ, si consentiat ad adulterium, quamvis ante patratum facinus contractus sit invalidus; patrato tamen scelere probabilius solvendum est, ut alias diximus.

V. Quæritur tertio: An donatio ista conditionata, Si non nupseris, apposita ultimæ voluntati, puta Legato, obliget, etiamsi donatarius nupserit; unde conditio isthæc habeatur pro non adjecta?

Respondeo, olim jure Digestorum apud Less. n. 123. conditionem istam habitam fuisse ut non adjectam, idque in favorem matrimonii. Deinde jure Codicis habetur pro non adjecta solum relate ad primas nuptias, non vero relate ad secundas; unde Legatum relictum viduæ sub conditione, quod iterum non transeat ad nuptias, non debetur illi, si non maneat in sua viduitate. Et similiter legatum relictum alicui sub conditione, quod Religionem ingrediatur, non purificata hac conditione, illi non debetur. Contra vero legatum relictum alicui sub conditione, quod nubat, illi debetur; quamvis Religionem ingrediatur; idque in favorem status Religiosi; Et probabilius id verum est, quamvis testator expresse dicat se donare alicui centum, si nubat, non vero si Religionem ingrediatur; cum enim talis conditio pariter retrahat a Religione, habenda est pro non adjecta, ut fusius dicemus quæst. ult. art. 7. de Legatis.

QUÆSTIO IX.

De aliis præcipuis Contractibus.

AGemus breviter Primo, de Fidejussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca. Secundo, De Deposito, Commodato, & Precario. Tertio, de Contractu Societatis. Quarto, de Ludo, & Sponsione. Quinto, de Quasi Contractibus. In postrema deinde quæstione agemus de Testamentis, & Legatis, quæ uberem disceptandi segetem subministrant.

ARTICULUS I.

De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca.

I. Per fidejussione homo suscipit alterius promittentis obligationem in ejus defectum.

II. Non tenetur fidejussor solvere in iis casibus, in quibus Principalis non teneretur. Nec antequam petatur. Quid si plures in solidum fidejubeant: Obligatio fidejussionis transit ad hæredes.

III. Circa usuram potest aliquid a principali debitore accipi pro fidejussione.

IV. Per assecurationem suscipit quis in se periculum rei alienæ. Et quidem si id fiat gratis, est promissio liberalis; si fiat pro pretio, reducitur ad venditionem. Quodnam sit pretium justum Assecurationis?

V. Per contractum Pignoris datur Creditori res mobilis in securitatem crediti. Per Hypothecam res immobilis remanet apud debitorem obligata creditori in securitatem.

VI. Res, quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari, ut res sacræ, quæ tamen in quibusdam casibus & pignerari, & vendi possunt.

VII Hypotheca dicitur esse Tacita, quando ex juris dispositione involvitur in aliquo contractu, ut ratione dotis hypothecantur bona mariti, & in aliis casibus.

VIII. Hypotheca generalis extenditur ad bona omnia etiam futura, nec impedit quominus hæc vendantur, dummodo pretium succedat loco rei.

IX. Quandonam Creditor potest uti pignore?

X. Num, & quando possit tam in foro interno, quam in externo Creditor vendere pignus?

I. QUæritur primo: Quid sit, & Quid ferat Fidejussio?

Respondeo, fidejubere idem esse, ac fidem suam alteri jubere, seu dare; Unde ficejussio est *Contractus, quo quis suscepit in se obligationem, alterius, promittendo sub fide sua illius adimpletionem, seque obligando in defectum principalis debitoris.*

II. Ex quo fit Primo, fidejubentem non teneri ad aliquid, ad quod principalis non teneatur, cum ejus personam gerat; atque adeo si principalis non debet, vel quia sententia Judicis fuit nulla, vel quia remissum est illi debitum, vel aliunde, nec debet quicquam fidejussor.

Sequitur secundo, non debere conveniri fidejussorem, antequam petatur solutio a Principali debitore, ex *Auth. Præsente*, Cod. *de Fidejussoribus*; etenim hic solum tenetur in defectum Principalis: Potest quidem hic suo juri cedere, & obligare se ad solvendum ante excusionem Principalis, sed in hoc casu non efficeret contractum fidejussionis, quia non se obligaret accessorie, sed æque primo cum Principalis.

Sequitur tertio, quod si tres, verbi gratia, in solidum fidejubeant pro trecentis aureis, singuli teneantur ad totam summam in defectum principalis; qui tamen convenitur, potest excipere, ut quilibet pro sua parte conveniatur; Quod si unus integre solvit, poterit cogere creditorem, ut sibi cedat actionem, quam habet in alios duos, sicque poterit a singulis centum exigere, & centum a principali debitore.

Sequitur quarto, obligationem fidejussionis transire ad hæredes, quia omnis obligatio ex justitia, & ex contractu ad hæredes transmittitur.

Cæterum omnes, qui possunt principaliter obligare, possunt pariter fidejubere, nisi jure id vetetur; ut in multis casibus apud Less. numer. 12. vetatur mulieribus, & minoribus. Nec possunt fidejubere Ecclesiastici in præjudicium Ecclesiæ, sed solum in Damnum proprium.

III. Dubitatur, An possis sine labe usuræ fidejussor aliquid pro fidejussione accipere?

Respondeo cum communi contra Ananiam apud Hurtad. posse, quamvis enim solvere pro debitore sit ei quasi mutuare id, quod pro eo solvitur; at fidejubere non est solvere, nec mutuare, sed obligare se ad solvendum, vel quasi mutuandum; Hæc autem obligatio est pretio æstimabilis, non secus ac obligatio mutuandi,

tuandi, & ideo aliquid pro ea accipi potest sine labe usuræ; Sicut creditor potest aliquid accipere a fidejussore, ut eum eximat a sua obligatione. Utrum autem pariter citra usuram, saltem speculative loquendo, possit ipse Mutuator exhibere se Mutuatario fidejussorem, accipiendo ultra sortem, quod Mutuatarius alteri pro fidejussione esset soluturus; Diximus supra quæst. 3. de Usuris artic. 3. num. 16.

IV. Quæritur secundo: Quid sit Assecuratio?

Respondeo, Assecurationem esse *contractum, quo quis suscipit in se periculum rei alienæ, vel pro aliquo interesse, vel gratis*. Si fit gratis, est promissio liberalis; si vero fit pro pretio, reducitur ad venditionem; quia assecurans vendit suam obligationem compensandi rem, si pereat: Proinde ne adsit injustitia, requiritur æqualitas inter pretium, & susceptionem talis periculi, seu obligationis; Quare periti consulendi sunt, ut attentis periculis pretium taxent. Communiter, ut notat Azor., in quibusdam locis accipi solent quinque, vel sex pro centum: At Mediolani in aliquibus contractibus pro assecuratione accipiuntur, ut notat Bonac., tantum duo, præsertim in contractu societatis pro assecurando capitali; quia in hoc casu assecurator non exponit se magno periculo, sicut se exponit, qui navim assecurat, quæ a ventis jactatur cum magno discrimine.

V. Quæritur tertio; Quid, & Quotuplex sit Pignus, & Hypotheca?

Respondeo, Pignus esse *Contractum, quo res mobilis traditur creditori in securitatem crediti*: Hypothecam vero esse *Contractum, quo res immobilis remanens apud debitorem obligatur creditori in securitatem crediti*.

VI. Hinc fit, res, quæ vendi possunt, a fortiori posse pignerari, aut hypothecari: Contra vero, quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari; quia pigneratio est quædam collatio juris, ut res pignerata vendatur in defectum solutionis debiti. Ex quo constat res sacras pignerari non posse, cum nec possint vendi, nisi in casu necessitatis; ut quando aliter nequeunt debita solvi, aut captivi liberari, vel fame oppressis subveniri; in quibus casibus etiam vendi possunt, ex Cap. *Sancimus, de Sacrosanctis Ecclesiis*, ut notat Less. lib. 2. cap. 28. dub. 7., & Hurtad. hic.

VII. Præterea pignus, & hypotheca est duplex, Expressa scilicet, quæ ex partium conventione celebratur, & Tacita, quæ implicite involvitur in aliquo contractu ex Juris depositione; ut accidit in dote, pro qua ex Juris dispositione hypothecantur omnia bona mariti; Sicut etiam bona defuncti sunt hypothecata pro legatis, fructus fundi Conductoris pro pensione fundi, bona Tutoris pro administratione pupilli, & sic in aliis plurimis casibus apud Less. num. 35.

VIII. Rursus hypotheca alia est Specalis, qua res certa obligatur, & obligata remanet apud quemcumque possessorem; Alia Generalis, quæ extenditur ad omnia bona præsentia, & futura: quæ proinde non impedit quominus bona hypothecata vendantur, quia pretium succedit in locum rei venditæ.

IX. Quæritur quarto; An Creditor possit uti pignore?

Respondeo, solum de consensu saltem tacito Creditoris posse; qui consensus facile intervenit, si nullum inde damnum debitori sequatur ex tali usu pignoris. Unde potest creditor uti, verbi gratia, equo in Pignus accepto, ne otio torpeat. Notant tamen Doctores, quod ne intercedat usura, debeat creditor valorem talis usus computare ad extinguendam sortem; nisi forte præsumatur dominum gratis concedere usum pignoris; quod præsumi potest in iis rebus, quarum usus gratis conceditur, ut est usus libri, &c.: Quare si quis agrum in pignus acceptum colat, debet fructus in sortem computare, etiamsi dominus ex sua negligentia non esset agrum illum culturus; Et ratio est, quia res omnis domino fructificat.

X. Quæritur quinto; An possit creditor vendere pignus?

Respondeo, quod non solvente debitore, possit in foro externo creditor vendere pignus, saltem post biennium, admonito prius debitore, ex leg. *Si convenerit*, ff. *de Pignore*; at in foro interno, debitore existente in mora, poterit creditor post trinam admonitionem expectato inter unam, & alteram tempore conveniente, pignus vendere, ut multi docent apud Bonac., ideo enim datur pignus, ut possit creditor sibi consulere, & servare se indemnem: Quod si conventio fuerit nunquam vendendi pignus, aut vendendi statim, nulla præmissa admonitione post terminum constitutum, standum erit conventioni. Ita Sa, Vasq. & alii apud Croix lib. 3. p. 2. n. 1114. contra Azor., Regin. & alios putantes adhuc posse nonnisi post trinam monitionem vendi, eo quod hæc sit natura pignoris.

ARTICULUS II.

De Deposito, Commodato, & Precario.

I. Per Contractum Depositi traditur aliquid custodiendum, ut integrum restituatur.

II. In periculo incendii, aut naufragii, num sint salvandæ prius res depositæ, aut commodatæ, seu locatæ, aut in pignus datæ, an vero propriæ, sive æqualis, sive inæqualis valoris sint?

III. Quandonam possit Depositarius ex Epichæja uti re deposita?

IV. Ali-

IV. Aliquando Depositum transit in Mutuum, sive in Commodatum, aut Locatum. Quod si in mutuum transeat, non poterit ex ejus rei usu Deponens aliquid lucrari citra usuram.

V. Depositarius in multis casibus non tenetur rem depositam reddere domino petenti; præsertim si ea sit abusurus contra justitiam: & probabiliter etiam contra alias virtutes.

VI. Per contractum Commodati res alicui conceditur gratis ad certum usum, & pro determinato tempore: Tenetur Commodatarius ex levissima culpa juridica ad restitutionem, si pereat res commodata.

VII. Expensæ ordinariæ pro re commodata faciendæ sunt a Commodatario: extraordinariæ vero a Commodante.

VIII. Num possit Commodans ante tempus præfixum rem commodatam repetere ad declinandum proprium damnum æquale illi, quod in tali casu immineret Commodatario?

IX. Per contractum Precarii res alicui conceditur gratis; ita tamen, ut possit ea ad arbitrium repeti citra alterius grave damnum.

X. Non cessat Precarium morte concedentis illud; cessat vero morte accipientis, itaut non transeat ad hujus hæredes.

I. QUæritur primo; Quid sit, & Quid ferat Depositum?

Respondeo, Depositum esse *Contractum, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum restituatur*; In quo differt a Commodato, Precario, & Pignore, per quos contractus non traditur res, ut custodiatur; Differt etiam a Mutuo, per quod transfertur dominium rei, secus vero per depositum; Unde fit, quod res deposita pereat ipsi deponenti, quia res perit domino suo; Quamvis si pereat ex culpa lata, & gravi depositarii, hic teneatur ad restitutionem juxta dicta in de Restitutione; cum enim contractus hic fiat in favorem deponentis, non depositarii, requiritur culpa lata istius, ut ad restitutionem teneatur.

II. Difficultas tamen est, An depositarius, sicut etiam Commodatarius teneantur præferre res depositas aut commodatas rebus propriis, si in casu incendii, aut naufragii non possint utrasque salvare?

Respondeo cum communi apud Less. n. 27.; Si res deposita est longe pretiosior, quam tua, teneris illam præferre, & salvare, relicta tua. Et ratio est, quia rei depositæ, commodatæ, locatæ, aut in pignus acceptæ ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet; atqui prudentes salvant in his casibus prius res proprias pretiosiores, quam viliores; ergo debent potius salvare rem depositam alienam pretiosiorem, quam propriam. Ubi notandum, quod si talis res sit deposita in commodum deponentis, poteris in his casibus petere ab illo compensationem pro rebus tuis deperditis; aliter compensationem petere non potes. Quod si res deposita sit æqualis valoris, quam tua, poteris præferre tuam, si res deposita sit in commodum deponentis, aut in commodum utriusque; secus vero si ea res in commodum tui sit deposita, quin possis in hoc casu compensationem exigere.

Ex quibus constat, quid sit dicendum in casibus similibus, si cum rebus tuis concurrat res commodata, aut locata, aut pignori data; Similiter enim ratiocinandum est ex iisdem principiis.

III. Quæritur secundo: An possit depositarius uti re deposita?

Respondeo, communiter non posse ea uti absque consensu domini, quia res non traditur ad usum, sed ad custodiam; Unde utens re illa mala fide tenetur ad restitutionem valoris usus, etiamsi ea re, puta veste, aut equo, dominus non esset usurus; quia scilicet res domino fructificat: Nisi forte rationabiliter præsumat, dominum nolle pretium talis usus sibi restitui, sed velle condonare. Quod si bona fide depositarius tali re utatur, credens non displiciturum id domino, excusatur a culpa; Si tamen deinde deprehendat id domino displicuisse, tenetur solum ad compensationem illius, in quo factus est ditior, non vero ad totum valorem usus rei, ut notat Hurtad., cum is sit effectus bonæ fidei.

In eo tantum casu potest licite depositarius absolute uti re deposita, quando scilicet dominus saltem tacite cedit usum rei; In quo casu si res deposita recipit functionem, seu est usu consumptibilis, ut pecunia, vinum, &c., communiter cum Molin., Less., Azor. apud Bonac. putant, quod contractus transeat in mutuum; Quod tamen negat Hurtad. putans non transferri rei dominium in depositarium, sed concedi illi, ut ea re non tanquam propria, sed tanquam deponentis utatur, illam consumendo cum obligatione restituendi similem.

Ex quo fit, quod si ante consumptionem res pereat, aut ejus pretium crescat, aut decrescat, pereat, crescat, aut decrescat ipsi deponenti, non depositario; Quod non accideret, si contractus transisset in mutuum, & translatum esset dominium in depositarium.

IV. Tunc dici verius potest, quod transeat contractus in mutuum, quando depositarius ex consensu domini actu utitur re deposita, quæ sit usu consumptibilis; Sicut transit in commodatum, quando datur depositario facultas utendi re deposita, quæ functionem non recipit, puta equo; Vel transit in locatum, si pro ejus usu pretium exigatur.

Hinc

Hinc deducitur, non excusari ab usura eos, qui deponunt pecuniam apud aliquem cum pacto, quod is solvat quatuor, verbi gratia, in centum. Ratio est, quia lucrum vel percipitur ex deposito præcise, & potius depositarius debet propter custodiam, cui se obligat, aliquid accipepere, quam deponens: Vel percipitur ex usu pecuniæ, & cum depositum rei functionem recipientis transeat in mutuum, quando ejus rei conceditur usus, idcirco non potest ex tali usu recipi lucrum citra usuram; nisi forte ratione lucri cessantis, aut damni emergentis reciperetur.

Notat hic Molin. disp. 524. apud Bonac., quod depositarius possit uti re deposita, etiamsi non sit illi data facultas expressa utendi, quoties res est usu consumptibilis, nec illi est interdictus usus, & credit se habiturum rem similem tempore solutionis; puta si pecunia deponatur sine onere restituendi eandem, nec detur in sacculo, aut in arca inclusa. Ratio est, quia dominus non censetur invitus; nam nullum damnum recipit ex tali usu, sed potius commodum, quia cum per usum translatum sit dominium in depositarium, res stat ipsius periculo; cum res domino pereat, & consequenter ipsi depositario cresceret, aut decresceret pecuniæ pretium.

V. Quæritur tertio: An semper depositarius teneatur reddere rem depositam domino exigenti?

Respondeo, in quatuor casibus non teneri. Primo, si prudenter timeatur deponentem abusurum injuste re deposita; ut si reddatur furioso gladius, quo sit alterum injuste damnificaturus: Immo probabiliter ex Less., Molin. contra alios Doctores, nec tenetur, (ut diximus quæst. 3. art. ult. de Restit.) si dominus sit abusurus re deposita peccando contra alias virtutes a justitia: verbi gratia, si veste deposita abusurus est ad alliciendam fœminam. Ratio est, quia quamvis dominus ex vi justitiæ habeat jus repetendi talem vestem, non tamen hic, & nunc; cum justitia non opponatur charitati præcipienti, ut peccatum proximi vitemus, quando possumus sine gravi incommodo. Secundo non tenetur, quando bona deponentis sunt ob aliquod crimen per sententiam fisco applicata: Ante sententiam vero posito crimine potest aut deponenti, aut fisco, prout maluerit, illam dare. Tertio, si res sit furto sublata, non potest reddi, nisi prudenter credatur, quod deponens sit illam restituturus domino. Demum, quando non potest depositarius obtinere solutionem sibi debitam, potest sibi retinere rem depositam in compensationem.

VI. Quæritur quarto: Quid sit, & Quid ferat Commodatum?

Respondeo, commodatum esse *contractum, quo res alicui gratis conceditur ad certum usum;* Unde differt a Mutuo, per quod scilicet transfertur dominium: differt a Deposito, per quod non conceditur usus; differt a Locato, quod non fit gratis, sed pretio; differt a Precario, per quod conceditur usus ad arbitrium; At per Commodatum conceditur res ad certum usum, hoc est pro certo, & determinato tempore, itaut ante illud res repeti non possit citra injustitiam; unde tenetur ad restitutionem Commodans, si repetendo rem ante præfixum tempus sit causa alicujus damni Commodatario: Nisi forte Commodans, si non repetat rem illam, passurus sit simile damnum, quatenus non censetur voluisse concedere rem commodatam pro tali casu non prævisо, ut dicemus quæsito seq. cum communi sententia apud Less. contra Navar., & Reginal.; Sicut enim promissio non obligat, si post promissionem notabiliter res mutentur, ita nec commodatum, cum utrumque gratis fiat. Quod tamen limitat Bonac. ex Sylvest., & Sa contra Molin., & Less., Nisi Commodatarius aliunde non fuisset rem illam habiturus, si ille non commodasset; quia cum Commodatarius possideat, videtur melior esse ipsius conditio.

Ex dictis sequitur, tria ad commodatum requiri. Primo, mutuum consensum; quilibet enim contractus mutuo consensu perficitur. Secundo, ut res tradatur gratis ad certum usum, & ad certum tempus. Tertio, ut dominium rei pertineat ad commodantem, cui pereat, si sine culpa mortali commodatarii pereat. Notavimus tamen in de Restitutione, teneri Commodatarium ad custodiam rei commodatæ adhibere diligentiam maximam, quam scilicet adhibent diligentissimi; Nam universim Doctores apud Less., Azor., Molin. disp. 297. docent, ex levissima culpa juridica (dummodo sit culpa Theologica gravis) teneri ad restitutionem Commodatarium, eo quod talis Contractus celebretur in favorem solius Commodatarii.

VII. Dubium est, Ad quem pertineant expensæ pro re commodata?

Respondeo, expensas ordinarias faciendas a commodatario, quippe qui commodum reportat; quare hic debet alere equum, & ferreis laminis calceare: Expensæ vero extraordinariæ faciendæ sunt a commodante, in cujus utilitatem cedunt, ex leg. *In rebus*, ff. *Commodati*.

VIII. Quæritur quinto: An commodans possit ante tempus præfixum rem commodatam repetere cum damno commodatarii, si par damnum ipsi commodanti immineat?

Respondeo cum Molin. disp. 294., Less., Sylvest., & aliis posse; quia sub ista tacita conditione censetur contractus commodati celebrari, quod interim commodanti res non sit necessaria; Sicut, ut supra diximus in simili casu potest locator

tor rem locatam repetere; Universim enim promissio cessat obligare, si status rerum notabiliter mutetur, ut notat D. Th. quæst. 110. art. 3. ad 5., ut si quis promiserit alteri alimenta, & deinde ipse incidat in egestatem; aut si promisisti puellæ, quam putabas virginem, nuptias, & deinde illam deprehendis corruptam; in his, & similibus casibus non censetur promissor tales eventus comprehendere.

Neque dicas, quod si donator indigeat deinde post donationem re donata, non possit illam repetere a donatario; ergo neque id poterit commodans, quamvis indigeat. Nam concesso antecedente, negatur consequentia; Et disparitas est, tum quia commodans retinet dominium rei commodatæ, & ideo retinet jus ad sibi illam vindicandam tempore indigentiæ; ubi donator omnino abdicavit a se rem donatam; tum etiam quia donator non censetur donare rem sub ea conditione, ut possit repeti; Secus vero commodans, & locans.

Adde ex Lug. hic num. 11. paritatem donationis retorqueri. Nam donator, qui prolem non habet, nec de ea cogitavit, si prolem suscipiat, potest jure naturæ donationem revocare, quia censetur noluisse donare pro tali circumstantia; ergo idem dicendum in casu nostro.

IX. Quæritur sexto, quid sit, & Quid ferat Precarium?

Respondeo, Precarium esse contractum, quo aliquid gratis conceditur alteri cum potestate illud repetendi ad arbitrium, ut si concedatur alicui liber, vel quod transeat per agrum meum, quousque mihi placuerit. Definitur autem in leg. 1. ff. *de Precario* quod sit *contractus, quo precibus petentis aliquid conceditur utendum, quamdiu is, qui concedit, non revocaverit*. Quare differt a mutuo, & venditione, per quæ transfertur dominium; a Deposito, quod fit ad custodiam rei, & in favorem deponentis; a Locatione, quæ non fit gratis; & a Commodato, quod non potest revocari ante præfixum tempus: Precarium vero potest ad libitum repeti, nisi aliud charitas postulet; ut accidit, quando repeti non potest sine gravissimo detrimento habentis Precarium, ex leg. 1. ff. *de Precario*.

Rogabis, Quomodo Precarium finiatur?

Respondeo, cessare non solum per voluntatem concedentis, aut per venditionem rei precario datæ factam a domino, sed etiam per mortem accipientis Precarium; Cum non transeat ad hæredes talis concessio, sed sit personalis. Non cessat tamen per mortem tradentis, ex leg. *Cum Precarium*, ff. *de Precario*; quare perseverat, quousque ab hæredibus revocetur; dummodo tradens Precarium non concesserit sub hac forma, videlicet usque ad meum beneplacitum, vel donec voluero, vel donec vixero, &c.

ARTICULUS III.

De contractu Societatis.

I. Societas est conventio duorum, vel plurium contracta ad conferendum aliquid in usum, vel quæstum communem. Quando factoribus in stipendium datur quarta, vel quinta pars lucrorum, tunc habetur contractus conductionis potius, quam Societatis.

II. Multipliciter fieri potest contractus hic Societatis; Hæc autem si fundetur in negotiatione illicita, nullam parit obligationem ante negotiationem. Periculum sortis stare debet penes apponentem, si non superaddatur Assecuratio.

III. Ut Societas fiat ad caput salvum, plura requiruntur.

IV. Colonus ex contractu Societatis non solum debet reportare pretium suæ operæ, ac si esset famulus, sed etiam lucrum consentaneum.

V. Si Titius apposuit centum, & Cajus operam suam, & in fine negotiationis remanent biscentum, aut etiam centum, quonam pacto dividenda inter socios?

VI. Quid si Titius apponat sortem, quæ in principio negotiationis pereat, antequam Cajus ponat adæquate operam suam?

VII. Est injustus contractus, quod dentur centum oves Pastori, ita ut totidem reddat in fine anni, & lucrum dividatur, si non superaddatur alius contractus Assecurationis.

VIII. Cum eadem assecuratione potest locari justo pretio Pharmacopolæ Apotheca cum vasis suis, & pharmacis, cum onere, quod in fine anni totidem vasa, & pharmaca ejusdem pretii reddantur: Depurantur isti contractus a labe usuræ ob pretium Assecurationis.

IX. Sixtus V. declaravit, usurarium esse contractum Societatis, si periculum sortis non pertineat ad apponentem, quando tamen non superadditur Assecuratio.

X. Socius tenetur ad restitutionem damni secuti alteri ex culpa levi juridica, quæ sit Theologice gravis; non tamen ex levissima.

I. Quæritur primo: Quid sit Societas, & quotuplex?

Respondeo, esse *Conventionem duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, vel industriã, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad commune lucrum*. Ita ex *leg.* 1. ff. *de Socio* Unde fit, omnes ut participes fiant lucri debere aliquid in commune conferre, sive conferant pecuniam, sive industriam, &c.; Aliquando enim tanti æstimatur (scilicet in ordine ad lucrum) indu-

industria, quanti pecunia, immo aliquando æstimatur magis industria, quam pecunia.

Quando tamen a mercatoribus assignatur suis factoribus, ut diligentiores sint, in stipendium quarta, vel quinta pars lucrorum, talis contractus est potius conductionis, ex Salon., & Reginald., quam Societatis; quia attenditur tunc valor operæ illius secundum se, non vero servata proportione inter capitale unius, & operam alterius; quod habetur in contractu Societatis, in quo pars lucri non assignatur expresse in stipendium, sed ut pars lucri. Notandum tamen, quod si pars, quæ factoribus assignatur, sit ita tenuis, ut dempto valore operarum, exponantur damno potius, quam lucro, tunc contractus erit iniquus.

II. Multiplex est Societas; Alia est Negotiationis, quæ dicitur quæstuosa, & lucratoria, de qua præsertim hic agimus; Alia est Officiorum. & Vectigalium; Alia Animalium; Alia omnium bonorum; ita ut officia, vectigalia, animalia, vel omnia bona sint communia, aut saltem lucrum ex iis proveniens commune fiat, eo quod unus, v. g., conferat animalia, vel alia bona, & alter conferat custodiam, aut industriam; aliter non habetur proprie contractus Societatis.

Porro ad hunc contractum plura spectant; Primo quidem, ut fundetur in negotiatione licita; aliter ante negotiationem factam nulla habetur obligatio, quamvis post factam negotiationem illicitam dividendum sit lucrum, quantum licite fieri potest; ut dicitur de acceptis ob turpem causam. Secundo, quod singuli aliquid conferant in commune. Tertio, ut servetur æqualitas inter socios, & ut lucrum, & expensæ, seu damna sint communia pro rata ejus, quod illi conferunt in societatem; Quare, si v. g., duplo pluris æstimetur labor, & industria prudentis viri, quam pecunia ab alio apposita, ille duplo plus debet lucrum reportare. Quarto, ut pecunia subjaceat periculo conferentis illam, res enim domino perit; Hinc usurarius esset contractus, si tradens pecuniam vellet, ut periculum pecuniæ stet penes mercatorem, & lucrum dividatur; Nisi tamen juste aliter tale onus compensetur; V. g., si contractui Societatis addatur contractus assecurationis Capitalis; cum enim hic secundus contractus possit fieri cum tertia persona, poterit etiam fieri cum eodem socio mercatore, ut docent Salon., Molin. contra Felicium, & alios apud Bonac. putantes mutuum virtuale, atque adeo usuram palliatam in hoc Contractu contineri. Verum quidem est, Pium V. decrevisse, quod periculum Capitalis remaneat apud apponentem illud. Sed Pius V. loquitur, quando habetur solus contractus Societatis, non vero quando huic superadditur Assecuratio.

III. Notandum tamen, quod quando dantur animalia ad caput salvum, debeat primo inspici, an tanti æstimetur labor, & industria pastoris, quanti animalia, ut fructus possint dividi juxta hanc proportionem. Secundo, si vendantur fructus incerti debiti domino animalium pro certis, debent taxari juxta spem plurium, & periculum pauciorum. Tertio, si addatur aliud onus, videlicet assecurationis capitalis, debet tantum detrahi, quanti æstimatur periculum, quod capitale amittatur.

Adde, injustum esse secundum se contractum, quo boves, v. g., æstimantur in principio anni, & deinde in fine anni iterum æstimantur, ita ut æquale sit lucrum, aut damnum utriusque contrahentis. Et ratio est, quia non est æqua spes lucri, & timor damni; etenim fere semper valor deterioratur, & sæpe pereunt boves; Unde si colono tale onus apponatur, debet compensari.

IV. Nota etiam universim, quod colonus debeat ut plurimum ex contractu societatis reportare non solum pretium suæ operæ, & industriæ, perinde ac si esset famulus conductitius, sed etiam aliquod lucrum ratione Societatis; & tale lucrum eo debet esse majus, quo majori periculo ille se exponit, & quo onus gravius subit.

V. Quæritur secundo; Si Titius, v. g., apposuit centum in societatem, & Cajus industriam valentem pariter centum, quomodo facienda erit divisio, si in fine Societatis habeantur biscentum?

Respondeo, nonnullos putare restituenda esse Titio centum, quæ posuit, & alia centum dividenda. Sed verius dicendum cum Less. cap. 25. n. 9. & aliis apud Bonac., quod ex ducentis aureis, qui in fine societatis supersunt, extrahendi sunt centum, quos posuit Titius pro sorte, & extrahendus sit valor operæ, & industriæ, quam posuit Cajus, perinde ac si fuisset famulus, & quod superest, utrique dividendum. Quare non debet spectari in tali casu valor operæ, & industriæ Caji relate ad hanc negotiationem, quæ æstimatur centum, ut contractus initus sit justus, sed æstimari debet labor, & industria Caji, perinde ac esset famulus, ut quod supereft, dividatur. Aliter si Titius haberet centum, quos posuit pro sorte, & Cajus alios centum, solum Cajus lucraretur, & non Titius; vel si Titio darentur centum pro sua sorte, & alii centum æqualiter dividerentur, lucrum non esset æquale; Nam Titius haberet pro lucro quinquaginta, & Cajus habens alios quinquaginta amitteret valorem suæ operæ, quam pro capitali apposuit in hoc Contractu. Non est autem justitiæ consonum, quod Cajus amittat suam ope-

operam, & Titius nihil amittat de suo Capitali, & ideo non arridet sententia illorum, qui docent in hoc casu restituendos esse centum aureos Titio, quos posuit pro capitali, & reliquos centum esse dividendos æqualiter. Ita videtur sentire Filliucius. At Lugo disp. 30.n. 24. cum Less. & aliis docent oppositum in eo duntaxat casu, in quo Societas fieret ad solum lucrum; ita scilicet, ut si pecunia tantum amittatur, soli apponenti illam amittatur; in hoc enim casu æquum est, ut si sola opera alterius amittatur, huic duntaxat amittatur, & sic integra sors alteri debeatur.

Ex qubius sequitur, quod si in fine societatis remanerent centum, non essent isti dandi Titio, qui eos apposuit pro capitali; nam sic Cajus amitteret omnino operam suam; & Titius nihil amitteret: Quare ex iis centum extrahendi sunt tot aurei, quanti ęstimatur opera Caji, perinde ac esset famulus, v. g. quinquaginta, deinde inter utrumque contrahentem dividenda est jactura, ita ut septuaginta quinque aurei dentur ei, qui posuit centum pro capitali, & vigintiquinque ei, qui posuit operam suam æstimatam quinquaginta; Et hoc pacto Titius ex suo capitali amitteret viginti quinque, & totidem amitteret Cajus ex valore suæ operæ. In hoc sensu videntur intelligendi Less., Navar., Lug., Covar., qui hac in re non satis dilucide loquuntur.

VI. Quod si sors apposita a Titio in principio negotiationis pereat, antequam Cajus apponat operam suam adæquate, tunc æstimandus est valor operæ, quæ supererat apponenda a Cajo, & dimidium talis valoris dandum esset Titio, ad hoc, ut æqualis sit inter illos amissio Capitalis, ut notat idem Less. ibidem.

VII. Quæritur tertio; An licitus sit contractus Societatis, quo quis tradit Pastori animalia custodienda cum pacto, quod in fine anni in eodem numero reddantur, & reliquum lucri sit commune?

Respondeo, contractum hunc tanquam iniquum reputari a Sylvest., & Reginald. apud Azor. lib. 9. cap. 7. quæst. 12., quando scilicet Pastoris industria pluris æstimatur, quam numerus animalium illi constitutus; secus vero si non pluris æstimetur, & simul periculum amittendi animalia stet apud dominum, sicut apud Pastorem est periculum amittendi operam suam; In quovis enim contractu, ut servetur æqualitas, sors stare debet periculo apponentis, quia res domino perit: Quare non potest socius obligari ad reddenda in fine anni totidem animalia, nisi periculum sortis in se susceperit per alium contractum assecurationis pretium consentaneum accipiendo.

VIII. Hac de causa licitus reputatus est Papiæ, & Mediolani anno 1682. a Valero, & aliis contra P. Megalam apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. ult. contractus cujusdam Pharmacopolæ, qui totam suam apothecam cum vasis, domo, medicinis, & aliis rebus alteri locavit cum æstimatione rerum, eo pacto, quod finita locatione deberet prædictam apothecam Conductor cum totidem rebus æstimatis, & inventariatis restituere, & præterea pretium locationis. Ratio est, quia quamvis in locatione videatur debere periculum rei locatæ pertinere ad locatorem, nihilominus potest etiam stare locatio, quando inter contrahentes ita conventum est, ut periculum rei locatæ stet apud locatarium seu Conductorem, si tale onus justo pretio compensetur, ut notat Villalob. apud Trull. disp. 50. n. 3.; Sicuti ex leg. *Quo si ab initio*, ff. *de rebus cred.*; manet ratio depositi, quando dominus deponit pecuniam, non in sacculo, sed numeratam, itaut vigore talis numerationis transeat dominium pecuniæ in depositarium, qui proinde subit ejus periculum, quod compensatur eo titulo, quod possit uti depositarius tali pecunia.

Quare in casu nostro licet periculum animalium, & apothecæ stare debeat penes dominum, potest tamen transferri in alium, dummodo compensetur pecunia tale onus, quod est veluti contractum assecurationis inire. Idque videtur etiam sentire Rebel. quæst. *6*. n. *6*., & quæst. 8. n. 3. At Reginal. n. 404., Sylvest., & alii cum Bonac. hic punct. 5. n. *6*. videntur docere, talem contractum esse usurarium, quia dum ttansfertur periculum animalium in alterum, jam transfertur eorum dominium per venditionem, (cum res domino pereat, & non alteri) quo posito non tenetur alter reddere nisi pretium rei venditæ, unde si pars fructuum reddatur, usurarie redditur; Nihilominus Trull. respondet, & bene cum Less. cap. 23. dub. 3. Navar., & aliis, in dicto casu non haberi contractum venditionis, sed haberi societatem trium contractuum; primo enim habetur contractus simplex societatis, per quem alter ponit animalia, alter industriam, & laborem; Deinde habetur implicite contractus assecurationis capitalis; Tertio habetur venditio lucri incerti majoris pro minore certo. Fingamus enim, quod animalia possint reddere sexaginta aureos, unde utrique eveniant triginta, poterit qui ponit animalia vendere ista triginta incerta pro viginti certis, & rursus ex his viginti dare alteri, v. g. decem, ut sibi assecurentur animalia; Quare poterit in fine anni accipere animalia, vel eorum pretium, si perierint, & rursus decem, idque sine usura. Quantum autem possit in quolibet contractu accipi, standum est judicio peritorum, & praxi timoratorum cujuscumque Pro-

Provinciæ; Et ut scandalum vitetur, consultius est expresse seorsim hos contractus inire, ut notat Trull.

IX. Sciendum hic, Sixtum V. anno 1586. in Bulla, quæ incipit *Detestabilis avaritiæ* ad coercendas injustitias hujusmodi contractus declarasse usurarios, & illicitos. At cum passim ab omnibus fiant citra injustitiam, ideo dicendum cum Lug. hic, Sixtum V. solum declarasse usurarios contractus, qui de jure communi sunt illiciti, ut quando restituendum est a Socio capitale per caput salvum, quin talis obligatio aliunde compensetur, ut censuit Sacra Rota Romana apud Cherubinum ab eodem Lug. laudatum.

X. Quæritur ultimo: Ex qua culpa teneatur Socius ad restitutionem damni secuti alteri socio?

Respondeo cum communi, teneri ex culpa etiam levi juridica, non tamen ex levissima, aut ex casu fortuito. Ratio est, quia contractus est in bonum utriusque contrahentis; unde socius tenetur custodire res per talem contractum acceptas, tanquam proprias, & adhibere in illis custodiendis diligentiam, quam homines consueverunt communiter adhibere; quare peccat graviter, si talem diligentiam omittat; & ad restitutionem tenetur damni secuti.

ARTICULUS IV.

De Ludo, & Sponsione.

I. *Ludi contractus habetur per pactum, quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuatur. Per Sponsionem duo contendentes de veritate, aut eventu rei sibi vicissim aliquid spondent dandum victori.*

II. *Si quis certo sciat rei veritatem, num possit spondere cum altero, qui dicit se cedere juri suo? Num possit quis spondere cum singulis ex quatuor appositoribus, quod non sint Cathedram assecuturi?*

III. *Qui vi, aut importunis precibus, vel conviciis pertrahitur ad ludendum, retinere potest, quod vincit, quamvis alter si vincat, ad restitutionem teneatur. Idemque dicendum de eo, qui injuriam alteri facit in numero punctorum, aut aliter; ac de eo, qui fingit imperitiam ludendi, ut alterum pertrahat ad ludendum.*

IV. *Probabile tamen est, quod ad restitutionem non teneatur, qui minis inducit alterum ad ludendum, si vincat; dummodo satisfaciat pro injuria illata.*

V. *Ludus late sumptus, seu Jocus, si sit moderatus ad melancholiam expellendam, pertinet ad virtutem Eutrapeliæ.*

VI. *Ludus honestus vitiari potest multipliciter; videlicet ratione finis mali, ratione Loci, Personæ, Modi, Legis vetantis, vel ratione Personæ, cum qua luditur. Quid de Clericis, aut Religiosis ludentibus?*

VII. *Peccant mortaliter, qui domum, mensas, aleas subministrant ludentibus ludis vetitis, aut intermiscendo blasphemias, furta, perjuria.*

VIII. *Princeps licet possit permittere peccata meretricis, non potest tamen permittere peccata ludentium inique cum fraudibus & blasphemiis.*

IX. *Ad restitutionem damnorum tenentur, qui ad ludendum inique ludentes admittunt.*

X. *Qui ludens ludo prohibito aliquid lucratur, non tenetur illud restituere ante sententiam Judicis. Qui vero victus perdidit, probabiliter non tenetur solvere, quando datur illi facultas repetendi; Si tamen illud solverit, non potest compensare.*

XI. *Jure Cæsareo qui ludit ad creditum, probabiliter non tenetur in conscientia solvere, nisi juraverit se soluturum. Quod si juraverit hujus juramenti dispensationem non esse petiturum, adhuc probabiliter potest illam petere.*

XII. *Si uterque ludens ludo prohibito, aut ad creditum, renunciavit harum legum privilegio, adhuc probabiliter potest non solvere quod perdidit, aut in judicio illud repetere.*

XIII. *Ludens ad creditum cum alio ludente pecunia numerata cum animo non solvendi, si perdat; probabiliter ad restitutionem non tenetur, si lucratur. Immo ludens ludo vetito pecunia numerata cum animo repetendi, si perdat, adhuc probabiliter lucrari potest.*

XIV. *Lucrari non potest in ludo, aut sponsione, qui certus moraliter est, quod perdere non possit. Nec qui ludit cum Religiosis, aut filiisfamilias, qui non possunt aliquid ludo exponere. Quandonam possint isti quatuor, vel quinque in centum exponere ludo honesto? Restitutio in his casibus secundum se potest etiam fieri ipsi Religioso perdenti.*

XV. *Qui per fraudes aliquid lucratur, tenetur restituere non solum quod lucratus est, sed etiam quod certo moraliter alter esset lucraturus.*

XVI. *Qui in ludo utitur astutiis consuetis, non tenetur quicquam restituere, si lucratur. Nec tenetur ludens admonere collusorem, si videat illum errare in numero calculorum.*

I. Quæritur primo: Quid sit ludus? Quid sponsio? Et an liceant?

Respondeo, ludum late sumptum esse quicquid ad oblectationem animi sumitur, in factis, vel verbis consistens; quamvis si consistat in verbis, dici soleat Jocus, si in factis, Ludus. Verum Ludus stricte sumptus pro contractu significat *Pactum, ut victori certaminis res ab utroque*

exposita tribuatur. Sponsio vero est *Contractus, in quo duo de veritate, vel eventu rei contendentes sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus*.

II. Porro Sponsio licita est, dummodo servetur æqualitas, videlicet quod eventus sit utrique incertus, absitque dolus, aut fraus. Hinc tenetur ad restitutionem, qui aliquid per sponsionem lucratur, sciens rei eventum; nisi tamen id alteri serio manifestarit; tunc enim illi est imputandum, quod voluntarie voluerit amittere, ut notat Sanc., Medin., & alii apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 186. contra Garz., & alios putantes hunc nonnisi deceptum spondere. Ob eandem rationem Ledesm., & Villalob. putant esse injustam sponsionem factam cum quatuor, v. g., oppositoribus, quod scilicet ad cathedram non sint perventuri; quia sic spondens certo vinceret relate ad tres, & solum amitteret relate ad illum, qui cathedram assequeretur. Equidem tamen existimo, hujusmodi sponsionem esse licitam cum Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 16., & Dian. loc. cit. resol. 181., quia volenti, & consentienti nulla fit injuria; quilibet autem ex quatuor oppositoribus videt pro se stare probabilitatem ut unum, (quod scilicet ipse sit obtenturus cathedram,) & contra se stare probabilitatem ut tria, (quod scilicet ipse illam non sit obtenturus, cum tres alii concurrant,) & tamen adhuc vult spondere; sibi itaque imputet, si amittat. Nonne si duo essent oppositores, posset quilibet ita spondere, ut lucretur decem, si obtineat cathedram, & amittat centum, si non obtineat? in quo casu nulla esset injustitia, quia voluntarie sic sponderet: ita in casu nostro.

III. Ludus autem, inquantum contractus, licitus est, dummodo alter non inducat alterum ad ludendum per minas, fraudes, convicia, &c.; nam si sic pertractus perdat, tenetur alter ad restitutionem, quia per injuriam fuit ei causa damni, ut communiter docent; Et probabiliter etiam si illum inducat per preces importunas, ut plures docent cum Sanch., Navar., & aliis contra Less., Dian. apud Croix lib. 3. punct. 2. n. 2080.; Quamvis si ille vincat, possit lucrum retinere, quia sic compellens per injuriam videtur cedere juri suo. Eodem modo, si tu injuriam facis in numero punctorum, vel calculorum, non poteris lucrari; e contra alter, qui injuriam patitur, lucrari poterit; Et qui peritus ludi fingit imperitiam, ut alterum illiciat, non potest quicquam lucrari, sed tenetur ad restitutionem; contra vero si alter vincat, non tenetur ad restitutionem.

IV. Non est tamen improbabile, ut docet Sa., Molin., Less., Trull. dub. 2., Dian. part. 1. tract. 17. resol. 27. apud Croix loco laudato, quod qui minis, aut aliter alium cogit ad ludendum, si vincat, non teneatur ad restitutionem; quia etiam in pertracto ad ludendum par est conditio, ut possit tam perdere, quam lucrari; quamvis teneatur injuriose attrahens ad satisfactionem injuriæ irrogatæ arbitrio prudentis.

V. Demum ludus etiam in latiori significatione sumptus est res licita, & potest esse virtus, si debito modo sumatur, ex D. Th. 2. 2. quæst. 168. art. 2.; quæ virtus dicitur Eutrapelia; idest ludus moderatus ponens medium inter excessum, & defectum. Quare homo melancholicus, si moderato ludo utatur ad expellendam melancholiam, exercet actum dictæ virtutis.

VI. Quæritur secundo; Quot modis possit ab extrinseco vitiari ludus de se honestus?

Respondeo, posse ludum multipliciter vitiari, & esse inhonestum. Primo quidem ratione finis mali; si quis enim ludat præcise, v. g., propter lucrum, peccat venialiter, ut notat Trull.; secus vero si principaliter intendat moderatam recreationem, & lucrum secundario. Qui autem diebus, ac noctibus ludit exponendo se proximo periculo magnæ jacturæ rei familiaris, itaut non possit deinde debita solvere, vel famulum sustentare, peccat mortaliter, ex Sanch. in Consil. lib. 1. cap. 8. dub. 24. Secundo, ratione loci; quare erit mortale ludere in Ecclesia ludis illicitis, veniale vero ludere ludo licito; nisi id fiat ad recreandum infirmum ibi existentem, aut si ibi sint aliqui, qui ad Ecclesiam confugerunt, ibique ludunt recreationis causa. Tertio, ratione personæ, ut si Episcopus, vel Monachus cum scandalo luderent; secus vero si aliquoties tantum luderent recreationis causa. Quarto, ratione modi, ut si intercedat vis, dolus, fraus. Quinto, ratione legis prohibentis, ut prohibetur lege civili ludus taxillorum, & alearum; Quamvis ex Medin., & Sanch. loc. cit. dub. 25. talis lex contraria consuetudine sit abrogata; Præterquamquod probabile est, tales leges obligare solum ad pœnam temporalem: Peccant tamen mortaliter Clerici, ex Dian. part. 4. tract. 4. resol. 183., si diebus, ac noctibus cum magno scandalo, & in magna quantitate aleis ludant, saltem si sint in Sacris, vel Beneficiarii. Nonnulli Doctores cum Sylvest., D. Antonino, Cajet., Henr. apud Sanch. dub. 28., & apud eundem Dian. nolunt hos damnare de mortali propter continuationem ludi etiam prohibiti, & in magna quantitate; quia consuetudo non mutat speciem peccati, itaut de veniali transferat in mortale. Sed jure merito impugnantur a Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 28. docendo, consuetudinem hanc esse peccatum mortale; eo quod sola consuetudo graviter prohibeatur, & gravibus pœnis subjiciatur. Sexto, ratione personæ, cum qua quis luderet, videlicet si cum prodigo,

cum filiofamilias, cum puero, cum stulto, cum moniali, &c. Quamvis non peccent Religiosi, si ludo honesto moderate ludant recreationis causa, & in re minima; Et, ut docet Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 24. contra Lopez, nec committunt Simoniam, si victi obligant se ad recitandum rosarium; quia non vendunt rem spiritualem, nec miscetur res sacra cum profanis; unde nulla est irreverentia. Navar. putat peccare mortaliter Religiosum, vel Clericum, qui ludum fortunæ mortaliter malum de industria spectant, quamvis solum delectentur de arte ludendi, non de malo; Lopez tamen apud Dian. part. 1. tract. 1. Miscellan. resol. 183. excusat hos a mortali; nisi sint causa ludi, vel nisi omittant corrigere, quando tenentur.

VII. Demum mortaliter peccat, qui domum, mensas, candelas, aleas, &c. subministrat lusoribus, qui mortaliter peccant ludendo, quia eorum peccato cooperatur; unde absolvendi non sunt, qui habent domi mensas lusorias, & excipiunt indifferenter omnes ad ludendum ludis prohibitis: vel eos, qui ludo exponunt, quæ non possunt alienare; vel qui ludendo in juramenta, & blasphemias prorumpunt.

VIII. Dubium est, An Princeps concedere possit licentiam, ut quis possit domum exponere hujusmodi ludis? Respondeo ex fuse dictis quæst. 7. art. 1. negative cum communi apud Dian. loc. cit. resol. 65. & Trull. lib. 7. cap. 27. dub. 1. num. 7. Ratio est, quia etsi sit res indifferens subministrare necessaria ad ludendum; at quando ludus ut plurimum conjungitur cum pravo usu blasphemiarum, rixarum, furtorum, dilapidationis bonorum, &c. non licet ad hæc peccata concurrere. Docuit oppositum Vicentius Justinianus apud Lopez, & Trull. ea ductus ratione, quia ex D.Th. 2. 2. quæst. 169. art. 4. & ex exemplis adductis a Sanch. lib. 1. Consil. c. 8. dub. 21. & a Bonac. tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 2. licitum est ministrare, & vendere res indifferentes etiam cum cognitione pravi usus secuturi. Sed communiter rejiciuntur; quia tunc licitum est ministrare res indifferentes cum cognitione pravi usus secuturi, quando non ministrantur aut in ipso exercitio, aut exercitium paranti; idcirco enim licitum est locare domum, & vendere ornamenta meretrici, quia hæc non sunt adjumento proxime, & immediate ad peccandum; sicut si sternatur lectus meretrici, aut si solum paretur mensa sic lubentibus. Ubi Doctores notant, majorem causam requiri ad permittenda peccata ludentium, quam meretricis; quia illa sunt publica, sunt in damnum tertii, sunt blasphemiæ contra Deum, sunt innumera, nec permitti solent ad vitandum majus malum, sicut permittuntur peccata meretricis, & usurariorum.

IX. Hinc inferunt Doctores apud Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 21. quod admittentes ad ludendum eos, qui fraudes faciunt, teneantur restituere quicquid isti tenebantur, si nolint restituere. Et ratio est, quia essent causa injustæ acceptionis; non secus ac qui dat alteri ensem petitum ad alium percutiendum.

X. Quæritur tertio: An qui aliquid ludo vetito lucratus est, (puta alearum, taxillorum seu talorum, &c. qui jure Cæsareo prohibentur,) teneatur ad restitutionem?

Respondeo, & dico primo, probabilius esse sic lucrantem non teneri ad restitutionem ante sententiam judicis; modo non impediat per vim, aut fraudem, ne a Judice ad restitutionem condemnetur, & contractus fuerit justus. Ratio est ex Sanch. & aliis apud Trull. quia leges hujusmodi prohibentes hos ludos non reddunt irritum ludi contractum, nec efficiunt ludentes inhabiles ad dominium transferendum, sed solum concedunt perdenti, quod possit apud Judicem intra octo dies juxta Pragmaticam Caroli V. anni 1528. editam Matriti repetere, quod perdidit; (quod etiam inter Clericos servandum ex Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 1. cum aliis ex Authent. *Alearum usus*, Cod. *de Religiosis*, & *sumptibus funerum*,) & ad summum irritant obligationem solvendi, quod pecunia credita perditum est, ut multi apud Sanch. lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 4. docent; Unde donec Judex condemnet victorem ad restitutionem, non tenetur hic restituere: Immo ex Sanch. dub. 2. nec tenetur restituere, si vocatus a Judice, repetente parte, negat lucrum, & sic non condemnatur; quia hæc repetitio, & restitutio non conceditur in favorem ludentium, (ut minori conceditur in integrum restitutio,) sed in eorum pœnam, & odium; & reus, qui juridice vocatus negat veritatem, non tenetur restituere pœnam, qua damnandus erat, ut communiter docent cum Sanch. lib. 2. Sum. cap. 22. num. 22. & lib. 10. de Matrim. dub. 8. num. 14. quia non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem. Quare neque reus in casu nostro tenetur ad restitutionem ante sententiam Judicis. Ubi notandum cum Molin. disp. 513. & Sal. leges istas, quatenus vetant lusum, esse consuetudine abrogatas, itaut nemo peccet ludendo, sed non esse abrogatas quoad jus repetendi in judicio pecuniam solutam in his ludis deperditam.

Dico secundo cum Sanch. lib. 6. de Matrim. dub. 38. num. 34. probabilius esse, quod non teneatur solvere, quod perdidit victus, quando datur ei facultas repetendi, quod perdidit apud Judicem. Ratio est, quia is, cui datur actio ad repetendum, potest retinere, ex Regula, *Qui ad agenudum 61. de Regul. Juris.* Et ratio ulterior est, quia frustra solvitur; & esset circulus inutilis, quando aliquid statim restituendum est. Dico

Dico tertio: Qui aliquid amisit ludo prohibito, & solvit, non potest privatim illud sibi compensare. Ratio est, quia victor non tenetur restituere ante Judicis sententiam. Ita communiter cum Less. Sanch. apud Trull. Quicquid in contrarium nonnulli censeant, putantes probabilem esse sententiam Matinæ, Lopez, Guttier. Sot. apud Sanch. in Conf. lib. 1. cap. 8. dub. 4. quod scilicet teneatur victor restituere, eo quod in lib. 8. tit. 7. Novæ Recog. talis contractus ludi reddatur irritus; Et rursus putantes probabilem esse sententiam, quod stante prædicta probabilitate possit victor de possessione deturbari auctoritate privata: Quod tamen Sanch. loc. cit. putat falsissimum; quia cum etiam probabile sit victorem non teneri restituere, in dubio melior debet esse conditio possidentis; unde non est licita talis compensatio: In eo casu permittit Sanch. compensationem, quando scilicet victus solum præ pudore, vel alio respectu fingit solvere, quod perdidit, habens animum se compensandi, cum suppetet facultas.

XI. Quæritur quarto: An qui ludit ad creditum ludo prohibito, teneatur in conscientia solvere, si fidem dederit? Et quid si juraverit?

Respondeo jure naturæ teneri; quia omne promissum, quod licite adimpleri potest, servandum est. At jure communi Cæsareo non tenetur in conscientia, si solum dederit fidem; ut communiter docent apud Trull. & Dian. part. 1. tract. 3. Miscell. resol. 8. contra Salon. Rebel. Valent. cum enim leges istæ sanciant, quod victus non cogatur solvere, dicendum, quod illum etiam in foro interno deobligent. At si juravit solvere, procul dubio tenetur; Quamvis possit Episcopus tale juramentum relaxare, etiam absque partis citatione, ex Henr. & Trull. dub. 4. contra Molin. apud Less. lib. 3. cap. 26. num. 27. non secus ac qui juravit solvere usuras; Quod si juravit se non petiturum dispensationem talis juramenti, adhuc probabiliter ex Trull. & Azor. apud Sanch. lib. 3. cap. 21. num. 15. contra Less. loc. cit. potest petere, quia tale juramentum bonos mores evertit. Notandum tamen, quod ubi istæ leges non obligant, ut in Regno Valentino, ex Trull. in conscientia solvenda est pecunia in ludo promissa; Ubi autem obligant, etiam inter Clericos servandæ sunt, ut diximus ex Sanchez.

XII. Rogabis, an si uterque ludens ad creditum, vel ludo prohibito, renunciaverit beneficio hujus legis, & cesserit juri suo repetendi, quod solvit, adhuc possit non solvere, aut repetere?

Respondeo cum Less. lib. 2. cap. 26. num. 26. & Trull. contra Bonac. & Azor. quod possit, si sine juramento renunciavit; quia simplex cessio non privat hominem jure, quod ei tribuit in favorem boni communis; Alioqui facillime omnis vis legis redderetur frustratoria, & inanis.

XIII. Rogabis secundo: An qui lucratur ab alio pecuniam præsentem, ipse tamen perdebat pecuniam creditam, & habebat animum non solvendi propter leges id sibi concedentes, teneatur ad restitutionem?

Respondent Victor. & Lopez teneri; quia aliter non servaretur æqualitas; At Sanch. probabiliter putat, quod non teneatur; quia victor utitur privilegio legis, & alter sibi imputet, quod velit ludere pecunia credita. Præterquamquod nulla est inæqualitas in tali contractu, quia etiam alter potest uti eodem legis beneficio, & non solvere. Additque Sanch. cum doctis Junioribus, quod qui ludit pecunia numerata ludo vetito cum proposito repetendi in judicio, quod perdit, adhuc possit lucrari; quia utitur jure suo, & nulli facit injuriam.

XIV. Quæritur quinto: An aliquando possit per ludum, aut sponsionem lucrari, qui non potest perdere?

Respondeo cum Trull. dub. 5. quod tale dubium in tribus casibus procedere possit. Primo, si alter est ita peritus, ut certum moraliter sit ipsum lucraturum; & diximus in tali casu tunc teneri hunc ad restitutionem, quando vel peritus simulat imperitiam, ut alterum alliciat, vel peritus scit se esse longe peritiorem, & alterum ipsius peritiam ignorare. Secundo, si ludens habet animum non solvendi, aut solutum repetendi, & de hoc diximus quæsito superiore. Tertio, quando alter ludentium non potest alienare, ut sunt Religiosi, filiifamilias, fures, &c.

Quod attinet ad Religiosos, non possunt hi quicquam exponere ludo sine consensu Superioris; Quod si exponant, & Monasterium notabiliter lædatur, potest hoc uti beneficio restitutionis in integrum. Similiter nec filiusfamilias, nisi pubertatem ingressus habeat bona castrensia, vel quasi, vel alia bona sibi a parente concessa ad liberam administrationem: Bona vero adventitia non potest ludo exponere, nisi constet Patrem condonare filio usumfructum, & cedere juri suo administrandi illa bona.

Notat tamen Trull. quod si filiusfamilias sustentetur in aula, vel universitate, necnon Religiosus si versetur in studiis, vel in negotiis Monasterii expensis sui Abbatis, possint ex destinata sustentatione sumere quotannis quatuor, vel quinque in centum, ut ludo honesto insumant. Ratio est, quia ad alimenta pertinet honesta recreatio ætati, & statui conveniens, & æqualibus passim concessa. Notat etiam, quod qui lucratus est a filiofamilias, vel a Religioso, satis est, si ipsis restituat; quamvis peccare possit contra charitatem, si hinc illi ansam arriperent,

rent iterum ludendi. Demum fur, usurarius, depositarius,&c. si non habent aliquid proprium, quod tradant vincenti, non faciunt lucrum suum, quando ipsi vincunt, sed debent lucrum restituere ipsi perdenti; aliter non est æqualis utriusque ludentis conditio.

XV. Quæritur ultimo; An utens fraudibus contra leges ludi teneatur restituere etiam quod alter lucraturus erat?

Respondeo, teneri ad restituendum tam quod lucratus est, quam quod alter certo moraliter lucraturus erat; (non vero si dubium sit, an lucraturus esset?) Ut si quis suffuretur, & signet chartas; vel ita disponat, ut sibi felix sors contingat, vel si acceptet ludum, & sponsionem, eo quod admonitus sit ab aliquo inspectore chartarum, quod acceptet; (secus tamen si ante admonitionem decreverat acceptare.) Sicut etiam tenetur ad restitutionem, qui admonuit, in defectum ejus, cui facta est admonitio. Quod si ante admonitionem dubius erat, an acceptaret, videtur obligandus ex Bonac. Sanch. Et Trull. obligat illum ad partem duntaxat restituendam pro rata dubii.

Qui tamen videt chartas alterius ob solam hujus negligentiam, licite lucratur, qui nullam fecit fraudem; Sicut etiam qui utitur astutiis communi consuetudine receptis; ut qui auget sponsionem sciens certo se lucraturum, quamvis simulet timorem; Immo probabilius esse docet Sanch. dub. 14. quod si collusor videat alterum errare in calculorum numero, possit adhuc lucrari; quia licet teneatur illum non defraudare; at non tenetur de sua negligentia, vel errore illum admonere; hæc enim, ait, est lex ludi, &c. A fortiori spectans ludum non tenetur admonere ludentes de errore in computando; Communiter enim lusores id ægre ferunt, & datur occasio querelis. Qui autem dolose surripit primam manum, tenetur restituere solum jus illud præundi in ludo; Sicut qui comburit messes in herba, non tenetur restituere frumentum, sed quanti tunc ea messis æstimatur.

ARTICULUS V.

De quasi Contractibus.

I. Obligatio ex quasi contractu habetur ratione mutui consensus non expressi, sed taciti.

II. Quinque modis oriri potest obligatio isthæc ex quasi contractu, videlicet ex negotiis gestis, ex tutela, ex rerum communione citra contractum societatis, ex Hæreditate relate ad legata, & ex solutione indebita facta per errorem.

III. Negotiorum gestori debentur expensæ, & laborum compensatio, quamvis negotiationis eventus non succedat feliciter.

IV. Idem dicendum de inventore rei alienæ, & de fidejussore sponte solvente pro principali; Non tamen de eo, qui ex mera liberalitate, aut pietate aliquid expendit pro alio; puta pro famulo ægroto.

V. Tutori debentur a pupillo expensæ; Sed salarium ille accipere non potest, nisi constituatur a Judice.

VI. Mandatario, Procuratori, Advocato ex quasi contractu debentur expensæ, si gratis tale munus suscipiant: Ex contractu vero conductionis debetur salarium, si de illo conveniant. Idemque dicendum de Syndico, seu defensore, non a domino, sed a Communitate constituto, aut ab Episcopo.

VII. Quando res communes pluribus ab uno administrantur citra contractum Societatis, datur actio a Juristis dicta Communi dividendo ex quasi contractu.

VIII. Acceptans hæreditatem ex quasi contractu tenetur solvere legata; Quod si legatarius propria auctoritate illa sibi usurpet, in pœnam legato privatur.

IX. Qui indebitum ex errore accipit ex quasi contractu, ad restitutionem tenetur. Si tamen acceperit bona fide, solum tenetur ex re accepta, & quatenus est factus ditior.

I. QUæritur primo: Quænam sit obligatio isthæc orta ex quasi contractu?

Respondeo, aliquando aliquem obligari ad aliquid faciendum obligatione naturali simul, & civili, ut diximus quæst. 1. art. 2. & non ex delicto, aut quasi delicto, puta ex imperitia, aut imprudentia culpabili, neque ex contractu, seu mutuo consensu expresso, sed obligari ex mutuo consensu tacito, & tunc obligatio dicitur oriri ex quasi contractu.

II. Quæritur secundo; In quibus casibus, & quomodo oriatur hæc obligatio ex quasi contractu?

Respondeo, hanc obligationem quinque modis, seu ex quinque causis consurgere; ut habetur *Tit. Instit. de Obligationibus ex quasi contractu*. Primo quidem ex negotiis gestis. Secundo, ex tutela. Tertio, ex rerum communione, si nulla societatis conventio præcesserit. Quarto, ex hæreditate relate ad legata præstanda. Quinto, ex solutione indebiti per errorem facta.

III. Circa primum, habetur obligatio ex quasi contractu ratione negotiorum gestorum. Nam qui utiliter agit rem alterius absque ejus mandato, is acquirit actionem contra illum, quamvis ignorantem, qua compellitur rem gestam ratam habere, expensas necessarias, & utiles

les præstare, necnon damnum, & lucrum cessans, ac demum compensare labores, ex leg. 2. *de Negotiis gestis*; idque verum est, etiamsi negotii eventus non feliciter succedat: Verbi gratia, si equum Titii de manu furis, tanquam illius negotium gesturus, exiguo pretio redimas, & dum equus ad dominum reducitur, fortuito casu pereat, tenetur ille expensas, & pretium restituere; Contra vero negotiorum gestor tenetur exacta diligentia rem administrare, & perficere, administrationisque rationem reddere.

IV. Hinc infertur primo, quod licet rei alienæ inventor non possit mercedem inventionis tanquam jure sibi debitam exigere, quia ex justitia tenetur rem inventam domino restituere; potest tamen juste exigere laboris compensationem, & expensas factas, ut notat Rebell. lib. 17. apud Laym. cap. 30.

Infertur secundo, quod fidejussor solvens pro principali habeat contra illum actionem negotiorum gestorum, seu ex quasi contractu, si scilicet sponte se obtulit ad fidejubendum, ex leg. *Sed videamus*, ff. *de Negotiis gestis*; nam si fidejubere jussus fuit, habet contra illum actionem ex mandato, seu ex contractu.

Infertur tertio, quod quæ aliquis ex mera liberalitate, aut pietate pro aliquo expendit, non possit postea mutato animo ea repetere ex actione negotiorum gestorum, ex leg. *Si alimenta*, Cod. *de Negotiis gestis*; Verbi gratia, si ad curandum famulum domi tuæ ægrotantem aliquid expedisti liberaliter, non poteris deinde illud de constituta mercede detrahere; secus vero si expendisti animo repetendi; quia dominus non tenetur pro famulo ægrotante facere expensas, nisi tenues, juxta usum, qui talem obligationem interpretatus est, ut notat Filliuc. tract. 20. part. 2. cap. 2. Immo secundum se nec tenetur salarium pro eo tempore infirmitatis illi dare; nisi aliud ferat loci consuetudo; præsertim quando tempus infirmitatis non est diuturnum. Similiter mater, & avia præbentes alimenta filiis, vel nepotibus, quia censentur ex affectu materno, & pietate ea conferre (nisi contrarium protestentur, aut ex circumstantiis colligatur,) non possunt ea repetere; secus vero si magnas expensas pro iis fecerint.

V. Circa secundum, habetur obligatio ex quasi contractu ratione tutelæ. Nam ex legis dispositione Tutor erga pupillum etiam ignorantem, aut invitum contrahit obligationem administrandi res illius cum exacta diligentia, & rationem reddendi administrationis; Et idem dicas de Curatore erga minorem: Contra tamen pupillus obligatur tutorem indemnem reddere circa ea, quæ pro ipso expendit: Quamvis tutor pro sua cura salarium accipere non possit, nisi ei a Judice constitutum sit, ex leg. *A tutoribus*, ff. *de Administratione Tutorum*; Est enim hoc unum ex publicis muneribus, a quibus lex neminem immunem esse voluit, nisi ex justa causa.

VI. Huc revocatur mandatum, quod ab aliquo gratis suscipitur exequendum; Nam si interveniente pecunia suscipiatur, potius spectat ad locationem, & conductionem, quam ad quasi contractum. Quare inter mandantem, & mandatarium datur implicita conventio, quod fideliter hic rem exequatur; mandans vero ratum habere debeat, quod a mandatario fit, (dummodo non excedat fines mandati,) & servare illum indemnem; Officium etiam Procuratoris, & Advocati, & similia spectant ad quasi contractus, si quando gratis suscipiantur; secus vero si interveniente salario. Idem dicas de Syndico, hoc est defensore, seu Procuratore, qui non a domino, sed ab Universitate, aut ab ejus administratore, verbi gratia, ab Episcopo, Capitulo, Prælato Monasterii constituitur.

VII. Circa tertium, oritur obligatio ex quasi contractu, si habeatur rerum communio absque prævia conventione societatis; Verbi gratia, si res pluribus legata, aut donata inter illos dividenda sit, aut si unus solus ex re communi fructus perceperit, vel necessarias, aut utiles expensas pro re communi fecerit; tunc non minus, quam si societas communi consensu contracta esset, consurgit actio dicta a Juristis Communi dividendo, ex *leg.* 2. ff. *de Communi dividendo*.

VIII. Circa quartum, ex quasi contractu obligatur hæres ad legata præstanda; quamvis enim nec cum Testatore, nec cum legatariis expressum contractum habuerit, tamen eo ipso quod acceptavit hæreditatem, obligationem suscepit solvendi legata; & viceversa obligatur legatarius rem sibi legatam non usurpare sibi propria auctoritate, nec ab alio, sed tantum ab hærede petere, aliter in pœnam privatur legato, ex leg. *Non est dubium*, Cod. *de Legatis*.

IX. Circa quintum; Ponitur inter quasi contractus solutio indebiti per errorem facta; quia is, qui indebitum accepit, obligatur implicite ad restituendum, detecto errore. Notat tamen Laym. quod qui bona fide indebitum accepit, habet obligationem restituendi potius ex re accepta, quam ex quasi contractu. Unde solum restituere tenetur, quatenus locupletior factus est, si bona fide accepit; Quod si bona fide rem illam absumpsit, in nihilo factus ditior, aut si sine dolo perdidit, cessat omnis obligatio.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

De Testamentis, Legatis, & aliis ultimis voluntatibus.

EXaminandum primo, Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quænam sint conditiones ad valorem Testamenti requisitæ? Secundo, Quænam sint Testamenta privilegiata? Tertio, Quinam testari possint, & Testamentum revocare? Quarto, Quinam possint institui hæredes? Quinto agendum de Renunciatione hæreditatis. Sexto, de Codicillis. Septimo, de substitutione hæredis, & Fideicommissis. Octavo, de Legatis.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quænam ejus conditiones?

I. *Testamentum est* Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, cum directa hæredis institutione.

II. *Quid intersit inter Testamentum, & Codicillum? Et quot testes ad utrumque requirantur?*

III. *Testamentum scriptum, seu clausum quomodo differat a Nuncupativo?*

IV. *Quinam esse debeant septem testes ad Testamentum requisiti? Religiosus nequit esse testis sine sui Prælati licentia.*

V. *Validum est Testamentum, quamvis obnoxium nullitati in foro externo, quando quis interrogat Testatorem, Num velit Cajum instituere hæredem? & ille annuit.*

VI. *Est pariter validum, si Testator coram septem testibus det alteri schedulam dicens, in ea suum Testamentum contineri.*

VII. *Pactum inter duos de reciproca hæreditatis successione non valet tanquam mutua donatio irrevocabilis, sed valet tanquam duo utriusque Testamenta, quæ ante mortem revocari possint.*

I. TEstamentum dicitur, eo quod mentis testatio sit, seu dispositio; nam ante mortem quilibet jure Gentium facultatem habet disponendi de rebus suis.

Quæritur nunc primo: Quomodo Testamentum definiatur?

Respondeo, ex Ulpian. definiri, quod sit *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit*. Ita in *leg.* 1., *ff. de Testamentis*. Per primas particulas convenit cum aliis contractibus inter vivos, per ultimas disconvenit. Nam Testamentum non habet robur ante mortem Testatoris, testante Apostolo ad Hebr. 9. *Ubi Testamentum est, mors intercedat Testatoris necesse est*. Quia tamen hæc definitio Testamenti videtur etiam convenire cum aliis ultimis voluntatibus, nempe cum Legatis, Codicillis, Fideicommissis, & aliis dispositionibus, ideo aliqui cum Bartol. explicant verba illa definitionis: *Justa sententia*, quod scilicet debeat esse perfecta, atque adeo cum institutione hæredis bonorum universalis. Alii cum Laym. explicant ly, justam, hoc est solemnem, seu Juris solemnitatibus nixam. Alii apud Laym. addunt definitioni adductæ claritatis gratia hæc verba, *cum directa hæredis institutione*; hoc enim proprium est Testamenti directe hæredem instituere: Quamvis enim militi concedatur in leg. *Militis*, ff. *de Militum Testamentis*, quod possit in Codicillo hæredem instituere; Codicillus tamen directe ordinatur non ad hæredis institutionem, sed ad aliquid in Testamento explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum, ut ad legata instituenda, vel ad substitutionem fideicommissariam faciendam.

II. Unde ad Codicillum satis sunt quinque testes etiam non rogati, inter quos possunt esse etiam mulieres; ad Testamentum vero requiruntur septem testes rogati masculi, & puberes.

III. Quæritur secundo; Quotuplex sit Testamentum?

Respondeo esse duplex. Primum dicitur Scriptum, seu clausum, alterum Nuncupativum, seu apertum. Testamentum scriptum est, quod Testator propria, vel alterius manu coram septem testibus ad id rogatis seu vocatis subscribit; vel si nesciat scribere, alteri a septem illis testibus diverso tradit suo nomine subscribendum coram iisdem septem testibus, qui etiam uno, eodemque continuato tempore debent illud subscribere, & proprio, vel alieno sigillo signare; Quamvis possint eodem sigillo omnes uti, ut habetur in leg. *Hac consultissima*, Cod. *de Testamentis*. Testamentum vero Nuncupativum, seu apertum habetur, quando coram septem testibus scripto, vel voce articulata profertur: Hodie tamen talis nuncupatio a Notario publico in Scripturam redigi solet, ut, si testes decedant, a tali Instrumento fides veritatis fiat, nec insinuatione ulla apud Judicem opus sit.

IV. Porro hi septem testes debent esse masculi puberes, liberi, & ad id vocati; nec possunt esse surdi, muti, cæci, furiosi, prodigi, Jure infames, & in Testatoris potestate, nec Pater Testatoris, aut in Patris potestate, nec hæres, aut in hæredis potestate, nec fratres, &c., sed debent esse extranei. Potest legatarius esse testis;

Sicut etiam Tutor nominatus in Testamento pro liberis, ex leg. *Qui Testamento* apud Laym.; quia non censentur testari in causa propria, dum de Testamento principaliter testantur. Potest etiam Religiosus esse testis, sed peccat, si id faciat sine Prælati licentia. Quod si alicujus testis defectus publice ignorentur, non per hoc invalidatur Testamentum, quia error communis jus confert.

V. Dubium est primo; An valeat Testamentum, si Notarius, vel alius interroget Testatorem, num velit instituere hæredem Cajum, & ille verbo expresso annuat? Affirmant communiter; Quamvis tale Testamentum sæpe infringatur, allegando, quod Testator vel non erat mentis compos, vel ob importunitatem suggestionis contradicere non sit ausus.

VI. Dubium est secundo; An valeat Testamentum, si Testator Confessario, vel alteri coram septem testibus schedulam tradat, dicendo tantum, illud esse suum Testamentum, & ibi voluntatem suam contineri? Affirmant communiter apud Molin. disp. 127.; dummodo deinde constet de identitate schedulæ.

VII. Dubium est tertio: An valeat pactum inter duos de futura hæreditatis successione reciproca? Negant communiter ex leg. *Licet*, Cod. *de pactis*, quia tolleretur tali pacto facultas testandi; valet tamen non tanquam Testamentum; sed tanquam mutua donatio causa mortis facta, quam possit uterque ad libitum ante mortem revocare; sic enim censentur esse duo Testamenta, unde uterque debet illa subscribere, & proprio sigillo signare, itaut integrum sit utrique ante mortem Testamentum hoc mutare.

ARTICULUS II.

De Testamentis Privilegiatis.

I. Plura sunt Testamenta privilegiata, nempe ad pias Causas, Tempore pestis, Militis, si fiat coram Principe, si ab ascendentibus inter liberos, aut si ruri fiat, ubi nonnisi quinque testes reperiantur

II. In Testamento ad pias causas non requiritur solemnitas juris civilis sed solius juris naturalis, Divini, & Gentium. Pro foro interno satis est, quod constet de mente Testatoris.

III. Parochus cum alio teste sufficit ad testandum, etiam in favorem propriæ Ecclesiæ.

IV. Per Testamentum ad pias causas minus solemne revocatur aliud solemne; & probabiliter etiam subsequens ad causas non pias.

V. Testamentum sine solemnitate juris ad causas profanas validum est quoad legata pia; Et Testamentum sine juris solemnitate ad causas pias valet quoad legata profana.

VI. Ad causas pias testari potest etiam Filiusfamilias, Impubes, Damnatus ad mortem, Prodigus, Mutus, & Surdus, ac similes. Qui committit bona sua dispositioni Titii, hic debet ad causas pias omnia distribuere. Voluntates captatoriæ sunt irritæ.

VII. Tempore Pestis ad Testamentum satis sunt solemnitates jure Gentium requisitæ.

VIII. Quid de Testamento Militis, sive in bellica expeditione, sive in Castris?

IX. Non requiruntur solemnitates, quando Testamentum fit coram Principe, aut a Patre, Matre, vel aliis ascendentibus, ut hæreditas inter liberos dividatur. Et sufficiunt quinque testes, quando a rusticanis in Villis degentibus plures haberi non possunt.

I. QUæritur primo; Quænam dicantur Testamenta privilegiata, in quibus non requiruntur omnes juris solemnitates ad eorum valorem?

Respondeo esse plura. Primo, Testamentum ad pias causas. Secundo, quod fit tempore pestis. Tertio, Testamentum Militis, dum est in expeditione bellica. Quarto, Testamentum coram Principe factum. Quinto, Testamentum, quod a Patre, Matre, aut alio ascendente fit inter liberos. Sexto, Testamentum eorum, qui ruri versantur, ubi plures testes, quam quinque haberi non possunt.

II. Circa Testamentum ad pias causas, in quo scilicet hæres est pia causa, aut substitutionis via, hæreditas devenit ad pias causas; Dico primo; In eo nulla omnino requiritur solemnitas juris civilis aut consuetudinis, sed satis sunt solemnitates requisitæ a jure naturali, Divino, & Gentium. Et ratio est, quia jura sæcularia non possunt præjudicium ferre causis Ecclesiasticis salutem animæ directe spectantibus, nisi a Summo Pontifice approbentur, & recipiantur, ex Cap. *Ecclesia, de Constitution.* Unde fit, Testamentum ad causas pias factum validum esse etiamsi nullus in eo testis sit adhibitus, dummodo sufficienter constet de voluntate Testatoris. Certe sæpe duo, vel tres testes requiruntur, ad probationem; puta ad testandum, quod talis scriptura facta sit a Testatore, &c., isti tamen duo, vel tres testes requiruntur a Jure Canonico solum pro foro externo; nam in conscientia valet quomodocumque constet de mente Testatoris, ut notat Dian. part. 7. tract. 7. resol. 2.

III. Parochus etiam cum alio teste sufficit ad testandum, quamvis legatum sit pro Ecclesia sua.

IV. Adde, quod testamentum minus solemne ad pias causas revocat prius solemne factum ad causas non pias. Immo ex Covar. contra alios apud Dian. loc. cit. resol. 27. censetur habere clausulam derogatoriam subsequentium Testamento-

mento-

mentorum, sicut Testamentum conditum inter liberos.

V. Dico secundo; Testamentum factum ad causas profanas sine solemnitate juris, quamvis non valeat in ratione Testamenti, valet tamen in foro conscientiæ quoad legata pia in ipso contenta, ut communius docent cum Molin. disp. 134. contra Barbos. propter eandem rationem; quia jura sæcularia non possunt præjudicium ferre causis spiritualibus: Et econtra Testamentum factum ad causas pias sine solemnitate juris valet in foro conscientiæ etiam quoad legata profana in eo contenta, ut docet Barbos. contra Vasq., Bonac., Lug. apud Dian., resol. 4.; quia si tenet principale, tenet etiam accessorium.

Ex quibus sequitur, quod si moriturus cœpit facere Testamentum, aut Codicillum, & morte præventus non absolvit, quamvis quoad alia illud sit irritum, tamen tenet quoad ea, quæ continet ad causam piam, ut notat Dicastil. apud Dian. loc. cit. resol. 19.

VI. Dico ultimo: Testari ad pias causas possunt non solum omnes, qui possunt jure communi testari, sed etiam Primo filiusfamilias de bonis adventitiis, consentiente tamen Patre. Secundo, Impubes, permissu tamen Principis, ut Malder. contra Bonac. apud Dian. resol. 7. Tertio, Damnatus ad mortem ex consuetudine testari potest ad pias causa de bonis non confiscatis. Quarto, Prodigus ex Less., Dicastil. contra alios apud Dian. resol. 9. Quinto, Mutus, & Surdus ex Molin., Lug. contra Hunnium; Et idem docet de quibusdam aliis Dian. loc. cit. Adde ex Laym. quod si quis dicat, committo mea bona dispositioni Titii, tunc Titius censetur nudus hæres, qui debet ad causas pias omnia distribuere; Si tamen dispositio sit ad causas profanas, irrita est institutio hæredis collata ad arbitrium, & liberam voluntatem Tertii, ex leg. *Si quis*, *ff. de Hæredibus instituendis*; Sicut irritæ sunt captatoriæ voluntates, ut si quis dicat, Instituo te hæredem, dummodo tamen instituas hæredem me, aut meum fratrem, ex leg. *Captatoria*, *ff. de Legatis*.

VII. Secundum Testamentum privilegiatum est tempore Pestis; quia in eo satis sunt solemnitates juris Gentium, ut communius docent contra Molin., & Vasq. apud Dian. part. 7. tract. 6. resol. 34.

VIII. Tertium Privilegiatum Testamentum est Militis, quod fit a milite in bellica expeditione; nam si in Castris ille testetur, ad validitatem Testamenti sufficiunt duo testes; Si vero testetur in conflictu hostium, tunc satis est, quod per duos testes innotescat militem proprio sanguine in clypeo, vel vagina, vel alia materia testamentum scripsisse, &c. Addunt aliqui apud Dian. part. 7. tract. 6. resol. 64., Privilegia concessa militi testanti in Castris propter dignitatem militiæ, & utilitatem Reipublicæ convenire etiam omnibus doctoris gradu insignitis, ex leg. 2., ff. *de Origine Juris*; Sicut conveniunt omnibus aliis, qui in hostili loco decedunt, perinde ac si essent milites, ut notat Laym.

IX. Quarto: Privilegiatum est Testamentum factum coram principe; satis enim est, quod constet ultimam voluntatem Testatoris expressam fuisse Principi voce, vel scripto absque alia solemnitate, ex leg. *Omnium*, Cod. *de Testamentis*.

Quinto: Non requiritur solemnitas testium in Testamento, quod a Patre, Matre, aliove ascendente conditum est, itaut liberis hæreditas dividatur, quamvis portionibus inæqualibus.

Demum in Testamento facto a Rusticanis, quando sunt in locis, ubi non possunt haberi plures testes, quam quinque, hic numerus testium sufficit, ex leg. ultim., Cod. *de Testamentis* & in terris subjectis temporali dominio Pontificis satis est præsentia Parochi, & duorum, vel trium testium, ut notant Laym., & Molin. disp. 133.

ARTICULUS III.

Quinam testari possint, & Testamentum revocare?

I. Omnes testari possunt, nisi iis jure naturali, aut positivo prohibeatur. Nemo autem ad testandum tenetur; Expedit tamen ad pias causas aliquid relinquere.

II. Naturali jure nequeunt testari infantes, amentes, furiosi, dum furore sunt correpti.

III. Jure positivo vetatur Testamentum surdis, & mutis a nativitate. Quid de Cæcis, Prodigis, Mancipiis, Usurariis, Damnatis ad mortem, Impuberibus, Filiisfamilias? Quid de Clericis, ac de Beneficiariis? Quid de Regularibus?

IV. Num valide, an solum illicite absque Superioris licentia testentur, aut donent, qui vota simplicia in Societate JESU emiserunt ante professionem?

V. Quonam pacto revocari possit Testamentum?

VI. Ut prius Testamentum reddat posterius invalidum, quid requiratur? Et quomodo possit posterius Testamentum invalidare prius, in quo habetur clausula invalidativa posterioris?

VII. Qui juravit se non revocaturum esse Testamentum, quandonam possit illud revocare? Hujusmodi juramentum non est contra bonos mores, nec absolute nullum.

I. Certum est, omnibus habentibus liberam facultatem disponendi de bonis

suis licitum esse testari, nisi aut naturali, aut positivo jure prohibeantur. Certum etiam est, neminem per se loquendo obligari ad testandum, quamvis aliquando fieri debeat Testamentum ad vitandas lites, & incommoda, quæ aliter obvenirent; Et Christiani ad id adhortandi sunt, ut pro ratione suarum facultatum aliquid ad pias causas pro anima sua relinquat, ut recta ratio, & aliorum exempla suadent.

Quæritur tamen, Quinam prohibeantur testari?

II. Dico primo; Jure naturali prohibentur omnes, qui rationis usu carent; ut sunt infantes, amentes, furiosi; Quamvis si illud condiderint, dum furor intermisit, & habebant lucida intervalla, ratum esse debebit, licet postea in furorem reciderint.

III. Dico secundo, Jure positivo prohibitum esse testari, Primo, Surdis, & Mutis a nativitate; Cæcis vero permittitur testari, sed cum aliis conditionibus relatis a Dian. part. 5. tract. 6. resol. 26.; Secundo, Prodigis, quibus bonorum administratio est interdicta; Tertio, Mancipiis; testari enim non possunt, nisi ad pias causas, vel domino consentiente; Quarto, Usurariis manifestis, nisi prius satisfecerint, aut cautionem dederint; Quinto, Damnatis ad mortem; ubi eorum bona confiscanda sunt: Sexto, Impuberibus ob judicii immaturitatem; Septimo, Filiisfamilias, qui tantum de bonis Castrensibus, vel quasi castrensibus testari possunt, de Adventitiis vero solum ad pias causas de consensu Patris: Clericus tamen testari potest de bonis adventitiis etiam sine licentia Patris, & sine solemnitatibus juris Civilis, ut notat Dian. part. 5. tract. 3. resol. 124.; sed cum solemnitatibus juris Canonici, adhibendo scilicet duos tantum, vel tres testes, ex eodem Dian. loc. cit. resol. 52.; Beneficiarius testari non potest de bonis Beneficii ad causas non pias; quamvis possit aliquid legare consanguineis, famulis, aut aliter benemeritis per modum justæ remunerationis. Possunt tamen Episcopi, & Cardinales de licentia Pontificis (quæ ex justa causa dari potest) ad usus profanos testari de bonis Ecclesiasticis. Demum Regulares, qui non sunt Regulares Milites, ne de consensu quidem Superioris testari possunt; (sicut nec filiusfamilias sine consensu Patris,) possunt tamen de licentia Superioris aliquid donare causa mortis, sicut possunt donatione inter vivos, ut docet Dian. part. 5. tract. 3. resol. 128., quia magis est donare inter vivos, seu irrevocabiliter, quam donare causa mortis, ita scilicet, ut donatio incipiat habere effectum suum post mortem donantis; ergo si Prælatus potest dare licentiam ad primum, poterit etiam ad secundum; Quamvis possit ex Laym. ad arbitrium talem licentiam revocare ante mortem donantis.

IV. Religiosi Societatis Jesu post emissa vota simplicia ante professionem, quamvis illicite, valide tamen testantur absque licentia Superioris ex Sanch. lib. 7. cap. 8. num. 25. contra Less. cap. 4. n. 28. & Molin. disp. 139.; quia cum retineant dominium rerum suarum, voto paupertatis non irritatur eorum donatio, sed solum prohibetur usus sine licentia Superioris. Laym. etiam lib. 3. tract. 5. cap. 7. juxta sententiam Lessii, & Molinæ contra Sanch. docet, donationes omnes factas ab habentibus vota simplicia in Societate Jesu sine licentia Superioris esse irritas; non secus ac donationes pupilli sine auctoritate Tutoris; quia Tridentinum irritat omnes donationes non factas in duobus mensibus ante professionem, & excipit Societatem Jesu solum circa ea, quæ sunt propria suarum constitutionum; Unde cum sit contra Constitutiones renunciare sine licentia Superioris, ideo irritæ videntur hujusmodi renuntiationes: Hinc Notarii licentias Superiorum in hujusmodi renunciationibus solent inserere.

V. Porro circa revocationem Testamenti certum est, quod Testamentum, & quælibet ultima voluntas possit ad arbitrium Testatoris revocari, & mutari; potestque revocari tam tollendo aliquid substantiale, ver. g. sigillum a Testamento facto, quam conficiendo novum Testamentum perfectum, & solemne; aliter per secundum Testamentum non revocatur primum, ex leg. *Hac consultissima*, Cod. *de Testamentis*, nisi in aliquibus casibus exceptis, ut notat Laym. cap. 4.; verbi gratia, si secundum minus solemne sit ad pias causas, vel inter liberos factum.

VI. Ubi notandum, quod si in priori Testamento dicat Testator, quod si alterum Testamentum conditurus sit, nolit secundum habere vim, in tali casu secundum Testamentum non revocat prius, nisi addat clausulam derogatoriam prioris: Immo non satis est, ut dicat in secundo Testamento, quod nolit valere alterum Testamentum prius factum, cum possit id dici ex oblivione prioris; sed debet revocare clausulam illam appositam in priori Testamento, & tunc valebit secundum Testamentum; nam ex leg. *Si quis*, ff. *de Legatis*, nemo potest eam sibi legem dicere, ut a priori voluntate recedere non liceat.

VII. Dubium est, an qui juravit se non revocaturum Testamentum, possit illud deinde revocare?

Respondeo cum communi contra Gomez apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 122., quod peccet mortaliter peccato perjurii, si sine justa causa revocet; revocatio tamen erit valida in utroque foro: quod si detur justa causa revocandi, verbi gratia, quia dispositum est contra leges justas, licite revocari potest; quia juramentum

esset

esset iniquum; Potest autem peti relaxato talis juramenti, quamvis non dispositi contra leges justas, juxta dicta qu. 1. art. 4. Non tamen admiserim, quod docet Gomez apud Dian. loc. cit., tale juramentum esse absolute nullum, utpote contra bonos mores, dando hæredibus occasionem desiderandi mortem Testatoris; (sicut in leg. *Stipulo* ff. *Verbor. de obligat.* dicitur esse iniquum, & non observandum hoc pactum, Instituo te hæredem, & nisi præstitero, spondeo tibi tantum pecuniam; quia tale pactum est contra libertatem naturalem testandi;) Et ratio est, quia non videtur esse contra bonos mores, nec peccatum ullum, in reverentiam Nominis invocati carere libertate testandi.

ARTICULUS IV.

Quinam possint Hæredes institui?

I. *Hæredes vel instituuntur a Testatore, vel veniunt ab intestato: Vel sunt necessarii, vel non necessarii; Vel universales, & ex asse, vel particulares, quibus aliqua pars assis relinquatur. Quænam sint Assis partes?*

II. *Hæredes necessarii quinam sint? Et quænam sit legitima portio descendentium? Quinam in portionem hæreditatis admittuntur in Capita, quinam in Stirpes? In feudalibus quinam, & quomodo succedant?*

III. *Quomodo se gerere debeat Pater, ac Mater relate ad filios illegitimos? Quid relinquere possint Spuriis præter alimenta?*

IV. *Omnes homines, & Communitates institui possunt hæredes, nisi specialiter prohibeantur, ut Spurii, Hæretici, infames, qui dicuntur intestabiles. Quid de Religiosis? quid de Professis Societatis Jesu? Potest domus Professa Societatis Jesu institui hæres; non tamen Conventus Fratrum Minorum.*

V. *Hæredes ab intestato quinam veniant? Quandonam succedant consanguinei in linea transversali usque ad decimum gradum? Et quandonam Fiscus sæcularis, quando Ecclesiasticus succedant?*

VI. *Uxor, quæ sine dote nupsit, quandonam succedat in quarta parte bonorum mariti? Et quando maritus pauper in quarta parte bonorum uxoris?*

VII. *Quid restituere debeat conjux transiens ad secundas nuptias?*

VIII. *Hæres suus in hæreditate succedit, antequam illam adeat, non vero hæres non suus.*

IX. *Qui hæreditatem acceptavit, num teneatur aliquando solvere creditoribus defuncti supra vires hæreditatis? Et quando illi competat quarta Trebellianica, aut Falcidia?*

I. HÆredes, alii instituuntur a Testatore, alii veniunt ab intestato, seu de jure succedunt in hæreditate, etiam nullo condito Testamento, aut Testamento non legitime conditio. Rursus hæredes ex Testamento, seu qui instituuntur in Testamento, alii sunt necessarii, hoc est, quos Testator cogitur instituere, nisi justam habeat causam exhæredandi, ut sunt descendentes, & iis deficientibus, ascendentes; Alii non necessarii, quos scilicet non cogitur instituere Testator, ut sunt extranei. Demum alii sunt hæredes universales, seu ex asse; alii particulares, quibus scilicet aliqua pars hæreditatis relinquitur, verbi gratia, triens, quadrans; &c.. Sciendum enim, hæreditatem dividi in jure in duodecim uncias, quæ Assis nomine continentur. Unde duodecima pars hæreditatis vocatur Uncia; sexta pars vocatur Sextans, hoc est, duæ unciæ; quarta pars vocatur Quadrans, hoc est, tres unciæ: tertia pars vocatur Triens, hoc est, quatuor unciæ; Quincunx dicuntur quinque unciæ; Semis, vel Semissis, sex unciæ; Septunx, septem unciæ; Bes, octo unciæ; Dodrans novem unciæ; Dextans, decem unciæ, Deunx, undecim unciæ; As demum dicitur integra libra, seu hæreditas. Hæres autem particularis in hoc differt a Legatario, quod Legatarius, cui aliqua res determinata relinquitur in Testamento, nullum onus subire debet; econtra hæres particularis subire debet partem onerum hæreditatis juxta partem hæreditatis, quam acquirit. His explicatis,

II. Dico primo, hæredes necessarios esse solum Descendentes, & iis deficientibus, Ascendentes, qui sunt consanguinei in linea recta. Porro legitima portio descendentium est triens hæreditatis, si non plures sint, quam quatuor liberi masculi, vel fœminæ; Semissis vero, si plures sint, quam quatuor; Et in horum liberorum numero ponendus est, qui renunciavit hæreditati, non vero qui est incapax hæreditatis vel ob ingressum in Religionem, vel quia est exhæredatus, &c. Si tamen unus ex liberis defunctus nepotes reliquit, isti omnes repræsentant personam Patris sui, & in ejusdem portionem succedunt; Unde cum reliquis liberis Testatoris non in capita, sed in stirpes in hæreditatem admittuntur. Hæc tamen legitima portio, quæ hæredibus necessariis debetur, est solum ex bonis, quæ sunt de substantia Patris, non vero ex bonis feudalibus, quæ dicuntur ex pacto, & providentia secundum gratiam, & liberalitatem concedentis; Sic Regna, & Comitatus Magnatum debentur Primogenito, dummodo aliis sustentatio sufficiens relinquatur. Quod diximus de Descendentibus, dicas de Ascendentibus; nam deficientibus descendentibus; triens hæreditatis debetur Patri, & Matri Testatoris,

statoris; Quod si neuter supersit, in locum patris succedit avus, & avia paterna, & in locum matris avus, & avia materna. Quare si hujusmodi legitima portio debita hæredibus necessariis non relinquatur in Testamento, non adjecta causa, verbi gratia, ingratitudinis, Testamentum erit nullum quoad hæredis institutionem, quamvis valeat quoad legata, & alia.

III. Hic autem notandum primo, quod deficientibus descendentibus simul, & ascendentibus, non sit necesse instituere ullatenus hæredem fratrem, vel sororem Testatoris, ut communiter docent contra Riccium apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 85., & part. 5. tract. 3. resol. 114. quamvis possint isti conqueri tanquam de inofficioso Testamento, si fuerit relictus hæres aliquis infamis. Secundo, quod Pater non teneatur instituere hæredes filios naturales non legitimatos; quamvis si careat filiis legitimis, possit illos hæredes instituere, dummodo non fraudet parentes debita portione. Si vero Testator habeat filios legitimos, non potest relinquere filiis naturalibus, eorumque matri plusquam unam unciam hæreditatis. Mater tamen juxta jus Cæsareum æque tractare potest filios legitimos, ac naturales, cum æquali jure succedant in hæreditate, ut notat Molin. disp. 166. apud Laym. Spuriis, hoc est natis ex coitu damnato, & punibili (seu ex Patre, & Matre, qui non poterant tempore conceptionis propter impedimentum dirimens in matrimonium conjungi,) nihil relinquere potest Pater præter alimenta juxta proprium statum, quæ sunt de jure naturæ. Unde in hoc jus Canonicum revocavit jus Civile, ut notat Dian. part. 5. tract. 3. resol. 112. Potest etiam aliquid iis relinquere in remunerationem pro benemeritis, quia hæc est solutio, non donatio; at non veniunt pro benemeritis obsequia debita Patri, ut notat Dian. loc. cit. resol. 131. Potest Avus instituere hæredem nepotem filium spurii, si non faciat intuitu patris; potestque etiam mater probabiliter ex Less., dummodo non sit illustris habens filios legitimos.

Si tamen Pater instituat hæredem extraneum cum onere, quod hæreditatem det spurio, peccat graviter acceptans hæreditem cum tali promissione; eo quod prohibeatur id graviter in lege. Quia vero promissio isthæc est nulla, ideo nihil deinde tenetur dare spurio, ut notat Becan. apud Dian. loc. cit. resol. 121.

IV. Dico secundo, posse omnes homines, & Communitates institui hæredes, nisi specialiter prohibeantur. Prohibentur enim primo Spurius, ut diximus. Secundo, hostium Civitates, & Communitates Judæorum. Tertio, Hæreticus, & Apostata, necnon deportatus, seu damnatus ad metalla. Quarto, Collegium, quod non est erectum auctoritate publica, exceptis Confraternitatibus, quæ pietatis causa institutæ sunt etiam sine auctoritate Superioris. Quinto, Occisor Testatoris, & alii, qui in jure dicuntur intestabiles, ut occisor Cardinalis. Demum circa Religiosos certum est omnes professos Ordinum, quibus concessum est bona immobilia in communi possidere, posse institui hæredes, & ab intestato succedere, ut notat Sanch. lib. 7. cap. 12.: Ex Trident. autem sess. 25. cap. 3. omnibus Ordinibus id conceditur, præterquam Cappuccinorum, & Minorum de Observantia. Quia tamen Societas Jesu concessionem hanc Tridentini bona immobilia, & redditus possidendi non acceptavit, ideo Professi Societatis Jesu non possunt institui hæredes, nec possunt ab intestato succedere ipsi, nec loca ubi degunt: Immo quamvis Collegia, & domus probationis Societatis Jesu possint bona immobilia, & redditus possidere, non possunt tamen succedere in hæreditate ratione professi, aut alterius habentis vota formata, ut habetur in 6. part. Constit. cap. 2. Illud autem est discrimen inter Ordinem Cappuccinorum, aut Minorum de Observantia, & Societatem Jesu, quod Collegia, & Domus Professæ Societatis, quamvis non possint ratione Professi acquirere hæreditatem aut ex Testamento, aut ab intestato; possunt tamen etiam Domus Professæ institui hæredes, & hæreditatem adire; ita tamen, ut si in hæreditate habeantur bona immobilia, Domus professa possit illa vendere; Contra vero non solum Professi Cappuccini, & de Observantia non possunt institui hæredes, sed neque eorum Conventus; & probabiliter ex Sanch. lib. 7. cap. 25. nec eorum Ecclesiæ. Immo probabiliter ex eodem Sanch. contra Rodriq., nec potest Fratribus Minoribus relinqui hæreditas cum pacto, quod vendatur, & in necessarios usus pretium venditionis expendatur; quamvis possit institui hæres alius cum onere, quod hæreditatem vendat, & pretium in Fratrum necessitates convertat.

V. Dico tertio, Hæredes ab intestato ante omnes venire liberos legitimos tum mares, tum fœminas æqualibus portionibus; In istorum autem mortuorum locum succedunt nepotes in stirpes, non in capita, ut supra diximus. Secundo, deficientibus descendentibus, veniunt, ut supra etiam diximus, Ascendentes, videlicet pater, & mater Testatoris; in quorum mortuorum locum succedunt avi, & aviæ illos repræsentantes. Quod si una cum patre, & matre, vel avis adsint etiam fratres, & sorores Testatoris, etiam ipsi succedunt æqualiter, seu in capita. Tertio, deficientibus descendentibus, & ascendentibus succedunt fratres, & sorores ex utraque parte conjuncti æqualibus portionibus, & excludunt conjunctos, vel ex patre tantum, vel ex matre tantum. Mortuis fratribus, & sororibus,

ribus, succedunt eorum liberi, & his deficientibus succedunt fratres, aut sorores ex una tantum parte conjuncti: Quibus etiam deficientibus, devolvitur successio ad propinquiores collaterales usque ad decimum gradum in Capita, ut habetur apud Molin. disp. 164., & Laym. Quarto, deficientibus omnibus hæredibus in linea transversali usque ad decimum gradum, succedit conjux defuncti, & conjuge etiam deficiente, succedit Fiscus sæcularis in bonis Laici, & Ecclesiasticus in bonis Clerici, ex leg. *Vacantia*, Cod. *de Bonis vacantibus*.

VI. Ubi notandum primo, quod si uxor marito nupsit sine dote, debeat si inops est, succedere in quarta parte bonorum mariti, etiamsi hæreditas ad consanguineos pertineat; ita tamen ut si Testator relinquat liberos, ad uxorem spectent solum usufructus quartæ partis bonorum mariti, dum ipsa vivit, & deinde si plures, quam tres liberi adsint, ipsa cum iisdem in capita succedat; Et eadem est ratio, si uxor dives præmoriatur relicto marito inope.

VII. Notandum secundo, quod uxor, quæ susceptis ex priore matrimonio liberis transit ad secundas nuptias, debet servare, & relinquere liberis quicquid donatione, aut testamento habuit a priore marito: Et idem dicas de marito transeunte ad secundas nuptias. Quod si ad secundas nuptias non transeant, possunt bona a conjuge profecta (excepta donatione propter nuptias, & lucris ex dote) consumere, & alienare; Quod si non alienarint, possunt deinde liberi illa sibi vindicare.

VIII. Notandum tertio discrimen, quod intercedit inter hæredem suum, & hæredem non suum. Nam hæres suus (videlicet proximus descendens in possessione defuncti existens tempore mortis, cui annumeratur posthumus legitimatus, & professus,) quia censetur una persona cum defuncto, succedit in hæreditate, & ejus dominium acquirit, antequam illam adeat: Econtra hæres non suus (quales dicuntur omnes alii hæredes) non acquirit dominium hæreditatis, antequam illam adeat, hoc est voluntarie acceptet, profitendo se esse hæredem; habetque anni spatium ad deliberandum, an velit illam acceptare. Peccat autem ex Sanch. lib. 6. dub. 4., & Molin. disp. 345., si nolit illam acceptare, qui debitis est obstrictus, quibus non potest aliter satisfacere, & non vult, ut creditoribus, sed ut hæredibus ab intestato hæreditas obveniat; qui enim ex justitia ad aliquid obligatur, tenetur etiam adhibere media non multum difficilia ad illud ponendum, atque adeo qui tenetur solvere creditoribus, tenetur etiam acceptare hæreditatem necessariam ad solvendum.

IX. Notandum ultimo, quod qui hæreditatem acceptavit, ita teneatur onera hæreditatis subire, ut duo habeat privilegia. Primum est, quod si intra triginta dies cœpit facere inventarium, & intra alios septuaginta novem compleverit, non teneatur solvere creditoribus defuncti supra vires hæreditatis; quod etiam competit Ecclesiæ, & Fisco, si instituantur hæredes, quamvis inventarium non confecerint: Immo Sanch., & Vasq. contra Covarr., & Molin. apud Laym. dicunt, neminem in foro conscientiæ ad id teneri. Secundum privilegium est, quod talis hæres, deductis expensis funeris, & solutis debitis, &c., saltem quartam partem hæreditatis habere debeat; aliter detrahere potest illam de legatis, beneficio legis Falcidiæ a Falco Consule latæ, ut habetur in Digestis, & Cod. *Ad legem Falcidiam*; quamvis in legatis piis cesset lex ista Falcidia, ut notat Less. cap. 19. num. 88.; Sicut cessat in iisdem quarta Trebellianica, seu quarta pars, quæ debetur illi, qui instituitur hæres cum onere restituendi alteri hæreditatem, beneficio legis factæ a Trebelliano Senatus Consulto: Confunduntur autem in jure quarta Falcidia, & Trebellianica, cum fere idem importent.

ARTICULUS V.

De Renunciatione Hæreditatis.

I. Hæreditatis renunciatio non subsistit, nisi juramento firmetur.

II. Quid si filius post portionem suam acceptam hæreditati renunciet? Quid si juramento renunciet in Præjudicium posterorum? Quid si renunciet in favorem fratris, & interim parens decedat? Renunciatio hæreditatis non se extendit ad feudalia, nec ad alimenta.

III. Irrita est renuntiatio hæreditatis, quæ speratur obventura, exceptis nonnullis casibus.

IV. Quænam renunciatio hæreditatis facta ante ingressum in Religionem a Tridentino irritatur?

V. Hac in re nihil Tridentinum innovavit circa institutum Societatis Jesu.

VI. Irrita est renunciatio facta a Candidatis Societatis in causas profanas, aut in causas pias, sed sub conditione professionis, si non fiat juxta Tridentinum.

VII. Qui a Societate dimittitur, num possit repetere, quod illi donavit?

I. Quæritur primo: An valeat renunciatio hæreditatis facta ab hærede necessario?

Respondeo, illam non subsistere, nisi sit juramento firmata; jure enim Civili statutum est propter bonum publicum, ut hæreditas pactis nec dari, nec auferri possit; ut docent communiter Doctores in leg. *Hæreditas*, Cod. *de Pactis conventis* apud Laym.

II. No-

II. Notandum tamen primo, quod si filius (aut alius hæres necessarius,) vivente patre, integram suam portionem acceperit, & deinde renunciaverit reliquæ hæreditati, valide renunciaverit; quamvis ex Molin. disp. 579., si deinde bona patris crescant, non obstante renuntiatione nuda, adhuc possit in morte patris petere legitimam portionem talis augmenti. Secundo, quod si filius cum juramento renunciet hæreditatem, valida est renunciatio, quamvis id cedat in detrimentum eorum, qui filio successuri essent; quia istis nullum jus illius hæreditatis, vel alterius competit, nisi dependenter a persona patris. Tertio, si quis renunciavit in favorem fratris, eo mortuo ante mortem patris renunciatio corruit; cum cesset ejus causa. Demum renunciatio sicut non extenditur ad feudalia, quia non debentur jure hæreditario, sed ex concessione Principis, seu ex pacto, & providentia, ita nec extenditur ad alimenta, utpote jure naturæ debita; & communiter nec ad dotem necessariam, quippe quæ succedit loco alimentorum.

III. Quæritur secundo: An Titius sperans aliquam hæreditatem sibi vel ex testamento, vel ab intestato obventuram, possit illam alteri promittere, aut obligare?

Respondeo negative; irritantur enim hujusmodi pacta in *leg. ult.* Cod. *de Pactis* propter insidias, quæ parantur ejus vitæ, super cujus bonis paciscuntur, ut ait Glossa. Excipe tamen primo, nisi adsit consensus ejus, de cujus hæreditate agitur, & talis consensus usque ad mortem perseveret: potest enim ille semper consensum revocare, ut proinde dicatur voluntas hominis ambulatoria usque ad ultimum vitæ spiritum. Secundo, nisi pactum fiat circa hæreditatem personæ incertæ, quia sic non datur ansa insidiis. Tertio, si donetur hæreditas personæ certæ alicujus Communitatis, idque propter eandem rationem.

IV. Quæritur tertio: Num renunciatio hæreditatis facta ab aliquo ante ingressum in Religionem sit valida?

Respondeo, certum esse, quod Trident. sess. 25. cap. 16. irritet renunciationes etiam juratas eorum, qui Religionem ingrediuntur, nisi factæ sint cum licentia Episcopi, vel Vicarii intra duos menses proximos ante professionem, nec vult illas effectum sortiri, nisi secuta professione. Certum etiam est, quod si hujusmodi renunciationes fiant multo tempore ante ingressum, & non intuitu ingrediendi in Religionem, sint validæ; Si tamen fiant paulo ante ingressum, & intuitu ingressus, probabile est ex Navar., Molin. disp. 139., Sa, Rodriq., Laym. cap.7. contra Vasq., Sanch. lib.7. cap. 5. & alios apud Pelliz. tract. 2. cap. 9. n. 4., esse invalidas; tum quia Tridentinum loquitur absolute de omnibus renunciationibus factis ante duos illos menses; tum etiam quia aliter frustraretur finis Tridentini intendentis tueri libertatem Novitiorum ad egrediendum; tum demum quia id declararunt Cardinales apud Marsilium citatum a Laym. Docent etiam Navarr. Sanch. Laym. contra Molin. disp. 149. esse pariter irritas donationes, & renunciationes factas post ingressum, sed ante duos illos menses sub conditione expressa secuturæ professionis; quia sic etiam libertas ad egrediendum Novitiorum minueretur; nam ipsi ægre contristare vellent donatarios, dejiciendo illos a possessione incepta bonorum, & donatarii omnes modos adhiberent, quibus novitius ad profitendum inducatur. Quod si tales donationes fierent non longe ante ingressum, probabile etiam est esse invalidas; Videntur enim factæ in fraudem Canonis Trident.

V. Notandum hic, Tridentinum ibidem addere, quod nolit hac in re innovare quicquam circa institutum Societatis Jesu, in quo præcipitur cap. 4. Exam. Gener., quod ingressurus juxta consilium Christi Domini, *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, da pauperibus, & sequere me*, debeat ante ingressum vel bona sua erogare in causam piam, puta pauperibus sine spe illa recuperandi, vel promittere se prompte relicturum omnia post annum ab ingressu, quandocunque illi injunctum fuerit. Potest etiam fieri post edita vota simplicia renunciatio in consanguineos, accedente tamen consilio, & judicio unius, aut plurium prudentium, & licentia Superioris; aliter erit irrita, ut docet Lessius cap. 4. num. 28. & Laymann contra Sanch., ut diximus articulo 3. n. 5.; Quia Tridentinum irritat omnes donationes, & renunciationes non factas intra duos illos menses, aut juxta Societatis institutum.

VI. Censeo tamen contra Less. lib. 2. cap. 41. num. 41. irritas etiam esse renunciationes factas a Candidatis Societatis Jesu ante ingressum, vel absolute in causas profanas, vel in causas pias, sed sub conditione professionis secuturæ; quia tales renunciationes non sunt juxta institutum Societatis.

VII. Notandum etiam, quod qui aliquid relinquit Societati, si dimittatur, non potest illud repetere, ut declaravit P. Claudius anno 1584., quia censetur talis donatio facta juxta institutum, & sine spe recuperandi.

ARTICULUS VI.

De Codicillis.

I. Codicillus, quasi parvus Codex, est quoddam

dam Testamentum imperfectum, supponens hæredem; In eo quinque testes sufficiunt.

II. In testamento carente debitis requisitis clausula Codicillaris fert, ut vim habeat Codicilli, si non desint requisita ad Codicillum.

III. Vi clausulæ Codicillaris legata subsistunt, quamvis non subsistat hæredis institutio; Sunt alii etiam ejusdem clausulæ effectus.

IV. Potest Codicillus esse Nuncupativus coram quinque testibus. Legatum potest nutu relinqui a Testatore: Sed hæredis institutio debet ore Testatoris proferri, saltem ad alterius interrogationem.

I. Quæritur primo: Quam vim habeat Codicillus?

Respondeo, Codicillum esse quasi parvum Codicem, seu scripturam, qua ultima aliqua voluntas absque directa hæredis institutione continetur; Unde est quoddam Testamentum imperfectum; tum quia non requiritur solemnitas Testamenti; cum ad Codicillum satis sint quinque testes, licet non rogati, & fœminæ; tum etiam quia Codicillus supponit hæredem vel in Testamento institutum, vel succedentem ab intestato, & solum deservit vel ad legata, & fideicommissa relinquenda, vel ad testamentum declarandum, aut immutandum. Ex quo sequitur, quod possit Codicillus fieri etiam nullo facto Testamento, obligando v.g. ad aliqua legata hęredem ab intestato venientem.

II. Quæritur secundo: An si Testator intendens facere Testamentum non adhibeat solemnitates requisitas ad Testamentum, sed requisitas solum ad Codicillum, talis scriptura cum non habeat vim Testamenti, habeat saltem vim Codicilli?

Respondeo distinguendo; si enim illi addatur clausula codicillaris, dicendo, v. gr., Si hæc mea dispositio non valeat ut Testamentum, valeat ut Codicillus, aut valeat quantum valere potest, certe vim Codicilli habet, cum habeat solemnitates ad illum requisitas: Quod si talis clausula non addatur, neque habebit vim Testamenti, neque vim Codicilli; nisi forte ex conjecturis præsumatur, quod disponens voluerit scripturam illam valere ut Codicillum, si non posset valere ut Testamentum; Sicut præsumeretur in casu, v.g., quod quis aliquid relinqueret filio, aut alii valde dilecto: nam vehemens amor præsumptionem facit clausulæ codicillaris, ut notatur in leg. *Testamento*, ff. *de Fideicommissis*.

III. Effectus autem clausulæ codicillaris sunt, quod quamvis irrita sit institutio hæredis in ea scriptura facta, subsistant tamen legata, & alia ibi posita; unde solvenda sunt ab hærede ab intestato. Secundo, si Testator carens hæredibus necessariis (hoc est descendentibus, vel ascendentibus) instituat in tali Codicillo hæredem extraneum, ita hæreditas debet redire ad hæredes ab intestato, ut isti teneantur hæreditatem dare illi extraneo, retenta sibi tantum quarta Trebellianica, hoc est quarta parte hæreditatis, juxta legem Trebelliani; Quamvis id non militet, si hæres extraneus sit pia causa, ut diximus etiam de Lege Falcidia, quæ cessat, si legata sint ad pias causas: Quod si Testator habens hæredes necessarios instituat extraneum, hæredes necessarii, detracta portione legitima, debent reliquam hæreditatem huic extraneo restituere.

IV. Notanndum demum, Codicillum (ut diximus de Testamento) posse fieri vel in scriptis, adhibitis quinque testibus, qui se subscribant, vel per nuncupationem, declarando voluntatem suam coram quinque testibus; Qui pariter nuncupativus vocatur, quamvis deinde in scripturam redigatur. Pręterea hæredem debet Testator ore proferre, saltem ad interrogationem alterius; aliter invalida est institutio hęredis, si propter infirmitatem non potest Testator loqui, ex leg. *Jubemus*, Cod. *de Testamentis*; Econtra satis est ad validitatem legati, quod nutu relinquatur, ex leg. *Nutu* ff. *de Legatis*.

ARTICULUS VII.

De Substitutione hæredis, & Fideicommissis.

I. Substitui quis potest in hæredem, vel directe per substitutionem, sive Vulgarem, sive Pupillarem, sive Exemplarem; Vel indirecte per Fideicommissariam, vel per Mixtam, sive reciprocam, sive Compendiosam.

II. Pupillaris substitutio habetur, si fiat hęres pupillus sub ea conditione, quod si ante pubertatem decedat, alius sit hæres: Exemplaris est instar pupillaris, si scilicet filio amenti, surdo, & muto, aut prodigo alius in hæredem substituatur.

III. Fideicommissaria substitutio habetur, quando gravatur hæres, ut hæreditatem vel totaliter vel partialiter alteri restituat; quod etiam fieri potest per Codicillum.

IV. Potest vi hujus indirectæ substitutionis fideicommissarię detrahi quarta Trebellianica, non tamen a legatis: nec si substtutio sit ad piam causam; Nec a legatis piis detrahitur Falcidia.

V. Quænam dicatur substitutio Mixta Reciproca; Quænam Compendiosa?

I. Multipliciter potest aliquis substitui in locum hæredis. Primo, directe per substitutionem vel Vulgarem, vel Pupilla-

pillarem, vel Exemplarem. Secundo indirecte per substitutionem fideicommissariam. Demum per sustitutionem mixtam, quæ sit vel Reciproca, vel compendiosa, quas omnes sex substitutiones mox explicabimus.

II. Prima substitutio dicitur Vulgaris, quæ communiter, & vulgo accidit, instituendo, v.g., hæredem Titium, & in locum Titii (si scilicet aut nolit, aut non possit esse hæres, eo quod, v. g., ante Testatorem moriatur) substituendo Cajum.

Secunda Pupillaris, quando scilicet instituitur hæres aliquis pupillus, seu impubes sub ea conditione, ut si ante pubertatem decesserit, alius sit hæres: Cum enim pupillus non possit Testamentum facere, jura voluerunt, ut qui relinquit illum hæredem, faciat pro illo Testamentum in casu, quo ante pubertatem moreretur. Ad hoc tamen requiritur, ut talis pupillus sit in potestate Testatoris, & non recidat in alterius potestatem per mortem Testatoris. Unde fit, quod, mater non possit facere substitutionem pupillarem relate ad filios, quia filii non sunt in potestate matris; Sicut nec pater relate ad filios illegitimos ob eandem causam, ut notat Less.dub.7.; Nec avus relate ad nepotem, si pater vivat, quia nepos per mortem avi recidit in potestatem patris viventis.

Tertia substitutio dicitur Exemplaris, eo quod fit ad exemplum Pupillaris; acciditque, quando fit substitutio hæredis filio amenti, vel surdo, & muto, vel prodigo; cui bonorum administratio sit interdicta; (nam tam surdus simul, & mutus, quam prodigus testari non possunt, nisi ad pias causas). Quare si pater filio, v.g., amenti substituat Cajum, & filius moriatur ante pubertatem, talis sustitutio erit Pupillaris simul, & Exemplaris; si vero moriatur post pubertatem, erit solum Exemplaris, & in eadem substitutione continetur etiam Vulgaris, quatenus si filius moriatur ante Testatorem, succedit Cajus, sicut in omni substitutione vulgari. Expirat tamen substitutio exemplaris, si filiuss amen in sanam mentem redeat, nec cito in insaniam relabatur, & talis substitutio potest etiam a matre fieri cum conditionibus, quæ habentur in leg. *Humanitatis*, Cod. *de Impuberibus*.

III. Quarta substitutio dicitur Fideicommissaria, & est indirecta; nam per illam gravatur hæres, ut hæreditatem, vel totaliter, vel partialiter restituat alteri, qui idcirco fideicommissarius dicitur. Est autem hæc substitutio indirecta, quia ministerio hæredis directi debet deferri hæreditas substituto, & ideo potest talis substitutio fieri per Codicillum, non vero reliquæ, quæ sunt directæ, quamvis si reliquæ fiant in Codicillo, ex benigna interpretatione juris habebunt vim substitutionis fideicommissariæ.

Notandum tamen, quod si hæres sit gravatus, potest quartam partem hæreditatis restituendæ fideicommissario retinere sibi, quæ vocatur quarta Trebellianica, idque tum ne vana sit talis hæredis institutio, tum ut alliciatur ad præstanda onera hæreditatis. A legatis tamen hæc quarta pars non detrahitur, sicut nec si substitutio sit ad piam causam, ut nec a legatis piis detrahitur Falcidia, de qua diximus art. 3. Quando enim privilegium cum privilegio concurrit, cessat utrumque, & servatur jus commune. Potest etiam Testator expresse prohibere, ne detrahatur quarta ista Trebellianica, aut Falcidia, ut notat Less. l.c.. Præterea si talis hæres sit in primo gradu cum Testatore, potest detrare suam legitimam, quæ fideicommisso gravari non potest, & de reliquo detrahere quartam Trebellianicam.

IV. Prẹter has quatuor Substitutiones dantur duæ aliæ mixtæ, quæ scilicet plures ex quatuor enumeratis substitutionibus complectuntur. Prima dicitur Reciproca, seu Breviloqua, qua instituti hæredes sibi invicem substituuntur: Verb. gr. si Testator dicat, Instituo hæredes meos Titium, & Cajum, eosque invicem substituo; In hac enim substitutione non solum habentur duæ substitutiones vulgares, sed etiam altera erit Pupillaris, si alter tantum sit impubes; utraque vero erit Pupillaris, si erit impubes uterque? Habetur etiam Exemplaris, si v. g. alter sit amens, habetur Fideicommissaria, si fiat vel per Codicillum, vel si fiat in Testamento, imponendo hæredibus, ut qui prior moritur, restituat alteri hæreditatem. Secunda substitutio mixta dicitur Compendiosa; ista autem complectitur plures substitutiones quoad tempora, vel ætates, (sicut Reciproca continet quoad personas,) ut si Testator dicat, Instituo hæredem filium meum, & quandocumque hic vita decesserit, substituo Titium; In tali casu, si in morte Testatoris filius sit etiam mortuus succedit Titius ex substitutione vulgari; si filius moritur deinde impubes, succedit Titius ex Pupillari; Si amens, ex Exemplari; Si post pubertatem sanus decesserit, succedit Titius ex Fideicommissaria, detracta pro filio mortuo legitima, & quarta Trebellianica.

ARTICULUS VIII.

De Legatis, & Fideicommissis particularibus.

I. Legatum dicitur donatio a defuncto relicta, & ab hærede præstanda. Differt a Fideicommisso

misso particulari in forma verborum duntaxat; hoc enim dirigitur ad hæredem; illud ad legatarium.

II. Potest aliquid legari etiam iis, qui non possunt institui hæredes, puta Fratribus Minoribus, relinquendo illis annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi; Possuntque hæredes gravari, ut quotannis aliquid iisdem solvant.

III. Domus Professa Societatis Jesu capax est etiam hæreditatis; dummodo stabilia intra decennium vendantur.

IV. Quonam pacto possit res aliena legari?

V. Qui aliquid legat suo creditori, censetur liberaliter donare, si sit debitor ex contractu voluntario; Secus vero si sit aliunde occultus debitor.

VI. Confessarius debet, quantum fieri potest, urgere, ut Testator statim restituat, cum passim Testamenta infirmentur.

VII. Legatum relictum Bertæ sub conditione nuptiarum debetur illi, etiamsi caste vivat.

VIII. Pariter legatum relictum sub conditione, quod quis a nuptiis abstineat, dandum eidem, quamvis nubat. Non tamen si fiat sub conditione, quod non iterum nubat.

IX. In favorem piæ causæ, & Status Religiosi, ac Sacerdotalis valet legatum relictum sub hujusmodi conditionibus.

X. Conjux, qui promiserit alteri se servaturum esse post ejus obitum viduitatem, quomodo ad id obligabitur, quando eo fine relinquitur illi legatum?

XI. Quandonam possit Episcopus legata ad pias causas relicta commutare?

XII. Non solum Judex Ecclesiasticus, sed etiam Sæcularis Executores Testamenti compellere potest ad solutionem Legatorum.

XIII. Si legatum sit incertum respectu personæ, cui danda sit res legata, corruit; nisi sit ad pias causas; in quo casu arbitrio Episcopi vel res est dividenda; vel danda pauperibus. Sed quid si legatum sit incertum respectu rei legatæ?

I. DEfinitur Legatum, quod sit *Donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præstanda.* Convenit etiam talis definitio fideicommisso particulari, v. gr. si relinquatur in hæreditate domus danda Titio. Solum enim in forma verborum differunt Legatum, & Fideicommissum particulare; nam si sermo dirigatur ad legatarium, dicendo, Lego centum Titio, dicitur Legatum; si sermo dirigatur ad hæredem, rogando, vel imponendo illi, ut det centum Titio, dicitur Fideicommissum particulare, ad differentiam Fideicommissi universalis quod habetur in substitutione hæredis. Preterea certum est, omnes, & solos, qui testari possunt, posse etiam legare; cum legatum non relinquatur, nisi in Testamento, aut Codicillo, & Codicillus non possit fieri, nisi ab eo, qui testari potest, ex leg. *Civi*, ff. *de Jure Codicillorum*.

II. Quęritur nunc primo: Quinam sit capax legati?

Respondeo universim posse aliquid legari omnibus iis, qui possunt instititui hæredes: Immo iis, qui non possunt institui hæredes, possunt legari alimenta competentia, & dos, quę succedit loco alimentorum: Similiter Fratribus Minoribus de Observantia, & Cappuccinis, qui non possunt institui hæredes, potest legari aliqua eleemosyna in ea quantitate, quam Sanch. lib. 7. cap. 26. examinat apud Laym. c. 10.. Possunt enim eam quantitatem solum recipere, quæ præsenti necessitati sublevandæ opus est: Quamvis non repugnet, quod supra necessitatem accipiant, quod iis legatur, si iis legetur annuus redditus ad decennium; quia hoc non videtur longum tempus, sed veluti unum legatum, cujus solutio sit divisa. Immo Sanch. contra Laym. putat, nec repugnare, si legatum annuum sit relictum ad vitam Monachi, cum vita hominis sit incerta. Possunt etiam ex Rodriq. contra Sanch. gravari hæredes ad eleemosynas solvendas Fratribus quotannis, cum talis obligatio sit sine ullo jure Monasterii.

III. Domus autem Professa Societatis Jesu potest & hæreditatem, & legata accipere, dummodo bona stabilia non necessaria suo usui vendantur intra tempus non longum, videlicet intra decennium.

IV. Quæritur secundo: Quid possit legari?

Respondeo, non solum legari posse res proprias, sed etiam alienas, ita ut hæres cogatur illas redimere, si possit, & dare legatario, vel si non possit, dare æstimationem rei; dummodo tamen Testator adverterit rem illam esse alienam, vel si ignoravit, censeatur velle, quod rei æstimatio detur legatario; puta vel quia est persona conjuncta, vel benemerita, &c. Immo res hæredis semper hoc pacto tamquam propria legatur a Testatore, ut notat Abbas apud Laym., & Vasq.

V. Dubium est, Num debitor aliquid legans suo creditori, nihil exprimens, censeatur illud legare in compensationem debiti, an liberaliter?

Respondent communiter Doctores, quod si quid illi debeat ex contractu voluntario, censeatur legare liberaliter, itaut hæres teneatur extra solutionem debiti dare illi rem legatam: Secus vero si aliunde sit debitor; nam colore, & titulo legati honestius solet aliis debitis satisfieri.

VI. Notandum tamen, Confessarium non debere esse contentum, quod legato satisfiat a Testatore debitoribus ex furto, aut alia læsione inju-

injusta; quia Testamenta, & Legata sæpius infirmari solent, & quia restitutio facienda est statim; dummodo tamen sine læsione famæ fieri possit, aut non putetur, quod commodius, & sine dubio statim id faciendum sit ab hæredibus, quia scilicet sunt viri probi, hæreditas est pinguis, & legatum est ad pias causas propter debita incerta; Hæc enim legata cum non pendeant a solemnitatibus Testamenti, non facile evertuntur.

VII. Quæritur tertio: An validum sit legatum relictum sub conditione Matrimonii contrahendi, vel non contrahendi?

Respondeo, & dico primo, legatum, vel hęreditas relicta sub conditione nuptiarum dari debet, etiamsi ille, vel illa non nubat, sed Religionem ingrediatur, ex benigna interpretatione juris, quatenus si Testatori id in mentem venisset, adhuc idem relinquere debuisset. Hinc si relinquantur centum Bertæ, si Religionem ingrediatur, & biscentum, si nubat, probabiliter ex Sà, Armill., & aliis contra Molin., Sanch., Guttier. apud Laym.cap. 10.. danda illi sunt biscentum, etiamsi ingrediatur Religionem. Quamvis enim Testator id faciat ex bono fine, puta ex honesta educatione prolis, & non ut retrahat a Religione, tamen quia id aliquo modo a Religione retrahit, non videtur subsistere.

VIII. Dico secundo, legatum, vel hæreditas relicta sub conditione, Si nuptiæ non contrahantur, dari pariter debet, quamvis nuptiæ contrahantur, ex leg. *Quoties ff. de Conditionibus*; Quod tamen verum est tantum de primis, non de secundis nuptiis, Quare si legentur alicui Virgini biscentum, si matrimonio abstinuerit, centum, si nupserit, danda sunt illi biscentum, quamvis nupserit; idque etiam in foro conscientiæ, ex Molin.disp.207.,Sanch.lib.1.dub.44. contra Vasq., Medin., Guttier.; Et idem dicas, si legatum fiat sub conditione, quod non fiant nuptiæ sine consensu tertii, quia hoc obstat libertati matrimonii.

IX. Notandum tamen, quod sicut valide apponitur conditio non nubendi, quando legatur aliquid Viduo, vel Viduæ, dicendo v.g., Relinquo illi centum sub conditione, quod non iterum nubat; ita valide talis conditio etiam apponitur in favorem pię causæ, & in favorem status Religiosi, aut Sacerdotalis, v.g., dicendo, Relinquo centum Virgini, si abstinuerit a matrimonio, aliter ea centum dentur pauperibus; vel si dicatur, Relinquo centum Titio, si non duxerit uxorem, sed Religionem ingrediatur, vel Sacros Ordines suscipiat, ut notat Molin.disp. 207.. Et ratio a priori est, quia dispositiones legum civilium non possunt præjudicium ferre causis piis, quando non approbantur jure Canonico.

Dico tertio, Legatum, vel hæreditas relicta sub conditione, si Religionem ingressus non fuerit, debetur, etiamsi Religionem ille ingrediatur; nam conditio, quæ bonis moribus repugnat, rejicitur tanquam inutilis in ultimis voluntatibus.

X. Rogabis, An uxor, quæ promisit conjugi post ejus mortem se non transituram ad secundas nuptias, teneatur stare huic promissioni, præsertim, si eo fine legatum aliquod illi relictum sit?

Respondeo certum esse, quod ea non possit legatum acquirere, & simul nubere, si legatum relictum sit sub conditione, quod non nubat; quare alterutrum poterit eligere: Si vero sponte promisit non nubere, obligabitur vi promissionis, saltem sub veniali, si juramentum non accessit. Quod si incontinentiæ periculum immineret, promissio illa non videtur obligare, cum non censeatur voluisse se obligare cum tanta difficultate; quare poterit petere relaxationem juramenti, si promissionem juravit. Legatum tamen sub ea conditione relictum, quod non nubat, tunc retinere non poterit. Demum si uterque conjux voluit invicem se obligare ad servandam viduitatem, quamvis ad id ex justitia obligentur, poterunt tamen excusari a mortali ob levitatem materiæ, quia exiguum damnum censetur illud quod conjugi mortuo per id infertur, nisi forte liberis superstitibus grave damnum oriretur ex secundis nuptiis sui parentis.

XI. Quæritur quarto: Quinam possit commutare legata?

Respondeo, legata pia, si non possunt applicari ad id, ad quod Testator disposuit, (v.g., si reliquatur pecunia ad ædificandum novum Monasterium, ad quod illa pecunia non sufficit,) debent applicari arbitrio Episcopi, & Executorum Testamenti ad aliam piam causam; ita tamen ut quantum fieri potest, voluntas Testatoris impleatur, ut docent Covarr., & Abb. apud Laym. ex cap. *Nos quidem de Testamentis*. Legata tamen profana, si nequeunt applicari juxta mentem Testatoris, caduca fiunt. Si tamen voluntas Testatoris impleri potest, non est licitum commutare legatum in aliud opus prestantius, nisi de licentia Sedis Apostolicæ ex justa & necessaria causa; ut habetur in jure Canonico apud Mol. disp. 240. Et in jure Civili apud Laym. prohibitum est, ne res Civitati legata ad unum usum convertatur in alium sine Principis auctoritate: Potest tamen Episcopus ex Sà, Covarr. apud Laym. lib. 3. cap. 11.n.11. aliquando cum consensu hæredis, & Executorum Testamenti convertere legata in alios similes usus non per modum dispensationis, ut potest Pontifex, sed per modum Epicheję interpretando voluntatem Testatoris quod aliter disposuisset, si prævidisset, quod de novo habetur; V. g., si reliquisset centum ad restaurationem Ecclesiæ

clesiæ, vel ad Vasa Sacra, & alius interim reliquerit pecuniam ad eundem effectum, poterit per Epichejam ab Episcopo legatum commutari; Et idem docent, si convertatur ad usum magis Christianæ Reipublicæ, & Religioni necessarium, cui aliunde subveniri nequit sine magna difficultate.

XII. Hic autem notandum ex Sylvest., & Sà Executores Testamenti peccare mortaliter, si longo tempore sine justo impedimento differant exequi, quæ defunctus præceperat; Et ad id compelli possunt tam a Judice laico, quam ab Ecclesiastico; cum officium hujus Jurisdictionis sit mixti fori, deturque locus præventioni: Spectat autem potissimum ad Ecclesiasticum Judicem, presertim si quid relinquatur ad causas pias; quia ex cap. *Super*, *de Verbor. signific.* Judex Ecclesiasticus subvenire debet personis miserabilibus, & multo magis si sint omni ope destitutę, sicut sunt defuncti qui causam suam agere non possunt adversus hæredes. Pœnæ autem negligentibus Executoribus in Jure statutæ recensentur a Covarr., Abb., Sylvest., Laym., & aliis.

XIII. Quæritur quinto: Legata incerta quomodo executioni mandanda sint?

Respondeo, si incertitudo sit ex parte legatarii, v. g., quia duo eodem nomine vocantur, & ignoretur, cui danda sit res legata, tunc legatum corruit, ex leg. *Si quis pluribus*, ff. *de rebus dubiis*; & quamvis Molin. disp. 197. putet, in tali casu in foro conscientiæ rem esse dividendam, negat tamen id Laym., quia jus Civile tollit hanc obligationem ad tollendas, & vitandas occasiones litium: Excipitur tamen, si legatarius sit pia causa, cum jus Civile non possit præjudicium ferre piæ causæ; Unde tunc vel res est dividenda, vel danda Ecclesiæ pauperiori, aut Parochiali Civitatis, in qua Testator domicilium habebat, aut pauperibus arbitrio Episcopi loci. Si tamen incertitudo sit ex parte rei legatę, v.g., si ignoretur Bos ne, an Equuus, Vestis A, an Vestis B sit legata, tunc si eę res sunt in patrimonio Testatoris, danda est res una mediocris ad arbitrium legatarii; Quod si non sit in Patrimonio Testatoris, danda est res ad arbitrium hæredis, etiamsi minimi pretii, dummodo servetur proprietas verborum, usus consuetus, & mens Testatoris, prout ex conjecturis colligi potest. Excipiunt tamen Abbas, & Covarr. contra Molin., & Sanch., si res sit legata causę piæ; tunc enim putant dandam esse rem in eo genere maximi, non minimi pretii; cum ea præsumatur pia mens Testatoris. Atque hic sit hujus annui pensi (Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

Ad majorem Dei gloriam, ac Deiparæ sine labe Conceptæ.

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Contractibus habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I.

De Contractibus in genere.

ARTICULUS I. 2

Quid, & quotuplex sit Contractus?

I. Contractus presse sumptus fert in utroque Contrahente obligationem; At late sumptus, ut in præsenti, fert obligationem saltem in uno contrahentium. II. In hoc sensu definitur, quod sit *Duorum, vel plurium consensus, atque conventio*. III. Quatuor modis Contractus perficiuntur, Consensu, Verbis, seu certa Verborum forma, Scriptura, & Rei traditione. IV. Contractus dividitur in Nominatum, & Innominatum, qui quadruplex est, do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des. Item in Nudum, qui jure civili non parit actionem in foro externo, & Vestitum, qui illam parit, quod sex modis evenire potest. V. Dividitur etiam in Gratuitum, seu lucrativum, & Onerosum; Necnon in Contractum bonæ fidei, & Stricti juris: Et in illum, qui est in favorem recipientis, & qui in favorem tradentis, aut utriusque. VI. Demum dividitur in Formalem, seu expressum, & virtualem, seu implicitum, qui etiam dicitur Quasi Contractus, quatenus rationabiliter præsumitur adesse mutuus consensus, ut in Tutela, Mandato, Curatore.

ARTICULUS II. 3

Quam obligationem pariat Contractus?

I. Debitum aliud est Antidorale, seu Morale fundatum in ipsa rei honestate; aliud Legale, quod oritur ex virtute præcipiente aliquem actum; ita tamen, ut trahat onus restitutionis, si ex virtute justitiæ oriatur. II. Obligatio ex justitia vel est pro foro interno, & hæc non dat actionem pro externo, sed exceptionem; Vel est tantum Civilis, ac nititur in falsa præsumptione, & dat actionem solum pro foro externo; Vel est Civilis simul, & Naturalis, & pro utroque foro ligat. Hæc autem oritur aut ex contractu, aut ex quasi contractu, aut ex delicto, aut ex quasi delicto. III. Promittens non obligatur ex justitia (nisi juret, aut instrumentum publicum faciat,) sed ex fidelitate, quæ probabiliter non obligat sub gravi. IV. Quivis contractus etiam nudus parit obligationem Naturalem, seu obligat in conscientia. Contractus duntaxat vestitus parit etiam obligationem Civilem. Pactum autem nudum non dat actionem, sed exceptionem, retentionem pignoris, aliosque parit effectus; Et jus Canonicum jubet pacta nuda impleri. V. Pactum nudum parit obligationem etiam Civilem, si juramento firmetur, sic enim evadit vestitum. VI. Pollicitatio, seu promissio non acceptata nullatenus obligat, nisi facta sit Civitati, Reipublicæ ob causam, &c. VII. Quid si pollicitatio fiat Ecclesiæ, & ad pias causas? Si donans moriatur, antequam Nuncius moneat illum de donatione facta, ad donatarium ne, an ad hæredes spectat res illa donata?

ARTICULUS III. 5

An sit validus Contractus per errorem, dolum, aut metum celebratus, vel sine solemnitatibus Juris?

I. Error potest esse vel circa substantiam rei, vel circa qualitates. Dolus vel potest dare causam Contractui, vel potest incidere in Contractum. Metus potest esse vel a causa necessaria, vel a libera, vel incuti ad extorquendum Contractum, vel ad alium finem; Potest etiam esse justus, vel injustus, levis, vel gravis. II. Error circa substantiam invalidat Contractum, sive talis error sit Antecedens, seu inducens ad contrahendum, sive sit Concomitans, quatenus etiam errore deprehenso adhuc Contractus fieret, quamvis ad hunc non inducat. III. Error circa accidentia universim Contractum non invalidat, (ut nec Contractum Matrimonialem,) dummodo dolus ab altero proveniens non det causam Contractui; tunc enim Contractus rescindibilis esset rescindendus ad arbitrium decepti. Quod si quis expresse dicat se nolle contrahere, si erret circa qualitates expositas, tunc etiam Contractus Matrimonialis esset irritus, necnon Professio Religiosa. IV. Dolus circa substantiam multo magis, quam error hujusmodi irritat Contractum. Dolus vero circa qualitates dans causam Contractui, si proveniat ab altero Contrahente, est irritandus ad arbitrium decepti: secus vero si proveniat a tertia persona; quæ tamen tenetur damnum resarcire. V. Non datur obligatio adimplendi Contractum initum per dolum circa qualitates a tertia persona provenientem, si ex altera parte nondum sit adimpletus. Nec Sponsalium Contractus obligat, si notabilis mutatio aut superveniat, aut de novo appareat. VI. Si Contractus per dolum ab altero Contrahente provenientem dantem causam Contractui esset juxta probabilem opinionem irritus, teneretur deceptor solum ad damnum compensandum; secus si esset irritandus. VII. Contractus per dolum incidentem in Contractum celebratus non est irritus, sed irritandus ad arbitrium decepti. VIII. Dolus, ac error circa causam finalem irritant promissionem, & donationem: Secus vero si sint circa causam impulsivam. Hinc ad restitutionem tenetur pauper, qui paupertatem simulans, magnam obtinet eleemosynam: Secus vero si parvam. IX. Votum simplex pariter irritum est, si emissum sit per dolum versantem circa causam finalem; non tamen votum solemne, sicut nec Matrimonium. X. Universim est jure naturæ validus Contractus per metum gravem celebratus ad illum extorquendum, licet sit rescindibilis; Jure tamen saltem positivo Matrimonium sic contractum est irritum; sicut etiam Professio Religiosa. Sic pariter Sponsalia, Renunciatio Beneficii, Donatio, Testamentum, Legatum, & similia. XI. Si tamen metus sit justus, aut si sit injustus, sed non incussus ad Contractum extorquendum, neque irritus est contractus, neque irritandus: Sicut neque si levis sit metus injustus ad Contractum extorquendum incuf-

incussus. Quid de metu reverentiali, ac de precibus importunis? XII. Probabile est, invalidum esse Matrimonium initum cum metu levi injuste incusso ad illud extorquendum. XIII. Contractus, deficientibus solemnitatibus juris substantialibus, (sine quibus scilicet Contractus annullatur,) non solum est irritus in foro externo, sed etiam probabilius in foro conscientiæ. Nec quia cessat aliquando finis legis inducentis formam contractus, ideo tunc cessat ea lex obligare. Testamentum tamen, deficientibus solemnitatibus, solum pro foro externo est irritum. XIV. Hinc probabilius est restituenda esse, quæ per Contractum gratiosum accepta sunt sine solemnitatibus substantialibus; Et Contractus minorum esse irritos sine auctoritate Curatoris; Contra vero legata in testamentum minus solemni relicta solvenda esse.

ARTICULUS IV. 10

Utrum juramentum confirmet contractus?

I. Juramentum confirmare contractum est vi juramenti dare jus alteri, & actionem adversus jurantem propter contractum cæteroqui irritum jure positivo. II. Juramentum additum contractui irrito jure naturali in multis differt a juramento addito contractui irrito jure positivo. III. Universim contractus jure positivo sive Civili, sive Canonico irriti juramento confirmantur. IV. Non confirmantur tamen juramento contractus jure positivo irriti, si metu injusto aut ipsi contractus, aut juramentum superadditum extorqueantur. V. Indiget relaxatione facta a Prelato hujusmodi juramentum, ut non servetur. VI. Votum simplex metu extortum non indiget relaxatione, ut non servetur; secus vero juramentum. Illud quippe ex traditione Ecclesiæ est irritum, non vero istud. VII. Juramentum metu injusto extortum superadditum Contractui, qui a lege irritatur propter bonum commune non obligat, nec indiget relaxatione, ut non servetur. Tale est juramentum additum matrimonio, ac sponsalibus metu injusto extortis, necnon Professioni Religiosæ; & probabiliter etiam Voto Religionis. VIII. Quinam possit relaxare isthæc juramenta addita contractibus? Regulares privilegiati quamvis possint vota etiam jurata commutare, non possunt tamen hæc juramenta relaxare. IX. Quænam causa requiratur, ut licite hæc juramenta relaxentur?

ARTICULUS V. 12

Quinam possint contrahere?

I. Contrahere non possunt, qui carent usu rationis; & qui a Jure impediuntur; ut pupillus sine licentia Tutoris, qui tamen in sui favorem valide contrahit. II. Contractus pupilli, aut Minoris, nisi fiat de licentia Tutoris, aut Curatoris, & cum Judicis facultate, quando alienatur res immobilis, aut mobilis, quæ servando servari potest (verbi gratia per triennium) est invalidus. Si vero alienetur res mobilis, quæ servari non potest, requiritur solum licentia Tutoris, aut Curatoris; Quod si absque hac licentia fiat, probabilius in foro conscientiæ est invalidus, & obligatorius; quamvis non in foro civili. III. Pupillo, & Minori absque licentia debita contrahentibus competit restitutio in integrum. IV. Probabiliter Pupillus, & Minor, quibus competit restitutio in integrum ob contractus sine licentia initos, retinere possunt in conscientia, quæ ob tales contractus deberent solvere. V. Filiusfamilias puber, aut pubertati proximus potest quidem contrahere de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus; non tamen de Adventitiis, aut Profectitiis. VI. Qui non est pubertati proximus, invalide donat etiam bona Castrensia, vel quasi; quæ tamen probabiliter possunt a donatario retineri. VII. Filiusfamilias non debet Patri operas artificiales, sed obsequiales, nisi tamen ab eo alatur. VIII. Uxor solum de bonis paraphernalibus contrahere potest, non vero de dote. Religiosi pariter contra Superioris voluntatem nequeunt se obligare.

ARTICULUS VI. 14

Ex qua culpa contrahentes teneantur ad restitutionem in contractibus.

I. Sine culpa Theologica gravi non datur grave onus restitutionis. Quænam dicatur culpa lata, levis, levissima, ob quas in contractibus dari potest restituendi obligatio? II. In contractibus, qui sunt in utilitatem solius dantis, datur onus restituendi ob culpam latam; si vero sint in utilitatem solius recipientis, datur onus ob culpam levissimam, excepto Precario; si demum in utilitatem utriusque, ob culpam levem. III. Ex hac doctrina plura ad praxim deducuntur. IV. Quamvis citra culpam Theologicam gravem non detur onus restituendi sub gavi, nihilominus in contractibus secundum se præsumitur Theologica culpa gravis, si detur culpa illa juridica, ob quam pro foro externo contrahens ad restituendum obligatur. V. Si casu fortuito res pereat, contrahens ad nihil tenetur, secluso pacto, aut mora culpabili. VI. Qui non potest in navi, imminente naufragio, res suas simul, & alienas conservare, quandonam debet suas potius projicere, quam alienas?

ARTICULUS VII. 16

Cuinam competat restitutio in integrum, si ex aliquo Contractu læsus sit?

I. Quid ferat restitutio in integrum? II. Minoribus conceditur beneficium restitutionis in integrum, si læsi sunt in Contractibus nisi impetrarint veniam ætatis, aut Contractum ratificaverint facti Majores. III. In multiplici casu possunt Minores hoc beneficio gaudere, sed nonnisi per quatuor annos post vigesimum quintum. IV. Majores contrahentes cum minoribus possunt talem damnum præcavere, aut obtinendo veniam etatis, aut exigendo juramentum, vel fidejussionem. V. Præter Minores gaudent hoc privilegio Ecclesiæ, Hospitalia, & alia loca pia; Item Personæ Ecclesiasticæ, quando sunt læsæ quoad jura Beneficii, Respublica, Civitas, Oppidum, Castrum, necnon Rudes, ac Mulieres, Milites, dum militant, & alii.

ARTICULUS VIII. 17

An obliget Contractus celebratus sub Causa, Modo, Demonstratione, vel Conditione?

I. Contractus fit sub Causa, si explicetur causa movens ad Contractum, sive ea sit Finalis, sive Impulsiva. II. Fit sub modo, si adjiciatur onus contrahenti, nullatenus suspendendo Contractum, sicut suspenditur per Conditionem. Sed quid si dubitetur num fiat sub Modo, an sub conditione? III. Sub Demonstratione fit dispositio, quando indicatur qualitas aliqua vel rei, quæ disponitur, vel ejus in quem fit dispositio. IV. Fit demum sub Conditione, quando usque ad adventum Conditionis suspenditur Contractus. Conditio autem potest esse honesta, turpis, impossibilis, impertinens, &c. V. Non subsistente causa finali, Contra-

tractus est invalidus; secus vero si non subsistat causa impulsiva. VI. Si causa finalis testamenti non subsistat, sed subsistat causa finalis legatorum, hæc sunt valida, illud vero nullum. Pariter nulla est donatio eleemosynæ, aut collatio Beneficii, si causa finalis non subsistat; seu quando innotescente falsitate, non solum non conferretur talis eleemosyna, aut Beneficium, sed conferens vellet collationem esse irritam. VII. In dubio num deprehensa falsitate donans vellet irritam esse donationem, favendum possidenti, & standum pro valore actus VIII. Valida est dispositio facta sub Modo, etiamsi Modus, qui sit causa impulsiva, non adimpleatur; ut si quis donet filiæ centum, ut Religionem ingrediatur, & deinde hæc non ingrediatur: Secus vero si sit causa finalis. IX. Error in Demonstratione non invalidat Contractum, nisi apponatur per modum Conditionis, aut Causæ finalis, aut refundatur in errorem circa substantiam. X. Contractus sub Conditione honesta, aut impertinente ante Conditionis purificationem non obligat: Nec si fiat sub conditione turpi; At post hanc purificatam probabilius obligat. XI. Conditiones impossibles Contractum reddunt simpliciter nullum; Non tamen Contractum matrimonialem, in quo habentur pro non adjectis tam Conditiones impossibiles, quam turpes quæ non sunt contra substantiam Matrimonii, (seu contra tria illa bona, fidelitatis, prolis, & Sacramenti;) sicut etiam in ultimis voluntatibus, saltem pro foro externo. XII. Habetur pariter pro non adjecta conditio ista, Si non nupseris, Si Religionem non ingrediaris. Quid si quis relinquat alicui biscentum, si nubat, centum vero si religionem ingrediatur? Aut si quis relinquat hæreditatem Titio, itaut, si sine filiis decedat, ea transeat ad Cajum, & Titius Religionem ingrediatur? Num legatum relictum pro Virginibus maritandis possit iisdem dari si velint ingredi Religionem? XIII. Num possit contrahens, antequam conditio purificetur, resilire? XIV. Conditiones necessariæ non suspendunt Contractum, sed habentur pro impletis.

ARTICULUS IX. 20

Expediuntur reliqua ad Contractus spectantia.

I. Contractus per Procuratorem validus est, quamvis Procura sit revocata, si non sint intimata; Non tamen matrimonium, nec Sponsalia, nec Votum, nec Contractus in præjudicium tertii, & similes. Mortuo Principali Contractus per procuratorem celebrati sunt irriti, etiamsi id ignoret Procurator, si res sit integra, & non pertineat ad causas pias. II. Si quis per Nuncium, aut Epistolam mittat aliquid donandum, & interim dominus moriatur, donatio est nulla. III. Pariter est nulla emptio, si quis mandet per Nuncium aliquid emi, & ante emptionem revocetur mandatum. Sed est validus Contractus, si fiat ab Institore, qui interim revocetur, si non proponatur publice talis revocatio. IV. Evincere est auferre rem de manu emptoris, eo quod non pertineat ad venditorem, & tunc emptor habet jus adversus venditorem, ut servetur indemnis. V. In omnibus Contractibus onerosis, præterquam in nonnullis casibus, datur obligatio de evictione, non tamen in Contractibus lucrativis, secluso pacto, & culpa contrahentis. VI. Contractus, qui est invalidus, per hoc, quod alter ficte, aut per metum consenserit, probabilius per verum, ac liberum ejusdem consensum internum ratificatur, quin requiratur novus consensus utriusque. Contractus vero irritus propter defectum dantem causam Contractui, aut propter impedimentum dirimens requirit novum utriusque consensum, postquam veritas innotuerit. VII. Probabilius idem dicendum in matrimonio propter aliquod impedimentum invalido; debet enim illud innotescere utrique parti, antequam revalidetur matrimonium. Sed quid in casu urgentissimæ necessitatis ad scandalum vitandum?

QUÆSTIO II.

De Emptione, & Venditione.

ARTICULUS I. 22

Quid sit Emptio, & venditio?

I. Emptio est Pactio pretii pro merce; Sicut Venditio est Pactio mercis pro pretio. Quid venit nomine mercis? Traditio rei, aut pretii non requiritur ad Contractum perficiendum, sed ad transferendum dominium. II. Tributum, seu laudemium debetur Gabellario, seu domino, qui erat tempore Contractus, non illi, qui est tempore traditionis. Quid si Contractus exigat ratihabitionem? III. Si pro merce datur pretium simul, & alia res, Contractus dicendus erit venditionis si pretium excedat talem rem, ut proinde gabella debeatur; secus vero erit permutationis. Quid si res non excedat valorem pretii, quod cum illa datur? IV. Non est Emptio, sed locatio, & conductio, quando Artifex ponit solas operas, & non materiam; Secus vero si materias simul, & operas ponat, & in hoc casu gabella erit solvenda. V. Non tamen si Artifex materiam simul, & operas ponat ædificando domum in fundo meo.

ARTICULUS II. 23

Quænam res emi, vel vendi possunt?

I. Res pretio æstimabiles duntaxat emi, vel vendi possunt, seclusa speciali prohibitione; Unde non possunt vendi spiritualia, nisi ratione materiæ; Nec Templum sine licentia; Nec res pupilli, vel minoris; Nec homo liber, nisi pro vita tuenda, pro aliis redimendis, aut si Saraceni bello justo sint capti. II. Res indifferentes, quibus homines sæpe ad malos usus utuntur quandonam vendi possunt? Num possint ex motivo propriæ utilitatis vendi hujusmodi res, quæ non vergunt in damnum proximi; & quarum abusus a Republica toleratur? Quid si locando domum ludentibus, aut meretricibus grave inde damnum sequatur? III. Quandonam, & a quibus, & sub quibus conditionibus vendi possunt publica officia sæcularia, puta Gubernatoris, Judicis, &c. IV. Quonam pacto emi possit res furtiva? Ad quid tenetur, qui bona fide rem furtivam emit & revendidit? Et quid si mala fide emerit; V. Venditio rei alienæ jure positivo est solum invalida quoad transferendum dominium talis rei, non vero quoad transferendum dominium pretii. Hinc potest dominus rei venditæ sibi illam vindicare, ubicunque repererit, & Venditor mala fide illam vendens solum tenetur Emptori damnum resarcire? VI. Quandonam poterit quis cogi ad vendendas res suas? VII. Si res eadem uni donetur, alteri vendatur, & tertio vendatur simul & tradatur, ad quem istorum ea spectabit? VIII. Quando donatur res Titio ab eo, qui impar est solvendis omnibus debitis, poteritne Titius rem illam sibi retinere? an debet creditoribus donantis illam restituere?

ARTICULUS III. 26

De pretio justo rerum venalium.

I. Pretium rei justum triplex est, Legale, Vulgare, & Conventionale. Quodnam in pretio vulgari dicitur Summum, Medium, & Infimum? Justum pretium ex quinque capitibus crescere, aut decrescere potest. II. Num possint ultra taxam vendi res notabiliter meliores, dummodo non segregentur a vilioribus? Quid de vino aqua diluto? III. In subhastatione pretium crescit, aut decrescit pro medietate valoris rei, si procedatur sincere; Sicut etim relate ad res, quæ per proxenetas per vicos discurrentes venduntur. IV. Qui aliquid vendendum accipit, assignato pretio, quandonam possit excessum talis pretii sibi retinere? Quid de Sartoribus, quibus pars pretii dicitur a Mercatoribus relaxari? V. Num possit aliquid sibi retinere pro suo labore, qui rem alterius vendendam suscepit? Et quid si promiserit illam gratis se venditurum? VI. Merces ultroneæ vilescunt pro tertia, & aliquando etiam pro dimidia parte. VII. Qui merces vendit ad creditum, potest illas vendere pretio justo summo citra usuram; Num possit etiam aliquid accipere pro lucro cessante, vel pro periculo proximo amittendi sortem? Num possit quis emere aliquando merces minoris ob solutionem anticipatam? VIII. Num possint citra usuram emi minoris, quam contineant apodixæ, seu credita immatura? IX. Non potest aliquid carius vendi, eo quod sit valde utile emptori; potest tamen sic vendi, si venditor ex ejus amissione grave incommodum patiatur. X. Qui est ignarus valoris rei, quam vendit, si dicat se donare excessum pretii, quod recipit a vendente, invalide donat. Quando autem communiter ignoratur valor rei, potest emi, quanti communiter æstimatur, etiam ab eo, qui conscius est talis valoris. XI. Pro foro externo non est rescindendus Contractus, nisi læsio sit ultra dimidium; at pro foro interno, si læsio sit notabilis, reducenda est ad æqualitatem. XIII. Quonam pacto citra injustitiam emi, vel vendi res potest cum pacto redimendi, aut retrovendendi? Quid de Contractu, qui dicitur *Godere a Godere*? XIII. Contractus Mohatra quandonam est injustus? Et quando est justus, sed scandalum præbens, & a Christiana charitate alienus?

ARTICULUS IV. 33

An monopolia, & negotiatio sint illicita?

I Monopolium est unius venditio, & quadrupliciter contingere potest. II. Si venditores conspirent in pretium justum rigorosum, solum peccant contra charitatem; sicut si emptores conspirent in pretium infimum. Qui tamen malis artibus ad id inducunt mercatores, peccant etiam contra justitiam. III. Probabilius contra justitiam peccant, qui omnes merces alicujus generis emunt, ut carius illas vendant. Num pecent, qui has emunt, postquam cives sibi necessaria pararunt? IV. Injustum est monopolium, quando quis impedit malis artibus merces, ne in Civitatem advehantur, ut carius vendat res proprias; Sicut quando quis rumores disseminat, quod naves mercibus onustæ sint submersæ, ut pretium mercium augeatur; Aut si vendens sub hasta apponit fictos licitatores, qui plus offerant, ut alii in pretio ascendant. V. Monopolium, quod habetur, quando ex Principis privilegio aliquis solus certas merces vendit pretio justo, licitum est, si detur causa talis concessionis, & pretium non taxetur ab iis venditoribus; aliter est injustum. VI. Negotiatio non est intrinsece mala, sed mali speciem præsefert, cum sæpe variis culpis annectatur. VII. Clericis in Sacris, ac Religiosis sub mortali prohibetur negotiatio. Num etiam Beneficiariis? Prohibetur pariter iisdem conducere aliena prædia, ut fructus vendant, necnon emere jumenta, ut ea locent. VIII. Non est prohibita iisdem negotiatio œconomica, sed Lucrativa, & Politica: Num tamen possit per alios negotiari? IX. Qui habet alibi suam pecuniam, & ne patiatur jacturam cambii, emit ibi res aliquas, quas hic vendat, tunc non dicitur negotiari, quando id facit ad servandum se indemnem, non ad lucrandum.

ARTICULUS V. 37

An debeat Venditor aperire vitia rei venditæ?

I. Defectus rei vendendæ vel sunt in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate. Alii autem sunt Emptori noxii, alii vero solum reddunt rem innutilem: Istorumque ignorantia potest esse Emptori invincibilis, & potest esse vincibilis. II. Contra justitiam peccat, qui rei vendendæ defectus in substantia, & quantitate non manifestat. Quid si quis vino præstanti aquam intermisceat? III. Rei vendendæ defectus occulti in qualitate a Venditore ex justitia debent manifestari, quando Emptor interrogat de certo defectu, & quando res petitur ad certum usum, ad quem res illa est inutilis: Sicut etiam si res sit Emptori nociva. IV. Emptor pariter tenetur manifestare ex justitia valorem rei Venditori illum ignoranti; Sed non tenetur, quando talis valor communiter ignoratur. V. Validus est Contractus venditionis, quando Venditor ignorat vitium notabile rei venditæ; sed comperta veritate tenetur Emptori damnum resarcire.

ARTICULUS VI. 38

Ad quem spectent fructus rei venditæ?

I. Fructus pendentes rei venditæ spectant ad emptorem, nisi aliter conveniatur. II. Pertinent tamen ad venditorem, quamvis res tradita sit emptori, si pretium nondum sit solutum, aut non sit data fides de pretio solvendo. III. Quomodo possit sine labe usuræ emptor, concessa venditori dilatione solutionis pretii, percipere interesse ratione fructuum rei venditæ? IV. Ex re vendita, & aliena possunt percipi fructus solum ratione lucri cessantis. V. Si Contractus venditionis dissolvatur post annum, sive quia fuit conditionatus, & conditio non est purificata, sive quia celebratus fuit per dolum dantem causam Contractui, fructus talis rei eo anno provenientes spectant ad venditorem VI. Spectant vero ad emptorem, si Contractus post annum rescindatur, quia intercessit læsio ultra dimidium justi pretii. VII. Quid si venditio rescindatur ratione pacti de re retrovendenda? VIII. Quid si venditio cum pacto addictionis in diem, vel cum pacto legis commissoriæ verbis directis celebrata deinde dissolvatur? Et quid important hæc pacta addictionis in diem, & legis commissoriæ? IX. Si venditio rescindatur jure Retractus, seu jure congrui intra annum post venditionem, fructus medii temporis ad emptorem spectant. Explicatur, quid sit hoc jus Congrui, seu Retractus.

ARTICULUS VII. 40

Utrum res vendita pereat, vel deterior fiat in damnum emptoris, an venditoris ante, vel post traditionem?

I. Res, quæ venditur, potest esse aut determinata, aut indeterminata; & potest vendi ad corpus, aut ad mensuram. II. Res vendita, si sit determinata, & pereat post venditionem, & traditionem, perit emptori, qui est dominus. Ex jure autem positivo etiam perit, & fit deterior, aut fit melior emptori ante ejus traditionem. III. Res vendita, quę sit indeterminata, si ante traditionem pereat, perit venditori; pretium vero crescit, aut decrescit emptori. IV. Hinc si vendatur dolium vini ad corpus, & ante traditionem pereat, perit emptori, & eidem fit deterius, aut melius. At si vendatur ad mensuram, perit venditori; fit tamen deterius, aut melius emptori. V. Si fundus determinatus vendatur, & ante traditionem alluvione absumatur, perit emptori, eidemque crescit, si per alluvionem crescat. VI. Quid si vinum, verbi gratia, vendatur ad mensuram, & emptor differat illud mensurare?

QUÆSTIO III. 41

De Mutuo, & Usura.

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & quotuplex sit Mutuum? Et quinam a restituenda re mutuata deobligentur?

I. Quid sit Mutuum, & in quo differat a Commodato, & aliis Contractibus? II. Si pecunia commodetur ad ostentationem, potest Commodans aliquid præcipere a Commodatario propter talem usum: At si pecunia detur mutua, nihil potest accipi propter ejus usum. III. Mutuum potest esse tacitum, seu implicitum, ac virtuale; ut si vendatur res pluris, quam valeat, propter dilationem solutionis. IV. Ex juris privilegio, saltem pro foro externo, non tenetur filius-familias restituere pecuniam mutuo acceptam etiam post mortem Patris, si non habet bona Castrensia, vel quasi Castrensia. V. Pariter deobligantur Ecclesiæ, & loca pia, ac Oppida, nisi constet pecuniam conversam esse in eorum utilitatem. Quid de pupillis & Minoribus?

ARTICULUS II. 42

Quid, & quotuplex sit Usura, & quo Jure prohibita?

I. Usura est lucrum immediate proveniens ex Mutuo: Unde non potest Mutuatario imponi, quod ponat, quæ alias debet, ex alia virtute a justitia. Nec potest aliquid ab eo exigi tanquam debitum ex gratitudine, prævio pacto saltem implicito. II. Usura alia est mentalis, alia realis, alia manifesta, alia palliata. III. Non est Usura mentalis mutuare cum spe, & intentione lucri, dummodo non interveniat pactum; sicut nec est simonia Officium recitare intendendo distributiones. IV. Nec est Usura sperare ex Mutuo amicitiam; At probabilius hæc non potest in pactum deduci. V. Non licet excitare Mutuatarium ad remunerationem tanquam debitam pro mutuo; licitum tamen est excitare illum ad aliquid omnino liberaliter donandum. Sed in praxi periculosum. VI. Quid si dubites, an Mutuatarius aliquid omnino tibi liberaliter donet? VII. Jure Civili, Canonico, & Naturali prohibetur Usura.

ARTICULUS III. 44

An quævis obligatio imposita Mutuatario sit Usura?

I. Usuraria est omnis obligatio ex justitia Mutuatario imposita, ad quam aliunde non tenebatur, non vero si obligetur ad id quod alias ex justitia erat debitum. II. Quid si imponatur illi onus, ad quod solum ex charitate tenebatur. III. Non sine usura imponitur mutuatario, quod præstet munus a lingua, aut ab obsequio, aut a manu, aut quod tibi quamvis digno officium, vel Beneficium conferat. IV. Quid si quis mutuare nolit, nisi alter remutuet? Aut nisi ad suam scolam, molendinum, aut apothecam veniat? V. Probabiliter non est usurarius, qui vendit merces pretio justo rigoroso pecunia credita, quas venderet pretio infimo pecunia numerata. VI. Num debens centum post annum possit nunc dare quinquaginta cum pacto, quod alia quinquaginta post biennium solvantur? VII. Quid si mutuetur triticum vetus cum pacto, quod post annum restituatur novum? VIII. Æstimatio valoris rei mutuatæ desumenda est ex eo quod ea valebat in loco, ubi fuit mutuata.

ARTICULUS IV. 47

Quotup liciter potest aliquid ultra sortem exigi citra usuram?

I. Potest mutuator aliquid ultra sortem exigere rationem damni emergentis, aut periculi damni. II. Num debeat moneri mutuatarius, ut teneatur damnum emergens compensare. III. Potest ab initio pacisci mutuans de compensando lucro cessante, dummodo adsint quatuor conditiones. IV. Spes lucri tanti æstimanda, quantum quis eam venderet alteri, aut ipse ab alio emeret. V. Ratione periculi non quidem remoti, sed proximi amittendi sortem potest aliquid a mutuatario exigi. VI. Nihil potest accipi pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus. VII. Contractus trium, videlicet Societatis, Assecurationis sortis, & venditionis lucri, non continet usuram, si vere pecunia ad negotiationem implicetur. VIII. Non solum est immunis a labe usuræ venditio rei fructiferæ, cum pacto retrovenditionis, & locatione ejusdem ipsi Venditori, sed etiam emptio census sive realis, sive personalis, sive mixti, quamvis utrinque redimibilis. Servandum tamen hac in re jus positivum. IX. Usurarius est Contractus *Godere a Godere*, si non sit emptio cum pacto retrovenditionis. X. Num possit, & sub quibus conditionibus dari mutuum cum pacto, quod si Mutuatarius præfixo tempore mutuum non restituat, teneatur aliquid solvere in pœnam moræ culpabilis? Et an talis pœna debeatur in conscientia ante sententiam judicis? XI. An sit usura apponere in Contractus mutui pœnam legis commissoriæ? Et quid ea sit? XII. Quandonam possint fructus pignoris dati mutuanti non computari in extinctionem sortis? XIII. Quomodo ab usura excusentur Montes pietatis, accipiendo, verbi gratia, sex in singulos centenarios a mutuatariis? Et quomodo excusentur, qui in iis suam pecuniam deponunt accipiendo quatuor pro centum? XIV. Qui bona fide celebravit Contractum usurarium, poteritne lucrum retinere ex eo, quod procul dubio Contractum licitum celebrasset si advertisset illum esse usurarium? XV. Num possit quis pecuniam ultra sortem acce-

acceptam bona fide retinere, si deinde dubitet, an Contractum licitum celebraverit?

ARTICULUS V. 53

Expediuntur, quæ spectant ad Usurarium.

I. Non acquirit Usurarius dominium rerum per usuram acceptarum, si extent in individuo. Quod si res istas vendiderit, jure positivo fit dominus pretii, quamvis Emptor non fiat dominus rerum illarum. II. Si res per usuram acceptæ misceantur cum aliis rebus usurarii, hic fit dominus illarum: Mutuatarius tamen habet tunc actionem personalem adversus usurarium, & probabiliter habet jus in re relate ad illum cumulum. III. Usurarius restituere debet res per usuram acceptas, earumque fructus naturales, ac mixtos, necnon lucrum cessans, ac damnum emergens, eo prorsus pacto, quo fur. Quid si Officium, aut Beneficium usurarie accepit? IV. Tenentur pariter ad restitutionem, qui ad usuras cooperati sunt ex parte mutuantis, non tamen si id fecerint in bonum mutuatarii. V. Usurarii manifesti vel ob notorietatem facti, vel ob sententiam judicis sex gravibus pœnis in jure mulctantur. VI. Num punitio hujus delicti ad judicem etiam sæcularem spectet, an ad Ecclesiasticum duntaxat? VII. Licitum est petere mutuum ab Usurario ob indigentiam. Num etiam id liceat, si pecunia petatur mutua ad negotiandum? VIII. Num peccet mortaliter, qui petit ab Usurario mutuum, ut eo ad vana, & inutilia utatur? IX. Si Usurarius sit habualiter paratus ad dandum mutuum sub usuris, probabilius peccat mortaliter, qui illud petit ad usus vanos, aut malos. Si vero sit paratus actualiter, probabiliter solum peccat venialiter, quia illud petit sine ulla causa honesta.

QUÆSTIO IV. 55

De Censibus, seu Redditibus annuis.

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & quotuplex sit Census?

I. Definitur Census, quod sit jus exigendi annuam pensionem ex re fructifera alterius. Nomine autem rei venit hic etiam Persona, quæ possit lucrari. II. Ratione modi dividitur Census in reservativum, & Consignatitium. Per illum transfertur res, reservato jure ad pensiones. Per istum retinetur res sua, & consignatur alteri jus ad pensiones. III. Ratione rerum Consignatitius subdividitur in Realem, Personarem, & Mixtum. Quamvis singuli ex his Censibus jure naturæ sint liciti servatis debitis conditionibus, at spectata Bulla Piana solum licitus est Census Consignativus Realis fundatus in sola re immobili. IV. Dividitur etiam Census in Fructuarium, & Pecuniarium: Ille importat jus ad fructus, hic ad pecuniam. V. Ratione durationis dividitur etiam in Temporalem, Vitalitium, & Perpetuum: Rursus in Redimibilem, & Irredimibilem; hic tamen a Pio V. prohibetur. Juxta condiones Bullæ Pianæ celebrandus est Census, ubi ea Bulla sit recepta; secus juxta consuetudinem receptam regionis. VI. Census personalis probabilius non est usurarius, si debitæ conditiones serventur.

ARTICULUS II. 55

De Conditionibus jure naturali requisitis, ut Census sit licitus, & non usurarius.

I. Jure naturali requiritur ad contractum census, quod pretium sit justum spectatis spectandis, quod sit super re fructifera, & quod fundetur in re propria non habente jus impeditum. II. Census perpetuo irredimibilis jure naturæ non est illicitus, dummodo majori pretio ematur. III. Potest censuarius obligari, ne vendat alteri rem censui subjectam, dummodo tale onus compensetur. IV. Tributum, quod ex fundo debetur Principi, solvendum est a Censuario; at expensæ pro scriptura census solvendæ sunt a censitore. V. Potest pariter jure naturæ fieri census, cum pacto, quod pereunte hypotheca speciali, succedat alius fundus, aut ipsa persona censuarii, compensato tamen hoc onere. VI. Si tota domus, super qua fundatus est census, corruat, census extinctus est, quamvis ea reædificetur; secus vero si corruat per partes. VII. Usu receptum est, quod censuarius assecuret Censitorem, non quidem pro casibus fortuitis, sed ut si forte res Censui subjecta deprehendatur esse alterius, tunc altera succedat; Sicut etiam si fuerit Censuarius in mora ad solvendum, aut reddatur impotens. VIII. Num possit in censu apponi pœna legis commissoriæ, sicut apponitur in Emphyteusi? IX. Quomodo possit esse justus, & ex natura rei licitus census redimibilis ex parte emptoris? Si Census sit utrinque redimibilis, majus est onus compensandum in emptore, quam in venditore. X. Census vitalitius personalis quonam pacto ex natura rei sit licitus? Num, & quanam via prohibeatur a Bulla Piana? XI. Num sit licitus ex natura rei tam Census realis, quam personalis ex utraque parte redimibilis?

ARTICULUS III. 59

De Conditonibus jure positivo requisitis ad Contractum Census.

I. Olim Martinus V., & Calixtus III. plura requirebant circa Contractum Census, prout in Germania solebat institui. II. Nicolaus V. approbavit hunc Contractum, prout in Regno Neapolitano, & Siciliæ celebratur, sub quatuor præsertim conditionibus. III. At Pius V. in celebri sua Bulla decrevit usurarium esse talem Contractum, si deesset decem conditiones. Et communius docent etiam in foro conscientiæ esse invalidum, & usurarium, deficientibus his conditionibus, ubi Bulla est recepta. IV. Debet primo costitui Census super re fructifera, & certis finibus designata, qua pereunte Census extinguatur; quamvis alia bona soleant tanquam hypotheca generalis addi solum ad securitatem solutionis. V. Debet secundo pretium Census solvi pecunia numerata coram Notario, & Testibus. Quid si in pretio detur læsio, num debeat diminui pensio, an debeat pretium augeri? VI. Debent tertio pensiones in pactum deduci, quæ aut in fine anni, aut singulis semestribus solvantur; Et in loco ubi fuerit conventum, dummodo non addatur novum onus Censuario. VII. Debet quarto deobligari Censuarius a casibus fortuitis, nec obligari, ut reddita infructifera aut totaliter, aut partialiter hypotheca speciali, alia substituatur. Quid si talis hypotheca specialis nonnullis duntaxat annis fructum non ferat? VIII. Debet quinto non posse impediri Censuarius, quominus alteri vendat rem Censui subjectam; Nec si vendat, debeat laudemium solvere. IX. Debet sexto Censuarius, si velit rem censitam vendere, monere Censitorem, & per mensem illum expectare; ut deliberet, si velit aliis præferri. X. Debet septimo excludi pactum quo Censuarius non solvens præfixo tempore pensiones, obligetur ad interesse. At expensæ necessa-

riæ ad exigendas pensiones a debitore culpabiliter moroso exigi poterunt; Sicut etiam probabiliter lucrum cessans intrinsecum, quamvis non extrinsecum. XI. Debet octavo ex pensionibus non solutis non posse novus Census fundari, aut idem augeri. XII. Debet nono Census esse redimibilis, dummodo antea per bimestre denuncietur Censitori, quod Census redimendus sit. Putant nonnulli, Census irredimiles non vetari, si majori pretio emantur. Census redimibilis emi poterit tertia, vel quarta parte minoris, quam valeat. Non vetatur in Bulla pactum, quod Census non possit per partes redimi. XIII. Debet denique pretium ab initio statutum Censui non posse a Censitore vendi minori pretio, nisi forte census evaserit illiquidus, aut non facile exigibilis. XIV. Universim pretium Census justum desumendum est ex praxi timoratorum cujuscumque regionis.

ARTICULUS ULTIMUS. 62

Expediuntur, quæ supersunt de Censibus.

I. Pii V. Bulla non obligat, ubi non est recepta. Num in Regno Neapolitano recepta sit? II. Præscriptio militat etiam in Censibus adversus jus, quod habet Censitor exigendi pensiones. III. Immemorialis continuatio solvendi pensiones vim habet causæ, & tituli, itaut debeant continuari. IV. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda potius est esse censuaria. V. Si dubitatur vero, num Census sit redimibilis, an irredimibilis, censendus redimibilis.

QUÆSTIO V. 63

De Emphyteusi, Feudo, & Libello;

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & quotuplex sit Emphyteusis, Feudum, & Libellus?

I. Emphyteusis idem est, ac Plantatio; estque Contractus, quo res immobilis conceditur alicui quoad dominium utile pro pensione reali solvenda. II. Feudum dicitur a Fidelitate exhibenda; Est quippe Contractus, quo Infeudator dat Feudatario rei alicujus immobilis dominium utile, cum onere præstandi obsequium personale in recognitionem domini directi. III. Libellus, seu Contractus Libellaticus est Contractus subfeudalis, aut subemphyteuticus, quo quis rem in feudum, aut emphyteusim acceptam alteri tradit pro pensione sibi solvenda; Et quidem cum consensu domini directi, si detur ultra decennium. IV. Feudum, & Emphyteusis in multis differunt inter se. V. In multis pariter differunt a Locatione; necnon a Venditione, & Usufructu. VI. Emphyteusis dividitur in Perpetuam, & Temporalem; Ecclesiasticam, & Communem, Novam, & Veterem, Hæreditariam familiarem, non Hæreditariam, & Hæreditariam mixte. VII. Dividitur etiam Feudum in Regale, & non Regale, in Nobile, & Ignobile, Francum, & non Francum. Aliud pariter est Ecclesiasticum, aliud Novum, aliud Masculinum, aliud Hæreditarium, aliud Indivisibile.

ARTICULUS II. 65

De Conditionibus Feudi, & Emphytheusis.

I. Ut Feudi Contractus celebretur, sex conditiones requiruntur; præsertim quod fiat in re immobili, & cum debitis solemnitatibus. Nec potest Feudum oppignorari, sicut oppignorari potest res emphyteutica. II. Emphyteusis etiam varias conditiones requirit: præsertim (sicut in Feudo,) quod Emphyteutæ transferatur dominium utile, & concedatur possessio naturalis, & physica rei illius immobilis: non tamen possessio civilis. III. Quid requiritur, ut possit Emphyteuta jus suum utile alteri donare, aut rem emphyteuticam legare, permutare, hypothecare, aut oppignorare? Et quando laudemium solvendum sit? IV. Emphyteuta incidit in commissum, quando pensionem non solvit per duos annos; si res Emphyteutica sit Ecclesiastica, aut per tres, si sit laica. Et quando hæc redit ad proprietarium citra culpam Emphyteutæ, huic melioramenta utilia, & gravia compensanda sunt. V. Pensio non est solvenda, si citra culpam Emphyteutæ res pereat. Quid si deterior fiat? VI. Qui incidit in caducitatem, poterit moram purgare celeritate solutionis intra decem dies. VII. Si res emphyteutica transeat in manus mortuas, solvi debet domino directo quindennium.

ARTICULUS III. 66

Quinam possint in feudum, vel emphyteusim dare, aut accipere, & succedere? Et quando feudum amittatur?

I. In feudum, ac emphyteusim dare possunt, qui liberam habent bonorum administrationem; Unde nequeunt Pupillus, Minor, Furiosus, Prodigus habens Curatorem. II. Episcopo id prohibetur, nisi relate ad bona, quæ solita sunt dari in emphyteusim, aut in feudum. Quænam autem dicantur sic solita dari? III. In feudum accipere, ac succedere possunt, qui instituuntur, si nullo jure excludantur. IV. Fœmina non succedit, nisi feudum sit fœmineum, ita ut expresse admittatur. V. Sine culpa Feudatarii potest quinque modis feudum amitti. VI. Potest etiam feudum amitti ob culpam Feudatarii; præsertim ob gravem ingratitudinem erga dominum directum, aut si alium proditorie occidat. Num feudum transeat ad Fiscum ob crimen hæresis, aut læsæ majestatis? VII. Amisso feudo quænam melioramenta debentur domino directo, quænam vero debentur ipsi Feudatario?

QUÆSTIO VI. 67

De Cambiis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Cambium?

I. Cambium est Permutatio lucrosæ pecuniæ pro pecunia diversa, sive quoad materiam, sive quoad pondus, sive quoad locum. II. Campsor tradens pecuniam Campsario non transfert illius dominium, nisi sequatur traditio alterius pecuniæ facta a Campsario. III. Dividitur Cambium in verum, & fictum, seu siccum; in Minutum, & Locale, quod etiam triplex est. IV. Quodnam dicatur Cambium Custodiæ? V. Ut taxetur pretium justum Cambiorum, attenda præsertim est translatio, & assecuratio pecuniæ, ac proinde distantia locorum, & periculum viarum, necnon copia, aut inopia Campsorum, & Campsariorum.

AR-

ARTICULUS II. 68

An Cambium Minutum ferat palliatam uſuram?

I. Cambium minutum fert pecuniarum permutationem cum lucro. II. Non eſt uſurarium, ſi ex juſtis titulis lucrum conſonum reportetur. III. Juſti tituli ſunt, Permutatio pecuniarum ex officio; Obligatio cambiendi; necnon commoditas, quæ datur Campſario cambiendo pecunias minutiores cum grandioribus. IV. Num famulus cambiendo pecunias domini, ipſo inſcio, poſſit ſibi lucrum retinere? V. Eſt pariter juſtus titulus lucrum ceſſans, aut damnum emergens, ſicuti etiam ſi dentur pecuniæ puriores, aut rariores. VI. Nequit pecuniam adulterinam pro vera expendere, qui illam pro vera accepit.

ARTICULUS III. 69

An Cambium Locale contineat uſuram?

I. Cambium locale triplex eſt, ſi ſcilicet pecunia hic accipiatur a Campſore alibi reſtituenda; aut ſi hic accipiatur a Campſario ſolvenda alibi; aut ſi hic accipiatur a Campſore reſtituenda in hoc eodem loco. II. Primi generis Cambium locale licitum eſt propter monetæ translationem ſaltem virtualem, etiamſi Campſor indigeat hic pecunia alibi ſolvenda; Necnon propter aſſecurationem pecuniæ, ac propter officium cambiendi. III. Pariter ſi pecunia alibi reſtituenda ſit pretioſior, aut rarior. IV. Proviſiones Cambiorum, ſeu quod datur Campſori pro labore, & periculo, ſolet eſſe tertia pars ſcuti pro ſingulis centenariis. V. Secundi generis Cambium eſt pariter licitum, cum ſex tituli concurrere poſſint ad lucrum reportandum. VI. Cambium, & Recambium, ſeu cum Recurſa, multipliciter haberi poteſt. Probabilius eſt Cambium ſiccum eſſe uſurarium; & ſolum ſpeculative eſt probabiliter licitum, ſi in eo concurrant conditiones a Pio V. requiſitæ. VII. Num Campſor dans bona fide pecuniam reſtituendam Romæ, poſſit lucrum retinere, ſi deprehendat, quod Campſarius careat Romæ pecunia, quæ reſtituatur?

ARTICULUS IV. 72

De Conditionibus a Pio V. requiſitis ad Cambium Locale, ne ſit ſiccum, & uſurarium.

I Bulla Pii V. damnat ut uſuraria Cambia, & Recambia, ſeu cum Recurſa, & quatuor conditiones requirit ad licite cambiendum. II. Nequit Campſor ratione dilationis lucrum accipere. III. Neque pactum fieri poteſt de ſolvendo certo intereſſe, ſi ſolutio differatur. Num ſit irritum tale pactum, an ſolum illicitum, ubi Bulla eſt recepta? IV. Pecunia nequit ad Cambium dari, niſi pro nundinis proximis. Quænam dicantur nundinæ proximæ? V. Nequit terminus ſolutionis protrahi cum majori lucro plus, quam exigit diſtantia locorum. Quid ſi mercatorum judicio tempus hoc ſolutionis protrahatur cum lucro ob juſtos titulos?

ARTICULUS V. 73

De Cambio ſicco.

I. Si campſarius nec formaliter, nec virtualiter habeat in loco diſtante pecuniam reſtituendam, tam cambium eſt uſurarium, quam Recambium. II. Si campſor bona fide contraxit, debet campſarius ſervare illum indemnem. III. Campſor, ſi non teneatur ex officio cambire, poteſt nolle dare ad cambium in loco, ubi parum lucratur, ut det, ubi plus lucretur. Aliquando tamen peccat in hoc contra charitatem. IV. Probabilius peccant etiam contra juſtitiam, qui circa cambia ineunt Monopolia. V. Quænam dicantur eſſe Monopolia circa cambia?

QUÆSTIO VII. 74

De Locatione, & Conductione.

ARTICULUS I. ibid

Quid ſint contractus, & quænam locari poſſint?

I Per locationem Perſona, vel res ad uſum, vel fructum pretio conducitur. Per conductionem vero Perſona, vel res ad uſum, vel fructum pretio accipitur. II. Quæ poſſunt vendi, univerſim locari poſſunt; niſi aliquando id jure vetetur. Res uſu conſumptibiles ſolum ad oſtentationem locari poſſunt, non ſecus ac pecunia. Res vero locata poteſt ſublocari, ſine tamen detrimento primi locatoris. III. Domus meretrici, aut uſurario locari poteſt ab eo, qui non tenetur eorum peccata impedire; Non licet tamen ſternere, verbi gratia, lectum meretrici, niſi forte ad mortem evadendam. Immo nec ad evadendam mortem licitum eſt eſſe internuncium meretrici ad peccandum. Num liceat ſaltem ad mortem evadendam deferre literas provocantes ad peccatum? IV. Tenere domum ludo expoſitam, ſi ut plurium ludentes blaſphement, aut furentur, nullatenus licet Immo nec Principes poſſunt id permittere, quamvis poſſint permittere meretrices. V. Non licet aurigis concubinam conducere ad amaſium, ne lucrum amittant. VI. Ne metu quidem mortis licitum eſt cooperari cum peccato proximi, ponendo actiones proxime ad illud concurrentes, puta admovendo ſcalas volenti aſcendere ad Virginem ſtuprandam. VII. Cur aliquando poſſint in triremibus, & in Caſtris permitti ludi, qui ſæpe cum blaſphemiis, furtis, & dolis conjunguntur; non tamen in Civitatibus? Et quare in Civitatibus Hiſtriones permittantur? VIII. Univerſim qui poſſunt vendere, poſſunt locare, & qui poſſunt emere, poſſunt conducere; niſi jure poſitivo id vetetur, ut in multis caſibus.

ARTICULUS II. 76

Quid ferant Locatio, & Conductio?

I. Locator expenſas neceſſarias ad uſum rei locatæ tenetur ſolvere, necnon onera, ac tributa eidem annexa. II. Quatuor de cauſis Conductor expelli poteſt ante tempus præfixum; præſertim ſi tempore ſtatuto penſio non ſolvatur. III. Nequit Conductor abſque juſta cauſa rem conductam ante præfixum tempus dimittere. Quænam autem dicatur juſta cauſa? IV. Si Conductor citra ſuam culpam nequeat uti re con-

conducta, num teneatur pensionem solvere, ubi impedimentum casu obveniens se teneat ex parte rei conductæ? Et quid, si obveniat ex parte Conductoris? v. Qui vespere conducit operas pro die sequenti, & mane certiorem facit locatorem, quod iis non indigeat, ad quid tenetur? vi. Quando ex infortunio aliquo fructus consueti non percipiuntur, num possit Conductor petere pro rata pensionis diminutionem? vii. Num vice versa teneatur pensionem augere, quando habetur casu magna ubertas?

ARTICULUS III. 78

De Conductione famulorum, & aliorum Officialium.

1. Stipendium justum famulorum, & similium operariorum est, quod dari iisdem communiter consuevit; itaut decrescat, quando est illorum copia, aut quando cum famulatu conjunguntur alii honores, & lucra. ii. Qui liberaliter alicui voluit inservire, nequit labores sibi compensare. iii. Si ultro quis se offerat ad inserviendum domino, qui illo non indiget, satis est, quod habeat alimenta: At si illo indiget dominus, hic tenetur date illi stipendium aliquanto minus consueto justo. iv. Pueris honorariis, quando pretium non est taxatum, dari solet in retributionem victus, vestitus, ac bona educatio, itaut deinde promoveantur. v. Qui Episcopis inserviunt, nequeunt citra simoniam velle obligare illos ad conferenda sibi Beneficia: Compensari tamen solent eorum obsequia victu, vestitu, & nonnullis stipendiis, nisi censeantur ea remittere. vi. Famuli, qui necessitate coacti paciscuntur de pretio injusto, quandonam possint occulta compensatione uti? vii. Num teneatur ad restitutionem Sacerdos, qui necessitate coactus promittit duo Sacra pro uno stipendio consueto, & deinde unum tantum Sacrum offert? viii. Famulo per unam, aut alteram hebdomadam ægrotanti ex æquitate debetur salarium, necnon alimenta, & expensæ moderatæ ad ejus curationem. ix. Num Cappellanus per breve tempus ægrotans teneatur per alium celebrare? Et quodnam dicatur breve tempus? x. Secundum se qui pluribus locat operam suam in solidum, potest a singulis integrum stipendium accipere.

QUÆSTIO VIII. 81

De Promissione, & Donatione.

ARTICULUS I. ibid.

Quid importet Promissio, & Donatio?

i. Promissio est spontanea, vera, ac deliberata fidei obligatio de re bona, & possibili. ii. Promissio prodiga etiam jurata non obligat, si ejus executio sit illicita; Quod si executio sit licita, probabiliter obligat solum ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas. iii. Donatio est datio liberalis, sive fiat ex liberalitate, sive ex gratitudine, quin res donata ex justitia debeatur. Jure positivo non transfertur dominium per donationem ante traditionem rei donatæ. iv. Inter promissionem, & donationem verbalem fere nullum est discrimen. v. Differunt tamen a Pollicitatione, quippe quæ stat sine acceptatione; Necnon a Pacto, quod fert utriusque contrahentis obligationem; Et a Stipulatione, quæ importat formulam quandam contrahendi.

ARTICULUS II. 82

Quando obligent Promissio, ac Donatio; Et Quomodo?

i. Promissio, ac donatio mere interna, si fiant Deo, obligant, non tamen si fiant homini. ii. Obligat promissio interna de dando aliquid homini, si ea fiat soli Deo per modum voti. iii. Si promissio interna fiat homini cum juramento, & non per modum voti, non obligat, & ante acceptationem revocari potest. iv. Nec datur obligatio patefaciendi promissario internam promissionem; Nec per illam transfertur dominium. v. Universim promissio externa, etiam jurata, ante acceptationem non obbligat, sed potest revocari, nisi juramentum fiat per modum voti. vi. Jure positivo promissio facta Civitati, aut Infanti parit obligationem ante acceptationem; & probabiliter etiam quæ fiat ad pias causas. vii. Promissio facta Civitati jure positivo solum revocari non potest ante acceptationem, nec datur obligatio illam implendi ante petitionem. viii. Pro foro externo, ut promissio sit valida, debet exprimi causa, propter quam fit. ix. Promissio, ac donatio, si fiant absenti per Nuntium, aut per literas, quonam pacto valide acceptentur? Et quid si ante acceptationem revocentur? x. Post mortem donantis valide potest acceptari donatio missa per Nuncium, aut per Epistolam; nisi detur mandatum Nuncio, ut nomine Principalis donet, & mandatum hoc non sit ad pias causas. xi. Probabilius ad duplicem solutionem tenetur Nuncius, si sua culpa non fuerit tradita donatario res donata ante mortem donantis. xii. Petrus donans Paulo agrum cum onere, quod det Titio mille post quinquennium, etiam elapso quinquennio potest hoc onus revocare, si nondum sit acceptatum a Titio. xiii. Probabilius promissio acceptata in materia gravi obligat sub gravi ex virtute justitiæ, aut fidelitatis valde affinis justitiæ, seu quæ sit justitia minus rigorosa. xiv. In multis discriminatur obligatio orta ex justitia ab obligatione orta ex fidelitate, quæ est justitia minus rigorosa. xv. Est, qui velit obligationem promissionis pendere regulariter ab intentione promittentis; & in dubio an promittens voluerit sub gravi se obligare, judicandum ex communiter contingentibus, xvi. In promissione solet subintelligi conditio illa, Nisi rerum status notabiliter mutetur. xvii. Ut possit promissio acceptata obligare sub gravi, requiritur materia notabilis, quæ est duplo, aut quadrupulo major, quam in furto. Hinc qui omittit facere unum Sacrum debitum ex justitia, aut ex voto, peccat mortaliter; secus vero si illud debeat ex fidelitate. xviii. Promissio facta ob turpem causam revocanda est; at patrato scelere probabilius obligat. xix. Jure naturali sunt irritæ promissiones, quæ citra culpam impleri non possunt; jure tamen positivo plures aliæ promissiones irritantur. Quandonam istæ posito juramento obligent.

ARTICULUS III. 87

Quinam donare possint, & quantum?

i. Donare potest, qui pollet usu rationis, habetque dominium, ac liberam suorum bonorum administrationem, nisi id sibi vetetur. Cui tamen prohibetur donatio, non prohibetur donatio remuneratoria. ii. Quid de Prodigo, de Impubere, de Filiofamilias, de Minore? Quid de Uxore absque consensu

ma-

mariti, de Beneficiariis, de Superioribus Regularium, ac de Subditis Regularibus? III. Licentia Religiosis data expendendi probabiliter non ita limitatur, ut si expendant ad usus turpes, peccent contra votum, & qui illam accipit ad restitutionem teneatur. IV. Donatio inter filios, & parentes quandonam est irrevocabilis? V. Inter conjuges est universim revocabilis, sed in multis casibus est irrevocabilis. Et quid, si superaddatur juramentum? VI. Donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum est invalida, nisi fiat ad pias causas, aut fiat causa mortis, vel titulo oneroso. Quid si superaddatur juramentum? VII. Sine insinuatione non est valida donatio, quæ excedat valorem quingentorum solidorum, seu, ad septingenta, & quinquaginta scuta Hispaniæ, nisi tamen sit remuneratoria, aut fiat ad pias causas, vel causa mortis, aut si juramento firmetur.

ARTICULUS IV. 89

Quando possit Donatio revocari?

I. Donatio causa mortis est revocabilis; Secus vero Donatio inter vivos. II. Potest tamen Donatio inter vivos revocari, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, si sit inofficiosa, dummodo non sit facta ad pias causas. III. Revocari pariter potest, si deinde donatori proles nascatur, nisi huic privilegio expresse renunciet; Necnon ob ingratitudinem donatarii, nisi sit facta ob causam. IV. Donatio causa mortis revocari potest, tam si donatorem pœniteat factæ donationis, quam si ea facta sit intuitu mortis imminentis. Necnon si donatarius præmoriatur. V. Si dubitetur num donatio facta fuerit causa mortis, an inter vivos, præsumendum, quod sit inter vivos, nisi facta sit mentio mortis, quamvis facta fuerit tempore infirmitatis. Quid dicendum de donationibus factis in testamento, aut codicillis, si non fiat mentio mortis?

ARTICULUS V. 90

De Promissione, & Donatione Conditionali.

I. Valida est donatio conditionata, & purificata conditione obligat, sive conditio sit de præsenti, sive de præterito. Pariter si sit de futuro necessario, quin suspendatur obligatio usque ad purificationem conditionis. II. Si conditio sit de futuro contingenti, suspenditur obligatio usque ad eventum conditionis, sed donatio interim revocari non potest, nisi sit donatio causa mortis. III. Conditio impossibilis irritat donationem conditionatam; necnon quemcumque alium contractum, excepto contractu matrimoniali, & ultimis voluntatibus, in quibus habetur pro non adjecta. IV. Idem dicendum de conditione turpi: quæ tamen reddit etiam irritum matrimonium, si sit contra ejus substantiam, videlicet contra bonum prolis, fidei, & Sacramenti. V. Conditio isthæc, Si non nupseris, apposita ultimis voluntatibus, num habeatur pro non adjecta? Et quid de conditione, si Religionem non ingrediaris?

QUÆSTIO IX. 92

De aliis præcipuis Contractibus.

ARTICULUS I. ibid.

De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, & Hipotheca.

I. Per fidejussionem homo suscipit alterius promittentis obligationem in ejus defectum. II. Non tenetur fidejussor solvere in iis casibus, in quibus Principalis non teneretur. Nec antequam petatur. Quid si plures in solidum fidejubeant? Obligatio fidejussionis transit ad hæredes. III. Citra usuram potest aliquid a principali debitore accipi pro fidejussione. IV. Per Assecurationem suscipit quis in se periculum rei alienæ. Et quidem si id fiat gratis, est promissio liberalis; si fiat pro pretio, reducitur ad venditionem. Quodnam sit pretium justum Assecurationis? V. Per contractum Pignoris datur Creditori res mobilis in securitatem crediti. Per Hypothecam res immobilis remanet apud debitorem obligata creditori in securitatem. VI. Res, quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari, ut res sacræ, quæ tamen in quibusdam casibus & pignerari, & vendi possunt. VII. Hypotheca dicitur esse Tacita, quando ex juris dispositione involvitur in aliquo contractu, ut ratione dotis hypothecantur bona mariti, & in aliis casibus. VIII. Hypotheca generalis extenditur ad bona omnia etiam futura, nec impedit quominus hæc vendantur, dummodo pretium succedat loco rei. IX. Quandonam Creditor potest uti pignore? Num, & quando possit tam in foro interno, quam in externo Creditor vendere Pignus?

ARTICULUS II. 93

De Deposito, Commodato, & Precario.

I. Per Contractum Depositi traditur aliquid custodiendum, ut integrum restituatur. II. In periculo incendii, aut naufragii, num sint salvandæ prius res depositæ, aut commodatæ, seu locatæ, aut in pignus datæ, an vero propriæ, sive æqualis, sive inæqualis valoris sint? III. Quandonam possit Depositarius ex Epicheja uti re deposita? IV. Aliquando Depositum transit in Mutuum, sive in Commodatum, aut Locatum. Quod si in mutuum transeat, non poterit ex ejus rei usu Deponens aliquid lucrari citra usuram. V. Depositarius in multis casibus non tenetur rem depositam reddere domino petenti; præsertim si ea sit abusurus contra justitiam; & probabiliter etiam contra alias virtutes. VI. Per contractum Commodati res alicui conceditur gratis ad certum usum, & pro determinato tempore: Tenetur Commodatarius e levissima culpa juridica ad restitutionem, si pereat res commodata. VII. Expensæ ordinariæ pro re commodata faciendæ sunt a Commodatario: extraordinariæ vero a Commodante. VIII. Num possit Commodans ante tempus præfixum rem commodatam repetere ad declinandum proprium damnum æquale illi, quod in tali casu immineret Commodatario? IX. Per contractum Precarii res alicui conceditur gratis; ita tamen, ut possit ea ad arbitrium repeti citra alterius grave damnum. X. Non cessat Precarium morte concedentis illud; cessat vero morte accipientis, itaut non transeat ad hujus hæredes.

ARTICULUS III. 96

De contractu Societatis.

I. Societas est conventio duorum, vel plurium contracta ad conferendum aliquid in usum, vel quæstum communem. Quando factoribus in stipendium datur quarta, vel quinta pars lucrorum, tunc habetur contractus conductionis potius, quam Societatis. II. Multipliciter fieri potest contractus hic Societatis; Hæc autem si fundetur in negotiatione illicita, nullam pa-

parit obligationem ante negotiationem. Periculum sortis stare debet penes apponentem, si non superaddatur Assecuratio. III. Ut Societas fiat ad caput salvum, plura requiruntur. IV. Colonus ex contractu Societatis non solum debet reportare pretium suæ operæ, ac si esset famulus, sed etiam lucrum consentaneum. V. Si Titius apposuit centum, & Cajus operam suam, & in fine negotiationis remanent biscentum, aut etiam centum, quonam pacto dividenda inter socios? VI. Quid si Titius apponat sortem, quæ in principio negotiationis pereat, antequam Cajus ponat adæquate operam suam? VII. Est injustus contractus, quod dentur centum oves Pastori, itaut totidem reddat in fine anni, & lucrum dividatur, si non superaddatur alius contractus Assecurationis. VIII. Cum eadem assecuratione potest locari justo pretio Pharmacopolæ Apotheca cum vasis suis, & pharmacis, cum onere, quod in fine anni totidem vasa, & pharmaca ejusdem pretii reddantur: Depurantur isti contractus a labe usuræ ob pretium assecurationis. IX. Sixtus V. declaravit, usurarium esse contractum Societatis, si periculum sortis non pertineat ad apponentem, quando tamen non superadditur assecuratio. X. Socius tenetur ad restitutionem damni secuti alteri ex culpa levi juridica, quæ sit Theologice gravis; non tamen ex levissima.

ARTICULUS IV. 99

De Ludo, & Sponsione.

I. Ludi contractus habetur per pactum, quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuatur. Per Sponsionem duo contendentes de veritate, aut eventu rei sibi vicissim aliquod spondent dandum victori. II. Si quis certo sciat rei veritatem, num possit spondere cum altero, qui dicit se cedere juri suo? Num possit quis spondere cum singulis ex quatuor oppositoribus, quod non sint Cathedram assecuturi? III. Qui vi, aut importunis precibus, vel conviciis pertrahitur ad ludendum, retinere potest, quod vincit, quamvis alter si vincat, ad restitutionem teneatur. Idemque dicendum de eo, qui injuriam alteri facit in numero punctorum, aut aliter; ac de eo, qui fingit imperitiam ludendi, ut alterum pertrahat ad ludendum. IV. Probabile tamen est, quod ad restitutionem non teneatur, qui minis inducit alterum ad ludendum, si vincat; dummodo satisfaciat pro injuria illata. V. Ludus late sumptus, seu Jocus, si sit moderatus ad melancholiam expellendam, pertinet ad virtutem Eutrapeliæ. VI. Ludus honestus vitiari potest multipliciter; videlicet ratione finis mali, ratione Loci, Personæ, Modi, Legis vetantis, vel ratione Personæ, cum qua luditur. Quid de Clericis, aut Religiosis ludentibus? VII. Peccant mortaliter, qui domum, mensas, aleas subministrant ludentibus ludis vetitis, aut intermiscendo blasphemias, furta, perjuria. VIII. Princeps licet possit permittere peccata meretricis, non potest tamen permittere peccata ludentium inique cum fraudibus, & blasphemiis. IX. Ad restitutionem damnorum tenentur, qui ad ludendum inique ludentes admittunt. X. Qui ludens ludo prohibito aliquid lucratur, non tenetur illud restituere ante sententiam Judicis. Qui vero victus perdidit, probabiliter non tenetur solvere, quando datur illi facultas repetendi: Si tamen illud solverit, non potest compensare. XI. Jure Cæsareo qui ludit ad creditum, probabiliter non tenetur in conscientia solvere, nisi juraverit se soluturum: Quod si juraverit hujus juramenti dispensationem non esse petiturum, adhuc probabiliter potest illam petere. XII. Si uterque ludens ludo prohibito, aut ad creditum, renunciavit harum legum privilegio, adhuc probabiliter potest non solvere quod perdidit, aut in judicio illud repetere. XIII. Ludens ad creditum cum alio ludente pecunia numerata cum animo non solvendi, si perdat, probabiliter ad restitutionem non tenetur, si lucratur. Immo ludens ludo vetito pecunia numerata cum animo repetendi, si perdat, adhuc probabiliter lucrari potest. XIV. Lucrari non potest in ludo, aut sponsione, qui certus moraliter est, quod perdere non possit. Nec qui ludit cum Religiosis, aut filiis familias, qui non possunt aliquid ludo exponere. Quandonam possint isti quatuor, vel quinque in centum exponere ludo honesto? Restitutio in his casibus secundum se potest etiam fieri ipsi Religioso perdenti. XV. Qui per fraudes aliquid lucratur, tenetur restituere non solum quod lucratus est, sed etiam quod certo moraliter aliter esset lucraturus. XVI. Qui in ludo utitur astutiis consuetis, non tenetur quicquam restituere, si lucratur. Nec tenetur ludens admonere collusorem, si videat illum errare in numero calculorum.

ARTICULUS V. 103

De Quasi Contractibus.

I. Obligatio ex quasi contractu habetur ratione mutui consensus non expressi, sed taciti. II. Quinque modis oriri potest obligatio isthæc ex quasi contractu, videlicet ex negotiis gestis, ex tutela, ex rerum communione citra contractum societatis, ex Hæreditate relate ad legata, & ex solutione indebiti facta per errorem. III. Negotiorum gestori debentur expensæ, & laborum compensatio, quamvis negotiationis eventus non succedat feliciter. IV. Idem dicendum de inventore rei alienæ, & de fidejussore sponte solvente pro principali; Non tamen de eo, qui ex mera liberalitate, aut pietate aliquid expendit pro alio, puta pro famulo ægroto. V. Tutori debentur a pupillo expensæ; Sed salarium ille accipere non potest, nisi constituatur a Judice. VI. Mandatario, Procuratori, Advocato ex quasi contractu debentur expensæ, si gratis tale munus suscipiant: Ex contractu vero conductionis debetur salarium, si de illo conveniant. Idemque dicendum de Syndico, seu defensore, non a domino, sed a Communitate constituto, aut ab Episcopo. VII. Quando res communes pluribus ab uno administrantur citra contractum Societatis, actio datur a Juristis dicta Communi dividendo ex quasi contractu. VIII. Acceptans hæreditatem ex quasi contractu tenetur solvere legata; Qod si legatarius propria auctoritate illa sibi usurpet; in pœnam legato privatur. IX. Qui indebitum ex errore accepit ex quasi contractu, ad restitutionem tenetur. Si tamen acceperit bona fide, solum tenetur ex re accepta, & quatenus est factus ditior.

QUÆSTIO X. 105

De Testamentis, Legatis, & aliis ultimis voluntatibus.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Testamentum; Et quænam ejus Conditiones?

I. Testamentum est *Voluntatis nostræ justa sen-*

tentia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, cum directa hæredis institutione. II. Quid intersit inter Testamentum, & Codicillum? Et quot testes ad utrumque requirantur? III. Testamentum scriptum seu clausum quomodo differat a Nuncupativo? IV. Quinam esse debeant septem testes ad Testamentum requisiti? Religiosus nequit esse testis sine sui Prælati licentia, V. Validum est Testamentum, quamvis obnoxium nullitati in foro externo, quando quis interrogat Testatorem, Num velit Cajum instituere hæredem? & ille annuit. VI. Est pariter validum, si Testator coram septem testibus det alteri schedulam dicens, in ea suum Testamentum contineri. VII. Pactum inter duos de reciproca hæreditatis successione non valet tanquam mutua donatio irrevocabilis, sed valet tanquam duo utriusque Testamenta, quæ ante mortem revocari possint.

ARTICULUS II. 106

De Testamentis Privilegiatis.

I. Plura sunt Testamenta privilegiata, nempe ad pias Causas, Tempore pestis, Militis, si fiat coram Principe, si ab ascendentibus inter liberos, aut si ruri fiat, ubi nonnisi quinque testes reperiantur. II. In Testamento ad pias causas non requiritur solemnitas juris civilis, sed solius juris naturalis, Divini, & Gentium: Pro foro interno satis est, quod constet de mente Testatoris. III. Parochus cum alio teste sufficit ad testandum, etiam in favorem propriæ Ecclesiæ. IV. Per Testamentum ad pias causas minus solemne revocatur aliud solemne; & probabiliter etiam subsequens ad causas non pias. V. Testamentum sine solemnitate juris ad causas profanas validum est quoad legata pia; Et Testamentum sine juris solemnitate ad causas pias valet quoad legata profana. VI. Ad causas pias testari potest etiam Filiusfamilias, Impubes, Damnatus ad mortem, Prodigus, Mutus, & Surdus, ac similes. Qui committit bona sua dispositioni Titii, hic debet ad causas pias omnia distribuere. Voluntates Captatoriæ sunt irritæ. VII. Tempore Pestis ad Testamentum satis sunt solemnitates jure Gentium requisitæ. VIII. Quid de Testamento Militis, sive in bellica expeditione, sive in Castris? IX. Non requiruntur solemnitates, quando Testamentum fit coram Principe, aut a Patre, Matre, vel aliis ascendentibus, ut hæreditas inter liberos dividatur. Et sufficiunt quinque testes, quando a rusticanis in Villis degentibus plures haberi non possunt.

ARTICULUS III. 107

Quinam testari possint, & Testamentum revocare?

I. Omnes testari possunt, nisi iis jure naturali, aut positivo prohibeatur. Nemo autem ad testandum tenetur; Expedit tamen ad pias causas aliquid relinquere. II. Naturali jure nequeunt testari infantes, amentes, furiosi, dum furore sunt correpti. III. Jure positivo vetatur Testamentum surdis, & Mutis a nativitate. Quid de Cæcis, Prodigis, Mancipiis, Usurariis, Damnatis ad mortem, Impuberibus, Filiisfamilias? Quid de Clericis, ac de Beneficiariis? Quid de Regularibus? IV. Num valide, an solum illicite absque Superioris licentia testentur, aut donent, qui vota simplicia in Societate Jesu emiserunt ante professionem? V. Quonam pacto revocari possit Testamentum? VI. Ut prius Testamentum reddat posterius invalidum, quid requiratur? Et quomodo possit posterius Testamentum invalidare prius, in quo habetur clausula invalidativa posterioris? VII. Qui juravit se non revocaturum esse Testamentum, quandonam possit illud revocare? Hujusmodi juramentum non est contra bonos mores, nec absolute nullum.

ARTICULUS IV. 109

Quinam possint Hæredes institui?

I Hæredes vel instituuntur a Testatore, vel veniunt ab intestato; Vel sunt necessarii, vel non necessarii; Vel universales, & ex asse, vel particulares, quibus aliqua pars assis relinquatur. Quænam sint Assis partes? II. Hæredes necessarii quinam sint? Et quænam sit legitima portio descendentium? Quinam in portionem hæreditatis admittuntur in Capita, quinam in Stirpes? In feudalibus quinam, & quomodo succedant? III. Quomodo se gerere debeat Pater, ac Mater relate ad filios illegitimos? Quid relinquere possint Spuriis præter alimenta? IV. Omnes homines, & Communitates institui possunt hæredes, nisi specialiter prohibeantur, ut Spurii, Hæretici, Infames, qui dicuntur intestabiles. Quid de Religiosis? Quid de Professis Societatis Jesu? Potest domus Professa Societatis Jesu institui hæres; non tamen Conventus Fratrum Minorum. V. Hæredes ab intestato quinam veniant. Quandonam succedant consanguinei in linea transversali usque ad decimum gradum? Et quandonam Fiscus sæcularis, quando Ecclesiasticus succedant? V. Uxor, quæ sine dote nupsit, quandonam succedat in quarta parte bonorum Mariti? Et quando maritus pauper in quarta parte bonorum uxoris? VII. Quid restituere debeat conjux transiens ad secundas nuptias? VIII. Hæres suus in hæreditate succedit, antequam illam adeat, non vero hæres non suus. IX. Qui hæreditatem acceptavit, num teneatur aliquando solvere creditoribus defuncti supra vires hæreditatis? Et quando illi competat quarta Trebellianica, aut Falcidia?

ARTICULUS V. 111

De Renunciatione Hæreditatis.

I. Hæreditatis renunciatio non subsistit, nisi juramento firmetur. II. Quid si filius post portionem suam acceptam hæreditati renunciet? Quid si juramento renunciet in præjudicium posterorum? Quid si renunciet in favorem fratris, & interim parens decedat? Renunciatio hæreditatis non se extendit ad feudalia, nec ad alimenta. II. Irrita est renunciatio hæreditatis, quæ speratur obventura, exceptis nonnullis casibus. IV. Quænam renunciatio hæreditatis facta ante ingressum in Religionem a Tridentino irritatur? V. Hac in re nihil Tridentinum innovavit circa institutum Societatis Jesu. VI. Irrita est renunciatio facta a Candidatis Societatis in causas profanas, aut in causas pias, sed sub conditione professionis, si non fiat juxta Tridentinum. VII. Qui a Societate dimittitur, num possit repetere, quod illi donavit?

ARTICULUS VI. 112

De Codicillis.

I Codicillus, quasi parvus Codex, est quoddam Testamentum imperfectum, supponens hæredem; In eo quinque testes sufficiunt. II. In testamento carente debitis requisitis clausula Codicillaris fert, ut

vim habeat Codicilli, si non desint requisita ad Codicillum. III. Vi clausulæ Codicillaris legata subsistunt, quamvis non subsistat hæredis institutio: Sunt alii etiam ejusdem clausulæ effectus. IV. Potest Codicillus esse Nuncupativus coram quinque testibus. Legatum potest nutu relinqui a Testatore; Sed hæredis institutio debet ore Testatoris proferri, saltem ad alterius interrogationem.

ARTICULUS VII. 103

De Substitutione hæredis, & Fideicommissis.

I. Substitui quis potest in hæredem, vel directe per substitutionem sive Vulgarem, sive Pupillarem, sive Exemplarem; Vel indirecte per Fideicommissariam, vel per Mixtam, sive Reciprocam, sive Compendiosam. II. Pupillaris substitutio habetur, si fiat hæres pupillus sub ea conditione, quod si ante pubertatem decedat, alius sit hæres: Exemplaris est instar Pupillaris, si scilicet filio amenti, surdo, & muto, aut prodigo alius in hæredem substituatur. III. Fideicommissaria substitutio habetur, quando gravatur hæres, ut hæreditatem vel totaliter, vel partialiter alteri restituat; quod etiam fieri potest per Codicillum. IV. Potest vi hujus indirectæ substitutionis fideicommissariæ detrahi quarta Trebellianica, non tamen a legatis; nec si substitutio sit ad piam causam; Nec a legatis piis detrahitur Falcidia. V. Quænam dicatur substitutio Mixta Reciproca; Quænam Compendiosa?

ARTICULUS VIII. 114

De Legatis, & Fideicommissis particularibus.

I. Legatum dicitur donatio a defuncto relicta, & ab hærede præstanda; Differt a Fideicommisso particulari in forma verborum duntaxat; hoc enim dirigitur ad hæredem, illud ad legatarium. II. Potest aliquid legari etiam iis, qui non possunt institui hæredes, puta Fratribus Minoribus, relinquendo illis annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi; Possuntque hæredes gravari, ut quotannis aliquid iisdem solvant. III. Domus Professa Societatis Jesu capax est etiam hæreditatis, dummodo stabilita intra decennium vendantur. VI. Quonam pacto possit res aliena legari? V. Qui aliquid legat suo creditori, censetur liberaliter donare, si sit debitor ex contractu voluntario; Secus vero si sit aliunde occultus debitor. VI. Confessarius debet, quantum fieri potest, urgere, ut Testator statim restituat, cum passim Testamenta infirmentur. VII. Legatum relictum Bertæ sub conditione nuptiarum debetur illi, etiamsi caste vivat. VIII. Pariter legatum relictum sub conditione, quod quis a nuptiis abstineat, dandum eidem, quamvis nubat. Non tamen si fiat sub conditione, quod non iterum nubat. IX. In favorem piæ causæ, & Status Religiosi, ac Sacerdotalis valet legatum relictum sub hujusmodi conditionibus. X. Conjux, qui promisit alteri se servaturum esse post ejus obitum viduitatem, quomodo ad id obligabitur, quando eo fine relinquitur illi legatum? XI. Quandonam possit Episcopus legata ad pias causas relicta commutare? XII. Non solum Judex Ecclesiasticus, sed etiam Sæcularis Executores Testamenti compellere potest ad solutionem Legatorum. XIII. Si legatum sit incertum respectu personæ, cui danda sit res legata, corruit; nisi sit ad pias causas; in quo casu arbitrio Episcopi vel res est dividenda, vel danda pauperibus. Sed quid si legatum sit incertum respectu rei legatæ?

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Quarta Parte De Contractibus continentur.

Prior numerus Quæstionem; Alter Articulum; Tertius Numerum marginalem designat.

A

Apodixæ, seu credita immatura num vendi possint minoris? 2. 3. 8.

Assecuratio quid ferat? 9. 5. 4. Si ea fiat gratis, reducitur ad donationem, si fiat pretio, ad venditionem. ibid. Quodnam sit pretium justum Assecurationis? ibid.

Assis partes in hæreditate quænam sint? 10. 4. 1.

B

Beneficiariis num sit vetita negotiatio, sicut vetatur Clericis in Sacris, ac Religiosis? 2. 4. 7.

Beneficium usurarie acceptum resignandum est, & fructus percepti in pios usus erogandi sunt. 3. 5. 3. Poterit tamen Beneficiarius uti Bulla Compositionis. ibid.

Bona fide celebrans contractum usurarium poteritne retinere lucrum, quod ex contractu licito reportasset? 3. 5. 14.

C

Cambium est lucrosa pecuniæ cum pecunia permutatio. 6. 1. 1. Campsor quando transfert dominium pecuniæ in Campsarium? 6. 1. 2. Multiplex est Cambium. 6. 1. 3. Quodnam sit Cambii pretium justum? 6. 1. 5. Justi tituli ad lucrandum ex Cambio minuto quinam sint? 6. 2. 3. Cambium locale triplex est. 6. 3. 1. Cambium, & recambium cum recursa num sit Cambium siccum? 6. 3. 6. Si bona fide detur pecunia restituenda Romæ, ubi Campsarius illam non habet, num possit lucrum retineri? 6. 3. 7. Quænam conditiones a Pio V. requirantur, ut licitum sit Cambium, & Recambium? 6. 4. 1. Nequit pecunia ad Cambium dari, nisi pro nundinis proximis. 6. 4. 5. Probabilius etiam contra justitiam peccant, qui circa Cambia ineunt monopolia. 6. 5. 4.

Cappellanus per breve tempus ægrotans num teneatur per alium celebrare? 7. 3. 9.

Casu fortuito si res pereat, ad quid tenetur contrahens? 1. 6. 5. Quid si distulerit restituere tempore debito? ibid.

Causa finalis contractus, seu dispositionis quænam sit? Non est illa, qua deficiente, contractus non fieret, sed qua deficiente contrahens vellet nullum esse contractum. 1. 8. 6.

Clericis in Sacris, ac Religiosis sub gravi prohibetur negotiari. 2. 4. 7. Sicut etiam conducere aliena prædia, ut fructus vendant; Et emere jumenta ad locandum. ibid. Num possint negotiari per alios? 2. 4. 8. Non est prohibita illis negotiatio œconomica, sed lucrativa. 2. 4. 9.

Census quid, & quotuplex sit? 4. 1. 1. Num census personalis sit usurarius? 4. 1. 6. Quid de censu irredimibili, ac redimibili? 4. 1. 5., & 4. 2. 2. Quid requiritur jure naturæ ut census sit licitus? 4. 2. 1. quid jure positivo? 4. 3. 1. Expensæ quænam solvendæ a Censuario, quænam a Censitore? 5. 2. 4. Quid si corruat domus censui subjecta? 4. 2. 6. Num in censu possit apponi pœna legis commissoriæ, sicut in Emphyteusi? 4. 2. 8. Quid de censu vitalitio? 4. 2. 10. Quid de redimibili, aut ex parte solius Emptoris, aut utrinque? 4. 2. 9.

Census, ut sit licitus, requirit decem conditiones appositas a Pio V. 4. 3. 3. Num in foro conscientiæ sit invalidus, & usurarius hic contractus deficientibus iis conditionibus? ibid. Explicantur istæ conditiones. 4. 3 4. Ex pensionibus non solutis non potest novus census fundari. 4. 3. 11. Pretium justum census desumendum est a timoratorum praxi. 4. 3. 14. Num Bulla Piana recepta sit in Regno Neapolitano? 4. 4. 1. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda censuaria. 4. 4. 4. Et in dubio num census sit irredimibilis, censendus redimibilis? 4. 4 5.

Codicillus, quasi parvus codex, est quoddam testamentum imperfectum. 10. 6. 1. Clausula codicillaris quid ferat in testamento? 10. 6. 2. Codicillus potest esse Nuncupativus coram quinque testibus: Legatum potest etiam nutu relinqui: Hæredis tamen institutio debet proferri ore a testatore, saltem ad alterius interrogationem. 10. 6. 4.

Commodati contractus quid ferat. 9. 2. 6. Ad restitutionem tenetur Commodatarius ex levissima culpa juridica. ibid. Expensæ ordinariæ faciendæ sunt a Commodatario, extraordinariæ vero a Commodante. 9. 2. 7. Quando potest Commodans ante tempus præfixum repetere rem Commodatam? 9. 2 8.

Conductor quatuor de causis expelli potest ante tempus prefixum, præsertim si pensionem non solvat. 7. 2. 2. Citra causam justam nequit ille ante tempus dimittere rem conductam. 7. 2. 3. Quid si nequeat uti re conducta? 7. 2. 4 Quid si vespere conduxerit operas, & mane iis non indigeat? 7. 2. 5. Si ex infortunio fructus consueti non percipiantur, poteritne pensio pro rata diminui? 7. 2. 6. *V. Locatio*. *V. Famuli*.

Congrui jus, seu jus Retractus quid importet? 2. 6. 9.

Contractus presse dictus fert mutuam Contrahentium obligationem. 1. 1. 1. Quatuor modis perficiuntur Contractus. 1. 1. 2. Multiplex est Contractus. 1. 1. 4 Quid sit Quasi contractus? 1. 1. 6.

Contractus quinam dicatur Nudus, quinam Vestitus? 1. 1. 4. Quando nudus transit in Vestitum? 1. 2. 5. Quinam sint Contractus bonæ fidei, & stricti juris? 1. 1. 5. Quinam dicantur cotractus innominati? 1. 1. 4.

Contractus celebratus per errorem, per dolum, per metum, quando obliget? 1. 3. 1. Quid si desint solemnitates Juris? ibid. Num obliget, aut sit rescindibilis contractus per metum levem injuste incussum celebratus, aut per metum reverentialem, aut per pre-

preces importunas? 1. 3. 11. Num restituenda sint, quæ vi talis Contractus acquisita sunt? ibid. Num matrimonium sic celebratum sit validum? 1. 3. 12. Quinam contractus jure positivo sunt irriti, si celebrentur per metum injustum? 1. 3. 10.

Contractus fictus quonam pacto ratificetur? 1. 9. 6.

Contractus *Godere a Godere*, & Contractus *Mohatra* num possint ab usura excusari? 2. 3. 12.

Contractus conditionatus ante conditionis purificationem non obligat. Nec si sit de re turpi; At probabilius post conditionem purificatam talis contractus obligat. 1. 8. 10. Conditiones impossibiles reddunt Contractum nullum; In matrimoniali tamen contractu habentur pro non adjectis conditiones impossibiles; necnon turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii, seu contra bona fidelitatis, prolis, & Sacramenti. 1. 8. 11. Pariter habentur illæ pro non adjectis in ultimis voluntatibus saltem pro foro externo. ibid. Habentur pariter pro non adjectis conditiones istæ, si non nupseris, Si Religionem non ingrediaris. 1. 8. 12. Quid si legatum relinquatur Virgini sub conditione quod nubat, & ista velit ingredi Religionem? ibid. Num possit Contrahens resilire, antequam purificetur conditio? 1. 8. 13. Conditiones necessariæ habentur pro impletis.

Contractus per Procuratorem validus est, si revocatio procuræ non sit intimata. 1. 9. 1. Excepto tamen Matrimonio, Sponsalibus, Voto, & Contractu in præjudicium Tertii. Ibid. Mortuo Principali contractus per Procuratorem est irritus, quamvis Procurator id ignoret, si res sit integra, aut non pertineat ad causas pias. ibid.

Contractus sub causa, sub modo, sub demonstratione, sub conditione, quinam sit? 1. 8. 1. Non subsistente causa finali, contractus est invalidus; secus vero non subsistente impulsiva. 1. 8. 5. Quid si testamenti causa finalis non subsistat, sed subsistat legati? 1. 8. 6. In dubio num causa finalis subsistat, standum pro valore actus. 1. 8. 7. Dispositio facta sub modo est valida, quamvis modus, qui sit causa impulsiva, non adimpleatur. 1. 8. 8. Error in demonstratione quando invalidat Contractus? 1. 8. 9.

Contrahere quinam non possint? 1. 4. 1. Quando contractus Minoris, aut pupilli est validus? ibid. Quid possint hac in re filiifamilias puberes, & pubertati proximi? 1. 5. 6. Quid uxor sine mariti licentia? ibid.

Cooperari cum peccato proximi ponendo actiones proxime ad peccatum concurrentes non licet, ne metu quidem mortis. 7. 1. 4. Num liceat metu mortis sternere lectum meretrici? 7. 1. 3. Num pariter deferre literas provocantes ad peccatum? ibid. Non licet aurigis concubinam ducere ad Amasium, ne lucrum amittant. 7. 1. 5. Nec licet tenere domum expositam ludentibus, qui sæpe blasphemant, aut furantur. 7. 1. 4. Imo nec Principes possunt id permittere. ibid.

Culpa juridica lata, levis, levissima quænam sint? 1. 6. 1. Sine culpa gravi Theologica non datur onus restitutionis ex titulo injustæ acceptionis. ibid. In Contractibus, qui sunt in utilitatem dantis, datur onus restitutionis ob culpam latam; si sint in utilitatem recipientis, ob levissimam; sin utriusque, ob levem; quatenus ob has culpas juridicas solet annecti culpa gravis Theologica. 1. 6. 4. Qui nequit in naufragio res suas simul, & alienas retinere, quando tenetur projicere prius proprias? 1. 6. 6.

D

Depositi Contractus quid ferat? 9. 2. 1. In periculo naufragii quando prius salvandæ sunt res depositæ, aut commodatæ, vel locatæ, quam propriæ? 9. 2. 2. Num possit per Epichejam depositarius uti aliquando re deposita? 9. 2. 3. Non semper depositarius tenetur reddere rem depositam. 9. 2. 5. Quid si contractus depositi transeat in mutuum? 9. 2. 4.

Dolus aut dat Causam Contractui, aut incidit in Contractum. 1. 3. 1. Si sit circa substantiam, invalidat Contractum magis, quam error. 1. 3. 4. Si sit circa qualitates, & proveniat ab altero Contrahente, est rescindibilis ad arbitrium decepti. ibid. Quid si proveniat a tertia persona? 1. 3. 5. Si dolus incidat in Contractum, hic est irritandus ad arbitrium decepti. 1. 3. 7. Dolus, & error circa causam finalem irritat promissionem, donationem, ac Votum, non tamen si sit circa causam impulsivam. 1. 3. 8 Nec votum hujusmodi solemne, aut Matrimonium est irritum. ibid.

Donare quinam possint? 8. 3. 1. Cui prohibetur donatio, non prohibetur donatio remuneratoria. ibid. Quid de donatione inter Conjuges? 8. 3. 5. Quid de donatione omnium bonorum, præsentium, & futurorum? 8. 3. 6. Donatio sine insinuatione quando est invalida? 8. 3. 7.

Donata res num spectet ad donatarium, an ad hæredes, si donans præmoriatur, antequam donatario innotescat donatio? 2. 2. 7.

Donatarius num possit retinere, quæ sibi a filiofamilias sine licentia Patris donantur etiam de boni, Castrensibus, aut quasi Castrensibus? 1. 5. 6.

Donatio acceptata revocari potest, si sit inofficiosa dummodo non fuerit ad pias causas 8. 4. 2. Sicut etiam ob ingratitudinem donatarii; aut si donanti proles deinde nascatur. 8. 4. 3. In dubio num donatio fuerit causa mortis, an inter vivos, quid præsumendum? 8. 4. 5.

Donatio est nulla, si res mittatur per nuncium, aut epistolam, & interim donans moriatur. 1. 9. 2. Idemque dicendum de emptione. 1. 9. 3. Si donetur Titio res ab eo, qui non potest omnibus creditoribus satisfacere, poteritne Titius illam sibi retinere? 2. 2. 8.

Donatio, & promissio interna non obligant, si fiant homini, sed solum si fiant Deo. 8. 2. 1. Jure positivo per donationem non transfertur dominium ante traditionem. 8. 1. 3. Donatio, & promissio, si fiant absenti per nuncium, aut per literas, quonam pacto valide acceptentur? Et quid si ante acceptationem revocentur? 8. 2. 9. Quid si nuncius neglexerit dare donatario rem donatam ante mortem donantis? 8. 2. 11. Donatio verbalis, & promissio fere coincidunt. 8. 1. 4. V. *Promissio*.

Donatio conditionata, si sit de futuro necessario, statim obligat. 8. 5. 1. Conditio impossibilis irritat Contractum; at in Contractu Matrimonii, & in ultimis voluntatibus habetur pro non adjecta. 8. 5. 3. Similiter conditio turpis, quamvis Matrimonium irritet, si sit contra ejus substantiam, seu contra tria illa bona fidei, prolis, & Sacramenti. 8. 5. 4. Quid de conditione illa, si non nupseris, ac de alia, Si Religionem non ingressus fueris? 8. 5. 5. Dubitans, an contractus sit sub conditione, ita ut suspendatur usque ad conditionis adventum, an sub modo, ita ut non suspendatur, quid faciat? 1. 8. 2. In dubio num subsistat causa finalis Contractus, standum pro valore actus. 1. 8. 7.

Du-

Dubitans an contractum licitum celebrarit bona fide, poteritne lucrum inde acceptum retinere? 3. 5. 15. In dubio num res sit censuaria, an emphyteutica, censenda est censuaria. 4. 4. 4. Et in dubio num census sit irredimibilis, censendus est redimibilis. 4.4.5.
Dubitans num donatio facta fuerit causa mortis, an inter vivos, quid præsumi debet? 8. 4. 5.

E

Emphyteusis quid sit, & quomodo a Feudo discriminetur? 5. 1. 4. Quid sit contractus subemphyteuticus, & subfeudalis, seu libellus? 5. 1. 3. Multifariam dividitur Emphyteusis; sicut & feudum. 5. 1. 7. Uterque contractus varias conditiones requirit. 5. 2. 1. Quid requiritur, ut emphyteuta possit jus suum alteri donare? 5. 2. 3. Quando hic incidit in commissum, si pensionem non solvat? 5. 2. 4. Qui incidit in caducitatem quomodo poterit moram purgare? 5. 2. 6. Num pensio integra solvenda sit, si res emphyteutica deterior fiat? 5. 2. 5. Si ea transeat in manus mortuas, solvi debet domino directo quindennium. 5. 2. 7. Quinam dare possint res in Emphyteusim, & in feudum? 5. 3. 1. Quinam possint in feudum succedere? 5. 3. 4. Fœmina non succedit, nisi expresse admittatur. 5. 3. 5. Quinque de causis potest Feudum amitti sine culpa Feudatarii. 5. 3. 5. Quomodo per culpam amittatur? 5. 3. 6. In feudalibus quinam, & quando succedant? 10. 4. 2. Renunciatio hæreditatis non se extendit ad feudalia, sicut nec ad alimenta. 10. 5. 2.
Emptio, & venditio requirunt traditionem pretii, vel mercis, non ad contractum perficiendum, sed ad transferendum dominium. 2. 1. 1. Debeturne laudemium domino tempore venditionis, an tempore traditionis? 2. 1. 2. Quænam res emi, aut vendi non possint? 2. 2. 1. Quid si ex rei venditione malum alteri proveniat? 2. 2. 2. Num vendi possint officia publica Gubernatoris, Judicis, &c.? 2 2. 3. Quid de re furtiva bona, vel mala fide empta, & alteri vendita? 2. 2. 4.
Venditio rei alienæ est invalida quoad transferendum dominium rei, non pretii. 2. 2. 5. Num possint ultra taxam vendi res notabiliter meliores? 2. 3. 2. Quid de vino aqua diluto? ibid. Pretium justum rerum, quæ in subhastatione, aut per proxenetas venduntur, quænam sit. 2. 3. 3 Quid de mercibus ultroneis? 2. 3. 6. Quid de mercibus, quod venduntur credito, aut solutione anticipata? 2. 3. 7. Si pretium venditori assignetur a domino, poteritne excessum pretii venditor sibi retinere? 2. 3. 4. Credita immatura num possint minoris emi citra usuram? 2. 3. 8. Quamvis pro foro externo contractus non sit rescindendus, nisi læsio fuerit ultra dimidium. At pro foro interno si læsio sit notabilis, est corrigenda. 2. 3. 11. Quid de venditione cum pacto retrovenditionis? De Contractu *Godere a Godere*, ac de contractu *Mohatra*. 2. 3. 12. V. *Pretium*, *Monopolium*, *Subhastatio*, *Venditio*.
Episcopi nequeunt inservientibus pro famulatu Beneficium conferre citra Simoniam. 7. 3. 5. Quonam pacto eorum obsequia compensentur? ibid.
Episcopus quando potest legata ad pias causas commutare? 10. 8. 11. Quid possit circa legata incerta, sive relate ad personam, cui sint relicta, sive relate ad rem legatam? 10. 8. 13.
Error circa substantiam invalidat contractum, non vero circa qualitates, nisi exprimantur. 1. 3. 3. Error circa causam finalem non irritat Matrimonium, aut Professionem Religiosam, licet irritet votum simplex. 1. 3. 9.
Evictio quid sit? 1. 9. 4. Universim in Contractibus onerosis datur obligatio de evictione. 1. 9. 5. Nonnulli casus excipiuntur. ibid.

F

Falcidia a legatis piis non detrahitur. 10. 7. 4. Quando ea competit hæredi? 10. 4. 9.
Famulorum stipendium quodnam sit? 7. 3. 1. Quid si ultro se offerant ad inserviendum? 7. 3. 3. Quid de pueris honorariis? 7. 3. 4. Quid si ægrotent? 7. 3. 8. Quid si necessitate coacti paciscantur de pretio injusto? 7. 3. 6. Feudum. V. *Emphyteusis*.
Fideicommissaria substitutio quænam sit? 10. 4. 13.
Fideicommissum particulare differt a legato. 10. 8. 1.
Fidejussio quid ferat? 9. 1. 1. Num possit citra usuram accipi aliquid a mutuatario pro fidejussione? 9. 1. 3. Quid si plures in solidum fidejubeant? 9. 1. 2. Obligatio fidejussionis transit ad hæredes. ibid.
Filiis illegitimis, & spuriis quid teneantur dare Parentes? 10. 4. 3. spurii sunt intestabiles. 10. 4. 5.
Filiusfamilias pubes, & pubertati proximus num possint contrahere? 1. 4. 5. Quænam sint filiorum bona Castrensia, Quasi castrensia, Adventitia, & Profectitia? 1. 5. 5. Filiusfamilias, si non alatur a Patre, non debet illi operas suas artificiales, sed obsequiales. 1. 5. 7.
Fiscus quando succedit in hæreditatem? 10. 4. 5.
Fratribus Minoribus potest aliquid legari, puta relinquendo illis annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi. 10. 8. 2.

G

Gabella quando, & cui debetur ex vi venditionis rei? 2. 1. 2. Artifex debet gabellam solvere, si ponat materiam simul, & operas; non tamen si eas ponat ædificando in fundo alieno. 2. 1. 4

H

Hæredes gravari possunt, ut quotannis aliquid solvant Fratribus Minoribus. 10. 8. 2.
Hæredes quinam veniant ab intestato, & quinam sint necessarii? 10. 4. 1. Quinam admittantur in Capita, quinam in Stirpes? 10. 4. 2. Quid relate ad feudalia? Quid relate ad filios Spurios? ibid. Quinam dicantur intestabiles? 10. 4. 4. Domus Professa Societatis potest hæres institui; non tamen Fratrum Minorum Conventus. ibid. Quando hæreditas pertinet ad Fiscum? 10. 4. 5. Quando uxor succedit in quarta parte bonorum mariti? Et quando maritus in bona uxoris? 10. 4. 7. Hæres suus succedit in hæreditate antequam illam adeat, non vero hæres non suus. 10. 4. 8
Hæreditatis renunciatio quando est irrita? 10. 5. 1. Quid de renunciatione facta a Candidatis Societatis ante ingressum? 10. 5. 6
Hypotheca in quo differat a contractu Pignoris? 9. 1. 5. Hypotheca tacita habetur, quando ex juris dispositione involvitur in aliquo contractu. 9. 1. 7. Hypotheca generalis extenditur ad bona etiam futura, quæ tamen vendi possunt, dummodo pretium succedat loco rei. 9. 1. 8. In contractu census ex Bulla Piana requiritur hypotheca specialis, quamvis addi soleat hypotheca generalis ad securitatem solutionis pensionis. 4. 3. 4.

I

Institoris contractus validus est, quoties non est publice proposita revocatio institoris. 1. 9. 3.
Intendens principaliter lucrum ex mutuo conferendum

citra

citra pactum ex gratitudine num peccet? 3. 5. 3. Quid de Canonico intendente principaliter distributiones? ib.
Juramentum confirmare contractum est dare robur contractui irrito jure positivo. 1. 4. 1. Dummodo tamen contractus, aut juramentum superadditum non extorqueantur metu injusto. 1. 4. 4. Quinam possit hujusmodi juramentum relaxare? 1. 4. 5. Ex traditione Ecclesiæ Votum simplex metu exortum non indiget relaxatione, ut non servetur, non vero juramentum. 1. 4. 6. Juramentum metu injusto extortum superadditum Contractui, qui a lege propter bonum publicum irritatur, non obligat, nec indiget relaxatione, 1. 4. 7. Probabiliter est hujusmodi votum Religionis. ib. Juramenta isthæc non possunt relaxare Regulares privilegiarii, quamvis possint vota jurata commutare. 1. 4. 8. Quænam causa requiritur, ut a Prælato relaxari possint? 1. 4. 9.

L

LÆsio ultra dimidium in contractu Emptionis quid importet? 2. 5. 2.
Laudemium quando debetur? 2. 1. 2.
Legata ad pias causas relicta quando possit Episcopus commutare? 10. 8. 11. Etiam Judex sæcularis potest compellere ad legatorum solutionem. 10. 8. 12. Quid de Legatis incertis? 10. 8. 13.
Legata ex quasi contractu solvenda sunt ab eo, qui hæreditatem acceptat; Si tamen Legatarius propria auctoritate ea sibi usurpet, iis privandus est. 9. 5. 8.
Legata relicta in testamento minus solemni num sint solvenda? 1. 3. 14. Legatum relictum pro Virginibus maritandis num possit illis dari, si Religionem ingrediantur? 1. 8. 12.
Legatum quid sit, & in quo differat a fideicommisso particulari? 10. 8. 1. Potest aliquid legari Fratribus Minoribus relinquendo illi annuos redditus ad decennium, aut ad vitam Monachi: Possuntque gravari hæredes, ut quotannis aliquid illis solvant. 10. 8. 2. Res aliena quomodo legari possit? 10. 8. 4. Num legans aliquid suo creditori, censeatur velle debitum extinguere? 10. 8. 5. Quid de legato relicto Bertæ sub conditione nuptiarum? 10. 8. 7. Aut sub conditione quod non nubat? aut quod non iterum nubat? 10. 8. 8. Quid si promiserit marito servare viduitatem post ejus obitum, & idcirco ei legatum relinquatur? 10. 8. 10.
Locans operam suam in solidum pluribus num possit a singulis integrum stipendium accipere? 5. 3. 10.
Locatio, & Conductio sunt correlativa. 7. 1. 1. Num possit res locata sublocari? 7. 1. 2. Quomodo possit res usu consumptibilis locari? ibid. Quinam possit domum locare Meretrici, aut Usurario? 7. 1. 3. Non licet domum tenere expositam ludo, si ut plurimum ludentes blasphement, aut furentur. Nec possunt id Principes, quamvis possint permittere meretrices, 7. 1. 4. Poterit tamen hoc in triremibus, & castris permitti. 7. 1 7.
Lucrum cessans ex contractu illicito non est compensandum Mutuanti. 3. 5. 4. Quandonam tenetur mutuarius compensare lucrum cessans ex Contractu licito. 3. 5. 3.
Ludi contractus quid ferat? 9. 4. 1. Qui certo scit aliquid, nequit spondere cum altero, qui dicat se cedere juri suo. 9. 4. 2. Qui vi, aut importunis precibus cogitur ad ludendum, potest retinere, quod vincit; quamvis alter non possit. 9. 4. 3. Neque potest lucrum retinere qui fingit imperitiam, ut alterum decipiat, & qui decipit in numero punctorum. ib. Quid si quis minis inducat alterum ad ludendum, & satisfaciat pro injuria illata? 9. 4. 4. Ludus moderatus pertinet ad virtutem Eutrapeliæ. 9. 4. 5. Quid de Clericis, ac Religiosis ludentibus? 9. 4. 6. Quid de cooperantibus ad ludum, in quo sæpe blasphematur, aut pejeratur? 9. 4. 7. Qui ludit ad creditum ludo vetito, probabiliter non tenetur solvere jure Cæsareo. 9. 4. 11. Quid si ludens hoc animo non solvendi vincat? 9. 4. 13. Non tenetur ludens monere alterum, si erret in numero punctorum. 9. 4. 16.

M

MAtrimonium initum ex metu levi injuste incusso ad illud extorquendum num sit irritum? 1. 3. 12. Quid de Matrimonio inito per dolum circa causam finalem? 1. 3. 9.
Matrimonium per Procuratorem. V. *Contractus per Procuratorem*.
Matrimonium propter aliquod impedimentum invalidum ut revalidetur, debetne utrique parti nullitas Matrimonii innotescere? 1. 9. 7. Si sit invalidum per hoc, quod alter ficte aut per metum consenserit, num ratificetur per verum, aut liberum consensum duntaxat internum? 1. 9. 6.
Matrimonium validum est, quamvis in eo apponantur conditiones impossibiles, aut etiam turpes, quę non sint contra substantiam Matrimonii, seu contra tria illa bona fidelitatis, prolis, & Sacramenti. 1. 8. 1.
Metus est multiplex, justus, injustus, gravis, levis, proveniens a causa necessaria, vel a libera, incussus ad extorquendum Contractum, aut ad alium finem. 1. 3. 1. Jure naturæ est validus contractus initus per metum gravem ad illum extorquendum, sed rescindibilis: At Matrimonium jure positivo est irritum; sicut Professio Religiosa, donatio, & similia sic celebrata. 1. 3. 10. Si metus non sit incussus ad contractum extorquendum, hic non est irritus, nec irritandus, Matrimonio excepto, ac Professione Religiosa. 1. 3. 11. Quid de metu levi, de reverentiali, ac de precibus importunis? ibid.
Minorum contractus sine auctoritate Tutoris num sit irritus? 1. 3. 14.
Mohatræ contractus num sit licitus aliquando? 2. 3. 13.
Monopolium quadrupliciter contingere potest. 2. 4. 1. Quando est contra justitiam, & quando solum contra charitatem. 2. 4. 2.
Montes pietatis, præsertim Mixti, quomodo ab usura excusentur? 3. 4. 13.
Mutuans supplendo vices fidejussoris poteritne citra usuram aliquid exigere a mutuatario? 3. 5. 4.
Mutuum in quo differat a Commodato? 3. 1. 1. Quinam jure positivo deobligentur a restitutione mutui? 3. 1. 4.

N

NEgotiatio mali speciem præsefert. 2. 4. 6. Prohibetur graviter Clericis in Sacris, ac Religiosis. 2. 4. 7. Num etiam Beneficiariis? ibid. Negotiatio tamen non lucrativa, sed œconomica non prohibetur. 2. 4. 8.
Negotiorum gestori debentur expensæ, & laborum compensatio, quamvis negotiationis eventus non succedat ex voto. 9. 5. 3.
Nudum pactum juramento vestitur, & parit obligationem civilem. 1. 2. 5.

O

OBligatio ad non repetendum mutuum per tempus determinatum num sit pretio æstimabilis? 2. 5. 8.
Obligatio vel est solum in conscientia, vel est Civilis, vel Civilis simul, & Naturalis, ita ut pro utroque foro liget. 1. 2. 2. Quinam contractus pariant obligationem naturalem, quinam civilem, quinam utramque? 1. 2 4.

Pa-

P

PActa nuda quando evadant vestita? 1. 2. 5.

Pactum additionis in diem, & Pactum legis commissoriæ quid importent? 2. 6. 8.

Pactum nudum, & vestitum. V. *Contractus*.

Parochus cum alio teste satis est ad testamentum etiam in favorem propriæ Ecclesiæ. 10. 2. 4.

Pauper fingens paupertatem restituere tenetur eleemosynas magnas, non tamen modicas. 1. 3. 8.

Periculum amittendi sortem in mutuo quanti æstimandum est? 2. 5. 7.

Pharmacopolæ quonam pacto locari poterit apotheca cum vasis suis, & pharmacis cum onere quod in fine anni totidem reddat ejusdem valoris? 9. 3. 8.

Pignoris contractus in quo differat ab hypotheca? 9. 1. 5. Quæ vendi non possunt, nec possunt dari in pignus; quamvis res Sacræ, quæ non possunt vendi, possint in aliquibus casibus oppignorari. 9. 1. 6. Quandonam possit creditor uti pignore? 9. 1. 9. Num & quando possit tam in foro fori, quam in foro poli pignus vendi? 9. 1. 10.

Pignoris fructus dati mutuanti, num debeant in extinctionem sortis computari? 3. 5. 12.

Pœna num possit Mutuatario imponi, si præfixo tempore non solvat? & an illa in conscientia debeatur? 3. 5. 10. Quid de pœna legis Commissoriæ? 3. 5. 11.

Pollicitatio facta Ecclesiæ num obliget? 1. 2. 7.

Pollicitatio ante acceptationem neque naturalem, neque civilem obligationem inducit, nisi tamen fiat Civitati, aut Reipublicæ ob causam. 1. 2. 6.

Precarii contractus quid ferat? 9. 2. 9. Non cessat precarium morte concedentis, sed morte accipientis, ita ut non transeat ad hujus hæredes. 9. 2. 10.

Pretium justum rerum quodnam sit? 2. 3. 1. Quid in subhastatione? Quid de mercibus ultroneis? Quid de rebus, quæ per proxenetas venduntur? 2. 3. 3. Quid si res vendatur ad creditum? Quid si anticipata solutione? 2. 3. 7. Quid si valor rei ignoretur a vendente? Quid si ignoretur communiter? 2. 3. 10. V. *Emptio*.

Pretium rei, quæ venditur cum pacto retrovenditionis, quodnam sit. 2. 5. 12.

Promissio facta Civitati obligat ante acceptationem jure positivo. 8. 2. 6. Quid si fiat ad pias causas? ib.

Promissio in materia gravi num obliget graviter? 8. 2. 15. In quo discriminatur obligatio ex Fidelitate ab obligatione ex Justitia? 8. 2. 14. Materia notabilis major est relate ad fidelitatem, quam relate ad justitiam. 8. 2. 7. Nonnullæ promissiones jure positivo non obbligant, nisi posito juramento. 8. 2. 19. Quid de promissione facta ob turpem causam? 8. 2. 18. In promissione solet subintelligi conditio illa, Nisi rerum status notabiliter mutetur. 8. 2. 16. V. *Donatio*.

Promissio prodiga ad quid obliget? 8. 1. 2. Inter promissionem, & donationem verbalem fere nullum est discrimen. 8. 1. 3. Per quid differat promissio a pollicitatione, a stipulatione, & a pacto? 8. 1. 5. Promissio interna facta homini cum juramento, si non fiat hoc per modum voti, non obligat. 8. 2. 3. Sicut neque externa ante acceptationem. 8. 2. 5.

Promittens obligatur ex justitia, si juret, aut instrumentum publicum faciat; secus ex fidelitate. Num hæc obliget sub gravi? 1. 2. 3.

Pupilli, & Minoris contractus quid requirant ad validitatem? 1. 4. 2. Quando iis competat restitutio in integrum? 1. 4. 3.

Q

QUasi contractus quid sit, & quam obligationem ferat? 9. 5. 1. Quinque modis isthæc obligatio oriri potest. 9. 5. 2. Quid debetur ex quasi contractu Negotiorum gestori? ibid. Quid Tutori? 9. 5. 5. Quid Mandatario, Advocato, Procuratori, Syndico? 9. 5. 6. Quibusnam datur actio de communi repetendo ex quasi contractu? 9. 5. 7.

Quindennium quando solvi debet? 5. 2. 7.

R

REgulares privilegiarii, qui possunt vota jurata commutare, non eatenus possunt relaxare juramenta superaddita contractui metu injusto extorta. 1. 4. 8.

Religiosi, quibus permittitur aliquid expendere, num peccent contra votum, si expendant ad usus turpes? 8. 3. 3. Quid si luserint? 8. 4. 6.

Religiosis quænam negotiatio prohibetur sub gravi? 2. 7. 8. V. *Clericis*.

Renunciatio hæreditatis non subsistit, nisi juramento firmetur. 10. 5. 1. Quid si fiat in præjudicium aliorum? 10. 5. 2. Quid de renunciatione ante ingressum in Religionem? 10. 5. 4. Renunciatio hæreditatis non se extendit ad feudalia, nec ad alimenta. 10. 5. 2.

Restituendane sint, quæ sunt acquisita vi contractus per metum levem injuste incussum ad illum extorquendum celebrati, aut per metum reverentialem, vel per preces importunas? 1. 3. 11.

Restitutio in integrum competit Pupillo, & Minori absque licentia debita contrahentibus. 1. 5. 3., & 1. 7. 2. Probabiliter isti possunt non solvere, quæ per tales contractus debent, si per institutionem in integrum ea repetere possunt. 1. 5. 4. Quid ferat restitutio in integrum? 1. 7. 1. Quibusnam universim ea competat? 1. 7. 3. Quomodo possint Majores contrahendo cum Minoribus præcavere damnum restitutionis in integrum? 1. 7. 4.

Restitutionis onus supponit culpam Theologicam si oriatur ex injusta acceptione. 1. 6. 1. V. *Culpa juridica*.

Retractus jus, seu jus congrui quid ferat? 2. 6. 9.

S

SAcerdos, qui necessitate coactus duo Sacra promisit pro uno stipendio consueto, poteritne unum dumtaxat Sacrum facere? 7. 3. 7.

Societatis contractus quid ferat. 9. 3. 1. Multifariam celebrari potest. 9. 3. 2. Periculum sortis penes quem sit? ib. Quid requiritur, ut Societas fiat ad caput salvum? 9. 3. 3. Colonus ex societate non solum reportare debet pretium laboris, sed etiam lucrum consentaneum. 9. 3. 4. Quomodo lucrum dividendum? 9. 2. 5. Quomodo poterit Pharmacopolæ locari Apotheca cum vasis suis, & pharmacis, ita ut in fine anni totidem reddantur ejusdem valoris? 9. 3. 8. Sixtus quintus quem societatis contractum declaravit usurarium? 9. 3. 9. Socius tenetur ad restitutionem damni secuti ex culpa levi juridica, gravi tamen Theologica. 9. 3. 10.

Societatis Jesu domus Professa capax est hæreditatis, quamvis illius capax non sit Conventus Fratrum Minorum. 10. 4. 4. Candidati Societatis si ante ingressum renuncient sua bona, & non juxta Tridentinum, num valide renuncient? 10. 5. 6. Tridentinum irritans renunciationes factas ante ingressum in Religionem nihil innovavit circa institutum Societatis. 10. 5. 5. Qui a Societate dimittitur, non potest repetere, quæ illi donavit. 10. 5. 7.

Solemnitates substantiales juris, si deficiant, reddunt contractum irritum in foro externo; & probabiliter etiam in foro interno. 1. 3. 13. Testamentum tamen hujusmodi solum pro foro externo est irritum. ibid. Num sint restituenda, quæ per contractum gratiosum sine solemnitatibus juris accepta sunt. 1. 3. 14. Quid de legatis in testamento minus solemni relictis? ibid.

Sponsalium contractus non obligat, si notabilis mutatio superveniat, aut de novo appareat. 1. 3. 5.
Subhastatio quid sit, & quodnam rerum pretium in ea? 2. 3. 3. Quid si ficti licitatores apponantur? 2. 4. 4.
Substitutio in hæreditate est multiplex. 10. 7. 1. Pupillaris quænam sit? Quænam Exemplaris? Quænam Fideicommissaria? Quænam Mixta reciproca? Quænam Compendiosa? 10. 7. 2.

T

Testamentum quid sit: & in quo differat a Codicillo? 10. 1. 1. Quomodo differat scriptum, seu clausum a Nuncupativo? 10. 1. 3. Quinam testes requirantur? 10. 1. 4. Quid si testator per nutus, aut per schedulam velit testamentum conficere? 10. 1. 6. Pactum inter duos de reciproca hæreditatis successione valet tanquam duo utriusque testamenta revocabilia, non tanquam mutua donatio irrevocabilis. 10. 1. 7.
Testamenta privilegiata sunt plura. 10. 2. 1. Si fiat ad pias causas testamentum, non requirit solemnitates juris civilis. 10. 2. 2. Parochus cum alio teste satis est ad testamentum etiam in favorem propriæ Ecclesiæ. 10. 2. 4. Per testamentum ad pias causas revocatur aliud ad causas non pias, & probabiliter etiam subsequens. 10. 2. 5. Testamentum ad causas profanas sine solemnitate juris valet quoad legata pia, & si sit ad causas pias, valet quoad legata profana. 10. 2. 5. Ad causas pias quilibet testari potest; & si quis committat dispositioni alterius sua bona, hic debet ad causas pias ea distribuere. 10. 2. 6. Quid de testamento, quod fit tempore pestis, aut a milite in bellica expeditione, vel in Castris, aut coram Principe, aut coram Parentibus, aut in villis? 10. 2. 8.
Testamentum deficientibus juris solemnitatibus solum pro foro externo est irritum. 1. 3. 13. Legata in testamento minus solemni relicta num sint solvenda? 1. 3. 14. Testamentum, & Legatum, si fiant per metum gravem incussum ad ea extorquenda, jure positivo sunt irrita; sicut etiam donatio, sponsalia, renunciatio Beneficii, & similia. 1. 3. 10. Num sit validum testamentum in foro conscientiæ celebratum cum solis requisitis jure naturæ necessariis? 1. 3. 13. In ultimis voluntatibus conditiones impossibiles habentur pro non adjectis saltem pro foro externo. 1. 8. 11.
Testamentum illorum, qui vota simplicia in Societate Jesu emiserunt sine licentia Superioris, num sit etiam invalidum? 10. 3. 4.
Testamentum quomodo revocari possit? 10. 3. 5. Quomodo posterius possit revocare prius, in quo sit clausula invalidativa posterioris? 10. 3. 6. Quid si quis juraverit se non revocaturum testamentum? 10. 3. 7. V. *Hæredes*, V. *Codicillus*.
Testari quinam possint? Quinam vetentur condere testamentum? 10. 3. 1. Quid de Beneficiariis? Quid de Religiosis? 10. 3. 3.
Trebellianica. V. *Falcidia*. Vi substitutionis indirectæ fideicommissariæ num possit detrahi quarta Trebellianica? 10. 4. 2.
Tutori debentur expensæ a pupillo: Salarium tamen ille recipere non potest, nisi a judice constituatur. 9. 5. 5.

V

Venditio. V. *Emptio*. Quinam defectus rei, quæ venditur, detegendi sunt? 2. 5. 2. Quando etiam ab emente valor rei ignoratus a venditore detegendus est? 2. 5. 4. Rei venditæ fructus pendentes ad quem spectant, quando pretium non est solutum? 2. 6. 2. Quid si contractus venditionis post annum rescindatur? 2. 6. 5. Quid si rescindatur ob pactum addictionis in diem, vel legis commissoriæ? 2. 6. 8. Aut si rescindatur jure Retractus, seu jure congrui? 2. 6. 9. Res vendita si sit determinata, cuinam perit, aut deterior, vel melior fit ante traditionem pretii? 3. 7. 2. Quid si sit indeterminata? 3. 7. 3. Aliter dicendum si res vendatur ad corpus, ac si vendatur ad mensuram. 3. 7. 4.
Votum simplex emissum per dolum circa causam finalem est irritum; non tamen votum solemne; sicut nec matrimonium. 1. 3. 9.
Votum simplex metu extortum ex traditione Ecclesiæ non indiget dispensatione, ut non servetur; Juramentum vero sic extortum indiget relaxatione. 1. 4. 6. Regulares privilegiarii, qui possunt vota jurata commutare, non eatenus possunt relaxare juramenta superaddita contractui metu injusto extorta. 1. 4. 8.
Usura est lucrum immediate proveniens ex Mutuo. 3. 2. 1. Pactum solvendi aliquid ex gratitudine propter mutuum est usurarium. ib. Num possit in pactum deduci amicitia propter mutuum? 3. 2. 4. Num liceat excitare mutuatarium ad aliquid liberaliter donandum? 3. 2. 5. Quid si dubites, an Mutuatarius aliquid donet liberaliter? 3. 2. 6. Num liceat mutuare cum spe, & intentione lucri citra pactum? 3. 2. 3. Num possit Mutuatario imponi onus ponendi id, quod debet ponere ex charitate? 3. 3. 2. Quid si quis mutuet cum pacto, quod alter remutuet? Aut quod ad suam scholam, seu molendinum veniat? 3. 3. 4.
Usura probabiliter non est vendere merces pretio justo summo ad creditum, quæ pretio infimo darentur pecunia numerata. 3. 5. 5. Quid si mutuetur triticum vetus cum pacto, quod restituatur novum? 3. 3. 7. Quid requiritur, ut possit mutuans pacisci de compensando lucro cessante ob dilationem mutui? 3. 4. 3. Num debeat mutuatarius moneri, ut teneatur damnum emergens compensare? 3. 4. 2. Spes lucri cessantis quanti æstimanda est; sicut etiam periculum proximum amittendi sortem? 3. 4. 4. Pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus nihil accipi potest. 3. 4. 6.
Usurariusne sit contractus Trium, aut emptio Census utrinque redimibilis; aut venditio rei fructiferæ cum pacto retrovenditionis, & locatione ejusdem eidem venditori? 3. 4. 8. Quid de contractu *Godere a Godere*? 3. 4. 9. Num possit pœna imponi Mutuatario, si non solvat præfixo tempore? 3. 4. 10. Quid de pœna legis Commissoriæ? 3. 4. 11. Fructus pignoris num debeant computari in extinctionem sortis? 3. 4. 12. Quid de Montibus pietatis præsertim Mixtis? ib. Celebrans bona fide contractum usurarium poteritne reportare lucrum, quod ex contractu licito reportasset? 3. 4. 13. Qui dubitat, an contractum licitum celebraverit, poteritne lucrum retinere? 3. 4. 14.
Usurarius non acquirit dominium rerum, quæ in individuo ob mutuum accepit. 3. 5. 1. Quid si eas vendiderit? ib. Quid si cum propriis miscuerit, nec possint discerni? 3. 5. 2. Tanquam fur tenetur fructus naturales, & mixtos, non vero industriales restituere. 3. 5. 3. Tenentur etiam, qui cooperati sunt ad usuram ex parte mutuantis, non vero ex parte Mutuatarii. 3. 5. 4. Sex pœnis a jure mulctantur Usurarii manifesti. 3. 5. 5. Num peccet, qui petit mutuum ab Usurario ad usus vanos? 3. 5. 8. Punitio hujus delicti num spectet etiam ad Judicem sæcularem? 3. 5. 6.
Uxor, quæ sine dote nupsit, quando succedit in quarta parte bonorum mariti? Et quando maritus pauper in quarta parte bonorum uxoris? 10. 4. 6. Conjux transiens ad secundas nuptias quid restituere teneatur? 10. 4. 7.
Uxor sine mariti licentia num possit contrahere? 1. 5. 6.

F I N I S.

R. P. DOMINICI VIVÆ
SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de SACRAMENTIS,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus suis Auditoribus traditum in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis.

PARS QUINTA
DE SACRAMENTIS IN GENERE, AC IN SPECIE

De Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Extrema Unctione, & Ordine.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
Qui in hoc Tractatu
DE SACRAMENTIS
Continentur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Sacramentum, tam antiquæ Legis, quam novæ?* 2
II. *De necessitate Sacramentorum.* 5
III. *De Materia, & Forma Sacramentorum.* 6
IV. *De Causa efficiente Sacramentorum.* 11
V. *De primario effectu Sacramenti, qui est Gratia.* 22
VI. *De secundario Sacramentorum effectu, qui est Character.* 28
VII. *De suscipiente Sacramentum.* 29
VIII. *De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus.* 34

QUÆSTIO II.

De Baptismo. 37

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Baptismus?* ibid.
II. *De Institutione, & necessitate Baptismi.* 39
III. *De Materia Baptismi.* 41
IV. *De Forma Baptismi.* 42
V. *De Baptismi Ministro.* 44
VI. *De Subjecto Baptismi.* 45
VII. *De Effectibus, & Ritibus Baptismi.* 48

QUÆSTIO III.

De Confirmatione. 50

ART. I. *De Materia, & Forma Confirmationis.* ibid.
II. *De Ministro, & subjecto Confirmationis.* 53
III. *De Effectibus, & Ritibus hujus Sacramenti.* 59

QUÆSTIO IV.

De Eucharistia ut Sacramento. 60

ART. I. *Quid, & quotuplex sit, & quando institutum Eucharistiæ Sacramentum.* ibid.
II. *De necessitate Eucharistiæ, & obligatione illam sumendi.* 64
III. *De Eucharistiæ materia.* 69
IV. *De forma Sacramenti Eucharistici.* 74
V. *De Effectibus Sacramenti Eucharistici.* 78
VI. *De suscipiente Eucharistiam. Quinam sit illius capax?* 82
VII. *De Dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita.* 84

VIII.

VIII. *De Dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita.* 87
IX. *De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus.* 94
X. *De Ministro Eucharistiæ.* 96

QUÆSTIO V.

De Eucharistia ut Sacrificio. 102

ART. I. *Quid sit Missæ Sacrificium?* 103
II. *Quænam sint partes essentiales nostri Sacrificii? Quænam res oblata, & quis sit Offerens?* 104
III. *De Effectibus hujus Sacrificii; Ubi an sit valoris infiniti?* 106
IV. *A quibus, & quomodo hujus Sacrificii fructus participari possint?* 110
V. *De Ministro hujus Sacrificii.* 113
VI. *De tempore, loco, & aliis circumstantiis Sacrificii.* 123
VII. *De ritu in celebratione servando.* 133
VIII. *De Missæ Stipendio* 138

QUÆSTIO VI.

De Extrema Unctione. 210

ART. I. *De Materia, & Forma Extremæ Unctionis.* 211
II. *De Ministro hujus Sacramenti.* 213
III. *De Subjecto Extremæ Unctionis.* 214
IV. *De Effectibus Extremæ Unctionis.* 215

QUÆSTIO VII.

De Sacramento Ordinis. 217

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Ordo?* ibid.
II. *De Materia, & Forma singulorum Ordinum.* 220
III. *De Ministro Ordinum.* 223
IV. *De Subjecto Ordinum.* 235
V. *De Effectibus Ordinum.* 238

CUR-

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad uſum Tyronum elucubratus.

DE SACRAMENTIS

PARS QUINTA.

PROŒMIUM.

SAcramentum , ut notat Bellarmin. , idem ſonat , ac Myſterium ; & in Sacris Bibliis trifariam ſumitur ; Primo ſcilicet pro re arcana , & occulta ; ut cum dicitur prim. ad Cor. 13. *Si noverim myſteria omnia*, & Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei* . Secundo pro ſigno rei arcanæ , ut cum Apoſt. prim. ad Epheſ. conjugum Protoparentum vocavit *Sacramentum magnum* , eo quod ſit ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia ſua ſponſa , ſicut etiam cum dicitur Daniel. 2. *Mihi Sacramentum hoc revelatum eſt* , videlicet quid ſtatua Nabuchodonoſor ſignificet . Tertio ad rem noſtram ſumitur peo Cæremonia ſacra , ſeu pro ſigno rei ſacræ, & occultæ, non cujuſcumque , ſed per quam homo ſacratur, & initiatur Deo. Nos de Sacramentis in hac acceptione acturi , miſſis iis, quæ in Scholaſtica Theologia abunde diximus, ad ſpeculationem potius, quam ad praxim pertinentibus; Primo agemus de Sacramentis in genere ; Secundo in ſpecie de Sacramento Baptiſmi ; Tertio de Confirmatione ; Quarto de Euchariſtia , inquantum Sacramentum eſt . Quinto de Euchariſtia , inquantum! eſt ſacrificium . Sexto de Extrema Unctione . Septimo de Ordine . Nam tam Sacramento Pœnitentiæ, quam Matrimonii ſolidus deinde annuus tractatus aſſignabitur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

DIſcutiemus primo, Quid , & quotuplex ſit Sacramentum, tam in veteri , quam in nova lege? Secundo agemus de Sacramentorum neceſſitate. Tertio de eorum materia, & forma. Quarto de cauſa efficiente Sacramentorum , & de conditionibus ad illam requiſitis. Quinto de primario illorum effectu, qui eſt gratia. Sexto de Charactere, qui eſt effectus ſecundarius . Septimo de ſuſcipiente , ſeu de ſubjecto Sacramentorum . Octavo de reliquis ad Sacramenta in genere ſpectantibus, videlicet de Ritu, & Cæremoniis, quibus miniſtrari debeant Sacramenta ; necnon de eorum numero, ordine, ac differentia a Sacramentalibus.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Sacramentum tam antiquæ Legis, quam novæ?

I. Sacramenti definitio explicatur.
II. Differt Sacramentum a Sacramentalibus, & a Sacrificio.
III. Tripliciter est signum, Rememorative, Demonstrative, & Prognostice.
IV. In statu naturæ innocentis nulla fuerunt Sacramenta; fuerunt tamen in statu naturæ lapsæ.
V. De Sacramentis in statu legis scriptæ.
VI. In quibus differant Sacramenta legis veteris a Sacramentis novæ legis?
VII. Quonam pacto Circumcisio gratiam contulerit?
VIII. Reliqua veteris legis Sacramenta Sanctitatem dumtaxat legalem conferebant.

I. SAcramentum juxta communem definitionem, est *visibile signum gratiæ invisibilis ad homines sanctificandos divinitus institutum*. Dicitur *signum visibile*, seu sensibile; cum enim institutum sit a Deo ad homines sanctificandos, debuit esse signum sensibile, ut iis conformetur. Dicitur *gratiæ invisibilis*, quia non omne signum sacrum est Sacramentum, nisi significet aliquatenus perfectionem Sanctitatis humanæ, quæ est gratia sanctificans. Dicitur *ad homines sanctificandos*, quia signum hoc debet esse practicum, ita ut efficiat gratiam, quam significat, & significet gratiam, quam efficit. Dicitur *divinitus institutum*, quia solus Deus potest esse Author gratiæ. Hæc tamen institutio debet esse stabilis; & ideo Linguæ igneæ, quæ die Pentecostes apparuerunt, & Insufflatio Christi in Apostolos Joan. 20., & verba Christi ad Paralyticum Matth. 9. *Remittuntur tibi peccata tua*, licet fuerint signa gratiæ, non fuerunt proprie Sacramenta, quia non fuerunt stabilia. Aliis verbis definiri solet Sacramentum, quod sit *Res sensibilis ex institutione Christi, habens vim sanctitatis, seu gratiæ efficiendæ simul, & significandæ*.

II. Hinc patet differre Sacramenta a Sacramentalibus, quia scilicet Sacramentalia, v. g. usus aquæ benedictæ, tunsio pectoris, &c., ab Ecclesia, non a Deo instituta sunt, nec causant ullo pacto ex opere operato gratiam, sed solum vi orationum ab Ecclesia fusarum in benedictione aquæ, vel vi meritorum Ecclesiæ instituentis sacramentalia, excitant in anima pios motus, quibus movetur Deus ad remissionem venialium, & ad gratiam augendam; unde in Sacramentalibus gratia sanctificans non causatur ex opere operato, seu vi institutionis divinæ, ut causatur in Sacramentis, sed ex opere operantis, seu vi actuum elicitorum a suscipientibus illa, ut explicabimus articulo ultimo hujus quæstionis. Differt etiam Sacramentum a Sacrificio, quia Sacrificium de sua ratione non est institutum ad sanctificandos homines, sed adpeculiarem cultum exhibendum erga divinam excellentiam, ac in protestationem divini dominii in omnia, & præsertim supra vitam, & mortem nostram; Quamvis fieri possit, ut idem sit Sacrificium, & Sacramentum, ut de facto contingit in Sacrificio novæ legis, cujus hostia ita est Sacrificium, seu oblatio externa facta Deo a Sacerdote in protestationem supremi sui dominii in vitam, & necem, ut simul sit verum Sacramentum conferens gratiam.

III. Rogabis, quonam pacto Sacramentum sit signum?

Respondeo certum esse ex Aug. lib. 2. de doctrina christiana cap. 1. signum esse id, *quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire;* & ideo fumus dicitur signum naturale ignis, ramus viridis in taberna est signum, quod ibi vinum vendatur. Quodvis autem Sacramentum est hujusmodi, quia Baptismus, verbi gratia, præter ablutionem externam, quæ oculis videtur, indicat ablutionem internam sordium; Confirmatio præter unctionem olei, indicat robur, quod ab ejus gratia accipitur ad fidem tuendam; Eucharistia refectionem spiritualem, &c. Notant tamen Tolet., Coninck., & alii, Sacramentum esse signum tripliciter; Primo rememorative, quatenus rememorat passionem Christi; Secundo demonstrative, demonstrando gratiam, quam confert. Tertio prognostice, quatenus prognosticat gloriam.

Porro certum est ex Trid. Sacramenta novæ legis esse septem. Etenim, ut advertit D. Thom. 3. p. qu. 65. art. 1., cum homo in vita corporali primo generetur; secundo nutriatur; tertio augeatur; quarto curetur ab infirmitate, si qua laborat; quinto, si opus fuerit, armetur ad prælium in sui defensionem; sexto constituatur in dignitate ad gubernandos homines; septimo navet operam propagationi humanæ ad Rempublicam conservandam; ideo congruenter in vita spirituali primo regeneratur per Baptismum; secundo nutritur, ac roboratur per Confirmationem; tertio crescit, & augetur per Eucharistiam; quarto curatur a morbis per Pœnitentiam; quinto armatur ad prælium mortis per extremam Unctionem; sexto constituitur per Ordinem in statu honorifico; septimo licite intendit propagationi per Matrimonium. Baptismus autem dicitur janua reliquorum Sacramentorum, quia sine illo invalide reliqua suscipiuntur.

IV. Quæritur nunc primo, An, & quæ Sacramenta fuerint ante legem evangelicam?

Respondeo, ante legem evangelicam triplicem assignari statum: Primus dicitur status inno-

nocentiæ, in quo creatus fuit Adam cum Justitia originali: Secundus dicitur status naturæ, qui duravit usque ad Abraham, ut mox dicam; Tertius dicitur status legis scriptæ, qui duravit usque ad Christum Dominum. His positis.

Dico primo; In statu innocentiæ nulla fuerunt Sacramenta. Ita communiter. Et ratio est, tum quia non constat ea fuisse, tum etiam, quia in eo statu fuissent superflua; quandoquidem Justitia originalis sufficienter præstabat, quod præstitissent Sacramenta.

Neque dicas in eo statu fuisse Matrimonium; quod ab Apostolo ad Ephes. 5. vocatur Sacramentum. Nam non dicitur fuisse Sacramentum stricte sumptum, seu signum sacrum significans, & conferens gratiam, sed fuit sacramentum, hoc est mysterium, & figura Incarnationis; Sicut etiam lignum vitæ dictum fuit ab August. Sacramentum. Utrum autem perseverante statu innocentiæ futura fuissent Sacramenta ad majorem animi perfectionem? Suar. disp. 3. cap. 3. putat incertum esse. Nam cum esset homo plene Deo subjectus, & pars inferior superiori, facili animi motu poterat internam perfectionem conservare, & augere. Si tamen homo creatus fuisset in puris naturalibus sine justitia originali, congruum fuisset sacramenta instituere ad majorem animi perfectionem; sicut congruum fuit ea instituere in statu naturæ lapsæ etiam in remedium peccati.

Dico secundo; In statu naturæ post lapsum Adæ fuerunt aliqua Sacramenta. Ita communiter: Et ratio est, quia non est credibile Deum reliquisse homines sine remedio, quo potuissent salvari. Hoc autem remedium erant Sacramenta, quæ fuerunt saltem duo; Primum in remedium peccati originalis pro parvulis, per quod justificabantur; consistebatque in protestatione externa facta a parentibus, quod homines per Christi adventum essent salvandi; ideo enim parvuli dicebantur salvari in fide parentum, quia non poterant sibi remedium hoc applicare. Ita August., Beda, & Doctores communiter apud Suar. August. lib. 1. ad Julianum cap. 9. hæc habet: *Neque ideo credendum est ante datam circumcisionem famulos Dei (quandoquidem eis inerat fides Mediatoris in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quod illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit*. Secundum erat pro Adultis in remedium peccati actualis, & congruenter dicitur fuisse Sacrificium; quod scilicet sacramentum erat, & sacrificium: quatenus enim per illud Deus colebatur, tamquam vitæ, & mortis Dominus, dicebatur Sacrificium; quatenus vero per illud remittebantur peccata in virtute Christi venturi, dicebatur Sacramentum: Et hac de causa Job offerebat sacrificia pro peccatis filiorum.

Ubi notandum, Statum naturæ appellari totum illud tempus, quo homines ad salutem dirigebantur sola ratione per præcepta naturalia, adjuti tamen supernaturali lumine, & gratia; hoc autem tempus duravit ad bis mille annos usque ad Abraham, quando Deus cœpit per præcepta positiva homines ad salutem dirigere: Et ideo dicitur in Abraham fuisse inchoatio legis scriptæ, quia tunc inchoarunt præcepta positiva, præsertim Circumcisionis.

V. Dico tertio; In statu legis scriptæ fuerunt plura Sacramenta: videlicet, Circumcisio, Agnus paschalis, Consecratio sacerdotis, Lustrationes quædam ab immunditiis legalibus, atque expiationes a peccatis externis, de quibus D. Th. 1. 2. quæst. 102. art. 5. Circumcisioni deinde successit Baptismus; Agno paschali, Oblationibus, Victimis, Panibus propositionis, Levit. 23. successit Eucharistia; Purificationibus variis Levit. 4. 5. 11. 12. 16. & Num. 19. successit Pœnitentia; Consecrationi Pontificis, & sacerdotis Exod. 19. successit sacramentum Ordinis. Confirmatio est proprium Sacramentum novæ legis, quia est Sacramentum plenitudinis gratiæ; sicut etiam extrema unctio, quæ est immediata præparatio ad introitum gloriæ. Matrimonium in lege veteri non erat sacramentum, quia nondum facta erat unio inter naturam humanam, & Verbum, cujus hoc sacramentum est figura. Ubi etiam notandum, Circumcisionem institutam a Deo fuisse, & traditam Abrahæ quadringentis circiter annis ante legem scriptam traditam Moysi in tabulis lapideis: Principaliter autem fuit instituta, ut filii Abraham, populus ab ipso electus, hac protestatione in Christum venturum, a reliquis populis discernerentur: Secundario vero ut esset in remedium peccati, sicut nunc est Baptismus. In ea autem corporis parte fiebat Circumcisio ex D. Th. primo ad ostendendum Christum nasciturum ex semine Abraham; secundo, quia, circumcisio erat instituta ad remittendum originale peccatum, quod per generationem transmittitur in posteros: Tertio quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in ea parte urget; Pro fœminis autem, & pro pueris, qui ante octavum diem, quo debebant circumcidi, fuissent in mortis periculo, perseverabat ex D. Th. quæst. 70. art. 4. cap. 3. remedium naturæ.

VI. Quæritur secundo, An sacramenta legis veteris fuerint vere sacramenta? Et in quibus differant a sacramentis novæ legis?

Respondeo certum esse, quod fuerint vera sacramenta; tum quia ex Bellar. lib. 2. cap. 3. iis bene aptatur definitio supra tradita sacramenti; tum etiam, quia Trident. docet sacramenta novæ legis multum differre a

sacramentis veteris legis: Quare Concilium videtur supponere illa esse proprie sacramenta; quod etiam docet August. dum nova antiquis sacramentis præfert, dicendo lib. 19. contra Faustum cap. 13. Sacramenta novæ legis esse *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, significatione præstantissima;* Propterea antiquæ legis sacramenta differunt a nostris; Primo, quia illa fuerunt difficiliora, ut patet in Circumcisione; Secundo, quia fuerunt umbræ nostrorum sacramentorum; Tertio, quia non conferebant gratiam ex opere operato, seu tamquam actiones Christi Domini, sed erant tantum conditiones requisitæ, quibus positis, Deus intuitu meritorum Christi gratiam conferebat; & ideo ab Apost. ad Galat. vocantur *Elementa egena & infirma*: Quarto, quia non introducebant ad gloriam, sicut nunc Baptismus; nondum enim erat aperta janua cœlorum per Christi passionem; Quinto, quia non habebant determinatam formam verborum, cum ea assignari non possit; Sexto, quia non faciebant ex attrito contritum, sed prærequirebant contritionem in Adultis, ut conferretur deinde gratia sacramentalis: Quamvis D. Th. & Henriq. cum Suar. & Coninc. apud Bonac. putent, Circumcisionem contulisse gratiam adultis cum sola attritione, & in eo tantum Baptismum præstare Circumcisioni, quod ille conferat gratiam majorem, & quod conferat etiam Characterem; sicut etiam quod remittat pœnam omnem etiam temporalem; non vero in eo, quod ad Baptismum possit præcedere attritio, ad Circumcisionem debuisset præcedere contritio.

VII. Dubium est, An Circumcisio contulerit gratiam ad modum operis operati?

Respondeo, Bonac. putare non esse improbabile, quod saltem Circumcisio conferret gratiam parvulis ad modum operis operati; quia illud dicitur conferre gratiam ex opere operato, quod ex vi suæ institutionis confert gratiam citra meritum, & dispositionem suscipientis; sed Circumcisio causabat gratiam, eo quod peccatum originale deleret; nec respiciebat meritum, & dispositionem suscipientis in parvulis, quippe qui nullatenus poterant ad illud se disponere per amorem Dei, aut per contritionem, (juxta varias opiniones in hac materia) ut adulti; ergo causabat gratiam ad modum operis operati: Et eadem est ratio de Sacramento deletivo peccati originalis parvulis in lege naturæ.

Sed communius negant Sacramenta veteris legis causasse ullatenus gratiam ex opere operato; quia Apost. ad Gal. 4. Circumcisionem, & alias cæremonias legales vocat *Elementa egena, & infirma*, eo quod ex se, seu ex opere operato non habeant vim justificandi: Et ad Gal. 6. dicit: *Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*, idest gratia justificans per fidem.

Confirmatur, quia in Florentin. apud Layman hic dicuntur Sacramenta novę legis multum differre a Sacramentis legis antiquæ, quia hæc non causabant gratiam, sed illam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; illa vero & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Unde fit, Sacramenta antiqua juxta multorum sententiam apud Layman tantum ex opera operantis gratiam contulisse, puta ex fide in Christum venturum, vel dilectione Dei super omnia, vel contritione elicita, aut ab adultis, qui ea Sacramenta suscipiebant, aut a parentibus, quando conferebatur Sacramentum parvulis.

Equidem tamen existimo dici debere, quod Sacramenta novæ legis causent gratiam ex opere operato, quatenus sunt actiones Christi Domini, quæ possunt de se illam causare moraliter, & meritorie. Nam nomine Christi Domini Minister Sacramentorum dicit, *Ego te baptizo, Ego te absolvo* &c. & ideo vi sua hæc Sacramenta causant gratiam: Contra vero Sacramenta veteris legis non ita gratiam conferebant; cum non essent actiones Christi Domini, sed positis illis cæremoniis, tanquam conditionibus, conferebant gratiam intuitu meritorum Christi; quod re vera non est causare gratiam ex opere operato, seu vi ipsorum Sacramentorum, in quantum actionum Christi Domini, neque ex opere operantis, seu vi actuum elicitorum a suscipiente, vel ministrante Sacramentum, sed ex vi promissionis Dei de conferendo gratiam intuitu meritorum Christi. Et in hoc sensu Doctores primæ sententiæ docent, Sacramenta veteris legis non causare gratiam ex opere operato, sed ad modum operis operati, quia non ex opere operantis, seu ex fide in Christum elicita a parentibus, quæ gratiam meretur parvulis; neque ex opere operato, hoc est vi talis actionis, tamquam a Christo elicitæ, quæ gratiam mereretur; sed ad modum operis operati, quatenus posita fide parentum, & circumcisione parvuli, tamquam conditionibus, Deus gratiam promissam conferebat intuitu meritorum Christi Domini.

VIII. Dubitatur, Utrum reliqua Sacramenta veteris legis (dempta Circumcisione, quæ tollebat originale a parvulis sine ullo actu proprio) conferrent tantum Sanctitatem legalem, (quæ consistebat in munditia quadam corporis, & remotione alicujus irregularitatis secundum legem, ut loquitur Vasq. disp. 128. cap. 5.) an vero posita cæremonia illa sacra, & dilectione Dei, vel contritionem, tamquam conditione, conferrent gratiam sanctificantem?

Doctores communiter cum Coninck quæst. 62. art.

art. 6. docent, Sanctitatem solum legalem contulisse. Ratio est, quia in decreto Eugenii IV. ad Græcos, quod habetur post ultimam Sessionem Concilii Florentini, dicitur, quod sacramenta illa non causabant gratiam, sed eam dandam esse per passionem Christi figurabant: Quare in Circumcisione solum parvulis independenter a proprio actu gratia conferebatur ex divina providentia, & liberalitate posito Sacramento: idque ob extremam parvulorum indigentiam, qui propriis actibus salvari non poterant; necnon propter Christi merita, quippe qui omnium Salvator constitutus, quantum in se erat, omnium hominum generi sufficientia salutis remedia provideret. Cum hoc tamen stat, quod docent communiter Patres apud Bellar. lib. 2. de Sacram. cap. 2. nulla Sacramenta vetera contulisse gratiam, videlicet ex vi sua, quia quando conferebant gratiam adultis, id fiebat ex opere operantis; quando vero parvulis, id fiebat ex singulari privilegio non Sacramenti, sed parvulorum.

ARTICULUS II.

De Necessitate Sacramentorum.

I. Sacramentorum institutio non fuit necessaria simpliciter, sed secundum quid.
II. Sacramenta alia sunt necessaria necessitate medii, alia vero necessitate præcepti.
III. Eucharistiæ Sacramentum non est necessarium necessitate medii.

I. QUæritur primo, an fuerit absolute necessaria Sacramentorum institutio?

Respondeo, Ad humanam salutem non fuisse simpliciter necessaria Sacramenta, cum potuerit Deus multis aliis modis gratiam hominibus conferre, & eorum salutem operari; fuerunt tamen necessaria secundum quid, hoc est considerata natura hominum, præscindendo ab omni statu, quatenus communiter per hæc media salvantur. Ratio D. Th. est, quia ad divinam providentiam spectat, ut cuilibet rei provideat secundum modum suæ conditionis; proprium autem hominum est, ut per corporalia, & sensibilia ad spiritualia, & insensibilia deducantur; ergo congruum fuit, ut divina providentia conferret homini auxilia salutis per signa sensibilia, quæ dicuntur Sacramenta.

Quamvis autem, ut supra diximus, non fuerunt illa necessaria in statu innocentiæ; tum quia in illo statu Protoparentes per brevissimum tempus perdurarunt; tum etiam quia perfectissimam habuerunt cognitionem rerum supernaturalium, gratiam, & justitiam, & subordinationem partis inferioris superiori; unde non debuit animus subjici rebus sensibilibus, ut ab iis scientiam, & gratiam mendicaret: In statu tamen naturæ, Legis scriptæ, & Evangelicæ sua debuerunt esse Sacramenta, prout de facto fuerunt. Unde Innoc. III. in cap. *Majores* de Baptismo, cum dixisset Baptismum nunc prodesse infantibus, sicut prius proderat Circumcisio, subdit rationem generalem, quæ militat etiam pro remedio in statu naturæ, dicens: *Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.*

Neque dicas infantes, qui moriuntur nunc in utero matris, nullum habere remedium ad deletionem peccati originalis; unde moriuntur sine spe salutis; ergo si de facto id contingit in lege Evangelica, a fortiori poterat id contingere omnibus infantibus in lege naturæ.

Nam respondeo, duplicem esse in hac re sententiam. Prima est, quod Deus ob justissimos fines, præsertim ad manifestandam divinam justitiam, voluerit his parvulis denegare remedium, quod dici non potest de omnibus hominibus in statu naturæ; quia non erat consonum summæ suæ misericordiæ, quod omnes per tot sæcula carerent omni remedio. Secunda sententia docet, Deum etiam parvulis, qui nunc decedunt in utero matris, providisse de remedio sufficienti ad deletionem peccati originalis; Cum enim voluerit omnes homines salvos fieri, voluit etiam his infantibus remedium afferre; quod tamen a parentibus applicandum esset. Quoniam autem aliquando parentes ob propriam culpam iis operationibus vacant, cum quibus annectitur mors parvulorum ante susceptionem Baptismi: (verbi gratia, cum mater vult saltare, abortum patitur, dum vadit ad fenestram, de cœlo tangitur) ideo nil mirum, quod aliquibus infantibus remedium non applicatur, non ex defectu voluntatis divinæ, sed ex culpa parentum. Dici etiam potest, quod Deus nullum reliquerit sine sufficienti remedio in omni lege, & statu; per accidens tamen eveniat, ut infantibus in utero matris decedentibus non applicetur independenter a culpa parentum, quia Deus tamquam causa, & legislator universalis, non tenetur cavere ea, quæ per accidens sunt, nec impedire cursum rerum naturalium; satis enim est, quod disposuerit ita causas naturales, ut possit quilibet ex utero materno prodire, & remedium ad originale suscipere. Sed hac de re fusius diximus in expositione quartæ Thesis ab Alex. VIII. confixe in Trutina Thesium damnatarum, necnon in Trutina Antiquesnelliana exponendo, ac rejectando trigesimam Quesnelli Thesim, sicut etiam in Cursu Theologico disp. p. de Gratia quæst. 5. ubi idipsum Scholastice discutitur.

II. Quæ-

II. Quæritur secundo, Quænam Sacramenta sint necessaria ad salutem necessitate medii; quænam vero necessitate præcepti?

Respondeo, necessarium ad salutem necessitate medii dici illud, sine quo salus obtineri non potest, sive vincibiliter, sive invincibiliter omittatur, ut est, verbi gratia, Baptismus sive fluminis, sive flaminis, sive sanguinis; sine aliquo enim ex his Baptismis nullatenus potest salus obtineri: Sic omnibus est necessaria gratia ad salutem, & adultis necessaria est fides in Deum Remuneratorem. Necessarium vero ad salutem necessitate præcepti dicitur, quod ex obligatione præcepti debet poni, ita tamen, ut si aliquando invincibiliter, aut ex impotentia, atque adeo sine peccato, omittatur, non eatenus impediatur, quominus salus obtineri possit: Sic est necessaria susceptio Eucharistiæ necessitate præcepti: Est etiam necessaria necessitate præcepti Confessio mortalium; si quis enim non habens copiam Confessarii moritur cum sola contritione, & voto Sacramenti pœnitentiæ, adhuc salutem consequitur. His positis.

Dico, omnibus esse necessarium ad salutem necessitate medii Baptismum; adultis vero post mortale necessarium etiam esse necessitate medii Sacramentum pœnitentiæ vel in re, vel in voto susceptum, videlicet in contritione, vel in amore Dei super omnia, in quibus actibus implicite saltem continetur votum, seu desiderium suscipiendi hæc Sacramenta; Cum enim Deus horum Sacramentorum susceptionem præcipiat sub mortali, impossibile est, ut qui diligit Deum super omnia, nolit legem divinam implere; atque adeo implicite saltem vult suscipere Sacramenta, prout præcipiuntur. Demum pro tota communitate est etiam necessarium necessitate medii Sacramentum Ordinis: quomodo enim posset conferri Sacramentum pœnitentiæ sine Sacramento Ordinis in absolvente? Reliqua autem Sacramenta, si quam necessitatem habent, illa est dumtaxat præcepti.

III. Dices; Intantum contritio, & amor Dei super omnia dicuntur esse votum Sacramenti Baptismi in adulto Infideli, & votum Sacramenti pœnitentiæ in Fideli, qui mortaliter peccavit, inquantum impossibile est diligere Deum super omnia, vel conteri, & simul non proponere exequi omnia divina præcepta, inter quæ est præceptum de suscipiendo Sacramento Baptismi, & pœnitentiæ; atqui si hoc esset, eodem modo posset dici, quod Eucharistia, & restitutio sint necessaria necessitate medii vel in re, vel in voto, quia impossibile est, ut quis salutem consequatur, nisi saltem implicite in dilectione Dei super omnia proponat exequi omnia divina mandata, atque adeo suscipere Eucharistiam, & restituere ablatum: ergo vel non dicuntur necessaria necessitate medii Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, vel sunt etiam necessaria eadem necessitate Eucharistia, & restitutio.

Respondeo, diversimode contritionem, & amorem Dei super omnia esse votum Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ, ac sunt votum Sacramenti Eucharistiæ, & restitutionis: Sunt enim votum Baptismi, & Pœnitentiæ, tamquam medii per se instituti ad conferendam remissionem peccatorum, & gratiam Sacramentalem; & ideo contritio, & dilectio Dei super omnia vices gerunt illorum Sacramentorum, atque adeo justificant in supplementum illorum Sacramentorum, quorum sunt votum: Contra vero, votum Eucharistiæ, aut restitutionis non est votum alicujus medii per se instituti ad remissionem peccatorum; sed est votum illorum, tamquam removentium impedimenta salutis; impediretur enim de se salus ob omissionem Eucharistiæ, & restitutionis præceptæ; & ideo Eucharistia, & restitutio neque in re, neque in voto suscepta dicuntur esse necessaria ad salutem necessitate medii.

ARTICULUS III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

I. *Sacramentorum materia alia est proxima, alia remota.*

II. *Omnia Novæ legis Sacramenta constant rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma.*

III. *Moraliter dumtaxat concurrunt res, & verba ad Sacramenti constitutionem.*

IV. *Res, & verba, quæ Sacramenta Novæ legis constituunt, a Christo Domino determinata sunt, licet non eodem modo.*

V. *In Sacramento Matrimonii non mutavit Ecclesia materiam a Christo Domino institutam, neque contractum, sed solum leges contractus.*

VI. *Quomodo Apostoli baptizarent in nomine Jesu Christi?*

VII. *Solum mutatio essentialis materiæ, aut formæ Sacramentorum illa irritat.*

VIII. *Quænam variatio materiæ, aut formæ sit solum accidentalis?*

IX. *An conficiatur Sacramentum, si variatio sit accidentalis, & putetur esse essentialis?*

X. *Num intentio Ministri constituat Sacramentum, an solum sit requisitum essentiale?*

I. SAcramentorum essentia metaphysica consistit in eorumdem definitione; Essentia vero physica consistit in eorum materia, & forma; non secus ac homo metaphysice consideratus est Animal rationale, physice consideratus est compositum constans ex corpore, & anima rationali. Dicitur autem in omni composito habere rationem materiæ, quod se habet ut pars de-

determinabilis, indifferens, & imperfecta; habere vero rationem formæ, quod se habet ut pars determinativa, & perfectiva totius; Sic in homine corpus habet rationem materiæ, anima rationem formæ; in composito accidentali physico, verbi gratia albi, subjectum habet rationem materiæ, albedo rationem formæ; & in composito artificiali scamni, figura illa scamni habet rationem formæ; Et ideo in sacramento, verbi gratia Baptismi, communiter dicimus ablutionem aquæ habere rationem materiæ, & verba illa, *Ego te baptizo* rationem formæ. Quia tamen ablutio aquæ constat ex aqua, tanquam subjecto, & ex ablutione, tamquam forma, ideo in sacramento Baptismi aqua dicitur esse materia remota, ablutio vero materia proxima; sicut in scamno materia ligni dicitur esse materia remota scamni; & forma ligni dicitur esse materia proxima ejusdem scamni. Et eodem modo in Confirmatione materia remota est Chrisma benedictum, materia proxima est unctio per manum Episcopi: In Eucharistia materia remota est panis, & vinum, proxima vero est Corpus & sanguis Christi cum speciebus panis, & vini. In Pœnitentia materia remota sunt peccata commissa post Baptismum, proxima est Dolor, Confessio, & satisfactio. In extrema Unctione materia remota est oleum benedictum, proxima est unctio Infirmi. In Ordine materia remota sunt instrumenta, proxima vero est eorumdem traditio; & in quibusdam ordinibus sunt materia remota manus Episcopi, proxima illarum manuum impositio; denique in Matrimonio remota sunt corpora contrahentium, proxima eorum mutua traditio. His præjactis

II. Quæritur primo, An omnia sacramenta constent materia, & forma?

Respondeo, omnia sacramenta novæ legis constare rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma. Ita Florent. in decreto Eugen. IV. ubi dicuntur tribus perfici hæc Sacramenta, rebus, tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Unde est celebre illud Aug. effatum: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Sacramenta vero veteris legis non constabant rebus, & verbis, sed solis rebus, ut Circumcisio. Et ratio ex D.T. est, quia sicut status legis veteris fuit imperfectior statu legis novæ, ita fuit conveniens, ut fides etiam in illo statu, & quæ ad fidem pertinent, ut sunt præcipue sacramenta, essent obscuriora, nec haberent significationem adeo expressam, & claram, ut habent Sacramenta novæ legis, quæ constant etiam verbis, quorum significatio clarior, & expressior est significatione rerum.

Dices, Sacramentum Matrimonii perfici potest vel solis verbis sine rebus, vel solis nutibus sine verbis; ergo falsum est, omnia Sacramenta novæ legis constare rebus, & verbis.

Respondeo verum esse, quod in Sacramento matrimonii loco verborum possunt haberi nutus, qui dicuntur verba æquivalenter. Et ratio est, quia cum Christus Dominus elevaverit ad rationem Sacramenti contractum ipsum matrimonii, & contractus celebrari possit solis nutibus; idcirco solis nutibus perfici potest hoc Sacramentum: At sive solis nutibus, sive solis verbis perficiatur, semper verum est, ut suo loco dicetur, cum Suar. Sanch. ConincK., & aliis communius, quod consensus utriusque conjugis signis externis expressus, prout significat mutuam corporum traditionem, habet rationem rerum, seu materiæ. Idem vero consensus, prout significat mutuam hujus traditionis acceptationem, habet rationem verborum, seu formæ. Et ratio est, quia omnis promissio, seu traditio, donec acceptetur, est per se indifferens, & indeterminata, ut sit potius rata, quam irrita; per acceptationem vero determinatur ad esse ratam, & fit efficax ad inducendam obligationem; ergo in contractu Matrimonii traditio corporum habet rationem materiæ; acceptatio rationem formæ.

III. Quæritur secundo, quomodo concurrant res, & verba ad constituendam essentiam physicam Sacramentorum.

Respondeo non concurrere physice, cum sæpe non coexistant, & verba sint quid fluens, & successivum, quod non potest compositionem physicam facere cum rebus, quæ sunt quid permanens: quare concurrunt solum moraliter, eo quod debeant habere coexistentiam moralem, quæ scilicet satis sit, quod utraque pars possit simul significare gratiam, quam causat. Unde fit, quod in aliquibus Sacramentis major coexistentia, & simultas requiratur, quam in aliis; Verbi gratia in Baptismo, Confirmatione, Extrema unctione, &c. requiritur major simultas verborum cum rebus, quam in Sacramento Pœnitentiæ, quod fit per modum Judicii, aut in Sacramento Matrimonii, quod fit per modum contractus. Ratio est, quia in morali æstimatione verba non censentur cadere supra materiam in Baptismo, nisi quadantenus coexistant; non enim vere dicitur abluere, qui non abluit, dum verba profert; secus vero in Pœnitentia; Etenim habetur verum Judicium, etiamsi post accusationem, & confessionem Rei aliquantulum distet sententia; Unde Præpositus putat posse dolorem anteire confessionem per tres, aut quatuor horas; & Lug. disput. 14. de Pœnit. num. 37. posse etiam per diem integrum; & eodem modo habetur verus contractus matrimo-

monialis, etiamsi consensus conjugum non parum inter se distent; ita tamen, ut in æstimatione morali censeantur conjugis, & facere unum moraliter,

IV. Quæritur tertio: An res, & verba, quæ constituunt Sacramenta novæ legis, fuerint a Christo domino determinata?

Respondeo omnia fuisse determinata, sed non eodem modo: nam in aliquibus Sacramentis materia est determinata in specie, ut in Baptismo aqua naturalis; in aliis est determinata tantum in genere, ut in Sacramento Pœnitentiæ dolor, qui potest esse multiplex specie, videlicet vel attritio, vel contritio. Idem dicas de forma; nam Sacramentum Baptismi debet conferri cum invocatione explicita Patris, Filii, & Spiritus Sancti, non sic Sacramentum Pœnitentiæ; & in Sacramento Matrimonii non requiruntur necessario verba, sed solum signa exprimentia consensum.

Hinc sequitur, quod res, & verba, quæ sunt materia, & forma Sacramentorum novæ legis, cum sint a Christo Domino determinata pro universa Ecclesia, ita se habeant, ut quæ in uno loco, aut in uno tempore satis sunt ad constituendum Sacramentum, eadem satis sint in quolibet alio loco, & tempore; quamvis in particularibus Ecclesiis servandi sint ritus particulares ab iis præscripti, licet accidentaliter diversi: Quare in Ecclesia Græca materia Eucharistiæ debet esse panis fermentatus, in Latina azymus, quamvis valide in Ecclesia Græca consecraretur azymus, & in Latina fermentatus: Sic in Ecclesia Græca propria forma Baptismi est servanda, dicendo: *Baptizetur Servus Christi in nomine Patris, &c.* quamvis valide baptizaretur dicendo: *Ego te baptizo &c.* In Sacramento tamen Matrimonii, quia constituitur per contractum juxta leges uniuscujusque regionis, semper, & ubique talis contractus constituit Sacramentum. Proinde in Gallia quando decretum Tridentini de Matrimonii clandestinitate non erat receptum, (quod tamen anno 1662. fuit receptum teste Less. in Actuar. *V. Sponsal.* cas. 67.) tunc ibi valide celebrabatur sine Parocho, & testibus, non vero in Hispania; quia scilicet in Gallia consistebat ratio veri contractus matrimonialis sine Parocho; non vero ubi receptum erat Trident. Ratio horum omnium est, quia quod a Christo Domino institutum est ad validitatem Sacramentorum, non potest ab Ecclesia immutari; eadem autem materia, & forma Sacramentorum a Christo Domino pro universa Ecclesia est instituta; unde Apost. ad Ephes. 4. eandem unitatem requirit in Deo, & in fide, ac in Sacramentis, dicendo: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*; quamvis Ecclesiæ particulares potuerint deinde ob varias circumstantias præscribere aliquos ritus particulares accidentaliter diversos, qui proinde servandi sunt: Tunc aqtem diversitas dicitur esse accidentalis in formis Sacramentorum, quando retinetur eadem significatio verborum; sicut in materia habetur accidentalis diversitas, quando habetur eadem substantia rerum: Unde quia massa farinacea nondum cocta in morali æstimatione differt substantialiter a pane instituto a Christo Domino pro materia Eucharistiæ, ideo illa invalide consecraretur; esto forte nonnisi accidentaliter physice a pane differret. Sic aqua e floribus expressa non est materia Baptismi; esto forte accidentaliter physice considerata differat ab aqua naturali a Christo Domino instituta, ut mox explicabimus.

V. Neque dicas primo, Sacramentum Matrimonii, quod prius erat validum sine Parocho, & testibus, & nunc etiam est valdum, ubi non est receptum Trident. non est validum, ubi Trident. est receptum: ergo falsum est, quod Sacramentum, quod pro aliquo loco, & tempore est validum, semper, & ubique sit validum.

Nam licet Ecclesia variaverit leges contractus matrimonialis, non proinde variata est materia, & forma a Christo Domino instituta, quæ est legitimus contractus. Quare semper, & ubique validum est Sacramentum Matrimonii, quotiescumque ponitur legitimus contractus, quia tamen Trid. variavit leges contractus, hinc est, quod solum mediate, & remote variaverit formam hujus Sacramenti, non vero immediate, & proxime: Ad eum modum, quo si Respublica decerneret, quod verbum *Verbero*, non vero verbum *Baptizo* significaret ablutionem, non posset amplius conferri Sacramentum Baptismi per formulam illam, *Ego te baptizo*, sed per formulam, *Ego te verbero*, quin proinde Respublica dici possit, quod mutasset in hoc casu formam Sacramenti, nisi tantum remote.

Advertunt tamen Pal. & Sanch. lib. 7. disp. 1. apud Croix, quod licet possit Pontifex mutare leges contractus matrimonialis, non possunt tamen istæ mutari a Magistratu, aut ab Episcopo; quia eo ipso ac contractus matrimonialis a Christo Domino est elevatus ad rationem Sacramenti, solius Pontificis potestati subjicitur. Hinc licet posset Pontifex statuere, quod matrimonium sit invalidum, si Parochus assistat, quin præcesserint proclamationes; nequit tamen id Episcopus statuere. Quicquid sit, an possit Episcopus valorem hujus matrimonii impedire, declarando, quod Parochus desinat esse Parochus, si attentet matrimonio assistere sine præviis procla-

cla-

clamationibus, prout Croix n. 17 autumat.

VI. Neque dicas secundo, tempore Apostolorum valide conferebatur Baptismus *in nomine Jesu Christi*, nunc autem nonnisi *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo, ut supra.

Nam D. Th. quæst. *66.* art. *6.* putat Apostolos ex speciali dispensatione baptizasse in nomine Jesu Christi, ut hoc nomen tunc temporis maxime exosum, venerabile, & gloriosum redderetur, cum ad ejus invocationem fidelibus daretur Spiritus Sanctus; & propter specialem etiam dispensationem Apostoli sola manuum impositione conferebant Sacramentum Confirmationis; forte enim non erant ita ad manus tunc, quæ necessaria erant pro materia hujus Sacramenti, quod a paucis Apostolis innumeris credentibus ministrabatur.

Alii tamen docent apud Suar., quod Apostoli in nomine Christi baptizabant, quatenus baptizabant in fide, & auctoritate Christi, & Baptismo a Christo instituto, non Baptismo D. Joannis Baptistæ: Vel baptizabant in nomine Christi, quia formæ addebant Christi nomen, dicendo, *Ego te baptizo In nomine Patris, Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti.*

Neque dicas tertio, apud Græcos conferri ordinem Diaconatus sola manuum Episcopi impositione; apud Latinos vero requiri etiam traditionem libri Evangeliorum; ergo falsum est, materiam & formam Sacramentorum ita esse a Christo Domino instituta, ut semper, & ubique valeant ad Sacramentum constituendum.

Nam, ut dicemus infra hic quæst. ult. art. 2. agendo de materia, & forma Sacramenti Ordinis, valide conferri potest, quamvis illicite, a Latinis Ordo Diaconatus per solam manuum impositionem, dummodo adhibeatur etiam ea forma, quæ a Græcis adhibetur, qua expressius significatur potestas spiritualis, quæ per diaconatum confertur; & similiter a Græcis potest valide, sed illicite conferri diaconatus adhibendo tam materiam, quam formam, quæ adhibetur a Latinis: non secus ac valide, sed illicite Sacerdos Græcus consecrat in pane azymo, & Latinus in fermentato. Forma autem, quæ in collatione diaconatus adhibetur a Græcis, diversa est, ac ea, quæ adhibetur a Latinis: ut videre est apud Dicastill. disp. 1. de Sacramentis dub. 20.

VII. Quæritur quarto, quænam mutatio in materia, aut forma Sacramentorum reddat illa invalida?

Respondeo, & dico primo, solam mutationem essentialem, seu substantialem in materia, & forma a Christo Domino instituta posse invalidare Sacramenta; non vero mutationem accidentalem. Unde Zacharias Papa in Cap. *Retulerunt* de Consecratione definit, Baptismum ab imperito collatum his verbis, *Ego te baptizo in nomina Patria, Filia, & Spiritua sancta* esse validum, quia talis mutatio est accidentalis. Et sane cum mutatio accidentalis non variet substantiam rei, nec mutatio accidentalis facta in materia, aut forma Sacramentorum mutabit Sacramentorum substantiam.

VIII. Dico secundo; Mutatio materiæ Sacramentorum tunc dici debet essentialis, quando est tanta, ut materia cum tali mutatione non conveniat conceptu, ratione, & nomine cum materia instituta a Christo Domino, & usitata ab Ecclesia; secus vero dicenda est accidentalis. Ratio est, quia si non conveniat conceptu, & nomine cum materia præscripta a Christo Domino, jam non erit illa, sed alia materia; ergo non erit materia apta ad conficiendum Sacramentum; si vero conceptu, & nomine conveniat cum illa, erit ejusdem rationis essentialis, atque adeo apta ad Sacramentum.

Hinc sequitur primo, quod si vellet aliquis abluere aqua rosacea, alchimica, sputo, sudore, phlegmate, lacrymis, vel gutta tantum aquæ aspergeret, invalide baptizaret, quia non poneret materiam, cui congrueret nomen, & notio ablutionis aquæ naturalis; nihil enim ex iis est aqua naturalis; & aspersio unius guttæ neque est, neque appellatur Ablutio: Contra vero, si quis baptizaret cum aqua lutulenta, fœtida, sulphurea, aut ex luto, glacie, & secundum alios ex sale expressa, conficeret Sacramentum; quamvis cum aliqua indecentia, & culpa; quia haberetur ratio, & nomen ablutionis aquæ naturalis: fœtor enim, & lutum non essentialiter, sed accidentaliter tantum aquam mutarent. Ubi tamen advertendum, quod si aliqua aqua (verbi gratia, ex sale expressa) solum probabiliter est aqua naturalis, & non certo moraliter, illicitum sit ea uti ad Sacramentum conficiendum, ut constat ex prima Thesi ab Innoc. XI. confixa, in qua dicitur, non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de eorum valore, relicta tutiore.

Sequitur secundo, quod interdum sola accidentia physica sufficiant ad mutandam essentialiter materiam Sacramenti spectatam theologice, quia interdum sola sufficiunt ad tollendam rationem, & nomen, sub quo debet esse talis materia. Verbi gratia, invalide quis consecraret massam farinaceam, quia licet forte non differat a pane nisi solis accidentibus physicis, tamen non habet nomen, & rationem panis. Invalide etiam quis baptizaret aqua e floribus expressa, quamvis probabiliter non nisi accidentibus physicis differat ab aqua naturali. Invalide pariter Baptismus confertur aqua conversa in glaciem, nivem, grandinem, aut in pruinam, vel in salem, quia non remanet in his aptitudo ad usum

usum abluendi, quæ est de essentia Baptismi. Vinum tamen congelatum communius censetur aptum ad consecrationem; non secus ac aqua, & oleum congelatum est aptum quod benedicatur, & panis ita durus, ut nonnisi contusus possit comedi, est aptus ad consecrandum. Disparitas autem inter Baptismum, & Eucharistiam est, quia Baptismus consistit in usu, seu in actuali ablutione, unde aqua debet habere actualem aptitudinem ad abluendum, quæ non habetur in glacie, nive, sale, grandine, & pruina: Contra vero Eucharistia, quæ est Sacramentum permanens, non requirit materiam sanguinis actu potabilem; sed quæ sit apta significare potum spiritualem, quando erit in usu, seu quando actu sumetur, aut saltem quando veniet in stomachum, & ideo vinum congelatum potest consecrari: Et hanc sententiam Suar. disp. 45. sect. 1. putat fere certam: Quia tamen nonnulli cum Platel. Dicastill. de Euchar. disp. 2. num. 85. putant materiam hanc esse dubiam; ideo illicitum est in ea consecrare.

Dico tertio, mutatio formæ Sacramentorum tunc est essentialis, quoties per illam destruitur sensus, & significatio secundum communem usum verborum, quæ Christus Dominus instituit: secus mutatio erit accidentalis. Ratio est, quia significatio est veluti anima verborum, cum verba sint propter significationem; ergo si non manet eadem significatio, non censentur manere eadem verba; secus vero si eadem significatio permanet.

Hinc sequitur primo, validum esse Sacramentum, si verba mutentur in synonyma; verbi gratia, si quis pro *Baptizo* dicat *Abluo*, vel *Lavo*; vel si dicat more Græcorum, *Baptizetur Servus Christi*, vel si dicat, *Baptizo te in nomine Patris, Christi, & Spiritus Sancti*, ut censet Cajetanus, quia ly *Christi*, est nomen, quod supponit pro divina Personalitate Filii: Contra vero invalide quis baptizaret, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*, non explicando Personas, quia licet nomen Trinitatis significet idem, non tamen eodem modo, & eadem claritate, & ideo non esset mutatio in voces omnino synonymas.

Neque dicas, Nicolaum Pontificem consultum, an baptizati a quodam Judæo essent rebaptizandi; respondisse in Cap. *A quodam de Consecratione*, quod si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, constat eos non esse rebaptizandos.

Nam contra est, quia Pontifex nomen illud Trinitatis usurpavit compendiose, scilicet pro nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; & pro Baptismo in nomine Christi collato intelligebat Baptismum a Christo Domino institutum; (sicut multi volunt intelligendum esse, quod dicitur in Actibus Apostolorum cap. 8. *Baptizati tantum erant in nomine Jesu*) eo modo, quo Joannis Baptisma dicitur, quod institutum est a Joanne: Quamvis alii cum D. Th. censeant ex speciali dispensatione divina tunc temporis collatum esse Baptismum in nomine Christi, ut supra diximus; & alii verius docent, Baptismum collatum esse cum expressione Numinis Venerandi, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.*

Sequitur secundo, quod si omittatur a forma Sacramentorum una, aut plures voces, quibus omissis, perseverat eadem significatio verborum, adhuc valide conficiatur Sacramentum: ut si in forma Baptismi omittatur pronomen *Ego*, & in forma Eucharistiæ ly *enim*: quod si sine scandalo, & contemptu fiat, veniale tantum putat esse Coninck. articul. 8. num. 85.

Sequitur tertio, quod si Minister propter præcipitationem, aut balbutiem linguæ omittat, vel mutet verborum literas, præsertim extremas, valide conficiat Sacramentum, si eadem significatio verborum perseveret, ut si dicatur, *Hoc est corpus meus, Ego te baptizo in nomine Patri*; & ideo Zacharias Papa in cap. *Retulerunt de Consecratione* respondit, valide baptizasse, qui dixit, *Ego te baptizo in nomina Patria, Filia, & Spiritua Sancta.*

Sequitur quarto, validum esse Baptismum collatum sub his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit, in nomine Filii, qui te redemit, &c.* quia talis additio non immutat sensum verborum. Contra vero invalide baptizaret dicens, *Baptizo te in nomine Primæ, Secundæ, & Tertiæ Personæ*; necnon si diceret, *In nomine Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris:* aut si diceret, *In nomine Ingeniti, Geniti, & Procedentis*, quia non exprimuntur proprietates personales; Ita Vasq. & alii apud Amic. disp. 2. num. 86. quamvis Suar. & alii putent hanc ultimam formam, qua exprimuntur actus notionales, esse dubiam.

Sequitur quinto, quod si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Matris, Filii, &c.* invalide baptizet, quia quamvis una tantum litera mutetur, variatio sensus est substantialis: At si quis dicat *Fili* pro *Filii*, *Calis* pro *Calix*, vel si ob balbutiem dicat *babaptizo* pro *baptizo*, aut quia non potest pronunciare literam R, dicat *Colpus meum* pro *Corpus meum*, conficit Sacramentum; quia, ut advertit Lug. & Gobat verba ista quamvis seorsim sumpta non habeant significationem a Christo intentam, at in circumstantiis, in quibus proferuntur, ingerunt audientibus sensum a Christo intentum, quod satis est ad validitatem Sacramenti.

Sequitur sexto, quod conficiat Sacramentum, qui utitur verbis ambiguis, dummodo in eo sen-

su

su verba proferat, in quo habent significationem a Christo Domino institutam; aliter Sacramentum non conficit. Quare si quis dicat, *Hic est calix sanguinis mei*, adhibendo ly *Hic* adverbialiter, non consecraret, quia mutaret substantialiter sensum verborum: nisi tamen haberet intentionem aliquam generalem usurpandi verba in sensu ab Ecclesia usurpato, quia in tali casu error privatus corrigeretur per intentionem illam generalem, ut mox clarius.

Eodem modo si Arianus uteretur forma vera Baptismi, sed intendendo per illam significare Patrem majorem, Filium minorem, invalide baptizaret ex defectu formæ; quia sicut intentio nihil significandi tollit significationem actualem, ita intentio significandi aliud reddit locutionem, & significationem aliam: Quamvis si Arianus haberet intentionem illam generalem faciendi, quod facit Ecclesia, & usurparet verba in sensu Ecclesiæ, bene privatus error corrigeretur per hanc intentionem generalem, & valide baptizaret.

IX. Quæritur quarto, an valide conficiat Sacramentum, qui omittit aliquod verbum, quod credit esse de essentia, cum vere non sit; aut e converso, si addat aliquod verbum putans de essentia, quod vere non sit?

Respondeo, in utroque casu valide conficere Sacramentum, si debitam habeat intentionem, scilicet faciendi, quod potest; vel si intendat facere, quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit. Ratio est, quia adest debita materia, forma, & intentio, quibus Sacramentum perficitur; & omissio illa, vel additio verbi, cum supponamus non immutare sensum verborum, est mutatio tantum accidentalis; cum errore autem privato potest stare intentio sufficiens ad conficiendum Sacramentum; per generalem enim illam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, corrigitur error privatus Ministri.

Hinc valide consecrat, qui omittit ly *enim*, etiamsi credat verbum illud esse de essentia Sacramenti, dummodo prædictam intentionem habeat; aliter Sacramentum erit nullum ex defectu intentionis requisitæ. Valide etiam baptizat, qui dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis*, credens invocationem Virginis esse de essentia, si intentionem illam generalem habeat. Sed præscindendo ab hac intentione generali, si quis adderet formæ Baptismi invocationem B. Virginis, intendens Baptismum fieri in nomine Virginis tamquam sanctificantis virtute sua, sicut sanctificant tres Personæ divinæ, quia in sensu falso usurpat ea verba, Baptismus erit nullus. Si vero intendat Baptismum fieri in nomine Virginis, tamquam Personæ aptæ ad intercedendum precibus suis pro baptizando, Baptismus erit ratus.

X. Quæritur ultimo, An intentio Ministri sit pars constitutiva Sacramenti?

Certum est, quod ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio Ministri, (ut dicemus etiam de intentione suscipientis Sacramentum) ita ut deficiente hac intentione, Sacramentum sit nullum. Disputant tamen Scholastici, Utrum intentio sit merum requisitum (eo modo, quo approximatio inter animam, & corpus est merum requisitum ad constituendum hominem; Et ad conficiendum Sacramentum Ordinis est merum requisitum Baptismus; sicut etiam ad suscipiendum Baptismum est merum requisitum negatio prioris Baptismi). An vero sit pars constitutiva, ita ut intentioni Ministri vere competat ratio Sacramenti, quæ est significare, & causare gratiam, sicut dolor in Sacramento Pœnitentiæ, licet sit insensibilis, adhuc est pars Sacramenti, eo quod per Confessionem reddatur sensibilis: Equidem probabilius censeo esse constitutivum; cum constituat actionem ministerialem, quæ est Sacramenti constitutiva: Cum autem id non spectet ad praxim, sed ad speculationem, idcirco fuse de hac re instituitur quæstio in Scholastica Theologia. Circa intentionem vero requisitam essentialiter in suscipiente Sacramentum, conveniunt omnes, quod ea sit merum requisitum, & non constitutiva Sacramenti.

ARTICULUS IV.

De Causa Efficiente Sacramentorum.

I. *Christus Dominus inquantum homo, seu per voluntatem creatam fuit Sacramentorum Institutor.*

II. *Quonam pacto posset pura Creatura instituere Sacramenta.*

III. *Soli homines viatores de facto possunt Sacramenta ministrare.*

IV. *Num semper mortaliter peccet, qui in mortali Sacramenta ministrat?*

V. *Minister Sacramentorum quandonam a mortali excusatur, conferendo illa indignis?*

VI. *Requiritur intentio saltem virtualis in Ministro conficiente Sacramenta, esto in suscipiente sufficiat habitualis, & in pueris etiam interpretativa.*

VII. *Quandonam sufficiat in Ministro intentio conditionata?*

VIII. *Intentio indirecta, & in causa in Ministro non sufficit ad Sacramenti validitatem; secus vero in suscipiente, in quo simul sit intentio habitualis.*

IX. *Si Minister habeat duas intentiones contrarias, utra debeat prævalere?*

X. *Quandonam error circa Personam obstat validitati Sacramenti?*

 XI. Quid

XI. *Quid requiratur ad validam, & licitam Sacramenti administrationem?*

XII. *Num liceat sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, omissa tutiore?*

I. QUæritur primo, Quinam sit, aut esse possit Sacramentorum Institutor?

Respondeo, solum Deum posse esse Sacramentorum Institutorem auctoritative, seu tanquam Auctorem primarium, quia solus Deus potest conferre gratiam, & efficere homines filios Dei. Christus Dominus, inquantum homo, cum habeat dependentiam a Deo; non dicitur causa principalis Sacramentorum auctoritative, sed dicitur habere potestatem excellentiæ; cum illi competat ob excellentiam, quam habet propter unionem cum Verbo, quædam Omnipotentia, juxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*. Quare sicut Christus Dominus potuit delere peccata, & conferre gratiam sine Sacramentis, ut contulit Magdalenæ; ita potuit instituere, & de facto instituit Sacramenta collativa gratiæ in remissionem peccatorum: Et ideo Jo: primo dicitur, *Ipse est, qui baptizat*, hoc est propter potestatem excellentiæ, quam habet, inquantum homo, ut notat D. Th. q. 64. art. 2. & alii apud Bonac. Addo, omnes Theologos in hoc consentire, quod Christus inquantum homo, & per voluntatem creatam, Sacramenta instituerit. Ratio est, quia inquantum homo est Institutor, & Fundator Ecclesiæ: ergo etiam Sacramentorum, quæ sunt Ecclesiæ fundamenta, juxta illud Prov. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem:* Fundatoris enim est fundamenta ponere. Præterea Christus inquantum homo est immediatus Ecclesiæ Legislator per potestatem a Deo acceptam: ergo per eandem erit immediatus Sacramentorum Institutor.

II. Rogabis, An possit etiam pura creatura instituere Sacramenta, sicut de facto Christus Dominus instituit Sacramenta novæ legis?

Respondeo, quæstionem hanc ab aliquibus reduci ad quæstionem de voce. Conveniunt enim omnes, quod possit creatura auctoritate accepta a Deo determinare aliquod signum, ad cujus præsentiam causetur gratia. Utrum autem hoc sit Sacramentum instituere? Videtur lis de voce: Aliqui enim negant; quia constituuntur Sacramenta per virtutem causandi gratiam: ergo ille solum potest constituere Sacramenta, qui potest illis dare virtutem causativam gratiæ, sive physicam, sive moralem, seu meritoriam; atqui solus Deus signis sensibilibus dare potest virtutem physice causativam gratiæ, & solus Christus potest iisdem dare virtutem moralem, seu meritoriam; cum nulla creatura possit mereri condigne alteri, saltem peccatori, gratiam, ut communius docent: ergo nulla creatura potest instituere Sacramenta; quamvis possit determinare signum, ad cujus præsentiam Deus gratiam causet. Alii tamen docent, hoc esse vere Sacramenta instituere; quia Sacramenta non constituuntur per virtutem causandi gratiam; nam vetera Sacramenta erant vere Sacramenta, & tamen, ut diximus, non habebant talem virtutem. Quare ut quis dicatur instituere Sacramenta, satis esse videtur, quod ille primo applicet virtutem causandi gratiam, sive talis virtus sit propria Sacramentorum, sive aliena, & propria Dei; hoc autem convenire poterit puræ creaturæ modo dicto. Verum in tali casu non haberet creatura illam potestatem excellentiæ, & meritoriam in instituendis Sacramentis, prout habuit Christus, sed solum ministerialem. In sententia tamen eorum, qui docent posse puram creaturam affectam gratia sanctificante mereri de condigno alteri immuni a peccato gratiam, eo modo, quo potest mereri sibi gratiæ augmentum, posset instituere Sacramenta vivorum, quamvis non posset instituere Sacramenta mortuorum, eo quod non possit pura creatura juxta communiorem sententiam mereri de condigno peccatori gratiam peccati remissivam.

III. Quæritur secundo, Quinam sit Sacramentorum Minister, qui scilicet ex præscripto, & mandato Dei, aut Christi institutoris possit valide Sacramenta conferre, ponendo aggregatum illud ex materia, & forma, cui est annexa vis causativa gratiæ?

Respondeo, certum esse, quod soli homines de facto sint Sacramentorum Ministri, ut constat; tum quia Florent. & Trident. cum declarant Ministros Sacramentorum, solos homines assignant; tum etiam quia cum Ecclesia sit visibilis, visibiles etiam debent esse ejus Ministri. Quod si aliquando legimus Angelos aliquod Sacramentum ministrasse, id fecerunt ex speciali dispensatione Dei; qui sicut potest gratiam sine Sacramentis conferre, ita potest Sacramenta sine Ministris Ordinariis: Immo non repugnat, quod etiam Dæmon de mandato Dei, assumpto corpore, valide baptizet, non per prolationem verborum, quæ sit vera loquutio, seu actio viventis, sed per prolationem vocum similium vocibus humanis, quæ ab hominibus percipi possint; sicut enim potest de facto valide baptizare peccator, ita de potentia Dei extraordinaria posset Dæmon, non adhibendo voces humanas, sed sonum similem vocibus humanis.

Dubium est, an soli homines viatores sint de facto Sacramentorum Ministri?

Respondeo, cum communi contra nonnullos affirmative: sicut enim soli viatores possunt Sacramenta suscipere, ita & ministrare, propter eandem rationem; quia scilicet Sacramenta sunt data Ecclesiæ visibili, & consequenter solos Ministros

nistros visibiles habet; aliter, ut notat De Lugo, Episcopus anima, & corpore damnatus posset alios damnatos valide ordinare Sacerdotes; quod nemo dixerit: Quamvis enim post mortem in Episcopo remaneat Character, non ideo remanet potestas ordinandi, quia Character non est potestas, sed signum potestatis, positis aliis requisitis.

Dices: Episcopus malus, & hæreticus potest valide ordinare, & Turca baptizare: ergo etiam damnati, aut saltem Beati possunt ministrare Sacramenta.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas alia non est, nisi quia sic voluit Christus Dominus, quod etiam mali Ministri valide Sacramenta conficiant, non tamen alii, nisi viatores. Ejus autem rei congrua aliqua ratio assignari potest; quia scilicet Ecclesia esset plena scrupulis, si malitia Ministri obstaret validitati Sacramentorum. Quod autem etiam Turca possit baptizare, inde fit, quia Christus Dominus voluit facili negotio posse Sacramentum tam necessarium haberi; non enim necesse fuit, quod sit membrum Christi, aut Ecclesiæ, qui esset Instrumentum Christi relate ad collationem Sacramentorum; sicut enim artifex operari potest tam per manum, quæ est instrumentum animatum, & conjunctum, quam per securim, verbi gratia, quæ est instrumentum distinctum: ita Christus Dominus operari potest tam per instrumentum vivum, quod sit ejus membrum, idest per Ministros bonos, quam per instrumentum mortuum, idest per malos ministros.

IV. Quæritur tertio, An semper mortaliter peccet Minister Sacramentorum, quoties ea ministrat aut existens in peccato mortali, aut existentibus in mortali?

Respondeo, & dico primo, universim peccare Ministrum Sacramenti, si illud conficiat non existens in gratia, sive sit Minister ad illud Sacramentum conficiendum solemniter consecratus, ut docent communiter, sive non; (quod aliqui negant apud Trull. lib. 1. cap. 3. disput. 3. cum Suar. dispu. 16. lib. 3.) Unde peccat non solum qui solemniter baptizat, qui Eucharistiam conficit, qui Sacramentaliter absolvit, qui confert Sacramentum Confirmationis, Ordinis, & Extremæ unctionis, si non sit in statu gratiæ, cum ad hæc præstanda Minister sit solemniter consecratus; sed etiam peccat laicus, si existens in mortali baptizet; necnon si matrimonium celebret, non solum quia Sacramentum suscipit, sed etiam quia conficit.

Ratio est, quia Sancta sancte tractanda sunt; maxima autem est irreverentia actionem sanctissimam, (qualis est actio Sacramentalis sanctificativa) exerceri ab inimico Dei, & filio Diaboli. Hinc Levit. 21. dicitur: *Sacerdotes incensum, & panem offerunt Deo, & ideo sancti erunt Deo suo*; & Isaiæ 52. dicitur, *Mundi estote, qui fertis vasa Domini*. Excusatur tamen, qui urgente necessitate, conficeret Sacramentum in mortali, eo quod non posset tam brevi morula actum contritionis elicere, & periculum esset, ne alter sine Sacramento moreretur; cum enim Sacramenta instituta sint in salutem animarum, non videtur irreverentia, si ministrentur in tali casu a peccatore, ut proximo subveniatur, ne damnetur.

Ex hac doctrina sequitur, multiplex peccatum committere Sacerdotem in peccato celebrantem, cum & conficiat, & suscipiat indigne Sacramentum. Addunt alii apud Dian. part. prim. tract. 14. resol. 24. quod committat tertium sacrilegium per hoc, quod offerat hostiam in statu peccati mortalis; Quamvis multi negent hoc esse peccatum distinctum; quia oblatio ordinatur ad consecrationem, & consumptionem, atque adeo omnia hęc tria Sacrificium conficiunt.

Notandum tamen, quod existens in mortali non debeat necessario præmittere confessionem administrationi Sacramenti, cum satis sit, ut conteratur: nullum enim hujusmodi præceptum habetur, neque naturale, neque positivum divinum, nec Ecclesiasticum, neque ex consuetudine (*a*). Dumtaxat susceptioni Eucharistiæ præmittenda est confessio, ut Concilia docent ex illo Apostoli, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*. Ex traditione enim habemus ea verba indicare preceptum præmittendi confessionem mortalium Communioni. Imo si quis urgente necessitate cum sola contritione Missam celebret, tenetur ex Trident. quamprimum deinde confiteri; hoc est, ut communiter Doctores interpretantur, saltem intra triduum; at damnata est propos. 38. ab Alexand. dicens, quod illa particula *Quamprimum* intelligatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. Sicut etiam damnata est propos. 37. dicens, hoc esse consilium, non præceptum.

(*a*) „ Concina, cui hæc doctrina *& falsa, & laxa videtur*. *T. VIII. lib.* 1. *p.* 97. *seqq.* multa objicit, quæ ostendunt, statum quæstionis non esse ab eo intellectum, multoque minus Vivæ mentem fuisse ipsi perspectam. Opponit ergo I. difficillimum esse Contritionis actum; ergo incertus esse debet qui conteritur, de contritione perfecta; ergo non minus sacrilege administrat, qui negligit cetum confessionis remedium, quam invalide administret qui utitur materia, vel forma probabiliter dubia, quoties certam præsto habet. II. Contritio perfecta peccatum non delet absque Sacramenti voto; sed hoc votum sincerum in eo ministro præsumi non potest, qui quum habeat & tempus opportunum, & Confessarii copiam, Pœniten-

„ nitentiæ Sacramentum omittit; ergo. III. „ Adfert Catechismi Romani, Ritualis quo- „ que Romani, & S. Caroli Borromæi, qui „ omnes confessionem exigunt, auctoritatem.

„ Resp. Ad primum, siquid illud probat, „ ne licere quidem probat, urgente etiam „ necessitate, Missam celebrare sola contritio- „ ne præmissa; quod tamen Tridentinum li- „ cere affirmat. Probat præterea ne ipsam „ quidem Confessionem sufficere; hæc enim „ certum est remedium, sed posito pœnitentis „ dolore, qui sive intra, sive extra Sacramen- „ tum incertus est. Directe concesso antece- „ dente distinguo consequens, incertus esse de- „ bet incertitudine excludente maximam de „ opposito probabilitatem, nego consequen- „ tiam, etsi enim difficile est conteri, facien- „ ti quod est in se Deus non denegat gratiam; „ excludente omnimodam, & absolutam cer- „ titudinem, concedo consequentiam; nego „ deinde ultimam consequentiam, & parita- „ tem quæ nulla est, tum quia multa licita „ sunt, quæ non sunt valida, tum quia non valet „ a confectione Sacramenti ad ejusdem ministra- „ tionem, alias etiam in ministrante Euchari- „ stiam requireretur intentio, quemadmodum „ requiritur in eam conficiente. Ad secun- „ dum nego minorem, alias nemo conteri pos- „ set, quin statim adcederet ad Sacramentum „ pœnitentiæ. Ad tertium dico, illis docu- „ mentis non præceptum contineri, sed con- „ silium. Audi Rituale Romanum, quod gra- „ vissimum est. *Sacerdos, si fuerit peccati mor-* „ *talis sibi conscius* (*quod absit*), *ad Sacra-* „ *mentorum administrationem non audeat accede-* „ *re, nisi prius* CORDE *pœniteat. Sed si ha-* „ *beat copiam Confessarii*, *& temporis, loci-* „ *que ratio ferat*, CONVENIT *confiteri*. „ Ubi observes velim verbum *convenit*, seu „ *decet* (quod non negamus;) observes etiam „ velim illa *& temporis locique ratio ferat*; quæ „ circumstantiæ ejusmodi sunt, ut amplissi- „ mam quampiam admittant explicationem.

Notandum etiam, quod juxta sententiam Suar. disp. 16. sect. 3. & aliorum, Minister non consecratus non peccat ministrando Sacramentum, verbi gratia laicus baptizando in necessitate; imo etiam Sacerdos, ex Suar. si tanquam Laicus ex necessitate privatim baptizet. Præterea non peccat mortaliter exercens præcipuas functiones Ordinum sine Sacramenti confectione existens in mortali; verbi gratia exercens in mortali Ordines minores: Imo nec Diaconi, nec Subdiaconi exercentes in mortali suos ordines, quamvis solemniter eos exerceant, Vasq. Coninck. Dicastil. contra Filliuc. & alios, nec Episcopus conficiendo sacramentalia, nec Parochus, si matrimonio assistat.

Dico secundo: Non videtur improbabile, quod docent multi & graves Auctores, cum Vasq. & Lugo disp. 8. de Sacram. sect. 9. num. 155. & aliis apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 23. Sacerdotem ministrantem Eucharistiam in mortali non peccare mortaliter. Ratio est, quia non conficit, sed applicat Sacramentum jam confectum: Unde actio sanctificativa non tribuitur ipsi Ministro, tanquam causæ instrumentali; nec potest dici, quod peccator nomine Christi sanctificet, & filius diaboli deificet, quod fert enormem dissonantiam: Quamvis autem in mortali tangat Christum Dominum, non per hoc juxta hos Auctores mortaliter peccat; nemo enim dixerit, quod mortaliter peccaret, qui in mortali pedes Christi, dum in terris viveret, oscularetur, aut Christum lapsum elevaret. Equidem tamen probabilius censeo, quod Sacerdos peccaret ministrando Eucharistiam in mortali juxta sensum Suar. Coninck. Bonac. Filliuc. & aliorum communius, quia tunc non sancte sancta tractaret; & quamvis non conficeret, ministraret tamen Sacramentum, & filius diaboli efficeret filios Dei, gratiam per Sacramentum causando. Utrum autem tot mortalia committat, quot personas communicat? Affirmant nonnulli apud Busemb. sed probabilius negandum, quando moraliter non habetur, nisi una tantum indigna administratio hujus Sacramenti.

Contra vero, relate ad Sacramentum Pœnitentiæ, tot peccata committuntur, quot personæ absolvuntur a Confessario illas absolvente, dum est in statu peccati mortalis; quia relate ad unumquemque pœnitentem novum Sacramentum conficitur, ut suo loco explicabitur.

V. Dico tertio: Regulariter loquendo peccat Minister conferendo Sacramentum indignis. Ratio est, quia Minister Sacramentorum vocatur ab Apostolo *Dispensator mysteriorum Dei*; peccat autem graviter dispensator, si in materia gravi præter voluntatem domini res dispenset: Matth. autem 7. Dominus præcipit dicendo: *Nolite Sanctum dare canibus*, *nec mittatis margaritas ante porcos*: Dixi, Regulariter; aliquando enim tenetur Minister ministrare verbi gratia Eucharistiam peccatori occulto publice illam petenti, juxta praxim Ecclesiæ, & exemplum Christi Domini, qui dedit Eucharistiam Judæ. Et ratio est, tum quia voluit Christus, præceptum de non lædendo famam proximi prævalere; tum etiam quia in Ecclesia orirentur magna inconvenientia ex potestate negandi publice Eucharistiam peccatori occulto: Contra vero Sacramentum Ordinis etiam petenti illud publice negari debet, si vere sit indignus, esto indignitas non sit publica, dummodo non sciatur ex confessione Sacramentali.

li.

li. Ratio est, quia qui se ingerit in officia, & munera publica, ad quæ non est idoneus, repelli debet, etiam cum infamia, ob bonum publicum, quod prævalere debet privato.

Objicies: Sacerdos denegare debet Eucharistiam petenti illam ad conculcandum vel ad incantationem; ergo etiam si velit illam in peccato suscipere.

Respondeo cum Bonac. hic quæst. 6. punct. 4. concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia ex Div. Thom. quæst. 80. art. 5. majus peccatum est illud prius; unde major est obligatio denegandi Eucharistiam in primo casu, quam in secundo. Præterea non sequerentur in Ecclesia eadem inconvenientia, si negetur Eucharistia in primo casu, quia difficilius id accidit; sed hac de re plura quæstione quarta cum de Ministro Eucharistiæ, art. ult.

VI. Quæritur quarto, quænam intentio requiratur in Ministro Sacramentorum?

Antequam respondeam noto, Intentionem distingui ab Attentione, quia attentio est actus intellectus considerantis ea, quæ homo agit; intentio est actus voluntatis, quo quis se determinat ad aliquem finem, verbi gratia ad aliquid faciendum: quare actus, quo quis intendit, & vult conficere Sacramentum, dicitur in casu nostro Intentio. Porro multiplicem communiter Doctores assignant intentionem, videlicet Actualem, qua quis actu intendit conficere Sacramentum; Interpretativam, quæ consistit in præparatione animi ad ministrandum Sacramentum, data occasione, nulla actuali intentione præcedente, ut contingit in dormientibus: Habitualem, quæ habetur, quando actualis inentio præcessit; & non amplius virtute perseverat in aliquo opere externo, eo quod moraliter sit interrupta; ut si quis heri habuit intentionem baptizandi infantem, quem hodie baptizat absque nova intentione: Demum virtualem, quæ promanat ab actuali prius habita non revocata, nec interrupta per longum tempus: Verbi gratia, si quis habens actualem intentionem baptizandi accedat ad Ecclesiam, præparet necessaria, & proferat formam absque nova intentione, dicitur baptizare cum intentione virtuali; quia actualis, quæ præcessit, videtur moraliter permanere, tanquam in semine, & virtute in opere illo inchoato vi illius actualis intentionis præcedentis ordinatæ ad Sacramentum ministrandum. Præterea intentio alia est absoluta, quæ scilicet vult Sacramentum independenter a quolibet alio eventu: alia conditionata, ut si quis intendat baptizare aliquem, si non sit baptizatus: Alia directa, quæ vult effectum in se; alia Indirecta, quæ habetur: quando aliquis vult effectum in sua causa, Verbi gratia, si quis inebriatur prævidens se in ebrietate commissurum homicidium, dicitur directe velle ebrietatem, & indirecte homicidium. His præsuppositis.

Dico primo; ut perficiatur Sacramentum, requiritur necessario intentio Ministri, non solum faciendi cæremoniam externam sacram, sed etiam conficiendi Sacramentum, seu faciendi, quod instituit Christus, seu quod intendit Ecclesia. Ita communiter, & constat ex Trident. sess. 7. can. 2. ubi ait: *Si quis dixerit, in Ministris, cum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et ratio est, quia potestas conficiendi Sacramentum data est a Christo Domino hominibus, ad hoc ut illo utantur more humano, prout scilicet homines operari consueverunt; homines autem humano modo operantur dirigendo suas actiones ad proprium effectum, intendendo illud efficere; ergo homines in conficiendis Sacramentis id servare debent, intendendo ponere illam actionem ob finem primarium talis actionis, seu ob finem, quem intendit Ecclesia, qui est sanctificatio Sacramentalis. Quare non sunt audiendi hæretici, qui nullam intentionem in Ministro requirunt. Neque est audiendus Catarinus, qui docet sufficere, si Minister habeat intentionem faciendi materialiter illam actionem externam, eo modo, quo fit ab Ecclesia, non vero, ut fiat formaliter, hoc est ob finem intentum ab Ecclesia, vel a Christo Domino; aliter; qui vere haberet intentionem faciendi actionem externam, prout facit Ecclesia, sine animo conficiendi Sacramentum, vere Sacramentum conficeret, quod nemo dixerit. Immo hinc sequeretur veram esse thesim 28. confixam ab Alexand. VIII. quæ habet: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo resolvit: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.* (*a*)

(*a*) „ Vide dicenda ad hanc propositionem, „ & Benedictum XIV. *De Synodo Diœces.* „ *lib.* 7. *cap.* 4.

Objiciuntur Historiæ, tum de duobus pueris inter jocum baptizantibus alios pueros; (quos Baptismos validos declaravit Patriarcha Alexandrinus, & Ecclesia Constantinopolitana) tum etiam de Sancto Genesio, qui Mimus in Scena, ut placeret, fecit se baptizari, nec deinde fuit iterum baptizatus, sed statim pro fide Martyr occubuit.

Respondetur tamen in illis pueris affuisse seriam intentionem faciendi verum Sacramentum, & æmulandi totum id, quod faciebant adulti baptizantes, quod non est novum in pueris. In exemplo autem S. Genesii dicendum, vel non

non defuisse ex peculiari Dei providentia sufficientem intentionem pro Sacramento, vel illum fuisse justificatum aut per contritionem, quam forte tunc habebat, aut deinde per Martyrium.

Dices. Si requireretur intentio in Ministro faciendi, quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit, sequeretur, quod deficiente hac intentione, qui cum attritione accederet ad Sacramentum Baptismi, revera Baptismum non susciperet; unde si decederet, damnaretur; hoc autem videtur minus consonum Divinæ Misericordiæ, quod propter culpam Ministri nolentis Sacramentum conferre ille damnetur; ergo hujusmodi intentio non requiritur.

Respondeo, Alensem, Duran. Gabriel. apud Aversf. quæst. 64. sect. 3. putasse, quod in his casibus Christus misericorditer suppleat defectum gratiæ Sacramentalis. Suar. tamen quæst. 64. art. 8. docet, hanc suppletionem non fundari in ulla divina promissione, & carere ratione probabili: quare dicendum, quod in casibus, qui Sacramentum non suscipit, damnatur propter culpam propriam, non vero propter culpam Ministri nolentis Sacramentum conferre: sicuti si infans ante susceptum Baptismum occidatur, aut de Cœlo tangatur, privabitur visione beata in æternum ob suam culpam originalem, non vero ob culpam interfectoris, aut ob infortunium fulminis. Misericordia autem divina, quamvis pro omnibus instituerit Sacramenta non vetuit tamen, ne ex aliorum culpabili, aut inculpabili arbitrio, aut ex concursu causarum secundarum impediri non posset, ne ea susciperentur.

Instabis. Contractus humani validi sunt, quamvis desit interna intentio contrahendi, dummodo externe ponatur quicquid requiritur ad contrahendum; ergo idem dicendum de valore Sacramentorum.

Respondeo antecedens esse falsum, ut docent communius cum Molin. Sanch. Lugo disp. 22. num. 45. contra Vasq. & alios apud Dicast. lib. 2. de Just. tract. 4. dub. 4. Et ratio est, quia obligatio, quæ ex contractu nascitur, non aliunde habetur, quam ex voluntate contrahentis volentis se obligare; ergo ubi hæc desit, deficit obligatio, atque adeo contractus est nullus, cum deficiat ejus essentia, quæ consistit in voluntate se obligandi. Non negaverim tamen hujusmodi contractum in foro externo esse validum, quia forum externum præsumit adesse internam voluntatem se obligandi, quoties oppositum non ostenditur validis probationibus. At in casu nostro, cum Deus intueatur cor sui Ministri, ubi desit in isto intentio conferendi Sacramentum, coram Deo hoc erit invalidum, quamvis forte ab hominibus per errorem validum reputetur.

Dico secundo: Etsi intentio actualis sit perfectissima, & sufficientissima ad Sacramentum conficiendum; non est tamen necessaria, sed sufficit virtualis. Ita communiter. Ratio est, tum quia non est in potestate nostra, quin distrahamur, & nimis durum esset eam intentionem ab hominibus exigere: tum etiam quia in aliis operationibus humanis satis est intentio virtualis: ergo etiam in Sacramentis conficiendis.

Difficultas tamen est in explicanda intentione virtuali. Rubionen. in 4. distin. 3. quæst. 2. dicit, non aliud esse, quam aliquam, non præsentem, sed præteritam intentionem actualem, ex qua originaliter provenit id, quod quis actualiter operatur: Certe nullus actus potest dici humanus, nisi sit propter finem aut actu, aut virtute intentus: intentio enim finis est propria multorum actuum ordine insequentium, non secus ac projecto lapide in aquam, primus circulus est principium, & causa secundi, & sic deinceps, nec semper manet primus circulus, quamdiu cæteri manent, licet omnes reducantur ad ipsum, ut notat Scotus in 4. dist. 6. quæst. 6. Quanto autem tempore præcedere debeat intentio actualis, ut possit dici operatio præsens ab illa processisse, & pendere? Dubium est inter Doctores. Suar. hic dist. 13. lib. 3. putat requiri, ut in principio actus, quando homo incipit se applicare ad operandum, & in casu nostro ad conficiendum Sacramentum, habeatur intentio actualis, a qua natura sua reliquæ procedant, aliter intelligi non potest, quomodo intentio virtualis influat in opus, & ab habituali distinguatur. Scotus in 4. dist. 1. quæst. 5. docet confici Sacramentum cum tali intentione virtuali, si Sacerdos, & Minister Ecclesiæ consueverit celebrare, & Sacramenta administrare juxta intentionem Ecclesiæ, nec unquam per actum contrarium cogitet aliter ministrare, quam Christus instituit, & Ecclesia facit. Henriq. lib. 1. cap. 10. cum Regin. lib. 26. cap. 3. apud Tamb. de Sacrific. Missæ lib. 1. cap. 1. §. 2. putat intentionem virtualem haberi per intentionem etiam confusam; verbi gratia, si quis sacras vestes induat, & absque alia formali intentione consueverit celebrare, & ministrare Sacramenta: hic enim Eucharistiam, & alia Sacramenta conficit. Cajetanus hic docet, satis esse, quod Minister Ecclesiæ vacet officio suo in omnibus, quæ requiruntur bene operando; tunc enim censetur permanere vis talis intentionis, qua primo proposuit recte exequi munus suum; quod probat exemplificando in aliis actionibus humanis; ut si quis sedeat pro tribunali, ut fungantur suo munere ex prima intentione, qua proposuit rite munus Judicis exequi, idque semper consueverit.

Hinc

Hinc ad scrupulos tollendos advertunt Bellar. Henrix, La Croix lib. 6. de Sacram. part. 1. num. 59. non opus esse in Ministro Sacramentorum, quod ore, aut corde reflexe dicat, habere se intentionem ponendi Sacramentum, sed sufficere, quod sibi sit animo præsens, & attente faciat id, quod facit, ut dicatur habere intentionem debitam in actu exercito. Et Maurus quæst. 78. num. 5. docet, quod Ministri Sacramentorum, nisi data opera omiserint intentionem faciendi Sacramentum, aut habuerint intentionem oppositam, inepte dubitent, an habuerint intentionem debitam; quia, ut recte Vasq. hujusmodi Minister per hoc quod cognoscat actiones, quas ponit, esse sacras, & non frustra poni, sed in ordine ad fines suos, exercite intendit eas ponere in ordine ad eos fines; unde prudenter dubitare non potest de intentione requisita, quoties illam positive non excludit.

Dico tertio: Non sufficit in Ministro ad valorem Sacramenti intentio habitualis, hoc est intentio præterita non retractata, quæ nullo modo influat in operationem præsentem. Ita communiter. Ratio est, quia Sacramentum, cum conferatur ab hominibus, conferri debet humano modo, sive per actum humanum; actio autem humana humano modo elicita non habetur cum sola intentione habituali sine intentione saltem virtuali finis: Quod ex eo patet, quia si quis, verbi gratia, habuit intentionem, & desiderium consequendi sanitatem, & deinde nihil cogitans de sanitate applicat se ludo, si ita curetur, dicitur fortuito curari, non ex intentione, aut electione aliqua; quia desiderium illud præteritum nullo pacto influit in ludum, unde sanitas non habetur ex vi alicujus intentionis, & ideo non dicitur acquisita humano modo, sed casu, & fortuito. Ex quibus a fortiori sequitur, quod neque sufficiat ad conficiendum Sacramentum intentio interpretativa, quamvis hæc sufficiat in pueris, qui nullam unquam intentionem actualem habuerunt ad suscipiendum Sacramentum Baptismi; & ea sufficit etiam ad valide suscipiendum Sacramentum ordinis in infante; non tamen in adulto; ut communiter docent apud Dicastil. de Ord. dub. 21. quamvis infans sic ordinatus vi voti ad castitatem non teneretur, nisi deinde illud ratificaverit. Sic etiam sufficit intentio interpretativa ad Extremam Unctionem, ut docent communiter apud La Croix lib. 6. de Sacram. part. 1. num. 172. Unde conferri potest lapso in amentiam, quamvis forte nihil sciverit de Extrema unctione, & ex Suar. Lugo, & aliis sufficit etiam in moribundo consimilis interpretativa intentio ad Eucharistiam suscipiendam; præsumitur quippe in omnibus volitio habendi hujusmodi ingentia bona, quæ non habent annexa onera, & incommoda gravia: qua de causa ad valorem Baptismi, & Ordinis in adulto non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur saltem habitualis, ob onera iis Sacramentis annexa, ut docent communius contra Ledesm. & Vasq. apud eundem La Croix num. 289. sufficit tamen ad Baptismum adulti intentio implicita contenta in attritione: Quin immo Coninch. Dicastil. & alii apud Croix lib. 6. num. 168. putant, quod posset baptizari Judæus, aut Gentilis, si probabiliter sciatur, quod saltem attritionem elicuerit; quia in eo actu includitur voluntas servandi omnia præcepta, atque adeo implicite includitur voluntas suscipiendi Baptismum, prout a Deo præcipitur. Ratio itaque cur sufficiat intentio interpretativa in infante ad suscipiendos Ordines Sacros ex cap. unico *de Clerico per saltum promoto*, non tamen sufficiat in adulto, est, quia in infante Ordo sacer fert solum favorem, non fert tamen onera annexa, nisi velit deinde post usum rationis statum illum amplecti; at adulto innotescere debent onera annexa Ordini Sacro, ut deliberet, an ei velit subjici, & ideo requiritur intentio, saltem habitualis: quod etiam dicitur de Baptismo adulti.

Dices: Satis est intentio habitualis ad applicandum Sacrificium: ergo etiam ad conficiendum Sacramentum. Antecedens probatur; nam si hodie applico Sacra a me facienda per totum annum pro anima Sortis, licet hæc voluntas ne remote quidem sit causa, cur ego faciam Sacrum, sufficit tamen ad applicationem, si non revocetur.

Respondeo, trasmisso antecedente, quod negat Vasq. disp. 138. cap. 6. nego consequentiam. Disparitas est, quia applicatio Sacrificii est quædam donatio fructus Sacrificii, quæ, purificata conditione, scilicet celebratione missæ, suum sortitur effectum, non secus ac si dono tibi librum sub conditione, quod crastina pluat, purificata conditione, transfertur in te dominium libri. Quamvis autem hic effectus translationis dominii habeatur ex donatione præterita, quæ est actio humana; at ipsa dominii translatio non est actio humana: Contra vero confectio Sacramenti, sicut etiam confectio Sacrificii, habetur formaliter per actionem humanam humano modo elicitam; atque adeo non sufficit ad illam intentio habitualis, sed, ut ostendimus, requiritur saltem intentio virtualis alicujus finis, a quo procedat.

Dices ulterius. Si Sortes ex fenestra infundat aquam ad baptizandum aliquem, & postea statim moriatur, antequam aqua abluat hominem illum,

illum, qui vult baptizari, Baptismus valebit, quamvis non perseveret virtualiter intentio Sortis; cum jam decesserit, quando suscipitur Baptismus: ergo pariter valebit Baptismus, si a Ministro conferatur in somno per intentionem præteritam non retractatam, quæ est intentio habitualis.

Respondeo cum Dicast. disp. 3. n. 127. ad hoc ut dicatur Baptismus conferri cum intentione virtuali, sufficere, quod detur intentio virtualis, quando ponitur actio illa externa baptizantis, seu quando infunditur aqua, quamvis non perseveret, quando aqua pertingit ad hominem, qui vult baptizari; sicut enim esset vere Martyr in simili casu, quando scilicet tyrannus projicit lapidem ad aliquem occidendum in odium fidei, & deinde decedat, antequam ille occidatur; quia ad rationem martyrii satis est, quod habeatur in tyranno intentio virtualis, & hæc solum requiritur, dum ponitur ejus actio externa, non vero quando ponitur effectus illius actionis externæ: Ita dicendum de Baptismo similiter collato: Quod tamen non habetur, quando quis dormiens baptizaret cum intentione præterita non retractata; eo quod non perseveraret illa intentio virtualiter, quando poneretur actio exerna propria Ministri Sacramentorum. Hinc idem Dicast. infert, quod si effundens aquam e fenestra cum intentione conferendi Baptismum, voluntatem retractet, antequam aqua perveniat ad abluendum, adhuc Baptismus conferatur, quia actio Ministri posita est sufficienter humano modo, & cum intentione debita. Matrimonium tamen, quia habet rationem contractus, non conficitur, quando fit per Procuratorem, si antequam Procurator contractum celebret, suam intentionem retractet Principalis: Sicut nec valeret Professio religiosa facta similiter per Procuratorem: Et quamvis validum sit Matrimonium celebratum per Procuratorem, si quando celebratur, Principalis dormiat, aut sit ebrius, quia intentio Principalis manet virtualiter in Procuratore, qui est veluti ejus organum: Dubium tamen est apud Doctores, an sit validum, si quando celebratur per Procuratorem, tunc Principalis sit amens. Affirmant Sanch. Bonac. Henr. negat vero Lugo disp. 8. de Sacram. num. 108. cum aliis.

VII. Dico quarto, intentio conditionata de præterito, vel de præsenti satis est ad valorem Sacramenti; ut patet ex praxi Ecclesiæ; sæpe enim quis baptizatur sub conditione; si scilicet non est baptizatus, si est capax, &c. At intentio conditionata de futuro non sufficit, nisi in solo Matrimonio, quippe quod sequitur naturam, & leges contractus. Verbi gratia, si quis dicat: Ego te baptizo, si cras pluet, non confertur Baptismus; neque nunc, ut patet, quia non est purificata conditio; neque cras conditione purificata. Et ratio est, quia non est in potestate Ministri suspendere effectum Sacramenti, illumque disjungere a materia, & forma ipsius, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ: In tantum autem, ut notat Perez de Matrim. disp. 18. lib. 8. valide, & licite celebratur matrimonium sub conditione de futuro, verbi gratia, si Papa dispenset, si Pater consenserit, &c. quia cum materia, & forma Sacramenti matrimonii sit ipse contractus absolutus, & contractus, quando est conditionatus, non transeat in absolutum, nisi purificata conditione; ideo ante purificationem conditionis non habentur omnia constitutiva Sacramenti matrimonii; atque adeo non suspenditur effectus Sacramenti, positis omnibus ejus constitutivis: Contra vero, si quis baptizaret, verbi gratia, sub conditione de futuro, poneret hodie omnia constitutiva Sacramenti, materiam scilicet, & formam adæquatam, at effectum Sacramenti suspenderet, quod fieri non potest. Quod si quis baptizet sub hac conditione, videlicet, si Deus nunc prævidet te salvandum, valide baptizaret; quia conditio esset de præsenti, quamvis imprudentissime apponeretur; nec sine culpa; cum Christus noluerit Sacramenta conferri sub conditionibus impertinentibus, & occultis.

Dices; potest absolutio a censura dari sub conditione de futuro, verbi gratia, si cras restituas, ita ut validitas absolutionis suspendatur usque ad eventum conditionis: ergo etiam absolutio a peccatis.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Absolutio enim a censura pendet a voluntate absolventis, ideoque potest esse valida ad ejusdem arbitrium: Contra vero absolutio a peccatis pendet a Christi institutione: Est autem contra institutionem Christi, posita materia, & forma, suspendere ad arbitrium effectum Sacramenti; quamvis non sit contra institutionem, quod dato Sacramento valido, & informi, suspendatur effectus Sacramenti usque ad remotionem obicis.

VIII. Dico quinto: Intentio indirecta, seu in causa non sufficit ad valorem Sacramenti: Verbi gratia, si quis prævidens se in ebrietate, vel somno baptizaturum aliquem, inebriaret se, & illum baptizaret, Baptismus esset irritus: Quod est verum, etiamsi non solum id prævidisset, sed etiam intendisset, ita ut eo consilio se inebriasset, ut alium baptizaret. Ratio eadem est, quia actio Sacramentalis debes esse actio humana, quæ fiat ab homine, qua homo est: quando autem dormit, vel ebrius est, non operatur ut homo, cum careat

reat usu rationis. Unde apparet, quid intersit inter operationem factam a distracto, & factam ab ebrio, vel dormiente: Nam ebrius, & dormiens habent rationem omnino ligatam, ita ut usu rationis omnino careant; unde non se habent ut homines, nec sunt in statu operandi humano modo: Contra vero ditractus est in statu operandi humano modo, & utitur usu rationis in ordine ad actum præsentem, quamvis non utatur perfecte attendendo ad finem illius.

Neque dicas: Validus est baptismus susceptus ab ebrio, vel amente, si ante amentiam, vel ebrietatem illum petierit: ergo pariter Baptismus collatus ab ebrio, aut amente.

Nam concesso antecedente, negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia ad suscipiendum Sacramentum satis est voluntas habitualis, ut dicemus art. 7. quia suscipiens Sacramentum non se habet active, sed passive, ideoque non debet esse principium alicujus actionis factæ humano modo, & ab homine ut homo est, sicut debet esse Minister Sacramentorum. In solo Matrimonio per Procuratorem celebrato potest Principalis dormiens, aut ebrius valide contrahere: quia etiam tunc moraliter, & virtualiter influit per mandatum in voluntatem Procuratoris, non secus ac si vigilaret.

Neque iterum dicas, quod si quis prævideat se occisurum inimicum in ebrietate, & ideo se inebriet, ac illum occidat, est homicida: ergo similiter si Minister Sacramenti ideo se inebriet, ut in ebrietate Sacramentum administret, & de facto administret, valide administrabit. Negatur enim consequentia; quia ad rationem homicidii sufficit, quod sit volitum in causa, quia universim qui vult causam, censetur velle effectum ex ea profluentem; & tam contra justitiam est velle mortem inimici in se, quam velle illam in causa: Et eodem modo esset Martyr, qui prævidens, se in somno occidendum propter fidem, dormiret, & occideretur. At ad conferendum valide Sacramentum requiritur, quod illud conferatur per actionem humanam, quæ illud vel actualiter, vel virtualiter directe intendat. Hinc, ut advertit de Lugo disp. 8. de Sacram. num. 110. sicut non est perjurus, qui prævidens se in ebrietate prolaturum verba perjura, ideo se inebriat, ut illa proferat, & de facto profert; quia ad rationem perjurii requiritur, ut verba perjura sint humana, qualia non sunt, quæ in ebrietate proferuntur; ita in casu nostro.

IX. Quæritur quinto; Si Minister habeat intentiones contrarias, quænam debet prævalere? Verbi gratia, si velit facere, quod instituit Christus Dominus, nolit tamen facere, quod intendit Ecclesia Romana?

Respondeo, & dico primo, si voluntates istæ contrariæ sint simul, prævalet, quæ est magis absoluta, & prædominans, seu quæ remaneret irrevocata, cognita earum in compossibilitate, altera revocata: Utra autem sit talis, debet cognosci ex dispositione Ministri, si magis sit affectus circa unam, quam circa alteram: Quod si de hoc dubitetur, dubius erit valor Sacramenti.

Dico secundo: Si voluntates contrariæ sint successive, tunc vel prior est omnino absoluta, & virtualiter revocativa cujuscumque posterioris non revocantis illam explicite, & illa erit prædominans; ad eum modum, quo si quis in priori Testamento addat clausulam revocativam posterioris testamenti non revocantis explicite illud prius, in tali casu prius testamentum prævalet; expediebat enim hoc homini obnoxio oblivioni, ut possit extendere deliberationem præsentem ad revocandas deliberationes posteriores: Vel prior voluntas non continebat virtualiter vim derogatoriam subsequentis voluntatis, & tunc posterior æque efficax, & absoluta erit prædominans. Ratio est, quia prior voluntas non amplius perseverat moraliter, quoties succedit secunda contraria, quæ a prima non sit revocata.

Quod si dubitetur de prædominio istarum voluntatum, dubius erit etiam valor Sacramenti. Aliquando tamen in dubiis standum est pro Sacramenti valore, quando scilicet ex communiter contingentibus habetur præsumptio, & moralis certitudo excludens omnem formidinem de voluntate faciente ad valorem Sacramenti: Verbi gratia, si hæreticus velit baptizare, & nolit se conformare Ecclesiæ Romanæ, putans hanc errare, non est credibile illum nolle Sacramentum conferre, si sciret Ecclesiam Romanam non errare, ita ut potius velit Sacramentum esse nullum, quam velit conformare se Ecclesiæ Romanæ non erranti: Contra vero Abyssini, qui contraherent Matrimonium cum pacto dissolubilitatis, non sunt præsumendi, quod vellent Sacramentum Matrimonii suscipere, si cognoscerent aliter illud non posse suscipi, quam cum pacto indissolubilitatis; quia communiter non contingit illos velle indissolubile Matrimonium inire.

X. Quæritur sexto: An intentio conferendi Sacramentum personæ determinatæ obstet valori Sacramenti, si persona illa varietur?

Respondeo, certum esse, quod si intentio dirigatur ad personam determinatam, ita ut alia explicite excludatur, invalide Sacramentum conferatur, si persona illa sit alia ab ea, quæ est in intentione Ministri: At si explicite non excludatur, sed conferatur absolutio, vel baptismus ei, qui putatur Sortes, & sit Paulus, vel fœmina, tunc omnia Sacramenta, excepto Matrimo-

trimonio, valida sunt. Ratio est, quia in solo Matrimonio error circa personam est error substantialis; in reliquis Sacramentis est accidentalis; etenim in solo Matrimonio per se spectatur individuum; quia Matrimonium ordinatur ad individuam consuetudinem vitæ, quæ maxime pendet ab individuitate Personæ, si sit appetibilis, vel respuibilis: Contra vero qui baptizat, vel absolvit, &c. parum curare solet de individuitate Personæ; atque adeo intendit baptizare præsentem, quicumque ille sit.

XI. Quæritur septimo; Quænam universim requirantur in Ministro, ut valide, & licite conferat Sacramenta?

Respondeo, ad validam Sacramentorum collationem, præter intentionem conficiendi Sacramentum, & applicationem materiæ, & formæ a Christo institutæ, requiri etiam potestatem ad illud conficiendum. Hinc Sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ unctionis valide confici potest a solis sacerdotibus, Sacramentum Pœnitentiæ a solo Sacerdote habente jurisdictionem; Sacramentum Ordinis, & Confirmationis solum ab Episcopo; (quamvis ex dispensatione Sedis Apostolicæ possit a simplici Sacerdote conferri Confirmatio) sicut etiam prima tonsura, & Ordines minores; Baptismus potest valide a quolibet utriusque sexus conferri: Matrimonium a baptizatis, qui possunt valide inter se Matrimonii contractum inire.

Ad licite vero Sacramenta ministranda; Primo requiritur, ut præter potestatem a Christo Domino derivatam, habeatur etiam ab Ecclesia facultas ministrandi illa. Quare peccat graviter Episcopus, qui in aliena diœcesi Ordines confert sine illius Episcopi facultate: Peccat simplex Sacerdos conferens auctoritate propria alienis ovibus sacramenta: Peccat Laicus baptizans extra necessitatem: Peccant omnes, qui per censuras, vel Ecclesiæ statuta privati sunt vel jure, vel usu administrandi sacramenta, & tamen illa administrant.

Secundo requiritur, ut Minister in administrandis sacramentis servet ritum, seu modum, quem Ecclesia, vel universalis consuetudo præscripsit: unde peccat graviter, qui, verbi gratia, in consecratione Calicis non admiscet aquam; Latinus, qui consecrat in fermentato, &c. Poterit tamen aliquando ex parvitate materiæ peccari leviter, ut si quis utatur idiomate vulgari sine scandalo in collatione Baptismi privati. Hinc etiam est quod graviter peccet, qui utitur materia, aut forma probabili, omissa tutiore, aut si utatur jurisdictione dubia extra casum necessitatis.

Tertio requiritur, quod sit in statu gratiæ, & Sacramenta indigne petentibus non ministret, prout diximus quæsito 3. & fusius explicabimus quæst. 4. art. ult. cum de Ministro Eucharistiæ.

Quæritur octavo; Utrum in administratione sacramenti liceat sequi opinionem probabilem, omissa tutiore?

Respondeo, proscriptam esse ab Innoc. XI. primam illam Thesim, in qua id permittebatur in iis, quæ spectant ad valorem Sacramenti, videlicet in iis, quæ spectant ad materiam, & formam Sacramentorum. Pro cujus explicatione plurima fuse diximus in damnatarum Thesium Trutina. Hic breviter recolo, idcirco id esse illicitum, quia exponeretur periculo frustrationis Sacramentum; sicut autem contra legem peccat, tam qui illam transgreditur, quam qui exponit se periculo illam transgrediendi; ita adversus reverentiam debitam Sacramento, atque adeo adversus virtutem Religionis peccat, tam qui illud frustratur, & invalide administrat, quam qui exponit illud periculo frustrationis: Et quamvis non peccaret adversus reverentiam Sacramento debitam, ut nonnulli docuerunt apud Vasq. part. 2. disp. 63. & Sanch. lib. 1. cap. 9. adhuc peccaret contra charitatem qui sic Sacramentum administraret; sicut enim contra Charitatem peccat Medicus, qui utitur pharmaco probabiliter conferente sanitatem, omisso tutiore, quod præ manibus habet, ita a fortiori in casu nostro; Exponitur quippe proximus periculo carendi fructu Sacramenti, qui est longe præstantior salute corporali, quæ in discrimen vocatur per usum pharmaci probabilis, relicto tutiori. Putat etiam Sanch. disp. 44. num. 15. contra Dicastil. quod peccetur etiam contra justitiam; quia Minister Sacramentorum eo ipso, quod vult illa administrare, tacite se obligat ad ea ministranda, prout suscipiens vult, ut sibi ministrentur; qui proculdubio non vult, juxta probabilem opinionem, omissa tutiore, illa suscipere. Quare post hanc proscriptam Thesim communissime docent contra Dicast. part. 1. tract. 13. resol. 2. quod etiamsi Sacramentum non sit ad salutem necessarium, adhuc graviter peccetur, saltem contra reverentiam illi debitam exponendo illud periculo frustrationis. Ex quo etiam sequitur, ut notat Carden. contra Vasq. disp. 146. quod eodem modo graviter peccet suscipiens Sacramentum, si per consimilem usum opinionis probabilis exponat illud periculo frustrationis.

Hinc tamen non fit; quominus licitum sit, tam in conferendis, quam in suscipiendis Sacramentis uti opinione moraliter certa, omissa tutiore, quia moralis certitudo non relinquit prudentem timorem periculi nullitatis. Quare sicut in articulo mortis, quando moribundus habet certitudinem moralem, quod elicuerit actus Theologales præceptos fidei, spei, & charitatis, non tenetur iterum, iterumque sine fine conari ad illos eliciendos; ita qui moraliter certus est de valore Sacramenti, non tenetur adhi-

adhibere materiam, aut formam tutiorem, præsertim si commode non possit. Hinc potest pœnitens accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, quamvis tutior sit sententia requirens Contritionem; siquidem moraliter certum est, quod attritio sufficiat. Pariter potest Confessarius absolvere cum jurisdictione probabili, ut fuse ostendi qu. 3. de Jubil. art. 2. . Quamvis enim videatur exponi periculo nullitatis Sacramentum, quatenus irritum esset Sacramentum, si jurisdictio revera non haberetur; nihilominus cum certum moraliter sit, quod Ecclesia parens benignissima jurisdictionem suppleat, si forte deesset, idcirco habetur moralis certitudo de Sacramenti validitate, etiamsi cum jurisdictione solum probabili conferatur; quod tamen non accidit, si conferatur cum forma, aut materia solum probabili, eo quod non possit Ecclesia supplere defectum materiæ, aut formæ Sacramentorum a Christo Domino institutæ. Non est tamen dubium, quod possit adhiberi materia, aut forma solum probabilis, quando nequit haberi certior; immo in casu necessitatis licite adhibetur materia, ac forma dubia conferendo tunc Sacramentum sub conditione, quod ea materia, aut forma sit valida; non secus ac licite confertur sub conditione Sacramentum subjecto dubie capaci; Verbi gratia, si dubitetur, an adhuc vivat Petrus, qui petiit baptizari, licite ei confertur Baptismus sub conditione, quod sit illius capax; non enim irrogatur injuria Sacramento exponendo illud periculo nullitatis, quando aliter non potest subveniri homini indigenti, cum ob hominis utilitatem institutum sit. Qua de causa advertit Schildere de Con. tract. 6. num. 2. quod si dubitetur, an pœnitens sit rite dispositus, & si dimittatur, ut diligentius se præparet, non facile ad Confessionem redibit, poterit absolvi sub conditione quod sit dispositus, quia talis spes gratiæ per Sacramentum causandæ, & adducendi deinceps pœnitentem ad meliorem frugem, videtur esse sufficiens necessitas conferendi illud sub conditione, ac exponendi periculo nullitatis, quod etiam notavit Arri. disp. 20. n. 1.

Similiter juxta opinionem probabilem administrari possent Sacramenta, quando aliter non sine magna difficultate illa possent administrari; ut multi docent apud Illsunc, tom. 1. disput. 1. num. 77. quandoquidem Christus Dominus noluit Sacramentorum administrationem esse moraliter impossibilem, & odiosam fidelibus. Quare sicut possumus uti materia, aut forma dubia, aut probabili in collatione baptismi, quando nequit physice haberi materia certa; ita pariter quando est moraliter impossibile, ut materia certa habeatur. Propterea advertit Carden. disput. 2. num. 25. quod extra mortis articulum licite conferatur absolutio pœnitenti, de quo solum probabilitatem habemus, quod sit dispositus, & verum habeat propositum emendationis; aliter Sacramentum pœnitentiæ redderetur odiosum, & scrupulus obnoxium, si semper exquirenda esset certitudo moralis de dispositione pœnitentis, excludens formidinem de opposito. Equidem tamen puto, quod in casu, quo pœnitens ostendit se esse dispositum, non solum habeatur opinio probabilis de ejus dispositione, sed etiam moralis certitudo, non quidem absoluta, sed respectiva, hoc est respectu Sacerdotis, qui aliam majorem certitudinem habere non potest sine magna difficultate, ut dicebam in Trutina in Exposit. Thesis 1. Innoc. XI. n. 23. Ad eum modum, quo in tractatu de fide dicimus, rusticum audientem a Parocho Verbum esse incarnatum, teneri ad id credendum; quamvis nemo teneatur credere fide firmissima mysterium, (ita ut potius velit vitam deserere, quam fidem) nisi habeat moralem certitudinem, quod illud Deus revelaverit; quamvis enim auctoritas Parochi dicentis Deum id revelasse de se non ferat, nisi opinionem probabilem; at in talibus circumstantiis, in quibus non datur prudens motivum de mendacitate, aut ignorantia Parochi, ejus auctoritas parit certitudinem moralem relate ad rusticum, non quidem absolutam, sed respectivam, quatenus non potest rusticus facile majorem habere certitudinem, & ideo tenetur credere fide firmissima; Et idem dicendum in casu nostro; unde non confertur absolutio pœnitenti probabiliter disposito sine certitudine morali respectiva talis dispositionis. In eo tamen Doctores conveniunt, quod licitus sit usus opinionis probabilis in iis dumtaxat, quæ spectant ad materiam remotam Sacramenti, quando Sacramentum non exponitur periculo frustrationis: secus vero si exponeretur: Verbi gratia, quia exponitur periculo nullitatis baptismus, quando aqua, quæ est materia remota, est solum probabiliter aqua naturalis, (quia tunc etiam ablutio cum tali aqua esset solum probabiliter materia proxima, unde esset solum probabiliter validum Sacramentum) idcirco non licet cum tali aqua baptizare: Contra vero, quia non exponitur periculo nullitatis Sacramentum Pœnitentiæ, quando probabilitas versatur circa materiam remotam, quæ sunt peccata; (ut si quis justta probabilem opinionem solum confiteatur circumstantias mutantes speciem peccatorum, non vero circumstantias aggravantes) quandoquidem etiamsi hæc opinio non subsisteret, adhuc haberetur vera materia proxima hujus Sacramenti, nempe contritio, & confessio omnium peccatorum, quæ tenetur pœnitens explicare; idcirco licitum est uti opinione probabili, relicta tutiore, circa hujusmodi materiam remotam Sacramentorum.

AR-

ARTICULUS V.

De Primario effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

I. *Quid ferat primarius Sacramentorum effectus, quid secundarius?*
II. *Omnia novæ legis Sacramenta causant gratiam ex opere operato.*
III. *Necnon specialem gratiam Sacramentalem; sicut etiam gratiam virtutum, & donorum.*
IV. *At in subjectis inæqualiter dispositis gratia inæqualis causatur.*
V. *Pariter perfectius Sacramentum uberiorem gratiam confert, cæteris paribus.*
VI. *Possunt Sacramenta virorum per accidens primam gratiam causare.*
VII. *Quonam tempore Sacramenta, præsertim Eucharistia, causant gratiam?*
VIII. *Num etiam Eucharistia, cum fictione suscepta, sublato obice, reviviscat?*
IX. *Quomodo fictio, seu obex tollatur?*
X. *Physice ne, an moraliter gratiam Sacramenta causant?*

I. DUplex est Sacramentorum effectus, alter primarius, qui est gratia, alter secundarius, videlicet Character, qui a tribus Sacramentis irreiterabilibus, videlicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimitur. Gratia est qualitas supernaturalis, qua justificamur, seu per quam sumus consortes divinæ naturæ, ita ut per illam filii Dei nominenmur, & simus, & consequenter sumus etiam Dei amici, cum non possit filius non esse de se amicus; & demum sumus hæredes Regni cœlestis, dicente Apostolo: *Si filius, & hæres*; Character vero est etiam quædam qualitas indelebilis impressa animæ in signum muneris, & Sacramenti suscepti, seu ascriptionis fidelium ad aliquam dignitatem, de quo dicemus art. seq.

II. Quæritur nunc primo, An omnia Sacramenta novæ Legis ex opere operato conferant gratiam?

Respondeo, & dico primo: Omnia hæc Sacramenta causare gratiam. Est de fide ex Trident. sess. 7. can. 6. Etenim de Baptismo dicit Scriptura Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* De Confirmatione Actor. 8. dicitur, quod *per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus*; De Eucharistia Jo: 4. *Qui manducat meam carnem, &c.* De Pœnitentia Jo: 20. *Quorum remiseritis, &c.* De Extrema Unctione Jacob. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum*: De Ordine 2. ad Timoth. 2. *Ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem, &c.* De Matrim. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Ex quibus infertur Sacramenta non esse mera signa gratiæ dandæ a solo Deo ad illorum præsentiam, sed etiam esse veras causas gratiæ, ut est de fide ex Bellarm. de effectu Sacramentorum cap. 2.

Dico secundo: Gratia ab his Sacramentis causatur ex opere operato, hoc est ex institutione Christi; ita ut si aliquando detur etiam actus meritorius operantis in tali casu, præter gratiam, quæ confertur ex opere operantis correspondens actui meritorio, & dispositioni suscipientis, conferatur etiam gratia Sacramentalis ex opere operato juxta institutionem Christi Domini. Id tamen verum est, dummodo per peccatum mortale obex gratiæ non ponatur. Ita communiter ex Trident. loc. laud. Et ratio est, quia nisi ex opere operato causarent gratiam, non posset baptismus collatus infanti a malo Ministro gratiam causare.

III. Dico tertio. Omnia Sacramenta novæ Legis, præter gratiam justificantem conferunt ex opere operato specialem gratiam Sacramentalem propriam uniuscujusque Sacramenti, consistentem in speciali auxilio in ordine ad finem, ad quem Sacramentum est ordinatum: Verbi gratia, Baptismus dat gratiam specialem regenerativam, seu auxilium ad suscipienda alia Sacramenta digne, ad servanda Christi præcepta, Christianæque vivendum; Confirmatio dat gratiam roborativam, seu auxilium roborans ad fidem profitendam; Pœnitentia dat auxilium ad peccata detestanda, & ad satisfaciendum pro peccatis; Eucharistia dat gratiam emundativam, seu gratiam nutrimentalem, hoc est auxilium ad præcavendas, & superandas tentationes, & ad crebros virtutum actus eliciendos; Extrema unctio dat auxilium ad facilius resistendum tentationibus in articulo mortis; Ordo dat auxilium ad recte obeunda Sacramenti Ordinis munera; Matrimonium dat auxilium ad fovendum mutuum amorem conjugum, & fidem inter ipsos servandam. Conferuntur tamen hujusmodi auxilia per hoc, quod cum gratia justificante collata per Sacramentum conferatur specialis exigentia fundata in solo Dei decreto relate ad hujusmodi auxilia, quæ sunt gratiæ actuales. Et ratio est, quia nisi ita conferrentur, deberet dici, quod gratiæ a diversis Sacramentis collatæ essent speciæ diversæ; non debemus autem sine fundamento ponere gratias Sacramentales specie inter se differentes contra sensum communem Theologorum, qui docent gratiam per quamcumque Sacramenti susceptionem intendi: non posset autem intendi, si specie differret una ab altera.

Adde, quod vi Sacramentorum præter gra-

tiam

tiam justificantem, seu gratiam gratum facientem, & gratiam Sacramentalem datur tertia gratia, quæ dicitur Virtutum, & donorum, videlicet fidei, spei, pœnitentiæ, temperantiæ, &c. quæ dicuntur virtutes infusæ, quia infunduntur, vel augentur simul cum gratia. Ita communiter, & constat ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi habetur, homines justificari *per susceptionem gratiæ, & donorum*: Quamvis autem de fide solum sit, quod in Baptismo præter gratiam, dentur virtutes infusæ, fidei, spei, charitatis; communiter tamen Doctores, & Patres docent conferri per omnia Sacramenta, præter gratiam, etiam virtutes omnes morales infusas, & ad augmentum gratiæ has augeri, tanquam proprietates gratiæ; sicut ad productionem, & augmentum ignis producitur, & crescit calor: Quicquid sit, an istæ virtutes morales, necnon virtus theologica Charitatis identificentur cum gratia, an ab illa distinguantur? quod controvertitur apud Shcolasticos.

IV. Quæritur secundo, an omnia Sacramenta æqualem gratiam conferant?

Respondeo, & dico primo: Sacramenta ejusdem speciei æqualem gratiam conferunt in subjectis æque dispositis; inæqualem vero in subjectis inæqualiter dispositis: Verbi gratia, duo baptismi collati duobus infantibus, æqualem illis conferunt gratiam; collati vero duobus adultis inæqualiter dispositis conferunt gratiam inæqualem; ita ut melius dispositus non solum recipiat majorem gratiam ex opere operantis respondentem proprio actui meritorio, sed etiam ex opere operato respondentem institutioni Christi Domini. Ita communiter: Et ratio est, tum quia in Trid. habetur sess. 6. can. 7. justificari unumquemque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam uniuscujusque dispositionem, & cooperationem: Tum etiam, quia nos ex causis naturalibus debemus proportionaliter philosophari ad causas supernaturales, quoties non habemus revelationem in contrarium; cum universim Gratia naturam imitetur; causæ autem naturales majorem effectum producunt in subjecto magis disposito: Tum demum, quia ita decuit, ut homines sic excitarentur ad recipienda Sacramenta cum meliori dispositione.

Hinc infert Coninck dub. 3. num. 52. quod recipiens Sacramentum in gratia majorem gratiam cæteris paribus recipiat, quam ille, qui attritus per Sacramentum justificatur; tum quia ille est magis dispositus, cum sit gratus Deo; tum etiam quia duplicem gratiam recipit, alteram respondentem proprie devotioni, & ex opere operantis, alteram respondentem Sacramento, & ex opere operato; ubi attritus solam gratiam ex opere operato recipit, quia attritio illa, utpote peccatoris, non est satis ad merendam gratiam, sed est solum dispositio ad recipiendam in Sacramento gratiam ex opere operato.

V. Dico secundo: Sacramenta diversæ speciei, verbi gratia, Baptismus, & Confirmatio, collata duobus æque dispositis, ex se non conferunt æqualem gratiam, sed perfectius Sacramentum majorem gratiam causabit. Unde Eucharistia, quæ est omnium Sacramentorum perfectissimum, maxime inter reliqua gratiam causat. Ita D. Thom. 3. part. quæst. 65. art. 3. apud Trullench. Et ratio est eadem, quia sicut agens naturale perfectius perfectiorem causat effectum, ita agens supernaturale.

Dico tertio: Sacramenta non conferunt gratiam majorem per hoc, quod a meliori Ministro conferantur; quamvis bonus Minister possit impetrare aliquod auxilium, seu motum suscipienti Sacramentum, ut melius ad illud se præparet. Ratio est, quia sicut improbitas Ministri non obstat, quin gratia per Sacramentum conferatur; ita major probitas Ministri non confert ad hoc, ut uberior gratia conferatur: gratia enim non confertur ob meritum Ministri, sed ob merita Christi Domini. Unde Nazianzenus ait, quod sicut sigillum ferreum, & aureum eandem figuram imprimunt, ita bonus, & malus Minister eandem gratiam conferunt.

VI. Quæres tertio, an omnia Sacramenta conferre possint primam gratiam?

Notandum Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ dicuntur mortuorum, ex sua institutione ordinata esse ad conferendam primam gratiam, sive ad conferendam gratiam peccatori nullam præhabenti gratiam; dubium ergo nunc est, an sicut hæc Sacramenta conferunt primam gratiam, si suscipiens ad illa accedat cum sola attritione; ita pariter possint alia Sacramenta, puta Eucharistiæ, aut Extremæ Unctionis, conferre peccatori primam gratiam, si ad illa peccator accedat cum sola attritione, immemor tamen invincibilis peccati mortalis; nam si peccati recordaretur, teneretur procul dubio præmittere confessionem, aut saltem urgente necessitate contritionem.

Respondeo nunc ad quæsitum affirmative. Ita communius. Ratio est, quia in Trident. sess. 7. can. 6. habetur: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem non conferre, anathema sit*. Atqui in casu adducto, qui cum attritione ad Eucharistiam accedit, non ponit obicem gratiæ; ergo per Eucharistiam, & alia Sacramenta vivorum etiam prima gratia conferri potest. Minor probatur: nam sicut peccatum non est obex gratiæ in Sacra-

cramentis mortuorum, videlicet Baptismi, & Pœnitentiæ, si quis ad hæc sacramenta cum attritione accedat; ita nec in casu nostro. Quod autem peccatum cum attritione non sit obex gratiæ, solum in Sacramentis institutis ad delenda mortalia; in illis vero Sacramentis sit obex, gratis assumitur. Neque dicas, reliqua Sacramenta esse Sacramenta vivorum, atque adeo primam gratiam supponere. Nam satis est, quod per se id habeant, quamvis per accidens in casu posito possint primam gratiam causare: Sicut ex opposito Sacramenta mortuorum per se primam gratiam producunt, & tamen possunt etiam secundam gratiam causare per accidens, iis videlicet, qui cum contritione ad illa accedunt; nec non iis qui solum venialia, aut mortalia remissa clavibus subjiciunt.

Ex hac probabili sententia inferunt non pauci apud Dian. part. 11. tract. 7, resol. 43. posse etiam laicos ministrare Eucharistiam moribundo, si desit Sacerdos; cum enim nequeat aliud Sacramentum suscipere, & forte non poterit contritionem elicere, ne decedat cum sola attritione, & damnetur, ideo ex gravium Auctorum suffragio cum Suar. Con. Laym. laudatis a Busemb. tract. 3. cap. 2. probabile est posse a laicis Sacramentum Eucharistiæ administrari, ut consulatur extremæ indigentiæ moribundi, qui per susceptionem hujus Sacramenti ex attrito fieret contritus, & salutem æternam consequeretur.

Neque hinc fit, quod possit Sacerdos ad dandum viaticum moribundo, aut sine sacris vestibus, aut sub una tantum specie, aut non jejunus celebrare, prout nonnemo contra communissimam docuit apud Mendo in Statera disp. 1. quæst. 2. & apud Busemb. lib. 4. tract. 3. cap. 2. Ratio est, quia in his casibus, in quibus reperitur Sacerdos, poterit regulariter in moribundo Sacramentum Pœnitentiæ administrari, vi cujus ex attrito fieret contritus; unde non extreme indigeret Sacramento Eucharistiæ, sicut in casu nostro, in quo supponitur nullum aliud Sacramentum posse moribundo administrari. Ubi adverte, quod licet possit, & teneatur moribundus sumere viaticum, etiamsi non sit jejunus, non proinde poterit Sacerdos non jejunus celebrare ad dandum viaticum, ut communius docent contra Granad. & alios apud Lugo disp. 15. de Sacr. num. 67. quorum sententiam ipse Lugo, & Tamb. putant esse probabilem.

Ratio disparitatis est, quia cum præceptum sumendi viaticum sit præceptum divinum, & præceptum non communicandi a non jejuno sit præceptum Ecclesiasticum, & hac de causa possit moribundus non jejunus communicare, quia præceptum divinum prævalet præcepto Ecclesiastico; Nihilominus præceptum celebrandi juxta ritum, & ordinem ab Ecclesia præscriptum, ob reverentiam tanto Sacramento debitam, est quoddam præceptum naturale, quod prævalet præcepto divino positivo; unde sicut non potest Sacerdos ad dandum viaticum moribundo celebrare sine sacris vestibus, aut sine ara consecrata, aut in fermentato, ita nec poterit celebrare non jejunus, dummodo moribundus (ut advertit Filliuc. apud eundem Lugo) possit aliud Sacramentum, puta Pœnitentiæ, aut extremæ Unctionis suscipere; aliter poterit non jejunus celebrare, ut probabiliter docet idem Filliuc. & Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num, 21. Potest etiam ex eodem Lugo Sacerdos moriturus, aut occidendus celebrare non jejunus ad dandum sibi viaticum, si non possit aliter viaticum sumere. Ratio Lugonis est, quia dispensatum universim est ab Ecclesia, quod moribundus non jejunus possit viaticum sumere: cum autem non sit plus celebrare, quam communicare sine jejunio, sicut licite potest Sacerdos moribundus communicare sine jejunio, ita poterit celebrare sine jejunio ad dandum sibi viaticum, si non possit aliter illud sumere. Huic tamen doctrinæ non acquiesco, quia præceptum non celebrandi sine consueto ritu Ecclesiæ videtur pro quolibet casu militare; unde censeo, quod tunc possit Sacerdos communicare non jejunus ad dandum sibi viaticum, quando non potest aliud Sacramentum suscipere, quo fiat ex attrito contritus; sicut diximus ex Filliuc. & Laym. quod possit non jejunus celebrare ad dandum viaticum alteri moribundo, in hypothesi, quod hic non posset aliud Sacramentum suscipere, & scandalum cesset: sicut etiam, quod possit in eodem casu a Laicis Eucharistia moribundo ministrari, ut posset ex attrito fieri contritus. Non est autem mirum, quod moribundus præsente Sacerdote possit in aliquo raro eventu viaticum sumere; (ut proinde possit Sacerdos ad illud conferendum non jejunus celebrare) non possit autem Sacramentum Pœnitentiæ ab eo suscipere; nam, si ita sensibus destituatur, ut non sit mentis compos, erit quidem capax sumendi Sacramentum Eucharistiæ, non secus ac est capax suscipiendi Sacramentum Extremæ Unctionis, non erit vero capax suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; eo quod ad ea Sacramenta suscipienda satis sit intentio habitualis; ad Sacramentum vero Pœnitentiæ requiruntur actus pœnitentis illud constituentes, quos elicere nequit qui non est sui, ac mentis compos: Quicquid sit, an huic conferri possit absolutio sub conditione, quod in tract. de Pœnitent. quæst. 5. art. 5. discutiendum erit.

VII. Quæritur quarto, quo tempore Sacramenta conferant gratiam?

Respon-

Respondeo, Sacramenta transeuntia (quæ scilicet consistunt in usu, & non sunt permanentia, sicut est sola Eucharistia) conferre gratiam in eo instanti, in quo materia, & forma habent perfectam significationem; verbi gratia in Baptismo, quando ablutio, & prolatio verborum gignunt perfectum sensum; dummodo tamen non ponatur obex; nam si quis cum fictione, seu cum mortali Baptismum suscipiat, recipiet tunc characterem, sed non gratiam. Ratio est, quia in eo instanti Sacramenta transeuntia dicuntur suscipi: ergo in eo instanti causant effectus Sacramentales; atque adeo Baptismus in eo instanti causat gratiam, & characterem, nisi detur obex: Cum autem peccatum non sit obex characteri, sed solum gratiæ, cum qua est incompossibile, & quam solus amittit Christianus peccando; ideo character semper imprimitur in quacumque valida susceptione Baptismi; gratia vero nonnisi quando nullus est obex. Idem proportionaliter dicendum de aliis Sacramentis, quæ consistunt in usu, sive characterem imprimunt, ut Confirmatio, & Ordo, sive non imprimant, ut reliqua.

Quod tamen attinet ad Sacramentum permanens, videlicet ad Eucharistiam; si absque fictione, seu citra mortalem culpam illud suscipiatur, confert gratiam in eo instanti, in quo in stomachum trajicitur; tunc enim dicitur manducari: Christus autem Dominus manducantibus promisit gratiam, cum dixerit: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Docet præterea Suar. disp. 63. de Euchar. sect. 7. Amicus, Franciscus de Lugo, Isambert. & alii apud Dian. part. 11. tract. 7. resol. 47. quod toto tempore, quo Christus Dominus in stomacho perseverat, gratiam conferat, si nova semper dispositio ponatur ex parte subjecti: & quamvis olim hæc opinio male audierit, nunc tamen ex Lugo disp. 12. de Euchar. sect. 2. num. 46. communiter recipitur, tanquam magis pia, & non levis probabilitatis. Et ratio est, quia cum Eucharistia conferat gratiam per modum cibi nutrientis, & manducatio sit solum conditio requisita, ut cibus nutriat, sequitur, quod quousque Eucharistia est in stomacho, animam nutriat, & gratiam producat, dummodo sit ex parte subjecti nova dispositio: Nam sicut lucidum statim illuminat, & quo magis applicatur, magis illuminat; ita Eucharistia quæ operatur, ut supra diximus, per modum causæ naturalis, statim gratiam, quam potest, causat, dum manducatur; & quo majorem dispositionem deinde reperit in suscipiente, dum in stomacho perseverat, eo majorem gratiam producit.

VIII. Dubium tamen est: An etiam Eucharistia cum fictione suscepta reviviscat, recedente fictione, saltem per attritionem?

Respondeo, omnes cum August. lib. 1. de Bapt. cap. 11. contra Donatistas docere; quod Baptismus cum fictione susceptus, recedente fictione, reviviscat, unde non debet iterum suscipi: Ex paritate Baptismi inferunt Doctores communius cum Suar. hic disp. 28. sect. 6. & disp. 63. sect. 8. Lugo disp. 9. sect. 6. & aliis, non solum Confirmationem, & Ordines, quæ sunt pariter Sacramenta irreiterabilia, recedente fictione, reviviscere, & gratiam producere, sed etiam reliqua Sacramenta, præter Eucharistiam; quia Extrema Unctio, & Matrimonium sunt etiam aliquatenus irreiterabilia, videlicet durante eodem mortis periculo, & eodem conjugio; unde expedit, ut gratia per hæc Sacramenta conferatur, obice recedente: Confessio Sacramentalis relate ad idem peccatum, quamvis reiterari possit, non tamen debet: unde data possibilitate hujus Sacramenti validi, & informis, pariter congruum est, ut reviviscat; quia sicut necessarius est Baptismus ad remissionem mortalis commissi ante Baptismum, ita necessaria est pœnitentia ad remissionem mortalis post Baptismum commissi. Eucharistia tamen, quia non est necessaria ad salutem, & potest iterari, communius docent, quod non reviviscat; hinc enim sequeretur, quod Sacerdos, qui per totam vitam sacrilege celebravit, si tandem contereretur, susciperet gratiam cumulatissimam, quam in tot Sacramentis recepisset, unde lucrum ex Sacrilegiis reportaret. Non desunt tamen, qui cum Coninck doceant; quod si obex tollatur, antequam species consumantur, reviviscat; quia tunc Sacramentum adhuc durat, & probabile est, ut diximus, conferre novam gratiam ex opere operato, si nova dispositio accedat. Probabile etiam est, quod aliqui docent (quos tacito nomine refert Henr. lib. 1. cap. 25. num. 7.) etiam consumptis speciebus reviviscere: quia Sacramentum hoc, inter reliqua præstantissimum, non debet carere activitate, qua reliqua pollent. Nec videtur absonum, quod post tot sacrilegia, remoto obice, gratia conferatur, quæ antea collata fuisset, si sine obice Sacerdos celebrasset; sicut non est absurdum, quod post sacrilegium commissum per susceptionem Baptismi cum fictione, remoto obice, gratia conferatur, quæ per Baptismum sine obice suscepta fuisset; id quippe maxime divinam munificentiam commendat.

IX. Dubium præterea est, quomodo fictio, seu obex removeatur?

Respondeo, tolli per illam eandem dispositionem, quam exigebat Sacramenti susceptio. Quare quia Baptismus, & Pœnitentia, quæ sunt Sacramenta mortuorum, non prærequirunt contritionem, sed solam attritionem, ut suscipiantur; ideo, si cum fictione, seu cum mortali recipiantur, removetur obex, seu deletur peccatum illud mortale, si post Sacramenti susceptionem pona-

ponatur attritio: Reliqua vero Sacramenta vivorum, si per accidens possunt causare primam gratiam, ut docent communius ad hoc, ut reviviscant, sufficit pariter attritio; si vero dicamus, quod non possint per accidens primam gratiam causare, tunc ut reviviscant, prærequirunt in peccatore vel attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, vel saltem contritionem; quia has dispositiones in utraque sententia requirunt, ut suscipiantur cum fructu, ut advertunt Vasq. Suar. Con. Lugo. Notandum tamen, quod si quis suscipiat Baptismum cum fictione, & deinde nullo alio peccato post Baptismum commisso atteratur, recipiet post talem attritionem gratiam Sacramentalem propriam Baptismi, qui reviviscit: Si vero hic post Baptismum novum mortale commisisset, non satis est sola attritio, ut Baptismus reviviscat, quia Baptismus non potest delere peccata post Baptismum commissa, nec potest dari in præsenti providentia remissio unius peccati sine alio; quare, ut reviviscat in tali casu Baptismus, requiritur vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ; (sic enim posita confessione mortalium post Baptismum commissorum, datur simul gratia Sacramentalis propria Sacramenti Pœnitentiæ, & propria Baptismi) vel saltem requiritur contritio continens votum pœnitentiæ, qua posita, & datur gratia debita contritioni ex opere operantis, & gratia propria Baptismi ex opere operato. Idem dicas, si quis post susceptum Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, novum mortale committat; non potest enim per solam attritionem prius Sacramentum reviviscere; cum non possit per illud remitti peccatum commissum post susceptionem illius.

Objicies primo. Sacramentum in voto susceptum confert sæpe gratiam, quando scilicet votum Sacramenti annectitur dilectioni Dei super omnia, vel contritioni; ut proinde Trid. sess. 13. cap. 8. dicat, effectum Sacramenti quandoque recipi per votum illius: ergo falsum est, quod Sacramentum nunquam causet gratiam ante ejus susceptionem.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Etenim in casu adducto recipitur gratia ex opere operantis debita tali actui, non vero ex opere operato debita Sacramento ex institutione Christi Domini; unde nec character imprimitur. Intantum autem Tridentinum dicit recipi effectum Sacramenti per votum illius, in quantum recipitur gratia de congruo, vel de condigno similis illi, quæ per Sacramentum conferri solet: Sicut a Sole haberi potest effectus ignis, in quantum haberi potest calor similis illi, qui ab igne producitur. Ex hoc autem quod suscipiens Baptismum in voto nec gratiam ex opere operato, nec characterem baptismalem suscipiat, fit, quod alia Sacramenta valide suscipere non possit; cum non sit intra ovile Ecclesiæ, qui non intrat in illam per januam suam, qui est Baptismus fluminis.

Instabis: Ergo si in ultimo instanti, quo perficitur significatio materiæ, & formæ Sacramenti, homo moreretur, non reciperet gratiam sacramentalem; quandoquidem tunc non esset in statu viæ, quod videtur absonum.

Respondeo, Vasq. hic disp. 32. sect. 9. num. 23. concedere sequelam: Alii vero docent, Deum ex sua providentia talem casum non permittere; vel si permitteret, conferre tunc gratiam in eodem instanti mortis intuitu Sacramenti cum debita dispositione suscepti. Sicut enim communius docent, quod si quis cum veniali decedat in eo instanti, quo moritur, remitteretur illa culpa per severissimum actum contritionis, vel amoris Dei post mortem elicitum; cum in Purgatorio pœna culpæ illi veniali debita luatur, sed culpa ibi non eradatur, nec possit anima ad Cœlum evolare, antequam illi culpæ omnes remittantur, cum nihil coinquinatum possit ingredi Regnum Cælorum: Ita dici pariter poterit in casu nostro, quod illud instans, in quo quis moritur, perinde se habeat, ac si moriens sit in statu viæ in ordine ad recipiendam gratiam Sacramentalem; cum id videatur consonum dignitati Sacramenti.

Objicies secundo, si Sacramenta, quæ consistunt in usu, causarent gratiam, quando ultimo completa est significatio materiæ, & formæ, verbi gratia, quando ablutio, & prolatio formæ est moraliter completa, sequeretur, quod ablutio, quæ jam præcessit, & verba, quæ præcesserunt, causarent gratiam: atqui quod fuit, non potest nunc actu causare: ergo.

Respondeo, duplicem esse sententiam circa causalitatem gratiæ propriam Sacramentorum: Alii volunt, Sacramenta causare gratiam moraliter, sive physice existant, sive non; sicut enim Baptismus ficte susceptus, recedente fictione, in communi sententia causat gratiam moraliter, cum physice non existat, quatenus scilicet movet Deum, ut gratiam physice producat: Ita pariter Baptismus, qui secundum ulimam particulam materiæ, aut formæ existit physice, poterit eodem modo causare moraliter gratiam: Alii volunt, Sacramenta, quando physice existunt, causare physice gratiam per potestatem obedientialem; & in hac sententia causatur physice gratia a Sacramentis solum secundum illam particulam materiæ, aut formæ, aut utriusque, quæ actu existit, quando ultimo completa est significatio materiæ, & formæ Sacramenti. Quare licet verum sit, quod non possint physice causare gratiam Sacramenta, quando nullatenus physice existunt, poterunt tamen illam

tunc

tunc causare moraliter, per hoc, quod actiones Ministri Sacramentorum, tanquam actiones Christi Domini principaliter operantis, moveant hic & nunc Deum ad causandam physice gratiam intuitu meritorum ejusdem Christi.

X. Quæritur ultimo, physice ne, an moraliter gratiam de facto causent Sacramenta?

Certum est, causam physicam esse illam, quæ reali influxu attingit effectum, ut ignis est causa caloris: Causam vero moralem esse, quæ non reali influxu, sed morali effectum attingit, quatenus realiter movet alium ad causandum physice effectum; seu causa moralis est illa, cujus intuitu alter physice causat effectum: Sic qui consilio, precibus, imperio inducit alium ad homicidium physice ponendum, dicitur causa moralis talis homicidii; & qui meretur gratiam, vel gloriam, exigendo, ut Deus producat physice gratiam, aut gloriam, dicitur causa moralis talis gloriæ: Sic preces dicuntur causa moralis remissionis debiti, si illarum intuitu debitum remittatur, & Chirographum dicitur causa moralis solutionis. Præterea tam causæ physicæ, quam morales, aliæ dicuntur principales, aliæ instrumentales. Sic ignis dicitur causa physica principalis productiva alterius ignis, & calor relate ad productionem ignis dicitur causa instrumentalis: Sic preces, vel consilium dicuntur causa principalis moralis relate ad homicidium ponendum; & Epistola, per quam preces adhibentur, dicitur causa moralis instrumentalis. His positis,

Respondeo, & dico primo, Sacramenta esse causas morales instrumentales gratiæ. Probatur, quia Deus intuitu Sacramentorum repræsentantium merita Christi producit gratiam: ergo sicut relate ad productionem gratiæ merita Christi Domini sunt causa moralis principalis; ita Sacramenta repræsentantia Christi merita sunt causa moralis instrumentalis. Ita Con. & alii apud Bonac. quod usque adeo verum reputant, ut censeant Sacramenta solum esse causas morales gratiæ, non physicas; quod verius etiam putat Filliuc. tom. 1. tract. 1. cap. 6. num. 108.

Dico tamen secundo, Sacramenta probabilius non solum sunt causæ instrumentales gratiæ morales, sed etiam causæ instrumentales physicæ, ita ut physice, & realiter, tanquam instrumenta elevata virtute divina immediate reali influxu gratiam attingant. Ita Bellar. Suar. disp. 9. sect. 2. & alii cum Bonac, quæst. 4. punct. 6. Probatur primo ex Scripturis, ubi dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. quæ verba eandem causalitatem videntur tribuere aquæ, & Spiritui sancto, atque adeo sicut Spiritus Sanctus causat physice gratiam, ita & aqua. Secundo, quia ex una parte non repugnat, quod causa naturalis per potentiam obedientialem elevetur ad effectum supernaturalem. Sic Christi Humanitas fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam, & miracula; sic intellectus, & voluntas elevantur ad eliciendos actus supernaturales; & ignis inferni elevatur ad torquendos spiritus: Ex altera parte dignius de Sacramentis sentimus, si dicamus non esse nuda signa, & veluti Chirographa, seu epistolas repræsentantes merita Christi, quorum intuitu gratia producatur, sed esse vere causas infallibiliter effectivas gratiæ per potentiam obedientialem: ergo dicendum, esse etiam causas instrumentales physicas; quando tamen sic possunt causare, hoc est quando physice existunt; nam quando physice non existunt, (ut accidit, quando Baptismus, verbi gratia, recedente fictione, causat gratiam) tunc procul dubio nonnisi moraliter causant: Et idem dicas de reliquis partibus Sacramenti, quæ præcesserunt, quando existit ultima pars, per quam ultimo completur significatio materiæ, & formæ Sacramenti. Et eodem modo solum causantur moraliter auxilia particularia, quæ exigit quodvis Sacramentum relate ad finem, ad quem est institutum: Et solum moraliter causatur a Sacramentis remissio pœnæ; cum talis remissio non sit quid physicum.

Rogabis, quid sit ista potentia obedientialis, per quam Sacramenta physice causant gratiam?

Respondeo esse aptitudinem in creatura, per quam nata est obedire Deo ad producendum scilicet cum Omnipotentia quicquid non implicat contradictionem: Quare non est aliquid distinctum ab ipsa creatura, sed est idem esse creaturæ, quod quia subjectum Deo est, natum est illi obedire. Disputant tamen Scholastici: Utrum quælibet creatura habeat hanc potestatem obedientialem, an vero sola creatura activa, quæ scilicet potest effectum aliquem naturalem producere, ita ut talis activitas adjuta ab Omnipotentia possit elevari ad effectum supernaturalem. Probabilius censeo, cuilibet creaturæ, etiamsi nullam activitatem naturalem habeat, inesse tale inchoamentum virtutis, vi cujus possit cum consortio Omnipotentiæ elevari ad producendum quodlibet: Sic enim magis consentanee de creatura subjecta Deo sentimus; ita ut etiam in hoc Deo subjiciatur, ut possit illi obedire. Quod si creatura careret tali potentia obedientiali congenita, adhuc possent Sacramenta per qualitatem inhærentem elevari ad effectum supernaturalem, ita ut effectus supernaturalis tribueretur Sacramentis, non quidem per accidens, ut calefactio per accidens tribuitur aquæ calidæ, sed per se: Ad eum enim modum, quo corpus beatum per se illuminat, quia exigit lucem, qua illuminet; ita quia Sacramenta sunt actiones factæ nomine Christi, ideoque continent meritum, & exigentiam ta-

lis qualitatis supernaturalis per se, & non per accidens effectum supernaturalem producerent. Et idem dicas, si omnipotentia non quomodocumque ex pacto assisteret, sed speciali modo inexisteret in Sacramentis, sicut Deus speciali modo inexistit Christo per unionem hypostaticam, & in Justo per gratiam, adeo, ut si non esset immensus, adhuc in iis esse deberet: Sicut enim in Incarnatione Verbum descendit de Cœlis, & peculiari pariter illapsu Trinitas descendit in animam Justi, juxta illud Christi Domini: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; ita pariter Spiritus sanctus in Sacramentis specialiter illabitur, & manet, ut notat D. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. dicens: *Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, & aquam consecraverit.* Et inferius dicit: *Spiritus Sanctus manens in Sacramentis latenter operatur.* Sed hac de re fusius in Scholastica Theologia diximus agendo de Sacramentorum activitate.

ARTICULUS VI.

De Secundario effectu Sacramentorum, qui est Character.

I. Quid sit Character Sacramentalis?
II. Quam connexionem inter se habeant Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis?
III. Quinque sunt Characteris hujus proprietates.
IV. Congruum fuit, ut solum a tribus Sacramentis irreiterabilibus Character imprimeretur in anima indelebiliter.
V. Quid in Sacramentis novæ legis dicatur esse Res tantum, Sacramentum tantum, & Res simul, ac Sacramentum.

I. CHaracter est vox Græca significans firmam figuram, aut signum, quo re aliqua ab alia discernatur; sicut ovis ferro candenti signata distinguitur a non signatis. In hoc sensu Patres accipiunt Characterem impressum in anima a tribus Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis. Nam per Characterem Baptismi Christianus, ac domesticus Christi a non Christiano discernitur; per Characterem Confirmationis discernitur miles fortis Christi a milite invalido; per Characterem Ordinis discernitur Minister Christi a non Ministro, seu ordinatus a laico.

Quæritur primo, quid sit iste Character, seu signum, & nota talis distinctionis?

Respondeo, esse qualitatem quandam specialem impressam, seu infusam a Deo in animam, qua homo redditur aptus ad Sacramenta recipienda, vel administranda, aut ad alia divini cultus opera. Ita communiter ex D. Thom. 3. part. quæst. 63. art. 2. Dicitur *Qualitas spiritualis*, & in hoc convenit cum aliis qualitatibus spiritualibus, sive talis qualitas reducatur ad qualitatem, quæ dicatur potentia, ut vult D. Thom. quia per Characterem homo fit aptus ad recipiendum, & ad operandum, &c. sive reducatur ad habitum, & dispositionem sine ordine ad operationem, ut putat Suar. Sicut enim pulchritudo, & sanitas est bona dispositio corporis, ita putant, quod Character sit veluti pulchritudo, & bona dispositio animæ, quæ habet rationem habitus, quia est difficile mobilis. Dicitur *impressa in animo*, ut denotetur, quod Angeli, qui Sacramenta non recipiunt, nullum habeant Characterem, & anima etiam separata characterem retineat. Christus Dominus characterem non habet; tum quia Sacramenta præter Eucharistiam non recepit: tum etiam quia character est signum servorum, militum, ac Ministrorum; Christus autem dominus est, Pastor, Dux, & Dominus. At Beata Virgo, quia Sacramentum Baptismi, & Confirmationis recepit, utrumque habet characterem. Dicitur demum, *qua homo redditur aptus &c*, ut ostendatur munus, & finis characteris; nam character Baptismi disponit hominem ad reliqua Sacramenta recipienda; & ideo Baptismus dicitur janua Sacramentorum: Character Confirmationis disponit magis ad reliqua Sacramenta suscipienda, necnon ad eliciendos actus fidei. Character Ordinis disponit ad exercenda munera, & opera cujusque Ordinis propria. Hinc D. Thom. loc. cit. characterem baptismalem vocat potentiam passivam, quia datur ad recipiendum; alios vocat potentias activas, quia præcipue dantur ad operandum.

II. Notandum præterea, Characteres istos habere inter se quandam connexionem: Nam Characteres Confirmationis, & Ordinis necessario supponunt characterem baptismalem; & ideo si Confirmatio, aut Ordo conferantur non baptizato, invalide conferuntur: Character tamen Ordinis non habet necessariam connexionem cum charactere Confirmationis; unde non confirmatus valide ordinatur. Immo Henriq. lib. 10. cap. 17. putat, quod citra culpam mortalem hic ordinaretur. Demum characteres Ordinum nec habent inter se necessariam connexionem; unde ordinatio facta per saltum valida est, si scilicet quis ordinetur Sacerdos, prætermisso ordine Diaconatus.

III. Ex dictis infertur, quinque esse proprietates characteris. Nam primo character consecrat animam Deo, tanquam templum quoddam: quare sicut in templo facilius exauditur oratio, excitatur devotio, dæmones arcentur; ita in anima habente characterem. Secundo, per illum transit homo in jus Dei speciale: unde Apost. primæ ad Corinth. 6. ait: *Non estis*

estis vestri, &c. Tertio, per characterem assimilamur Christo, sumus ejus membra, & distinguimur ab aliis. Quarto, est signum indelebile, cum recipiatur in anima incorruptibili, quæ nullum habet contrarium; unde in æternum durabit, etiam in damnatis: Congruum autem fuit, quod per peccatum character non deperdatur, quia aliter deberet homo post peccatum iterum baptizari, ordinari &c. Demum per characterem disponimur ad alia Sacramenta vel recipienda, vel administranda, &c.

Dices: In Patria habitus fidei, & spei supernaturalis desinunt, manente sola charitate, juxta illud Apost. *Charitas numquam excidit*: idque, quia fides, & spes in Patria non deserviunt, cum tales actus non exerceantur: ergo pariter desinere debet character; cum cesset ejus finis.

Respondetur, omisso antecedente, nego consequentiam: quamvis enim post mortem non remaneat potestas suscipiendi, aut conferendi Sacramenta; non proinde cessat finis characteris, qui est obsignare animam tamquam scriptam ad Christi familiam, militiam, aut ministerium, in decus, & ornamentum Beatorum, & in dedecus, & confusionem damnatorum.

IV. Quæritur secundo; quænam Sacramenta imprimant characterem?

Respondeo, neque Sacramenta legis naturæ, neque Sacramenta legis scriptæ impressisse characterem ullum. Ita fere omnes Theologi. Scotus putavit, Circumcisionem impressisse characterem. Sed communiter rejicitur, quia nec auctoritas, nec ratio firma stant pro hac sententia. Sacramenta vero legis novæ solum tria enumerata Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimunt characterem, & ideo sunt simpliciter irreiterabilia, ex Trid. sess. 7. cap. 9. cum non debeant iterum imprimere, quod semel impressum est indelebiliter. Congruitas hujus institutionis fuit, quia per ista Sacramenta homines deputantur ad aliquem gradum, & officium particulare; moris quippe est, ut qui officia habent particularia, præsertim publica, habeant etiam peculiaria signa, quibus discernantur: Homo autem per Baptismum fit Christi domesticus, & de ejus familia; unde ab aliis per signum stabile discerni debuit: Per Confirmationem qui erat domesticus Christi, fit ejus miles, unde pariter a non militibus debuit discerni: Per Ordinem fit Minister Christi, qui est gradus peculiaris: unde pariter debuit habere suum distinctivum. Reliqua vero Sacramenta, quia non conferunt specialem gradum, aut officium, non exigebant speciale discriminativum, ut notat Scotus in 4. dist. 6. quæst. 10. Nam quod domesticus possit comedere, & bibere, quod possit recuperare gratiam sui domini, & in extremo agone specialiter muniri, quod possit generare, &c. non sunt officia particularia, quæ requirant specialem designationem.

V. Missis aliis, quæ de Charactere Sacramentali discutiuntur in Scholastica Theologia, illud hic notandum ex communi Doctorum, tria esse in Sacramentis novæ legis: videlicet datur in iis Res tantum, Sacramentum tantum, & Res simul, & Sacramentum. Dicitur *Sacramentum tantum* id, quod significat, & non significatur; & hujusmodi est in omnibus Sacramentis materia, & forma. Dicitur *Res Sacramenti tantum*, quæ significatur, & non significat; & hoc est Gratia. Dicitur demum *Res simul, & Sacramentum*, quod significat, & significatur; & hujusmodi est character in Sacramentis, a quibus imprimitur; quia simul ab iis significatur, & simul significat potentiam explicatam suscipiendi, & ministrandi Sacramenta. In Eucharistia Corpus Christi dicitur esse Res simul, & Sacramentum; Sic etiam in Extrema unctione dicitur Res simul, & Sacramentum sanitas corporalis, quia significat sanitatem spiritualem, & significatur a materia, & forma talis Sacramenti. In Matrimonio vero vinculum Conjugum habet rationem rei simul, & Sacramenti: Et in Sacramento Pœnitentiæ contritio, ut docent communius; quatenus enim per Confessionem significatur, est res, & quatenus per Confessionem significat reconciliationem cum Deo, & peccatorum remissionem, est Sacramentum. Ubi tamen duo advertenda. Primum est, nomine Sacramenti hic non venire signum practicum gratiæ, nec partem constitutivam Sacramenti, sed solum venire signum pertinens ad Sacramentum; Character enim neque est signum practicum gratiæ, neque Sacramentum constituit. Alterum est, quod non sit necesse invenire in omnibus Sacramentis id, quod sit res simul, & Sacramentum, quamvis Doctores conentur illud adinvenire.

ARTICULUS VII.

De Suscipiente Sacramentum.

I. Nonnisi Viatores sunt capaces Sacramentorum.

II. Fœtus animatus probabiliter est capax Baptismi, quamvis nondum sit egressus ex utero Matris, si possit aliqualiter ablui.

III. Quænam intentio requiratur in suscipiendis Sacramentis?

IV. Intentio coacta sufficit, non tamen relate ad Matrimonium.

V. Quandonam requiritur intentio expressa, & formalis ad Sacramenta recipienda?

VI. An possit Extrema Unctio sub conditione conferri iis, qui videntur in statu peccati mortalis decedere?

VII. Nec intentio suscipiendi Sacramenta, (Matrimonio

monio excepto) sub conditione de futuro, nec intentio indirecta, nisi stet cum intentione habituali, sufficiunt ad valide ea suscipienda.

VIII. *Ad valide Sacramenta suscipienda (Pœnitentia excepta) nulla requiritur dispositio in suscipiente præter intentionem consonam.*

IX. *Ad fructum vero Sacramenti recipiendum requiritur sua animi dispositio.*

X. *Quandonam liceat a Ministris indignis Sacramenta suscipere?*

I. QUæritur primo, quinam sit capax suscipiendi Sacramenta?

Respondeo solos homines viatores esse capaces. Ratio est, quia instituta ea sunt solum in salutem, & remedium hominum, ideoque sunt signa sensibilia. Proinde Angeli sunt eorundem incapaces; tum quia sunt spirituales; tum etiam quia peccatum eorum est irreparabile, cum non habeant liberum arbitrium flexibile, ut notat D. Th. part. 1. quæst. 65. Ubi autem Psalm. 77. dicitur, *Panem Angelorum manducavit homo*, sit sensus, quod Angeli spiritualiter panem manducent, non quia suscipiant Sacramentum Eucharistiæ, sed quia Christo eniuntur, & fruuntur in æterna beatitudine. Nec Beati sunt Sacramentorum capaces, cum non possint in gratia crescere. Animalia irrationabilia possunt Eucharistiam comedere, non tamen dicuntur Sacramentum suscipere, quia non recipiunt Eucharistiam spiritualiter, & sacramentaliter, sed solum materialiter. Imo etiam homo, si comedat Eucharistiam, nolens Sacramentum suscipere, susciperet illam per modum bruti materialiter, & non Sacramentaliter; unde non diceretur suscepisse Sacramentum, nec satisfaceret præcepto communionis annuæ. Sic etiam materialiter tantum potest Eucharistiam suscipere, qui caret Baptismo; hic enim prærequiritur, ut possint valide reliqua Sacramenta suscipi.

II. Præterea notandum, non omnes homines esse semper cujusvis Sacramenti capaces. Omnes quidem sunt capaces Baptismi, non tamen antequam aliquatenus nati sint; dicente Domino, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* unde supponitur prima nativitas. Probabile tamen est, (ut fuse diximus in Theologia Scholastica disp. 1. de Gratia quæst. 7.) sufficere, quod abluantur, dum sunt in utero matris, si possit id fieri per aliquod instrumentum, aut dissecto latere matris; cum etiam dicatur natus, qui est conceptus in utero, juxta illud Matth. primo, *Quod enim in ea natum est*, ubi sermo est de Christo Domino, qui in utero Beatissimæ Virginis erat conceptus. Et quia hæc opinio est valde probabilis, ut constat ex iis quæ luculenter, ac eruditissime congerit non semel in suis Opusculis, ac in tractatu Probabilitatis P. D. Gabriel Gualdo Clericus Regularis, & alii apud Dianam p. 2. tr. 15. ref. 43. & p. 5. tr. 3. ref. 12. idcirco si possit hoc pacto Baptismus conferri fœtui animato nondum egresso ex utero matris, & periculum subsit, quod aliter sine Baptismo sit decessurus, datur obligatio conferendi illi hoc pacto sub conditione Baptismum; ne si sit capax, gloria æterna privetur. Pariter omnes homines capaces sunt Confirmationis, sed nonnisi post Baptismum, sine quo sicut Eucharistia nonnisi materialiter suscipitur, ita reliqua Sacramenta omnino invalide. Matrimonium, & Pœnitentia requirunt certam ætatem: Extrema Unctio præsupponit periculum mortis; & quod potuerit peccare illam suscipiens. Ordo pariter requirit sexum virilem.

III. Queres secundo: Qualis intentio requiritur in suscipiente, ut valide Sacramenta recipiat?

Respondeo, & dico primo, qui nunquam ratione usi sunt, ut infantes, & perpetuo amentes, possunt suscipere omnia Sacramenta, quorum sunt capaces, etiamsi nunquam præcesserit formalis intentio ea recipiendi, adeoque cum sola intentione interpretativa. Certum quippe est inter catholicos esse pueros, & perpetuo amentes capaces Baptismi, necnon Confirmationis ac etiam Eucharistiæ; cum olim infantibus utrumque hoc Sacramentum conferretur post Baptismum; Nunc tamen Eucharistia non est danda iis, qui nunquam usum rationis habuerunt, ut notat Becan. Coninck. Tambur. saltem ex tacito Ecclesiæ præcepto: Et consultius est juxta Ecclesiæ usum, (tum ne iteretur, tum ut devotius sumatur) non dare Confirmationem ante rationis usum. Certum etiam est, esse eosdem incapaces Matrimonii, & Pœnitentiæ, cum utrumque hoc Sacramentum requirat actus liberos in suscipiente. Incapaces pariter sunt Extremæ Unctionis, quia hoc Sacramentum iis dumtaxat conferri potest, qui potuerunt peccare. Quamvis ex Rituali dandum iis sit, quando dubitatur, an usum rationis habeant. Quod attinet ad Sacramentum Ordinis, D. Th. in supplemento quæst. 39. art. 2. cum communi docet, quod valide ab iisdem suscipiatur, (non secus ac Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia) Constat id ex Innoc. III. decretto lib. 5. decret. tit. 29. ubi conceditur; quod promotus ad Ordines ante annos discretionis sine eorundem iteratione possit in iis ministrare, quia scilicet valide illos suscepit: Esto peccet graviter, qui pueris illos confert; & sic ordinatus non tenetur ad castitatem vi voti, nisi illud postmodum ratificaverit: Et hæc est ratio, cur ad Ordines suscipiendos sufficiat in pueris intentio interpretativa, ut diximus art. 4. num. 7. quia scilicet Ordo Sacer fert in illo solum favorem, non

vero

vero onera annexa, nisi velit post usum rationis in eo statu perseverare.

Dico secundo, adultus, qui invitus Sacramentum suscipit, invalide illud suscipit, si loquamur de Sacramento transeunte: Sicut etiam adultus, qui nunquam habuit voluntatem suscipiendi Sacramentum, & deinde incidit in amentiam, ut docet expresse Innoc. III. cap. *Majores* de Baptismo §. *Item quæritur*: Et idem etiam communiter docent de adulto, qui nunquam Sacramentum expetiit, ne implicite quidem. Et ratio est ipsa Christi Domini institutio, quæ ex communi Doctorum, & Ecclesiæ sensu cognoscitur: Congruitas autem fuit; quia non decuit beneficia hæc maxima conferri adultis invitis, aut non expetentibus illa. Si tamen loquamur de Sacramento permanente, hoc est de Eucharistia, valide profecto ab iisdem suscipitur, ut patet; quia ante ejus usum Sacramentum est adæquate constitutum, sed suscipitur materialiter tantum, & sine fructu; non vero inquantum Sacramentum est: non secus ac si a bruto susciperetur; (imo sacrilege suscipitur, quando invincibilis ignorantia non excusat). Et ratio ex Lugo disp. 1. de Euchar. num. 121. est, quia intentio accipiendi Sacramentum Eucharistiæ est quasi applicatio cibi spiritualis, sicut contractus cibi corporalis est conditio ad hoc, ut cibus causet suum effectum. Quare qui Eucharistiam comedit solum ad explendam famem, aut qui hostiam recipit, nesciens eam esse consecratam, pariter sine fructu recipit Sacramentum, quia sine intentione illud recipiendi.

Dices: Valide, & cum fructu recipitur Extrema Unctio a destitutis usu rationis propter voluntatem generalem, & interpretativam, quam habent suscipiendi Sacramenta, quoties possunt; Et ideo communiter docent apud Croix lib. 6. punct. 1. num. 172. quod lapso in amentiam, qui antea peccare potuerit, conferri possit in articulo mortis Extrema Unctio, quamvis nihil de ea olim sciverit, propter generalem, & interpretativam voluntatem, quam habet suscipiendi suo tempore illud Sacramentum, ut diximus art. 4. num. 7. ergo etiam satis est talis voluntas interpretativa ad suscipiendam cum fructu Eucharistiam ab eo, qui comedit hostiam, quam nescit esse consecratam.

Respondeo, concesso antecedente nego consequentiam. Ratio est, quia intentio generalis, & interpretativa, quam quilibet habet, non est nisi recipiendi Sacramenta necessaria ad salutem more, & ritu Christiano in articulo mortis; & ideo si destituto sensibus in articulo mortis conferatur Eucharistia, fructuose illam recipiet; nemo autem habet voluntatem generalem suscipiendi Eucharistiam, quando comedit more profano in mensa, ac vescitur cibis quotidianis; & ideo in casu nostro Eucharistia non suscipietur cum fructu. Eodem pacto licet infanti valide conferatur Ordo Sacer; cum non requiratur in illo intentio suscipiendi illum, nisi tantum interpretativa, ut in Baptismo: At, si Ordo conferatur adulto dormienti, vel ei, qui post usum rationis incidit in amentiam, invalide confertur, cum non detur in istis intentio sufficiens ad Ordinem recipiendum: Nam quilibet solum habet intentionem generalem recipiendi Sacramenta communia, maxime in statu necessitatis, videlicet in periculo mortis; Ordo autem non est hujusmodi.

Dico tertio; ut valide Sacramenta suscipiantur ab adultis, satis est intentio suscipiendi illa mere habitualis, quæ scilicet aliquando fuerit, & non sit deinde retractata: Excepto tamen Matrimonio, in quo cum suscipientes Matrimonium sint etiam Ministri, habere debent saltem intentionem virtualem, quæ sit causa exprimendi hic & nunc consensum, vel per ipsos conjuges, vel per procuratores, in quibus mandatum Principalis moraliter perseveret. Ratio est, quia intentio ex parte suscipientis non influit in Sacramentum efficienter, sicut intentio Ministri, sed solum se habet ut conditio necessaria ex parte subjecti, ut susceptio sit voluntaria; ad hoc autem satis est voluntas habitualis, seu præterita, non retractata. Et ratio a priori est, quia sicut in reliquis actionibus, ut aliquis dicatur humano modo operari, debet habere intentionem saltem virtualem; contra vero ut aliquis dicatur voluntarie recipere, satis est intentio habitualis; ita in Sacramentis ministrandis requiritur intentio saltem virtualis, in suscipiendis vero habitualis.

IV. Notandum tamen, intentionem hanc diversimode in diversis Sacramentis requiri. Nam primo ad valorem Matrimonii non satis est intentio coacta, ut communiter docent, sive id proveniat ex natura talis contractus, sive ex lege Ecclesiæ irritante matrimonia contracta per metum gravem injuste incussum ad consensum extorquendum: Contra vero ad valorem reliquorum Sacramentorum satis est tam in Ministro, quam in suscipiente intentio coacta; quia metus non tollit voluntarium simpliciter, ut patet; unde vere peccat, qui metu mortis incensat idolum. Hinc licet Ecclesia ad continentiam obliget, qui sponte vult sacros Ordines suscipere, & culpabiliter renuit emittere votum castitatis; nihilominus qui coactus Ordines Sacros vult suscipere, ita valide ordinatur, & Characterem suscipit, ut ad continentiam non teneatur, possitque secluso scandalo nubere, ut suo loco dicetur. Ratio est, quia, ut notat Conink disp. 20. dub. 14. Ecclesia non obligat ad continentiam illum, quem non potest obligare votum, in hoc autem casu vo-

ſu votum caſtitatis, utpote gravi metu emiſſum, irritatur in cap. 1. & 6. *De his, quæ vi*; ubi non eſt ſolum ſermo de voto religionis, ſed probabiliter de quovis voto. Imo probabiliter ex Soto, Nav. Conink loc. cit. jure naturæ eſt irritum tale votum; ergo per metum gravem ordinatus nullatenus ad continentiam tenebitur.

Ubi notanda eſt diſparitas ex Conink inter juramentum, & votum; nam juramentum metu extortum a promiſſario obligat; quia poſita promiſſione facta homini, juramentum tali promiſſioni ſuperadditum obligat ad illam implendam in reverentiam Numinis invocati. At votum metu extortum non obligat, vel quia Deus non acceptat promiſſionem non liberam, ac ſpontaneam; vel quia, quamvis jure naturæ votum ſimplex metu extortum validum ſit, Eccleſiaſtico ſaltem jure irritatur, ut docet Sanch. lib. 4. diſp. 14.

V. Secundo, ad valide ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi in adulto requiritur intentio expreſſa, & formalis (quamvis habitualis) recipiendi illud; quia, ut ait Suar. Baptiſmus eſt janua, per quam in Eccleſiam intratur, & in ea fit prima profeſſio fidei, & legis Chriſtianæ. Verum Conink quæſt. 64. num. 103. Dicaſt. & alii apud Croix lib. 6. punct. 1. num. 168. putant ſatis etiam eſſe implicitam petitionem Baptiſmi, qualis eſt in eo, qui habet veram ſaltem attritionem de peccatis, verbi gratia, propter pœnas æternas, quas mereretur; cenſetur enim implicite petere Baptiſmum, quamvis de eo nunquam audierit; quia talis dolor includit virtualiter propoſitum ſervandi omnia præcepta, inter quæ unum eſt præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum: Lugo tamen diſput. 9. de Sacram. num. 130. negat hanc ſufficere, ut poſſint Infideles ignorantes invincibiliter veram fidem in phreneſi baptizari, ob voluntatem illam generalem ſervandi omnia præcepta divina, inter quæ eſt præceptum Baptiſmi: Et idem docet de Judæis ſervantibus legem Moyſis cum ignorantia invincibili veræ legis, ac de iis, qui in phreneſim inciderunt, antequam eis prædicaretur Evangelium; quia in his non præſumitur voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum. Equidem tamen cum Croix, & aliis ab eo laudatis cenſeo non eſſe his in caſu adducto denegandum Baptiſmum ſub conditione.

Similiter ad valide ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ requiritur intentio explicita ſuſcipiendi illud; quia, ut notat Suar. & Lugo apud Conink, ut poſſit Judex in foro Sacramentali proferre ſententiam, requiritur, ut pœnitens confeſſionem peccatorum ſenſibiliter ordinet ad abſolutionem impetrandam: Contra vero ad Extremam Unctionem, & Euchariſtiam valide, & cum fructu ſuſcipienda ſatis eſt voluntas implicita, & generalis, quam quilibet Chriſtianus habet vivendi, & moriendi in Eccleſia catholico ritu, & cum Sacramentis pro mortis articulo conſtitutis; & quia Eccleſia intentionem hanc præſumit de omnibus, quos non conſtat eſſe in ſtatu peccati, ideo Extremam Unctionem cuilibet ægroto in mortis periculo dat, etiam ſenſibus deſtituto; necnon Euchariſtiam etiam amentibus in articulo mortis, ſi non ſit periculum irreverentiæ, & rationis uſum aliquando habuerint; nam amentibus ab infantia non eſſe dandam, quia reputandi ſunt ut infantes, docent communiter, ut ſupra diximus apud Tambur. Quamvis enim ex Auguſt. Ambroſ. Dionyſ. Areopag. apud Becan. cap. 23. de Sacram. in ſpecie quæſt. 2. olim conſueverint dare infantibus Euchariſtiam, & conſuetudinem iſtam pro circumſtantiis illius temporis approbarit Trident. nunc tamen non expedire ob reverentiam Sacramenti, certum eſt. Præterea Conink loc. cit. putat, cuilibet baptizato exiſtenti in gratia, qui uſum rationis habuit, valide conferri Confirmationem; quia hoc ipſo quod pie, & catholice vixit, cenſetur aliquo modo deſideraſſe ſibi conferri ea Sacramenta, quæ omnibus Chriſtianis ſunt valde utilia, inter quæ eſt Confirmatio: Secus eſt de Ordine; quia, cum tantam ſtatus mutationem contineat, nemo poteſt cenſeri illum petere, ſi non habuerit aliquando expreſſam voluntatem illum ſuſcipiendi.

VI. Rogabis, An Extrema unctio danda ſit iis, qui in ſtatu peccati mortalis ſtatim ſenſibus deſtituti gravi morbo laborant?

Reſpondeo, dandam eſſe omnibus, niſi certo ſciatur aliquem eſſe in mortali, & de eo non eſſe attritum; facile autem præſumi debet, quod quivis ſit attritus, niſi forte aliquando in ipſo actu peccandi ita deſtituatur ratione, ut humanitus impoſſibile ſit eum doluiſſe de peccatis, ut expreſſe docet Auguſt. lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 1. ubi ait: *Ego non ſolum alios catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cum ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptiſmum; tamen ſi deſperati, & antea ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto*. Ubi notat Conink, D. Auguſt. loqui de iis, qui nulla ſigna pœnitentiæ dare poſſunt; aliter pro ſe reſpondere poſſent: dum autem dicit jacere pœnitentes, oſtendit, quid præſumendum ſit, & quid neceſſarium ſit ad fructum Baptiſmi recipiendum; ut conſtat ex iis, quę ſubdit, dicens: *Quis enim novit, utrum ante ſtatuerint perſeverare in peccatis, donec eſſent baptizandi?* Et conſequenter inſtante mortis periculo, & urgente neceſſitate Baptiſmi, præſumendum eſt, quod doluerint de peccatis. Hinc ſequitur, quod probabiliter iiſdem conferri poſſit abſolutio Sacramentalis,

talis, saltem sub conditione; nam procul dubio conferenda est moribundo absolutio, si illam ante petierit; qui autem catholice, etiamsi in peccato, vixit, censetur implicite petiisse Sacramenta, quæ conferri solent in articulo mortis, sicut qui conteritur, implicite petit Sacramentum Pœnitentiæ; cum velit observare omnia præcepta, inter quæ est præceptum confitendi. Quamvis autem ad absolutionem Sacramentalem præmitti debeat attritio, & confessio sensibilis peccatorum; at præsumendum facile, quod peccator instante mortis periculo doleat interius de peccatis; & anxietas illa præsumenda est, quod sit petitio sensibilis Sacramenti, & confessio sensibilis sufficiens, eo quod melior dari non possit: Nisi tamen aliquando, ut diximus, aliquis in ipso actu peccandi statim destituatur sensibus, ut impossibile humanitus sit eum dolere. Breviter dicendum, quod si possit huic moribundo dari absolutio sub conditione, (ut fere semper ea dari sic potest) poterit pariter ei dari Extrema unctio pariter sub conditione, si scilicet sit dispositus: non enim irrogatur injuria Sacramento, si sub conditione conferatur, quando non est moraliter certum, quod non possit prodesse.

VII. Dico quarto. Intentio suscipiendi Sacramentum sub conditione de futuro non satis est ad valide Sacramentum suscipiendum. Ratio est, quia non potest effectus Sacramenti suspendi, posita ejus materia, & forma, ut supra ostendimus art. 4. n. 7. cum de Intentione Ministri; ubi diximus, excipiendum esse Sacramentum Matrimonii, in quo ejus effectus non suspenditur, supposita materia, & forma, seu contractu absoluto Conjugum, per hoc, quod habeatur intentio contrahendi sub conditione de futuro.

Dico quinto; Intentio indirecta, qua quis aliquid censetur velle in causa, secundum se non sufficit ad valide suscipiendum Sacramentum: Verbi gratia, si quis credens se ebrium baptizandum, sponte se inebriaret, invalide baptizaretur. Ratio est, quia cum hac voluntate se inebriandi in eo casu, in quo est baptizandus, stare potest expressa voluntas contraria non suscipiendi Baptismum: ergo illa sola intentio indirecta non sufficit, nisi cum ea stet simul expressa voluntas suscipiendi Baptismum in ebrietate; sic enim habetur intentio habitualis requisita.

Confirmatur, & explicatur; qui libere aliquid facit, ex quo prævidet aliquid per accidens sequuturum, non censetur velle hunc effectum, nisi teneatur illum vitare: Verbi gratia; mulier prodiens libere cum moderato ornatu, & prævidens ex suo aspectu aliquem in genere excitandum ad peccatum: non censetur velle tale peccatum: tunc solum censetur velle hujusmodi peccatum, quando tenetur illud vitare, puta si absque ullo recto fine procaciter se ornat, prævidendo, quod sit ab aliquo turpiter concupiscenda: ergo in casu nostro, qui sponte inebriatur prævidens se baptizandum, non censetur velle Baptismum; cum non teneatur ab eo abstinere; atqui Baptismus invalide suscipitur ab adulto, nisi aliqua voluntas illius præcesserit: ergo si solum præcessit voluntas ista indirecta, invalide suscipitur: Secus vero si cum tali intentione indirecta habeatur etiam intentio habitualis suscipiendi Sacramentum, ut notavimus art. 4. laud. num. 8.

VIII. Quæritur tertio; Quænam alia dispositio, præter intentionem explicatam, requiratur ad valide Sacramenta suscipienda?

Respondeo, nullam aliam dispositionem requiri ad valorem Sacramenti, præterquam in Sacramento Pœnitentiæ, ad quod prærequiruntur actus fidei, spei, attritionis, &c. de quibus suo loco. Cæterum alia Sacramenta etiam ab hæreticis valide suscipi possunt, si habeant intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, aut quod instituit Christus Dominus, ut patet inductione; nam tria Sacramenta imprimentia characterem idcirco non sunt iteranda, si suscepta sint indigne, quia peccatum non obstat eorum valori; idemque dicas de Matrimonio, & Extrema Unctione, quæ iterari non possunt, durante eadem conjuge, & eodem morbo: Eucharistiam, quæ est Sacramentum permanens, valide suscipi etiam a peccatoribus manifestum est. Ratio autem a priori est, quia aliud est Sacramentum, aliud est effectus Sacramenti, videlicet gratia, quæ ad Sacramentum consequitur; peccatum autem licet opponatur gratiæ, non opponitur Sacramento; atque adeo qui nullam habet dispositionem ad gratiam, potest valide Sacramentum suscipere; excepto Sacramento Pœnitentiæ, ad cujus valorem requiritur attritio, quæ incompossibilis est cum peccato.

Quæritur quarto, quænam dispositio requiratur ad suscipiendum fructum Sacramenti?

IX. Respondeo, præter intentionem explicatam, requiri capacitatem ad valide suscipiendum Sacramentum; idque tum jure divino, tum Ecclesiastico: Unde sacrilege peccat femina suscipiens Ordines Sacros, vel Sacerdos, aut Professus, aut habens aliud impedimentum dirimens matrimonium, qui ducit uxorem; aut sanus, qui velit sumere Extremam Unctionem; aut accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ habens excommunicationem, &c. Secundo requiritur dispositio animi ad gratiam recipiendam, ita scilicet ut saltem habeatur attritio ab eo, qui accedit ad Baptismum, vel Pœnitentiam; & sit in gratia, qui accedit ad reliqua Sacramenta vivorum, ita ut magis peccet, qui suscipit Sacramentum indigne, quam qui ministrat indignis; quia ma-

major videtur irreverentia impedire; ne actio Sacramentalis, quæ est actio Christi Domini, habeat effectum suum primarium, videlicet gratiam, reddendo Sacramentum frustraneum, ac velut inutile, quam facere eandem actionem sine debita decentia, non auferendo ab ea, quantum est ex se, ejus effectum, & utilitatem. Demum non debent sumi Sacramenta a Ministris indignis, ut mox explicabimus.

X. Quæritur quinto, an liceat aliquando accipere Sacramenta ab indignis Ministris?

Respondeo, & dico primo: ab excommunicato vitando nullatenus licet accipere Sacramenta, cum cuilibet prohibitum sit communicare cum illo: unde, si in hac materia gravi quis communicaret cum tali excommunicato, peccaret graviter. Verum in extrema necessitate licitum est ab eo etiam Eucharistiam (ut putat Suar. contra Sayr.) accipere, necnon Extremam Unctionem, quia cessat talis prohibitio.

Dico secundo; ab excommunicatis toleratis contritis licite peti possunt Sacramenta citra necessitatem; cum non prohibeatur nobis illa petere, nec illi prohibeantur dare, sed solum iis prohibetur se ingerere ad danda Sacramenta, quæ non petuntur, aut ad actus jurisdictionis exercendos. Cum enim Concilium Constantiense, permittendo nobis cum excommunicatis toleratis communicationem, permittat petere ab illis Sacramenta, indirecte concedit illis, ut præmissa contritione Sacramenta conferant: Quare potest etiam ab illis peti Sacramentum Pœnitentiæ, cum non priventur jurisdictione. Missam tamen ab iis petere non licet, quia non possunt Sacramenta suscipere citra culpam.

Dico tertio; A Ministro, (sive sit proprius Parochus, sive non) quem scio esse in statu peccati mortalis, tunc possum petere, aut recipere Sacramentum, quando adest necessitas; vel rationabilis utilitas: verbi gratia, si urget impletio præcepti, aut si utile mihi est non multum differre usum Sacramentorum, dummodo non possim ea commode ab alio recipere. Ita D.T. 3. part. quæst. 64. art. 8. Suar. disp. 18. sect. 2. Conink. apud Trull. Ratio est, quia utimur jure nostro petendo Sacramentum, & Minister potest sancte illud ministrare præmittendo contritionem: unde sibi imputare debet, si indigne ministret: Quare sicut propter aliquod lucrum temporale licite possumus petere mutuum ab usurario, & juramentum ab eo, quem scimus per falsos Deos juraturum; ita in casu nostro. Idque verum est sive ille sit paratus, sive non; quia, existente casu, eadem ratio est de utroque, ex Vasq. de Pœnit. quæst. 93. art. 1. dub. 2. Si tamen causa rationabilis non existat, aut si alius Sacerdos commode haberi possit, tenemur abstinere a petendo ab illo, quia ex charitate tenemur impedire peccatum proximi, nisi habeamus necessitatem, aut rationabilem causam non impediendi. Verum Valent., & Suar. disp. 18. sect. 2. contra Sanch., Navar., & Bonac. hic quæst. 4. punct. 5. putant, quod si Minister sit paratus in mortali ministrare, possit ab illo peti Sacramentum, etiamsi possimus facile ab alio recipere; quia ex una parte petitur res utilis, quam alter sine peccato, si velit, præstare potest: ex altera parte non videtur grave damnum spirituale permittere peccatum, ad quod alius est paratus; eo quod solum permittatur peccatum externum illius, quod non est nova culpa, non vero peccatum internum, quia habitualiter in eo perseverat.

ARTICULUS VIII.

De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus.

I. Cur Sacramenta novæ legis septem?
II. Quinam sit ordo enumerationis, quinam dignitatis in Sacramentis?
III. De ritu, ac cæremoniis in Sacramentis conficiendis.
IV. Quid veniat nomine Cæremoniarum?
V. Num effectus aliquis ex opere operato ab his Cæremoniis producatur?
VI. Quænam dicantur Sacramentalia?
VII. Non remittuntur venialia a Sacramentalibus ex opere operato.
VIII. Quonam pacto vi Sacramentalium impetratur venialium remissio?

I. QUæritur primo, cur septem fuerint Sacramenta novæ legis a Christo Domino instituta?

Respondeo, congruam hujus rei rationem assignari, ut supra diximus art. 1. ex D. Th. quæst. 65. art. 1., quia Sacramenta instituta sunt, tam ad privatam cujusvis hominis, quam ad publicam totius populi Christiani perfectionem spiritualem: quare sicut in vita corporali requiruntur ex parte singulorum hominum tria per se, videlicet generatio, augmentatio, & nutritio; duo vero per accidens, videlicet, remedia ad morbos, (si homo ægrotet) & ad reliquias morbi, ut perfecte convalescat: ex parte vero Reipublicæ duo requiruntur, videlicet Principatus, & Magistratus, qui Rempublicam ordinent, & gubernent, & Parentes, qui propagent vitam corporalem hominis: Ita in vita spirituali hæc omnia requiruntur, Regeneratio per Baptismum; Augmentatio per Confirmationem; Nutritio per Eucharistiam; Remedium ad morbos per Pœnitentiam; & ad reliquias peccatorum per Extremam Unctionem, per quam etiam armatur homo ad sui de-

defensionem in extremo agone; Ordo, ut homines in spiritu regantur; & Matrimonium, quo ad cultum Dei deputati propagentur.

II. Quæritur secundo; Quonam ordine procedant Sacramenta?

Respondeo, Ordinem alium esse Enumerationis alium dignitatis: Ordo enumerationis est, ut diximus, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Et ratio est, quia primo ponenda sunt, quæ pertinent ad singulos homines, deinde quæ ad totam Communitatem; & inter ea, quæ ad singulos homines pertinent, prius ponenda quæ pertinent per se, deinde quæ per accidens, & omnia hæc eundem ordinem servant, qui servatur in vita corporali; In hac enim præcedit tempore generatio Augmentationi, hæc Nutritioni, & remedium ad morbos remedio ad reliquias morbi: Duo, quæ pertinent ad multitudinem, videlicet, Ordo, & Matrimonium, servant ordinem, seu rationem dignitatis, dignior enim est Ordo, quam Matrimonium.

Circa ordinem dignitatis, Baptismus præcellit omnibus quoad vim remittendi peccata; cum remittat etiam originale, & pœnam omnem peccatis debitam: Confirmatio excellit omnibus quoad effectum gratiæ actualis ad bene operandum, ut patet, quia Apostoli post Baptismum, & Eucharistiam susceptam erant timidissimi, ita ut in passione Christi omnes fugerent; post Confirmationem vero fuerunt robustissimi: Eucharistia præcellit omnibus quoad substantiam Sacramenti, cum ipsum Dominum contineat: Pœnitentia excellit omnibus necessitate post Baptismum: Extrema unctio aliquatenus excellit Pœnitentiā, eo quod conferat gratiam copiosiorem: Ordo pręcellit cæteris, eo quod constituit hominem in statu sublimiori, & ex domestico Christi facit Christi dispensatorem, & ministrum: Matrimonium præcellit reliquis significatione, quia significat unionem Christi cum Ecclesia; & ideo ab Apost. vocatur Ephes. 5. *Magnum Sacramentum*. Cæterum, simpliciter loquendo, Eucharistia excellit omnibus Sacramentis: tum quia, ut arguit D. Th. art. 3. continet substantialiter fontem ipsum Sanctitatis, & omnium Sacramentorum: tum etiam, quia omnia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, tamquam ad finem, Ordo ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem: Baptismus ad susceptionem; Confirmatio ad publicam frequentationem sine timore, & verecundia; Pœnitentia & Extrema unctio ad dignam susceptionem, Matrimonium ratione significationis ordinatur ad Eucharistiam, quia significat Christi cum Ecclesia conjunctionem, quam perficit Eucharistia.

III. Quæritur tertio, An valide administrentur Sacramenta sine ritu, & cęremoniis præscriptis?

Respondeo, duplicem requiri ritum in Sacramentis conficiendis; Alter dicitur essentialis, sive de necessitate Sacramenti, & consistit in materia, forma, & intentione Ministri, sine quibus valide non conficitur; Alter vero dicitur ritus accidentalis, seu de necessitate præcepti, & consistit in cæremoniis præscriptis, sine quibus valide, sed illicite Sacramentum administratur. Conveniens enim fuit cæremonias, seu ritus accidentales præscribere; tum ut fideles conveniant in modo colendi Deum, & in iis maxime quæ spectant ad ejus cultum; tum ut per cæremonias augeatur fidelium devotio, ut notat Suar.; tum etiam propter ornatum, & decorem, ut constat in vestibus sacerdotalibus; tum demum quia conferunt ad majorem quandam intelligentiam, & memoriam mysteriorum fidei: nam, verbi gratia, fere in omnibus Sacramentis adhibetur signum crucis, ut intelligatur ex passione Domini virtutem Sacramentorum provenire: In Baptismo præmittuntur insufflationes, & exorcismi, ut intelligatur infantem esse sub potestate Dæmonis per originale ante Baptismum. Quare Suar. disp. 16. sect. 2. Less., Azor., Valen., Reginal. apud Bonac. hic communiter docent, quod variare cæremonias ab Ecclesia institutas sit ex genere suo mortale; quamvis sæpe levitas materiæ excuset a mortali. Et ratio est, quia hujusmodi peccatum est contra religionem, quod ex genere suo est mortale, posita gravitate materiæ.

IV. Notandum tamen, quod cæremonia, generatim loquendo, significat quemcumque externum actum religionis, quo Deum colimus. Quamvis enim actus religionis, alii sint a tali virtute eliciti, ut genuflexio, Sacrificium, &c.; Alii imperati, ut sunt actus cujuscumque virtutis a virtute religionis ordinati ad Dei gloriam, ut eleemosyna, jejunium &c. tamen actus isti a virtute religionis imperati non dicuntur proprie cæremoniæ, sed solum illi qui a virtute religionis eliciuntur, dummodo sint externi, internis correspondentes, & non mere interni. Istæ autem cæremoniæ proprie dictæ, tam in veteri, quam in nova lege sunt quadruplices, videlicet, Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observantiæ. Per Sacrificia intelligebantur in veteri lege victimæ, seu hostiæ, immolationes, & libamenta; in nova lege est solum Missa, quæ est supremus cultus, quo excellentiam Dei profitemur: Per Sacramenta in veteri lege intelligebantur Circumcisio, Agnus paschalis, Sacerdotium legale, & variæ Expiationes: In nova lege sunt septem Sacramenta proxime instituta ad sanctificationem fidelium: Per Sacra tam in veteri, quam in nova lege intelliguntur instrumenta ad divinum cultum pertinentia, ut vasa, candelabra, altaria, vestimenta. Demum per Observantias intelliguntur festa, jejunia, genuflexiones, & cæ-

cæteræ actiones cæremoniales : & in nova lege usus etiam signi crucis , aspersio aquæ lustralis , &c.

Notandum secundo , quod illæ dici soleant Cæremoniæ Sacramentales , quæ ex institutione Pontificum , & Ecclesiæ adhibentur in Sacramentis , & Sacrificio Missæ , nec sunt de essentia , seu substantia illorum , sed adhibentur ad decentiorem usum Sacramentorum : & propterea vocantur cæremoniæ Sacramentales , seu , ut Theologi loquuntur , Sacramentalia ; ut sunt in Bapismo unctio , insufflationes , exorcismus , cruces , & alia hujusmodi : Verum quia istæ cæremoniæ ejusdem rationis sunt cum aliis ritibus , qui extra Sacramenta fiunt , & observantur , ut sunt prima tonsura , benedictiones , thurificationes , consecrationes Abbatum , & aliarum personarum , ideo vox Sacramentalium aliquando latius usurpatur , ita ut complectatur quemcumque religiosum ritum institutum ad pium aliquem usum .

Notandum tertio , quod istæ cæremoniæ Sacramentales , quamvis introductæ sint ad imitationem , seu exemplum Christi Domini ; unde manavit elevatio oculorum ante consecrationem , benedictio materiæ consecrandæ , usus miscendi aquam cum vino , & consecratio in azymo in Ecclesia latina ; non sunt tamen immediate a Christo Domino institutæ , sed ab Ecclesia . Christus enim dedit potestatem instituendi has cæremonias Apostolis , & eorum successoribus , ut colligitur ex prim. ad Cor. 4. ubi dicitur : *Sic nos existimet homo , ut Ministros Christi , & dispensatores mysteriorum Dei* , & ex prim. ad Cor. 11. , ubi dicit Apostolus : *Cætera autem , cum venero , disponam ;* ubi loquitur de ritu servando in dispensatione Eucharistiæ . Institutæ autem sunt , ut diximus , Primo , ut Sacramenta cum debito honore tractentur ; Secundo, ad excitandam , & augendam fidelium devotionem ; Tertio , ut fideles conveniant in modo colendi Deum , & sic fidelis populus ab infideli distinguatur , & unitas Ecclesiæ magis elucescat : Quarto, ad majorem expressionem , & memoriam mysteriorum fidei . Ex quibus sequitur , quod cum cæremoniæ istæ sacramentales sint actus virtutis religionis , & religiosi cultus Dei , ideo aptæ sint ad merendum augmentum gratiæ , & ad satisfactionem , si debito modo observentur .

V. Dubium tamen est inter Theologos , An cæremoniæ istæ Sacramentales , præter meritum , & satisfactionem , quam habent ex opere operantis , causent etiam , sicut Sacramenta , aliquem effectum , sive spiritualem , sive corporalem ex opere operato , seu ex propria virtute , & efficacia , hoc est ex institutione Ecclesiæ per potestatem ipsi factam a Christo Domino ? Suar. hic disp. 15. sect. 7. enumerat omnes effectus , qui sacramentalibus tribui possunt , videlicet gratiam habitualem , gratiam actualem , remissionem venialium , remissionem pœnæ temporalis , expulsionem dæmonis , & cohibitionem , ne lædat , ac demum sanitatem corporis ; ostenditque nullum ex his effectibus a Sacramentalibus conferri ex opere operato ; sed conferri aliquando , vel quia excitant pium aliquem motum , quo dolentes de peccatis eorum remissionem obtinemus ; vel per modum impetrationis , obtinendo sanitatem , aut aliud commodum corporale propter adjunctas Ecclesiæ preces , & orationes ; & consequenter fallibiliter , atque adeo non ex opere operato : quandoquidem effectus omnes , qui ex opere operato producuntur , infallibiliter producuntur ; quamvis aliquando producantur infallibiliter non simpliciter , sed positis aliquibus requisitis Deo tantum notis; ut per Extremam Unctionem confertur ex opere operato sanitas corporis , si ad salutem animæ expedit , quod uni Deo notum est .

VI. Quæritur ultimo , in qqo differant Sacramenta a sacramentalibus , quæ illo celebri versu continentur : *Orans* , *Tinctus* , *Edens* , *Confessus* , *Dans* , *Benedicens* .

Respondeo , Theologos per Sacramentalia simpliciter , & absolute dicta intelligere hæc dicto versiculo enumerata , quæ speciale quoddam remedium contra venialia afferunt ex auctoritate SS.PP. , & Scholasticorum , & ex sensu communi fidelium , videlicet , Oratio dominica , seu Pater noster , & Oratio in Ecclesia consecrata , Aspersio aquæ benedictæ , & quælibet unctio Sacramentalis , verbi gratia , quæ fit in manibus Sacerdotis , quando ordinatur , & in capite Episcopi , Comestio panis benedicti , (qui ab Augustino dicitur panis Catechumenorum , quia illis pro Eucharistia dabatur) Confessio generalis , idest Confiteor , ad quam reducitur tunsio pectoris , Erogatio Eleemosynæ , & Benedictio Episcopi , seu Abbatis consecrati , necnon Benedictio Sacrorum Cinerum , ac Benedictio facta cum hostia consecrata . Discrepant tamen Doctores in modo , quo venialia vi istorum Sacramentalium tollantur .

Prima opinio est Sot. , Valen. Henr. apud Becan. cap.32. de Sacramentis in specie quæst.6. docentium ex institutione Ecclesiæ habere vim remittendi venialia , non quia excitant, motum contritionis , vel attritionis , vel dilectionis Dei , sed ex opere operato; & ideo dici Sacramentalia, quia in hoc assimilantur Sacramentis . Ratio hujus opinionis est , quia hæc sacramentalia semper remittunt venialia , quin semper excitent in nobis pium motum , ut constat experientia ; immo eodem modo excitatur pius motus ab aqua benedicta, ac ab aqua, quæ putatur benedicta. Secunda opinio docet, hæc sacrameutalia remittere venialia

per

per modum impetrationis propter fidem, & orationes Ecclesiæ; nam Ecclesia; in benedictione aquæ, verbi gratia, adhibet quasdam orationes, quibus petit, ut res benedicta conferat ad salutem mentis, & corporis. Tertia demum opinio communior est, hujusmodi sacramentalia habere vim remittendi venialia ex eo solum, quia excitant in nobis vel memoriam, & sic detestationem illorum, vel alium pium motum amoris Dei, &c. Ita D. Th. & alii apud Becan. loc. cit.

VII. Dico equidem primo, per sacramentalia non remitti venialia ex opere operato.

Probatur ex Suar. t. 4. in 3. part. disp. 12. sect. 2., quia neque hanc efficaciam habent ex institutione Christi, cum non sint instituta a Christo Domino, (excepta tamen Oratione dominica) neque ex institutione Ecclesiæ, quia non constat datam esse a Christo Domino Ecclesiæ potestatem instituendi sacramentalia, quę ex opere operato effectum aliquem producant: Et dato, quod Ecclesia habuerit hanc potestatem, non constat, quod hæc Sacramentalia ad hunc effectum sint ab Ecclesia instituta: Immo oratio dominica, eleemosyna, & tunsio pectoris non sunt instituta ab Ecclesia.

Confirmatur. Tribus modis possunt Sacramentalia remittere venialia ex opere operato: Primo, conferendo gratiam habitualem, per quam tollantur; Secundo, conferendo gratiam actualem, qua excitemur ad contritionem de venialibus; Tertio, immediate remittendo venialia: atqui nullo ex his modis remittunt venialia ex opere operato; ergo. Probatur minor: non enim primo modo; quia sic non differrent Sacramentalia a Sacramentis; tum etiam quia, cum gratia non sit incompossibilis cum venialibus, non sufficit infusio gratiæ ad ea remittenda: Nec secundo modo, aut tertio, quia solus Deus est gratiæ tam habitualis, quam actualis Auctor, & solus Deus potest remittere peccata: ergo solus Deus potest instituere signa sensibilia; quę ex opere operatio gratiam conferant, aut peccata remittant. Potest quidem id Ecclesia per potestatem sibi factam a Christo; sed de hac potestate, ut diximus, non constat.

VIII. Dico secundo; quædam Sacramentalia vim habent remittendi venialia per modum impetrationis; Verbi gratia, aqua lustralis, & omnia, quæ benedicuntur ab Ecclesia, adjunctis orationibus petentibus aliquem effectum, possunt remittere venialia per hoc, quod Ecclesia illis orationibus impetret nobis contritionem, aut amorem Dei, aut alium pium motum, quo venialia remittantur. Alia vero Sacramentalia, cum quibus non adjunguntur Ecclesiæ preces, ut Tunsio pectoris, Oratio dominica, Confessio generalis, &c. vim habent remittendi venialia ex eo solum, quod excitent in nobis memoriam, & consequenter detestationem venialium, unde per talem detestationem remittuntur. Præterquam quod recitando, verbi gratia, Orationem dominicam possumus a Deo impetrare detestationem venialium, & sic eorum remissionem. Notandum tamen, talem effectum non esse infallibilem, quia non fundatur in ulla promissione Dei, sed in communi lege, & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum, nisi sub circumstantiis a Deo prædefinitis.

Neque dicas, quod si hoc esset verum, tam Oratio Dominica, quam, verbi gratia, Salutatio angelica esset sacramentale; utraque enim oratio excitat memoriam peccatorum, & sic detestationem; & utraque potest impetrare remissionem venialium.

Nam respondeo, magis id tribui Orationi Dominicæ, quia cum instituta sit a Christo Domino, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ Dei, ex natura sua facilius habet parere tales effectus: sic facilius tunsio pectoris, verbi gratia, quam genuflexio natura sua excitat memoriam, & dolorem peccatorum, ut constat experientia.

QUÆSTIO II.

De Baptismo.

AD Sacramenta in particulari descendimus: & Primo agimus de Baptismo, quia janua Sacramentorum est; quærentes primo, quid, & quotuplex sit? Secundo, quæ sit ejus necessitas, & quando fuerit institutus? Tertio, quænam ejus materia? Quarto, quænam forma? Quinto, de Ministro: Sexto de subjecto: Septimo de Effectibus Baptismi, & ritibus in eo observandis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Baptismus?

I. Diversimode Baptismus appellatur, ac definitur.
II. Baptismi Sacramentum est unicum, licet triplex sit Baptismus.
III. Cur Baptismus sanguinis non sit Sacramentum?
IV. Num in adulto peccatore ad Martyrium prærequiratur Contritio, an sufficiat attritio ad deletionem culparum?

V. Ad

V. Ad Baptismum fluminis in adulto requiritur intentio saltem habitualis, secus vero ad Baptismum sanguinis.

VI. Martyrium probabiliter effectus suos ex opere operato confert, dum vulnus lethale recipitur.

I. Baptismus est vox græca, quæ significat ablutionem, seu immersionem in aquam. Id enim solebat fieri olim ad repræsentandam Christi sepulturam, in qua nos resurreximus, juxta illud ad Colos.1.*Consepulti ei per Baptismum.* Vocaturque apud Patres Lavacrum, & Regeneratio, (per quam scilicet ex filio diaboli homo fit filius Dei) Circumcisio non manufacta, Donum, seu Gratia; quia in eo datur plenissime peccatorum, & pœnarum remissio ex mera Dei gratia. Dicitur etiam illuminatio, quia in Baptismo infunditur habitus fidei, quo illuminamur: & antonomastice dicitur Signaculum ratione Characteris; quæ omnia spectant ad quid nominis.

Definitur autem Baptismus tam a D.Th. per materiam, & formam, quod sit *Corporis ablutio sub præscripta forma verborum*: quam a Catechismo Romano per genus, & differentiam, quod sit *Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ*. Potest autem per omnes causas definiri, quod sit *Sacramentum emendativum, & configurativum Christi, consistens in ablutione aquæ, & certa forma verborum prolata ab abluente cum debita intentione*; Ubi explicatur causa finalis per ly *perfecte emundativum, & configurativum*: deinde explicatur causa materialis, ac formalis, ac demum efficiens.

II. Porro si loquamur de Baptismo proprie dicto, qui sit Sacramentum, non est nisi unicus, ut habetur ad Ephes.4.*Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*. Verum minus proprie sumptus est triplex, fluminis, flaminis, & sanguinis, juxta illud Jo. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis.* Baptismus fluminis est Baptismus Sacramentalis factus in aqua naturali: Baptismus flaminis est perfecta ad Deum conversio includens in voto Baptismum fluminis, & illius vicem supplens, ex Trid.sess. 14. cap.4.non tamen quoad omnes effectus, sed solum quoad remissionem culpæ; cum non imprimat characterem, nec tollat de se omnem reatum pœnæ, neque reddat hominem aliorum Sacramentorum capacem. Dicitur etiam Baptismus flaminis, quia fit per impulsum Spiritus Sancti, qui flamen nuncupatur. Demum Baptismus Sanguinis est sanguinis effusio pro fide, seu mors pro Christi fide, ac pro vera virtute tolerata, de qua dixit Christus Dominus filiis Zebedæi Marci 11.*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari*: Hic baptismus vices etiam baptismi fluminis gerit, quippe qui reatum omnem culpæ simul, ac pœnæ delet, non tamen imprimit caracterem: Et sicut baptismus fluminis prodest infantibus, ita etiam martyrium, ut patet in Sanctis Innocentibus, quos Ecclesia ut veros martyres colit: Martyr autem græce idem est, ac Testis, quia sua morte confirmat fidei veritatem.

III. Rogabis primo; cum martyrium ex opere operato remittat culpam, & pœnam, & sanctificet etiam infantes, cur non est appellandum Sacramentum?

Respondeo; quia Sacramentum debet esse signum consistens actione aliqua facta nomine Christi: Unde quando Judas, verbi gratia, baptizat, Christus est, qui principaliter baptizat, & Judas venit ut Christi Minister; at martyrium non est signum consistens in actione facta a Ministro, sed ab inimico Christi, cum sit actio facta a Tyranno. Præterea Martyrium sanctificat, inquantum passio est, Sacramentum vero, inquantum est actio. Denique Sacramentum est cæremonia sacra instituta ad Dei cultum; martyrium est fictio prava in Dei odium; quamvis ex parte martyris sit actus fortitudinis; & ideo martyrium non est Sacramentum: Sicut nec fuit Sacramentum Baptismus Joannis, cum non fuerit cæremonia permanens, nec institutus ad sanctificandos homines, sed tantum ut præpararentur homines ad Christi adventum; nec erat in præcepto, sed solum in consilio tempore prædicationis Joannis. Pariter non erat irreiterabilis, nec gratiam conferebat ex opere operato, aut characterem.

IV. Gravis est difficultas, Utrum ad hoc ut martyrium ex opere operato effectus suos in peccatore producat, prærequiratur contritio, vel dilectio Dei super omnia, an satis sit solum attritio, quæ est dispositio sufficiens ad Baptismum? Siquidem sine ulla retractatione peccatum actuale non remitti in præsenti ordine, certum est; cum doceat Trident.sess.17.cap.1. *Pœnitentiam omni tempore necessariam fuisse ad remissionem peccatorum*. Æquum enim est, ut is, qui propria voluntate se ad peccatum convertit, terga vertens Deo, propria etiam voluntate ad Deum se convertat. Ex eo autem quod martyri promittatur vita æterna a Christo Domino dicente, *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, non sequitur, quod sine retractatione peccatum actuale Martyri remittatur; nam etiam Baptismo promittitur vita æterna, cum dicatur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: & tamen non remittitur per baptismum peccatum actuale, nisi homo præparet se ad illum per attritionem. Ex quo sequitur, quod Deus vel non permittat, ut communiter docent, quod peccator aliquis mor-

tem pro fide, vel vera virtute subeat, ubi peccata præterita non retractavit; vel si hoc permitteret, deberet martyr ob peccatum non retractatum damnari. Neque enim velle martyrium subire propter virtutem, importat necessario dilectionem Dei super omnia: Nam potest aliquis velle potius mori, quam novum peccatum committere propter metum inferni, aut propter spem gloriæ, in quo casu non habetur dilectio Dei super omnia.

Ad gravem hanc difficultatem respondent quidam cum Vasq., prærequiri ad martyrium in peccatore contritionem, vel dilectionem Dei super omnia. Communius tamen docent satis esse attritionem; sicut satis est ad Sacramentum Baptismi; aliter salus non tribueretur martyrio, sed dilectioni Dei, nec martyrium bene diceretur supplere vices Baptismi; Quamvis enim deleret omnem reatum pœnæ, sicut Baptismus, at non haberet præcipuum effectum Baptismi, qui est deletio culpæ: Necessarium tamen est, ut is conetur ad contritionem, & confessionem præmittat, si possit, cum non debeat exponere animam suam periculo æternæ damnationis, sequendo hanc opinionem probabilem, omissa tutiore.

Neque dicas, Apostolum 1. ad Corint. 13. dicere: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo martyrium sine charitate non sufficit ad vitam æternam.

Nam Apostolus non dicit, charitatem ante martyrium præhabendam esse: Satis enim est, si per martyrium, posita attritione, gratia, seu charitas conferatur: Si autem attritio non præcedat, tamquam dispositio tollens obicem gratiæ, certe martyrium nihil prodest, ut diximus. Præterquamquod verba illa Apostoli possunt sumi, ut advertit Platellus, non negative, sed contrarie, ut sensus sit, quod effusio sanguinis pro Christo sine charitate, hoc est cum odio proximi, nihil prodest.

V. Rogabis secundo, An eadem intentio suscipiendi martyrium requiratur, quæ requiritur ad suscipiendum Baptismum?

Respondeo, infantes eodem modo esse capaces tam Baptismi, quam martyrii sine ullo actu positivo: at adulti, ut suscipere possint Baptismum, debent expresse illum aliquando voluisse suscipere actu positivo, & talem actum non retractasse: (in quo consistit habitualis intentio) Contra vero ut sint capaces martyrii, non debent illud prius actu positivo desiderasse; quare qui nunquam cogitavit de martyrio, si dormiens occidatur a tyranno propter fidem, est vere martyr, cum vere perdat animam suam propter Christum; nec martyrium consistat in ulla actione, sed solum in passione. Ratio disparitatis est, quia Baptismus fluminis ideo requirit positivam acceptionem in adultis, quia inducit novum statum, novamque obligationem, quæ libere suscipi debet ab homine libero: At Baptismus sanguinis non inducit novum statum, aut obligationem, sed solum novum præmium, quod Deus liberalissime confert morienti propter ipsum, si enim tale præmium sine ullo prævio actu datur infantibus infectis culpa originali, a fortiori dari debet adultis existentibus in gratia, atque adeo habentibus majorem dignitatem ad præmium. Adde, quod adultus justus interpretative refert ad Deum quicquid mali sustinuerit, quæ intentio interpretativa videtur sufficientissima. Verum quidem est, quod si dormiens sit in statu peccati mortalis, dum in odium fidei occiditur a Tyranno, gratiam, quæ causatur a baptismo sanguinis, non recipiat, sicut nec recipit gratiam, quæ causatur a baptismo fluminis, qui in statu peccati mortalis baptizatur. At communissime docent, Deum in præsenti providentia non permittere, ut in odium fidei peccator occidatur, antequam peccatum retractaret saltem per Attritionem supernaturalem.

VI. Rogabis tertio, quandonam martyrium producat effectus suos ex opere operato, in instanti ne mortis, an in instanti, quo recipitur vulnus lethale?

Respondeo, probabile esse, quod docet Suar. tom. 5. disp. 29. sect. 3. Bonac., Henr. contra Cajet., & Coninck quæst. 65. num. 159., quando martyr suscipit lethalem cruciatum, non vero quando moritur; unde non privatur fructu martyrii, qui recepto tali cruciatu miraculose a Deo liberatur; sicut liberatus fuit D. Joannes in dolium ferventis olei immissus, necnon Beatissima Virgo stans juxta crucem, tamquam Martyrum Regina. Ratio doctrinæ est, quia qui subiens mortis cruciatus a morte miraculose liberatur, dicitur mortuus in causa: ergo par est, ut tunc recipiat effectum martyrii, videlicet uberrimam gratiam, relaxationem totius pœnæ, & laureolam, idest præmium quoddam accidentale, quod martyribus tribuitur, consistens in quibusdam insignibus, & decoribus cicacricum, & in quodam gaudio accidentali; ut videre est apud D. Th. 3. part. quæst. 90. art. 7. Utrum autem post acceptos fructus martyrii maneat confirmatus in gratia, ita ut infallibiliter non sit amplius peccaturus? Putant Suar., & Bonac. valde probabile esse, utpote valde consentaneum divinæ providentiæ, quod Deus illum confirmet, ne gloriam sit amissurus. Probabile etiam est, ante adventum Christi Domini privilegium martyrii extitisse, cum Machabæi in numerum martyrum referantur.

ARTICULUS II.

De Institutione, & necessitate Baptismi.

I. Baptismus probabiliter ante Christi passionem institutus fuit.

II. Est

II. Est necessarius, tum necessitate medii saltem in voto, tum etiam necessitate præcepti divini.
III. Præceptum Baptismi non videtur obligasse ante mortem Christi Domini.
IV. Ignorantes legem Baptismi post mortem Christi Domini tenebantur ad Circumcisionem, sive ad legem naturæ, si ea nondum erat promulgata; post promulgationem vero talis legis, qui eam invincibiliter ignorant, si legem naturalem servant, illuminabuntur, ut baptizari possint, saltem Babtismo flaminis.

I. QUæritur primo, quandonam fuerit Baptismus institutus a Christo Domino?

Respondeo, Alios velle cum D. Th. & Vasq. institutum fuisse quando Christus fuit in Jordane baptizatus: Alios vero cum D. Chrysost., & Leone Papa apud Coninch, fuisse institutum post Christi Passionem, quando dixit Dominus, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Probabilius autem est, ante Christi passionem institutum fuisse; tum quia Joannis 4. habetur, plures baptizandos venisse ad Christum, quam ad Joannem, qui dixerat se baptizare in aqua, Christum vero in Spiritu Sancto; tum etiam quia Eucharistia, & Ordo instituta fuerunt in nocte ante passionem; ergo antecedenter institutus Baptismus, qui erat janua Sacramentorum: Sine fundamento enim dicitur Christum dispensasse tunc in hoc, quod reciperetur Ordo, & Eucharistia ante Baptismum.

II. Quæritur secundo, quanam necessitate necessarius sit Baptismus?

Respondeo juxta dicta quæst.1.art.2.esse necessarium, tum necessitate medii sive in se, sive in voto propter connexionem, quam habet ex natura sua cum salute æterna, posita Christi institutione; tum necessitate præcepti propter connexionem, quam habet cum salute æterna, etiam ratione obligationis per præceptum inductę de eo suscipiendo; quia quod est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, quamvis non e converso: Nec datur solum præceptum naturale Baptismi, utpote medii necessarii ad salutem; sed etiam positivum Christi Domini: quando enim Dominus dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* præcepit Apostolis, ut inquit Hieronym., quod Gentes fidem docerent, eisque baptismum præciperent: Hoc autem præceptum obligavit eos, qui erant tempore, quo Christus Dominus hanc legem tulit, etiam Apostolos, & B. Virginem, qui erant justificati, ut capaces fierent reliquorum Sacramentorum; Obligat etiam omnes infideles; obligatque adultos, ut quamprimum commode possunt, illum recipiant, vel saltem non multo tempore differant, ne se exponant periculo damnationis, & priventur maximis fructibus Baptismi; cum autem infantes ante usum rationis obligari non possint, obligantur eorum Parentes, aut Tutores, ut illis Baptismum procurent; idque non solum ex charitate, & pietate, sed etiam vi legis Baptismi. Unde peccant, si per longum tempus differant absque causa illorum Baptismum, verbi gratia, ex Soto per duodecim dies, & ex Ledesma per quindecim.

III. Quæritur tertio, quandonam cœpit obligare lex Baptismi pro universo Orbe?

Respondeo, probabile esse, quod non obligarit ante Christi mortem; quia non est credibile, quod Christus voluerit homines ad utramque legem, veterem, & novam simul obligare: lex autem vetus obligavit usque ad mortem Christi, ut patet tum ex scissione veli templi, quæ facta fuit tempore passionis, & ex Augustino significavit cessationem veteris legis; tum ex illis verbis Christi Domini in cruce prolatis, *Consummatum est*, quæ ab omnibus Doctoribus intelliguntur de cessatione veteris legis, ut communiter notant apud Bonac. Quare lex Evangelii cœpit obligare post mortem Christi eos, quibus sufficienter talis lex innotuerat: statim enim post legem veterem successit lex novi testamenti. Quia tamen talis lex non statim toti mundo promulgata fuit, ideo aliqui cum Bellarmino docent, hanc legem omnes obligasse die Pentecostes, quando Apostoli variis linguis novam legem publicarunt. Alii putant, universalem obligationem cœpisse paulo post excidium Hierusalem, quod accidit anno Salutis 73. hoc est quadragesimo post Christi mortem, quo tempore Apostoli Evangelium toti mundo prædicaverant: Et utraque opinio videtur probabilis Bonacinæ.

IV. Rogabis, quonam remedio salvabantur ii, qui post mortem Christi ignorabant legem Baptismi nondum promulgatam? & quonam remedio salvantur ii, qui post promulgationem legis Baptismi invincibiliter illam ignorant?

Respondeo ad primum, quod illi tenebantur ad Circumcisionem, seu ad remedium naturę, quia præceptum illius non fuit abrogatum usque ad promulgationem novæ legis, nec aliud remedium fuerat substitutum; aliter dicendum esset, quod homines illi tunc caruissent remedio ad salutem. Quare lex vetus cessavit in morte Christi solum relate ad eos, qui novam non ignorabant; sed relate ad omnes cessavit solum post promulgationem novæ legis factam toti mundo. Ad secundum, aliqui Doctores opinati sunt, quod isti damnentur, quia post generalem Evangelii promulgationem non restat aliud remedium tollens originale præter Baptismum aut in re, aut in voto. Sed Recentiores communiter cum D. Th. 2.2. quæst. 10. art. 7. pu-

7. putant, quod si naturæ legem servent, Deus daturus illis sit lumen, & speciale auxilium supernaturale, quo se valeant ad illum convertere per fidem stricte dictam, sine qua nemo salvus esse potest in præsenti providentia; necnon per spem, & charitatem; atque adeo per Baptismum in voto salvari: quod videtur conforme summæ pietati, & misericordiæ divinæ; ut fuse expendi in Trutina Antiquesnelliana, exponendo thesim vigesimam nonam a Clemente XI. proscriptam; necnon in Cursu Theologico disp. p. de Gratia quæstione octava. Immo juxta doctrinam Vasquii verosimilius si quis ex Infidelibus naturæ legem servaret, Deus sua providentia ita causas secundas combinaret, ut ibi præsto esset aliquis Concionator, qui illum mysteriis fidei instrueret, ac baptizaret; non secus ac Actorum 8. misit Deus Philippum, qui Eunuchum Reginæ Candacis edoceret, ut fide stricte dicta ad Baptismum disponeretur. Et Actorum 10. ad orationes Cornelii Centurionis misit Deus Petrum, qui Gentilibus mysteria fidei exponeret, ac deinde illos baptizaret.

ARTICULUS III.

De Materia Baptismi.

I. *Cur aqua naturalis sit materia remota Baptismi?*
II. *Quænam dicatur aqua naturalis?*
III. *Materia Baptismi proxime est ablutio, sive fiat per aspersionem, sive per infusionem, sive per unam, aut trinam immersionem juxta morem Ecclesiarum.*
IV. *Si ante tertiam immersionem infans decedat; eritne baptizatus?*
V. *Quid si abluatur in solo digito? aut si in puteum infans projiciatur animo illum baptizandi?*

I. CUm Baptismi materia duplex sit, altera remota, altera proxima, Quæritur primo, quænam sit materia remota Baptismi?

Respondeo esse aquam naturalem, ut definitur a Trident. sess. 5. can. 7. & colligitur ex illo Christi Domini: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Quare autem ita Baptismum Christus Dominus instituerit? congruentia fuit, quia aquæ est facillimus usus, & commoditas facilis, & aptitudo magna ad significandam internam munditiem, perspicuitatem, & refrigerationem ardoris concupiscentiæ, quæ causantur ab hoc Sacramento.

II. Hinc sequitur, quamlibet aquam naturalem esse veram hujus Sacramenti materiam, maris, fluminis, paludis, pluviæ, balnei, etiam sulphurei, ut communiter docent apud Dian. 3. part. tract. 7. resol. 5. non esse vero materiam salem, nivem, grandinem, gelu, & glaciem, quamdiu sunt concreta, quia non manet in iis usus aquæ aptus ad lavandum, ut Doctores communiter cum Fill. tom. 1. tract. 1. cap. 2. docent: secus vero si sint resoluta; quamvis Coninch putet aquam salis resolutam esse diversæ speciei ab aqua maris, & ideo esse ineptam. Quod si nix, glacies, &c. resolvantur in manibus baptizantis ante ablutionem, est materia sufficiens; si vero in corpore baptizati, negat Vasq. quia baptizans non proprie abluit, affirmat Suar. quia Baptismus consistit in ablutione passiva; & utraque opinio est probabilis Dianæ part. 5. tract. 3. resol. 3. quamvis opinio Suar. sit solum speculative, non practice probabilis, ut constat ex prima Thesi ab Innoc. XI. proscripta. Porro non est materia apta aqua artificialis, puta rosacea, ex herbis expressa, & distillata, nec cervisia, vinum, lac, aqua ardens, sudor, lacrymæ, phlegma, saliva, &c. Nec aqua naturalis, quæ ita alterata est, & cum aliis rebus mixta, ut non sit amplius apta ad abluendum, ut jusculum, lutum, lixivium, vinum aquæ immixtum; quamvis ex Trull. videatur, speculative loquendo, sufficiens lixivium, quia per cineres aqua non corrumpitur.

Pariter aqua extracta ex brodio carnium, vel piscium videtur eidem Trull. sufficiens; sicut extracta e luto; necnon ex Fernand. apud Dian. resol. 5. aqua, quæ colligitur ex vaporibus densatis ex olla emergentibus, qui in testaceo tegmento reperiuntur, & quæ hyemali tempore ex parietibus, lapidibusque fluit; non tamen quæ fluit ex vita, vel arboribus, quia non est aqua, sed succus. Verum quia istæ materiæ sunt dubiæ, in sola extrema necessitate adhiberi possunt, sicut etiam Putean. & de la Crux docent, posse etiam adhiberi sub conditione in extrema necessitate aquam rosaceam, & distillatam.

III. Quæres secundo, quæ sit materia Baptismi proxima?

Respondeo esse ablutionem, seu contactum, quo aqua per actionem Ministri successive tangit corpus baptizati; sive fiat per aspersionem, sive per infusionem, sive per unicam, aut per trinam immersionem, juxta morem Ecclesiarum. Quilibet autem sub mortali tenetur Ecclesiæ suæ ritum servare; Et quamvis Ecclesiæ ut plurimum nunc utantur infusione; creduntur tamen Apostoli aspersione baptizasse, quando una die quinque millia hominum baptizarunt, ut notat Hurt. de Bapt. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 19.

Rogabis, si ante tertiam immersionem, sed post integram formam Baptismi puer moriatur, erit ne baptizatus?

IV. Respondent Trull. & Ochagav. quod si Minister habeat debitam intentionem faciendi, quod instituit Christus post primam ablutionem, ille est ba-

-est baptizatus; si tamen velit culpabiliter alligare baptismum ad trinam immersionem, ita ut non intendat baptizare ante omnes tres immersiones, certe non erit baptizatus, si ante moriatur, idque ex defectu intentionis, ut notat Bonac. Palud. tamen apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 17. putat, quod si finita forma continuetur ablutio, non habebitur Sacramentum, nisi ablutione finita, quia cum Ministro incumbat determinare materiam, non censetur illam determinasse, nisi cum cessat abluere. Quicquid tamen sit de tali eventu, certe unusquisque debet habere intentionem ministrandi Sacramentum, non quando incipit, aut cessat ablutio, sed juxta intentionem Ecclesiæ, & prout Christus Dominus instituit; quod pariter dicendum in quæstione illa celebri, Quandonam vinum in Calice convertatur in Christi Sanguinem? num post prolationem illorum verborum, *Hic est enim calix Sanguinis mei*, an post prolationem reliquorum? cum disputent Doctores, an reliqua etiam sint essentialia; & D. Th. hic quæst. 78. art. 3. & alibi cum aliis Thomistis in partem affirmativam inclinet, ut suo loco dicemus.

V. Sequitur ex dictis primo, non baptizari Petrum, si existat in aqua, & Minister proferat formam Baptismi; quia non abluitur a Ministro. Secundo, etiam guttulam, seu scintillam aquæ sufficere ad baptismum, cum satis sit ad ablutionem; quare satis est, si baptizandus abluatur digito in aquam merso. Tertio, ad validitatem baptismi requiri, ut aliqua pars hominis principalis abluatur, ad hoc ut sit verum dicere, quod homo abluatur; quare non satis est, quod aqua tangat capillos, ut tenet Bonac. contra Vasq. Con. Sot. At satis est, ut tangat brachium, pedem, digitum; quia sicut homo dicitur vulneratus, in quacumque parte vulneretur, ita dicitur ablutus, in quacumque parte abluatur. Verum ad tollendos scrupulos debet caput ablui: quod si in scapulis, pectore, humeris, manu, vel pede sit ablutus, existimat Fill. tom. 1. tract. 2. cap. 3. cum Navar. quod possit sub conditione rebaptizari; quamvis non sit necessarium, quia multi docent, esse tutam sententiam docentem esse baptizatum. Equidem tamen censeo esse sub conditione rebaptizandum, ne dubius sit, aut solum probabilis baptismus, sine quo nullum aliud Sacramentum suscipi valide potest.

Sequitur ultimo, quod si infans projiciatur in puteum animo illum baptizandi, probabiliter sit baptizatus, ut docent Suar. Vasq. Con. & alii apud Trull. contra Henriq. & Sot. Neque obstat, quod illa potius videtur suffocatio, quam ablutio; aut si esset ablutio, esset ordinata ad submersionem, & necem, non ad resurrectionem. Nam vere esset ablutio ordinata ad resurrectionem animæ, quamvis ad necem corporis: Contra vero, si infans caderet in puteum, & alter formam proferret, non baptizaretur, quia non ablueretur a Ministro; Sicut nec baptizatur, si uno tenente puerum, & proferente formam, alter aquam infundat: At si aqua a tecto cadat, vel ab alio immittatur, & Titius puerum submitteret tali aquæ proferendo formam, illum baptizaret; quia vere diceretur illum abluere. In extrema tamen necessitate infans baptizari potest sub conditione, abluendo capillos, vel umbilicum, quia est etiam pars excrementitia præscindenda a corpore infantis, & ut putat Ochagav. etiam in pelle, quam Medici appellant secundinam, quia reputatur veluti pars pueri, & tamquam ejus cutis.

ARTICULUS IV.

De Forma Baptismi.

I. Legitima est ex Florentino tam forma Baptismi, qua utitur Ecclesia Græca, quam ea, qua utitur Ecclesia Latina.

II. Quomodo debeat Trinitas Personarum exprimi?

III. Quonam etiam pacto exprimenda est unitas essentiæ divinæ?

IV. Non pertinent ad Formæ essentiam particulæ illæ, Ego, In, Amen, sed dubitatur de particula, Et.

V. Num possit unus plures simul baptizare, & num plures unum?

VI. Quænam variatio formæ videatur accidentalis?

I. DUæ sunt Baptismi formæ usitatæ, altera ab Ecclesia latina dicendo, *Ego te baptizo in nomine, &c.* altera apud Græcos dicendo, *Baptizetur servus Christi in nomine, &c.* Utraque legitima ex Florent. Nobis tamen non licet hac uti contra consuetudinem Ecclesiæ latinæ, nec illis licet uti nostra.

II. Quæritur nunc primo, an essentialiter ad formam Baptismi requiratur invocatio explicita Trium personarum secundum proprietates relativas?

Respondetur affirmative, ut constat ex illo Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quare baptismus collatus in nomine Christi nullus est ex Florentino; sicut nec baptismus collatus in nomine Trinitatis, aut in nomine Dei, aut in virtute Sanctæ Crucis, aut in nomine Trium Personarum, aut in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ; cum non explicentur tres personæ secundum proprietates relativas. Imo multi docent cum D. Th. & aliis contra Cajet. apud Trull. quod nec sufficiat in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, quia Christus instituit, quod sub illis vocibus relativis Patris, Filii, &c. quæ sunt communiores,

res, & usitatiores, baptismus conferatur: Verius tamen dicitur, quod sit validus, quia sunt nomina synonyma: Sufficit vero ex Trull. si dicatur, In nomine Patris, Verbi, & Spiritus Sancti. Quamvis autem ex Actibus Apost. cap. 14. constet, quod Apostoli baptizarent in nomine Christi, nihilominus vel id fuit ex speciali dispensatione, ut magis redderetur gloriosum nomen, quod tunc temporis erat apud Gentes contemptui: vel, ut communius docent, ibi baptismus factus in nomine Christi significatur Baptismus institutus a Christo, & qui per fidem in Christum, & per merita Christi operabatur, cum opponatur Baptismo Joannis. Vel demum fit sensus, quod in collatione baptismi nomen Christi adderetur dicendo, Ego te baptizo In nomine Patris, Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.

III. Quæres secundo, An etiam essentialiter exprimi debeat unitas essentiæ divinæ, dicendo, In nomine, &c.?

Respondeo etiam affirmative propter eandem rationem; inde invalidus est baptismus, si dicatur, In nominibus Patris, Filii, &c. vel si dicatur, Baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Immo si dicatur, Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti, Coninch, & alii apud Bonac. putant esse invalidum; Alii tamen probabilius putant esse validum, quia trina illa nominis repetitio non videtur multiplicare essentiam. Dubium etiam est, an sit validus baptismus, si loco illius verbi, *In nomine*, dicatur, In virtute; quia nomen videtur importare præter virtutem, etiam invocationem Trium personarum? Dubitatur pariter, an sit validus, si dicatur, Te baptizo in Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto? Illud recolo, quod diximus quæst. super. quod si quis baptizaret, dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis, invalide baptizaret, si illam invocaret effective, prout invocantur Tres personæ ad efficiendum Sacramentum; secus vero, si invocetur deprecatorie, intendendo auxilium Beatæ Virginis baptizato implorare, ut notat Dian. par. 1. tract. 15. resol. 48.

IV. Quæritur tertio, quænam particulæ in forma Baptismi sint essentiales?

Respondeo, particulam, *Ego*, *In*, *Amen*, non esse de essentia; unde validus est Baptismus, dicendo, Baptizo te nomine Patris, &c., quia idem sensus remanet illis omissis: idem enim est præcipere nomine regis, ac in nomine regis: illas tamen particulas omittens ex Henriq. peccat graviter. Communius tamen apud Dian. part. 1. tract. 15. resol. 14. docent, quod peccet venialiter, si absit scandalum, cum non sint materia gravis: Et idem dicas, si quis vulgari idiomate baptizaret, nisi tamen id faceret, quia non bene callet idioma latinum. Qui vero omittit conjunctionem, *Et*, invalide baptizat ex Sylvest., communius tamen docent, quod valide.

V. Quæritur ultimo, an possit unus plures simul baptizare, vel plures unum?

Respondeo ad primum, posse quidem unum baptizare plures, etiam unica aspersione, ut notat Trull. (& quidem licite in necessitate,) dicendo, *Ego vos baptizo*: Sicut potest unus plures ordinare, vel absolvere, dicendo, *Ego vos absolvo* &c. *Accipite potestatem*, &c. dummodo abluat illos, dum formam profert, vel saltem moraliter conjungatur materia cum forma; sicut enim qui manibus poculum tenet ori applicatum, dicere moraliter potest, *Ego bibo*; ita si quis statim prolata forma abluat, dicitur moraliter tunc, cum formam profert, abluere. Non est tamen sequendus Heredia, qui apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 6. docet, satis esse, si intercedat inter ablutionem, & formæ prolationem unum *Pater noster*.

Ad secundum respondeo, posse etiam plures baptizare unum, dummodo singuli seorsim ponant materiam, & formam, & intendant absolute, & totaliter baptizare; secus vero si vellent baptizare partialiter; aut, si Petrus dicat, Ego baptizo te, si Paulus nunc baptizans non te baptizat, & viceversa dicat similiter Paulus, *Ego baptizo te*, si Petrus nunc baptizans non te baptizat: istæ enim conditiones reddunt formam se falsificantem; imo, ut docent Logici in libris Perihermenias, istæ propositiones materialiter tantum proferri possunt: omnis enim actus intellectus, & voluntatis debet habere objectum a se distinctum; in hoc autem casu non haberent objectum distinctum a se, ut patet consideranti.

Notandum hic, quod quando duo, tamquam causæ totales simul baptizant eundem, ille solum baptizat, qui prius ponit materiam, & formam; alter vero non est irregularis ex reiteratione Baptismi, quia non habetur nova applicatio materiæ, & formæ post primum baptismum, ut requiritur ad peccandum, & incurrendam irregularitatem; sicut non peccant Sacerdotes, qui quando initiantur, proferunt simul cum Episcopo formam consecrationis, quamvis ille prius consecret, qui prius formam absolvit.

Notandum etiam cum Bonac. apud Trull. quod valide baptizet Episcopus, si dicat, *Nos baptizamus te* pro *Ego te baptizo*; quia *Nos* ponitur auctoritative pro *Ego*: Et probabile est, speculative loquendo, quod valide baptizet, si dicat, *Ego vos baptizo*, pro *Ego te baptizo*, quia talis mutatio non est substantialis, & Italico sermone sæpe pluralis hic numerus pro singulari usurpatur. Valide etiam baptizat Latinus adhibendo sacrilege formam Græcorum, *Baptizetur servus Christi*,

sti, vel dicendo, *Baptizet te Christus*, ut communissime docent Doctores apud Conink contra quosdam Canonistas; sicut valide consecrat latinus in fermentato; quia materiæ, & formæ essentiales Sacramentorum sunt eædem pro tota Ecclesia; cum sint a Christo Domino institutæ; quamvis possit Ecclesia prohibere, ne quis aliqua forma contra consuetudinem utatur.

ARTICULUS V.

De Baptismi Ministro.

I. Etiam Turca, & Hæreticus, necnon Mulier potest hoc Sacramentum administrare.
II. Num iterandus sit sub conditione Baptismus collatus ab Obstetricibus?
III. Quinam possit baptizare solemniter?
IV. In casu necessitatis quinam præferendus sit, qui baptizet?
V. Quinam irregularitatem incurrant ex illicita Baptismi collatione?

I. QUæritur primo, quinam sit Minister hujus Sacramenti?

Respondeo, esse quemcumque rationis compotem, distinctum tamen ab ipso baptizando: unde in necessitate potest etiam Turca, & Paganus, & excommunicatus, etiam hæreticus, etiam mulier baptizare, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; cum enim Sacramentum hoc sit maxime necessarium omnibus, congruum fuit, ut cuilibet talis potestas conferretur. Nemo tamen potest se ipsum baptizare, ut constat ex cap. *Debitum* de *Baptismo*, & colligitur ex verbis Domini, *Baptizantes eos*: Sicut enim nemo potest se ipsum generare corporaliter, sic nec regenerare spiritualiter.

II. Notandum hic, Sylvestrum docere apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 88. quod si quando obstetrix baptizet puerum, possit hic iterum sub conditione baptizari, quia dubium est, ne subito casu necessitatis turbata aliter fecerit, quam oportuit; quod aliquæ Synodi decreverunt. Communius tamen docent apud Dian. quod universim in nostris regionibus non sit prudens ratio dubitandi de validitate Baptismi collati ab obstetricibus, quæ solent esse instructæ juxta obligationem, quam habent; unde solum in Ecclesia supplendæ sunt solemnitates omissæ (*a*). Quamvis Possev. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 6. putet, non esse mortale cæremonias omissas non supplere in Ecclesia, secluso contemptu. Baptizandus est pariter sub conditione infans, qui in casu necessitatis baptizatus est in utero Matris per aquam eo immissam, juxta dicta quæst. 1. art. 7. quia licet probabilissimum sit, infantem nondum egressum ex utero matris capacem esse baptismi; non tamen est omnino certum apud Doctores.

(*a*) „ Confer Benedictum XIV. *de Syno-*
„ *do diœces. Lib. 7. c. 6. num.* 4.

III. Quæres secundo, Quinam sit Minister Baptismi ordinarius, seu ex vi suæ institutionis deputatus ad illum ministrandum solemniter?

Respondeo, esse Sacerdotem, ut constat ex Florent. in decreto Eugen. cap. *Firmiter*, & ex usu Ecclesiæ, & ratione D. Th. quia scilicet Sacerdos vi suæ consecrationis recipit potestatem in corpus Christi verum: ergo etiam in corpus Christi mysticum, idest in homines: Sicut autem Sacerdos quilibet habet potestatem conferendi Sacramentum Pœnitentiæ, sed ut valide illud conferat, debet habere jurisdictionem ab Ecclesia; ita pariter, ut licite baptismum Sacerdos conferat solemniter, indiget facultate Episcopi, vel Parochi personæ baptizandæ, propter bonum Ecclesiæ regimen. Quare quando a Florentino dicitur, quod Sacerdos sit ordinarius Minister baptismi, non est sensus, quod Sacerdos habeat completum jus baptizandi, sed solum quod homo per Sacerdotium fiat idoneus, cui committatur ordinaria potestas baptizandi, sicut & absolvendi. Et ratio a priori est, quia ad solos Principes spectat ascribere aliquem in membrum Communitatis, & communicare privilegia; non sunt autem Principes Ecclesiæ Sacerdotes, sed h. m. Principes sunt Episcopi; & Pastores animarum: Itaque solum Pastor proprius hominis baptizandi, videlicet Episcopus, vel Parochus in propria Diœcesi, aut Parochia, possunt jure suo solemniter baptizare, & possunt facultatem hanc communicare cuilibet Sacerdoti: Imo ob justam causam in necessitate non extrema, sed notabili, ut putat Conink, (qualis esset, si non posset Sacerdos commode per se baptizare) possunt concedere facultatem baptizandi solemniter Diacono, ut communiter Doctores docent; & colligitur ex Catechis. Romano de Baptismo. Et ratio est, quia proprium Diaconi munus est inservire Sacerdoti: Aliis vero inferioribus Diacono solum Summus Pontifex potest facultatem concedere, ut solemniter baptizent, quia ritus baptizandi solemniter non est de jure divino, sed Ecclesiastico; unde potest Pontifex, qui supra totum jus Ecclesiasticum potestatem habet, dare cuilibet hanc facultatem.

IV. Quæres tertio, Quinam ordo servandus sit in collatione Baptismi in casu necessitatis, ut licite conferatur?

Respondeo, hunc ordinem servandum, ut fœmina non baptizet præsente viro sciente baptizare, nec laicus præsente clerico, nec Clericus præsente Diacono, nec Diaconus præsente Sa-

cerdote, nec Sacerdos præsente proprio Pastore: & cæteris paribus præponendus est baptizatus non baptizato, catholicus hæretico, non excommunicatus excommunicato. Est autem mortale, ut communiter docent contra Valent. apud Trull. si præsente Sacerdote, qui possit commode baptizare, alius non Sacerdos baptizet; quia fit gravis injuria tum Sacramento, tum Ordini, & dignitati personæ; cujus jus usurpatur; quin possit ille huic juri cedere. Imo Vasq. Conink, & alii docent esse etiam mortale, si præsente Diacono inferior baptizet; quod tamen Suar. Sot. Granad. negant, quia Diaconus non est Minister Baptismi ex officio; unde non irrogaretur ejus dignitati gravis injuria, atque adeo solum venialiter peccaretur: Non secus ac si præsente clerico baptizaret laicus, aut præsente laico fœmina, aut præsente justo, non excommunicato, aut catholico baptizaret peccator, aut excommunicatus, aut hæreticus, præciso scandalo. Ratio est, quia talis ordinis inversio nullo jure positivo est prohibita; unde solum est mala ob quandam indecentiam, ut notat Granad. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 4. & part. 5. tract. 3. resol. 18.

Peccaret quidem graviter Pater, sicut etiam Mater, si in casu necessitatis filium baptizaret aliis præsentibus, qui baptizare puerum possent, ut notat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 3. quamvis probabiliter ex Coninck contra Villalob. apud eundem Dian. non privaretur jure petendi debitum; cum hæc pœna in nullo textu inveniatur. Solum cognatio spiritualis intercedit inter baptizantem, & Parentes baptizati, quæ impedit matrimonium, non tamen habetur obligatio non petendi debitum, si matrimonium jam sit contractum.

Non debet tamen esse multum scrupulosus in expectando magis idoneo is, qui baptizantem perquirit in casu necessitatis, ne forte, dum idoneus expectatur, infans decedat. Immo, si proles nondum tota extra uterum egressa baptizanda sit, debet ab obstetrice baptizari, cum non deceat alios advocare.

Quæritur ultimo: Quænam pœna imposita sit illicite baptizanti?

Respondeo, quod rebaptizans irregularitatem incurrit, sicut etiam adultus rebaptizatus: Si quis tamen culpabiliter rebptizat sub conditione, communiter docent contra Sayr. & Hered. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 9. quod irregularitatem non incurrat; quia rebaptizatio sub conditione non est simpliciter dicta Rebaptizatio, cui tantum imposita est in jure irregularitas. Deinde clericus non Sacerdos solemniter baptizans, sicut etiam Diaconus sic baptizans sine Sacerdotis delegatione, incurrunt irregularitatem, ex cap. 1. *de Clerico non ordinato administrante*: probabiliter autem ex Navar. Filliuc. apud Trull. non fit irregularis laicus solemniter baptizans, quia talis pœna videtur imposita clerico non ordinato, non laico. In cap. *Placuit* 16. quæst. 1. prohibetur Monachis, ne baptizent, nulla tamen iis imponitur pœna; unde Granad. putat id non præcipi sub mortali. Immo Rodriq. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 18. putat, iis prohiberi tantum, ne baptizent sine licentia Ordinarii: Nomine autem Monachi non venit quilibet regularis, sed solum illi, qui sub obedientia Abbatis vivunt.

ARTICULUS VI.

De subjecto baptismi.

I. Num etiam infans nondum egressus ex utero matris possit sub conditione bapizari, quando per fistulam ablui potest?
II. Invitis parentibus filii Infidelium baptizari possunt, si habentes usum rationis Baptismum postulent, & a Parentibus subtrahendi.
III. Sicut etiam infantes Hæreticorum, & Apostatarum: Necnon filii Infidelium Mancipiorum.
IV. Non tamen filii Infidelium, qui aut nullatenus subjecti sunt Principibus Christianis; aut his subjiciuntur solum politice.
V. Diluuntur objecta.
VI. Si alter tantum ex parentibus Infidelibus consentiat, infantes baptizari possunt. Sicut etiam omnes in periculo mortis; aut si sint extra patriam potestatem; aut si perpetuo amentes.
VII. Quid de Mutis, ac Surdis a nativitate, si sint adulti?

I. Quæritur primo: Quinam sit Baptismi capax?

Respondeo, omnes homines, etiam infantes, ex Trid. sess. 7. can. 12. non tamen Satyri, seu geniti ex fœmina, & bruto, cum non sint homines; sicut nec monstra ex fœmina, & viro genita, si non constet ea habere animam rationalem; si tamen dubitetur, eo quod habeant, verbi gratia, caput ferinum, & reliqua membra humana, baptizanda sunt sub conditione; sicut si dubitetur, an fœtus constet duplici anima rationali; (quia, verbi gratia, habet duo capita cum uno pectore, vel duo pectora sub uno capite) duplex baptismus conferendus est; alter absolute in ea parte, in qua perfectius caput, vel perfectius pectus apparet, & alter conditionate in altera parte. Infans in utero matris juxta communem Antiquorum sententiam baptizari non potest, cum non possit nasci spiritualiter, qui non est natus corporaliter; si tamen in aliqua

aliqua sui parte saltem per fistulam lavari possit, Suar. Coninck, & alii apud Dian. part. 1. tract. 15. resol. 43. probabiliter putant contra Comitol. Bonac. & alios, quod in casu necessitatis baptizari possit sub conditione; quia, ut quis renascatur spiritualiter, satis est, si illa præcedat nativitas, qua de non homine fit homo, dummodo lavari possit, ut diximus art. 7. quæstionis superioris (*a*). Ad eum modum, quo baptizari possunt, ac debent ii, qui tantum exerunt manum, aut egrediuntur ex dissecto utero matris mortuæ: quamvis naturaliter non sint nati nativitate rigorose dicta: Deinde vero baptizandus est sub conditione, ut diximus articulo superiore, post totalem egressum, etiam qui in manu, pede, aut brachio, quod eduxit, baptizatus est; quia aliqui dubitant de validitate hujus Baptismi: Si vero postquam puer eduxit caput, in eo baptizatus sit, non est iterum baptizandus sub conditione. (*b*)

(*a*) „ Vide Benedictum XIV. de S. D. lib. „ 7. c. 5. n. 2. *seqq.*

(*b*) „ Confer Bened. XIV. *l. c. n. 7. seqq.*

II. Quæritur secundo, an liceat baptizare filios Infidelium, invitis eorum parentibus?

Respondeo, Infideles alios esse, qui nunquam baptismum susceperunt, alios vero, qui post baptismum ob hæresim, vel apostasiam defecerunt. Rursus qui nunquam susceperunt baptismum, alii sunt subjecti in jurisdictione temporali Christianis Principibus, ut multi Indi subjecti sunt Regi Hispaniarum, ac Lusitaniæ, & multi Judæi in Germania Imperatori. Alii nullatenus sunt subjecti, ut Turcæ. Aliqui demum sunt subjecti Christianis, non solum politice in jurisdictione temporali, sed etiam serviliter, ut mancipia. His positis,

Dico primo: Filius cujuscumque Infidelis, si habeat usum rationis, & petat baptismum, baptizandus est, etiam parentibus invitis; & ab illis subtrahendus propter periculum subversionis. Ratio est, quia habet jus petendi necessaria ad salutem, nec tenetur obedire Patri in his, quæ Deo opponuntur: Quod si dubitetur, an habeat usum rationis; aliqui docent cum Soto apud Bonac. quod possit baptizari, quia in dubio inclinandum est in favorem fidei: Alii quod non possit cum Henr. quia melior est conditio parentum possidentium: Alii demum cum Sa, quod si complevit septimum annum, præsumi debeat illum habere usum rationis; secus quod non habeat.

III. Dico secundo: Infantes Hæreticorum, & Apostatarum baptizari possunt, invitis parentibus. Ita communiter. Ratio est, quia Ecclesia habet jus in ipsos parentes, illosque potest ad fidem cogere, aut pœna mortis punire, si sint pertinaces: ergo potest etiam eos privare jure, ac potestate, quam habent in suos filios, atque adeo illos baptizare, & a parentibus subtrahere, si renuant.

Dico tertio: Infantes, qui filii sunt infidelium mancipiorum, possunt etiam invitis parentibus baptizari. Ita Suar. & alii contra Thomistas apud Dian. part. 1. tract. 15. resol. 45. Ratio est, quia isti parvuli possunt a dominis suis, invitis parentibus, vendi, seu donari, & deinde subtracti a parentibus baptizari; (aliter non essent domini, si non possent vendere, aut donare: jure autem gentium hoc modo introducta est servitus) ergo possunt etiam baptizari, & deinde, antequam adolescant, a parentibus subtrahi ad vitandum periculum subversionis: Quod aperte docet Vasq. in 3. part. disp. 155. cap. 4. num. 50. apud eundem Dian. Immo domini tenentur curare, ut baptizentur, quia hujusmodi servi sunt de familia Domini: ergo dominus tenetur illorum curam gerere, tam in temporalibus, quam in spiritualibus: *Qui enim suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*, ex 1. ad Timoth. 3. non tamen ad id tenentur cum magno incommodo; quia charitas non obligat regulariter cum incommodo notabili, quando proximus non est in extrema necessitate: Unde facile excusantur, qui eos vendunt, aut in compensationem Christianorum captivorum dant servos, eorumque filios iisdem reddunt, si non reddendo in iis alendis, & educandis magnum incommodum subirent.

IV. Dico quarto: Filii infidelium, qui solum politice subiecti sunt Christianis Principibus, non possunt invitis parentibus baptizari. Ita communiter contra Scotum, & Gabrielem apud Becanum de Bapt. quæst. 6. Ratio est, quia vel isti parvuli subtrahuntur a parentibus, & fieret his injuria, cum non amiserint jus in filios; vel relinquerentur in eorum potestate, & fieret injuria Sacramento propter periculum apostasiæ, & sacrilegii: profanaretur enim, & contaminaretur baptismus, quod est sacrilegium. Et confirmatur, quia Princeps sæcularis solum habet potestatem puniendi peccata, quæ sunt contra politicam pacem, & gubernationem, aversus quam non peccant, qui nolunt filiis dare baptismum.

Dices: Principes sæculares possunt punire subditos Christianos nolentes filium suum baptizare, & peccantes contra divina præcepta: ergo etiam subditos hujusmodi infideles.

Respondetur, non posse subditos Christianos propria auctoritate puniri a pincipibus sæcularibus, nisi solum quando delinquunt contra publicam pacem, & gubernationem; aut quando contra jus naturæ, & Dei honorem sacrilege peccarent; puta si vellent pueros interficere ad sacrificandum Idolo. Quare solum ex concessione Magistratus Ecclesiastici possunt il-

los

los punire, si nolint filium baptizare, aut si peccent contra divina præcepta.

Neque replices, quod pariter possent ex eadem concessione punire subditos infideles, qui nolint baptismum conferri filiis suis. Nam dispar est ratio, cum infideles non sint subjecti potestati Ecclesiasticæ, sicut Christiani, dicente Apostolo: *Quid ad me de iis, qui foris sint, judicare?*

Dico quinto: A fortiori baptizari non possunt, parentibus invitis, filii Infidelium, qui nullatenus subditi sunt Christianis, propter eandem rationem. Ita D. Thom. 3.part. quæst.68. art.10.

V. Oppones primo: Ecclesia habet jus baptizandi infantes, tum ex concessione generali Christi Domini: *Baptizate omnes gentes*; tum ex concessione generali juris naturæ, quo licitum est innocentes defendere; si enim, quando parens vellet filium interficere, possemus illum eripere e manu parentis ad vitam temporalem conservandam, a fortiori possumus illum eripere ad dandam illi vitam spiritualem per baptismum.

Respondetur, Christum Dominum dedisse potestatem baptizandi, non invitos adultos, sed volentes, & infantes, consentientibus illis, in quorum potestate sunt. Jus autem naturæ concedit defensionem innocentium in iis rebus, ad quas habent jus: cum autem habeant jus ad vitam temporalem, non vero ad baptismum, nisi quando adulti illum petunt; hinc licitum est jure naturæ illos defendere, si vita temporalis adimatur; sicut etiam, si pater cogat filium adultum ad sequendam falsam religionem, non vero si infanti deneget baptismum.

Oppones secundo: Quoties parentes abutuntur potestate, quam habent in filios, possunt jure ea potestate privari; sed in casu nostro abutuntur; tum quia faciunt contra præceptum Christi de iis baptizandis; tum quia potestas parentum eo spectat, ut filios alant ad cultum Dei; quod non faciunt, qui impediunt baptismum filiorum.

Respondeo, quod licet potestate, quam habent in filios, abutantur, non possunt tamen jure ea privari, nisi a superiore, qui habeat in illos jurisdictionem: Ecclesia autem nullam habet jurisdictionem nec spiritualem, nec temporalem in illos, sicut habet in hæreticos, utpote baptizatos.

VI. Oppones tertio: Si isti parvuli sint in periculo mortis, possunt baptizari, quin ulla parentibus injuria irrogetur: ergo etiam extra mortis periculum: cum idem jus habeant in filios in utroque casu.

Respondeo cum Coninck negando consequentiam; nam sicut in extrema necessitate temporali pauperis dives amittit jus, quod habet in sua bona; unde citra injuriam possunt ab eo tolli; ita in extrema necessitate spirituali infantis amittit pater jus in puerum, & citra injuriam baptizatur; non enim natura dat jus diviti in bona, & parentibus in filios in tali casu: unde vel poterit tunc secreto baptizari ad vitanda sacrilegia, & blasphemias in Christianam fidem, vel poterit filius eripi sine scrupulo e manu parentum, & deinde baptizari.

Objicies quarto: Si alter parens consentiat, ut filius baptizetur, potest licite batizari, etiam altero invito: ergo pariter utroque parente invito: nam si obstat injuria, quæ fieret utrique parenti, obstaret etiam in primo casu injuria, quæ fieret alteri tantum parenti invito.

Respondetur, concedendo antecedens, dummodo non relinquatur puer sub cura parentis inviti cum periculo sacrilegii, & negando consequentiam. Disparitas est, quia, quando alteruter parens dissentit, lis adjudicanda est in favorem innocentis, & fidei: ergo non fit ulla injuria alteri parenti invito.

VII. Ex dictis sequitur primo, quod possint hujusmodi infantes baptizari, si extra patriam potestatem sint absque spe restitutionis, puta quia bello justo, vel injusto sunt capti, vel empti, &c. nam cessat ratio adducta injuriæ, & periculi apostasiæ, & sacrilegii.

Sequitur secundo, quod possint pariter baptizari perpetuo amentes, etiam extra mortis articulum invitis parentibus, cum pariter in iis cesset periculum profanationis. Cum autem ad Baptismum suscipiendum in adultis tria requirantur, videlicet Intentio, Fides supernaturalis, sine qua impossibile est placere Deo, & Attritio (si minus contritio) supernaturalis, sine qua peccata commissa non remittuntur, idcirco muti adulti baptizandi non sunt, nisi exterioribus signis ostendant, se intelligere talia remedia ad salutem animæ ab uno Deo instituta esse, & ad fidem, ac attritionem supernaturalem excitentur. Qua in re ad Episcopum, vel Parochum recurrendum est, ut cum aliis viris doctis rem omnem conferat, inquirendo, num iis adsit debita intentio, necnon attritio supernaturalis de peccatis commissis, si forte in mortalia lapsi sint; & fides etiam supernaturalis Dei unius, & Remuneratoris; quæ omnia non facile in mutis a nativitate, & surdis reperiuntur. Et facilius forte erit eos ad baptismum flaminis disponere, hoc est ad amorem Dei super omnia, qui pariter, ut sit supernaturalis, & ad gloriam perducere possit, necessario prodire debet a fide supernaturali; ut proinde etiam ad hanc fidem muti excitandi sint. Dixi, quod ad suscipiendum Sacramentum baptismi requiratur in mutis præter dolorem supernaturalem, qui saltem sit attritio de peccatis commissis, etiam fides supernaturalis, non tamen habitualis infusa, sed actualis: quamvis enim Christus Dominus dixerit: *Qui credi-*

crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: non inde fit, quod ad baptismum prærequiratur fides habitualis infusa: valide enim recipit baptismum, qui fide supernaturali credit Deum esse unicum, & Remuneratorem, esto culpabiliter negaret aliquem alium articulum fidei; dummodo in susceptione baptismi intendat suscipere Sacrametum a Christo Domino institutum; quo casu nec gratiam, nec fidem infusam cum baptismo reciperet propter peccatum infidelitatis; reciperet tamen Sacramentum, & characterem; aliter esset rebaptizandus, quod nemo dixerit (*a*)

(*a*) ,, Quid vero de infante, qui jam indubitanter mortuus per miraculum ad vitam creditur revocari? Baptismus ne illi sub conditione conferendus?

,, Resp. Quum de infante, qui certo mortuus sit, agatur, rem esse de vero miraculo resurrectionis, quod sane admitti non debet, nisi perspicuis, & plane concludentibus probationibus evidenter demonstretur. Igitur si deficientibus hujusmodi probationibus resurrectio admitti non potest, nec Baptismus sub conditione debet conferri. Quod si resurrectio pro certa habeatur, jam non conditionata, sed absoluta Bapptismi forma adhibenda erit. Ita sæpius a Congregatione S. Officii definitum fuit, ac præsertim 11. Maii an. 1751. Confer Benedictum XIV. de Syn. Diœces. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 12.

ARTICULUS VII.

De Effectibus, & Ritibus Baptismi.

I. Primarii effectus Baptismi sunt quinque. Tres vero secundarii.

II. Cæremoniæ ab Ecclesia institutæ in collatione Baptismi sub mortali servandæ sunt, nisi parvitas materiæ excuset.

III. Num causent aliquem effectum supernaturalem ex opere operato.

IV. Patrinus in Baptismo dumtaxat solemni adhibendus est, quod si in privato adhiberetur, probabiliter cognationem spiritualem non induceret.

V. Quid ferat post Tridentinum Cognatio spiritualis?

VI. Quid requiritur ad cognationem spiritualem contrahendam?

I. QUæritur primo, quinam sint primarii Effectus Baptismi?

Respondeo, quinque a Doctoribus enumerari: primo deletionem omnis culpæ, dummodo tunc non sit affectus ad culpam aliquam venialem; quæ sane, dum committatur, non deletur; sicut nec remittitur culpa mortalis, nisi saltem per attritionem supernaturalem sit retractata: Culpas autem aliquas veniales etiam sine retractatione relaxari in præsenti ordine docent communius in de Pœnitentia. Secundo, relaxationem omnis pœnæ peccatis, quæ remittuntur, debitæ, ex Trident. sess. 5. cap. 5. Tertio gratiam justificantem cum choro virtutum infusarum, non solum Theologicarum, quod declarat Tridentinum, sed etiam Moralium, quod omnes Doctores docent. Quarto, gratiam Sacramentalem, quam explicavimus quæst. 1. art. 5. consistentem in exigentia specialium auxiliorum, quibus homo excitetur ad superandum concupiscentiæ fomitem, & se disponat ad fidem conservandam, Christi præcepta servanda, & reliqua Sacramenta digne suscipienda. Quinto characterem.

Præter hos quinque primarios effectus, enumerantur tres alii secundarii. Primo quidem, quod aperiat januam cælestem, cum removeat omne impedimentum culpæ, & pœnæ, ut notat D. Th. quæst. 63. art. 7. Secundo, quod subjiciat hominem potestati, & jurisdictioni Ecclesiæ, & obliget illum ad servanda præcepta Ecclesiastica; cum per baptismum fiat Ecclesiæ membrum, & ovis Christi Pastoris. Etenim Apost. 1. ad Cor. 5. dicit: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Potestas autem ecclesiastica, cui baptizatus subjicitur, triplex est: Prima ordinis: Secunda jurisdictionis interioris: Tertia exterioris. Prima refertur ad Sacramenta conficienda, & administranda: Secunda ad regendum populum Christianum in foro conscientiæ, quod fit absolvendo, & ligando: Tertia ad eundem populum Christianum regendum in foro exteriori, quod fit leges ferendo, excommunicando, & alias pœnas, aut præmia, vel indulgentiam constituendo, & omnibus his potestatibus homo per baptismum subjicitur.

Tertio, Baptismus tollit irregularitatem contractam ex delicto, puta ex homicidio culpabili; quamvis, ut notat Bonac. de Irregularitate, cum ante baptismum nulla pœna Ecclesiastica, atque adeo nulla irregularitas incurri possit, re vera, & proprie loquendo per baptismum non tollitur ulla irregularitas, sed potius dicendum, quod homo non afficiatur ulla irregularitate ob delictum commissum ante baptismum; quia homo per baptismum regeneratur, & quasi fit homo novus: Quando tamen defectus, propter quem inducta est irregularitas, perseverat post baptismum, verbi gratia, si perseveret cæcitas, illegitimitas, manet homo post baptismum irregularis; sicut etiam manet irregularis propter bigamiam antecedentem, non consurgentem ex delicto, ut jure sancitum est: At irregularitas ex defectu lenitatis contracta propter homicidium justum, ut Judicis, & Militis

juste

juste pugnantis, non manet in baptizato post baptismum, ex Sylv. & Nav. cap. 27. num. 209. apud Trull. Quando autem baptismus ficte, seu cum peccato susceptus, recedente fictione, producat effectum suum, & quomodo talis fictio tollatur, diximus quæst. 1. cum de Sacramentis in genere, art. 5. ubi etiam art. 3. diximus de dispositione requisita ad recipiendum Sacramentum, & fructum sacramenti: & art. 8. multa de ritu, & cæremoniis servandis in administratione sacramentorum.

II. Quæritur hic secundo: Quinam ritus, seu cæremoniæ servandæ in collatione baptismi?

Respondeo, & dico primo, servandas esse cæremonias, seu ritus etiam accidentales ab Ecclesia approbatos in collatione hujus Sacramenti; ita ut mortale sit illos omittere, nisi parvitas materiæ excuset, ut diximus loco laudato: Verbi gratia, mortale est solemniter baptizare in aqua non benedicta, vel in Chrismate alterius anni sine necessitate; ut notat Bonac. num. 20. hujusmodi enim cæremoniæ adhibentur ab Ecclesia non solum ad instructionem populi, & ad reverentiam Sacramenti, sed etiam ad efficaciam, cum operentur effectum aliquem supernaturalem, ex D. Thom. quæst. 51. art. 2. & 3. Conink, Filliuc. apud Trullench.

Dico secundo, ex cæremoniis aliæ præcedunt baptismum, ut Catechismus, exorcismus, Dæmonis adjuratio, olei unctio, &c. aliæ subsequuntur, ut Chrismatis unctio, & aliæ, quæ in Rituali continentur. Præcedit Catechismus, quia Christus Dominus præcepit, ut baptismum doctrina christiana præcederet: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Aliæ cæremoniæ operantur effectum aliquem supernaturalem, puta expulsionem dæmonis, & alios.

III. Utrum autem effectus hos supernaturales cæremoniæ istæ causent ex opere operantis, an ex opere operato? lis est inter Doctores. Suar. disp. 15. sect. 4. putat, quod ex opere operantis, ut diximus cum de Sacramentis in genere loquentes de Sacramentalibus: Henr. vero putat lib. 2. cap. 13. num. 8. quod Christus ad illarum præsentiam hos effectus causet, cum non sint institutæ a Christo, sed ab Ecclesia. At D. Thom. quæst. 51. art. 3. Scot. Ledesm. apud Trull. censent, quod causent illos ex opere operato ad modum Sacramenti, quia ab Ecclesia auctoritate Christi sunt institutæ.

IV. Quæritur tertio; an semper in baptismo Patrinus, sive susceptor adhibendus sit?

Respondeo, solum in baptismo solemni adhibendum esse, ex Trid. sess. 24. cap. 2. etiamsi baptizandus sit adultus. Etenim baptizatus, ut notat D. Thom. 3. part. quæst. 67. art. 7. est velut parvulus, qui indiget Pedagogo, ut instruatur. Munus autem susceptoris, seu sponsoris, est, baptizatum in rebus fidei instruere, si indigeat, hoc est si habeat parentes infideles, aut negligentes. Quando vero in necessitate privatim aliquis baptizatur, nullum extat præceptum, quod in eo Patrinus adhibeatur, ut communiter docent contra Zambranum apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 18. Immo si adhiberetur, & infantem ex proposito velut patrinus teneret, cognationem spiritualem non contraheret, ut notat Dian. loc. laud. cum Sanch. Sot. & aliis contra Conink, Suar. Sa, quia susceptio prolis solum introducta est ad solemnitatem baptismi; atque adeo ubi baptismus non est solemnis, non parit effectum hunc cognationis spiritualis; quamvis pariat obligationem instruendi puerum, quia ad id susceptor se obligat.

V. Ubi notandum primo, quod cognatio spiritualis nihil aliud sit, quam impedimentum dirimens matrimonium inter susceptorem, & baptizatum, ejusque patrem, & matrem: necnon inter baptizantem, & baptizatum, ejusque patrem, & matrem, non tamen inter baptizatum, & filios susceptoris, (quæ erat ante Tridentinum confraternitas spiritualis) nec inter susceptorem, & susceptricem, aut inter alios. Quare post Tridentinum solum remanet paternitas spiritualis inter susceptorem, & susceptum, & compaternitas spiritualis inter susceptorem, & baptizatum, & parentes suscepti.

VI. Notandum secundo, quod ad cognationem spiritualem contrahendam plura requiruntur; videlicet; quod sint baptizati illi, inter quos contrahitur; quod susceptor sit a parentibus, vel a parocho ad id designatus; quod teneat baptizandum, vel illum immediate e manibus baptizantis suscipiat; & alia, quæ notat Coninck disp. 32. dub. 2. & dicuntur cum de Matrimonio; ubi quæritur: An is, qui per procuratorem alium suscipit, hanc cognationem contrahat? & an si plures, quam unus, & una sint susceptores, omnes cognationem contrahant? (nam ex Trident. loc. cit. unus tantum, aut una, aut ad summum unus, & una debent esse susceptores). Quæritur etiam: An contrahatur cognatio, si susceptor erret in persona, quam suscipit? An possit conjux petere debitum, si suscipiat communem prolem? & alia hujusmodi.

QUÆSTIO III.

De Confirmatione.

CONfirmatio est *Unctio Chrismatis signo crucis facta ab Episcopo in fronte baptizati sub præscripta forma verborum, qua ex Christi institutione gratiæ augmentum accipitur, & robur ad resistendum hostibus fidei*. Dari hoc Sacramentum est de fide ex Trident. sess. 7. can. 1. contra hæreticos, qui illud negabant, eo quod in Scripturis illius mentio non fiat; quod tamen falsum est. Nam Actorum 8. de Apostolis dicitur: *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, & cap. 19. *Cum Paulus imposuisset illis manus, venit Spiritus Sanctus super eos*; quæ, & alia loca ex consensu Conciliorum, & Patrum intelligenda sunt de hoc Sacramento, quod ab Antiquis manuum impositio dicebatur ex modo, quo confertur. Quamvis autem nullibi de eo fieret mentio in Scripturis, non idcirco negari posset: multa enim credenda sunt, quæ non Scriptura, sed traditio docet. Unde Apost. 2. ad Thessal. 2. dicit: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam*. Institutum est hoc Sacramentum probabiliter in nocte cœnæ, ut communiter Doctores docent cum Suar. Fill. Trull. quando Christus Dominus multoties promisit Apostolis Spiritum Sanctum, & Chrisma consecravit, quod est hujus Sacramenti materia; ut habetur in epistola secunda Fabiani Papæ; ubi dicit cap. 2. *In illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a Sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit*. Hujus tamen Sacramenti usus non incœpit ante festum Pentecostes, quia non erat conveniens, quod plenitudo Spiritus Sancti ante perfectam Christi glorificationem, quæ in Ascensione est completa, cuique tribueretur. Congruentia hujus institutionis fuit, ex Melchiade Papa apud Trull. quia ad Imperatorem spectat non solum signare militem, quod fit per baptismum, sed etiam armis instruere, quod fit per Confirmationem: Et quia sicut Parens providet pupillo de tutore, ita Deus voluit regeneratis per baptismum dare in Confirmatione Paracletum, qui sit Tutor, Consolator, & Custos.

Demum appellatur hoc Sacramentum *Confirmatio* ab ejus effectu, quia dat robur spirituale ad fidem confitendam: Dicitur etiam *Chrisma* ab ejus materia: Chrisma enim Græce idem est, ac Unguentum, quod in eo adhibetur: Demum dicitur *Impositio manuum* a modo, quo confertur. Examinabimus nunc primo ejus materiam, & formam: Secundo Ministrum, & subjectum, & obligationem ad illud suscipiendum: Tertio effectus, ac ritus in eo servandos.

ARTICULUS I.

De Materia, & Forma Confirmationis.

I. *Tam oleum, quam Chrisma ab Episcopo benedictum est materia remota hujus Sacramenti.*

II. *Ex dispensatione Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Confirmationem; quin tamen possit Chrisma, nisi a solo Episcopo benedici, ut valide Sacramentum conferatur.*

III. *Materia proxima est Unctio Chrismatis in fronte confirmandi, facta cum pollice a Ministro in forma crucis. Sed quid si fiat cum indice?*

IV. *Quid si unctio fiat tempore pestis cum penicillo, prout tempore pestis conferri potest Extrema Unctio cum virga oblonga?*

V. *Invocatio explicita Trium divinarum Personarum essentialiter spectat ad formam Confirmationis, ut ad formam Baptismi.*

VI. *Græcis non licet uti hac formula, Confirmetur servus Christi, quamvis hujusmodi formula non irritet Sacramentum.*

VII. *Apostoli non solius manus impositione, sed etiam unctione Chrismatis hoc Sacramentum conferebant.*

I. QUæritur primo, quænam sit materia remota hujus Sacramenti?

Respondeo, esse Chrisma, seu unguentum ex oleo, & balsamo, ut definitur a Florentino; in quo dicitur Materia Confirmationis esse *Chrisma confectum ex oleo, (quod nitorem significat conscientiæ) & balsamo, (quod odorem significat bonæ famæ) per Episcopum benedictum*. Dubitatur solum apud Doctores, Num de essentia hujus Chrismatis sit oleum simul, & balsamum, an vero possit valide conferri cum solo oleo? Cajet. Valent. & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 23. putant solum oleum esse de essentia, quia Innoc. III. in cap. *Pastoralis* interrogatus, an deberet iterari hoc Sacramentum in eo, qui per errorem solo oleo erat unctus; Respondit: Non esse iterandum, sed caute supplendum, quod erat prætermissum. Communior tamen sententia docet oppositum: quia Florentinum, ut diximus,

mus, docet materiam hujus Sacramenti esse *Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedictum*. Unde utrumque videtur principaliter, & essentialiter requiri: Aliter Concilium diversimode de utroque loquutum fuisset; sicut cum loquitur de materia Calicis, dicit esse vinum, cui admiscenda est modicissima aqua; quibus verbis exprimit solum vinum esse de necessitate Sacramenti, aquam vero solum de necessitate præcepti: Quod si quis dicat sufficere solum oleum, quare non posset etiam dici, sufficere solum balsamum? Ad rationem in contrarium respondet Conink, Innocentium III. de duobus fuisse rogatum: An diaconus sine manus impositione ordinatus permittendus sit ministrare? & An deberet iterari Confirmatio in eo, qui solo oleo erat delinitus? Et utrique quæstioni unica responsione satisfecit, dicendo: Nihil esse iterandum ex iis, quæ licite facta fuerant: Ex quibus verbis non sequitur non esse eidem dandum Sacramentum Confirmationis; nam (ut bene Glossa ibidem) non dicitur iterari, quod prius factum non fuit. Quare cum re vera non receperit Sacramentum Confirmationis, qui solo oleo fuit unctus, ideo debuit illi tale Sacramentum conferri, quin deberent iterari cæremoniæ Confirmationis, videlicet inflictio alapæ, adhibitio Patrini, &c. quæ jam factæ fuerant. Quod autem solum oleum non sit materia Confirmationis, constat ex hoc ipso textu, in quo distinguitur oleum a Chrismate, cum dicatur quidam fuisse delinitus non Chrismate, sed oleo: quare per Innoc. III. oleum non est Chrisma: ergo cum per Florentinum materia hujus Sacramenti sit Chrisma, bene sequitur, quod oleum, quod non est Chrisma, non sit materia hujus Sacramenti.

Notandum tamen, non requiri, ut singulæ partes olei sint admixtæ Chrismate, sed satis esse, quod tantum balsami admisceatur oleo, ut toti oleo qualitates balsami, præsertim odor, communicentur. Præterea non requiritur, quod balsamum sit perfectissimum, quale est Palæstinum, sed sufficit balsamum Indicum, ut declararunt Paulus III. & Pius IV. apud eundem Conink: Et falsum est, quod aliqui putant istos Pontifices cum Indis dispensasse quod Indico balsamo Chrisma conficerent; cum non possit Pontifex in materia Sacramentorum a Christo Domino instituta dispensare.

II. Notandum præterea, quod Chrisma debeat essentialiter ab Episcopo benedici, ut docet Florentinum citatum. An autem possit ex dispensatione Pontificis a simplici Sacerdote benedici? Affirmat Valent. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 23. Sed communius negant. Nam Florentinum docens Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Quibus verbis docet, ex dispensatione Pontificis posse hoc Sacramentum a simplici Sacerdote administrari, sed Chrisma a solo Episcopo debere benedici.

Neque dicas: Potest simplici Sacerdoti Pontifex committere collationem hujus Sacramenti, quæ est quid majus: ergo a fortiori benedictionem Chrismatis, quæ est quid minus. Nam in iis, quæ pendent a libera voluntate alterius, & ab institutione Christi Domini, non tenet argumentum hoc a majori ad minus. Sic potest Sacerdos, ut Minister ordinarius, conficere corpus Christi, & ministrare Eucharistiam, quod est quid majus; non potest tamen, ut Minister ordinarius, conferre Confirmationem, & benedicere Chrisma, quod est quid minus. (*a*)

(*a*) „ Hac de re vide copiose disserentem „ Benedictum XIV. *de S. D. lib.* 7. *cap.* 7. „ 8. & 9.

III. Quæritur secundo: Quænam sit Sacramenti hujus materia proxima?

Respondeo, esse unctionem Chrismatis in formam Crucis factam in fronte confirmandi cum pollice Ministri. Ita communiter; & colligitur ex usu Ecclesiæ. Verum, si unctio fiat non pollice, sed indice verbi gratia, non irritatur Sacramentum. Immo Nugnus, & Dian. part. 3. tract. 4. resol. 22. contra Zambran. & Laym. docent, quod nec peccaret mortaliter Episcopus, si indice unxerit aliquem, quia videtur parva mutatio.

IV. Majus dubium est, An unctio essentialiter fieri debeat immediate manu Episcopi, ita ut sit irritum Sacramentum, si tempore pestis fiat, verbi gratia, baculo, pennicillo, &c.? Heredia de Confirm. diff. 5. punct. 5. cum Dian. loc. cit. resol. 28. docet esse validum Sacramentum Confirmationis sic collatum: Sicut valide sic confertur extrema unctio. Et ratio est, quia quamvis Confirmatio dari debeat per manus impositionem, unctio tamen facta per pennicillum dicitur moraliter facta esse per manus impositionem: Sicuti si quis clericum percutit baculo, dicitur illi violentas manus injicere: Et unctio, quæ fieri solet solo police Episcopi, adhuc dicitur manus impositio. Verum communiter cum Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 2. Suar. Conink docent, esse irritum; quia impositio manuum facta per pennicillum non est vera, & proprie dicta manuum impositio; usus autem Ecclesiæ pro conjectura esse debet, quod requiratur vera, & propria manuum impositio; cum neque authoritas, neque ratio ulla

 sua-

suadeat posse valide fieri per manus impositionem improprie dictam: Contra vero usus Ecclesiæ ostendit unctionem factam per solum pollicem dici vere manus impositionem, prout requiritur ad hoc Sacramentum; & sensus communis Doctorum docet, esse veram manuum injectionem in clericum, si quis illum percutiat baculo, vel lapide.

V. Quæres tertio, quænam sit forma hujus Sacramenti?

Respondeo, ex Florentino esse istam: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: ita ut non solum invocatio explicita Trinitatis per nomina relativa sit de essentia, ut in baptismo, cujus est complementum Confirmatio, ut docent communiter cum D. Th. Suar. & aliis; sed etiam omnia verba enumerata; ut proinde invalide conferatur, si omittatur aut ly *salutis*, aut ly *signo Crucis*; aut si non geminetur ly *signo*, & *confirmo*: Quamvis valide conferatur per verba synonyma, verbi gratia, Consigno signaculo Crucis, & corroboro te unguento, vel oleo Sanctificationis.

VI. Græcis concessum est, ut baptizent illa formula, *Baptizetur servus Christi*, non tamen est concessum, ut confirment hac formula, *Confirmetur servus Christi*, ut communiter docent apud Dian. loc. cit. resol. 27. & Bonac.: proinde ea est illicita. Suar. tamen sect. 5. Henr. lib. 3. cap. 5. Reginald. & alii apud Bonac. putant, valide hoc Sacramentum conferri non solum sub illa formula, *Confirmetur servus Christi*, sed etiam hac, *Confirmet te Deus*: sicut valide, quamvis illicite, latinus baptizaret sub hac formula, *Baptizetur servus Chisti*, seu *baptizet te Christus*, ut est communis sententia Doctorum contra quosdam Canonistas apud Coninch quæst. 66. num. 35. quia materiæ, & formæ essentiales sacramentorum sunt eædem per totam Ecclesiam; quæ licet possit prohibere, ne quis aliqua forma utatur, non potest tamen efficere, ut invalide ea utatur; unde peccat tantum mortaliter latinus, qui baptizat forma Græcorum, non tamen invalide baptizat; sicut peccat latinus, qui consecrat in fermentato, sed valide consecrat. Formula, qua Græci utuntur ad conferendum hoc Sacramentum, ut notat Arcudius lib. 2. cap. 6. apud Platel. sunt hæc tantum verba: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*. Quod autem re vera talis sit forma Græcorum, & proinde quod ea non sit invalida, (utpote a Pontificibus, & Conciliis non reprobata, ut refert idem Platel. & Amic. disp. 13. num. 76.) mihi valde dubium est. Si enim id verum esset, non esset de necessitate Sacramenti, sed solum esset de necessitate præcepti invocatio explicita Trinitatis. Quamvis enim diversis materiis, ac diversis formis utantur Ecclesia Latina, & Græca in collatione Sacramentorum; conveniunt tamen in iis omnibus, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Quod si verum haberet, eam esse formam apud Græcos a Pontificibus approbatam, dicendum esset cum eodem Platel. contra communiorem sententiam, quod non spectet ad validitatem Sacramenti Trinitatis invocatio: sicut ea non spectat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, licet spectet ad valorem Baptismi.

VII. Quæritur quarto, An Apostoli hoc Sacramentum contulerint per solam manuum impositionem sine ulla unctione?

Respondeo, aliquos asserere, quod fecerint id Apostoli ex speciali dispensatione; quia nunquam in Scriptura sit mentio unctionis, sed solius manuum impositionis. At verius cum Suar. disp. 33. lib. 4. negandum, quia hoc vocabulum *Manus impositio* idem sonat, ac totum Sacramentum comfirmationis, quod fit per unctionem, & verba; sicut nomen Baptismus significat totum Sacramentum, quod fit non per solam ablutionem, quæ de se emundationem significat, sed etiam per verba; sæpe enim nomen desumitur a parte, licet significet totum: Superius autem diximus ex Fabiano Papa, quod Christus Dominus in ultima cœna docuerit Apostolos confectionem Chrismatis: ergo dicendum, quod unctione Chrismatis hoc Sacramentum contulerint.

Dices: In Florentino habetur, quod in Ecclesia loco manus impositionis, quam adhibebant Apostoli, successerit Confirmatio, hoc est Chrismatis unctio: ergo Apostoli non per Chrisma, sed per manus impositionem hoc Sacramentum conferebant ex speciali dispensatione.

Respondet tamen Suar. loco cit. per ea verba Concilii non significari diversos ritus substantiales, aut diverse Sacramenta, sed solum quod nunc significetur nomine Confirmationis id, quod prius significabatur nomine Impositionis manus: Sicut diximus, in Ecclesia loco Apostolorum successisse Episcopos, cum eadem scilicet potestate Ordinis, quamvis Apostoli in jurisdictione, & aliis gratiis miraculorum fuerint longe superiores Episcopis: ita manuum impositioni successit Confirmatio cum eadem excellentia, & ritu essentiali, quamvis in quibusdam effectibus, & gratiis majorem excellentiam habuerit manuum impositio facta ab Apostolis, per quam sæpe solebat visibiliter etiam Spiritus Sanctus descendere in Confirmatos. Quare dici bene potest, quod unum alteri successerit, non solum propter nominis diversitatem, sed etiam propter diversitatem accidentalem explicatam.

ARTI-

ARTICULUS II.
De Ministro, & Subjecto Confirmationis.

I. Episcopus Minister ordinarius hujus Sacramenti nequit simplici Sacerdoti facultatem tribuere, ut illud administret; sicut potest solus Pontifex ex plenitudine potestatis.

II. Nequit Episcopus licite alienos subditos sine ratihabitione proprii Episcopi confirmare; Nec in aliena diœcesi confirmare subditos suos, cum nequeat Pontificalia exercere sine licentia proprii Episcopi sub pœna suspensionis.

III. Potest tamen primam Tonsuram conferre, dare benedictionem solemnem, & Missam Pontificalem canere; cum hæc non veniant nomine Pontificalium.

IV. Omnes Baptizati sunt capaces hujus Sacramenti; sed non expedit illud conferre pueris ante usum rationis.

V. Perpetuo amentibus conferendum est; dummodo non constet in amentiam illos incidisse in statu peccati mortalis.

VI. Num peccet mortaliter, qui negligit hoc Sacramentum recipere?

I. Quæritur primo, Quinam sit Minister Confirmationis?

Respondeo, solum Episcopum consecratum, seu habentem characterem Episcopalem esse ministrum ordinarium hujus Sacramenti, ut est de fide ex Trident. sess. 7. simplicem vero Sacerdotem posse illud ministrare ex dispensatione solius Pontificis. Florent. enim aperte testatur, facultatem hanc aliquando simplici Sacerdoti concessam; Unde invalide ab alio ministraretur, quia contra institutionem Christi Domini.

Rogabis: An possit etiam ab Episcopo hæc facultas simplici Sacerdoti communicari; cum videatur Episcopus posse in sua diœcesi, quod potest Pontifex pro toto orbe?

Respondeo cum D. Th. quæst. 72. art. 1. & aliis fere communiter negative; quia in Sacramentis id solum affirmari potest, quod habetur ex Scripturis, Conciliis, Traditione, aut usu: Ex his autem non habetur quod possit Episcopus hanc facultatem alteri communicare; sicut habetur, quod possit Pontifex; idque ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia: Falsum autem est, quod possit Episcopus in sua diœcesi, quod potest Pontifex pro toto orbe; quis enim dixerit, quod possit Episcopus Indulgentias impertiri, censuras instituere, &c. quas Pontifex potest?

II. Rogabis secundo, an possit Episcopus alienos subditos confirmare in sua diœcesi?

Respondeo negative, sicut nec potest Parochus baptizare pueros alterius parœciæ. Quamvis enim valide conferatur talis confirmatio, sicut etiam Sacramentum Ordinis, & Baptismus; (ad quæ non requiritur essentialiter jurisdictio, sicut requiritur in Sacramento Pœnitentiæ) At peccaret Episcopus mortaliter, & esset suspensus, si alienum subditum confirmaret sine licentia proprii Episcopi, ut Ledes. & Bonac. docent. Notat tamen Dian. part. 1. tract. 17. resol. 17. quod ordinarie præsumatur id ratum, & gratum fore proprio Episcopo, & ideo nullatenus peccaret; esset tamen mortale, seclusa tali ratihabitione, de qua multi apud Bonac. dicunt non constare: Qui tamen habet literas dimissoriales proprii Episcopi, ut ab alio ordinetur, implicite habet, ut ab illo Episcopo etiam confirmetur. Nec potest Episcopus licite subditos suos in aliena diœcesi confirmare sine licentia proprii Episcopi, ex Trident. sess. 6. cap. 5. Ubi cavetur, sub pœna suspensionis ipso facto, ne Episcopus pontificalia exerceat in aliena diœcesi, absque expressa Ordinarii licentia, & in personas alteri Ordinario subjectas; Confirmatio autem conferri non potest sine pontificalibus.

III. Advertit tamen Bonac. apud Henr. quod possit Episcopus in aliena diœcesi conferre proprio subdito primam Tonsuram, dare benedictionem solemnem, & canere missam pontificalem absque Ordinarii licentia; quia prima tonsura conferri potest domi sine pontificalibus, & benedictio, ac missa solemnis non videntur comprehendi nomine pontificalium, de quibus est sermo in Trident. sess. 6. cap. 5. ibi enim sermo videtur esse de usu pontificalium cum aliquo exercitio episcopali, puta chrismandi, ordinandi, &c. ut notat Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. qu. 14. Verum Gavantus negat, posse Episcopum in aliena diœcesi in pontificalibus celebrare absque licentia Ordinarii loci; quia hæc est ubique consuetudo, quæ legem Tridentini videtur interpretata fuisse. Pariter Dian. part. 4. tract. 4. resol. 143. adhæret opinioni Gavanti; sed pro priori sententia laudat Laym. Alzeb. & alios permittentes Episcopis, quod cum Baculo & Mitra celebrent Missam pontificalem in aliena diœcesi, absque proprii Ordinarii facultate. Demum Nugnus putat esse mortale confirmare extra Ecclesiam; sicut est mortale solemniter extra Ecclesiam baptizare; cum fiat contra Ecclesiæ universalem consuetudinem in re gravi: Coninch tamen, & alii apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 17. negant esse mortale, quia talis consuetudo non videtur cum tanto onere esse recepta.

IV. Quæritur secundo, cuinam conferri possit, aut debeat hoc Sacramentum?

Respondeo, omnem, & solum baptizatum esse hujus Sacramenti capacem; non expedit tamen confirmare pueros ante usum rationis, ut habetur in Catechismo Romano part. 2. cap. 3. tum

3. tum ut dignius illud recipiant; tum ut recordentur se illud recepisse, ne iterum recipiant; (propter quod iis alapa impingitur a confirmante; sicut etiam ut intelligant debere se injurias pati pro fide confitenda) tum demum quia sic usu receptum est. Et quamvis in principio Ecclesiæ ante usum rationis hoc Sacramentum conferretur, sicut etiam Sacramentum Eucharistiæ, ut docet Divus Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia, talis tamen consuetudo tunc temporis fuit laudanda, tum propter persecutiones Ecclesiæ, in quibus etiam pueris pugnandum erat; tum propter paucitatem Episcoporum, qui non semper habebantur in promptu, ut hoc Sacramentum conferrent: Nunc vero id non expedit, nisi forte infans esset in periculo mortis (*a*). Notat tamen Dian. part. 3. tract. 4. resol. 19. non esse mortale confirmare infantem sine justa causa ante septennium, seu ante usum rationis; Ecclesiæ enim consuetudo hac in re non videtur sub mortali obligare: tum quia omnes Doctores solum dicunt id esse indecens; tum quia ad hoc Sacramentum nulla præcedere debet dispositio necessaria. Immo Suar. disp. 38. sect. 1. Con. quæst. 72. art. 8. apud Trull. contra nonnullos docet, nec esse mortale contra consuetudinem Ecclesiæ primam Tonsuram, vel Ordines ante Confirmationem recipere; neque ex verbis Trident. sess. 15. cap. 4. hanc obligationem gravem colligi. Nec est mortale a non jejuno suscipi; quamvis in Pontificali dicatur, ut conferatur jejunis. Immo nec veniale id erit, ubi consuetudo est conferendi hoc Sacramentum a prandio publice.

(*a*) „ Aut alia justa caussa esset, qualem „ Suarez, aliique censent esse diutinam, quæ „ prævideatur, Episcopi absentiam. Confer „ Benedictum XIV. *de S. D. Lib.* 7. *c.* 10.

V. Ex dictis sequitur, perpetuo amentes esse confirmandos, ut communiter docent contra Valent. & Sotum apud Dian. part. 3. tract. 7. resol. 20. & a fortiori eos, qui post usum rationis inciderunt in amentiam, dummodo non constet in amentiam incidisse, dum erant in statu peccati mortalis. Ratio est, quia licet amentes non sint apti ad pugnam, sunt tamen apti, ut armentur ad pugnam, & ut consignentur per characterem in milites Christi, & gratiam habitualem recipiant, ratione cujus habeant parata auxilia pro tempore ad pugnam opportuno. Quamvis autem qui post usum rationis in amentiam inciderunt, non sint baptizandi, nisi aliquo modo baptismum petierint: si tamen sint baptizati, sunt confirmandi, licet non petierint confirmationem. Ratio disparitatis est, quia ad hoc Sacramentum recipiendum sufficit interpretativa voluntas, quam quilibet habet circa beneficia suæ salutis, ut notat Dian. loc. citat. Contra vero, ut quis novum statum per baptisma recipiat, debet expresse illud petiisse, & voluntatem non retractasse.

VI. Quæres tertio, quanta sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.

Respondeo cum communi apud Dian. loc. cit. resol. 25. non esse mortale illud nolle suscipere, præciso contemptu, & scandalo. Immo ex Trull. & Henr. contra Nav. apud Conink, ne veniale quidem, cum nullibi extet præceptum de illo suscipiendo: Si enim tale præceptum extaret, Ecclesia cogeret omnes ad illud suscipiendum; sicut cogit ad confessionem, & communionem annuam; & sicut punit parentes, qui diu baptismum pueri differunt (*b*). Putant tamen Tolet. Sylv. Bonac. Palud. & alii apud eundem Dian. quod notabilis negligentia in hac re censeatur contemptus. Sed Nav. Victor, Laym. id negant; multa enim facere intermittimus animæ nostræ admodum salubria, quia putamus illa non esse necessaria ad salutem, quin proinde ea contemnamus: Verbi gratia, sine contemptu omittimus in magna solemnitate communionem, vel lucrari multas indulgentias ex notabili negligentia, & tædio, quas commode possemus. Peccaret tamen mortaliter Episcopus, si negligens esset in conferendo Confirmationem, quia hoc illi competit ex officio; sicut competit Parocho alia Sacramenta administrare. Denique Durand. apud Con. putat teneri sub mortali Confirmationem recipere, qui fidem coram tyranno confessurus sit, ne se exponat periculo proximo negandi fidem. Sed communius etiam id negant; quia cum hoc Sacramentum detur ad plenitudinem, non ad necessitatem gratiæ, sine illo non habetur periculum proximum negandi fidem.

(*b*) „ Concina T. VIII. *pag.* 227. contra „ hæc ita disserit. Opinio P. Dominici Vi- „ va a culpa veniali cum Trullenco, Connink, „ aliisque casuistis excusantis fideles qui tan- „ tum Sacramentum (Confirmationis) negli- „ gunt, nimium laxa est: siquidem ut fatetur „ vel ipse Leander loc. cit. quæst. 7. ex Patre „ Valentia communiter illi ipsi Auctores, qui „ negant præceptum, fatentur peccare illos, „ qui hoc Sacramentum negligunt.

„ Et pag. 223. relata sententia Vivæ ita „ scripserat.

„ Nec venialem quidem culpam perpetrat „ Christianus qui in hoc agone constitutus, „ & undique hostium multitudine circumda- „ tus deliberate nolit se tali munire præsidio? „ Declamator ne ero, & sanctæ caritatis vio- „ lator si dixero hanc doctrinam nimiam redo- „ lere laxitatem. Hæc ille. Audiatur nunc No- „ cetius cap. 79. *Veritatis vindicatæ.* Non re- „ fertur sincere, neque in suo vero adspectu

„ depin-

„ depingitur opinio PP. Connink, & Vivæ. „ Repræsentatur enim lectoribus hos auctores „ liberare fideles omittentes hoc Sacramentum indefinite & universaliter ab omni prorsus culpa veniali undecumque orta: quod „ falsissimum est ut jam ostendo.

„ Itaque aliud est liberare aliquem a culpa „ veniali orta ex obligatione directa alicujus „ præcepti, aliud liberari a culpa veniali, „ orta ex aliis capitibus. E. G. qui negligeret „ Communionem toto integro anno, & illam „ sumeret solum in Paschate, ne venialiter quidem peccaret ex vi directa præcepti: quia „ præceptum communicandi semel in anno ne „ venialiter obligat quidem ad communionem „ frequentandam in anni decursu. Nemo tamen „ liberabit Christianum negligentem communiones toto anno a culpa veniali orta aliunde, scilicet a Prodigalitate quadam spirituali, & a negligentia in re adeo conducente „ ad salutem.

„ Jam vero Connink, & Viva negant quidem culpam venialem ortam ex obligatione „ directa, quia negant præceptum suscipiendæ „ confirmationis. Sed P. Concina non indicabit verbum, quo negent culpam venialem „ ortam aliunde, sive quo negent illam culpam, quam fatente ipso Leandro admittunt „ illi Auctores qui negant præceptum.

„ En verba P. Connink quæst. 72. de Confirm. artic. 8. num. 91. Conclusio tertia. Nulla „ est directa obligatio ad hoc Sacramentum „ suscipiendum etiam sub peccato veniali. Ratio est quia nullum est præceptum humanum „ ad hoc nos obligans ut patet ex dictis: neque etiam divinum, vel naturale, quia si „ tale esset, cum hæc sit materia gravis, obligaret sub mortali. Vix unquam tamen sine „ justa causa hoc Sacramentum omittitur sine „ peccato veniali. Quia per illam omissionem „ privamus nos magnis bonis, & auxiliis spiritualibus quod per se continet quamdam prodigalitatem, & indecentiam: & hac ratione efficimur minus idonei ad resistendum „ peccatis, unde exponimur majori periculo „ peccandi sæpius: quod quando ita possumus „ commode saltem sub peccato veniali tenemur vitare.

„ Negat ne hic P. Connink omnem culpam venialem etiam ortam ex aliis titulis? „ negat ne etiam illam culpam, quam admittunt Auctores negantes cæteroquin præceptum?

„ En verba Vivæ in cursu Theologico parte 5. quæst. 3. artic. 2. num. 6. Respondeo „ cum communi apud Dianam... non esse „ mortale illud nolle suscipere præciso contemptu & scandalo: immo cum Trul. & Henr. „ Contra Navarrum apud Connink ne veniale quidem, cum nullibi extet præceptum de „ illo suscipiendo.

„ Etiam P. Viva hic negat solum culpam „ venialem quantum est ex vi præcepti directi. Tum quia loquitur in sensu P. Conink „ negantis culpam venialem, ut vidimus, solum ex obligatione directa. Tum quia non „ aliam affert rationem negandi talem culpam, „ nisi quia nullibi extat præceptum de illo „ suscipiendo. Tum quia ne verbum quidem „ habet quo neget culpam venialem aliunde „ ortam. Ergo neque Conink neque Viva negant indefinite & universaliter omnem culpam venialem etiam illam quam admittunt „ auctores negantes præceptum. Ergo P. Concina hoc ipsis affingendo aperte imposuit.

„ Hoc satis ad institutum: tamen præterea „ hoc adverto. P. Conink non modo non negat culpam venialem aliunde ortam, & admissam ab aliis auctoribus qui cum ipso negant præceptum; sed disertissime & expressissime illam admittit, & probat, ut visum „ est. P. Viva de illa expresse non loquitur: „ dicendus tamen est, non modo illam non „ negare, ut est certissimum; sed implicite „ eam admittere, quia loquitur juxta sensum „ P. Conink eam expresse admittentis.

„ Occasione hujus quæstionis P. Concina „ more suo exagitat nominatim, & mirum „ quantum solos Patres Vivam, & La Croix, „ qui & ipse negat præceptum, nusquam tamen negat culpam aliunde ortam. Eos solos ostentat lectoribus: eos solos in eorum „ oculis conatur infigere & quidem tum in titulo capitis illius sexti, quod versamus tum „ in decursu capitis, tum in Indice. Sed mihi placet instruere lectores etiam de iis, quæ „ super hac quæstione scripserunt alii Theologi, qui certe cum P. Concina consentientes non sunt.

„ I. Dominicus Soto Dominicanus in 4. distinct. 7. quæst. unica artic. 8. Contrarium „ autem scilicet nullum esse præceptum obligans sub peccato mortali est longe probabilius: immo hic S. Thomas id tamquam „ certum affirmare videtur. Glossat enim Hugonis verbum dicentis, periculosum esse „ sine confirmatione mortem obire, dicens non „ quia homo ille damnaretur nisi forte propter „ contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur & eamdem opinionem quasi „ B. Thomæ asseverat Adrianus quæst. de Confirm. a. 1. scilicet quod neque est præceptum „ Dei neque Ecclesiæ.

„ Sciant Lectores P. Concinam acriter defendere præceptum, acriter propugnare S. „ Thomam stare pro sua sententia, & acriter decla-

„ declamare adversus eos, qui interpretatio-
„ nem adhibent Patribus, & conciliis ab
„ ipso allatis. Pergamus.

„ II. Cajetanus Dominicanus in summa V.
„ Confirmatio. Confirmationis Sacramentum,
„ quod Chrisma vocatur negligens accipere,
„ peccat, quia debet esse solicitus de Sacra-
„ mento communi omnibus Christianis ad ro-
„ bur fidei a Christo instituto. Non peccat
„ tamen mortaliter, si desit contemptus, quia
„ Sacramentum hoc nec est necessitatis abso-
„ lutæ, nec ex exactione Ecclesiæ.

„ III. Bartholomæus Fumus Dominicanus
„ in summa vulgo Armilla V. Confirmatio:
„ Confirmationis Sacramentum, quia non est
„ necessitatis, ideo dimittens non ex contem-
„ ptu, sed tantum ex negligentia peccat quidem
„ sed non mortaliter.

„ IV. Martinus Ledesma Dominicanus in
„ 4. parte 1. quæst. 13. art. 8. Dubitatur pri-
„ mo, an omnes adulti teneantur ad confir-
„ mationem sub pœna peccati mortalis? Ad
„ hoc respondetur, & sit prima propositio.
„ Negligentia vel omissio hujus Sacramenti sine
„ contemptu nunquam est peccatum mortale
„ stando in jure Divino. Hanc ponit forma-
„ liter S. Thomas in ista quæstione artic. 1.
„ ad 3. & in isto octavo articulo ad 4. Secun-
„ da propositio est. Etiam nec Lege Huma-
„ na præceptum est de sumptione hujus Sa-
„ cramenti. Quia in toto corpore juris non
„ habetur tale præceptum.

„ V. Bonifacius Maria Grandi Dominica-
„ nus Tomo 3. cursus Theologici quæst. 72.
„ ar. 8. De tertio dico. Per se loquendo non
„ tenentur fideles sub mortali ad hoc Sacra-
„ mentum suscipiendum. Ita cum Divo Tho-
„ ma hic tam artic. 1. ad 3. quam in hoc ad
„ 4. contra Contensonium Spec. 2. & alios et-
„ iam antiquos. Nullum namque assignari po-
„ test præceptum divinum vel Ecclesiasticum
„ hoc imponens: Unde nec ab adversariis ad-
„ ducuntur Auctoritates Sacræ Scripturæ. Tra-
„ ditiones vero, ac Patrum auctoritates affir-
„ mantes necessitatem hujus Sacramenti legi-
„ time interpretantur duce Angelico Præce-
„ ptore de necessitate secundum quid seu ad
„ melius esse.

„ VI. Johannes Baptista Corradus Domini-
„ canus p. 2. quæst. 179. Dimittere autem il-
„ lud ex negligentia non esset mortale contra
„ jus divinum quævis cumque negligentia sit, et-
„ iam crassa. Stando autem in jure humano Adria-
„ nus & S. Thomas tenent, quod non est præce-
„ ptum, & ita credit Franciscus Victoria.

„ VII. Bartholomæus ab Angelo Domini-
„ canus Diologo 3. §. 68. & 69. Alii autem con-
„ trarium tenent, scilicet nullum esse præ-
„ ceptum obligans sub reatu mortali .....
„ Hanc opinionem sequor etiam ipse.
„ Nam cum perceptio Sacramenti Confir-
„ mationis non sit de jure divino, ut omnes
„ concorditer tenent: Ergo neque est de jure
„ Pontificio.

„ VIII. Philippus Maria Grossi Dominica-
„ nus Tract. 22. de confirmatione quæst. 1.
„ art. 4. Dico quod nullum datur præceptum
„ obligans sub peccato mortali ad susceptionem
„ hujus Sacramenti.

„ IX. Martinus Wigandt Dominicanus in
„ Tribunali Confessariorum Tractatu undeci-
„ mo, examine 6. quæst. 1. Ex his colligitur,
„ quod nemo moraliter peccet, qui hoc Sa-
„ cramentum non suscipit, modo non omittat
„ cum contemptu vel cum scandalo.

„ X. Dominicus de Marinis Dominicanus
„ Archiepiscopus Avenionensis in 3. p. quæst.
„ 72. art. 12. cap. 9. Ceterum S. Doctor, ut
„ mox vidimus, negat hoc præceptum, dum
„ explicans auctoritatem Hugonis dicentis,
„ omnino periculosum esse, si ab hac vita si-
„ ne confirmatione migrare contigerit, dicit. „
„ Non quia damnaretur, nisi forte propter
„ contemptum. „ Quo dicto manifeste ostendit,
„ quod omittens Sacramentum Confirmatio-
„ nis non peccat mortaliter nec contra aliquod
„ præceptum, & quod si ex contemptu hoc
„ faceret, peccaret mortaliter. Auctorem se-
„ quuntur hac tempestate omnes Theologi: im-
„ mo hic est sensus totius Ecclesiæ. Unde in
„ Catechismo Romano de Confirmationis Sa-
„ cramento hæc habentur: „ atque illud in pri-
„ mis &c. „.

„ Et pergit referre pro sententia negante
„ præceptum totum & prolixum textum Ca-
„ techismi, quem affert P. Concina tam-
„ quam validissimum argumentum pro sua sen-
„ tentia affirmante.

„ Laudati decem Dominicani conveniunt
„ cum Conink Viva, & La-Croix in negan-
„ do præcepto obligante sub gravi: nec dissen-
„ tiunt ab istis in negando præcepto obligante
„ sub levi. Ratio. Nam quamvis partim tacite
„ partim expresse doceant esse culpam venia-
„ lem omittere Confirmationem, tamen nemo
„ illorum explicat utrum id sit ex vi præcepti
„ directi obligantis sub levi, an vero ex aliis
„ titulis allatis, & illustratis a P. Conink,
„ & culpam venialem ortam ex illis nusquam
„ negarunt PP. Viva & La-Croix: vel P. Conci-
„ na doceat ubi, & quibus verbis.

„ Videamus nunc alios, qui expresse con-
„ sentiunt in negando indefinite, & univer-
„ saliter omne præceptum, tum divinum, tum
„ Ecclesiasticum, tum grave, tum leve: quo-
„ rum multi citant pro hac quoque univer-

„ salio-

„ saliori sententia S. Thomam, & preoccupant & dissolvunt Auctoritates quas tam ingenti clamore intonat P. Concina.

„ XI. Gonet Dominicanus acerrimus Antiprobabilista disput. 6. de Sacramento Confirmationis articulo 3. Dico 2. Ad recipiendum Sacramentum Confirmationis in nullo casu tenentur adulti sub præcepto per se & directe obligante. Est contra Scotum, Bellarminum, Jurrianum, Martinonium & alios. Est tamen divi Thomæ...Ratio etiam suffragatur. Nullum est præceptum neque Divinum neque ecclesiasticum per se obligans Fideles in aliquo casu ad susceptionem Sacramenti Confirmationis: Ergo ex præcepto per se & directe nunquam tenentur illud suscipere . . . Quando in Canone *omnes* dicitur, quod omnes fideles per impositionem manus Episcoporum Spiritum Sanctum accipere debent, verbum illud debent non significat præceptum, sed consilium.

„ Antequam progrediar. Auctor rei sacramentariæ, cujus conviciosissima verba refert, & adoptat hic P. Concina, Lib. 2. pag. 348, loquens de sententia negante indefinite omne præceptum tum divinum tum Ecclesiasticum hæc habet „ Non ita sane Christus, non ita Apostoli, non ita Pontifices maximi, non ita Patres & concilia præscripserunt. Non de fonte Traditionis, sed de Sentina Probabilitatis Opinio portentosa effluxit „. Ex verbis Goneti habemus de purissimis etiam fontibus antiprobabilitatis portentosam opinionem effluxisse. Adeo verum est, quod alias monui, probabilismum nullam cognationem habere cum sententiis directis, quas P. Concina appellat laxas. Sed pergamus.

„ XII. Petrus de Ledesma Dominicanus in summa Hispana Part. I. Cap. 8. Conclus. 2. No es peccado venial no recibir esto Sacramento, aun quando ay oportunitad . . . . La razon es, porque no ay precepto divino, ny ecclesiastico de recibir esto Sacramento como queda ya determinado: luego no sarà peccado venial no lo recibir, por que no se haze contra ley Ninguna.

„ XIII. Mag. Serra Dominicanus in 3. p. quæst. 72. artic. 4. dubio I. Dicendum est secundo. Ad recipiendum hoc Sacramentum Confirmationis neminem teneri ex præcepto per se directe ad hoc obligante. Docent hoc communiter Theologi, præsertim M. Soto ubi supra.... & hoc colligit ex D. Thoma.

„ XIV. Joannes Martinez de Prado Dominicanus Tomo I. de Sacramentis p. 3. quæst. 72. dub. 9. num. 15. Asserendum est nullum dari præceptum neque divinum, neque humanum recipiendi Confirmationem. Ita sumitur ex D. Thoma.

„ XV. Nugnus Dominicanus in 3. p. quæst. 72. artic. 8. Per se loquendo non est peccatum etiam veniale suscipere hoc Sacramentum. Patet ista Conclusio. Quia ubi non est lex, neque prævaricatio. Sed ut constat ex præcedentibus, nullum est præceptum in hac parte. Ergo.

„ XVI. Petrus Labat Dominicanus Tomo 6. Theologiæ disp. 3. de Sacramento Confirmationis non longe a fine: Colliges secundo, & ultimo Sacramentum Confirmationis per se loquendo non obligare ex necessitate præcepti. Est. D. Thomæ in 4. dist. 7. quæst. 1. artic. 1. & quæst. 2., & hic artic., 8. ad 4. & discipulorum ejus contra Scotum & alios . . . . . Unde cum sancti Patres loquuntur de hoc Sacramento nihil dicunt, quod ostendat necessitatem præcepti sed solum modum consilii, nimirum ut homo Christianus perficiatur in vita spirituali, scilicet perfectione superabundantiæ, & supererogationis, non autem necessitatis.

„ XVII. Victoria Dominicanus in summa quæst. 48. Stando in jure divino non est præceptum nec invenitur in Evangelio locus obligationis sicut invenitur de Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia. Verum est quod contemptus ejus est peccatum mortale: contemneret vero qui nollet illud recipere, quia non vult obedire, & putat nullius meriti esse. . . . Stando vero in jure humano Adrianus & S. Thomas tenent, quod non est præceptum; & ego ita credo.

„ XVIII. Ludovicus Bancel Dominicanus Tomo 7. Theologiæ quæst. 2. de Sacramento Confirmationis artic. 1. Utrum fideles teneantur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum? Duplex est sententia circa propositam difficultatem. Altera D. Thomæ omniumque Thomistarum & plurium aliorum, quod nullus per se loquendo tenetur suscipere hoc Sacramentum. Altera est Scoti, Scotistarum, & quorumdam aliorum docentium oppositum. Conclusio. Nullus est Casus, in quo per se loquendo obligemur ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis. Probatur primo: quia hujusmodi Sacramentum non obligat, si nullum sit de ipso præceptum neque divinum neque ecclesiasticum; sed nullum tale præceptum assignari potest. Ergo. Sed etiam convincitur ex ipsa natura hujus Sacramenti. Diximus enim quod institutum est ad hoc ut fideles publice protestentur fi-

„ dem coram Tyrannis tempore persecutionis. „ Sed possunt Christiani sic protestari fidem per solam virtutem fidei & zelum Religionis Christianæ sine auxiliis confirmationis, quamvis cum auxiliis, quæ conferuntur per hoc Sacramentum talis protestatio melius fiat, & facilius. Ergo hoc Sacramentum non est absolute & simpliciter necessarium ad publicam fidei protestationem, sed tantum secundum quid. Et ideo Perfectio est, & optimum consilium suscipere hujusmodi Sacramentum, non est tamen de ipso rigorosum Præceptum ...... Respondeo quod illud verbum debent indicat solummodo consilium ad majorem perfectionem, non vero rigorosum præceptum.

„ XIX. Joannes Nicolai Dominicanus in Parisiensi facultate celebris Sacræ Theologiæ Professor in 3. p. quæst. 72. artic. 8. illa verba S. Thomæ in fine Corporis „ Et ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi „ Ita commentatur. Non medii necessitate, vel præcepti quasi non possit sine illo acquiri salus, modo contemptus absit, sicut additur infra; sed ad melius esse saltem, & ex debito congruenti. (Advertant lectores quomodo insignis iste Dominicanus præoccupaverit auctoritates, in quibus adeo triumphat P. Concina) Sic intelligi debet Urbanus I. dicens „ omnes fideles per manus Episcoporum impositionem Spiritum Sanctum accipere debere, ut pleni Christiani inveniantur „ sic Cyprianus „ Necesse esse ungi eum, qui sit baptizatus, ut accepto Chrismate habere in se Christi gratiam possit, sivi plene Sanctificari „ Sic Clemens Epistola 4. „ Non aliter perfectum Christianum fieri posse, si non necessitate, sed incuria sine chrismate remanserit.

„ XX. Vincentius Candidus Dominicanus in Thesauro desiderabili, collecto a Francisco Salasia ejusdem ordinis, Diquisit. 38. artic. 8. numero octavo. Fideles non habent divinum Præceptum suscipiendi Confirmationem . . . . . . nullum est præceptum positivum ab Ecclesia . . . . . . Neque est veniale non velle suscipere, quia præcepta sub consilio omittere non est peccatum.

„ En quorum sit opinio, propter quam tum acri declamatione nominatim exagitantur soli Viva & La-Croix. Laudati Dominicani negant, sicut Viva & La-Croix indefinite, & universaliter omne præceptum tum divinum tum Ecclesiasticum, tum leve. Negant culpam venialem quantum est ex obligatione directa, sive ex vi præcepti per se, & directe obligantis: Non negant culpam venialem ortam ex alio titulo. Sed hanc neque usquam negavit P. Viva, quamquam id calumniose persuaserit lectoribus P. Concina, quia negavit non indefinite atque universaliter omnem culpam venialem; sed solum culpam venialem ex obligatione directa, ut a me superius evidenter ostensum est, Et tamen cum adeo consentiant inter se laudati Dominicani, & duo ille Jesuitæ, Jesuitæ lectorum oculis objectantur, Dominicani absconduntur. Ne sinat P. Concina elabi sibi e manibus Wendrochianam excusationem.

„ Laudatis Dominicanis placet addere unicum Patrem Suarez: qui Tom. 3. in 3. par. disput. 38. sectione prima eamdem prorsus opinionem solide clarissimeque propugnant, his verbis.

„ Quarta itaque absolute negat datum esse aliquod præceptum suscipiendi hoc Sacramentum. Hæc censetur esse sententia D. Thomæ in 4. distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 2. & hic artic. 8. ad 4..... Fundamentum hujus Sententiæ est: quia præceptum obligans sub mortali non est asserendum sine cogente fundamento. Hic autem nullum est non solum cogens, verum neque admodum urgens: quia neque in Scriptura habemus præceptum, neque ex Traditione: Nam omnes Sancti, & Pontifices, qui de hoc Sacramento loquuntur, explicant quidem vim, efficaciam, & utilitatem maximam, quam quodammodo necessitatem appellant hujus Sacramenti: nihil tamen dicunt, quod sufficienter indicet præceptum... Neque sufficienter colligitur hoc præceptum ex ipso usu vel traditione: Tum quia Fideles communiter non inducuntur ad recipiendum hoc Sacramentum tamquam ex necessitate obligati; sed tamquam invitati ad id quod per se bonum atque utile est. Unde nullis censuris astringi solent, neque aliis mediis, quæ necessitatem indicent: Tum etiam, quia si hoc Sacramentum esset jure divino præceptum, daretur omnibus adultis in articulo mortis, quod tamen usus Ecclesiæ non habet. Tandem non colligitur ex sola ratione, etiam supposita institutione, & fine, ac effectu hujus Sacramenti. Quia ex his omnibus colligitur, hoc sacramentum esse valde utile ad præservandum in fide, non tamen necessarium: atque adeo neque præceptum propter hanc causam, quia sunt alia media sufficientia ad eum finem consequendum, qualia sunt oratio, meritum, virtutis exercitium, & similia.... De jure

„ au-

„ autem Ecclesiastico manifestius hoc constare „ videtur: tum ex dictis: tum quia Ecclesia „ non solet imponere affirmativa præcepta, „ nisi determinando tempus in quo implenda „ sint: imo in materia Sacramentorum non „ solet præcipere usum, quoad substantiam „ ejus, ut sic dicam; sed solum determinare „ tempus in quo talis usus exercendus sit: in „ usum autem hujus Sacramenti nullum tempus „ determinavit. Quo circa hæc postrema sen- „ tentia vera est per se loquendo de præcepto „ proprio & intrinseca obligatione hujus Sa- „ cramenti. Ex quo fit per se etiam loquen- „ do non esse peccatum mortale hoc sacra- „ mentum voluntarie omittere. (Advertan- „ tur, quæso, quæ nunc Suarez dixerit de „ culpa veniali) an vero sit peccatum venia- „ le ut Cajetanus & alii volunt, ex fine & „ modo voluntatis judicandum est; Nam ex vi ob- „ jecti, & intrinsecæ obligationis consequenter „ dicendum est nullum esse peccatum, quia talis „ actus non est in præcepto, sed in Consilio. Alio- „ quin si esset præceptum, materia ejus esset satis „ gravis, & ideo per se loquendo obligatio aut „ debet esse sub mortali, vel omnino nulla; „ neque est dare medium. Ex accidente vero „ potest esse veniale peccatum (hoc nusquam „ negavit Viva) si censeatur irrationabilis „ quædam prodigalitas spiritualis vel non- „ nulla temeritas in modo aggrediendi peri- „ culum Fidei. Sed his etiam modis potuit „ interdum esse peccatum mortale etiam per „ accidens.

„ Hactenus eximius Suarez, cum quo con- „ sentiunt Gregorius de Valentia in 3. p. „ disput. 5. generali quæst. 2. puncto 3. af- „ firmans esse communem; Castropalaus, „ Bonacina, Henriquez, Filliuccius, Laiman, „ Villalobos, Salmanticenses, & alii pluri- „ mi videndi apud Dianam & Leandrum.

„ Cum Igitur hanc opinionem doceant tot „ insignes Dominicani, cum dicant illam es- „ se S. Thomæ & discipulorum ejus; cum „ auctoritates allatas a Patre Concina ex- „ plicent de concilio non de præcepto: cum „ idem prestent (audacter & jure dico) duo „ summi Theologi Suarez & Valentia: cum „ idem teneant alii plurimi gravissimique „ cujuscumque Instituti & conditionis: „ commiseratione aliqua mihi videntur digni „ Viva et La-Croix, quos solos nominatim „ exagitandos sibi de more proposuit P. Conci- „ na, si a magistris tot ac tantis decepti, ipsi „ etiam novissimi omnium subscripserunt Opi- „ nioni laxæ, nimium laxe, portentosæ, de sen- „ tentia probabilitatis efluenti. Magno animo „ opus est ut his præconiis exornentur sen- „ tentiæ, quæ a tot ac tantis auctoribus pro- „ pugnantur.

„ Nulli tamen mirum sit, si tam strenue „ defendit P. Concina præceptum suscipien- „ dæ Confirmationis. Siquidem inter effectus „ hujus Sacramenti recenset etiam animi ro- „ bur, & firmitatem ad impugnandas opi- „ niones laxas. Hactenus CL. P. Nocetius.

ARTICULUS ULTIMUS

De Effectibus, & Ritibus hujus Sacramenti.

I. *Præter characterem, qui est effectus secundarius, confertur primario gratiæ augmentum, & quidem majus, quam in Baptismo, cum jure ad divina auxilia.*

II. *Inter ritus, & cæremonias servandas est Alapæ inflictio; Patrinus qui sit confirmatus, & sub mortali adhibendus; & quod vitta ligetur caput Confirmati.*

I. QUæritur primo, quinam sint hujus Sacramenti effectus?

Respondeo ex Trident. sess. 7. can. 2., primarium effectum esse gratiæ habitualis augmentum, cum jure ad divina auxilia, quibus Confirmatus intrepide, audacter, & constanter fidem profiteatur. Dubium tamen est, an per confirmationem major gratia conferatur, quam per baptismum. Communius cum D. Thom. quæst. 65. art. 3. affirmant; tum quia Confirmatio est perfectius Sacramentum, in quo datur plenitudo gratiæ, quamvis baptismus sit magis necessarius; tum etiam quia baptismus est Sacramentum infantium, & eorum, qui regenerantur; Confirmatio est adultorum, seu eorum, qui crescunt, & qui ducuntur ad perfectam ætatem; generatio autem dat minorem quantitatem infanti, quam augmentatio, qua quis ad perfectam ætatem perducitur. Unde fit, per hoc Sacramentum non conferri primam gratiam, sed esse Sacramentum vivorum; cum datum sit ad augmentum, & consummationem spiritualis vitæ; proinde qui illud suscipit, debet esse in gratia. Probabiliter potest per accidens aliquando primam gratiam causare, si scilicet peccator accedat ad illud cum attritione, bona fide credens se esse contritum; quo casu non ponit obicem gratiæ. Debet tamen per se contritionem præmittere, qui est in statu peccati mortalis, quin teneatur sub mortali præmittere confessionem, cum hoc in solo Eucharistiæ Sacramento prærequiratur. Quamvis autem in cap. *de consecr. dist.* 5. dicatur, quod hoc Sacramentum jejunis, præmissa confessione, conferatur: id tamen non est præceptum, ut communiter docent. Adverte demum circa remissionem pœnæ, quod per ba-

ptiſmum totaliter ea remittatur, quia per illum homo renaſcitur; non tamen per confirmationem.

Secundus effectus minus principalis Confirmationis eſt Character: proinde hoc Sacramentum eſt irreiterabile. Tertius effectus eſt Cognatio ſpiritualis, ſeu affinis inter confirmatum, & patrinum eo modo, quo diximus de Bapt.

II. Quæritur ultimo, quinam ſint ritus ſervandi in adminiſtratione hujus Sacramenti?

Reſpondeo eſſe eos, qui habentur in Manuali Epiſcoporum. Præcipuæ tamen cæremoniæ ſunt; Primo, alapa, quæ impingitur, tum ut ille recordetur ſe eſſe confirmatum, tum ut intelligat debere injurias ſuſtinere pro fide confitenda: omiſſio tamen alapæ non eſt mortale, quia non videtur res gravis: Secundo, Patrinus, cujus omiſſio eſt mortalis, cum ſit res gravis: eſt enim cæremonia antiquiſſima ad ſignificandum tyronem illum eſſe in ſpirituali militia, & indigere alterius conſilio; quamvis Patrinus confirmationis non teneatur inſtituere, quem ſuſcepit; cum nullo jure id præcipiatur, ſed adhibetur ad ornatum. Solum in neceſſitate poteſt eſſe idem Patrinus in Confirmatione, qui fuit in baptiſmo; & frater fratrem ſuſcipere, ut notat Sa, & Trull. in cap. *In catechiſmo* de conſecr. diſt. 3. Debet Patrinus Confirmationis eſſe confirmatus; aliter cognationem ſpiritualem non contraheret, ut multi docent contra Sa, Rodr., & alios apud Dian. p. 3. tract. 4. reſol. 26.: Unde peccaret graviter, ſi non confirmatus exerceret munus Patrini, eo quod irritam redderet hanc cæremoniam ſolemnem. Tertio, quod caput confirmati vitta ligetur; tum ob reverentiam Chriſmatis, ne ſtatim deteratur, & aliis rebus miſceatur; tum ut ſignificetur, gratiam Confirmationis eſſe conſervandam: ferenda autem eſt vitta, quamdiu habet conſuetudo in ſingulis locis. Demum nullus certus locus adminiſtrationi Confirmationis aſſignatur; omnino tamen convenit, ut id in Eccleſia fiat.

QUÆSTIO IV.

De Euchariſtia ut Sacramento.

INnumeri Auctores fuſiſſime, ſed nunquam ſatis de præſtantiſſimo hoc Sacramento diſſerunt. Nos, miſſis iis, quæ in Scholaſtica Theologia diſputavimus, paucis hic expediemus, quæ ad praxim ſpectant. Cum autem Euchariſtia & ſit Sacramentum, quatenus corpus Chriſti Domini in ea contentum eſt cibus ſpiritualis animæ ordinatus ad ejus refectionem, & nutritionem; & ſimul ſit Sacrificium, quatenus idem corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini offertur Deo omnipotenti in remiſſionem peccatorum, & remedium humanæ infirmitatis, de Euchariſtia inquantum eſt Sacrificium agemus quæſtione inſequenti; Hic ſolum de Euchariſtia agimus, prout eſt Sacramentum, quod a D. Dionyſ. dicitur *Conſummatio omnium Sacramentorum*; tum quia vitam gratiæ in baptiſmo, & confirmatione receptam munjit, & conſummat; tum quia fontem ipſum gratiæ in ſe continet. Primo autem quæremus e us Eſſentiam, Unitatem, & Inſtitutionem. Secundo neceſſitatem, & obligationem illud ſumendi: Tertio materiam: Quarto formam: Quinto effectus: Sexto ſubjectum: Septimo diſpoſitionem ex parte animi requiſitam: Octavo diſpoſitionem ex parte corporis: Nono de tempore, loco, & aliis ad Euchariſtiam ſpectantibus: Ultimo de Miniſtro.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit, & quando inſtitutum Euchariſtiæ Sacramentum?

I. Variis nominibus a SS. Patribus hoc Sacramentum appellatur.

II. Variiſque figuris in lege veteri fuit adumbratum.

III. Ex hujus Sacramenti definitione ſequitur, quod conſtituatur ex corpore, & ſanguine Chriſti Domini, ex ſpeciebus Sacramentalibus, atque etiam ex verbis conſecratoriis.

IV. Non tamen ex ſumptione, ſeu uſu.

V. Euchariſtia dumtaxat eſt Sacramentum permanens, quatenus ejus materia proxima permanet phyſice, & verba moraliter.

VI. Non eſt multiplex hoc Sacramentum, ſed unum ſpecie atoma.

VII. Multiplicitas numerica hujus Sacramenti unde deſumatur? Et an a pluribus particulis

culis simul sumptis gratia uberior causetur?
VIII. Quando, & quomodo Christus hoc Sacramentum instituerit?
IX. Et quem ad finem?

I. UT præstantiam tanti Sacramenti explicarent Patres, & Doctores, innumeris illud nominibus appellarunt. Dicitur enim Primo *Eucharistia* græce, quod latine sonat Bona gratia; tum quia continet Christum plenum gratiæ, & veritatis; tum etiam quia in gratiarum actionem consecratur; tum demum quia uberimam gratiam confert. Secundo dicitur *Sacra Synaxis*, hoc est Collecta societas, quia fideles per hoc Sacramentum, tamquam unius corporis membra cum Christo capite uniuntur. Dicitur *Sacrum Viaticum infirmorum*, quia viam parat ad gloriam, juxta illud Psal. 49. *Sacrificium laudis* (hoc est Eucharistia) *honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei:* Appellatur *Sacramentum corporis, & sanguinis Domini, primum, & Sacrosanctum mysterium, Consummatio Sacramentorum, Panis vitæ, Esca spiritualis, Cœna Domini, Pharmacum immortalitatis, Gloria Dei*, & aliis nominibus apud Suar. part. 3. quæst. 73. art. 4., & Filliuc.; unde merito nuncupari solet Sanctissimum, Augustissimum, Venerabile Sacramentum.

II. Fuit etiam variis figuris in lege veteri adumbratum: Primo per Agnum paschalem, qui Christum, ut hostiam, & ut cibum significabat: Secundo per Panes propositionis, & præsertim per oblationem panis, & vini factam a Melchisedech: Tertio per Sacrificia, expiationes, & holocausta illius legis: Quarto per Manna, quod pluit de Cœlo peregrinantibus in deserto, quod omne delectamentum in se habebat: Quinto per Panem Eliæ, qui tantum robur dedit comedenti: Sexto per Panem hordeaceum, qui evertit castra Madian, ut videre est apud eundem Suar., & D. Th. quæst. 73. art. 6.

III. Quæritur nunc primo, quid sit Eucharistia, & in quibus consistat?

Respondeo, esse Sacramentum, quod sub speciebus panis & vini vi consecrationis continet orpus, & sanguinem Christi Domini adnutritionem vitæ spiritualis datæ per baptismum. Hæc definito colligitur ex Trident. sess. 13. cap. 2., & est adæquata per genus, & differentiam; nam genus est ratio Sacramenti, quæ est communis omnibus; differentia vero sunt ea, quæ sequuntur, per quæ a reliquis Sacramentis differt.

Ex quibus sequitur primo ex D. Th., Con., Bonac., Trull., Corpus Christi Domini constituere Eucharistiam. Probatur: hoc Sacramentum est cibus animæ, non ratione specierum, sed ratione corporis Christi, ut habetur Joann. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est: Caro mea vere est cibus*, &c.; & ideo Trident. sess. 13. cap. 5. docet, huic Sacramento deberi cultum latriæ.

Neque dicas, Corpus Christi significari a speciebus: ergo non constituit hoc Sacramentum: sicut ablutio interna, seu emundatio ab originali, quæ significatur in baptismo, non constituit baptismum. Nam potest aliquid significari, & simul constituere Sacramentum, ut dolor in Sacramento Pœnitentiæ, qui significatur a Confessione. Cæterum sicut in aliis Sacramentis datur Sacramentum tantum, res tantum, & Sacramentum simul, & res, prout explicavimus quæst. 1. art. 6. num. 5.: ita in hoc Sacramento species panis dicuntur Sacramentum tantum, quatenus solum significant Christum sub iis contentum per modum cibi, & non significantur; Gratia dicitur res tantum hujus Sacramenti, quia solum significatur, non significat, Corpus Christi dicitur res simul refectiva animę, & Sacramentum, quia significat gratiam refectivam, & significatur a speciebus.

Sequitur secundo, Eucharistiam constitui etiam a speciebus panis, & vini. Probatur: quia Sacramentum debet esse signum sensibile; solæ autem species sunt sensibiles in hoc Sacrmento: ergo debet constitui etiam a speciebus. Adde, Corpus Christi contineri in hoc Sacramento ex Trident.; nihil autem in se ipso continetur: ergo species sunt Sacramentum, in quo Christus continetur sensibiliter, & demonstrabiliter; atque adeo species constituunt Sacramentum.

Sequitur tertio contra Sot., & Con. Verba consecratoria esse partem essentialem hujus Sacramenti, & non merum requisitum, aut causam extrinsecam. Ratio est, quia quodlibet Sacramentum constat rebus, & verbis, quæ significant effectum spiritualem ab iis causatum: ergo etiam Eucharistia. Adde, Eucharistiam in fieri constare ex verbis consecrationis, ut patet; (quia non minus verba, quam species panis, & vini significant Christum Dominum, ut cibum nutritivum animæ) ergo etiam in facto esse: nam eadem sunt constitutiva Sacramenti in fieri, & in facto esse; aliter non esset idem Sacramentum, quod fit, & quod perseverat.

Neque dicas, transactis verbis perseverare integrum Sacramentum: ergo non constituitur verbis in facto esse. Nam verba perseverant moraliter, quoties Sacramentum perseverat; sicut quando confertur absolutio, perseverat moraliter confessio, quæ constituit Sacramentum Pœnitentiæ; & consensus unius conjugis sæpe perseverat tantum moraliter, quando per adventum alterius consensus constituitur Sacramentum Matrimonii. Dicuntur autem moraliter perseverare verba consecratoria, quatenus adhuc perseverat eorum significatio, & exigentia corporis

poris Christi sub illis speciebus ad nutriendam animam; sicut etiam quatenus illæ causant moraliter gratiam in suscipiente Eucharistiam.

IV. Sequitur quarto, sumptionem, seu usum non constituere hoc Sacramentum, ut communiter docent contra Aureol. Probatur quia ex Trid. peracta consecratione habetur in hoc Sacramento Christus Dominus: ergo ex Trident. ante susceptionem habetur constitutum Sacramentum; atque adeo sumptio est solum requisitum, seu applicatio virtutis activæ, ut hoc Sacramentum gratiam causet: Aliter ante sumptionem non deberet adorari.

Dices: Sacramentum consistit in eo, quod Christus Dominus instituit, & fieri præcepit: atqui non solum instituit, & fieri præcepit consecrationem, sed etiam susceptionem: ergo consistit in susceptione.

Confirmatur, quia Sacramentum est signum sensibile significans practice gratiam ex promissione Christi: atqui non solum consecratio, sed etiam sumptio est hujusmodi: Christus enim Dominus promisit gratiam manducanti: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* ergo sumptio constituit Sacramentum. Quamvis autem ante sumptionem habeatur constitutum Sacramentum, poterit saltem dici, quod sumptio sit pars integralis; sicut est satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

Respondeo, nego majorem: non enim omnia, quæ Christus præcepit fieri relate ad Eucharistiam, sunt partes Sacramenti: Sicut enim in baptismo dixit: *Euntes docete omnes, baptizantes eos:* & tamen doctrina non est pars Sacramenti: ita quamvis dixerit: *Accipite, & manducate*, non per hoc usus Eucharistiæ erit pars Sacramenti.

Ad confirmationem nego sumptionem esse signum practicum gratiæ, seu habere vim causativam gratiæ, cum id non habeatur neque ex Scripturis, neque ex Conciliis, neque ex Patribus. Verum quidem est, quod posita sumptione causetur gratia, sed falsum est, quod vis causativa gratiæ sit in ipsa sumptione: hæc enim solum est applicatio virtutis activæ, quæ est in ipso Sacramento. Quare quando dicitur, *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*, ly *manducare* ponitur ut conditio, non ut vis vivificandi; sicut cum dicitur, Qui accedit ad ignem, calefit, accessus ponitur ut conditio, non ut vis calefactiva, quæ est in solo igne. Neque potest dici, quod manducatio sit solum pars integralis: Primo, quia in hac re nihil affirmandum sine authoritate; cum totum pendeat unice ab Institutione Christi Domini, quæ nobis solum per Scripturas, Concilia, & sensum Ecclesiæ innotescit: Secundo, quia si esset pars Sacramenti, esset pars essentialis, & non integralis; Siquidem essentialiter requiritur manducatio, ut Eucharistia causet gratiam; Contra vero, ut causetur gratia in Sacramento Pœnitentiæ, non requiritur satisfactio; & ideo satisfactio potest esse pars tantum integralis, non essentialis.

V. Sequitur ultimo, distingui hoc Sacramentum a reliquis, non solum quia habet constitutiva, & effectus diversos, sed etiam quia materia proxima hujus Sacramenti est quid permanens; sicut etiam ipsa forma permanet moraliter, quousque permanet Christi corpus sub speciebus ab ipsa forma causatum: non secus ac moraliter permanet electio Pontificis, verbi gratia, vivente Pontifice: Et ideo dicitur esse Sacramentum permanens, quia ante usum est perfectum; reliqua vero Sacramenta consistunt in solo usu, & solum dum fiunt, recipiuntur. Præterea materia reliquorum Sacramentorum est solum quid sensibile; hujus vero Sacramenti materia est, præter species panis sensibiles, etiam corpus Christi Domini, quod per species panis fit demonstrabile, dicendo, Hoc est Corpus Chrsti.

VI. Quæritur secundo, Utrum hoc Sacramentum debeat dici unum, an multiplex specie?

Respondeo, debere dici unum specie atoma, seu infima; nam licet panis, & vinum specie differant, quia tamen in hoc Sacramento utrumque ordinatur ad eundem finem specificum, videlicet ad refectionem animæ per modum convivii, quod ex pane, & vino integratur, ideo est unum specie: Non secus ac Sacramentum Ordinis dicitur unum, quamvis a Subdiaconatu, Diaconatu, Presbyteratu integretur; quia omnia ad eundem finem ordinantur. Illud tamen est discrimen inter Sacramentum Ordinis, & Eucharistiæ, quod qui recipit, verbi gratia, Diaconatum, non recipit gratiam illam, quæ est propria Presbyteratus: Contra vero qui solas species panis manducat, eandem specie gratiam recipit, ac qui manducat simul, & bibit, etiamsi verum esset, quod majorem extensive gratiam recipiat, qui sub utraque specie communicat; sicuti eandem specie gratiam recipit, qui semel communicat, ac qui bis, quamvis majorem extensive gratiam recipiat, qui communicat bis: Nam per species solius panis solum repræsentatio convivii est partialis, & inadæquata; gratia tamen refectiva ex institutione Christi Domini est omnino ejusdem rationis, quæ confertur a solis speciebus panis, & quæ a solis speciebus vini, & consequenter quæ ab utrisque: Quicquid sit, utrum gratia Sacramentalis, seu auxilia, quæ conferuntur manducantibus hostiam, differant a gratia Sacramentali, seu ab auxiliis, quæ conferuntur bibentibus calicem, juxta illud Psal. 103. *Vinum lætificat cor hominis, & panis cor hominis confirmat;* Quod Scholastici discutiunt, & nos in Cursu Theologico disp. 4. quest. 8. de Eucharistia agentes partem affirmantem probabili-

biliter sustinuimus: & in calce articuli quinti hujus quæstionis fusius id prosequemur.

VII. Quæritur tertio, Undenam desumatur multiplicitas numerica hujus Sacramenti?

Respondeo, desumi a multiplicitate specierum, non physica, sed morali. Quare plures hostiæ in eadem pyxide, dicuntur esse unum Sacramentum; & sacerdos, qui sumit in missa hostiam in tres partes divisam, non dicitur sumere tria Sacramenta, sed unum; quia illæ tres partes, licet sint physice divisæ, sunt tamen moraliter unum, eo quod faciunt unum cibum; & e converso, si eadem hostia divisa in tres partes a tribus manducatur, dicuntur esse tria Sacramenta, quia per triplicem illam manducationem fit moraliter triplex, hoc est triplex cibus. Ex quo sequitur, quod non majorem gratiam recipiat, qui recipit simul plures particulas, quam qui unam tantum; nam moraliter est unus cibus, tam si una, quam si centum particulæ simul sumantur; Quamvis per hoc, quod Christus Dominus magis sit in stomacho illius, qui recipit plures particulas, possit majorem successive gratiam causare ex opere operato, si vera est illa opinio Suar. d.63. sect. 4. & 5. Con. quæst. 79. art.1. dub. 2. & Bonac. disp. 4. quæst. 4. punct. 2. quod Christus Dominus in stomacho existens tamdiu gratiam causet ex opere operato, quamdiu ad illam se disponit per actus meritorios, qui communicavit. Sicut autem non recipit majorem gratiam, qui plures particulas simul sumit, vel majorem hostiam; ita juxta sententiam D. Th. quæst. 80. art. 12. ad 3. contra Palaum, Vasq. Lugo disp. 12. sect. 3. & alios, nec majorem gratiam sumit, qui sub utraque specie communicant, ac qui sub una tantum; quia uterque unum Srcramentum recipit per hoc, quod semel reficiatur.

Illud tamen est discrimen inter duas particulas simul sumptas, & inter species panis, & vini sumptas in eadem Missa; quod duæ illæ particulæ dicuntur ita esse unum Sacramentum, ut non dicantur esse duo Sacramenta partialia. Contra vero species panis, & vini in eadem missa sumptę dicuntur esse unum Sacramentum compositum ex duobus Sacramentis partialibus; quia cum diversimode significent refectionem spiritualem species panis, & species vini, (illæ scilicet per modum cibi, istæ per modum potus) ideo habent non solum distinctionem physicam, sicut habent duæ particulæ, sed etiam quandam diversitatem moralem, qua possint dici duo Sacramenta non quidem totalia, (cum per modum unius sumantur, ac in eodem convivio) sed partialia.

Sequitur demum ex dictis, quod qui sub una tantum specie communicat, integram sumit refectionem, quamvis non integre repræsentatam: & in hoc sensu dici potest, quod non sumat integrum Sacramentum, quatenus non sumit species omnes hoc Sacramentum integrantes, quæ repræsentant refectionem animæ per modum Convivii, quod ex cibo, & potu integratur; esto integrum sacramentum sumat relate ad refectionem animæ, seu gratiam ab hoc Sacramento causatam.

VIII. Quæritur quarto, quando, & quomodo fuerit Eucharistia instituta?

Respondeo, de fide esse, quod instituta fuerit a Christo Domino, in qua nocte tradebatur, hoc est decima quarta die Lunæ vicinioris æquinoctio verno die Jovis, quando juxta legem Moysis comedendus erat agnus paschalis. Tunc, enim, ut notat Henr. lib. 8. cap. 58., & fuse Con. disp. 74. art. 4. post cęnam legalem agni (ut figura præmitteretur veritati) lavit pedes discipulorum, & cænantibus illis, (hoc est Apostolis, ut habet Scriptura, videlicet cœna usuali, & communi, in qua intinxit Judas manum in paropside cum Christo) instituit hoc Sacramentum, & Sacrificium incruentum, celebrando primam missam cum duodecim Apostolis, etiam cum Juda proditore, quos omnes sua manu communicavit. Unde clare colligitur, Christum Dominum celebrasse in azymo, ut tenet Ecclesia latina, non in fermentato, ut tenet Ecclesia græca; quia cum instituerit hoc Sacramentum prima die Azymorum, quando scilicet vetitum erat comedere fermentatum, & cum panem usualem consecravit, sequitur, quod nonnisi azymum consecravit; Aliter deberet dici Christus prævaricator relate ad illam legem, si fermentato usus fuisset. Ex quibus sequitur, ut advertit Becanus ex Maldonato, quod primo fuerit cœna legalis, secundo cœna communis, tertio lotio pedum, quarto cęna eucharistica, quinto discessio Judæ, sexto concio Domini; quamvis Suar. disp. 41. velit, quod cœna communis fuerit post Eucharistiam.

IX. Quæritur quinto, ad quem finem Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit?

Respondeo, primum finem fuisse, ut passionis recordaremur; dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem*. Secundo, ut suam corporalem præsentiam nobis relinqueret, juxta illud, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Tertio, propter realem, & moralem unionem membrorum cum suo capite, & inter se, hoc est fidelium cum Christo, & inter se ipsos: Realis unio explicatur per realem propinquitatem, & contactum inter corpus nostrum, & Christi mediis speciebus; Moralis, seu affectiva unio per vinculum charitatis, quo & cum Christo conjungimur, & inter nos propter Christum; juxta illud Apost. *Unum corpus sumus, quia de uno pane, & de uno calice participamus*: Ad hanc autem unionem significandam apte elegit

legit pro materia consecrationis remota panem, qui fit ex pluribus granis, & vinum, quod ex pluribus uvis simul unitis.

ARTICULUS II.

De necessitate Eucharistiæ, & obligatione illam sumendi.

I. Eucharistiæ sumptio non est necessaria necessitate medii ad salutem.
II. Neque ad perseverandum in gratia.
III. Etiam adulti obligantur præcepto divino sumendi, Baptismo prius suscepto, Eucharistiam.
IV. Præceptum divinum proculdubio obligat ad sumendam Eucharistiam in mortis articulo.
V. Quid si quis mane communicarit, & vespere incidat in articulum mortis?
VI. Num possit Ecclesia privare reum aliquem Sacro Viatico ad alios perterrefaciendos?
VII. Sæpius etiam in vita ex divino præcepto tenemur Eucharistiam sumere.
VIII. Præceptum Ecclesiasticum quos, & pro quando obliget ad communionem?
IX. Pueris, & amentibus ab infantia ne in articulo quidem mortis Eucharistia administratur. Quid de pueris post usum rationis, ac de semifatuis?
X. Impediti ne tempore Paschali communicent, ad quid teneantur.

I. DUplex, ut diximus, cum de Sacramentis in genere, dari potest necessitas in re præsenti, altera medii, altera præcepti: Videndum nunc, An Eucharistia sit necessaria necessitate medii? Et pro quando sit necessaria necessitate præcepti divini, pro quando Ecclesiastici? Certum enim est apud omnes, non solum Ecclesiam obligare fideles ad communionem paschalem, sed etiam independenter a præcepto Ecclesiastico dari præceptum divinum de communione sumenda; cum Christus Dominus post institutionem Sacramenti dixerit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Quæritur itaque primo, An Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem?

Respondeo cum communi apud Amic. negative: illud enim Sacramentum dicitur necessarium necessitate medii, quod non ratione obligationis per præceptum inductæ, sed ex natura sua, posita institutione Christi Domini, connexionem habet cum salute, atque adeo sine quo etiam invincibiliter ignorato finis obtineri non potest; sed Eucharistia non est hujusmodi: nam parvuli etiam sine Eucharistia post baptismum salvantur, ut definit Trident. sess. 22. can. 4. ubi habet: *Si quis, dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiam, anathema sit.*

Confirmatur, quia Eucharistia non potest esse necessaria, nisi illis, qui possunt illam manducare spiritualiter, videlicet per actus fidei, charitatis, pœnitentiæ, &c.; sed parvuli non possunt sic illam manducare spiritualiter; ergo illis nullatenus est necessaria. Neque est necessaria adultis necessitate medii in re suscepta. Nam propter eandem rationem deberet esse necessaria parvulis: Neque suscepta in voto, ut est baptismus, vel pœnitentia, &c., ut communiter docent contra Henr., & Nugn. apud Bonac., qui putant Eucharistiam esse necessariam necessitate medii susceptam in voto, quatenus in susceptione baptismi, vel pœnitentiæ requiritur propositum saltem implicitum suscipiendi Eucharistiam suo tempore. Ratio est, quia in hoc sensu etiam restitutio, & quodcumque aliud est necessarium necessitate præcepti, diceretur esse necessarium necessitate medii; quia eodem modo in susceptione baptismi, vel pœnitentiæ requiritur propositum servandi omnia præcepta. Præterquam quod qui in articulo mortis post susceptam Eucharistiam peccaret mortaliter, posset confiteri sine animo sumendi amplius Eucharistiam, & salvari, (ut communiter docent apud Bonac. contra Tabien. & Armill., docentes, quod debeat iterum communicare) & tamen in tali casu in susceptione pœnitentiæ nullum haberetur votum implicitum sumendi Eucharistiam: ergo Eucharistia neque in re, neque in voto potest dici necessaria necessitate medii.

Dices; eodem modo Scriptura loquitur de baptismo, cum dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. necnon de Pœnitentia dicens: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*, ac de Eucharistia iis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: ergo eodem modo sunt omnia necessaria necessitate medii; præsertim quia de Eucharistia dicitur, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ubi significatur Eucharistiam esse medium necessarium ad salutem.

Respondetur, verba illa Scripturæ significare eandem necessitatem præcepti esse in baptismo, & in Eucharistia, non vero eandem necessitatem medii, ut communiter docent Doctores; & patet ex Trident. docente, non esse necessariam parvulis Eucharistiam ad salutem. Adde, quod necesarium necessitate medii debeat de se inducere primam gratiam, saltem in voto susceptum: at Eucharistia, cum sit instituta ad nutritionem, de se supponit primam gratiam: ergo non potest dici necessaria necessitate medii: Illa vero verba, *Si quis manducaverit*, &c. efficaciam Eucharistiæ significant, non necessitatem.

II. Quæritur secundo: An Eucharistia, quæ est cibus spiritualis animæ, sit necessaria necessitate medii ad perseverandum in gratia; sicut

sicut cibus corporalis necessarius est ad vitandam mortem corporalem?

Respondeo cum D. Th. quæst. *66.* art. 4. & communi Theologorum negative contra Trull. qui putat neminem in gratia perseverare, nisi per Eucharistiam aut in re, aut in voto susceptam, quamvis non omnis, qui Eucharistiam sumit, in gratia perseveret: Sicut vita corporalis conservatur per cibum, quamvis non omnis, qui cibum sumit, vitam conservat. Verum, quamvis utilissima sit Eucharistia ad perseverandum in gratia, ut docet Trident. sess. 13. cap. 2. non est tamen simpliciter necessaria. Ratio est quia Concilia, dum agunt de cecessitate Sacramentorum, solum dicunt Baptismum, & Pœnitentiam esse simpliciter necessaria necessitate medii: Si autem Eucharistia esset necessaria necessitate medii ad perseverandum in gratia, illud Concilia explicassent.

Confirmatur, quia pueri, qui post baptismum moriuntur, & adultus, qui post susceptam Eucharistiam peccat mortaliter, & confitetur sine voluntate iterum communicandi, & deinde moritur, perseverant in gratia sine Eucharistia, etiam in voto suscepta: ergo neque in voto suscepta est necessaria Eucharistia necessitate medii ad perseverandum in gratia. Adde, ex D. Th. quod multi captivi inter Barbaros, apud quos est impossibilis sacra communio, perseverant in gratia: ergo Eucharistia non est cibus simpliciter necessarius ad perseverandum in gratia. Quare non eodem modo est necessarius animæ hic cibus spiritualis, sicut corpori cibus corporalis: Nam intantum cibus corporalis est simpliciter necessarius, quia non alio modo possunt reparari vires, quæ continuo atteruntur vi caloris naturalis. At auxilia ad perseverandum in gratia, quæ conservatur per Eucharistiam, possunt etiam conferri aliis mediis, videlicet per alia Sacramenta, per orationes, jejunia, eleemosynas, &c. ergo non est eodem modo necessaria, sicut cibus corporalis; In voto autem suscepta eodem modo est necessaria, ac quodcumque aliud, quod præcipitur, videlicet restitutio, jejunia, &c. quæ idcirco non dicuntur esse necessaria necessitate medii, saltem in voto, quia non sunt medium præcise necessarium, per quod conferatur gratia, qua salutem consequamur. Cum autem neque sumptio Eucharistiæ sit hujusmodi, ut ostendimus, ideo non est necessaria necessitate medii aut ad salutem, aut ad perseverandum in gratia, neque in re, neque in voto. Est tamen in re suscepta Eucharistia valde utilis, & ut Conink docet, valde necessaria propter specialia, & uberrima auxilia, quæ confert ad perseverandum in gratia; cum nonnisi ægerrime aliis viis specialia hæc auxilia comparari possint.

III. Quæritur tertio, An etiam adulti infideles obligentur præcepto divino ad communicandum illis verbis, *Nisi manducaveritis carnem* &c. ita ut non solum peccent non suscipiendo baptismum, sed etiam non suscipiendo Eucharistiam; quam tamen debeant post baptismum suscipere.

Respondeo duplicem esse sententiam: Prima est Sot. Sanch. & aliorum apud Bonac. hic, putantium solos fideles adultos hoc præcepto divino obligari. Ratio istorum est, quia ante susceptum baptismum nemo potest communicare: ergo nec potest ad id obligari; sicut de facto nullus infidelis obligatur ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Secunda, quam sustineo, est Suarii dispu. 89. sect. 2. Con. quæst. 80. num. 93. Vasq. & aliorum docentium, etiam infideles hoc præcepto obligari. Ratio est, quia præcepta divina generatim prolata omnes obligant, qui eorum sunt capaces; sed infideles adulti sunt capaces hujus præcepti: ergo obligantur; non quidem ad sumendam Eucharistiam ante baptismum, sed post Baptismum. Sicut enim hoc præceptum obligat baptizatos, qui sunt in peccato mortali, ad communicandum, non quidem ante, sed post Sacramentum Pœnitentiæ; ita obligat infideles ad communicandum, non ante, sed post baptismum. Verum quidem est, quod adulti infideles non obligentur ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Et ratio est, quia præceptum de suscipiendo hoc Sacramento non obligat nisi eos, qui post baptismum lapsi sunt in mortale; nec potest obligare infideles, ut sumant baptismum, & peccent ad hoc, ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant: Contra vero præceptum de sumenda Eucharistia potest obligare infideles, ut baptizentur, & illam suscipiant: ergo dicendum, quod de facto illos obligat.

IV. Quæritur quarto, Quandonam fideles obligentur ex præcepto divino ad communicandum?

Respondeo, & dico primo, hoc præceptum obligat sub mortali in articulo mortis. Ita communiter contra Vector. & alios apud Con. quæst. 80. Bonac. quæst. 7. qui putant sufficere, quod semel in vita quis communicet, ut satisfaciat præcepto divino. Ratio nostræ Conclusionis est primo, quia quodcumque præcipitur, pro eo tempore magis videtur præcipi, pro quo maxime est necessarium ad finem præcepti assequendum; atqui in articulo mortis est maxime necessarium homini conjungere se cum Christo, & contra hostes se tueri, qui est finis hujus præcepti: ergo in articulo mortis maxime obligat. Secundo, quia Trident. sess. 13. cap. 6. dicit, antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis; hujus autem consuetudinis cum initium ignoretur, dicendum ab Apostolis originem duxisse ex præcepto divino. Quamobrem Concil. Nicænum primum can. 12. dicit,

cit, Antiquam legem observandam esse, ne quis sine necessario viatico discedat; Non potest autem viaticum dici necessarium, nisi ex præcepto divino; cum Ecclesia solum ad communionem paschalem obliget: Quicquid aliqui in contrarium sentiant, putantes, quod sicut Ecclesia determinavit tempus paschale ad communionem, ita determinavit etiam articulum mortis: Demum, quia hæc est communior sententia Doctorum, a qua non est recedendum sine solido fundamento: Immo sicut jure merito damnatæ sunt variæ theses limitantes obligationem divinorum præceptorum, ut est prima ab Alex. VII. confixa, quæ habet: *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et sexta ab Innoc. XI. dicens, *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum*. Et sexagesima quinta, quæ loquens de Mysteriis SS. Trinitatis, & Incarnationis dicit: *Sufficit illa Mysteria semel credidisse*; & sic de aliis: ita proscribenda pariter videtur ob eandem rationem sententia asserens sufficere, quod satis sit semel in vita communicare ad satisfaciendum divino præcepto de sumenda Eucharistia.

V. Hinc fit, falsum esse, quod Sa, Sylv. Cajet. & alii apud Bonac. docent, videlicet non teneri in articulo mortis iterum communicare, qui in Paschate communicavit. Ratio est, quia qui extra articulum mortis communicavit, non satisfecit præcepto communicandi in articulo mortis: Quod patet ex Ecclesiæ consuetudine, & fidelium communi sensu, qui scandalizarentur graviter, si talis in eo casu non communicaret. Verum tamen est, quod si quis mane communicavit, & vespere incidit in articulum mortis, immo si octo dies ante communicavit, probabiliter non tenetur iterum communicare; quia talis communio censetur facta instante morte, & habere rationem viatici, & præparationis ad mortem: Sicuti qui audit Missam mane, potest satisfacere præcepto, quod facit deinde Episcopus de audiendo hodie Sacro, ut notat Lug. disput. 16. num. 38. quamvis præceptum sit factum post auditionem Sacri; quia aliquando bene satisfit menti præcipientis per actionem positam, antequam obliget præceptum. Hurt. tamen, & nonnulli apud Dian. part. 4. tract. 5. resol. 197. probabilius putant, quod qui mane extra mortis periculum communicavit, teneatur etiam vespere communicare, si de novo mortis periculum adveniat, nec possit commode communio ad sequentem diem differri (*a*). Communiter autem docent contra Tab. & Arm. quod qui sumpto viatico peccaret mortaliter, non debeat iterum communicare: aliter deberet aliquando eodem die bis sumere viaticum, quod nemo dixerit.

(*a*) „ Consule Bened. XIV. *de S. D. L.* „ 7. *cap.* 11. *num.* 2.

VI. Dices, si ex præcepto divino teneretur quilibet in articulo mortis communicare, non posset Ecclesia privare aliquem communione in articulo mortis ad aliorum exemplum, & correctionem; quod tamen facit; ut patet ex Concilio Eliberitano, & Sardicensi apud Bonac. Regin. & Suar. disp. 69. de Euch. sect. 3.

Respondeo, nego sequelam; sicut enim quilibet jure naturæ tenetur comedere; nihilominus Judex potest reum privare cibo in pœnam: ita poterit Ecclesia privare aliquem in pœnam, & ad aliorum exemplum, & terrorem pane cœlesti, quem quilibet in eo articulo tenetur manducare jure divino. Propterea, ut notat Suar. disp. 4. de Euch. sect. 8. cum obligatio sumendi sacrum viaticum oriatur a præcepto positivo, quod non pro semper obligat, excusatur tam ægrotus a sumendo viatico, quam minister a ministrando propter occurrentes circumstantias; unde neuter violat divinum præceptum. Notandum tamen, id non esse amplius in usu in Ecclesia; immo contrarium debet servari, si reus dedit sufficientia doloris testimonia, ex cap. *Tanta*, ex motu Pii V. apud Bonac. Nec excusantur a peccato Judices, ut docent communiter contra Navar. Clarum, & alios apud Henriq. qui non concedunt Reo tempus sumendæ Eucharistiæ post confessionem ratione consuetudinis in aliquibus locis receptæ. Nam ex jure naturæ tenetur Judex consulere bono privato Rei, quantum recta ratio dictat; Et jus divinum, quod obligat Reum ad communicandum in articulo mortis, videtur etiam obligare Judicem ad non impediendam, & ad dandam opportunitatem. Nec potest consuetudo contra jus naturæ, aut divinum introduci. Quare per se loquendo tenetur Judex talem opportunitatem concedere, etiamsi aliquod periculum sit, quod hoc tempore concesso reus eripiatur, & aliqui scandalum patiantur, ut notat Bonac. Immo si reus nolit intra consuetum tempus se præparare ad confessionem, & communionem, tenetur concedere aliquam dilationem, verbi gratia, duorum, vel trium dierum, si speret profectum, nec sit periculum damni, aut scandali ex hac dilatione (*b*). Non tenetur tamen amplius differre, ne alii hac spe nolint se ad mortem præparare.

(*b*) „ Vide Benedictum XIV. *L. c. n.* 3.

Ex dictis sequitur, præceptum hoc obligare non solum in periculo mortis ex morbo aliquo; sed etiam instante morte violenta, & periculo talis mortis; ut quando periculosa prælium est committendum, periculosa navigatio subeunda, in puerperio, præsertim primo, quod solet esse periculosum.

VII. Di-

VII. Dico secundo: Ex præcepto divino non solum tenemur Eucharistiam sumere in articulo mortis, sed etiam sæpe in vita. Ita communiter cum Suar. Valent. & aliis. Conclusio pariter constat ex iisdem rationibus, quibus falsitatis convincuntur Theses proscriptæ, quas num. 5. retulimus. Nonnulli tamen apud Con. putarunt, quod obligemur solum singulis trienniis, vel quadrienniis. Alii, quoties urget gravis aliqua necessitas. Alii tamen verius docent, quod juxta opportunitatem, ita ut obligentur ad sæpius communicandum, qui sunt in Civitate fidelium, quam alii; & qui sunt magis instructi, & qui sunt minus impediti, &c. ut solet communiter dici de actibus fidei, spei, amoris, qui pariter præcepto divino præcipiuntur nullo præfixo tempore. Illud certum est, quod cum Ecclesia præcipiat singulis annis communionem, non sit contra divinum præceptum ad annum illam differre, saltem per se loquendo, & relate ad communem hominum.

VIII. Quæritur quinto, Quando, & quos obliget præceptum Ecclesiasticum de sumenda Eucharistia?

Respondeo, in cap. *Omnis utriusque sexus* obligari omnes, postquam ad annos discretionis pervenerint, ut semel saltem in anno confiteantur, & reverenter recipiant ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum; nisi quis forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; *Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens careat Ecclesiastica sepultura*. Quare quilibet tenetur aut in Cathedrali Ecclesia communionem paschalem sumere, aut in sua Parochia a Pastore suo; nisi ex hujus licentia saltem præsumpta, vel privilegio, aut consuetudine eximatur; sicut eximitur Sacerdos, qui satisfacit ubivis celebrando; Et peregrini, qui a sua Parochia absunt. Nomine autem Paschæ significantur quindecim dies a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, ut communiter Doctores docent; nisi forte alicubi consuetudo sit vel extendendi id tempus ad totam quadragesimam; ut ex Con. fit Mediolani, & Conimbricæ, vel extendendi usq; ad diem Ascensionis, ut fit Neapoli, vel contrahendi ad solam hebdomadam majorem; vel paschalem: consuetudini enim standum est (*a*).

(*a*) ,, Consule Bened. XIV. *de Syn. diœc.* ,, *Lib.* 12. *c.* 6. *num.* 10.

IX. Porro certum est, ex tacito præcepto Ecclesiæ, (ut notat Tambur.) fundato in consuetudine, quæ videtur approbata in Rituali Romano, non esse dandam Eucharistiam pueris ante usum rationis, & consequenter nec stultis, qui nunquam usum rationis habuerunt, ne in articulo quidem mortis; quia reputantur ut pueri: At post usum rationis dandam illis esse in articulo mortis communiter docent: Immo etiam si dubitetur, an usum rationis habeant; cum consuetudo Ecclesiæ non debeat in tanto rigore sumi non dandi Eucharistiam carentibus usu rationis ex Lug. disp. 13. num. 44. Nam si ex Rituali Romano dari debet iis, qui post usum rationis in amentiam inciderunt extrema Unctio, quare non etiam Eucharistia, dummodo irreverentia declinetur (*b*)?

(*b*) ,, Confer Benedictum XIV. *de S. D.* ,, *L.* 7. *c.* 12. *num.* 3.

Dubium tamen est, an pueri statim post usum rationis obligentur ad communionem Paschalem; Affirmant Joan. Sanc. Palud. D. Anton. & Palaus apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 70. quia non minor, imo major, videtur requiri discursus ad confessionem, quam ad communionem: ergo si ad illam obligantur quotannis pueri doli capaces, etiam ad communionem. Sed communior sententia apud eundem Dian. docet cum Vasq. Salas, Con. quæst. 80. num. 102. consuetudinem Ecclesiæ esse fundatam in Lateranensi, quod pueri non admittantur ad Communionem statim post usum rationis, sed solum quando sufficienter circa hoc mysterium sint instructi, ita ut possint communicare reverenter, prout præcipitur: atque ita contingere potest, ut aliqui anno decimo, & ante, aliqui vix decimo quarto, ad communionem admittendi sint; Unde Dian. putat, hoc præceptum non obligare universim ante decennium, quia hoc præceptum ita Doctores cum Granad. universim intellexerunt; Probabilem tamen existimat esse opinionem oppositam, quod teneantur ad illam post usum rationis, atque adeo quod possint sine scrupulo ante decennium ad illam admitti (*c*). Quamvis autem communiter doceant, pueros post usum rationis statim obligari legibus Ecclesiasticis, contra Sot. in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 11. putantem usque ad duodecimum annum non obligari; nihilominus ante annos pubertatis censuris, aut pœnis Ecclesiasticis non astringuntur; unde non incurrunt censuras latas contra non communicantes in Paschate, ut docent Sà, Fagund. apud Tambur. in Meth. communionis cap. 4. §. 2. quia adest decisio clara *c.* 1. & 2. *de delictis puerorum*; ubi ante decimum quartum annum a pœnis simpliciter eximuntur; Quicquid in contrarium dicant Azor. Vasq. Sot. putantes ante pubertatem non astringi censuris, & pœnis ab homine latis: astringi vero a latis in jure communi. Immo Tambur. loc. laud. contra utrumque Sanch. & Pal. putat, quod nec incurrant excommunicationem latam contra percussorem Clerici: Et quamvis in cap. *Pueri* dicatur, quod

quod possint ab Episcopo absolvi; non negatur tamen, quod possint etiam absolvi ab aliis.

(*c*) „ Vide Benedictum XIV. *L. c.* „ *num.* 2.

Dubium est, An semifatuis danda sit quotannis Eucharistia?

Respondeo, in mortis articulo fatuis, qui nunquam habuerunt usum rationis, communionem non esse dandam; sicut nec pueris ante usum rationis, ut diximus ex tacito Ecclesiæ præcepto: phreneticis vero, & iis, qui in amentiam inciderunt post usum rationis, & semifatuis, mutis, & surdis, stolidis danda est in articulo mortis, nisi constet in amentiam eos incidisse, dum erant in statu peccati mortalis, ut notant Doctores apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 79. dummodo tamen possint sine irreverentia communicare, dando videlicet illis ad experimentum antecedenter particulam non consecratam: iisdem etiam dandam esse Eucharistiam in Paschate docent Villal. Henr. & Sanch. apud Dian. loc. cit. resol. 79. contra Zambran. Immo aliquoties etiam in anno posse iisdem dari putat Vill. apud Tambur. & Sanch. apud Dian. loc. cit. & part. 5. tr. 6. resol. 5.

Notandum hic primo, per communionem sacrilegam non satisfieri præcepto Ecclesiastico. Quicquid enim olim plures Doctores primæ notæ docuerint existimantes Ecclesiam non præcipere, nisi actum externum, hæc tamen opinio damnata est ab Innoc. XI. in propos. 55. quæ habet: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* In cujus expositione ostendimus in Trutina, idcirco non satisfieri huic præcepto, quia præceptum Ecclesiasticum de communione Paschali est modificativum præcepti divini injungentis aliquando in vita, & in articulo mortis communionem: Cum autem præceptum divinum sit de sumenda communione non mortifera, sed salutifera, & vivifica, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* idcirco per sacrilegam communionem sicut non satisfit præcepto divino, ita nec Ecclesiastico.

X. Notandum secundo, quod qui videt se impediendum, ne in Paschate communicet ob navigationem, verbi gratia, vel aliud caput, tenetur prævenire, ut docent Fagund. Vasqu. & alii contra Azor. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 42. quia Ecclesia intendit principaliter præcipere communionem singulis annis, & secundario circumstantiam temporis Paschalis. Ex quo patet disparitas, quare qui non potest die Dominico audire missam, vel tempore debito jejunare, non teneatur prævenire? hæc enim præcepta principaliter etiam temporis circumstantiam præcipiunt; unde non videntur ejusdem rationis cum præcepto communionis, ut putat Azor. & Pitigian.

Notandum tertio, quod qui non communicavit in Paschate, teneatur deinde statim ac commode potest communicare. Ita Nugn. Suar. Navar. apud Con. & Dian. loc. cit. resol. 41. contra Sylvestr. Valent. Tabien. & alios. Ratio est, quia terminus annuus non assignatur ad finiendam obligationem; sicut in Missa audienda assignatur dies festus, & in officio recitando, in jejunio, &c. sed assignatur, ut adimpletio, seu executio non possit amplius differri. Ad eum modum, quo in contractibus non cessat obligari ad solvendum, qui statuto tempore non solvit; multa enim præcepta assignant tempus ut terminum obligationis; multa vero ut terminum solius executionis: præceptum autem communionis non videtur assignare tempus Paschale, ut terminum obligationis, cum velit nos quotannis communicare, idest non multum differre communionem ad satisfaciendum præcepto divino.

Notandum quarto cum Laym. apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 88. quod excommunicatus ex hoc præcepto obligetur ad querendam absolutionem, & sic ad communicandum; quare si absolutionem negligeret, contra hoc præceptum peccaret graviter: Contra vero qui in carcere detinentur, aut sunt infirmi, non obligantur ad tollendum carcerem, aut infirmitatem, ut possint communicare in Paschate. Ratio ex Suar. Lug. disp. 10. sect. 2. apud Tambur. in Meth. Communionis cap. 4. §. 7. est, quia præceptum confessionis, & communionis rigide obligat ad tollenda mala spiritualia, quæ ipsis obstant, videlicet excommunicationem; non vero ad tollenda mala temporalia, puta carcerem, infirmitatem: ideo qui sunt timoratæ conscientiæ, de hoc non sunt solliciti.

Dices; excommunicatus non tenetur procurare absolutionem, ut possit audire missam die festo: ergo neque ut possit communicare in Paschate.

Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas ex Suar. & Coninck apud eundem Tambur. est, quia Confessio, & Communio sunt majoris momenti, quam auditio missæ; & ideo rigidius obligant præcepta Confessionis, & Communionis, quam præceptum de Missa audienda (*a*).

(*a*) „ XI. Quæres demum, num etiam „ perseverante eodem morbo sæpius infirmis, „ qui Eucharistiam percipere cupiunt, per „ modum viatici possit administrari?

„ Respondeo affirmative cum Suarez *dis*„ *put.* 68. *Sect.* 5. Layman *Libr.* 5. *Summ.* „ *Tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 6. *num.* 20. de

Lugo

" Lugo *disp.* 15. *sect.* 3. *num.* 64. aliisque apud " Benedictum XIV. de *Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* " 12. *num.* 4. Dissentiunt tamen Theologi in " præfiniendo temporis spatio, quod debeat " intercedere, ut intra eandem infirmitatem, " possit iterum non jejuno dari Eucharistia " Aliqui enim cum Navarro, multum tempo-" ris interfluere debere existimant inter unam, " & alteram Communionem; quam indefini-" tam Navarri assertionem, de spatio trigin-" ta dierum, explicat Villalobos *in summ.* 1. " *part. tract.* 7. *dub.* 38. Alii cum Suarez *cit.* " *loc.* decem, aut octo dies exposcunt. Alii " cum Ludovico a Sancto Johanne *in summa* " *Hispano sermone edita tom.* 1. *quæst.* 7. *art.* " 10. *difficult.* 4. *de Sacram. Euch.* post elapsos " tres dies, Viaticum iterari concedunt. Alii " demum cum Layman *cit. cap.* 6. *num.* 20. " etiam insequenti die illud repeti permit-" tunt, si videatur instare mortis periculum, " & ægrotus, qui cum sanus esset, frequen-" ter consueverat Eucharisticum panem degu-" stare, eo denuo nutriri, & roborari cupiat.

ARTICULUS III.

De Eucharistiæ Materia.

I. *Quinam dicatur panis usualis, & vinum usuale?*

II. *Panis fermentatus valide, sed illicite a latinis consecratur, exceptis nonnullis casibus.*

III. *Aqua vino miscenda probabilius immediate in Christi sanguinem convertitur.*

IV. *Consecratio fieri debet sub utraque specie ex præcepto divino.*

V. *Num possit aliquando Pontifex in divinis positivis, & in naturalibus præceptis dispensare?*

VI. *Nec potest consecrari quantitas, quæ non sit sine miraculo sensibilis, nec remanet consecrata, si ab Hostia dividatur.*

VII. *Materia consecrabilis debet esse moraliter præsens, ita ut possit per pronomen, Hic, demonstrari.*

VIII. *Quid de materia clausa in vase, aut magna nimis, ac nimis distante?*

IX. *Materia conservanda debet esse determinata, & quomodo?*

X. *Quid de guttis vini intra Calicem? Aut de particulis in Pyxide, si sint extra corporale, aut extra Aram?*

XI. *Num possit aliquando, deficiente Hostia majori, consecrari particula, ne Sacrificium desit?*

I. DE fide est, materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum ex vite. Patet ex Florentino. Et ratio est, quia solus panis triticeus dicitur absolute Panis, & solum vinum ex vite dicitur absolute vinum. In pane autem, & vino absolute dictis Christus Dominus consecravit: voluitque in hac materia Sacramentum instituere, quia usualissima est in conviviis; & quia maxime expressiva effectus hujus Sacramenti, qui est animam reficere spiritualiter. Nomine autem panis triticei venit etiam selica, seu segala, quia ex D. Thom. quæst. 73. art. 3. & aliis apud Bonac. contra Vivald. & alios, vere est triticum, licet aliquanto inferius ordinario: Quia tamen est materia dubia, graviter peccaret, qui in ea consecraret, etiam in casu necessitatis, ut notat Fagund. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 95. quia hoc Sacramentum non est simpliciter necessarium necessitate medii, nec debet dari, nisi quando reverenter haberi potest.

Debet autem panis esse confectus aqua usuali, & coctus, ita ut possit absolute denominari Panis. Quare panis dulciarius confectus cum lacte, vel melle non est materia apta, nec massa cruda, quæ dici solet vulgo Pasta, seu Lagana, quia saltem moraliter differt à pane, etiamsi non differret specie physica. Quod si aquæ naturali admisceretur aqua rosacea, vinum, butyrum, ita ut æquet, vel superet aquam naturalem, neque erit materia apta; secus vero si modica quantitas misceatur; (etsi nullatenus admiscenda sit) quia magna pars trahit ad se minorem: Et eadem est ratio, si farinæ tritici admisceatur farina alterius frumenti, videlicet hordei, millii, avenæ, seu speltæ, panici, lolii, farris, &c. Neque est materia apta Calicis vinum, cui æqualis quantitas aquæ admiscetur; nec vinum mixtum, quod Hispani vocant Hypocrasso, si tanta sit mixtio, ut non possit amplius absolute dici Vinum, aut talis sit coctio, ut vinum corrumpatur. Hostiæ autem rubræ, quibus literæ obsignantur, non possunt valide consecrari, ex Lug. apud Dian. part. 7. tract. 12. resol. 8. quia ratione cinabrii admixti non videntur, nec sunt Panis usualis. Quod si cinabrium admixtum esset in modica quantitate, putat Perez apud Dian. part. 7. tract. 12. resol. 8. quod valida esset, quamvis illicita, consecratio.

Ex dictis sequitur, mustum esse materiam aptam Calicis, quia ex cap. *Cum Ordine de Consecratione dist.* 2. vere vinum est, licet fæcibus admixtum. Peccaret tamen, qui in eo consecraret extra necessitatem; qualis esset secundum quosdam ad devotionem populi, deficiente vino; dummodo non esset fæculentum, & impurum, quia id esset contra reverentiam Sacramento debitam: Sicut graviter peccat, ut habetur in Rubricis Missalis, qui consecrat vinum acidum, quamvis nondum corru-

corruptum; exponit quippe periculo nullitatis consecrationem; cum difficile sit discernere, num factum sit acidum usque ad corruptionem: Est etiam materia apta vinum congelatum, ut docent communiter contra Nugn. quia est aptum potari, si liquefiat. Nec Sacramentum hoc consistit in usu, sive in potatione, sicut baptismus consistit in ablutione; unde aqua baptismo apta non debet esse congelata. Quia tamen vinum congelatum est materia dubia, ideo peccaret, qui in eo consecraret, ut putat Con. apud Dian. part.3. tract. 6. resol. 100. Acetum autem non est materia apta, quia est vinum corruptum; sicut nec Aquavita, quæ dicitur Aqua ardens, cum non sit vinum usuale: Neque uva; quia potius comedi, quam potari consuevit: Neque vinum ex malogranatis, aut moris: Neque cervisia, sicera, &c. cum non sint vinum de gemine vitis, quale fuit, quod Christus Dominus consecravit: Agresta, seu omphacium, quod est succus expressus ex uvis immaturis, neque est vinum; sicut massa cruda panis non est panis. Neque vinum coctum, hoc est sapa, seu defrutum, quod est mustum ad dimidiam, vel tertiam partem coctum, cum potius sit cibus: Nec Lora, seu aqua expressis acinis superfusa: Succus tamen ex uvis passis expressus reputatur vinum ab Amico apud Dian. part. 7. tract. 12. resol. 8. est tamen materia dubia. Ægyptios in hoc succo ex uvis passis expresso consecrare fama est, ut refert idem Amicus, siquidem viri fide digni testantur (apud eundem Dian.) quod ex his uvis optimum eliciatur vinum, quamvis uvæ passæ intra modicum aquæ apponantur. Quia tamen talis succus solet esse densus, & habet magis rationem cibi, quam potus usualis, ideo est materia dubia, ut advertit Bonac. Utrum autem licita sit talis succi consecratio in casu necessitatis, verbi gratia, ad dandum Viaticum ægroto: aut in iis regionibus, ubi vinum usuale haberi non potest? Dicendum, quod si materia isthæc sit dubia, nullatenus liceat illam consecrare; quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medii, ut est Baptismus, & Pœnitentia, quæ in casu necessitatis conferri possunt cum materia dubia, conferendo scilicet illa sub conditione. Quod si aliquando succus ex uvis passis non multum siccis sit probabiliter vinum, videtur, quod in casu necessitatis, & in regionibus, ubi haberi non potest vinum usuale, possit licite consecrari. Etenim omnia Sacramenta licite conferri possunt cum materia probabili, si deficiat certa; ut constat ex iis, quæ dicuntur in expositione primæ Thesis confixæ ab Innoc. XI. Sic etiam videtur Sacramentum Confirmationis, & Extremæ unctionis conferri posse cum materia probabili, quoties materia certa haberi non potest. Verum hac in re consulenda videtur S. Congregatio, prout sæpe in similibus casibus consulta fuit; & ab ea in re tanti momenti judicium expectandum.

II. Quæritur nunc primo, An valide consecretur panis fermentatus etiam a Sacerdote Latino? Et quandonam licite id facere possit?

Respondeo, valide consecrari, tam fermentatum a Latino, quam azymum a Græco, quamvis illicite. Quod valide consecretur, patet, quia uterque est panis absolute dictus, & quia materia Sacramentorum est instituta a Christo Domino, & eadem est pro toto orbe. Quare si Latinus invalide consecraret in fermentato, etiam Græcus invalide in eo consecraret: & vice versa: Debent tamen Græci, & Latini antiquam Ecclesiæ suæ consuetudinem servare sub mortali, quia est usus rationabilis publicus, & in re gravissima. Et Pius V. revocavit licentiam Græcorum celebrandi more latino, & Latinorum celebrandi more Græco. Notandum tamen primo ex Con. quæst. 74. art. 2. num. 117. & Fill. apud eundem Dian. quod Græcus in Ecclesiis, quæ habentur apud Latinos ipsis Græcis destinatæ, non possit uti more Latinorum; nec latinus more Græcorum in Ecclesiis, quæ habentur apud Græcos Latinis addictæ. Quod si Latinus iter agat per Græciam, & Græcus per Occidentem, poterit uterque suum morem servare, secluso scandalo; quamvis si se conformaret Ecclesiæ, in qua versatur, non esset damnandus. Verum si mutavit omnino domicilium, animo ibi perpetuo permanendi, debet in ritu Ecclesiæ, ubi sedem fixit, celebrare. Non potest tamen Latinus ex Suar. disp. 44. sect. 3. in Ecclesiis, quas Græci habent apud Latinos, consecrare, nec communicare in fermentato; quia illud est veluti privilegium Græcorum personale, non locale. Ex quibus rejicitur Ledesma, qui putat Græcum transeuntem per Latinos teneri in azymo consecrare.

Notandum secundo ex Tamb. in Meth. Commun. cap. 2. sect. 9. quod quamvis Græcus in Ecclesia Latina ex antiquissima consuetudine deberet communicare in fermentato, si habeat Ecclesias Græcis destinatas; (& idem dicas de Latino in Græcia) nihilominus ex consuetudine recentiore, quæ in Sicilia extat, potest Græcus communicare in Ecclesiis Latinorum in azymo, verbi gratia, ad lucrandam indulgentiam, quamvis habeat ibi Ecclesias Græcorum, ubi potest communicare in fermentato.

Notandum tertio ex Suar. apud Tamb. loc. cit. quod in extrema necessitate, si moribundus non potuisset Sacramentum Pœnitentiæ, aut

aut Extremæ Unctionis recipere, posset potius Græcus Sacerdos consecrare in azymo ad dandum illi viaticum, quam Latinus in fermentato. Ratio est, quia ille conformatur Ecclesiæ Latinæ, quæ est Caput; hic vero Ecclesiæ Græcæ, quæ est membrum.

III. Quæritur secundo: An vino consecrando necessario admiscenda sit aqua?

Respondeo admiscendum esse modicum aquæ elementaris, non quidem necessitate Sacramenti; immo neque necessitate præcepti divini, ut communiter docent contra Henr. lib. 8. cap. 12. & Valent. apud Bonac. sed Ecclesiastici. Quare qui illam omitteret, valide consecraret, sed peccaret mortaliter; eo quod modica ista aquæ quantitas relate ad significationem est magna: Significat enim unionem Christi cum Ecclesia; nam in Apocalypsi populi dicuntur Aquæ: Significat etiam unionem naturæ divinæ cum humana in Incarnatione: Significat demum, quod exierit e latere Christi sanguis, & aqua. Ex Florentino miscenda est aqua modicissima: Notat tamen Laym. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 49. Sacerdotem non debere esse nimis solicitum ut unam tantum guttam effundat, ne sensu deluso, nihil omnino effundat: Quare plures guttas effundere poterit, imo octavam, vel decimam partem: & ex Lugo disp. 4. sect. 2. quintam, vel sextam. Immo Concilium Triburiense can. 9. apud Conink, (quod fuit provinciale, non tamen approbatum) concedebat tertiam partem aquæ. Verum in praxi non est sequendum, cum Florentinum dicat debere esse modicissimam.

Dubium est: Utrum aqua immediate in sanguinem Christi convertatur, an vero prius debeat converti in vinum, ita ut si non sit conversa in vinum tempore consecrationis, nec convertatur in sanguinem Christi Domini, sed ibi remaneat non consecrata; sicuti frustulum, verbi gratia, quod esset immixtum vino. Thomistæ putant, immediate in Christi sanguinem non posse converti; quia solum vinum est materia, quæ potest converti in sanguinem Christi. Communius tamen oppositum docent. Ratio est primo, quia multi putant nunquam aquam posse converti in vinum: Siquidem facilius corrumpitur vinum expositum aeri ambienti, quam aqua; & tamen ex Aristotele primo de Generat. 37. vinum non potest in aquam converti: ergo nec contra: Sicut nec potest converti aqua in sanguinem, si sanguini emisso e venis misceatur. Deinde transmisso, quod possit converti, certe non potest propter brevitatem temporis converti in vinum, quando immediate, postquam miscetur aqua, debet consecrari; ut accidit si Sacerdos dum sumit Calicem, deprehendit ibi esse acetum, vel aquam: Debet enim tunc iterum apponere vinum, & aquam, consecrare, & sumere, ut putat Sotus, & Navar. apud Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 5. juxta Rubricas Missalis Clem. VIII. vel ut putat D. Th. juxta Rubricas Missalis Pii V. debet iterum novam Hostiam una cum Calice consecrare, incipiendo a *Qui pridie quam pateretur*, & prosequendo, perinde ac si nullam antea materiam consecrasset, vel suscepisset; quia tamen Clemens VIII. est posterior Pio V. illius Rubricæ sunt sequendæ. Quare in his casibus non debet dici, quod aqua remaneat in calice nullatenus conversa in Sanguinem Christi: Nam Christus Dominus, ut constat ex Patribus, & Traditione, consecravit vinum dilutum aqua, cum consecrarit vinum usuale, & totum contentum in calice consecravit. Etenim illa verba: *Hic est calix*, &c. supponunt pro toto contento in calice. Præterea negare, quod totus ille liquor in sanguinem Christi convertatur, est contra communem sensum Theologorum; nec potest sine gravi fundamento oppositum asseri; quia Trident. sess. 13. can. 2. declarat, in hoc Sacramento remanere dumtaxat species panis, & vini, atque adeo non remanet aqua ex Trident.

Neque dicas, aquam non remanere, quia convertitur prius in vinum: Nam hoc est valde dubium, & aliquando, ut diximus, propter brevitatem temporis fieri non potest.

Neque replices, hinc sequi, etiam aquam posse consecrari; ubi Concilia docent solum vinum esse materiam calicis. Nam communiter respondent, aquam absolute sumptam consecrari nullatenus posse; aquam vero vino immixtam, ita ut conflet vinum dilutum usuale, & totum aliquod, quod absolute dicitur vinum, consecrari posse; unde fit, quod si ex vino diluto consecrato extraherentur solæ species aquæ, ibi sanguis Christi non remaneret; non secus ac si vinum corrumperetur.

IV. Quæritur tertio, an debeat necessario Sacerdos sub utraque specie consecrare?

Respondeo affirmative; id tamen non est necessarium necessitate Sacramenti: nam ante consecrationem calicis habetur in sola Hostia Sacramentum; neque necessitate Sacrificii, ut dicemus quæst. seq. art. 2. sed necessitate præcepti; non quidem Ecclesiastici, ut putant Navar. Tabien. & alii apud Bonac. sed divini, ut communiter docent; & colligitur ex Trident. sess. 21. can. 1. Hoc autem divinum præceptum non est negativum, quod obliget in quocumque casu, sed affirmativum, quod aliquando non obligat: Verbi gratia, si Sacerdos, consecrata Hostia, deprehendat non esse vinum in calice, nec possit vinum habere citra vitæ periculum; aut si post consecrationem Hostiæ immineat

mineat Sacerdoti periculum vitæ, si prosequatur, potest desistere a Sacrificio, & fugere: Sicut enim præceptum divinum affirmativum de Confessione materialiter integra non obligat cum gravi incommodo, ita nec obligat hoc præceptum cum periculo vitæ. Non potest tamen Sacerdos ad dandum Viaticum infirmo consecrare unam tantum speciem; sicut nec sine vestibus sacris celebrare missam, &c. quia præcepto divino de sumendo viatico, quod non est simpliciter necessarium ad salutem, prævalet reverentia debita Sacrificio jure naturali.

V. Dubium est, An possit Pontifex in hoc præcepto dispensare?

Affirmant Eusebius, & alii cum Henriq. lib. 8. cap. 13. tum quia Volaterranus refert, Innocentium VIII. anno 1490. dispensasse cum Norvegis, ut sine vino consecrarent, eo quod difficile posset apud eos vinum conservari: quod pariter alii graves Auctores referunt apud eundem Henriq. Tum etiam, quia Pontifex sæpe dispensare potest in multis, quæ sunt de jure divino, ut in voto, juramento, Matrimonio rato, &c. Et de facto de jure divino est, ut consecrans sumat utramque speciem; & tamen in ordinatione Sacerdotum Ecclesia vult, ut solus principalis celebrans communicet sub utraque specie, licet omnes ad consecrationem concurrant: ergo saltem in casu nostro poterit, si minus dispensare proprie, & in rigore, saltem interpretari, & declarare jus divinum, quod scilicet in tali casu non obliget, ut putat Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. 3. num. 66. & Trull. lib. 3. cap. 7. disp. 2. Communiter tamen negant: Aliter posset etiam dispensare, quod solum vinum consecretur; possetque dispensare, quod in casu necessitatis conferatur baptismus per quemlibet liquorem, & sic in omnibus Sacramentis dispensare posset in casu necessitatis. Quare dicendum, quod in materia, & forma Sacramentorum a Christo Domino instituta non possit Ecclesia dispensare, ut colligitur ex Trident. sess. 21. cap. 2. ubi habetur, in Ecclesia residere potestatem statuendi, & variandi ea, quæ spectant ad Sacramenta, *salva tamen eorum substantia*.

Ad id, quod objicitur, dico, Suarium sect. 4. ostendere, falsum esse, quod refert Volaterran. & nunquam Pontifices in hoc dispensasse. Præterea in Matrimonio rato dispensare potest, quia noluit Christus Dominus illud esse insolubile, sed posse tum per professionem religiosam dissolvi, tum etiam per dispensationem Pontificis, ut ostendit Suar. disp. 43. de Euch. sect. 4. & alii apud Perez de Matrim. disp. 20. sect. 3. Eodem modo vota, & juramenta, quæ sæpissime accidunt, debuere posse a potestate visibili dispensari ad vitandos conscientiæ laqueos innumeros; quod non accidit in casu nostro. Demum citra ullam dispensationem in jure divino solus principalis consecrans communicat in utraque specie in ordinatione Sacerdotum: Et ratio est, ut advertit idem Suar. loc. cit. quia omnes illi Sacerdotes veluti unum Ministrum unius tantum Sacrificii integrant, & ideo satis est, quod ab hoc Ministro in una tantum persona utraque species sumatur.

VI. Quæritur quarto, An quælibet quantitas panis, & vini consecrari possit?

Respondeo, quamlibet quantitatem consecrari posse, dummodo sit sensibilis; cum Sacramentum essentialiter sit signum sensibile. Quare si quantitas panis adeo sit parva, ut amplius non possit percipi sensibus, non est consecrabilis: Et si hujusmodi pars dividatur ab Hostia consecrata, non remanet in ea amplius Christi Domini corpus, etiamsi divinitus posset sensibus percipi, ut communius docent contra Suar. lib. 8. & Bonac.; quia Sacramentum est signum sensibile datum hominibus, atque adeo humano modo debet esse sensibile, & demonstrabile per pronomen *Hic*. Præterea quælibet etiam magna quantitas potest consecrari, dummodo sit præsens moraliter, & demonstrari possit per particulam *Hic*.

VII. Quæritur quinto, quænam præsentia requiratur in materia consecranda, ut valide possit consecrari?

Respondeo, Sacerdoti debere esse præsentem moraliter, ita ut secundum communem loquendi modum possit vere & proprie designari, & per pronomen *Hic* demonstrari. Et ratio est, quia formæ Sacramentorum debent verificari secundum communem, & propriam verborum significationem. Unde sequitur primo, quod non possit consecrari panis, qui longe distat a Sacerdote, quamvis a Sacerdote videatur. Ratio est, quia si longe distet, non potest de eo proprie dici, Hic panis, sed Ille panis. Prudentis autem judicium requiritur, ut discerni possit in quanta distantia possit demonstrari per pronomen, Hic, secundum communem modum loquendi, & in quanta distantia designari soleat per pronomen, Ille. Henr. apud Trull. putat, quod per viginti passus possit demonstrari per pronomen, Hic, quamvis etiam possit Insula verbi gratia aliqua distans per decem milliaria demonstrari, intendendo in illam digitum, dicendo, Hæc insula: At si digitus in illam non intendatur, non solet dici, Hæc Insula: Materia autem consecranda debet esse præsens, ita ut possit secundum communem usum loquendi demonstrari per pronomen, Hic, independenter ab aliis circumstantiis.

VIII. Sequitur secundo cum Bonac. & Trull.

valide

valide consecrari vinum contentum aut in calice cooperato, aut in dolio: necnon hostias clausas in Pyxide, aut latentes sub aliis. Ratio est, quia solemus dicere de vino contento in dolio, vel amphora: Hoc vinum est optimum, Accipe metretam hujus vini, &c. Docet etiam Bonac. cum aliis, quod si particulæ lateant sub mappa, vel in Missali, possint etiam consecrari, si præsentes sint Sacerdoti. Equidem tamen cum Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 2. & Con. existimo consecrari non posse, etiamsi lateant in Corporali, vel in tabernaculo. Ratio est, quia quamvis non requiratur ad rigorosam præsentiam, ut hostia consecranda videatur a Sacerdote; unde potest etiam in tenebris, vel a cæco consecrari; nec requiratur, ut videri possit, cum particulæ in pyxide clausæ possint consecrari; requiritur tamen, ut materia consecranda sit saltem in eo vase, quod ex communi usu soleat destinari ad hujusmodi res continendas, ita ut eo viso in talibus circumstantiis facile concipi possit tale quid contineri: Hinc ostendendo bursam plenam solemus dicere, Hoc est aurum: At si detur Statua concava plena auro, non solemus dicere, Hoc est aurum, sed, In hac statua est aurum. Quare cum in pyxide soleant ex communi usu contineri particulæ, non tamen in Corporali, aut in Missali, hinc bene consecrari possunt, & demonstrari per pronomen, Hic, particulæ clausæ in pyxide, non vero in corporali, aut Missali. Mustum autem, quod in uva includitur, nisi exprimatur ut habeat secundum se rationem vini recentis, non solum illicite, sed etiam invalide consecratur.

Sequitur tertio, non posse consecrari hostiam post parietem, vel a tergo Sacerdotis positam: Si tamen hostiam a tergo positam Sacerdos manibus teneat, poterit illam consecrare, ex Bonac. Suar. Con. quia sic tenendo potest illam demonstrare.

Sequitur quarto, non posse consecrari omnem panem in vasto loco, verbi gratia, in foro, positum in diversis locis, quia panis, qui longe distat, vel est a tergo, non potest demonstrari absolute per pronomen, Hic: Et quamvis possit demonstrari digito intento in illum panem, tamen significatum verborum tunc compleretur a gestu illo, sine quo verba non haberent perfectum sensum; formæ autem Sacramentorum debent habere ex se sensum perfectum independenter a gestu, aut alia circumstantia, ut diximus.

Sequitur quinto, nec posse consecrari ab uno Sacerdote ingentem panis cumulum, aut vini lacum. Ratio ex Con. est, quia panis, & vinum longe distans non potest demonstrari absolute per pronomen, Hic. Quod ex eo probatur; quia si pars cumuli vicina Sacerdoti esset panis, & pars distans essent lapides, adhuc vero diceretur, Hic est panis, quamvis non diceretur vere, Hic cumulus est panis: ergo cumulus panis, cujus pars longe distat a Sacetdote, consecrari non potest: Sicut nec consecrari potest materia indeterminata, ut mox dicemus. Quod si Sacerdos in casu nostro consecrare intenderet omnem materiam sibi moraliter præsentem, putat Henriq. quod non consecraret totum cumulum, sed solum illam partem præsentem, verbi gratia, ad viginti passus ab ipso distantem. Hanc tamen sententiam nimis laxam putat Bonac. quia non solemus consecrare, nisi materiam coram nobis in altari positam; unde exponeret saltem se periculo non valide consecrandi, qui materiam per viginti passus distantem vellet consecrare.

IX. Quæritur sexto, an materia consecranda debeat esse determinata in individuo, & definita in mente Sacerdotis?

Respondeo affirmative. Ratio est, tum quia id requiritur a pronomine, Hic, tum etiam quia actiones sunt circa singularia, quæ debent esse certa & determinata.

Hinc sequitur primo, invalide consecrare, aut baptizare, qui vult consecrare aliquam hostiam ex præsentibus, vel aliquem hominem, nullum designando; aut qui vellet consecrare mediam partem hostiæ, non designando hanc potius medietatem, quam illam; vel qui vellet consecrare illas partes hostiæ, quas Deus elegerit, aut illas, quæ, fracta hostia, sunt mansuræ in continuo, non vero quæ excident; etenim materia ista non esset definita, & certa in mente Sacerdotis. Ubi notat Suar. apud Con. quod si Sacerdos ex decem hostiis præsentibus velit quinque consecrare, quas Titius elegerit, & Titius eligat quinque, non tamen illas manifestet Sacerdoti, ad hoc ut illas intendat consecrare, nullam consecrabit, quia in mente Sacerdotis materia consecranda non esset determinata.

Oppones; valide applicatur Sacrificium pro anima purgatorii, quam Deus elegerit; ergo etiam valide consecratur una ex multis hostiis præsentibus, quam Deus elegerit.

Respondeo, antecedens admitti a Bonac. hic punct. 3. & dat disparitatem, quia scilicet ad Deum spectat immediate remittere pœnas purgatorii: Contra vero immediate consecrat Sacerdos. Sed verius antecedens negandum cum Tambur. de Sacrific. Missæ lib. 2. quia Sacerdos, non Deus, debet immediate applicare fructus Sacrificii; potest tamen applicare illi, quem Deus novit magis indigere, vel illi, quem Titius decrevit, quia ad donationem fructus Sacrificii non est necesse, quod cognoscatur a Sacerdote is, cui donatur: At materia consecranda debet esse certa, & Sacerdoti cognita, quia debet demonstrari pronomen, Hic.

Sequitur secundo ex Con. non consecrari hostiam in Corporali positam inscio Sacerdote, sejunctam a cumulo, quem intendit consecrare, ut communiter docent contra Dianam part. 2. tract. 1. resol. 19. qui putat ferri intentionem Sacerdotis in omnem materiam præsentem. Ratio communis doctrinæ est, quia in mente Sacerdotis non est determinata talis hostia, & voluntas non fertur in incognitum: Contra vero, si Sacerdos habeat præ manibus duas hostias credens esse unam, utramque consecrat; quia intentio illius est consecrandi totam materiam præsentem; sicuti si plures hostias Sacerdos attulerit ad altare, vel viderit allatas, omnes consecrat, etiamsi dum actu consecrat, non recordetur, nisi illius tantum, quam præ manibus habet; quia illa intentio præcedens consecrandi omnes virtualiter perseverat: Et eodem modo, si Sacerdos posuerit unam hostiam, & Sacrista vice illius ponat aliam, inscio Sacerdote, aut etiam duas, illas consecrat, quia materiam illam tunc præsentem vult consecrare.

X. Sequitur tertio, guttas vini, quæ sunt extra calicem, non consecrari. De guttis tamen, quæ sunt intra calicem, separatis, quas Sacerdos nec vult expresse consecrare, nec expresse non consecrare, nonnulli Doctores cum Bonac. Con. Toleto putant, quod consecrentur, quia intentio consecrantis ferri videtur circa totam materiam in calice contentam. Alii vero cum Laym. Suar. Reginald. probabilius negant, quia intentio Ecclesiæ, atque adeo Sacerdocis ferri videtur in id, quod per modum unius in calice continetur demonstrabile per pronomen, Hic. Propterea dubium est, an remaneant consecratæ, quoties Sacerdos neque positive vult illas consecrare, nec positive vult illas excludere, sed solum vult materiam illam in calice contentam juxta Ecclesiæ intentionem consecrare. Legitima tamen, & consueta consecrandi intentio, ut notat Con. quæst. 74. de Euch. art. 2. dub. 3. ferri solet in omnem, & solum humorem consecrabilem, qui in calice per modum unius continui continetur; ut proinde consecretur vinum, quod calici adhæret, si uniatur cum vino, quod est in fundo; guttæ tamen vini omnino separatæ, & a purificatorio non absterfæ non consecrentur.

Sequitur quarto, quod si Sacerdos in Sacrario habuerit intentionem consecrandi particulas pro populo, & Sacrista ponat pyxidem super altare intra corporale, quando Sacerdos consecrat hostiam majorem sine memoria harum particularum, tunc istæ remanent consecratæ, etiamsi sint in pyxide inclusæ: Si vero extra corporale sint positæ a Ministro, putat probabiliter Dian. part. 3. tract. *6.* resol. 103. & part. 5. tract. 14. resol. 19. quod etiam remaneant consecratæ; quia etiam ibi sunt præsentes: Suarius tamen disp. 43. sect. *6.* cum Tamb. probabilius negat; quia cum non possit sine culpa consecrari hostia extra aram, & corporale posita, & præsumatur, quod Sacerdos velit consecrare Eucharistiam modo debito, sequitur, quod non dicatur habere intentionem consecrandi illas hostias, quæ sunt in altari extra aram, & corporale.

Neque dicas cum Diana, quod Sacerdos non advertens se esse in mortali valide consecrat, etiamsi nollet consecrare, si id adverteret: Et similiter non advertens hostiam esse fermentatam valide consecrat, etiamsi eodem modo nollet, si adverteret: ergo etiam valide consecrat hostias præsentes extra aram positas, quamvis si adverteret, nollet illas ibi consecrare. Nam responsio est facilis, quia in primis casibus prævalet voluntas conficiendi integrum Sacrificium peccato illi materiali consecrandi inadvertenter in mortali, aut in fermentato: In casu autem nostro habetur integrum Sacrificium, etiamsi Sacerdos particulas illas non consecret: ergo non est præsumendum, quod velit illas consecrare. Quare cum communis sententia doceat esse peccatum consecrare hostiam extra aram, etiamsi sit super corporale, sequitur, quod non remaneant consecratæ particulæ, si pyxis ista sit super Corporale, & extra aram. Quia tamen res est dubia, istæ particulæ vel sunt consecrandæ in alia missa sub conditione, vel sumi debent a Sacerdote post sumptionem Calicis.

XI. Quæritur septimo, quid requiratur ad licitam materiæ consecrationem?

Respondeo, requiri, ut non sit major quantitas, quæ possit tempore opportuno consumi: & ut juxta Missalis Rubricas consecretur. Quare debet Sacerdos pyxidem aperire, dum consecrat: Pyxis debet esse in ara, dum consecratur, & si parvæ hostiæ pro communione populi afferantur post factam oblationem, (additque Aversa ante inceptam præfationem) potest illas licite consecrare, suppleta mentaliter oblatione, ex Dian. part. 2. tract. 14. resol. 11. Præterea consecrare debet juxta consuetudinem hostiam grandiorem; hac tamen deficiente, potest in missa privata consecrare particulam, ut notat Tambur. ex Dian. part. 5. tract. 15. resol. *69.* dummodo scandalum, & offensio populi declinetur; quod fiet monendo illum de carentia hostiæ grandioris; etenim consuetudo sumendi hostiam grandiorem non obligat ad abstinendum a Sacrificio, quando solum particulæ haberi possunt.

ARTICULUS IV.

De Forma Sacramenti Eucharistici.

I. Quænam sint verba essentialia pro consecratione panis?
II. Recitative simul, & enunciative ea verba proferuntur.

III. Du-

III. Dubitant Doctores, an satis sint ad validam consecrationem Calicis illa duntaxat verba, Hic est Calix Sanguinis mei?
IV. Quandonam formæ consecrationis variatur substantialiter?
V. Ex veritate verborum fit, quod per consecrationem habeatur Transubstantiatio.
VI. Quomodo se habeat Christus Dominus relate ad accidentia Eucharistica?
VII. Christus vi verborum non adducitur, sed producitur sub speciebus.
VIII. Quamdiu Christus in stomacho soleat perseverare.
IX. Quid veniat sub speciebus vi verborum; quid per concomitantiam?
X. Num Personalitas Patris, & Spiritus Sancti veniant per concomitantiam saltem mediate?

I. QUæritur primo, quænam sit forma consecratoria panis?

Respondeo, esse verba illa, *Hoc est Corpus meum*: quibus verbis ex Florent. Christus Dominus consecravit; & apte significatur transubstantiatio, quæ efficitur: Sensus quippe illorum est, quod ea res, seu ea substantia, quæ in fine propositionis continetur sub his accidentibus, sit corpus meum, hoc est Christi, in cujus nomine ea verba proferuntur ab ejus Ministro. Illa verba, *quod pro vobis tradetur*, quæ adduntur in Evangelio, non sunt de essentia Sacramenti, ut falso Græci putant; aliter Ecclesia Latina invalide consecraret; & Matthæus, ac Marcus illa non referunt: Neque est de essentia particula illa *Enim*. Imo ex Suar. Con. Fill. Henr. apud Dian. part.2. tract.77. resol. 14. contra Fernand. & Nugn. omittens illam sine contemptu non peccat graviter.

II. Quæritur secundo: Utrum forma hæc proferenda sit recitative, & materialiter, hoc est narrando historiam, an vero significative, seu enunciative, & formaliter, hoc est volendo affirmare, quod per verba significatur?

Respondeo, Salmeronem contendere, quod verba proferri debeant recitative, in quo sensu habetur in Psalmo: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: Vasq. quod enunciative; Suar. vero cum Lug. & Trull. quos sequor, quod utroque modo: proferuntur enim recitative, quia Sacerdos refert, & recitat, quæ Christus fecit, dum dixit, *Accipite, & comedite*, &c. Proferuntur etiam significative, & formaliter, quia intendit Sacerdos efficere, quod per verba significatur, enunciando illud esse corpus Christi; nam ex Florent. Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.

Oppones, falsum esse nunc, quod sanguis Christi sit effundendus: ergo solum recitative proferuntur hæc verba.

Respondeo, graves Theologos putare, quod Christus Dominus loquutus tunc fuerit non de effusione cruenta in ara Crucis, sed de incruenta, quæ tunc fiebat, & fit quotidie in Sacrificio incruento, & ideo in textu græco dicitur, *Qui effunditur*. Secundo respondeo, formam essentialem proferri enunciative: illa vero verba, quæ sequuntur, tantum recitative.

III. Quæritur tertio, Quænam sit forma consecratoria vini?

Respondeo, esse illa verba, *Hic est calix* &c. usque ad illa, *Hæc quotiescumque*, &c Dubium tamen est apud Doctores, an sicut non est de essentia ly *Enim*, ita etiam non sint de essentia illa, *Novi, & Æterni Testamenti*; & quæ sequuntur. D. Th. quæst. 78. art. 3. & Thomistæ cum Tolet. Sylv. apud Bonac. putant, omnia isthæc esse essentialia; quia omnia conficiunt unicam integram propositionem significantem Christi passionem, quæ in hoc Sacramento debet exprimi; nomine enim Calicis significatur in Scripturis passio Christi Domini, qui Jo: 18. dicit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Et per ly *Novi, & Æterni Testamenti* significatur, quod sanguis Christi sit confirmatio Testamenti, seu promissionis de danda nobis vita æterna per merita suæ Passionis; aut quod hoc Sacramentum sit quoddam novum Testamentum, quo continetur ultima voluntas Christi destinantis nos ad æternam hæreditatem. Idcirco autem hoc Testamentum dicitur Novum, quia in aliis Testamentis hæreditas non confertur, nisi post mortem testatoris, dicente Apostolo ad Heb.9. *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris*: In hoc autem Christi testamento Christus vivit in æternum. Est pariter Novum, quia in aliis testamentis pro hæreditate conferuntur bona duntaxat Testatoris, in hoc autem & bona Testatoris nobis conferuntur, & ipsemet Christus Testator; unde dicitur in Psalmis: *Dominus pars hæreditatis meæ: Et pars mea Deus in æternum*. Communiter tamen cum Suar. disp. 60. sect. 1. docent, solum esse essentialia, seu de necessitate Sacramenti illa verba: *Hic est calix Sanginis mei*, reliqua esse de necessitate præcepti: unde fit, ut prolatis illis primis verbis, juxta hanc sententiam, Sacramentum sit adæquate confectum. Ratio doctrinæ est, quia in Sacramentis verba significant, quod efficiunt; sed sola illa verba significant conversionem; ergo sola illa conversionem vini in Sanguinem efficiunt. Præterea singuli Evangelistæ omittunt aliqua ex verbis sequentibus; & illa verba, *Mysterium fidei*, in nullo Evangelista reperiuntur. Præterea Græci etiam omittunt illa verba, *Æterni, & Mysterium fidei*: ergo sunt de essentia formæ. Divum autem Thomam interpretatur Trull. quod velit posteriora verba

esse de necessitate præcepti, & essentialia solum ad hoc, ut integre historia, & verba Christi referantur. Quia tamen de hoc dubitatur apud Doctores, ideo bene monent Soto, Filliuc. Bonac. Sacerdotem non debere habere intentionem consecrandi primis illis duntaxat, quæ non putamus esse essentialia, neque omnibus, quæ dicuntur essentialia a Thomistis, sed illis, quæ Christus instituit, & juxta intentionem Ecclesiæ. Graviter tamen peccaret, qui illa postrema verba omitteret, quia exponeret Sacramentum periculo frustrationis.

Oppones: In baptismo sunt essentialia verba illa, *In nomine Patris*, &c. licet sola, *Ego te baptizo*, significent, quod efficiunt: ergo in Eucharistia erunt essentialia etiam illa, *Novi, & Æterni Testamenti*, licet sola illa, *Hic est calix Sanguinis mei*, significent, quod efficiunt.

Respondeo, etiam illa verba, *In nomine Patris*, &c. in baptismo significare, quod efficiunt, videlicet in virtute Trium Personarum id effici. Adde ex Evangelio inferri, quod in Baptismo ea verba essentialiter requirantur; non tamen quod requirantur hæc alia verba in Eucharistia essentialiter; cum non ab omnibus Evangelistis ea referantur; ergo probabilius ea non sunt essentialia.

IV. Quæritur quarto, quænam variatio formæ consecratoriæ obstet validitati consecrationis?

Respondeo, solam variationem substantialem, qua destruitur significatio verborum, non vero accidentalem. Unde sequitur primo ex Trull. validam esse consecrationem, si dicatur, *Hic cibus est corpus meum*: vel *Hæc res est corpus meum*: vel *Istud est corpus meum*: vel *Hic est corpus meum*, sumpto ly *hic* ut pronomine, non adverbialiter.

Sequitur secundo, validam esse consecrationem, etiamsi dicatur, *Hoc est caro mea*, ut docent Con. Henriq. Granad. & alii contra Mercor. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 76. etenim etiam in Scriptura caro sumitur pro toto homine, cum dicitur, *Verbum caro factum est*. Valida etiam est consecratio Sanguinis, si dicatur, *Hic est calis*, &c. cum non mutet substantialem sensum verborum; nam secundum intentionem proferentis, & communem modum percipiendi idem significat Calis, & Calix; sicut ex D. Thom. quæst. 60. art. 3. ad 3. validus est baptismus, si dicatur, *In nomine Patria, Filia*, &c. ut habetur in cap. *Retulerunt de Consecratione*. Imo ex Dian. part. 2. tract. 17. resol. 14. peccaret solum venialiter ob parvitatem materiæ, qui secluso scandalo, & contemptu diceret, Calis.

Sequitur tertio, invalide consecrari hac forma, *Hoc corpus est meum*, vel *Meum est hoc corpus*, ut docent Fagund. apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 78. quia pronomen *Meum* sumeretur possessive, & sensus esset, Hoc corpus ad me pertinet, unde non exprimeret conversionem. Hinc etiam invalide consecrat, qui dicit, *Ecce corpus meum*, vel *Hoc corpus meum*, omisso ly *est*, vel *Illud est corpus meum*, vel *Hoc corpus Christi est corpus Christi*; cum non significet conversionem in actu exercito: Vel si dicatur, *Hoc sit cotpus meum*, vel *Hoc sit corpus Christi*, vel *Conficio corpus Christi*: Vel si dicatur, *Hic panis est corpus meum*, quia ly *hoc* debet significare, quod est contentum sub speciebus in fine propositionis; aliter falso dicitur, quod panis sit corpus Christi: Veritatem enim suam propositio illa non habet in principio prolationis, sed in fine. Et ratio est, quia veritas, & falsitas non possunt competere nisi integræ propositioni.

Sequitur quarto, invalide consecrari, si dicatur, *Hoc est corpus Christi*, quia verba non proferrentur in persona Christi, sicut proferenda sunt ex D. Thom. Suar. Conink.

Sequitur quinto, probabiliter valide vinum consecrari, dicendo, *Hic est sanguis meus*, cum clarius videatur explicari id, quod dicitur per illa verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*. Valide etiam fit consecratio, si dicantur verba Lucæ 22. *Hic est calix, novum testamentum in meo sanguine*; quam formam adhibitam fuisse in Hispanis testantur Henriq. & Suar. disp. 60. sect. 2.

V. Quæritur quinto, quid efficiant verba consecratoria?

Respondeo, de fide esse, vi talium verborum fieri transubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ panis in corpus, & vini in Sanguinem Christi Domini. Ita Trident. sess. 13. cap. 14. Et ratio est, quia id postulat veritas illorum verborum: Si enim substantia panis non desineret, nec fieret conversio: (sicut non fit conversio ligni in ignem, si non desinat forma ligni). Nec vere diceretur, quod hoc sit corpus Christi, sed solum, quod in eo loco, in quo est panis, esset corpus Christi, ut notat Suar. disp. 49. sect. 2. Sicut si in crumena sit aurum, & argentum, non potest dici absolute, Hoc est aurum; sed hic, seu in hac crumena est aurum: Et quando in corpore obsessi est dæmon, potest solum dici, In hoc loco est dæmon: Tunc autem potest dici, Hic est dæmon, quando dæmon in eo corpore haberet aliquas operationes proprias, per quas posset demonstrari: & ideo quamvis ubi Sol, sit Deus, non potest dici, hic est Deus, demonstrato Sole, sed solum dici potest, In eo loco est Deus.

VI. Ex quibus sequitur primo, quod accidentia panis, & vini remaneant alligata corpori Christi, non secus ac prius erant alligata substantiæ panis: Aliter nec haberetur transubstantiatio; (sicut non haberetur conversio ligni

in

in ignem, nisi eadem materia, quæ prius erat unita formæ ligni, esset deinde unita formæ ignis) Nec posset per ea demonstrari Corpus Christi, dicendo, Hoc est corpus. In eo tamen habetur diversitas, quod accidentia Eucharistica substantiam panis ante consecrationem informabant, & ab ea dependebant materialiter; Corpus autem Christi ab iis non informatur: Non enim dicitur Corpus Christi album ab albedine illius hostiæ; Nec dependent ea accidentia a Christi corpore materialiter, sed efficienter: Cæterum eodem modo agunt, & patiuntur, dum sunt unita Christi corpori, & ab eo efficienter conservantur, ac si materialiter substentarentur a substantia panis: Et si corrumpantur, producitur a Deo nova materia, & forma substantialis proportionata, (verbi gratia, vermis) non secus ac si panis in vermem converteretur: Et ideo dicuntur accidentia Sacramentalia nutrire: Ac proinde communiter apud Dian. part. 11. tract. 4. resol. 15. Doctores docent, quod frangeret jejunium, si in magna quantitate comederentur.

Sequitur secundo, simul cum quantitate, & qualitatibus panis dari in Sacramento quantitatem, & qualitatem Corporis Christi; illas tamen dumtaxat a nobis sentiri; istas vero esse insensibiles, & per modum spiritus: sicut ibi est Corpus Christi; videlicet totum in tota, & totum in qualibet parte hostiæ.

Sequitur tertio, tamdiu Christum Dominum esse in Sacramento, quamdiu illa accidentia panis, & vini perseverant; & tamdiu hæc perseverare, quamdiu perseverare deberent, si essent cum substantia panis, & vini. Unde etiam fit, Christum Dominum ad illarum motum moveri localiter, atque adeo per accidens; cum non sit in eo loco per se, sed ratione specierum.

Sequitur quarto, cum omni proprietate dici, quod Christus in Eucharistia attollatur, deponatur, manducetur, quia proprie movetur localiter ad motum accidentium: Contra vero figurate tantum dicitur, quod videatur, tangatur, frangatur, quatenus scilicet accidentia illa videntur, tanguntur, franguntur; juxta illud, *Signi tantum fit fractura*.

Sequitur quinto, quod cum Christus Dominus sit in Sacramento per modum spiritus, non alteretur ab agentibus naturalibus, verbi gratia, non calefiat ad præsentiam ignis; neque exerceat actiones sensuum externorum, aut internorum: verbi gratia, non videt, non audit, &c. ut docent communius: Esto nonnulli putent, quod saltem miraculose possit videre, & audire. Et forte etiam naturaliter Christus D. in Eucharistia potest videre corpora approximata, ut fuse in Cursu Theologico quæst. 7. de Eucharistia propugnavi, inhærendo doctrinæ Arriagæ, ac Nominalium.

VII. Disputant Theologi; Num Christus Dominus sit in Sacramento per adductionem, an per productionem? Alii volunt, quod per adductionem, sicut cum cibus convertitur in substantiam hominis, anima jam producta non reproducitur, sed adducitur ad materiam illam cibi. Verius existimo, quod per productionem, quia ad conversionem sicut requiritur desitio termini a quo, videlicet substantiæ panis, ita requiritur productio termini ad quem, videlicet Corporis Christi. Quando autem Anima hominis per aggenerationem adducitur in materiam cibi, tunc non habetur vera conversio, sed transformatio, quatenus materia cibi de una forma transit in aliam.

Confirmatur, quia D. Ambrosius hæc habet: *Ubi advenerit consecratio, de pane fit Corpus Christi*: D. August. dicit, Carnem, & Sanguinem Christi creari. Paschas. dicit, in Eucharistia Christum efficere, & creare carnem suam: & Ecclesia canit in Hymno, *Verbo carnem efficit*: ergo Corpus Christi per consecrationem non adducitur, sed producitur.

VIII. Dubitatur tamen, quamdiu in stomacho perseverent species sacramentales, & consequenter ipse Christus?

Respondeo, Medicos præstantissimos docere, quod particula ut plurimum stomacho alteretur, & corrumpatur in minuto, hoc est in sexagesima parte horæ; etenim calor naturalis singulis horis duas uncias cibi solidi solet consumere, ut Marsilius de sanitate tuenda docet ex usu veterum, qui uno die quadraginta octo uncias cibi solidi solebant sumere. Illa autem particula non pertingit ad sexagesimam partem duarum unciarum: Consequenter Sacerdos ante semiquadrantem solet species consumere; quamvis aliquando per accidens etiam post semihoram aliquis species evomuerit. Ita Lugo de Eucharistia disp. 10. num. 59.

IX. Quæres sexto; Quænam ex vi verborum, & quænam per concomitantiam in hoc Sacramento contineantur?

Respondeo, ex Trident. ex vi verborum venire in hostiam solum Corpus, in calicem solum Sanguinem Christi Domini; reliqua vero per concomitantiam. De fide pariter est, quod totus Christus sit in hostia, & in calice; Cum Christus Dominus dixerit: *Ego sum panis vivus; Qui manducat me, vivet propter me*: ratione enim naturalis connexionis, qua de facto Corpus Christi unitur cum sanguine, anima, & Divinitate; & Sanguis similiter uniter cum corpore, anima, & divinitate, fit, ut quamvis ex vi verborum veniat in hostia solum corpus, & in calice solus sanguis, tamen idem omnino Christus sit

sub

sub speciebus panis, & sub speciebus vini. Nam, ut notat Lugo disp. 8. eo ipso quod partes sunt unitæ, postulant ex naturali ratione unionis, ut quocumque fertur una, feratur & alia: Hæc enim est natura unionis, ponere aliquam insepa-rabilitatem inter unita: Præterquamquod ista concomitantia oritur etiam ex necessitate quadam morali; Etenim non videtur decorum, poni alicubi Christum Dominum, qui jam resurrexit, truncum, & mutilum, & corpus ejus sine sanguine, anima, & divinitate; debet quippe, ubicumque est, habere quicquid pertinet ad perfectionem suam, & ornatum; cum ubicumque sit idem, Magnus, & Excelsus. Quod expressit Trid. sess. 13. cap. 3. his verbis: *Statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verusque sanguis sub panis, & vini specie una cum ipsius anima, & divinitate existunt; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguis sub vini specie ex vi verborum: Ipsum autem corpus sub vini specie, & sanguis sub specie panis; anima sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; Divinitas vero propter illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.* Hactenus Trident. Ubi nota illud, Poni corpus vi verborum, significare, quod vi verborum ponatur corpus, etiamsi esset separatum a quocumque alio; atque adeo quia in triduo mortis Corpus Christi Domini erat saparatum ab ejus sanguine jam effuso, & anima, si quis Apostolorum eo tempore consecrasset hostiam, in ea tantum poneretur corpus, videlicet materia organizata (hoc est, cum suis accidentibus) una cum divinitate, a qua unquam fuit separatum; non tamen Sanguis separatus, & anima; Et in calice solus sanguis cum divinitate veniret, non corpus, aut anima.

X. Dubitant tamen Scholastici, An sicut suo modo concomitanter veniunt in hoc Sacramento personalitas Patris, & Spiritus Sancti, utpote identificatæ cum divinitate, ut docent communius apud Dicastil. disput. 5. num. 62. contra Nugn. & Hugon. Cardinalem; ita etiam ipsa divinitas, & personalitas Filii veniant concomitanter, an vero vi verborum? Et ratio dubitandi est, quia corpus est aliquid subsistens; ergo debet importare in suo conceptu subsistentiam; cum autem corpus Christi aliam subsistentiam non habeat, quam personalitatem Verbi, sequitur, quod cum vi verborum veniat corpus, veniat etiam personalitas Verbi. Præterea ly *Corpus meum* significat corpus, prout in Verbo, & in persona Christi subsistens. Sed communiter docent, Divinitatem, & personalitatem Verbi venire concomitanter; quod videtur etiam significare Trident. loc. laud. Et ratio est, quia verba significant solum corpus, non personam Verbi: ergo solum corpus venit vi verborum. Quod autem corpus debeat habere suam subsistentiam partialem, non fit, quod in suo conceptu importet illam; Sicut nec anima importat in suo conceptu subsistentiam, quamvis non possit esse sine subsistentia; Quod ex eo patet, quia corpus Christi Domini dicitur natum ex Virgine, & anima Christi dicitur creata, quin tamen subsistentia illius corporis nata sit ex Virgine; aut subsistentia animæ Christi fuerit creata: ergo pariter vi verborum venit corpus, non vero subsistentia, etiamsi carere non possit subsistentia; sic nec venit ubicatio, etiamsi carere non possit aliqua ubicatione. Ad id, quod additur, respondeo cum Suar. quod quamvis per subsistentiam Verbi illud sit *Corpus meum*, hoc est, Christi, tamen subsistentia non venit in recto, sed de connotato; sicuti, si brachium meum deberet replicari, & brachium dicatur meum per hoc, quod sit unitum mihi, non per hoc debeo Ego totus replicari, nam ly *meum* idem significat, ac pertinens ad me; unde vi verborum satis est, quod in hostia ponatur corpus pertinens ad personalitatem Verbi; quin ponatur ipsa personalitas Verbi, nisi concomitanter.

Quod attinet ad personalitatem Patris, & Spiritus Sancti, quamvis non pertineant ad Christum constituendum, sicut pertinet Personalitas Verbi, & divinitas, quæ immediate uniuntur Corpori, & Sanguini Christi; nihilominus, quia sunt in divinitate per Circuminsessionem, ut loquuntur Theologi, & cum divinitate realiter identificantur; idcirco sicut Personalitas Verbi, & divinitas dicunt esse in Eucharistia, non vi verborum, sed per concomitantiam, quatenus immediate uniuntur corpori, & sanguini Christi; ita Personalitas Patris, & personalitas Spiritus Sancti, quia identificantur cum divinitate, & ideo veluti mediate uniuntur cum Christi corpore, & sanguine, idcirco verius docent Suar. & Vasq. apud eundem Dicastil. quod veniant in Eucharistia per concomitantiam magis mediate, quam veniat Verbi Personalitas.

ARTICULUS V.

De Effectibus Sacramenti Eucharistici.

I. *Quadrifariam potest Christus Dominus in Eucharistia manducari.*

II. *Primarius Eucharistiæ effectus est Gratiæ augmentum.*

III. *Confertur etiam per Eucharistiam fervor charitatis, & quædam spiritualis dulcedo.*

IV. *Necnon gratia propriæ Sacramentalis, seu auxilia ad culpas declinandas, & ad fomitem compescendum.*

V. Si-

V. Sicut etiam confert venialium remissionem, aliosque effectus.

VI. Remissio pœnæ peccatis debitæ ex opere operato competit Sacrificio Eucharistico, non Sacramento.

VII. Triplici modo ardorem concupiscentiæ minuit Eucharistia.

VIII. Potest hoc Sacramentum neutraliter suscipi; Et per talem susceptionem satisfacit præcepto de Paschali Communione.

IX. Quonam instanti suos effectus producat Eucharistia?

X. Num conferat aliquando novam gratiam Eucharistia, dum in stomacho perseverat?

XI. Num gratiam majorem, ac heterogeneam recipiat, qui communicat sub utraque specie panis, & vini, quam qui sub una tantum?

I. ADverte ex D. Th. quadrifariam posse Christum in Eucharistia manducari. Primo, realiter tantum, seu materialiter; ut si non baptizatus communicaret; hic enim cum sit incapax Sacramenti, recipit illud tantum materialiter, quin tamen ullum ejus fructum percipiat. Secundo, tantum Sacramentaliter, ut quando baptizatus scienter communicat in mortali; tunc enim recipit quidem Sacramentum, sed nullum ejus fructum percipit, cum ponat illi obicem; immo grave sacrilegium committit. Tertio, solum Spiritualiter, videlicet, credendo simul, ac desiderando Christum recipere; in quo casu recipit quidem gratiam, sed non Sacramentalem; cum non recipiat Sacramentum: In hoc sensu August. in cap. 6. Jo: dixit: *Crede, & manducasti*, idest spiritualiter. Quarto, Sacramentaliter, & Spiritualiter simul; ut quando in gratia existens viva fide, spe, & charitate communicat; in quo casu percipit omnes effectus Sacramenti.

II. Quæritur nunc primo; Quinam sunt isti effectus?

Respondeo, & dico primo; Eucharistiam causare proprie, & per se augmentum gratiæ. Ita Trident. sess. 13. cap. 2. Dicitur enim Jo. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* Est quippe institutum ad nutriendam animam spiritualiter; quod fit per gratiæ augmentum; Quamvis probabiliter possit per accidens, ut supra diximus quæst. 1. art. 5. causare primam gratiam, quando scilicet quis invincibiliter ignorans se esse in statu peccati mortalis accedit ad hoc Sacramentum cum sola attritione; tunc enim non ponit obicem gratiæ; sicut non ponit obicem gratiæ, qui accedit ad baptismum, vel pœnitentiam cum sola attritione: de fide autem est, quod Sacramentum causet gratiam non ponentibus obicem. Quia tamen tenemur ad hoc Sacramentum, quod est vivorum, accedere cum gratia, imo præmissa confessione mortalium; ideo dixi, quod per accidens causet primam gratiam solum, quando sumitur ab eo, qui invincibiliter ignorat se esse in statu peccati mortalis. Ubi nota, augmentum gratiæ causari etiam in eo, qui habet complacentiam in peccato veniali, ut notat D. Th. quæst. 78. art. 8. contra Bonac. Cajet. & alios apud Bonac. cum venialia non sint incompossibilia cum gratia; non sentit tamen illam suavitatem, & dulcedinem, de qua mox, qui cum affectu ad venialia accedit ad hoc Sacramentum.

III. Dico secundo; Eucharistia, preter gratiam, confert etiam devotionem, & fervorem charitatis cum speciali delectatione, dulcedine, & lætitia Spiritus. Ita communiter cum D. Th. & Suar. disp. 63. sect. 1. Ratio est, quia sicut cibus corporalis non solum nutrit, sed etiam delectat; ita cibus hic spiritualis: Qui proinde fuit figuratus in Manna omne delectamentum in se habente. Dat itaque animæ eam affluentiam suavitatis, quæ etiam in corpus redundet, ut cor, & caro nostra exultent in Deum vivum, & nihil carnale concupiscant; Impeditur tamen aliquando hæc dulcedo per veniale, vel ob nimias curas, vel ex divino consilio, ut maxime Spirituales humilientur, ut notat Ledesma.

IV. Dico tertio, confert etiam gratiam Sacramentalem propriam Eucharistiæ, hoc est, auxilia specialia ad vitanda peccata. Ita D. Th. quæst. 79. art. 3. ex Trident. sess. 13. cap. 2. ubi docet, hoc Sacramentum esse institutum, ut antidotum, quo a peccatis præservemur, juxta illud Jo: 6. *Ut si quis ex eo manducet, non moriatur*: Sicut autem cibus corporalis præservat a morte ad tempus; unde necesse est sæpe sumere cibum, ut diutius vivamus; ita cibus spiritualis; Non est tamen, ut supra diximus, absolute necessarius ad vitam conservandam, sicut cibus corporalis; quia aliis viis, puta attritione, eleemosyna, jejuniis possumus a Deo obtinere hujusmodi auxilia, quibus a peccatis præservemur.

Præterea ex D. Th. loc. cit. art. 1. Suar. Con. Filliuc. Trull. confert etiam auxilia ad recte operandum, & temperandum fomitem peccati, ad repellendas tentationes, & ad bonos mores in appetitu excitandos; tum quia dæmones effugiunt Christum præsentem; tum quia, sicut cibus corporalis confert robur, & vires ad operandum; ita etiam cibus hic spiritualis.

V. Dico quarto, confert etiam Eucharistia ex opere operato remissionem venialium. Ita D. Th. quæst. 70. artic. 4. Suar. disp. 63. Sect. 10. ex Concilio Coloniensi, & Catechismo Romano; quibus consonat Trident. sess. 13. cap. 2. ubi dicit, quod per hoc Sacramentum liberemur a culpis quotidianis. Ratio est, quia sicut per cibum corporalem reparantur partes deperditæ viventis, ita Eucharistia restaurat deper-

deperdita per venialia: Quod præstat, vel conferendo immediate remissionem venialium, de quibus non est complacentia sine ulla prævia dispositione, ut probabiliter communius docent; vel mediate excitando fervorem charitatis, ut notat D. Th. loc. citat. & Filliuc.

Demum per Eucharistiam habetur unio spiritualis cum Christo, & fidelibus. Nam ex Lateranensi apud Trull. institutum est hoc Sacramentum ad perficiendum unitatis mysterium; unde Apostolus 1. ad Cor. 11. dicit; *Unum corpus sumus*, *qui de uno pane*, *& de uno calice participamus*. Consecutio etiam gloriæ speciali modo est effectus hujus Sacramenti; nam ex Jo: 6. *Qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum*; Et a Trid. loc. cit. dicitur esse *Pignus felicitatis*. Et ab Ecclesia *Pignus gloriæ*. Resurrectio pariter corporis est effectus Eucharistiæ ex illo Jo: 6. *Qui manducat meam carnem*, &c. *& ego resuscitabo eum in novissimo die*; Unde a Concilio Nicæno dicitur *Simbolum resurrectionis*, & a Cyril. apud Suar. & Filliuc. *Cibus nutriens ad immortalitatem*.

VI. Rogabis primo, an etiam remissio pœnæ temporalis debitæ, vel in hac vita, vel in purgatorio sit effectus hujus Sacramenti?

Respondeo, quod si Eucharistia sumatur ut Sacrificium, habet remittere pœnas temporales ex opere operato, ut dicemus quæst. seq; si vero sumatur ut Sacramentum, hunc effectum non habet immediate; cum neque ex Scripturis, neque ex Conciliis, neque ex Patribus id colligatur, ut notant Fill. & Bonac. Remittit autem pœnam ex opere operantis juxta valorem actus, & dispositionem sumentis, & quatenus excitat actum Charitatis, qui prodest ad satisfaciendum pro pœna; atque adeo mediate per Eucharistiam remittitur aliqua pœna temporalis juxta quantitatem fervoris ex D. Th. quæst. 70. cap. 4. & 5. Unde fit, quod solum Sacrificium prosit animabus Purgatorii ex opere operato; Communio vero oblata pro illis prodest tantum ex opere operantis, quatenus est actus religionis satisfactorius, & meritorius de congruo; necnon per modum impetrationis, ad quod habet specialem efficaciam excitando fervorem charitatis; Non prodest autem aliis ex opere operato, quia hoc Sacramtntum institutum est solum ad sanctificandum ipsum sumentem, ex illo Jo: 6. *Qui manducat me*, *& ipse vivet propter me*; Sicut baptismus solum prodest ex opere operato ipsi baptizato.

Rogabis secundo, Quomodo minuat ardorem concupiscentiæ Eucharistia? Et quomodo influat in gloriosam Corporis resurrectionem?

VII. Respondeo minuere primo directe, temperando fervorem sanguinis, & humores, applicando scilicet divinam virtutem, ut vel per se immediate id efficiat, vel per causas secundas, sua providentia illas dirigendo, ut hic effectus sequatur. Secundo per gratias prævenientes, vel avocando alio imaginationem, ne spiritus vitales concitet, vel dando robur animæ, ut possit effervescentiam corporis reprimere. Tertio dando animæ dulcedinem, quæ etiam in corpus redundet; unde a carnalibus abhorreat. Præterea Eucharistia in corporum resurrectionem influit, inquantum Deus movetur ad corpora vivificanda propter conjunctionem, quam habuerunt cum carne Christi vivificatrice. Propterea nonnulli apud Gonetum docent, quod frequenter, ac devote communicantes post resurrectionem splendorem in corporibus suis specialem sint adepturi.

VIII. Rogabis tertio, An possit aliquando hoc Sacramentum sumi neutraliter, hoc est sine peccato, & sine ullo fructu? Et an per talem susceptionem satisfiat præcepto Communionis Paschalis?

Respondeo ad utrumque affirmative cum Suar. contra Ricchard. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 98. Potest quidem suscipi neutraliter, & informiter, hoc est sine gratia, aut ullo effectu hujus Sacramenti, ac sine culpa, ut notant Cajet. & Ledesm. apud Trull. Nam si quis peccavit mortaliter, & hujus peccati oblitus accedit ad Eucharistiam sine ullo dolore, putans invincibiliter se esse dispositum, hic profecto nec peccat, quia invincibiliter omittit confessionem; nec gratiam suscipit, quia nullum peccatum remittitur in præsenti ordine sine prævia pœnitentia, & dolore ipsius. Deinde nulla est ratio, cur talis Communio non sit satis ad satisfaciendum præcepto; (quod etiam dicemus de Sacramento pœnitentiæ valido, & informi) damnata enim solum est opinio docens, confessionem, & communionem sacrilegam esse sufficientem; nec est eadem ratio de informi, ac de sacrilega, ut patet; & in expositione harum Thesium confixarum latius prosecuti sumus in Trutina.

IX. Quæritur secundo; quandonam Eucharistia producat suos effectus?

Respondeo, juxta dicta quæst. 1. art. 5. illos producere in eo instanti, in quo verum est dicere, aliquid Sacramenti manducatum est, seu deglutitum est, & in stomachum trajectum; aut ad summum, quando ad guttur pervenit; siquidem tunc cibus potest dici manducatus, cum incipiat a stomacho attrahi, & alterari. Ratio est, quia Scriptura tribuit effectum hujus Sacramenti manducationi: *Qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum*. Quare si manducata una tantum parte Sacramenti homo moriatur, antequam reliquas partes manducet, effectum hujus Sacramenti jam recepit; quia in illa prima

parte

parte est totus Christus, & est verum Sacramentum: Quare quando reliquas partes Sacramenti sumit, non recipit novam gratiam ex opere operato, nisi forte melius se disponat, juxta opinionem Conink, & aliorum, de qua diximus qu. 1. art. 5. nu. 7., & dicemus quæsito sequenti.

Et idem dicas, quando Sacerdos post sumptionem hostiæ, & calicis sumit alias particulas, quæ superfuerunt. Quod si communicans sit in mortali, dum manducat primam partem hostiæ, & antequam alias manducet, eliciat actum contritionis, puta cum Suar. disp. 63. sect. 8. Con., Trull. contra Bonac., & Henr., quod gratiam per reliquas partes recipiat; vel quia, recedente fictione, Sacramentum reviviscit, ut nonnulli apud Henr. putant ex dictis in eadem qu. 1. art. 5., vel quia sumendo reliquas partes, sumit verum Sacramentum sine obice.

Oppones primo, omnia Sacramenta causant effectum suum, quando perficiuntur; ergo Sacramentum Eucharistiæ non causat effectus suos, quando manducatur prima pars hostiæ, sed quando sunt manducatæ omnes.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia reliqua Sacramenta consistunt in usu, & in actione Ministri, & ideo non possunt causare effectus suos, nisi quando actio Ministri est moraliter completa. Contra vero Eucharistia non causat gratiam, dum fit, sed dum manducatur; ergo si una tantum pars manducetur, habebitur effectus Eucharistiæ. Adde, quod sicut in baptismo, si prolata forma sit sufficienter ablutus infans, causatur gratia, etiamsi Minister ulterius prosequatur ablutionem; ita in casu nostro.

Oppones secundo: Si prima pars hostiæ causat totum effectum, reliquæ partes nihil causarent: sed videtur absurdum dicere, quod reliquæ partes nihil causent; cum contineant totum Christum, & sint verum Sacramentum, quod sufficienter applicatur per comestionem: ergo, ut prius.

Respondeo, quod sicut in collatione baptismi, verbi gratia, causatur gratia physice ab illa parte, quæ tunc existit, quando ultimo posita est materia, & forma, & a reliquis partibus præcedentibus causatur gratia moraliter, ut diximus loco laudato, ita quando plures partes Eucharistiæ successive sumuntur, gratia causatur physice a parte, quæ manducatur, & a reliquis quodammodo moraliter; quatenus omnes integrant unam refectionem, & unum individuum Sacramentum, quod completur ex parte deglutita, & ex partibus deglutiendis.

X. Quæres tertio; An Eucharistia gratiam, aliosque effectus causet, dum est in stomacho?

Respondeo, certum esse apud Theologos, quod post primum instans, quo gratia causata est per manducationem, Eucharistia nullum alium effectum causat, dum in stomacho perseverat, si non varietur dispositio suscipientis: Quod si magis, magisque hic se disponat per novos actus, valde probabile est, quod novam gratiam recipiat ex opere operato, quousque Eucharistia in stomacho perseverat, ut ostendimus quæst. 1. art. 5. ex Suar. disp. 63. sect. 4. Con. quæst. 79. num. 28., Lugo disp. 11. num. 46. Cajet., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 96. Ratio est, quia Eucharistia confert gratiam per modum nutrimenti, & manducatio est solum conditio requisita; ergo probabiliter animam nutrit, quousque est in stomacho, dummodo suscipiens de novo se disponat; aliter jam suum causavit effectum in primo instanti manducationis.

Confirmatur, quia quandiu habemus in nobis hoc Sacramentum, habemus in nobis fontem gratiarum, quem non convenit arescere, quamdiu volumus ex eo haurire.

Dices primo, promissa est gratia solum manducanti Eucharistiam: ergo non confertur gratia ex opere operato, quousque Eucharistia in stomacho perseverat, etiamsi homo magis magisque se disponat.

Respondeo cum Coninch, promissam esse gratiam manducationi, tam dum est in fieri, quam dum consideratur in facto esse, ut probabiliter asseritur, ex eo quod per modum cibi spiritualis nutriat: ergo quandiu in stomacho durat, nata est gratiam augere, si subjecti capacitas, & dispositio augeatur.

Dices secundo. Hinc aperitur via superstitionibus, videlicet procurandis hostiis pluribus, quod ab Inquisitoribus reprobatur, & puniti sæpe sunt, quid id ausi sunt facere.

Respondeo, id jure merito reprobari; tum ne detur ansa credendi, quod major gratia, per se loquendo, conferatur sumenti grandiorem hostiam; tum quia standum consuetudini Ecclesiæ, & reverentiæ debitæ Sacramento. Sicut enim ex reverentia Sacramento debita non debet cuilibet permitti quotidiana communio, & nemo potest pluries eodem die communicare; quamvis ex iterata communione novam gratiam reciperet; ita nemo debet plures, aut grandiores solito hostias procurare, esto major gratia conferatur ex opere operato illi, qui magis se ad illam disponit, quousque Christus in stomacho detinetur.

XI. Quæritur quarto, an majorem gratiam recipiat, qui communicat sub utraque specie, quam qui sub una tantum?

Respondeo, Conink quæst. 80., Sylv., & alios apud Dian part.. 3. tract. 6. resol. 97. negare. Sed puto cum Becan. cap. 22. quæst. 7., & Fagund., quod esto probabilius sit non conferre per se majorem gratiam; (sicut non habet majorem gratiam, qui duas particulas sumit, quam qui unam, ut docet D. Th. quæst. 80. art. 12. ad 3.)

3.) quia totus Christus. qui est fons gratiarum, non minus continetur sub una specie, quam sub utraque; nihilominus non est improbabile, quod majorem conferat gratiam. Ratio est, quia Clemens VII. concedens Regi Galliæ communionem sub utraque specie dicit, id concedere ad majus gratiæ augmentum. Et Franciscus Blanco Archiepiscopus Compostellanus, qui Tridentino interfuit, testatus est hanc fuisse unanimem illorum Patrum sententiam; non fuisse tamen definitum, ne Hæretici majores turbas moverent ob privationem communionis sub utraque specie illis factam. Videtur tamen Trident. sess. 21. cap. 3. illud oblique docuisse, cum dixit eos, qui sub una specie communicant, *nulla privari gratia necessaria ad salutem*; non dixit autem nulla gratia simpliciter, sed nulla gratia ad salutem necessaria privari.

Probatur autem id ratione, quia tam panis, quam vinum habet significare refectionem, & quidem diversimode: ergo utrumque causabit suam gratiam; aliter in Sacramentis daretur aliqua significatio inanis, & aliqua vis significativa, quæ non esset activa.

Confirmatur, quia Christus Dominus promisit gratiam tam manducanti, quam bibenti. Confirmatur secundo, quia quamvis totus Christus sit sub utraque specie, & sub una tantum; tamen vi verborum in specie panis est solum Corpus Christi; sub utraque vero est corpus, & sanguis: ergo si vi verborum plus est sub utraque specie, quam sub una, majorem gratiam causabit utraque species, quam una. Confirmatur tertio, quia licet totum Sacramentum sit sub una tantum specie; tamen non est integrum, nisi in utraque ratione diversæ significationis, cum panis significet refectionem per modum cibi, vinum per modum potus; ergo licet sit integer Christus in una tantum specie, quia tamen non est integrum Sacramentum, nisi in utraque, non habetur eadem gratia, sed major per utramque speciem. Illam vero censeo esse homogeneam; tum, ne dicamus laicos privari aliqua gratia Sacramentali, dum prohibetur illis communio sub utraque specie; tum etiam quia ex Trident. totum Sacramentum sumit, qui unam tantum speciem suscipit.

Dices: Ex hac ratione videtur sequi, quod sicut per utramque speciem non confertur gratia heterogenea, ita neque conferatur gratia major, ne dicamus Tridentinum privasse laicos hac gratia majori.

Respondeo, non esse absurdum, quod propter reverentiam debitam Sacramento priventur homines aliqua gratia Sacramentali majori, quam alioqui susciperent. Sic dum prohibetur dare Eucharistiam infantibus, dum prohibetur, ne quis pluries in die communicet, aut celebret, privantur homines gratia, quam reciperent, si sæpius in die celebrarent, nihilominus ob reverentiam Sacramento debitam apte id prohibetur; sic in casu nostro. Unde non est absonum dicere, quod Ecclesia prohibendo Laicis, ne communicent sub utraque specie ob reverentiam Sacramenti privet illos aliqua majore gratia, absonum vero esset, si privaret illos gratia diversæ rationis; & ideo dicimus gratiam, quæ per utramque speciem confertur, probabiliter esse majorem, non vero heterogeneam. Non negandum tamen, quod si gratia Sacramentalis propria hujus Sacramenti, explicata per exigentiam auxiliorum specialium, causata ab utraque specie, esset heterogenea, ut multi probabiliter opinantur, prout innuimus art. 1. num. 6.; adhuc rationabiliter posset ob reverentiam Sacramento debitam Ecclesia prohibere Laicis Communionem sub utraque specie, quia isthæc auxilia diversa potuissent a Laicis a Deo obtineri aliis viis, puta, orationibus, jejuniis, eleemosynis, ac frequentiori susceptione aliorum Sacramentorum; esto non adeo connaturalius istis viis conferantur.

ARTICULUS VI.

De Suscipiente Eucharistiam. Quinam sit illius capax?

I. *Incapax est hujus Sacramenti, qui non est baptizatus; Sicut etiam Angeli, ac Beati; necnon adulti inviti illud suscipientes.*

II. *Capax vero omnis baptizatus; Infantibus tamen ne in articulo quidem mortis dari debet.*

III. *Si puer ob gulam consecratas particulas sumeret, num perciperet fructum Sacramenti?*

IV. *Quid de perpetuo amentibus, de phreneticis, semifatuis, & stolidis?*

V. *Cur Eucharistia non soleat dari parvulis in Paschate ante circiter decennium, dari vero debeat stolidis, ac semifatuis, qui debiliori usu rationis fruuntur, quam illi parvuli?*

I. DIximus art. 2., quinam præcepto divino, & quinam præcepto Ecclesiastico teneantur hoc Sacramentum suscipere: Nunc inquirendum, quinam sint hujus Sacramenti capaces? ac deinde quæremus, quænam dispositio requiratur in suscipiente ex parte animæ? & quænam ex parte corporis?

II. Certum est primo, neminem non baptizatum, ne Catechumenum quidem esse hujus Sacramenti capacem, ita ut possit sacramentaliter illud suscipere percipiendo ejus fructus, ut omnes docent contra Marsil. in 4. quæst. 6. art. 2.. Ratio est, quia ex communi sensu Theologorum Baptismus est janua Sacramentorum, & Ec-

Ecclesiæ; unde nemo potest ad alia Sacramenta pervenire, nisi per baptismum transierit; & in casu nostro non potest homo spiritualiter nutriri per Eucharistiam, nisi sit regeneratus per baptismum.

Certum est secundo, Angelos, ac Beatos esse ejusdem incapaces, juxta dicta quæst. 1. art. 7.; ubi etiam diximus, quod si adultus invitus Eucharistiam sumeret, illam non sacramentaliter, sed materialiter, & ad modum bruti susciperet; immo cum sacrilegio.

Certum est tertio, omnem baptizatum esse hujus Sacramenti capacem, ita ut si daretur Eucharistia infanti, vel fatuo a nativitate, Sacramentum non materialiter tantum susciperetur, sicut susciperetur ab infideli, vel a bruto; sed sacramentaliter, & cum fructu. Quod probatur, tum quia infantes sunt capaces Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: ergo etiam Eucharistiæ; cum ad hæc Sacramenta suscipienda nulla requiratur intentio in infantibus, ut diximus quæst. 1. art. 7.; Tum etiam, quia olim fuit antiquus usus Ecclesiæ, quod infantibus post baptismum daretur Confirmatio, & Eucharistia, ut advertunt August. Dionys. Ambros., & ex Trident. sess. 21. cap. 4.: quamvis ob reverentiam tanto Sacramento debitam, talis consuetudo, quæ tunc erat laudabilis ob multas Ecclesiæ persecutiones, unde etiam pueri debuerant Sacramentis confirmari, nunc merito sublata sit, ita ut non liceat infantibus carentibus usu rationis Sacramentum Eucharistiæ dare, ne in articulo quidem mortis ex tacito Ecclesiæ præcepto (ut docent communiter Doctores cum Tamb.) fundato in consuetudine Ecclesiæ, quæ videtur approbata in Rituali Romano. Nihilominus ex Lugo disp. 13. num. 44. non obligat talis consuetudo cum tanto rigore, ut non possit dari Eucharistia infantibus, de quibus dubitatur, an usum rationis habeant. Etenim cum iis possit dari extrema Unctio (ut declaratur in Rubricis Ritualis Romani) quamvis non sint capaces illius Sacramenti, qui usum rationis nunquam habuerunt (cum enim non potuerint peccare, non potest illis dari Sacramentum institutum ad delendas reliquias peccatorum) a fortiori poterit illis dari Sacramentum Eucharistiæ, cujus infantes sunt capaces: Immo deberet iis conferri in articulo mortis post septimum annum ante decimum, quando solent esse obligati ad Communionem paschalem; Sicut debet iis dari extrema Unctio: ut communius docent contra Vasqu. de Eucharistia disp. 144. n. 41., & Hurt. disp. 10. diff. 4. apud Tamb. c. 5. §. 8.

III. Dubitatur, Num reciperet gratiam Sacramentalem infans, qui casu hostiam, vel vinum consecratum inveniret, & ob gulam sumeret?

Videtur gravissimis Doctoribus id concedendum, eo quod ad suscipiendum fructum hujus Sacramenti nulla requiratur in infantibus intentio actualis, aut virtualis, aut habitualis.

Neque dicas, quod ad conferenda Sacramenta infantibus requiratur in Ministro intentio illa conferendi, quæ non haberetur in casu. Nam id gratis asseritur; si enim adultus potest sacramentaliter Eucharistiam suscipere, etiam Aquila illam ministrante, in qua nulla potest esse intentio conferendi Sacramentum; quare infantes si ab Aquila etiam reciperent particulam, non reciperent illam sacramentaliter? Quod si particula collata infanti a bruto causat effectus suos, etiam causabit, si casu, vel ob gulam ab infante sumatur.

IV. Certum est quarto, Amentes, qui nunquam habuerunt usum rationis, habendos esse tanquam infantes, ita ut capaces quidem sint hujus Sacramenti, illis tamen ministrari non debeat, ne in articulo quidem mortis, ut diximus art. 2. num. 9. Amentibus vero, & Phreneticis, qui aliquando habuerunt usum rationis, danda est in articulo mortis Eucharistia, sicut & Extrema Unctio, si non constet fuisse ante amentiam, ac perseverasse in aliquo peccato notorio, & non sit periculum irreverentiæ; quia censentur interpretative hæc Sacramenta petere.

Nec est eadem ratio de Sacramento pœnitentiæ, ac de istis Sacramentis. Nam ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur dolor, tamquam pars constitutiva illius; unde si non doleant, nec dent signa saltem dubia doloris, non potest illis conferri absolutio; quia tamen dolor in confessione requisitus non necessario debet procedere ex intentione confessionis, ut putat Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 2. apud Tamb., ideo concedunt multi, quod moribundo, qui christiane vixit, possit dari absolutio sub conditione, etiamsi Sacramentum pœnitentiæ non petierit, dummodo det aliqua signa saltem dubia doloris, quia unusquisque Christianus præsumitur velle in articulo mortis Sacramentis Ecclesiæ muniri, & hæc intentio satis est ad valide Sacramenta suscipienda. Adde, quod quamvis communiter velint dolorem debere facere unum moraliter cum confessione (ut si quis hodie doleat proponens cras confiteri, & dolorem non revocet) ex Leand. tamen de Sacram. tract. 5. disp. 7. art. 6., ubi citat Hurt., & Candid., ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum satis est dolor, qui per quodcumque spatium longi temporis præcessit, dummodo non sit retractatus, ne implicite quidem. Quidquid sit de hac sententia, quam in tractatu de Pœnitentia discutiemus, certe ex ea sequitur, quod moribundus possit Sacramentum Pœnitentiæ suscipere, si minus vi doloris, quem actu habeat, & cujus det aliqua signa, tamen vi doloris antecedentis. Propterea Navar. probabiliter docet apud Tamb. hic cap. 5. §. 9., quod infirmo alienato a ratione possit dari absolutio

sub conditione, & Eucharistia; etiamsi obstinatus in mortali multo tempore vixisset, & per multos annos non confessus fuisset, dummodo det aliqua signa doloris, verbi gratia, tollendo manus, percutiendo pectus; &c., immo ipsa anxia respiratio aliquibus videtur esse sufficiens signum, licet dubium, doloris, si aliter non possit illum manifestare; quia sæpe contingit, ut in articulo mortis homo doleat, nec possit aliter signa doloris exprimere. Unde fit etiam, hujusmodi signum non esse duntaxat dubium, sed probabile, & prudens: quia universim etiam peccatores, quando advertunt instare mortem, solent saltem atteri de peccatis; & ideo ex communiter contingentibus pene præsumi potest, quod talis moribundus doleat, & sic sine scrupulo dari illi potest absolutio sub conditione, & Sacrum Viaticum.

Rogabis; utrum etiam hujusmodi amentes gratiam, & fructum Eucharistiæ reciperent, si casu hostiam consecratam invenirent, & illam sumerent?

Respondeo, quod perpetuo amentes, quia reputantur ut pueri, fructum Sacramenti reciperent, prout diximus de pueris; At qui habuerunt aliquando usum rationis, in articulo quidem mortis fructum Eucharistiæ perciperent, non vero quando casu hostiam consecratam sumerent. Ratio est, quia cum requiratur in adulto intentio aliqua, saltem habitualis, suscipiendi Sacramentum ex dictis qu. 1. art. 7., amens ante amentiam, si christiane vixit, habuit quidem intentionem suscipiendi Eucharistiæ Sacramentum in articulo mortis; non tamen si casu hostiam consecratam sumeret, & ideo solum in articulo mortis Eucharistia sumeretur sacramentaliter, & cum fructu; Quando vero casu illam sumeret, non reciperet cum fructu: Ad eum modum, quo si homo mentis compos hostiam sumit, quam nescit esse consecratam, non sumit illam sacramentaliter, & cum fructu, sed solum materialiter. Quod si contingat, amentem ante amentiam habuisse voluntatem expressam suscipiendi Sacramentum Eucharistiæ, etiamsi casu hostiam consecratam sumeret, puto, quod in hoc casu fructum Sacramenti reciperet: Et eadem est ratio, si homo mentis compos habeat voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, quoties Eucharistiam sumeret cum ignorantia invincibili, quod esset consecrata.

Demum amentibus, qui habuerunt aliquando usum rationis, non solum in articulo mortis danda est Eucharistia, sed Villal. & Tamb. cap. 4. sect. 1. probabiliter putant, quod possit illis aliquoties extra mortis articulum concedi; præsertim si retineant reverentiam huic Sacramento, ut solent Religiosi, qui incidunt in amentiam; idque multo magis si luce aliqua rationis aliquando fruantur. Immo Henr. lib. 8. cap. 42. art. 3., & 4. putat semifatuis debere in Paschate dari Eucharistiam, & Jo: Sancius apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 79. posse illis ministrari, quoties petierint, quia si non committitur irreverentia communicando illos in Paschate, nec si communicent extra tempus paschale. At Januarius part. 1. resol. 17. apud Tamb. docet non esse illis sæpe dandam, ne ex frequentia concipiant irreverentiam; Et idem dicas de mutis, & Surdis a nativitate, & de Stolidis, ac iis, qui debili rationis usu pollent.

V. Dices; non est universim danda Eucharistia in Paschate parvulis ante circiter decennium, quia non habent perfectum rationis usum: ergo a fortiori non est danda stolidis, ac semifatuis, qui usum rationis debiliorem habent, quam isti parvuli.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est ex Tamb. loc. citat., & Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 8. num. 12., quia in parvulis est spes perfectioris judicii, quando poterunt reverenter Eucharistiam recipere, ut præcipitur in cap. *Omnis utriusque sexus*; At cum semifatui non sperentur meliorandi, semper deneganda iis esset Eucharistia, quod pia mater Ecclesia non patitur.

ARTICULUS VII.

De dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita.

I. *Quanta sit peccati gravitas communicare in statu peccati mortalis?*

II. *Num sit culpa venialis ad Eucharistiam accedere cum culpis venialibus non retractatis?*

III. *Obligatur Sacerdos quamprimum post missam confiteri, si deficiente copia Confessarii celebravit cum sola contritione de mortali, quod erat in conscientia, necessitate urgente.*

IV. *Num dicatur esse necessitas sufficiens ad sic celebrandum, ut satisfiat præcepto de Missæ audienda in die festo?*

V. *Quænam universim censenda sit urgens necessitas celebrandi non præmissa confessione?*

VI. *Ad quid tenetur, qui habens peccata reservata simul, & non reservata, nequit adire Superiorem, sed habet copiam Confessari inferioris?*

VII. *Num liceat simplici Sacerdoti absolvere a mortalibus indirecte?*

VIII. *Qui post confessionem recordatur alicujus mortalis, teneturne de novo ante Communionem confiteri?*

IX. *Quid si quis recordetur peccati dubii, sive dubietas sit positiva, sive negativa.*

X. *Quandonam liceat peccatori communicare neque Confessione præmissa, neque contritione?*

XI. *Num liceat Laicis communicare quotidie?*

I. AD

I. AD Eucharistiam sumendam multa requiruntur, tam ex parte animi, quam ex parte corporis, ut digne, ac cum debita reverentia sumatur. Integra isthæc dispositio continetur in iis duobus versibus.

Lotus, discretus, sanus, jejunus, & aptus,
Contritus, fassus, mundus, recteque paratus.

Nam suscipiens hoc Sacramentum, Primo debet esse *lotus*, idest baptizatus; Secundo *Discretus*, idest habere annos discretionis; Tertio debet esse *Sanus*, unde arceantur infirmi, in quibus ob frequentes vomitus, aut tussim timeretur irreverentia erga Eucharistiam; Quarto debet esse *Jejunus:* Quinto *Aptus*, nam per excommunicationem, vel Interdictum personale homo redditur ineptus ad Eucharistiam; Sexto, *Contritus*, hoc est sine conscientia peccati mortalis; Septimo, *Fassus*, peccator enim non satis est, si conteratur, sed debet etiam præmittere communioni confessionem. Octavo, *Mundus*, idest non pollutus. Demum *Recte paratus*, idest devotus, & attentus. Agemus hic de dispositionibus istis, quæ pertinent ad animam, deinde de iis, quæ ad corpus pertinent. Est autem dispositio ex parte animæ, quod suscipiens sit baptizatus, quod habeat intentionem suscipiendi Sacramentum, quod non sit excommunicatus, aut personaliter interdictus, &c., quod sit contritus, & confessus.

Quæritur nunc primo, Quanta sit culpæ gravitas accedere ad communionem cum mortali?

Respondeo, esse sacrilegium contra virtutem Religionis; relate ad quam in tertio gradu, seu ordine constituitur a D. Th. In primo enim gradu sunt peccata contra Divinitatem, v. g. odium Dei, blasphemia, perjurium, apostasia, hæresis, desperatio. In secundo gradu peccata commissa contra Christi humanitatem in propria specie, ut peccatum crucifigentium Dominum. In tertio peccata commissa contra Christum in aliena specie, seu contra hoc Sacramentum, videlicet indigna ejus susceptio; In quo etiam genere, unum peccatum est gravius alio; nam v. g., gravius est conculcare, aut projicere canibus hoc Sacramentum, quam indigne suscipere; At gravius est secundum se indigne suscipere Eucharistiam, quam homicidium, quia hoc est contra virtutem justitiæ, illud contra virtutem religionis, quæ est præstantior; quamvis homicidium per accidens ratione damni irreparabilis reputetur gravius. Universim tamen cæteris paribus est gravius peccatum, quod est contra virtutem præstantiorem: at si non sint cætera paria, potest esse gravius peccatum, quod est contra virtutem minus præstantem: Sic gravior est fornicatio, quam parvum furtum, licet furtum sit contra virtutem præstantiorem.

Notat hic Ledesm. apud Trull., quod Sacerdos celebrans in mortali multis titulis sacrilege peccet, videlicet, quia consecrat, offert Sacrificium, ministrat sibi, & accipit Sacramentum, recitat Epistolam, & Evangelium indigne; quia tamen omnes istæ actiones faciunt unum moraliter, & procedunt ab eadem specie irreverentiæ, quod indigne tractetur hoc Sacramentum; ideo unum moraliter sacrilegium censentur: Quamvis alii apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 24. putent esse plura peccata, eo quod aliud sit suscipere indigne, aliud indigne ministrare Sacramentum, aliud offerre Sacrificium indigne: Eodem modo Suar. disp. 66. sect. 1. apud Tamb. in Method. Commun. lib. 1. cap. 1. §. 3. docet esse duo peccata, si quis, v. g. communicet cum excommunicatione, aut non jejunus, alterum contra præceptum naturale, ne Sancta indigne tractentur, alterum contra Ecclasiasticum, ne excommunicatus, aut non jejunus cum mortali ad Eucharistiam accedat. Hurt. tamen disp. 9. de Euch. diff. 1. docet esse unum peccatum, quia duo illa præcepta procedunt ex eodem motivo religionis, seu reverentiæ debitæ Christo.

II. Quæritur secundo, an sit veniale accedere ad Eucharistiam cum veniali?

Respondeo, certum esse, quod si quis accedat ad Eucharistiam ob finem venialiter malum, v. g., ob vanam gloriam, peccet venialiter. Dubium tamen est, an peccet de novo venialiter, qui accedit ad Eucharistiam, vel cum venialibus non prius retractatis, vel cum actuali affectu ad aliquod veniale? Suar. loc. citat. sect. 4., & Lugo disp. 14. sect. 2. affirmant, quia irreverentia venialis est cum hujusmodi maculis, quasi cum veste nuptiali aliqualiter sordida, tanto convivio interesse. At negat Vasq. disp. 207. num. 18. cum Joan. Sanc., & Sa; quia ex una parte per veniale non impeditur præcipuus effectus hujus Sacramenti; ex altera parte non tenetur homo ex reverentia debita huic Sacramento disponere se ad illud cum omnibus actibus, quos potest elicere. Quare sicut non peccat venialiter, qui non procurat omnem effectum, quem causare potest Eucharistia cum omnibus actibus intensissimis. quos potest elicere; ita nec videtur peccare venialiter, qui ad illud non se disponit removendo ab anima omne veniale. Utraque sententia videtur probabilis Tamb.; Sed prima mihi videtur probabilior: Communiter enim Doctores docent esse veniale ad Eucharistiam accedere, etiam cum sola voluntaria distractione; verbi gratia, si quis, dum communicat, mente agitat profana negotia: quia censetur non levis irreverentia tantum hospitem sic suscipere; a fortiori itaque erit veniale cum venialibus non re-

retractatis illum quasi in domum conspurcatam suscipere, & multo magis si cum affectu habituali ad veniale; nam si esset cum actuali affectu ad veniale, nemo dixerit, quod novum veniale sacrilegium non committeret propter irreverentiam: Præsertim, quia ponit obicem aliquibus effectibus, quamvis non præcipuis hujus Sacramenti, videlicet eorum remissioni, fervori charitatis, & spirituali dulcedini; ut notat Laym. apud Dian. p. 3. tract. 7. resol. 31.

III. Quæritur tertio, An conscius sibi peccati mortalis teneatur Eucharistiæ præmittere etiam confessionem Sacramentalem?

Respondeo affirmative. Ita Trid. sess. 13. c. 5. Et Suar. ex Sanctis Patribus docet, id haberi ex præcepto Christi Domini per Apostolos Ecclesiæ tradito, & expresso ab Apostolo per illa verba, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, &c. Quare ad reliqua Sacramenta sufficit, ut peccati mortalis sibi conscius contritionem præmittat; ad hoc autem Sacramentum suscipiendum debet etiam præmitti confessio Sacramentalis, idque ratione excellentiæ hujus Sacramenti præ reliquis. In eo tantum casu potest ad Eucharistiam aliquis cum sola contritione accedere, quando scilicet urgeret necessitas communicandi, verbi gratia, ad vitandum scandalum, vel periculum mortis, &c., & non adesset copia confessarii: in quo casu docet Trid., quod Sacerdos sic celebrans teneatur post Missam confiteri quamprimum, videlicet intra triduum, ut communiter Doctores explicant ex *leg. fin. cod. de Judiciis*; ubi illico dicitur fieri, quod fit intra triduum: Et damnata est ab Alex. VII. opinio illa, quam olim nonnulli docuerant apud Dian. p. 1. tr. 14. ref. *60.*; quod particula illa *Quamprimum* intelligatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur: Sicut etiam damnata est in propositione 39. opinio dicentium, quod hoc sit consilium, non præceptum; quamvis hoc præceptum solum urgeat Sacerdotes sic celebrantes, non vero solum communicantes, ut communiter etiam Doctores cum Con. docent contra Navar., & Fagund. apud Dian. loc. cit. Et ratio disparitatis est, quia cum sæpius possit accidere Sacerdoti, quod hoc pacto celebret, quam quod alter sic communicet; ideo illi tantum hoc præceptum injungendum fuit: Et quidem, ut putant Vasq., & Suar. si sic celebret, quia deest copia confessarii, non ex alio capite, puta, quia ex malitia velit confessionem omittere, vel quia habens copiam confessari non confiteatur, ne notam infamiæ incurrat, ut docet Sayr. contra Regin. apud Dian. loc. cit. ref. *61.*

IV. Nonnulli cum Vega, Rodrig., Henr., Tolet. contra Suar. Con. & alios apud Dian. p. 1. tr. 14. ref. *63.* opinantur, quod possit Sacerdos, si desit copia confessarii, præmissa solum contritione de mortali, quod est in conscientia, celebrare ad satisfaciendum præcepto in die festo de Missa audienda: verbi gratia, si iter agens non possit ab alio Sacerdote audire missam, ut mox dicemus quæsit. 5.

Neque dicas, quod præceptum non communicandi non præmissa confessione sit divinum; præceptum vero audiendi missam die festo sit Ecclesiasticum, atque adeo debeat hoc illi cedere. Nam primo probabile est ex Less., Præp., & aliis hoc præceptum de confitendo ante communionem esse solum juris humani, ex consuetudine scilicet in Ecclesia introducta: Secundo præceptum hoc expressum in Trid. est de confitendo ante communionem, nisi urgeat necessitas, & desit copia confessarii; probabile autem est obligationem audiendi missam die festo vocari sufficientem necessitatem ad communicandum cum sola contritione. Immo a Dian. loc. cit. ref. *64.* putatur etiam sufficiens necessitas ad sic celebrandum, si non possint alii aliter satisfacere præcepto de audienda missa die festo; vel si non possit aliter ipse, vel alii satisfacere præcepto communionis paschalis. Quia tamen est probabilis, imo etiam me judice probabilior sententia opposita, ideo Sacerdos ad id non tenetur, cum possit velle oppositam opinionem sequi.

V. Quæritur quarto; quænam universim dicatur urgens necessitas, qua possit aliquis communicare cum sola contritione, non præmissa confessione mortalium?

Respondeo, dici necessitatem urgentem, Primo, si alicui mors immineat; Secundo, si non sit copia confessarii, & debeat alteri dari viaticum. Quamvis enim non debeat aliquis celebrare sine sacris vestibus, aut non jejunus, aut sub una tantum specie consecrare ad dandum alteri viaticum; quia prævalet præceptum de integre, & reverenter sacrificando; potest tamen cum sola contritione Sacerdos celebrare ad dandum viaticum, si aliunde haberi non potest, quia hoc præceptum præmittendi communionem confessioni, etiamsi divinum, non videtur cum tanto rigore obligare. Tertio, si id opus sit ad vitandam infamiam, aut grave detrimentum. Unde, si quis post confessionem accessit ad altare ante linteum, ut communicet, & interim recordetur alicujus mortalis, non tenetur adire confessarium, si timeat sibi notam infamiæ; quam ex Villalob. in Manual. c. 2. moraliter semper timere potest, si coram aliis communicet. Hinc docet Zambran., quod si Sacerdos vocetur ad communicandum infirmum, qui velit prius reconciliari, & Sacerdos ob multas, verbi gratia, confessiones invalidas non possit illum brevi expedire, ad vitandum scandalum potest illum præ-

via tamen contritione communicare, cum proposito, quod advocet postmodum confessarium, cum quo integre confiteatur. Equidem tamen existimo cum Granad., quod posset illum directe absolvere a peccatis auditis, & indirecte de aliis, quæ non potest tunc exponere moraliter, præmissa solum attritione. Quarto, ut supra diximus, si Sacerdos, ut ipse, vel alii satisfaciant præcepto de audiendo Sacro, vel communionis paschalis, debeat celebrare, nec habeat copiam confessarii. Addunt alii apud Bonac. disp.4.q.6. n. 23., quod possit idem facere Sacerdos, si non possit aliter satisfacere oneribus Cappellaniæ, aut si indigeat eleemosyna. Verum id non admittitur communiter, nisi quando indigentia eleemosynæ pro Missa esset admodum gravis; nam onera Cappellaniæ intelliguntur data sub debita decentia. Certe non potest id facere Sacerdos, si debeat celebrare propter votum, quia vota non intelliguntur, nisi de iis, quæ debito modo fieri possunt. Et idem communius docent de præcepto humano. Unde censeo, probabilius esse, quod non possit Sacerdos sic celebrare, ut satisfaciat præcepto de audienda Missa, quod præceptum citra controversiam humanum est, non divinum.

Notandum hic ex Suar. disp.67. sect. 7., quod quando dicitur posse aliquis ad vitandum scandalum communicare cum sola contritione, si non habeat copiam confessarii, intelligendum sit de scandalo proprie dicto, quod ferat occasionem detrahendi, vel temere judicandi, vel proximum infamandi, &c., non vero quando solum datur causa admirationis sine scandalo, aut periculo infamiæ.

Notandum secundo cum Conink q.80.n.23., non posse assignari certam regulam, & certam distinctionem, ut confessarius dicatur alicui abesse, sed ex circumstantiis arbitrio prudentis viri id decernendum. Solum id generatim dici potest, quod tunc censeatur abesse confessarius, quando ob invaletudinem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, præsentiam aliorum, urgentia negotia, & similes causas non potest aliquis ad illum adire sine gravi incommodo.

VI. Quæritur quinto; quid faciet habens peccatum aliquod reservatum urgente necessitate communionis, si adsit confessarius, qui solum a non reservatis possit absolvere? Poteritne communicare, non præmissa confessione; an vero tenetur confiteri? Et si tenetur confiteri; Omniane peccata debet confiteri, reservata scilicet, & non reservata, an vero solum non reservata, cum onere confitendi deinde reservata Superiori?

Respondeo ex fuse dicendis in de Penitentia, triplicem in hac re esse opinionem. Prima est Jo: Sancii, Armil., Trull., Præpos. apud Dian. loc. cit. ref. 65., quod possit præmissa tantum contritione ad Eucharistiam accedere; tum quia putare potest, quod non habeat copiam confessarii, dum non adest Sacerdos, a quo possit integre absolvi; tum quia videtur grave onus eadem peccata bis confiteri. Immo sic debere fieri docet Hurt. de Pœnit. disp. 11. diff. 4., & Vasq. in 3. p. tom. 4. tr. de Excommun. dub. 4., si peccato sit annexa excommunicatio reservata, ut videre est apud Dian. 3. p. tr. 5. resol.68., quia posita excommunicatione reservata, nullam habet talis Sacerdos erga hunc pœnitentem jurisdictionem. Secunda opinio est Suarii docentis debere omnia peccata reservata simul, & non reservata illi confessario aperire, ut indirecte a reservatis absolvatur: Unde remanet onus aperiendi deinde solum reservata superiori. Nec mirum, quod possit talis Sacerdos absolvere indirecte a casibus etiam cum excommunicatione reservatis, quia sicut id potest si pœnitens oblitus esset peccati habentis excommunicationem reservatam; ita potest in hoc etiam casu indirecte absolvere. Tertia opinio Alens., Soti, & aliorum apud Dian.p.3. tr. 4. ref. 104., & Jo: Lugo apud Tamb. in Meth. Commun. c. 1. §. 6. docet, posse hunc aperire solum peccata non reservata, quia cum non possit talis confessarius absolvere a reservatis, istorum confessio ad aliud non erit utilis, quam ad diffamandum se cum tali confessario. Quod confirmatur, quia ex Suar. de Pœnit. dis. 23. Granad., & aliis apud Tamb., qui habet reservata simul, & non reservata, potest cum inferiori confiteri tantum non reservata, ob id solum, ne multum differat confessionem, aut communionem; tum quia longa mora videtur necessitas; tum quia est periculum moriendi in peccato; ergo a fortiori in casu nostro. Non dicitur tamen longa mora, si debeat expectare paucos dies; Nec est audiendus Mendoza apud Dian. p. 5. tract. 13. resol. 8. putans esse longam moram etiam unam noctem, eo quod in ea sit aliquod periculum moriendi. Omnes istæ tres opiniones reputantur probabiles a Filliuc., sed opinio Suarii videtur sequenda.

VII. Dices: si habens non reservata, & reservata cum excommunicatione, deberet confiteri omnia Sacerdoti inferiori, urgente necessitate communionis, ut directe a non reservatis, & indirecte a reservatis absolvatur, sequeretur quod habens venialia simul, & mortalia, præsente solo simplici Sacerdote, & urgente necessitate communionis, deberet etiam huic simplici Sacerdoti aperire venialia, & mortalia, ut directe a venialibus, erga quæ ille habet jurisdictionem, indirecte a mortalibus absolvatur; quod tamen videtur absonum.

Respon-

Respondeo primo, quod si transmittatur sequela, non debeat videri absurda, cum ex paritate adducta legitime sequi videatur: illamque admittit tamquam probabilem Lugo disp.14. de Euch. n. 98. ex Con., & Suar. Respondeo deinde secundo, negari posse sequelam; disparitas esse posset ipse usus Ecclesiæ; non enim datur consuetudo hujus secundi casus, sicut datur primi; & ideo dici potest, quod Ecclesia, quæ reservat aliquem casum, vel excommunicationem, sicut non reservat illam in casu, quod pœnitens obliviscatur talis peccati, ita nec in casu adducto, quod urgeat necessitas communionis. Contra vero in secundo casu non dat simplici Sacerdoti Ecclesia jurisdictionem in mortalia, ne indirecte quidem; præsertim quia non vult a simplici Sacerdote exerceri munus Confessarii. Et Innoc. XI. decrevit puniendos esse simplices Sacerdotes, si id præsumant.

VIII. Quæritur sexto: si quis rite confessus, oblitus sit alicujus mortalis, cujus recordetur, antequam communicet, teneturne illud subjicere clavibus ante Communionem, ut absolvatur directe, an poterit deinde illud subjicere clavibus, & interim communicare?

Respondeo, Henr. l. 8. c. 46. n. 3. Victor., & Navar. c. 21. n. 49. apud Trull. hic c. 6. disp. 4. n. 13., docuisse, quod si laicus post confessionem positus ad linteum altaris recordetur alicujus mortalis, non teneatur redire tunc ad confessarium etiam præcisa nota, & scandalo ob reverentiam Sacramenti. Præterea Regin., & Præposit. apud Pellizz., & Dian. p. 9. tr. 3. ref. 4., docuerunt, quod universim non teneatur redire ad confessarium ante communionem, qui post confessionem legitimam oblitus est alicujus mortalis, quia jam probavit se confessione, & in statu gratiæ accedit ad Eucharistiam, cum remissum sit indirecte peccatum illud oblitum; unde satis est, quod illud peccatum clavibus subjiciat, quando iterum suo tempore confitebitur, ut directe absolvatur.

Verum hæc opinio Regin. male audit: obstat enim praxis Fidelium, ex qua, ut notat Lugo disp. 14. sect. 6. n. 126., colligitur, præceptum de confessione præmittenda Communioni non esse solum de Confessione integra formaliter, sed etiam materialiter: Proinde talis opinio Corney expuncta fuit in Indice expurgatorio Hispano, ut refert Dian. loc. cit. & per Edictum particulare reprobata. Admittit tamen Tamb. in Meth. Commun. c. 1. n. 63. opinionem laudatam Henr., & Victor. apud Fagund. de 3. Ecclesiæ præcepto l.3.c.9. n. 14., quod si Sacerdos dum actu celebrat, & laicus dum ante linteum expectat, recordetur alicujus mortalis, non teneatur redire ad confessarium, etiamsi possit sine ulla nota adire, & brevi redire, quia irreverenter videtur se gerere, relinquendo actionem illam quasi inchoatam sine clara necessitate; sicuti non bene morate se gerit, qui assidens in mensa Regis, vel ad breve tempus recederet sine necessitate urgenti; in casu autem nostro nulla videtur esse necessitas, quia hic est vere justus, & bene dispositus propter absolutionem indirectam talis peccati: unde nec tenetur de eo contritionem elicere ante communionem: Quare satis videtur, si proponat illud suo tempore clavibus subjicere, ut directe absolvatur. Huic tamen sententiæ non libenter astipulor, cum supponamus sine ulla nota posse pœnitentem adire Confessarium, ut exponat peccatum grave oblitum, siquidem hic magis reverenter erga Christum Dominum se gerat, quam si confessiones differat.

IX. Quæritur septimo; Utrum peccata etiam negative dubia subjici debeant clavibus ante communionem, an satis sit de illis conteri, si forte sint commissa?

Respondeo, hoc pendere ex illa quæstione, an hujusmodi peccata necessario subjicienda sint clavibus? ni enim detur ista obligatio, procul dubio ante communionem subjicienda sunt: secus vero, si talis obligatio non detur. Certum est, quod si per rationes probabiles dubium deponatur, vel quia probabile est peccatum illud aut simpliciter non esse commissum, aut non cum plena deliberatione; vel quia probabile est jam esse confessum; licet oppositum sit probabilius, ad id non obligetur; Sicut nec si per ignorantiam invincibilem quis putet se ad id non obligari. At si dubium sit omnino negativum, communior sententia docuit obligari ad ea clavibus subjicienda; sicut omnes concedunt debere nos de iis conteri, ne exponamur periculo æternæ damnationis: Ea autem obligatio erui videtur ex praxi Ecclesiæ, quæ institutionem Christi Domini nobis manifestat. Non desunt tamen plures, qui nos a tali obligatione eximunt, eo quod non constet de ea, & in tali dubio melior est conditio pœnitentis: præsertim quia pro delicto dubio non debet homo ad tale onus certum condemnari. Ita apud Tamb. in Meth. Confes. l. 2. c. 1. §. 3. Januarius, Conink de Sacram. Pœnit. disp. 7. dub. 8. Marchant., Martin., Boss., & alii apud Dian. p. 10. tract. 12. res. 2., & tr. 16. res. 79. Equidem in tractatu Scholastico de Pœnitent. disp. 4. qu. 3. ar. 2. fuse id pertractans censui dicendum, quod peccatum positive dubium sumptum pro peccato, quod probabiliter est commissum, ita ut non detur solida probabilitas in oppositum, sit materia necessaria confessionis, quia talis probabilitas est quædam moralis certitudo; non esse vero materiam necessariam confessionis peccatum negative

ve, seu suspensive dubium; Et juxta hanc distinctionem respondendum est quæsito præsenti.

X. Quæritur octavo, An liceat in aliquo casu cum mortali Eucharistiam sumere, non præmissa contritione?

Respondeo, in duplici casu, ut notant Doctores, id licere. Primo, si irruente, verbi gratia, Paganorum, vel Hæreticorum turba in Ecclesiam timeretur contemptus Eucharistiæ, tunc quilibet, etiam non jejunus, & in mortali existens teneretur ad vitandum hanc injuriam assumere Eucharistiam, etiamsi in tam subita irruptione non posset actum contritionis elicere. Secundo, si Sacerdos post missam inceptam recordaretur mortalis a se commissi, nec posset actum contritionis elicere, nec confiteri, probabile est ex Vasq., Hurt., apud Tamb., quod possit missam prosequi cum eo dolore, quem potest tunc elicere; quia præceptum digne communicandi non videtur tam rigide obligare, ut cogat Sacerdotem cum magno suo dedecore ab incepto Sacrificio desistere. Et idem dicitur de laico, qui ante linteum positus recordatur mortalis, nec potest conteri, nec sub aliquo prætextu sine magno dedecore recedere. Quinimmo Sacerdos post consecrationem hostiæ teneretur Sacrificium perficere, si non posset intra tempus competens se colligere, & contritionem excitare; cum non possit relinquere Sacrificium imperfectum: Debet proinde, consecrato pane, fieri consecratio Calicis, quæ est pars essentialis Sacrificii; nec potest omitti consumptio, quia saltem est pars integralis. Ante consecrationem vero teneretur desistere, si posset sine infamia: Et ex Tamb. c. 1. §. 9. non videtur obligandus ad simulandum deliquium, vel quid simile, quia remedium hoc est nimis extraordinarium, & multis inconvenientibus subjacet.

XI. Quæritur ultimo, an possit laicus secundum se esse apte dispositus ad quotidianam Communionem, ita ut illi permittatur, aut isthæc frequentia suadeatur?

Respondeo affirmative; novimus enim id factitatum esse a D. Catharina, aliisque. Et ratio est, quia nusquam prohibetur, ne uxoratis quidem, quotidiana Comunio. Verum propter reverentiam Christo debitam, communius Doctores existimant, non esse quotidianam communionem suadendam iis, qui cum parvo devotionis affectu ad illam accedunt; quia talis frequentia, quamvis augeat gratiam, minuere tamen videtur reverentiam Sacramento debitam. Innoc. XI. in suo Decreto de quotidiana communione voluit, ut hac de re quilibet suum confessarium consuleret, qui spectato statu, ac conditione personæ coram Deo judicet, quid facto opus sit. Conink q. 8. ar. 10. docet judicium prudentissimum hominum, ac praxim fidelium esse, ut laicis, qui a mortalibus abstinent, suadeatur communio semel per hebdomadam, etiam uxoratis, si velint diligenter ad id se præparare; Aliis vero, qui a mundo abstracti continentem vitam agunt, potest etiam in festis per hebdomadam occurrentibus concedi: aliisque magis devotis frequentius; Sacerdotibus tamen conceditur quotidianum Sacrificium, quamvis non apte se ad illud facile præparent, quia Sacrificium offertur Deo nomine publico, & ordinatur ad bonum publicum, cui ex opere operato prodest, satisfaciendo pro peccatis tam nostris, quam animarum purgatorii, & gratias Deo agendo pro innumeris erga nos beneficiis, & innumera nova beneficia impetrando.

ARTICULUS VIII.

De Dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita.

I. *Corporis dispositio fert habitum decentem. Equites Religiosi non debent gladium deponere, dum communicant. Lepra reddit Sacerdotem irregularem propter horrorem circumstantium.*

II. *Pollutio nocturna quandonam impedit communionem?*

III. *Pollutio voluntaria, ac fornicatio quamdiu post confessionem impediat Communionem?*

IV. *Jejunium naturale excludit materiæ parvitatem; Musca si casu trajiciatur, veluti per modum salivæ, non frangit jejunium naturale, secus vero si de industria. Sicut sanguis e gingivis effluens trajicitur per modum salivæ, secus vero, si e digito vulnerato sugatur.*

V. *Quid de auro, creta, cera, nuce avellana, & similibus?*

VI. *Quid de saccharo vespere ori imposito ad leniendam raucedinem?*

VII. *Quid de Herba sancta, seu tabaco, quod sive in pulvere, sive in fumo sumatur, sive ore in folio?*

VIII. *Qui post prudens examen adhuc dubitat, num jejunium naturale violaverit, probabiliter potest communicare.*

IX. *Connumerantur plures casus, in quibus licitum est a non jejuno communicare.*

I. PRæter sanitatem tam mentis, de qua jam diximus, quam corporis, ne forte aliquando vomitus, aut tussis irreverentiam creet, requiritur, ut corpus suscipientis Eucharistiam sit mundum, hoc est non pollutum, & quod is jejunaverit a media nocte. Debet etiam cum eo habitu, & dispositione corporis ad Euchari-

ſtiam quilibet accedere, quam conſuetudo locorum poſtulat, ut cum decentia, animi humilitate, reverentia, & devotione ſuſcipiatur. Concilium Bracarenſe ſub pœna excommunicationis præcepit, ut Sacerdotes communicaturi induerent ſtolam in modum crucis ad pectus: Communiter tamen docent cum Suar. diſp. 88. non dari ad id obligationem ſub gravi, quia uſu tale decretum aut videtur abrogatum, aut non cum tanto onere receptum. Conſuetudo etiam deponendi gladium videtur ſolum obligationem decentiæ habere, non peccati aut irreverentiæ. Quamvis Equites religioſi, videlicet S. Jo: S. Jacobi, Alcantaræ non debeant illum deponere, quia eſt eorum inſigne ad pugnandum pro fide. Lepra reddit Sacerdotem irregularem, impeditque, ne celebret, preſertim publice, propter horrorem circumſtantium, ex cap. *Tua nos*, *de Cler. ægrotante;* ſed non impedit communionem privatam.

II. Quæritur nunc primo, Quænam pollutio nocturna impediat communionem?

Reſpondeo, & dico primo, quando quis paſſus eſt pollutionem involuntariam, ita ut nullum omnino ejus effectum ſentiat, poteſt licite communicare; quia, ut notat Con. perinde ſe habet, ac ſi illa non fuiſſet. Si vero reliquerit commotionem carnis, vel evagationem mentis circa hujuſmodi res, quamvis Ledeſm. putet cap. 13. de Euch. eſſe veniale communicare, at communius docent ſolum conſultius eſſe a communione abſtinere, quouſque talis effectus durat; quia videtur indecens ſic accedere ad fontem puritatis, & facile aliquod veniale committitur in tali paſſione repellenda: Si tamen rationabilis cauſa communionem exigeret, non eſt curanda talis commotio, quamvis debeat patiens pro virili illam repellere, & devotionem excitare; tunc præſertim, quando Dæmon illam excitavit, ut hominem a communione averteret; in hoc enim caſu, ut docet hic D. Th. nullatenus communio eſt omittenda.

Dico ſecundo; Conjuges poſt copulam noctu habitam eodem modo gerere ſe debent, ac qui involuntarie pollutus eſt: non enim peccant, ſi mane ad communionem accedant: Quamvis conſultius ſit communionem differre, ſi effectus copulæ, & evagatio mentis ad talem actum perſeverat in eo, qui ad exercendum actum juſtitiæ reddit debitum, aut in eo, qui ex recto fine petiit debitum: Qui vero petiit debitum ſolum voluptatis cauſa peccando venialiter, ſub veniali obligatur communionem differre, ut cenſent Suar. Sanch. lib. 9. de Matrim. diſp. 13. Con. Trull. cum ſit parum diſpoſitus ad tractandas res divinas; niſi forte magna devotio præteritam culpam abſtergat, aut alia juſta cauſa ſubſit; qualis cenſetur eſſe ſolemnitas feſti, dies jubilæi, periculum levis ſcandali, aut admirationis; tunc enim conari debet cum magna devotione, & contritione ad Euchariſtiam accedere.

III. Dico tertio: Poſt voluntariam pollutionem, vel fornicationem debet homo a fortiori ſub veniali per diem abſtinere a communione, etiam poſita contritione, & confeſſione, ut communius Doctores docent cum D. Th. Suar. Bonac. contra Con. Azor. Trull. apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 30. quia indecens eſt, ut pollutus, præſertim per tale peccatum ſumme contrarium Chriſto Caſtitatis Auctori, & quod maxime impedit devotionem, etiamſi lotus ſit per pœnitentiam, ſtatim ad menſam tanti Principis aſſideat; niſi tamen, ut ſupra diximus, juſta cauſa ſtatim communicandi ſubſit judicio prudentis confeſſarii.

Navar. de Pœnit. diſt. 6. cap. 1. putat, eſſe mortale ad Euchariſtiam ſtatim accedere poſt quodcumque mortale commiſſum, etiamſi de illo homo ſit rite confeſſus. Verum quamvis Doctores ſuadeant communiter confeſſariis, ut differant iis, qui immediate ante peccarunt, communionem: negant tamen eſſe mortale, ſi ſtatim ad Euchariſtiam accedant, præmiſſa confeſſione. Trident. ſeſſ. 13. cap. 5. docet digne, & ſancte ad Euchariſtiam accedere illum, qui conſcius peccati mortalis ſe per confeſſionem probaverit: Ex qua authoritate Jo: Sancius diſp. 23. num. 30. putat inferri, quod forte nec venialiter peccabit, ſi poſt peccatum carnale homo ſtatim ad Euchariſtiam accedat, præmiſſa confeſſione. Quomodo enim, inquit Sanch. digne, & ſancte accederet, ſi venialiter peccaret; Sed id non bene infertur; nam Concilium ſolum vult definire, quod ſine culpa mortali accedere poſſit ad Euchariſtiam, qui poſt mortale probavit ſe per confeſſionem, præſcindendo a tempore, & loco, quo quis accedit: Aliter nec peccaret venialiter, qui ad Euchariſtiam accederet ex fine leviter malo, puta ob vanam gloriam, quia Concilium dicit, digne, & ſancte accedere, qui per confeſſionem ſe probavit.

IV. Quæritur ſecundo, quænam frangant jejunium naturale requiſitum ad communionem?

Reſpondeo, violari per quamcumque modicam quantitatem ſumptam poſt mediam noctem per modum cibi, aut potus, quod fit, quando actione vitali per os trajicitur aliquod in ſtomachum, quod poſſit converti in ſubſtantiam comedenti; ſeu quod in ſtomacho alteratur, digeritur, aut pertinet ad digeſtionem.

Hinc ſequitur primo, improbabilem eſſe opinionem aliquorum apud Hurt. diſp. 9. diffic. 5. docentium in jejunio hoc, utpote Eccleſiaſtico, ſeu ab Eccleſia præcepto, non a Chriſto, dari parvitatem materiæ. Nam Concilium Tolet. 7. can.

can. 2. dicit, *Nullus post cibum, potumque, quamlibet minimum, sumptum Missas facere præsumat.* Ita communiter apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 12. Gravitas autem materiæ non desumitur a minima illa parte cibi, vel potus, quæ sumitur, sed ab ipsa Eucharistia, quæ prohibetur sumi post comestionem quamcunque, aut potum modicissimum, ut advertit Suar. disp. 96. (*a*).

(*a*) „ Vide Benedictum XIV. *de Syn.* „ *diœces. Lib. 6. c. 8. n. 11.*

Sequitur secundo, non violari jejunium, si saliva, aut aliquid per modum salivæ deglutiatur. Dicitur autem per modum salivæ trajici a Granad. minimum, quod inadvertenter trajicitur; Et ab Henr. si musca, aut culex in os apertum casu intraverit. Rodriq. putat aquam ad captum putaminis avellanæ inadvertenter deglutitam, dum os abluitur, censeri trajectum per modum salivæ; Dissentit tamen jure merito Granad. apud Dian. loc. citat. ubi docet, rem hanc restringendam potius, quam dilatandam; si quis tamen muscam, aut culicem de industria comederet, aut potens expuere, vellet trajicere, procul dubio violaret jejunium naturale, ut notat Lugo disp. 15. num. 33. quia id non trajicitur per modum salivæ. Nec obstat, quod involuntarie ab extrinseco venerint: Nam si quis involuntarie in puteum cadens aquam trajiciat in stomachum, non propterea erit jejunus.

Sequitur tertio, ex Lugo n. 23. apud Tamb. quod si sanguis, vel humor ex capite descendens, vel e gingivis in magna quantitate deglutiatur, non frangatur jejunium; quia non habet rationem potus, cum non eveniat ab extrinseco: Contra vero, si quis guttam sanguinis e suo digito, verbi gratia, vulnerato sugat, jejunium frangit; quia per modum potus assumitur. Docet etiam Tamb. ex Suar. quod aliquantulum aquæ attractæ per nares non frangat jejunium, si per modum attractionis, & afflationis narium deglutiatur; secus vero, si in magna quantitate.

V. sequitur quarto, frustum ligni solidi, monetam auream, vel alterius metalli fragmentum, necnon frustum unguis, ossiculum sive fructuum, sive alterius generis, filum ex ferro, vel serico, vel lana, non violare jejunium, etiam in magna quantitate, cum non sit cibus: Neque enim in stomacho etiam valido alterantur, sed eodem modo, quo trajiciuntur, egeruntur cum excrementis. Contra vero papyrus, & filum ex lino videntur frangere jejunium naturale, quia originem ducunt ex herbis, quæ digeruntur. Ita Tamb. contra Ledesm. & Dian. part. 3. tract. 7. resol. 38. Neque enim obstat, quod papyrus non sit cibus humanus: Nam neque palea, & fœnum est cibus humanus, & tamen frangunt jejunium, quia in substantia sunt herbæ, quæ digeruntur; & talis est etiam papyrus, & filum de lino. Eadem ratione frangit jejunium terra, seu creta, quæ a fœminis comeditur propter delectationem, aut propter minuendum colorem; nam sicut lapis Bezzuar, & terra Cypria frangunt jejunium, quia habent rationem cibi medicinalis: ita talis creta; & a fortiori aromata, si deglutiantur: At si quis ori imponat aromata ad vitandum aerem noxium, & ea dentibus conterat, & expuat, non impediunt communionem; licet aliquod minimum per modum salivæ imprudenter, & non de industria deglutiatur, ut dictum est. Cera etiam videtur eodem modo frangere jejunium; quia videtur magis alterabilis, quam talis creta, cum sit aliquibus partibus mellis immixta, ut notat Tamb. contra Lugo disp. 15. sect. 2. apud Summam Dianæ.

Dices: Cera, & talis creta in magna quantitate non solvunt jejunium Ecclesiasticum, quia non nutriunt, nec sumuntur per modum cibi; ergo neque solvunt jejunium naturale: E converso aurum fit potabile, & adhibetur in medicamentis: ergo solvit jejunium naturale.

Respondeo; ad hoc ut solvatur jejunium naturale, satis est, quod aliquæ tantum partes sint nutritivæ; quod habetur in cera immixta partibus mellis, & in illa creta, quæ cum sumatur delectationis causa a fœminis, signum est, quod habeat admixtas partes nutritivas; Quod si in magna copia sumantur, nunquam habebunt tantas partes nutritivas, ut possint solvere jejunium Ecclesiasticum. Aurum potabile, concedo, quod frangat jejunium naturale, quia in minutissimas partes contusum potest alterari; contra vero si sumatur integrum.

Si quis avellanam, vel pineam nucem deglutiat cum cortice, Jo: Sanch. putat, quod frangat jejunium naturale, quia quamvis integra egeratur, est tamen de se alterabilis, & per accidens ratione corticis non digeritur. Verum hoc non libenter admittit Tamburinus.

VI. Circa Saccharum, quod imponitur ori, non est eadem ratio, ac de aromatibus; quia aromata cum non liquescant, facile expuuntur, ita ut nihil illorum deglutiatur, nisi modicum quid per modum salivæ; at saccharum, & alia, quæ liquescunt, non in modica tantum quantitate per modum salivæ, sed in magna quantitate deglutiri solent, & ideo impediunt communionem, nisi statim expuantur, ut notat Con.

Quod si vesperi imponatur ori saccharum, vel quid simile, ad raucedinem pectoris leniendam, communiter cum Suar. Con. contra Tabien. apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 51. docent, quod impediatur communio; nisi moraliter certi simus, nihil ex ea materia post mediam

noctem deglutitum esse. Neque dicas, quod se habeant per modum reliquiarum cibi præcedentis. Nam, ut notat Con. cum illa materia ori imponatur ex intentione, ut paulatim deglutiatur, tamdiu durat comestio, donec tota deglutiatur: Sicuti si paulo ante mediam noctem ponat quis in ore cibum, ut illum post mediam noctem deglutiat, certe eo manducato, impediretur communio: Contra vero reliquiæ cenæ præcedentis, quæ inter dentes remanserunt, reputantur juxta communem sensum, & intentionem jam deglutitæ; censetur enim cœna absoluta: Unde fit, quod si mane deglutiantur, non impediant communionem, quia casu, & per modum salivæ deglutirentur: At si de industria aliquis eas deglutiret, impediretur communio, quia sumerentur per modum cibi, ut docent Hurt. Præp. Vasq. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 104. Quamvis Tamb. & idem Dian. ob auctoritatem extrinsecam gravium Doctorum, videlicet Tabienæ, Henr. Suarii, Con. & aliorum putent probabile esse, quod neque jejunium frangant, si de industria comedantur; quia semper videntur ad cibum præteritum pertinere, dummodo non sint in quantitate sensibili, & soleant per modum salivæ trajici.

VII. Circa Herbam Sanctam, quæ Tabacum dicitur, Alphonsus de Leone putat impedire communionem, sive in pulvere, aut fumo naribus, sive in folio ore sumatur; quia semper aliquid illius trajicitur in stomachum, quod cum sit in substantia herba magis, quam sit papyrus, violabit jejunium naturale. Unde variis Conciliis provincialibus prohibitum est, ne sumatur, ne prætextu quidem medicinæ. Verum præscindendo a speciali prohibitione, Dian. part. 5. tract. 13. resol. 1. cum Præp. Tambur. Trull. docet non impedire communionem. Non violatur enim jejunium naturale, si in fumo fumatur; quia vel fumus hic non trajicitur in stomachum; vel si trajicitur, non trajicitur per modum comestionis, aut potionis, sed per modum respirationis. Nec impedit in pulvere sumptus per nares, propter eandem rationem, quia non sumitur per actionem comestivam, quæ solo ore officitur. Unde Suar. & Fagund. docent, quod si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat in stomachum, non violet jejunium naturale; quamvis violaret, si per os illam sumeret; Etenim quod per nares attrahimus, trajicitur per modum respirationis. Nec impediunt folia tabaci apposita in ore, nisi trajiciantur, idque propter eandem rationem. Nam sicut aromata ori imposita, & dentibus contrita, ut mastiche, ad vitandum aerem noxium, non violant jejunium, si nihil ex intentione deglutiatur, nisi modicum quid per modum succi inseparabiliter salivæ admixtum; ita folia tabaci, ut notat Dian. part. 8. tract. 7. resol. 3. cum aliis apud Busemb. id tamen esse indecens inficiabitur nemo (*a*).

(*a*) „ Immo etsi in stomachum trajiciatur, „ quod fere necessario evenire debet, ut mo- „ net Hecquet *Tract. de dispensat. quadrag.* „ *tom.* 2. *p.* 3. *c.* 18. non violari per tabacum „ naturale jejunium censent Zacchias *quæst.* „ *medico-legal. lib.* 9. *tit.* 7. *quæst. unic. num.* „ 33. & Card. de Lugo *Respons. moral. lib.* 1. „ *dub.* 9. *num.* 5. *& seq.* quia ejus succus, „ quamquam in stomachum dilabatur, non est „ aptus ad nutriendum, sed dumtaxat ad sto- „ machi fibras irritandas. Vide Benedictum „ XIV. *de S. D. Lib.* 11. *c.* 13.

VIII. Quæritur tertio; Qui dubitat, an jejunium naturale solverit, poteritne communicare? Verbi gratia, si sciat aliquid sacchari, quod imposuit ori vesperi, deglutitum esse, se ignoret, antene, an post mediam noctem? Quod possit communicare, qui probabiliter non fregit jejunium post mediam noctem, admittitur ab omnibus; Unde quando sunt duo horologia, quæ non certo aberrant, possum me accommodare horologio posteriori, dummodo audito primo pulsu expuam, quod est in ore. Sed quid in dubio?

Respondeo, quod si quis noctu expergefactus comedat, & mane dubitet an post mediam noctem comederit, on poterit communicare, ut docent Bard. Tamb. Croix contra Gobat; quia non potest prudenter examinare, num post mediam noctem comederit. Quod si prudenter dubites, an post mediam noctem comederis, seu an abluendo os, aliquid in stomachum trajeceris, communius pariter Doctores cum Sanch. Fagund. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 29. docent, quod communicare non possis; quia possessio stat pro præcepto. Alii tamen apud Tamburinum censent oppositum; quia putant possessionem stare pro libertate, & hanc esse priorem præcepto: Quam sententiam graves Doctores apud Croix lib. 6. num. 577. & apud Tamb. in Meth. Commun. cap. 2. num. 49. existimant probabilem; Videtur enim cuilibet liberum communicare, nisi probetur impedimentum, & nisi constet de violatione jejunii. Quinimmo præscindendo ab hac quæstione, num in tali dubio stet in possessione libertas, an præceptum; Laym. apud Dian. loco laudato putat communionem licere; quia lex Ecclesiastica de jejunio naturali non videtur tam arcte constringere conscientias in casu dubio.

Equidem in Opusculo de Conscientia dubia dixi diversimode discurrendum, quando præceptum apponit conditionem, ac quando vult abesse impedimentum; Quando imponit conditionem, debet constare de illa, ne præceptum violetur; Verbi gratia quia præceptum de non susci-

piendo Sacerdotio ante vigesimum quartum annum completum apponit conditionem, ideo nisi certus sim de tali ætate, non possum ad Sacerdotium promoveri: Contra vero, quia irregularitas est impedimentum ad Sacerdotium, possum promoveri, si dubitem, sed non constet de Irregularitate: Similiter in casu nostro est impedimentum ad communionem cibus post mediam noctem; & ideo, nisi constet de impedimento hoc apposito, stat in possessione libertas communicandi. Unde licitum est mane communicare, si solum dubites, an post mediam noctem comederis.

IX. Quæritur quarto, in quibus casibus possit non jejunus communicare?

Respondeo, posse primo in periculo mortis sumendo viaticum, quod tertio quoque die posse a non jejuno sumi, docet ex Vasq. Dian. part. 3. tract. 4. resol. 44. quamvis alii putent non posse, nisi post sex dies; alii longius hoc intervallum protrahunt. Debet tamen ex Con. moribundus propter reverentiam, si commode potest, communicare jejunus; quamvis non debeat ob id differre communionem, aut cum gravi incommodo intempesta nocte communicare ante sumptionem medicinæ, qua indiget. Utrum autem possit Sacerdos non jejunus celebrare ad dandum viaticum moribundo? Probabilius Doctores negant contra Zanard. Granad. Laym. & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 33. & part. 5. tract. 3. resol. 35. quia videtur prævalere præceptum naturale de reverenter sacrificando; sicuti in omnium sententia ex vi hujus præcepti naturalis non licet sacrificare sine sacris vestibus ad dandum viaticum moribundo. Sententia tamen opposita non videtur improbabilis, ut dicemus quæst. seq. art. *6.* num. 3. Nemo tamen dubitat, quod sicut potest moribundus sumere viaticum non jejunus; ita possit Sacerdos morti proximus non jejunus celebrare ad dandum sibi viaticum, ut docet Lugo apud eundem Dian. resol. *36.*

Secundus casus est, quando Sacerdos post consecrationem advertit se comedisse; debet enim Sacrificium perficere: Quamvis si id accidat ante consecrationem, debeat desistere, si possit sine nota; secus potest etiam non jejunus prosequi. Et idem dicas de laico posito ante linteum, ut notat Dian. part. 4. tract. 4. resol. 104. Adde, quod si post consecrationem deficiat Sacerdos, nec possit alius Sacerdos, nisi non jejunus, illud Sacrificium perficere, debet ab isto perfici; quia prævalet præceptum de integritate Sacrificii præcepto de jejunio naturali.

Tertius, si Sacerdos loco vini consecravit aquam, & illam sumpsit: Debet enim, ut supra diximus art. 3. iterum vinum, & aquam consecrare, & sumere, ut putat Scotus juxta Rubricas Missalis Clem. VIII. quamvis olim putarit D. Th. apud Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 5. juxta Rubricas Missalis Pii V. quod debeat iterum novam hostiam una cum calice consecrare, incipiendo a *Qui pridie*, & prosequendo deinde, ac si nihil prius consecrasset, aut sumpsisset.

Quartus casus, si incutiatur Sacerdoti metus gravis, nisi sic celebret; non quidem in contemptum Sacramenti, aut ecclesiastici præcepti, quia cum hoc sit intrinsece malum, deberet potius mortem subire; sed ob alium finem, verbi gratia, ut alii audiant Missam; posset enim tunc non jejunus celebrare, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto onere: Quod etiam dicitur de Sacerdote excommunicato; ut notat Dian. part. 5. tract. 3. resol. 30.

Quintus casus, si Sacerdos sumpto calice, & ablutione, videat in patena, vel corporali fragmenta; potest enim illa sumere, quia pertinent ad id convivium, quod non censetur absolutum, donec Sacerdos manet in Altari; ut communiter docent contra Paludan. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. *66.* Imo Granad. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 43. putat, posse illa sumere in Sacristia, antequam vestes sacras deponat; quia hæc non censeretur nova communio, sed perfectio, & completio antecedentis. Fagund. tamen apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 45. docet, Sacerdotem, per se loquendo, non posse prædictas reliquias sumere, postquam ab altari recessit, quia jam ministerium suum perfecit; esto per accidens aliquando potest, si scilicet non possent illæ conservari sine majori irreverentia; tunc enim posset illas sumere, etiam multo tempore postquam ab altari recessit. Quare pro praxi addit Dian. loc. cit. quod ubi sunt aliæ missæ dicendæ, tale fragmentum reponendum sit in calice, in quo sequens missa celebretur; quod si nulla superest dicenda missa, nec detur locus in Ecclesia, in quo Sacramentum reservetur, tunc sumi possit a Sacerdote tantum non jejuno, quia non potest sine majori irreverentia illud conservari.

Sextus casus est, si fidelis non jejunus advertat fore, ut nisi Eucharistiam comedat, illa ad manus infidelium perveniat, qui eam injuriose tractabunt; aut si esset cæteroqui comburenda, vel si similis causa superveniat, ut notant Suar. Con. Bonac.

Demum, si Sacerdos particulam hostiæ cum vino non ebibit; licet possit ad labrum calicis digito illam adducere, nihilominus melius potest iterum iterumque vinum calici infundere, ut cum illo assumat, quamvis prius vinum, quam Sacra hostia, sit in stomachum descensurum. Et idem dicas, si hostia palato adhæserit; præstat enim sic deglutire, quam digitum in os apponere, quod videtur indecens (*a*).

„ (*a*) Ad-

„ (*a*) Addunt nonnulli casum celebrandi Sacrificii ante dimidium noctis Nativitatis Domini, quo aliquarum civitatum Ecclesiæ, ut Venetiis Ecclesia S. Mariæ Charitatis, S. Paulli, S. Mariæ Miraculorum. Sed errant, & *celebrantes ante mediam noctem*, ut recte monetur in Patriarchali Ordinario, quod singulis annis Venetiis editur, *sint jejuni*, oportet, *a media nocte antecedenti, adeoque ne sumere quidem possunt purificationem in Missa* quam mane celebrant die 24. Decembris. Quod si Cardinalis in Pontificia Cappella celebrans Nativitatis Dominicæ nocte ante noctis dimidium, ut plurimum a præcedentis noctis dimidio jejunium non servat, id privilegium cum Benedicto XIV. qui hac de re late disserit *de Syn. Diœc. lib.* VI. *cap.* 8. *num.* 14. *seqq.* repetendum est a tacita Pontificis dispensatione, quam satis probant rerum, ac temporis circumstantiæ ab eodem Benedicto XIV. memoratæ.

ARTICULUS IX.

De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus.

I. Tempus communioni congruum quodnam sit?
II. Communio præcepta tempore Paschali fieri debet in propria Parochia, aut in Cathedrali.
III. Licentia Parochi præsumpta num sufficiat, ut possit quis alibi communicare? Et quare talis licentia præsumpta non satis sit ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum?
IV. Quandonam liceat citra irreverentiam post communionem expuere, aut comedere?
V. Et quando similiter liceat vomitum provocare?
VI. Num liceat eodem die petere debitum?

I. QUæritur primo: Quonam tempore liceat communicare?

Respondeo, qualibet hora permitti communionem; quamvis missa non qualibet hora, sed solum ante meridiem, & post auroram permittatur. Ita Azor. & alii: Con. tamen apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 54. & Bonac. putant non esse recedendum in re tam gravi a consuetudine Ecclesiæ, quæ est, ut sine necessitate nemo sub vesperam, aut intempesta nocte communicet, tum ob reverentiam tanto Sacramento debitam, tum ad tollendam admirationem populi, & scandalum, cum possit aliqui existimare, quod a non jejunis sub vesperum Eucharistia sumatur. Quolibet etiam die permittitur susceptio Eucharistiæ; consuetudo tamen Ecclesiæ est, ut die Parasceves nemo communicet extra mortis periculum, in signum mœroris Domini; quam consuetudinem non induceret necessitatem, sed congruentiam docuerunt Vasq. Suar. contra Francolin. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 237. Verum huic consuetudini standum esse Innoc. XI. decrevit in Bulla de Commun. quotidiana, injungendo, ut hac in re Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur.

II. Quæritur secundo, Quoniam loco sumi debeat Eucharistia?

Respondeo: Communionem Paschalem præceptam sumi debere in propria Parochia, nec alibi, nisi de licentia proprii Parochi, vel Episcopi, ut præcipitur in cap. *Omnis utriusque sexus* (*b*). Quamvis autem communiter censeatur mortale, si talis communio non fiat in Parochia; Tamb. tamen cap. 4. §. 4. putat, esse veniale, si quis semel, aut iterum in vita alio in loco communicet ob suam commoditatem citra scandalum, (præsertim si in decursu anni recognovit suum Parochum communicando in sua Parochia) quia scilicet videtur materia levis. Communiter etiam docent, quod possit sumi in Ecclesia Cathedrali ab eo, qui est subditus illius diœcesis, & quidem etiam invito proprio Parocho, ut notat Bonac. hic quæst. 7. punct. 2. num. 11. quia Episcopus potest a fortiori appellari proprius Sacerdos omnium fidelium illius diœcesis: atque adeo Cathedralis videtur communis totius diœcesis Ecclesia.

(*b*) „ Hinc sæpius S. Congreg. Concilii, præsertim vero 31. Januarii 1682. respondit, Regulares non posse die Paschatis ministrare Eucharistiam sæcularibus; cæteris vero diebus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paschatis posse illos quidem Eucharistiam ministrare, sed sumentes non satisfacere præcepto. Vide Benedictum XIV. *de Syn. Diœc. lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 2. *seqq.*

Ex quo fit, posse quemlibet communicare ubilibet de licentia non solum Parochi, sed etiam Episcopi, & consequenter Vicarii Generalis ex sola Vicariatus generalitate, ut notat Tamb. cap. 4. §. 5. ex Suar. disp. 72. sect. 2. Si enim potest sine speciali mandato ex sola Vicariatus generalitate concedere licentiam Sacerdotibus ad audiendas confessiones juxta probabiliorem sententiam apud Sanch. de Matrim. disp. 2. num. 15. a fortiori poterit hujusmodi licentiam concedere. Peregrini tamen ex licentia præsumpta proprii Parochi possunt in qualibet Ecclesia communicare: Quamvis conveniat, ut testimonium talis communionis proprio Parocho deferatur, si forte petatur, ut docet Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 73. contra Peyrinum apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 12. qui docet, Advenas debere in Parochia hospitii communicare; & a fortiori Vagos, quibus propria Parochia videtur esse illa, ubi degunt.

degunt. At Dian. de Vagis etiam docet posse ubilibet præcepto huic satisfacere, quia nulli Parocho fit injuria: non Parocho loci, quia illi non subjiciuntur; nec proprio Parocho, quia hic censetur dare licentiam suis Parochianis absentibus, ut ubilibet communicent: Quod a fortiori dicendum est de legitime impeditis.

III. Licentia autem proprii Parochi præsumpta, seu interpretativa, & moraliter certa satis est ad satisfaciendum huic præcepto; quamvis non sufficiat ad hoc, ut possit Sacerdos administrare Sacramentum pœnitentiæ. Disparitas ex Lugo disp. 18. num. 30. est, quia Sacramentum pœnitentiæ non est validum, nisi jurisdictio per actum positivum communicetur Sacerdoti a Superiore; non enim communicatur sine positivo consensu: Contra vero, Sacramentum communionis semper valide suscipitur a quocumque suscipiatur: Quare solum requiritur licentia ad debitum modum ponendi actum; seu ut suscipiatur Eucharistiæ Sacramentum licite. Omnis autem licentia hujusmodi, quæ non pertinet ad operationis validitatem, habetur etiam per ratihabitionem de futuro, & per consensum superioris præsumptum, seu interpretativum, ita ut moraliter certum sit, quod concederetur, si peteretur; quia sufficit, quod Superior non sit invitus: Unde non requiritur positivus consensus, sed negatio voluntatis oppositæ. Imo satis est, si probabiliter præsumatur, ut docet Sanch. in Summa lib. 7. cap. 19. num. 13. apud Dian. part. 7. tract. 11. resol. 31. quæ probabilitas in praxi haberi potest, spectata benignitate Superioris, ejusque erga subditum benevolentia; quæ iterum explicabimus articulo sequenti numero pariter tertio.

Communio deinde infra annum potest fieri in qualibet Ecclesia, etiam in Oratorio privato. Infirmi communicare possunt in propriis domibus, imo etiam in navibus; Granad. putat apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 50. contra Navar. & alios communius, posse Sacerdotem celebrare in mari, ut satisfiat præcepto audiendi Sacrum die festo, & a fortiori ad dandum viaticum pro moribundo, dummodo mare sit tranquillum, & alius Sacerdos sit, qui calicem post consecrationem firmiter teneat: Et quamvis Coninch quæst. 83. art. 3. num. 226. putet, id non licere sine licentia Papæ, tum ob consuetudinem, tum ob indecentiam, Granadus tamen docet, in necessitate sufficere licentiam Episcopi, & Lugo disp. 20. de Eucharistia num. 48. id fieri posse etiam sine licentia expressa, si ea peti non possit.

IV. Quæritur tertio: An liceat statim post communionem expuere, aut comedere?

Respondeo, non esse illicitum expuere, quando nullum est periculum expuendi aliquod fragmentum, quod forte in ore remansit: congruum tamen est expectare aliquantulum. Nec est illicitum statim comedere, cum neque id prohibeatur; irreverenter tamen se gereret, qui statim ad comedendum convolaret.

V. Quæritur quarto; Quandonam liceat provocare vomitum post communionem?

Respondeo, aromata ruminare ad expuendum, verbi gratia piper, mastichen, tabacum, tunc licet, quando licet expuere; quia saliva, quæ provocatur ex capite defluit in os, ut Medici testantur; unde non fit irreverentia Sacris speciebus, quæ resident in stomacho. At provocare vomitum citra irreverentiam licitum est post horam; quia quamvis, ut diximus art. 4. ex Lugo probabiliter spatio semiquadrantis, vel certe quadrantis regulariter corrumpatur in stomacho etiam species majoris hostiæ, & vini sumptæ a Sacerdotibus; tamen aliquando ita cum phlegmatibus uniuntur, ut post mediam horam integræ rejectæ sint. Verum si provocari debet vomitus ad rejiciendum venenum, vel ad vitandum gravem morbum, licitum est statim post communionem provocare; quia ex D. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3. *Calix vitæ non debet in mortem verti*: Quod si accideret species consecratas ejici, in loco sacro reponendæ sunt, donec corrumpantur, & deinde comburi, & cineres in Sacrarium projici debent juxta Rubricas Missalis.

VI. Quæritur quinto, An liceat ad uxorem accedere eodem die post Communionem?

Respondeo, idem dicendum ac de eo, qui ante communionem vellet a conjuge petere debitum: Videtur enim irreverenter se gerere, si statim post communionem sine ullo bono fine petatur: Quod si non petatur statim, Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 13. num. 17. contra Sylv. Angel. & alios, putat, non esse veniale; quia id non est prohibitum. Quamvis enim veniale regulariter sit petere debitum nocte ante communionem, non est veniale illud petere nocte post communionem. Disparitas est ex eodem Sanch. quia copula solet afferre mentis hebetudinem, magnamque distractionem, quæ ante communionem fugienda est, ut reverenter sumatur Eucharistia; at post communionem mentem ad alia negotia divertere non prohibetur.

Demum, quamvis ex circumstantia temporis, gravius sit peccatum, quod die communionis committitur, non est tamen novum peccatum, nisi fiat ex contemptu Eucharistiæ, ut communiter Doctores docent; quia non apparet, unde hæc malitia gravis novi sacrilegii consurgat.

ARTI-

ARTICULUS X.

De Ministro Eucharistiæ.

I. Num possit Laicus semet communicare in extrema necessitate?
II. Num pariter Sacerdos etiam devotionis causa?
III. Quænam licentia requiratur in Sacerdote ad Eucharistiam aliis administrandam?
IV. Deficiente particula, potest Sacerdos partem suæ hostiæ dare aliquando ei, qui avide petit Communionem.
V. Quandonam teneatur Parochus ovibus suis Eucharistiam ministare?
VI. Num cum vitæ discrimine, & quomodo danda sit Eucharistia peste infectis?
VII. Num possit pro Viatico dari species Vini ei, qui hostiam deglutire non potest?
VIII. Num tempore interdicti localis administrari possit Eucharistiæ Sacramentum?
IX. Deneganda omnino Eucharistia publicis peccatoribus: & quinam ii sint?
X. Quandonam peccatori occulto debeat denegari?
XI. Quid si publicus peccator in uno loco Eucharistiam petat, ubi non habetur isthæc publicitas?
XII. Num possit dari particula non consecrata peccatori occulto publice petenti Eucharistiam?
XIII. Num sit mortale Eucharistiam in statu peccati mortalis ministrare?
XIV. Unicumne sit, an multiplex peccatum ministrare successive pluribus Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ?
XV. Quomodo Eucharistia sit ministranda? videlicet, quo die, hora, loco, habitu &c.?
XVI. An Sacerdos excommunicatus licite Eucharistiam ministret in mortis articulo?

I. EUcharistiæ Minister relate ad consecrationem est solus Sacerdos, de quo agemus quæstione sequenti. Agimus nunc de Ministro Eucharistiæ quoad dispensationem, & administrationem, inquirendo, Quisnam sit? Quando debeat illam ministrare? Cui? Et quomodo debeat ad id se disponere?

Quæritur itaque primo, an solus Sacerdos possit licite Eucharistiam administrare?

Respondeo, Ministrum ordinarium esse solum Sacerdotem, ut communiter docent ex Can. *Pervenit de consecrat. dist.* 2. & colligitur ex prima ad Corinth. 7. ubi dicitur. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: Ministrum vero extraordinarium, qui solum in necessitate possit Eucharistiam ministrare, esse diaconum; ita ut solum de licentia Episcopi, vel Parochi impediri possit tale munus exercere. Quod si Parochus absit, talis licentia non requiritur ex Can. *Diaconos* 13. *dist.* 93. Imo ut notat Trull. in casu necessitatis posset etiam, prohibente Parocho, illam ministrare, quia præsumitur licentia Pontificis.

Dubium est, An subdiaconus, & etiam laicus possint in necessitate sibi, aut aliis Eucharistiam ministrare? Negant Lugo, Henriq. Villal. Bonac. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 47. & part. 5. tract. 3. resol. 47. quia non est Sacramentum simpliciter necessarium: Sicut autem non licet sine vestibus Missam celebrare ad dandum alteri Viaticum, ita videtur, quod nec liceat laico Eucharistiam tangere propter Viaticum. Affirmant tamen probabiliter Suar. Con. Valent. & alii, exemplo Reginæ Scotiæ martyrium subituræ, quæ se ipsam communicavit; & quia olim ex Eusebio, Eucharistia ad infirmos deferebatur per laicos; & nunc etiam propter periculum irreverentiæ, ne Eucharistia veniat in manus Infidelium, potest laicus illam tangere, & suscipere; ergo poterit etiam illam tangere, ut se, aut alios communicet in extrema necessitate, deficiente Ministro idoneo. Sed præsenti consuetudini Ecclesiæ in oppositum videtur standum; nisi necessitas vere esset extrema, quatenus moribundus nullum aliud Sacramentum suscipere posset, ut per Eucharistiæ sumptionem posset ex attrito fieri contritus, juxta probabilem opinionem, si de sua contritione non esset securus; quamvis ad illam conaretur, prout procul dubio deberet, tum propter instantem mortem, tum etiam, ne indigne sumeret Eucharistiam.

II. Dubium est secuudo, An possit Sacerdos se ipsum communicare devotionis causa, deficiente alio Sacerdote, a quo communicetur?

Respondeo affirmative cum Suar. & aliis contra Fill. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 53. & part. 5. tract. 3. resol. 48. dummodo absit scandalum, quia Minister hujus Sacramenti non debet esse distinctus a suscipiente; cum de facto die Parasceves Sacerdos seipsum communicet extra Sacrificium: Quod si adsit Diaconus, Præpositus, & alii putant debere eam sumere per manus Diaconi, qui est minister competens ex privilegio. Sed hoc non videtur necessarium: Nam ex Fagund. Dur. Fill. (& colligitur ex Concilio Nicæno cap. 24.) si Sacerdoti Sacrum Viaticum deferatur a Diacono, debet deinde ipse propriis manibus se ipsum communicare; ergo neque in casu nostro debet communicare per manus Diaconi.

III. Quæritur secundo, An quilibet Sacerdos possit Eucharistiam licite dispensare?

Respondeo negative; requiritur enim ex Concilio Milevit. & Carthag. primo, & ex cap. *Omnis utriusque sexus*, in Sacerdote jurisdictio; prohibetur enim ne Sacramenta ab alienis suscipiantur; quia Sacramenta ministrare munus est Pastoris;

storis; unde peccat mortaliter, qui sine licentia saltem tacita proprii Pastoris, aut privilegio hoc Sacramentum etiam in articulo mortis ministrat, ut communiter Doctores docent; quia in re gravi alienum officium usurpat. Satis est autem (ut diximus num. tertio articuli superioris) licentia probabiliter præsumpta, & voluntas Pastoris interpretativa; quia talis licentia non requiritur ad validitatem actionis; ut in Sacramento Pœnitentiæ, sed solum ad debitum modum ponendi actum. Idcirco autem licentia, quæ requiritur ad validitatem operis, non potest esse solum præsumpta; quia debet haberi per actum positivum, signo externo expressum, cum non aliter communicari possit, ut actus habeat suum valorem: Contra vero licentia, quæ requiritur ad debitum modum ponendi actum, seu ad licite aliquid faciendum sufficit, quod sit præsumpta; quia satis est, ut superior non sit invitus; unde non requiritur positivus consensus, sed solum negatio voluntatis oppositæ, & consequenter satis est ratihabitio de futuro, seu consensus interpretativus, & præsumptus. Ita Lugo disp. 18. de Euch. num. 37.

Rogabis, An censuram aliquis incurrat qui Eucharistiam ministrat sine licentia proprii Pastoris? Respondeo, Clericis (hoc est non Sacerdotibus) ministrantibus in ordine, quem non habent, atque adeo ministrantibus solemniter Eucharistiam, impositam esse irregularitatem: Religiosis vero præsumentibus Eucharistiam, au: Extremam Unctionem ministrare, vel assistentibus Matrimonio sine licentia Pastoris, impositam esse excommunicationem reservatam Pontifici in Clementina *Religiosi de Privilegiis*. Non dicitur tamen præsumere, nec agere præsumptuose, qui ex ratihabitione probabiliter præsumpta Eucharistiam ministrat. Imo Suar. Con. contra Navar. & Sylv. apud Trull. & Bonac. putant, non peccare Religiosos, qui in articulo mortis Eucharistiam ministrant, etiamsi sit invitus Parochus, qui non potest, aut non vult illam ministrare. Ratio est, quia præsumitur in hoc casu adesse ratihabitio summi Pontificis. Ex privilegiis tamen propriis apud Portellum, possunt Regulares ministrare Eucharistiam, Extremam Unctionem, & Sacramentum Pœnitentiæ familiaribus Conventus ibi habentibus; & possunt iisdem dare sepulturam in propriis Ecclesiis, quamvis non elegerint illam. Et ex Bulla Clementis X. quæ incipit *Superna*, tam Superiores, quam Confessarii Monasteriorum, sicut possunt sine ulla approbatione Ordinarii audire Confessiones Regularium sui Monasterii, ita possunt audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt familiares, & continui commensales; non tamen aliorum, qui ibi inserviunt: Possunt etiam Regulares in suis Ecclesiis cuilibet Eucharistiam ministrare, secluso tempore Paschæ, & articulo mortis, & Paulus V. extendit hoc privilegium ad alias Ecclesias; unde id possunt etiam in Oratoriis Ædium privatarum. Nomine autem temporis Paschæ venit, non dies ipse Paschæ, sed communio, quæ tempore paschali præscribitur: unde qui implevit hoc præceptum in Parochia, verbi gratia, die Jovis Sancti, potest in Ecclesia Regularium die Paschæ communicare, ut notat Suar. contra Trull. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 81. qui cum Navar. & Azor. intelligit materialiter diem ipsum Paschæ, ita ut non liceat eo die communicare ex devotione laicos in Ecclesiis Regularium; quia in Bulla Sixti IV. & Leonis X. dicitur: *Præterquam in die Resurrectionis dominicæ*: Et quamvis de facto multi communicent eo die ex devotione apud Regulares, dicit Trull. id non esse ex privilegio Regularium, sed ex tacita, & præsumpta Parochorum licentia, id interpretante consuetudine. Et similiter alienus etiam Parochus ovibus non suis Eucharistiam administrat ex præsumpta proprii licentia.

Possunt tamen Regulares Advenis, Vagis, & Peregrinis communionem Paschalem administrare; cum in hoc nulli Parocho fiat injuria; Decretum enim Eugenii IV. solum concedit Peregrinis, ut possint in Parochia hospitii communicare, sed illos non cogit: Nec est verum, quod Ecclesia Cathedralis sit universalis Parochia totius diœcesis, ut obligare debeamus peregrinos ad illam adeundam, ut docet Sanch. contra Peregrin. apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 12.

IV. Quæritur tertio, An Sacerdos possit dare communicaturo partem suæ hostiæ, quando deest particula consecrata?

Respondeo cum Henr. Sanch. apud Dian. part. 3. tra. 4. resol. 34. contra Graff. & Zanard. affirmative; cum nulla in hoc sit irreverentia: Quod Tamb. confirmat exemplo Christi Domini, qui fregit panem, & dedit; & quamvis regulariter debeant consecrari formulæ pro communione laicorum juxta consuetudinem Ecclesiæ, tamen si aliquando formulæ non fuerint consecratæ, non videtur id fieri contra consuetudinem, quæ habeat vim legis prohibentis: præsertim si magna adsit devotio alicujus, qui aliter non possit commode Eucharistiam sumere.

V. Quæritur item: Quandonam teneatur Parochus suis ovibus Sacramentum Eucharistiæ ministrare?

Respondeo ex Suar. disp. 72. sect. 3. & aliis communiter apud Bonac. teneri, non solum quando subditi tenentur communicare, ut putavit Sylv. sed etiam quoties subditi rationabiliter illud petunt: cum Parochus debeat pascere oves suas; quod præcipue fit verbo, & Sacramentis: Nec decet, quod parvuli petant panem, & non

non sit, qui frangat eis. Excusatur tamen Parochus, non solum si irrationabiliter, & cum frequentia indebita illud petant, sed etiam si ad Coadjutores, & alios Sacerdotes paratos illos mittat, modo id fiat sine dispendio spirituali subditorum, & isti in hoc consentiant; vel si infirmitas, aut lassitudo impediat; vel si fœminæ velint, verbi gratia, nocte in Ecclesia communicare, confiteri, &c.

VI. Quæritur quarto; An tempore pestis, verbi gratia, teneatur Parochus cum periculo vitæ Eucharistiam suis subditis, præsertim in articulo mortis, ministrare?

Respondeo, Rodr. Villal. Sylv. Nugn. affirmare, sed Molfesius ex Suar. & Armill. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 17. & part. 5. tract. 3. resol. 53. negat; quia Viaticum non est Sacramentum necessarium necessitate medii; nec præceptum hoc obligat cum tanto aliorum periculo. Quare videtur suas partes implere Parochus, si peste infectos absolvat, & a longe admoneat ad patienter ferendam ægritudinem, & ad propositum sumendi Sacrum Viaticum, si possent: Quod si aliquis peste infectus non possit confiteri, nec absolutionem obtinere nisi conditionate, quia verbi gratia, amisit loquelam, tenetur illi Eucharistiam, vel Extremam Unctionem præbere, ne forte sine ullo Sacramento decedat; sic enim ex attrito fieret contritus per susceptionem alicujus Sacramenti. In hoc tamen casu alii aliter Eucharistiam ministrarunt, vel in cocleari argenteo, vel per forcipem oblongam, proponendo illam ægris sumendam e scutellis, vel ponendo particulam super folium paginæ ad id paratæ, ita ut infirmus illam lingua sumat, & deinde Clericus cartam comburat: Omnes tamen istos modos putat irreverentes Dian. in Summa Verbo *Communio* n. 78. & contra communem Ecclesiæ usum, qui est exhibendi manu immediate Eucharistiam. Quare Bonac. hic disp. 4. quæst. 5. punct. 2. n. 10. docet ex Suar. tom. 4. disp. 44. sect. 3. rationabilius esse mortis periculum subire communicando, servata reverentia Sacramento debita, quam peste infectis communionem denegare, vel eam non ministrare propria manu, ut exigit consuetudo, & reverentia debita. Probabile tamen est ex Possev. & Trull. lib. 3. cap. 7. dub. 2. quod sine peccato possit instrumento apto Eucharistia dari peste infectis, secluso scandalo, & periculo, ne in terram labatur, ut inferius dicemus.

VII. Quæritur quinto, An laico moribundo, qui deglutire non potest hostiam, ministrandæ sint species sanguinis?

Affirmat Ochagavia contra Suar. disp. 80. sect. 3. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 34. quia præceptum divinum de communicando præponderare debet præcepto Ecclesiastico de non ministrandis laico speciebus sanguinis. Nugnus tamen docet, in tali casu adhibendum esse consensum Episcopi.

VIII. Dubium est, An tempore Interdicti generalis ministrari possit communio?

Respondeo, certum esse, quod in articulo mortis danda sit omnibus confessio, & communio cum sua solemnitate, iis exceptis, qui causam dederunt Interdicto, nisi prius satisfaciant, aut si satisfacere non possint, dederint cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, aut si neque id possint, juratoriam; & eadem est ratio de specialiter Interdicto: Non est autem danda Extrema Unctio: Quamvis non sit improbabile, quod docet Trull. apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 83. & tract. 10. resol. 77. posse dari iis, qui in articulo mortis non potuerunt suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, verbi gratia, quia nullum dederunt signum probabile Pœnitentiæ; tunc enim Extrema Unctio de attrito faceret contritum. At extra mortis articulum, quamvis possit jure novo dari Sacramentum Pœnitentiæ omnibus, qui causam non dederint Interdicto locali; at Sacramentum Eucharistiæ non potest conferri, nec aliud Sacramentum non necessarium; cum Interdictum privet perceptione Sacramentorum: Esto probabilsit ex Sanch. Laym. contra Suar. non prohiber matrimonium, quia principaliter est contractus Verum quia in Cap. *Alma Mater* conceditur, quod possint divina officia publice celebrari in festo Paschatis, Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis, & octava Corporis Christi Domini; quamvis communis opinio doceat apud Bonac. non licere laicis in istis festivitatibus communicare; probabile tamen est ex Con. disp. 17. num. 36. Suar. Filliuc. tom. 1. tract. 18. cap. 2. num. 21. apud Tamb. hic cap. 6. §. 7. quod liceat; quia probabile est, quod inter divina officia, quæ permittuntur, communio comprehendatur. Unde fit, quod cum Clerici non interdicti tempore Interdicti localis quotidie possint in Ecclesiis, & monasteriis celebrare missas, & alia divina officia, ut prius, januis tamen clausis, & voce submissa, sine pulsatione campanarum, &c. possit etiam probabiliter dispensari Eucharistia iis, qui divinis hisce officiis interesse possunt. Nomine enim Clerici veniunt omnes Religiosi, & Moniales; imo etiam Clerici conjugati, ut notat Con. contra Hurt. apud Dian. part. 5. tract. 10. resol. 83.

IX. Quæritur sexto, An Eucharistia administrari possit indigne petentibus, hoc est peccatoribus?

Respondeo, peccatorem vel esse publicum, vel occultum: Publicus dicitur tripliciter: Primo, quando de illius delicto constat in judicio, aut per confessionem delinquentis, aut per senten-

ten-

tentiam judicis, aut per depositionem testium: Et hic dicitur publicus publicitate juris: Secundo, quando delictum est commissum coram multis; & hic dicitur publicus facto, seu notorietate facti: Ad hanc autem publicitatem Sotus requirit præsentiam decem hominum; Suar. relinquit arbitrio prudentium; Sanch. Azor. Trull. docent, notorium facto esse, quod scitur a majori parte viciniæ, vel communitatis, dummodo in ea sint ad minus decem personæ; in magna autem Civitate requiritur, ut publice sit diffamatus: Tertio, quando fama alicujus delicti, & delinquentis orta ex sufficientibus indiciis eodem modo innotescit majori parti viciniæ, vel communitatis, aut in magna civitate sit publice proclamata. His positis,

Dico primo: Eucharistia neganda semper est cuicumque publico peccatori, sive occulte, sive publice illam petat; donec publicam pœnitentiam agat, & scandalo publice satisfaciat. Ita communiter ex illo Matth. 6. *Nolite Sanctum dare canibus*. Idem dicendum de eo, qui publice graviter suspectus est de gravi crimine, ita ut vehemens ista suspicio moralem quandam certitudinem inducat; in hoc enim eadem est ratio, ac de peccatore publico, ut docent Suar. disp. 16. sect. 6. Con. Bonac. Trull. quamvis in articulo mortis sola vehemens suspicio non sufficiat ad neganda Sacramenta, ut notat Bonac. quia non videtur infirmus tam gravi detrimento exponendus ob solam suspicionem, licet vehementem. Ex quibus sequitur, quod si peccator publicus sit secreto emendatus, etiam repellendus sit, donec scandalo satisfaciat.

Rogabis: Quænam satisfactio danda sit? Respondeo, in articulo mortis satis esse, si det signa veri doloris, extra articulum mortis, si occulte petat communionem, verbi gratia, in Cappella secreta, sufficit occulta pœnitentia, & propositum satisfaciendi scandalo publico: Sicut autem absolvitur in foro interno, sic etiam potest secreto communicare: Si vero publice petat, publica debet esse conversio, & pœnitentia, ex cap. *Si peccaverit* 2. *quæst.* 1. Aliquando tamen ex Navar. & Cajet. apud Trull. huic scandalo satisfit, si de ejus licentia Parochus publice moneat populum de delinquentis pœnitentia. Unde fit, meretricem non esse absolvendam, nisi e periculo, & loco publico tollatur: Et usurarios, nisi præstita cautione juris, quam possunt, si non possunt statim satisfacere.

Rogabis secundo; quinam censeantur publici peccatores?

Respondeo, censeri primo Histriones, qui recensent turpes comœdias provocantes ad peccatum: Secundo Parasitos, qui in aliorum grave præjudicium utuntur mordacibus dicteriis, & facetiis, ut notat Nav. ex cap. *Tres sunt de Pœnit.* 11. Tertio ex eodem Navar. qui communiter cum periculo exercent choreas cum fœminis: Quarto ex eodem, fœminas, quæ utuntur fuco nimio, & ornatu ex pravo fine. Quinto meretrices, & publicos usurarios: Sexto, qui torneamenta exercent in equis, unde ut plurimum cædes, & vulnera sequuntur: Septimo Beneficiarios, & Sacris initiatos, qui taxillis, vel aleis notabilem quantitatem ex consuetudine ludunt, ut notat idem Navar. & Trull. lib. 7. in Decal. cap. 19. Demum Concubinarios, hæreticos, & omnes, qui publice actionem aliquam exercent, quæ vel ex objecto, vel ex modo, quo fit, sine peccato fieri non solet. Præterea, de quibus publica, & vehemens suspicio est, quod sint in statu peccati mortalis, perinde ac publici peccatores extra mortis articulum arcendi sunt a communione, ut diximus, donec constet de eorum innocentia, seu emendatione. Dicitur autem suspicio vehemens, quando ea sunt indicia, quæ factum suadent efficaciter, ita scilicet, ut nihil appareat, quod oppositum suadere probabiliter possit.

X. Dico secundo, si peccator occultus occulte Eucharistiam petat, Sacerdos, cui delictum extra confessionem innotuit, debet illi Eucharistiam negare, quia nulla ex hoc sequitur infamia: Si vero delictum notum sit ex confessione, non est illi deneganda, ne reddatur odiosa confessio, ut communius docent apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 46. contra graves authores non paucos, qui putant non frangi in hoc casu sigillum Sacramentale; quia nulli alteri a peccatore id fit notum. Hoc tamen non est admittendum; quia esto non violetur sigillum Sacramentale; irrogatur tamen illi injuria per usum notitiæ in confessione acceptæ cum gravamine pœnitentis, ut constat ex prohibitione facta ab Innoc. XI. istius propositionis: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur*. Poterit tamen Sacerdos, petita a tali peccatore licentia loquendi de auditis in confessione, monere illum, ut a Sacramento abstineat.

Dico tertio; si peccator occultus publice Eucharistiam petat, non est illi deneganda: Sicut Christus Dominus illam non denegavit Judæ. Et ratio est, quia Minister publicus Ecclesiæ debet bona communia dispensare secundum scientiam, quam habet publicam, non secundum privatam; aliter multa scandala, & perturbationes sequerentur, si sacerdotes possent infamare, quos vellent, ac fideles semper formidarent, ne a ministris infamarentur.

Hinc tamen non sequitur, quod Sacerdos

debeat Eucharistiam dare occulto peccatori publice illam petenti, si noverit illum petere Eucharistiam ad incantationem, vel ad conculcandam, aut projiciendam. Ratio ex D.Th. quæst. 80. art. 5. est, quia hoc peccatum est gravissimum; unde gravior datur causa ad illam negandam. Præterquamquod non sequerentur eadem inconvenientia in hoc casu; siquidem dare deberet indicia talium delictorum Sacerdos, si quem sic infamaret.

Sequitur tamen, quod si peccator occultus petat Eucharistiam coram pluribus, & uni tantum ex illis sit notum, quod sit peccator, non possit Eucharistiam denegari, cum non possit ille apud alios infamari; si tamen omnibus esset notum peccatum, non deberet Eucharistia negari, quia non infamaretur (*a*).

„ (*a*) De his omnibus confer Benedictum „ XIV. *de Syn.Diœc. lib. 7. cap.* 11. *num.* 4.*seqq.*

XI. Rogabis primo; si quis sit Romæ, verbi gratia, publicus peccator, Neapoli vero occultus, & publice hic petat Eucharistiam, essetne illi deneganda?

Respondeo, Sot. Henr. Con. putare, quod non sit deneganda, quia Neapoli, ut petit Eucharistiam, retinet bonam famam, & est peccator occultus. Less. lib. 2. cap. 11. dub. 13. apud Tamb. in Meth. commun. cap. 5. §. 2. putat esse contra charitatem, quamvis non contra justitiam delictum in aliquo loco publicum manifestare, ubi est occultum. At Suar. disp. 7. lib. 5. cum Bonac. & Fagund. 1. Eccl. 2. lib. 5. cap. 3. num. 16. putat esse denegandam, quia ex una parte infamis in uno loco amisit jus ad suam famam, atque adeo non est contra justitiam detegere ejus delictum: Neque est contra charitatem ex alia parte, quia cessat jus charitatis, quando adest rationabilis causa manifestandi delictum; in casu autem nostro adest rationabilis causa, quia inique talis se gerit, & sacrilege, dum petit indigne Sacramenta. Demum Henr. putat posse repelli, & posse ad Sacramenta admitti; cum pro utraque parte sint rationes probabiles.

Rogabis secundo: An Sacerdos possit ministrare Eucharistiam publico peccatori ob metum mortis, aut notabilis suæ infamiæ?

Respondeo affirmative; si enim potest ministrare Eucharistiam peccatori occulto publice petenti ad vitandam ejus infamiam; a fortiori poterit ministrari peccatori publico publice petenti ad vitandam infamiam propriam, aut mortem, permittendo peccatum illius: Id tamen ex Suar. intelligendum præciso scandalo activo; aliter sicut ob metum mortis non possumus exterius dumtaxat thus adolere idolo, ita a fortiori nec Sanctum dare canibus (*b*).

„ (*b*) Ita etiam la Croix *lib. 6. p.* 1. *n.* 138. „ Repugnat P. Concina T. VIII. p. 313. tum „ quia præscindi scandalum activum non potest „ ab hac administratione; tum quia si ad vitandam propriam infamiam, ne dum mortem, „ liceret Sanctum dare canibus, licitum quoque esset thus adolere exterius idolo; tum denique quia peccatoris occulti publice petentis „ paritas nulla est, quum ibi cum præcepto reverentiæ erga Sacramentum concurrat prævalens præceptum non infamandi proximum; „ heic vero nullum peccatum sit, aut peccandi „ periculum. Sed hæc ludicra sunt. Nam & „ præscindi potest scandalum activum, saltem „ in aliquo casu, quum potius adstantes misereri debeant Sacerdotis in illis augustiis constituti, quam scandalum inde sumere, & in „ hac solum hypothesi procedat Vivæ responsio. Deinde præceptum thuris non adolendi „ exterius idolo pure negativum est; præceptum vero non ministrandi indigno Sacramentum non est hujusmodi obligans semper „ pro semper, sed resolvitur in affirmativum „ prudenter, & fideliter administrandi. Quod „ spectat ad disparitatem adlatam, debuisset „ animadvertere P. Concina, cuique præceptum impositum famæ, vitæque suæ conservandæ, quemadmodum vitæ, & famæ alterius non lædendæ, atque illud hoc fortius „ esse, graviusque.

XII. Rogabis tertio: An peccatori occulto publice petenti Eucharistiam possit Sacerdos præbere hostiam non consecratam ad vitandum illius sacrilegium?

Respondeo negative; quia peccatum internum petentis non vitatur; & ex alia parte daretur aliis occasio majoris peccati, videlicet idololatriæ, quamvis materialis. Ita Bonac. ex D. Th. qui 3. part. quæst. 80. art. 6. docet, peccare gravius Sacerdotem in mortali celebrantem simulando consecrationem, quam si vere consecraret; quia scilicet in primo casu Deo simul illudit, & hominibus; in secundo vero casu illudit soli Deo. Hinc proscripta est ab Innoc. XI. thesis illa: *Urgens metus gravis est causa justa simulandi administrationem Sacramentorum*. Propterea non sunt audiendi Albertus Magnus, Altisiodorensis, Bonac. Villal. Jo: Sancius, & alii, qui id permittunt apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 47.

XIII. Quæritur septimo: An peccet mortaliter Sacerdos administrando Eucharistiam in mortali?

Respondeo: Certum esse, quod Sacerdos debeat esse in gratia, si hoc Sacramentum conficiat; quia est Minister ex officio ad hoc munus deputatus, & consecratus: Immo cum non possit conficere Sacramentum Eucharistiæ, quin simul communicet, nec possit homo communicare non præmissa confessione mortalium, ideo Sacerdos, ut celebret, debet confessionem mor-

mortalium præmittere; nec satis est, si solum conteratur. Si vero solum Eucharistiam administret; communiter docent cum Suar. disp. 16. sect. 4. quod mortaliter peccet. Ratio est, quia etiamsi non conficiat Sacramentum, tamen exercet actionem proxime ordinatam ad gratiam, & gravissimum ministerium. Diximus tamen quæst. 1. art. 4. probabile esse, quod docent Lugo, Vasq. Henr. Dian. par. 1. tract. 14. resol. 23. esse tantum veniale; quia quamvis hoc ministerium per se spectet ad potestatem characteris, & ad Ministrum tantum ex officio, tamen non est actio causativa gratiæ per se loquendo, sed est solum conditio; cum Minister sit tantum causa applicans Sacramentum causativum gratiæ. Quare sicut non peccat mortaliter, qui exercet in mortali functiones Ordinum sine confectione Sacramenti, ex Suar. disp. 16. sect. 3. contra nonnullos (v. g. Episcopus in mortali conferens primam Tonsuram, aut Sacramentalia; & Diaconus, ac Subdiaconus exercentes suos Ordines) ita qui solum Eucharistiam ministrat, neque peccat mortaliter ex hoc, quod tangat species Sacramentales; quia istæ sanctitatem in se non habent, nisi tamquam signa: Immo sicut non peccasset mortaliter, qui Christum Dominum in terra habitantem in mortali tetigisset, v. g. osculando ejus pedes, ita neque qui in mortali Sacramentum hoc ministrat.

Admisso tamen, quod juxta veriorem, & communiorem sententiam mortaliter peccet, certe non debet præmittere confessionem, sicut quando celebrat, & suscipit Sacramentum; sed satis est, si prius conteratur; sicut non debet esse jejunus, quando ministrat, sed solum quando recipit Eucharistiam. Certum etiam est, quod si Sacerdos excommunicatus Eucharistiam ministret, non solum peccet mortaliter violando censuram in re gravi, sed etiam incurrat irregularitatem, ut notat Dian. part. 4. tract. 12. resol. 90. quia violat censuram per exercitium Ordinis Sacri.

XIV. Utrum autem unicum tantum peccatum committat, qui pluribus Sacramentum Eucharistiæ successive administrat in statu peccati mortalis, an vero plura? Rodriq. in summa c. 78. apud Bon. disp. 4. quæst. 5. putat, quod unicum sit hujus Sacerdotis peccatum, sive pluribus successive Eucharistiam ministret; sive absolutionem Sacramentalem impendat; quia illæ actiones physice distinctæ videntur esse una moraliter, non secus ac qui uno impetu pluries Clericum percutit; aut plures blasphemias eructat; aut pluribus juramentis idem mendacium confirmat. Communiter tamen cum Bon. loc. cit. Con. quæst. 64. art. 6. Fill. Henr. docent, toties peccare, quoties Sacramentum ministrat; sive Eucharistiæ, sive Pœnitentiæ, sive Baptismi, sive quodcumque aliud: Nam tales actiones habent singulæ suum præfixum terminum, in quo conficiuntur, & complentur. Quare sicut in omnium sententia tria mortalia committit, qui die Nativitatis Domini tres missas successive celebrat in statu peccati mortalis, ita in casu nostro. Quamvis Lugo disput. 16. de Pœnit. n. 558. putet, majorem haberi unitatem ex fine, & intentione agentis in eo, qui successive audit plures confessiones, quam in eo, qui celebrat tres Missas die Nativitatis, aut in eo, qui successive occideret tres homines; unde facilius uniuntur ad faciendum unum dumtaxat peccatum plures absolutiones Sacramentales successive collatæ a Sacerdote in statu peccati mortalis; & ideo plures Doctores apud Dian. part. 1. tract. 7. resol. 43. contra Suar. & Azor. probabilier tenent, unum dumtaxat peccatum committi a tali Sacerdote; unde satis sit in confessione dicere, Semel in statu peccati mortalis plures absolvi: Et a fortiori id videtur verum, si successive Sacramentum Eucharistiæ ministretur pluribus; cum enim Sacramentum in tali casu non conficiatur, sed ministretur, probabile est ex Tann. Hen. Fill. apud Busemb. lib. 6. tract. 1. c. 6. quod una moraliter sit distributio, & indigna administratio: Præsertim, quia quamvis communissime doceant, conficientem Sacramenta in statu peccati mortalis peccare mortaliter, idemque communius doceant de administrante Eucharistiam, nonnulli tamen cum Vasq. Lugo disp. 8. num. 155. Dian. part. 1. tract. 14. resol. 23. putant, ut diximus, non esse mortale Eucharistiam in mortali ministrare; quia Sacerdos non causat gratiam in suscipiente, tamquam Christi Minister, sed solum applicat Eucharistiam, quæ est causa gratiæ.

XV. Quæritur octavo; quonam habitu, die, hora, loco, & aliis circumstantiis ministranda sit Eucharistia?

Respondeo, debere Eucharistiam ministrari cum reverentia tanto Sacramento debita, & cum cæremoniis ab Ecclesia præscriptis; unde non potest ministrari in loco, aut tempore interdicto, nec in privata domo sine facultate, & approbatione Episcopi, nec sine sacris vestibus, videlicet superpelliceo saltem, & stola; in his autem deficere in suo genere est mortale, ut notat Fill. Bonac. Trull. Præterea cum debito cultu, & apparatu ministrari debet, videlicet cum lumine accenso, Confessione generali prævia, ablutione communi, & aliis orationibus consuetis, in quibus tamen deficere secluso scandalo, & contemptu esset ex Suarez, & Fill. solum veniale. In necessitate tamen deficientibus, qui Eucharistiam cum pompa comiten-

tentur, posset solus Curatus indutus superpelliceo, & stola illam ad infirmum deferre cum solo Sacrista, qui lumen deferat, ex Possev.

Hinc sequitur primo, non posse Parochum deferre ad infirmum Eucharistiam, si non possit illam cum habitu decenti ferre, idest cum superpelliceo, stola, & lumine, ex cap. *Sane de celebratione missarum:* Contra vero tenetur ad infirmum deferre oleum ad Extremam Unctionem, etiamsi non possit illud cum solemnitate deferre, quia materia talis Sacramenti non est Sacramentum, nec indiget tanta veneratione.

Sequitur secundo, Parochum non debere Eucharistiam ad infirmum deferre, si non possit illam administrare, nisi per iter currat valde festinanter; cum hoc repugnet reverentiæ debitæ Sacramento; debet itaque festinare, quantum patitur decentia: Contra vero ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi debet etiam non integre vestitus, etiam cum periculo, quod ægrotet per nimium æstum, aut frigus, si credat aliter non posse pervenire, antequam moribundus decedat. Ratio est, quia tunc censetur proximus esse in extrema necessitate spirituali. Docent tamen Doctores, quod non teneatur Parochus cum periculo vitæ ire ad hæc Sacramenta administranda, cum vere moribundus non sit extreme indigens Sacramentis; potest enim sibi consulere per actus contitrionis, & emoris Dei super omnia. Quia tamen isti actus sunt difficiles peccatori, ideo tenetur cum magno incommodo, præsertim Parochus, ire ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi administrandum citra periculum vitæ. Immo etiam cum periculo vitæ tenetur quilibet, quando est moraliter certum, quod moribundus non sit eliciturus nisi actus attritionis, quia præferenda est vita spiritualis proximi vitæ propriæ corporali.

Sequitur tertio ex Possev. & Bonac. contra Tolet. lib. 1. c. 18. quod Sacerdos, qui, verbi gratia, ex chiragra non potest Eucharistiam indice, & pollice ministrare, non possit illam aliis digitis conferre; quia a communi usu, & consuetudine non est recedendum; sicut non potest sine vestibus sacris celebrare. Verum oppositam sententiam Tolet. & Trull. existimant probabilem, quia cum tota manus Sacerdotis sit consecrata, non videtur notabilis irreverentia Eucharistiam aliis digitis ministrare, urgente necessitate.

Sequitur quarto ex Bon. Parochum debere tempore pestis propria manu, & non instrumento aliquo Eucharistiam ministrare, cum id postulet reverentia debita Sacramento. Probabile tamen est ex Possev. & Trull. lib. 3. cap. 9. dist. 2. excusari Parochum a peccato, si Eucharistiam administret rite confecto, & apto instrumento, secluso scandalo, & periculo, quod in terram labatur, ut diximus superius.

XIV. Quæritur nono, an possit Sacerdos excommunicatus Eucharistiam ministrare moribundo, si alius desit?

Respondeo, quod excommunicatus toleratus non possit se ingerere ad hoc Sacramentum administrandum; si tamen ab illo petatur, possit conferre, tam in articulo mortis, quam extra mortis articulum. Etenim idcirco dicitur toleratus, quia permittitur aliis, ut cum illo agant, ac si non esset excommunicatus. Quare cum possimus nos ab illo Sacramenta petere, poterit & ille conferre. Excommunicatus vero vitandus potest procul dubio in articulo mortis conferre Sacramentum Pœnitentiæ, si alius Sacerdos absit; & Sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis probabile est quod pariter conferre possit, urgente necessitate, si petantur, ut docent Suar. de Censur. disp. 15. sect. 2. Fill. Con. Bonac. disp. 2. de Censur. quæst. 2. punct. 1. §. 4. contra Laym. & Avil. 2. parte c. 6. disp. 3. dub. 3. & alios. Ratio est, quia non est credibile, Ecclesiam velle obligare fideles ad vitandos excommunicatos cum tanto detrimento; idque a fortiori dicendum in casu, quo non potuit infirmus recipere Sacramentum Pœnitentiæ; tunc enim recipiendo Eucharistiam, aut Extremam Unctionem, posset ex attrito fieri contritus, & gratiam recipere.

QUÆSTIO V.

De Eucharistia ut Sacrificio.

AGgredimur quæstionem, quæ ratione suæ dignitatis, ac ratione plurimarum difficultatum, & cæremoniarum, quas complectitur, & in usu quotidiano sunt, solidum annum expostularet. Nos tamen pro more breviter inquiremur: Primo, quid sit secundum se Sacrificium? Secundo, quænam sint partes essentiales Sacrificii Missæ? Quænam sit res oblata? Et quinam sit offerens? Tertio, agemus de Effectibus hujus Sacrificii; ubi, an sit infiniti valoris? Quarto, A quibus, & quomodo participentur fructus hujus Sacrificii? Quinto, de Ministro Sacrificii. Sexto, de tempore, loco, & aliis circumstantiis. Septimo, de ritu in celebratione servando. Demum de stipendio Missæ.

ARTICULUS I.

Quid sit Missæ Sacrificium?

I. Explicatur Sacrificii definitio.
II. In quo differat a Sacramento Sacrificium.
III. Multiplicitas antiquorum Sacrificiorum in Missa eminenter continetur.
IV. Missa est vere, & proprie Sacrificium, nec aliud a Sacrificio cruento Crucis, licet alio modo.

Missa, si ejus etymologiam spectemus, ex Bellarm. dicitur a verbo Mitto; tum quia per illam mittuntur ad Deum nostræ oblationes, & preces; tum etiam, quia post illam populus, & congregatio dimittitur: Unde cum dicitur, *Ite, missa est*, significatur, missam esse oblationem ad Deum, & tempus esse dimissionis populi, ut notat D. Th. quæst. 83. art. 4. ad 9. Missa etiam derivata ab Hebræa voce *Misach*, significat oblationem spontaneam, & apud Græcos dicitur *Liturgia*, idest publicum munus, & mysterium Sacrificii cruenti Christi, ut notat Henr. apud Trull. Proinde nomine Missæ Sacrificium novæ legis significamus. Ut autem altius ejus quidditas percipiatur, pervestigare oportet, quid sit sacrificium, & quotuplex.

I. Quæritur itaque primo, quid sit Sacrificium in communi, prout complectitur Sacrificia veteris, & novæ legis?

Respondeo ex Less. lib. 2. c. 38. n. 19. esse *Oblationem rei sensibilis, factam Deo a legitimo Ministro per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium in omnia, præsertim in vitam, & mortem nostram, & ad protestationem nostræ subjectionis.*

Dicitur primo, quod sit *Oblatio*, ut patet ex illo ad Hebræos 5. ubi dicitur, *Ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*; & in hoc convenit cum aliis oblationibus, quæ non sunt Sacrificia, ut sunt Decimæ, Primitiæ, &c.

Dicitur secundo, *Rei sensibilis*, quia fit nomine totius Reipublicæ humanæ, quæ est sensibilis, unde oblatio sumet interna facta Deo non est proprie Sacrificium, & largo solum modo dicitur a Davide, quod contritio sit Sacrificium, in Psal. 50. ubi dicit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; quia scilicet oblatio interna est veluti anima Sacrificii, sine qua Deo Sacrificia non sunt accepta; unde de iis subdit David, *Holocaustis non delectaberis.*

Dicitur tertio, *Facta a legitimo Ministro*, quia cum oblatio sacrificalis sit oblatio facta nomine totius Reipublicæ humanæ, debet fieri a persona publica auctoritate deputata. Quare Sacrificium, & Sacerdotium sunt inter se inseparabilia, ex Trid. sess. 23. c. 1. & ideo Apostolus 1. ad Corinth. 5. dicit. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis:* & deinde subdit, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* In lege autem naturæ Sacrificia non fuerunt a Deo instituta, sed a Republica; Sacerdotes autem vel erant omnes primogeniti, ut putat D. Hieron. ubi agit de Melchisedech; Vel omnes Patresfamilias, ut putat Conink, addens ex Suar. disp. 4. sect. 2. omnes Patresfamilias fuisse relate ad immolationem Agni paschalis Sacerdotes, etiam apud Judæos, ex institutione Dei, confirmantis in hoc statum legis naturæ. Quamvis relate ad alia Sacrificia extra Tribum Levi nullus erat Sacerdos ex Apostolo ad Hebr. 7. Porro in lege veteri Sacrificia designata fuerunt a Deo; in lege nova a Christo Domino, ut videre est apud Suar. disp. 73. sect. 3.

Dicitur quarto, *Per realem immutationem ad testandum, &c.* quia per actionem destructivam rei oblatæ protestamur, Deum esse supremum Dominum, a quo habemus quæcumque habemus, nosque esse paratos omnia profundere, vitam etiam nostram instar illius rei, quam immolamus in ejus obsequium. Unde fit, Sacrificium soli Deo offerri posse; quia solus Deus est supremus Dominus omnium.

II. Sequitur hinc primo, quod quamvis Sacrificium, & Sacramentum conveniant in hoc, quod sint signum sensibile, & symbolicum; differunt tamen, quia Sacramentum est institutum primo, & per se ad conferendam gratiam, & est locutio sensibilis Dei donantis gratiam, facta per suos ministros: Contra vero, Sacrificium primo, & per se instituitur ad protestandum Dei dominium supremum, & nostram subjectionem; unde est locutio creaturæ protestantis suam subjectionem. Non repugnat tamen, quod idem simul sit Sacrificium, & Sacramentum secundum diversas rationes; ut de facto est Eucharistia, quæ quatenus est a Deo loquente, & donante gratiam, est Sacramentum; quatenus est a creatura protestante suam subjectionem, est Sacrificium. Immo secundum aliam rationem Eucharistia est pariter authenticum testamentum voluntatis Christi donantis nobis hæreditatem seu vitam æternam, ac semetipsum; ut proinde in verbis consecratoriis dicatur esse Testamentum novum, non solum quia hæreditas nobis per illud confertur circumscripta morte Testatoris; sed etiam quia hæreditas, quæ nobis per illud confertur, & bona Testatoris continet, & ipsum etiam Testatorem, in hac, & in æterna vita fruendum.

Sequitur secundo, posse ex natura rei Rempublicam Ecclesiasticam auctoritate propria instituere Sacrificia, non Sacramenta: At Christus Dominus interdixit Ecclesiæ, ne Sacrificium institue-

stitueret distinctum ab eo, quod ipse instituit, (prout constat ex sensu omnium Doctorum, & traditione perpetua Ecclesiæ) ut sic magis elucescat dignitas Sacrificii Eucharistici; quod omnium Sacrificiorum prærogativas in se conservat.

III. Quæritur secundo, Quotuplex sit Sacrificium?

Respondeo ex Becan. c. 25. quæst. 3. dividi primo ratione *Status*, seu temporis in Sacrificia legis naturæ, legis Veteris, seu Mosaicæ, & legis Evangelicæ. Secundo ratione *Materiæ* in Victimam, seu Hostiam, Immolationem, & Libamen. *Victima* erat, in qua offerebatur aliquod animal, videlicet ovis, capra, hædus, bos, vitulus, columba, passer, turtur. *Immolatio* erat, quando offerebatur res inanimis solida, videlicet panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum, ut patet ex c. 1. & 2. Levitici; Panis enim in frusta scindebatur; simila sartagine, clibano, vel craticula cremabatur; Sal urebatur: Thus adolebatur; Spicæ torrebantur; triticum conterebatur. Demum *Libamen* dicebatur, quando offerebatur res inanimis liquida, videlicet sanguis, vinum, oleum, aqua, quæ effusione offerebantur. Tertio dividitur Sacrificium ratione *Formæ* in Holocaustum, Sacrificium, seu Hostiam pro peccato, & Hostiam pacificam. *Holocaustum* erat, in quo tota res in fumum resolvebatur. *Sacrificium pro peccato*, quando res partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum; hoc autem Sacrificium non offerebatur pro solis peccatis internis, sed etiam pro externis, videlicet ignorantiæ circa cæremonias, furti, calumniæ, perjurii, ut constat ex Levit. 4. 5. 6. 7. *Hostia pacifica*, quæ offerebatur vel in gratiarum actionem, vel ad nova beneficia inpetranda, partim cremabatur, partim edebatur a Sacerdotibus, partim ab iis, qui eam obtulerant. Demum Sacrificium ratione *Finis* dividitur in *Latreuticum*, quod solum fit ad colendum Deum, protestando nostram servitutem, idque potissimum fiebat holocausto: *Propitiatorium*, quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis, ac flagellis avertendis; & hoc dicebatur Hostia pro peccato: *Eucharisticum*, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: *Impetratorium*, quod fit ad nova beneficia impetranda, & utrumque in lege veteri dicebatur *Hostia pacifica*. Ex quibus colligitur, omnia hæc Sacrificia eminenter contineri in Sacrificio Missæ.

IV. Quæritur tertio, An Sacrificium Missæ sit proprie Sacrificium?

Respondeo affirmative ex Trid. sess. 22. can. 1. contra hæreticos nostri temporis. Ratio est, quia in Eucharistia sunt omnia, quæ ad Sacrificium requiruntur, Sacerdos, qui offert, Hostia, quæ offertur, nempe Christus Dominus sub specie panis, & vini, Deus, qui offertur, Ecclesia, pro qua offertur, Altare, & actio ipsa sacrificativa.

Neque dicas, Sacrificium Crucis cruentum habuisse vim infinitam, ut proinde non indigeamus alio Sacrificio. Nam ex Trid. hoc Sacrificium incruentum non est aliud a cruento, sed illud idem diverso modo, quod ideo repetitur, ut virtus Crucis (in qua omne pretium pro nobis persolutum fuit) nobis magis magisque applicetur.

ARTICULUS II.

Quænam sint partes essentiales nostri Sacrificii? Quænam res oblata? & Quis sit offerens?

I. Probabilius Missæ Sacrificium in sola Consecratione consistit.

II. In præsenti providentia essentialiter requiritur utriusque speciei consecratio. Num Innoc. VIII. permiserit Norvegis, ut in solo pane consecrarent?

III. Res oblata in hoc Sacrificio principaliter est Christus Dominus, ea tamen a speciebus panis, & vini integratur, nullatenus vero a panis, & vini substantia.

IV. Principalis offerens pariter est Christus Dominus, per hoc quod ejus nomine Sacerdos offerat, & ut Christi Minister.

V. Quonam pacto alii fideles sint pariter offerentes?

I. QUæritur primo; In quanam actione consistat Sacrificium Missæ; Num in oblatione panis, & vini, an in consecratione, an vero in sumptione, an demum in complexo istorum indivisibiliter sumpto?

Respondeo, Scotum cum Coninck velle, quod consistat in utraque oblatione, altera, quæ fit ante consecrationem, altera post consecrationem; dum dicit Sacerdos, *Unde & memores*, *&c. offerimus puæclaræ Majestati tuæ*, *&c.* Sotus vult, quod in utraque oblatione, consecratione, & consumptione: Alii cum Bellar. lib. 1. c. 27. in Consecratione, & consumptione simul; Suarius cum aliis in sola Consecratione: Consumptionem vero alii volunt esse partem integralem, ut est satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ. Equidem puto, consistere in sola consecratione, ita ut ne pars quidem integralis sit sumptio. Ratio est, quia Evangelistæ solum commemorant consecrationem factam a Christo Domino, dum Sacrificium hoc instituit, quin dicant ipsum comedisse corpus suum; ergo quamvis aliter institui potuisset hoc Sacrificium, dicendum, quod de facto ita institutum sit, ut sola consecratio pertineat ad ejus essentiam. Nec est mirum, quod eadem actio producat victimam, & illam immolet, ac sacrificet: Sicut enim si quis

divi-

divinitus ovem in igne produceret, eadem actione posset ovem producere, & immolare; Ita Christus Dominus dum ponitur sub speciebus panis, & vini, fit proxime comestibilis, & ideo ponitur sub statu valde propinquo ad desitionem, (quatenus per manducationem deinde desinit esse sub speciebus panis) & sic immolatur simul, & sacrificatur. Ex quo sequitur, die Parasceves non haberi Sacrificium; Et quamvis Ecclesia dicat, *Orate Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium*, loquitur de Carne Christi pridie in Sacrificium oblata: deinde cum dicit Ecclesia in eadem Missa, *Sic fiat Sacrificium nostrum, ut placeat tibi*, loquitur non de Victima secundum se, seu de Christo Domino secundum se spectato; sed quatenus est sub actione illa consumptiva. Rogat itaque, ut victima sub actione illa, qua manducatur, placeat Deo, & conferat ad nostram utilitatem.

Neque dicas; Si sumptio non esset pars Sacrificii, saltem integralis, non esset necessaria, ac de jure divino. Nam contra est, quia non satis constat apud Doctores, quod sumptio sit de jure divino: Sed eo transmisso, dicendum, quod præcepta sit a Christo Domino, tamquam complementum accidentale Sacrificii, videlicet non ut per illam integretur Sacrificium, sed ut per illam participemus de Sacrificio jam perfecto. Ex quibus sequitur, Sacerdotem debere applicare Sacrificium ante consecrationem juxta praxim Ecclesiæ, quæ utitur illis verbis in offertorio, *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus meis, pro omnibus circumstantibus, &c.* Quare speciales illæ orationes in utroque Memento non spectant ad directam applicationem Sacrificii, sed ad speciales preces fundendas pro illis tam vivis, quam defunctis, pro quibus Sacerdos specialiter est affectus. Verum quia probabilis est opinio Bellar., & aliorum quod sumptio sit pars essentialis Sacrificii, ideo qui post consecrationem ante sumptionem applicaret Sacrificium illi, a quo habuit eleemosynam, censetur illius voluntati fecisse satis; ut docet Tambur. de Sacrif. Miss. lib. 2. cap. 2. §. 10. n. 7. Sicut enim Beneficiarius non tenetur ad restitutionem fructuum, si recitet Horas juxta probabilem sententiam, quod per talem recitationem præcepto Horarum satisfiat; Ita Sacerdos non tenetur ad restitutionem stipendii, si applicet Sacrificium juxta sententiam probabilem quod sumptio sit pars essentialis Sacrificii. Aliter nec satisfaceret, si applicaret Sacrificium post oblationem ante consecrationem, cum sit probabile quod etiam Oblata prævia ad Sacrificium pertineat; quod tamen nemo dixerit.

II. Quæritur secundo; An sit de essentia Sacrificii Eucharistici, quod fiat sub utraque specie?

Respondeo, secundum se neque esse de essentia, neque esse requisitum essentiale, quod consecratio fiat sub utraque specie in hoc Sacrificio, ut docent communiter cum Suar., Arriaga, contra Vasq.. Ratio est, quia quamvis consecratio habeat rationem Sacrificii sub ratione mysticæ mactationis, quatenus ex vi verborum, corpus, & sanguis separantur, quod significatur ab Apostolo dicente 1. ad Corinth. 2. *quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*: nihilominus Sacrificium Christi cruentum repræsentari potest sub una tantum specie, quatenus ex vi verborum vel venit solum corpus, quod præcisum a sanguine corpus mortuum repræsentat, vel venit solus sanguis Christi, qui effusus, & a corpore separatus etiam Christi mortem adumbrat.

In præsenti tamen providentia, ut expressius significetur Christi mors, essentialiter requiritur utriusque speciei consecratio. Ita D. Th., & alii apud Arriagam, qui putat id sufficienter ostendi ex sensu omnium communissimo. Verum dato, quod hoc non spectet ad essentiam Sacrificii, negari non potest dari præceptum divinum de consecrando sub utraque specie; in quo præcepto non potest consequenter Pontifex dispensare. Quamvis Trull. lib. 3. cap. 7. dis. 2. ut diximus quæstione super. art. 3. probabilem putet sententiam Henr. lib 8. cap. 13. Tabienæ, & Angeli, quod poterit urgente necessitate Pontifex tale præceptum interpetrari; Quicquid sit, an de facto Innoc. VIII. anno 1490. consenserit, quod Norvegiani in solo pane consecrarent; propter defectum vini; quod multi asserunt apud Henr. loc. laud.

III. Quæritur tertio; Christus ne, an species consecratæ, an substantia panis, & vini spectet ad hujus Sacrificii materiam, ut res oblata?

Respondeo, & dico primo: Res, quæ principaliter offertur, est Christus Dominus. Nam ex Trid. sess. 22. cap. 2. hæc habentur: *In hoc Sacrificio Missæ idem ille Christus incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se cruente obtulit.* Quia tamen non offertur Christus, ut existens in propria specie, sed quatenus fit sensibilis per accidentia panis, & vini, ideo species panis, & vini integrant materiam hujus Sacrificii, & secundario offeruntur, ut docet Suar. contra Vasq., Con., & alios.

Dico secundo, substantia panis, & vini nullo pacto ingrediuntur materiam hujus Sacrificii, tamquam res oblata. Ita communiter. Et ratio est, quia materia panis, & vini in hoc Sacrificio annihilatur. Hæc tamen destructio non intenditur per se, sed ut dispositio, & requisitum ad Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi, qui non aliter potest fieri nobis in aliena specie sensibilis, & demonstrabilis, nisi per destructionem talis substantiæ.

IV. Quæritur quarto, quisnam sit Offerens in hoc Sacrificio?

Respondeo, & dico primo; Principalis offerens est Christus Dominus summus Sacerdos. Patet, tum quia verba consecratoria in persona Christi proferuntur, & Sacerdos nomine Christi, & ut illius Minister offert; tum etiam quia Trid. sess. 22. cap. 1. dicit, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in eternum constitutum daclarans, &c.* quare Christus Dominus non dicitur principalis offerens, quia Sacrificium hoc instituit; Nec quia actu hanc oblationem offert cum Sacerdote Deo, repræsentando suam passionem; Quamvis enim hoc vere fecerit, tamen non requiritur hoc, nec satis est, ut dicatur principalis offerens; sed requitur, & satis est, ut nomine Christi Sacerdos offerat; atque adeo satis est, quod Christus delegarit Sacerdotes, qui nomine suo offerrent, & quod talem delegationem non retractarit: Ex eo autem quod potestatem offerendi Sacrificium communicaverit Sacerdotibus, bene infertur, quod ipse sit Sacerdos in æternum, habens potestatem offerendi immediate Sacrificium; aliter si potestatem hanc non haberet, non posset illam delegare. Dico secundo: Solus Sacerdos legitime ordinatus habet potestatem offerendi hoc Sacrificium nomine Christi, seu ut Minister Christi: Ita Trid. Et ratio est, quia solus Sacerdos habet potestatem consecrandi; cum autem Sacrificium consistat, ut diximus art. præced., in consecratione, sequitur, quod solus Sacerdos possit Sacrificium offerre.

V. Dico tertio: Omnes fideles possunt hoc Sacrificium offerre Deo per Sacerdotem. Ita communiter Catholici apud Suar., & D. Th. quæst. 82. art. 6.; Et colligitur ex illis verbis Canonis, *Et omnium circumstantium, &c. pro quibus tibi offerimus* (idest pro iis, qui circumstant, & non sunt Sacerdotes sacrificantes) *Vel qui tibi offerunt*, idest non solum Sacerdotes, sed etiam omnes fideles, ut explicat Innoc. lib. 3. cap. 5. apud Trull., & habet communis expositio. Quod etiam colligitur ex illis verbis Canonis, *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, &c.* Et ratio est, quia cum Sacrificium sit publicus Dei cultus nomine totius populi factus, ad omnes debet pertinere illud offerre, licet non immediate, sed per Sacerdotem, seu Ministrum publicum ad id deputatum. Quamvis autem omnes Catholici non excommunicati aliqua ratione quodlibet Sacrificium per Sacerdoter offerant, quatenus, ut notat Con. num. 108., Sacerdos offert hoc Sacrificium in persona totius Ecclesiæ; (sicut tota civitas dicitur agere, quando ejus Legatus agit apud Regem) tamen, ut advertit Filliuc. tract. 5. cap. 2. quæst. 3., ille dicitur specialiter offerre, & specialiter participat fructum Sacrificii, qui moraliter cooperatur, & speciali concursu concurrit ad illud; Verbi gratia, petendo Missam, procurando illam, dando eleemosynam pro illa, inserviendo, aut saltem assistendo illi; Unde ille magis dicitur offerre hoc Sacrificium, & magis ejus fructum participat, qui magis, & pluribus modis cooperabitur; sic verbi gratia, magis offert, qui Missæ inservit, quam qui solum assistit, &c.

ARTICULUS III.

De Effectibus hujus Sacrificii. Ubi an sit valoris infiniti?

I. *Ex opere operato solum mediate, & per modum Impetrationis confertur prima gratia, & peccatorum remissio vi hujus Sacrificii.*

II. *Remissio vero venialium etiam immediate; sicut etiam pœnarum temporalium peccatis debitarum; sed an infallibiliter?*

III. *Quatenus Impetratorium obtinet nobis etiam bona temporalia, si conducant saluti.*

IV. *Habet hoc Sacrificium vim causativam suorum effectuum intensive infinitam.*

V. *Et probabiliter etiam extensive infinitam, ut habuit Sacrificium cruentum.*

VI. *Cur nequeat Sacerdos eadem Missa pluribus obligationibus satisfacere; si scilicet uni debeat Missam ex stipendio, alteri ex promissione, &c.?*

I. NOn loquimur hic de effectibus, quos habet ex opere operantis, quatenus est actus virtutis religionis; nam sic consideratum eosdem habet effectus, quos habent alii actus virtutis; videlicet primo mereri augmentum gratiæ; secundo satisfacere pro peccatis propriis, vel illius, cui talis satisfactio applicatur; tertio impetrare sibi, vel aliis aliquod bonum. Agimus itaque de effectibus, quos ex opere operato habet, quatenus Sacrificium est, præscindendo a dignitate operantis.

Quæritur primo; Quinam sint effectus hujus Sacrificii?

Respondeo, dico primo, non confert hoc Sacrificium ex opere operato primam gratiam, ac remissionem peccatorum. Ita communiter: Et ratio est, tum quia non constat, quod ad talem effectum operandum sit institutum, tum etiam quia Sacramentum Pœnitentiæ non esset secunda tabula post naufragium, si possent per hoc Sacrificium etiam deleri peccata. Quare dum dicitur in Consecratione Calicis, quod effundendus sit sanguis Christi in remissionem peccatorum, intelligendum est tum de effusione cruenta, idque mediate, videlicet applicata per Sacramenta; tum etiam de effusione mystica, sed tantum relate ad remissionem venialium, & solum per modum impetrationis relate

ad

ad remissionem mortalium, ut mox dicemus ex Suar. disp. 79. sect. 3. Filliuc., Trull.

Dico secundo: Hoc Sacrificium confert ex sua institutione primam gratiam, & remissionem peccatorum solum per modum impetrationis, & mediate; quatenus scilicet intuitu hujus Sacrificii donatur peccatori donum pœnitentiæ, hoc est auxilium ad contritionem, qua peccata remittuntur. Ita Suar. loc. citat., Filliuc., Bonac. ex D. Th. Et colligitur ex Trid. sess. 22. cap. 2. ubi habet: *Hujus quippe Sacrificii oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Quibus verbis ostendit Concilium, Sacrificium Missæ esse vere propitiatorium, & placativum Dei, & inde oriri cætera bona; Prius enim debet placari Deus offensus, ut evadat deinde largitor bonorum; Placatur autem Deus, si tollatur indignationis obex positus a peccatis nostris, quæ obstabant, ne Deus sua bona nobis largiretur; ac obice sublato, sit nobis benevolus; non quasi vero statim peccatoribus det donum pœnitentiæ, & omnia sua bona nobis largiatur infallibiliter, posito quocumque Sacrificio; cum id non experiamur; sed quia posito Sacrificio, Deus, qui erat a peccatoribus aversus, deposita vel totaliter, vel partialiter indignatione, fit promptus ad illis concedendum donum pœnitentiæ, ac reliqua bona, & ad avertenda mala. Suar., Vasq., Trull., Fill., & alii putant hujusmodi auxilia ad contritionem non dari infallibiliter peccatoribus, pro quibus offertur Sacrificium; ne eatenus nimium fidant. Equidem tamen probabiliorem puto sententiam oppositam, quod scilicet infallibiliter hujusmodi auxilia peccatoribus dentur, & justis aliqua bona supernaturalia, quæ conducant ad gratiam, & gloriam. Ratio est, quia hoc Sacrificium est essentialiter propitiatorium, & placativum, reddens benevolum Deum, qui propter peccata erat aversus, non potest autem Deus dici benevolus, nisi etiam sit benefaciens: ergo infallibiliter debet bonum aliquod supernaturale conferre intuitu Sacrificii ex opere operato iis, pro quibus offertur. Adverte tamen hujusmodi auxilia, quæ infallibiliter a Sacrificio impetrantur, non semper esse absolute efficacia; quamvis enim ex parte Dei dentur sincero affectu, ut sint efficacia, aliquando tamen sunt tantum sufficientia, quia culpa nostra non redduntur a nobis efficacia. Sic autem dicendo, salvamus experientiam, quod non semper peccatores convertantur, & apte applicamus promissionem factam a Christo, quod effundendus sit sanguis Eucharisticus in remissionem peccatorum; quia scilicet semper affert auxilium aliquod supernaturale, saltem sufficiens, ordinatum ad remissionem peccatorum obtinendam.

Dico tertio: Non confert hoc Sacrificium ex opere operato immediate augmentum gratiæ. Ratio est, quia non constat, quod illi talis virtus concessa sit; sicut concessa est Sacramentis. Quare solum potest augmentum gratiæ conferre ex opere operato mediate per modum impetrationis (eo modo, quo diximus, conferre peccatori primam gratiam) conferendo scilicet aliquod auxilium supernaturale, saltem sufficiens, ordinatum ad eliciendum actum, quo crescat in gratia justus, pro quo Sacrificium offertur.

II. Dico quarto; Hoc Sacrificium non solum confert remissionem venialium mediate, (conferendo scilicet auxilium ad eliciendum actum amoris, vel contritionis, quo venialia remittantur, sicut habet vim remittendi mediate ex opere operato mortalia) sed etiam probabile est habere vim conferendi remissionem venialium ex opere operato immediate, ut docet Henr. lib. 9. cap. 13. num. 2., & alii apud Trull. Ratio est, quia Trid. sess. 22. cap. 2. docet, *offerri hoc Sacrificium pro fidelium vivorum peccatis, & in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum.* Quare cum speciali modo loquatur Trid. de remissione peccatorum quotidianorum, seu venialium, probabile est, quod specialiter vi hujus Sacrificii illa remittantur, atque adeo non solum mediate, sicut mortalia, sed etiam immediate.

Dico quinto: Cum Sacrificium hoc non solum sit Propitiatorium, sed etiam satisfactorium pro pœnis, quæ peccatis debentur; ideo effectus etiam hujus Sacrificii est remittere ex opere operato hujusmodi pœnas temporales tam vivis, quam defunctis. Ita communiter Theologi ex Trid. loc. citat. ubi dicitur: *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, sed pro defunctis, etiam nondum ad plenum purgatis juxta Apostolorum traditionem offertur.* Et sane cum Sanguis Eucharisticus effundatur in remissionem peccatorum, debuit se extendere ad remissionem etiam pœnarum, quæ aliqua ratione dicuntur peccata, quatenus sunt reliquiæ, & effectus peccatorum: & ideo 2. Machab. 12. dicitur: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, idest a pœnis peccatorum. Quamvis autem posset hoc Sacrificium remittere pœnas tantum mediate, videlicet impetrando vires spirituales ad augenda opera pœnitentiæ, quibus satisfacimus Deo, tamen probabile etiam est quod etiam immediate pœnas remittat, impetrando nobis applicationem satisfactionum, & meritorum Christi, quibus Deus remittat pœnas nobis debitas, (sicut diximus, quod etiam immediate remittat venialia juxta probabiliorem sententiam) cum Trid. dicat offerri hoc Sacrificium *Pro pœnis, & satisfactionibus.*

Rogabis, an infallibiliter etiam hunc effectum producat?

Respondeo cohærenter ad dicta affirmative; cum enim hoc Sacrificium sit essentialiter placativum Dei, ex Trid. sess. 22. cap. 2., debet non solum tollere, vel minuere indignationem Dei offensi, sed etiam pro pœnis debitis satisfacere: Quomodo enim diceretur Deus placatus, si nihil de satisfactione sibi debita propter injuriam remitteret?

Notandum tamen cum Bonac. de Indulg. punct. 6., quod quando pro defunctis offertur Sacrificium, liberum sit Deo illud acceptare. Sicuti enim si Petrus præbeat Regi satisfactionem pro offensa, quam a Titio Rex accepit, liberum est Regi, talem satisfactionem acceptare, cum possit exigere satisfactionem ab eodem Titio offensore; ita suffragia, Indulgentiæ, Sacrificia, quæ pro defunctis offeruntur, libere a Deo acceptantur; & ideo Indulgentiæ, & Sacrificia, & operationes bonæ, quas, pro defunctis offerimus, dicuntur offerri per modum suffragii, hoc est per modum solutionis pro illis exhibitæ, non per modum absolutionis, aut judicii, quia Ecclesia nullam habet in defunctos authoritatem, & jurisdictionem, prout explicavimus in Opusculo de Jubilæo quæst. 5. art. 3.

III. Dico sexto: Quia Sacrificium hoc etiam est Impetratorium, ideo effectus hujus Sacrificii est etiam obtinere bona non solum spiritualia, sed etiam temporalia. Quod constat ex usu Ecclesiæ, quæ consuevit in hoc Sacrificio etiam pro necessitatibus temporalibus orare; Quamvis temporalia bona aliquando aut non obtineantur, aut non statim, quia petuntur sub implicita illa conditione, si conducant ad salutem.

IV. Queritur secundo, An valor hujus Sacrificii sit infinitus, ita ut æque prosit cuilibet, si pro omnibus offeratur, ac si pro uno tantum?

Respondeo, certum esse primo, valorem hujus Sacrificii esse infinitum, si spectetur ex parte rei operatæ, seu quæ offertur, quæ est Christus Dominus, qui est persona infinita, & cujus passio, merita, & satisfactio pariter sunt infiniti valoris.

Certum est secundo, quod si Sacrificium Missæ spectetur relate ad effectum satisfaciendi, & impetrandi de facto, semper causat effectum finitum: sicut ipsum Sacrificium cruentum Crucis quamvis esset infiniti valoris, & potuisset infinitos effectus causare, de facto tamen a Deo relate ad effectum finitum fuit ordinatum, & acceptatum.

Certum est tertio, quod valor hujus Sacrificii relate ad hos effectus sit infiniti valoris, in actu primo remoto, non secus ac Sacrificium Crucis; quatenus poterat a Deo ordinari, & acceptari relate ad effectus infinitos, & ut pro infinitis peccatis satisfaceret, & bona infinita impetraret. Ratio est, quia ex Trid. loc. citat. *Una eademque est hostia, & idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Quare negari non potest, quod in hoc Sacrificio incruento existat dignitas omnino infinita, quæ ex natura sua sit capax acceptationis, & ordinationis ad effectus infinitos.

Certum est quarto, quod si spectetur Sacrificium secundum quod offertur a Sacerdote, ut persona privata, vel prout offertur ab ipsa Ecclesia, sit valoris finiti; non secus ac valoris finiti fuit oblatio facta a B. Virgine in Templo, quando obtulit filium suum. Quamvis enim res oblata esset infinita, quia tamen in oblatione honorifica spectatur magis persona offerens, quam res oblata, ideo cum persona offerens sit finita, finiti valoris erit oblatio: Et in eo solum casu oblatio rei infinitæ facta a persona finita erit valoris infiniti, quando res oblata est valde utilis, & commoda ei, cui offertur, non vero quando spectatur solum submissio personæ offerentis.

Dubium itaque solum est, an sit infiniti valoris hoc Sacrificium, prout a Christo Domino oblatum principaliter in eo sensu, in quo est infiniti valoris Sacrificium Crucis, quod ita prodest omnibus hominibus præteritis, præsentibus, & futuris, ut eodem modo prosit singulis, sive pro uno tantum offerretur, sive pro omnibus, etiamsi essent infiniti. Et sane in Sacrificio Missæ triplex effectus assignatur communiter apud Suar. disp. 79. sect. 9. Generalis, Medius, seu specialis, & Specialissimus. Generalis est ille, quem Ecclesia intendit applicare omnibus fidelibus, tam vivis, quam defunctis, & præsertim Pontifici, Episcopo, & aliis, quorum Sacerdos meminit in utroque Memento. Specialissimus est ille, qui est proprius Sacerdotis, adeo ut aliqui apud Azor. lib. 50. quæst. 10. puct. 9., putent non posse aliis applicari: Sicut enim qui inservit Missæ speciali modo participat fructum Sacrificii magis, quam qui assistit, & quam omnes fideles; ita Sacerdos, qui majorem operam navat huic Sacrificio, quam qui inservit, habet etiam ex opere operato effectum correspondentem tali actioni. Tertius Medius, qui ab aliis dicitur specialis, & est ille, qui competit ei, cui Sacerdos Sacrificium applicat juxta praxim Ecclesiæ. De effectu specialissimo, quod sit finitus, non est dubium; quia correspondet actioni Sacerdotis, inquantum persona privata est, quæ est finitæ dignitatis. De effectu Generali, quod sit etiam finitus intensive, patet; quia aliter statim omnes animæ e purgatorio liberarentur. Dicitur

tamen

tamen Sacrificium esse relate ad hunc effectum aliquo modo infinitum extensive, quatenus non tot prodest, quin possit prodesse pluribus. Quare solum de effectu, qui dicitur Medius, quæritur, An sit infiniti valoris, ita ut æque prosit singulis, sive pro pluribus, sive pro paucioribus offeratur?

Bonac. Suar., Con., Trull. docent esse finitum valorem Sacrificii relate ad hunc effectum Medium ex opere operato productum; non secus ac relate ad effectum specialissimum proprium Sacerdotis; Unde si pro multis idem Sacrificium offeratur, minus prosit singulis, quam si offeratur pro paucis: Sicut Oratio ex opere operantis efficacior est ad impetrandum, si pro uno offeratur, quam si pro multis.

Dico equidem primo: Hoc Sacrificium non solum habet valorem, & dignitatem intrinsecam infinitam, sed etiam vim causativam suorum effectuum intensive infinitam in actu primo proximo.

Probatur, quia illa causa dicitur habere virtutem causativam in actu primo proximo intensive infinitam, quæ potest producere effectus intensive perfectiores, & perfectiores in infinitum: Sicut Omnipotentia Dei dicitur habere virtutem productivam intensive infinitam in actu primo proximo: quamvis non possit producere creaturam aliquam perfectionis categorematice, & simpliciter infinitæ. Cum enim possit producere creaturas perfectiores, & perfectiores syncategorematice in infinitum, ideo dicitur habere vim causativam in actu primo proximo intensive infinitam, & ipsa Omnipotentia consequenter est simpliciter & categorematice intensive infinita: atqui hoc sacrificium est hujusmodi. Nam ex D. Th. quæst. 79. art. 5. producit effectum juxta dispositionem participantium de Sacrificio: cum autem dispositio possit magis magisque crescere in infinitum; idcirco poterit Sacrificium causare effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum. Idemq; pariter dicas de Eucharistia, ut Sacramentum est, quod similiter juxta dispositionem suscipientis gratiam producit, ut sic homines excitentur ad devotissime illud suscipiendum: Et hinc colligitur, quare non satis sit unum Sacrificium ad omnia bona obtinenda, ad placandum Deum pro omnibus culpis, & ad satisfaciendum pro omnibus pœnis: Hoc enim non oritur ex insufficientia Sacrificii, sed devotionis nostræ. Quod etiam eruitur ex illis verbis Canonis: *Et omnibus Orthodoxis, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.*

V. Dico secundo cum Nugno, Cajet., Pal. de Sacrificio punct. 6., Vasqu. disp. 231. de Euchar. contra Suar. apud Dia. part. 5. tract. 14. resol. 81. Sacrificium hoc non solum habere vim causativam suorum effectuum infinitam in actu primo proximo intensive, sed etiam extensive. Ad eum modum quo Omnipotentia vim habet causativam in actu primo proximo infinitam non solum intensive, sed etiam extensive; quatenus non solum potest producere creaturas perfectiores & perfectiores in infinitum, sed etiam plures & plures in infinitum; Esto non posset producere multitudinem categorematice infinitam; quam multi Doctores censent repugnare.

Probatur. Habet hanc vim causativam suorum effectuum in actu primo proximo, non solum intensive, sed etiam extensive, syncategorematice infinitam Sacrificium incruentum Crucis, quatenus æque prodest singulis, sive pro pluribus, sive pro paucioribus offeratur: ergo idem dicendum de hoc sacrificio incruento. Et sane Missa æque prodest singulis, sive a pluribus, sive a paucioribus audiatur; ergo pariter æque prodest eadem Missa singulis, sive pro paucioribus, sive pro pluribus a Sacerdote applicetur. Ratio a priori est, quia cum habeat vim causativam intensive infinitam, ut diximus in prima conclusione, non potest non habere pariter vim extensive infinitam, sicut si daretur vis calefactiva infinita intensive, hæc esset pariter infinita extensive; ita ut ejus efficacia relate ad singula subjecta eadem sit, sive uni tantum, sive pluribus applicetur.

Confirmatur, qua ex Suar., eadem particula consecrata, sive divisa, sive replicata, si applicetur infinitis, eodem modo singulis causat gratiam, ac si uni tantum applicaretur per manducationem: ergo idem dicendum de Eucharistia, ut Sacrificio. Quod latius in Cursu Theologico prosecuti sumus.

Oppones usum Ecclesiæ; nam qui offert Sacificium, verbi gratia pro anima sui parentis, ita ut illi prosit, quantum prodesse potest, applicat solum pro tali anima Sacrificium, & non pro aliis.

Confirmatur; quia aliter posset duplex stipendium pro eadem Missa recipere Sacerdos, qui illam applicat pro duobus, quod proscribitur in Thesi X. Alex. VII.

Respondeo, usum Ecclesiæ esse hujusmodi propter majorem securitatem, cum opinio nostra non sit omnino certa. Adde, quod qui petit Sacrificium, vult, ut sibi applicetur non solum fructus Sacrificii, qui habetur ex opere operato, sed etiam qui habetur vi orationum, quæ in Missa dicuntur, ex opere operantis; hic autem fructus est finitus, & consequenter si pluribus applicaretur, minus prodesset singulis.

Ad confirmationem negatur sequela, quam aliqui olim immerito concedebant. Ratio est primo, quia stipendium non datur Sacerdoti, nisi pro sustentatione ejusdem; quæ eadem est, sive pro pluribus, sive pro uno tantum Missam offerat. Secundo, quia qui petit Missam, vult

vult esse securus de toto fructu Missae, & ideo vult, ut tantum sibi Missa applicetur, ne exponatur periculo, quod minus sibi prosit, si pro pluribus applicetur. Unde contra justitiam peccaret, qui stipendio accepto promitteret uni Missam, illamque deinde pro pluribus applicaret. Tertio, quia fructus Missae, qui habetur ex opere operantis vi orationum, quae in illa dicuntur, est finitus, & petitur ab eo, qui dat eleemosynam pro Missa; unde si pluribus applicaretur eadem Missa, minus singulis relate ad talem effectum prodesset.

Hinc sequitur, rejiciendam esse opinionem illam, quod si debeat Sacerdos celebrare unam Missam pro Titio, a quo accipit stipendium, & alteram pro Cajo, cui illam promisit, vel pro defuncto, cui debet ex voto, possit una Missa his omnibus obligationibus satisfacere. Ratio est, tum quia licet non minueretur fructus Sacrificii, qui habetur ex opere operato, minueretur tamen fructus, qui habetur ex opere operantis vi orationum, precum, & aliarum piarum actionum, quae in Missa fiunt a Sacerdote, ut Ministro Ecclesiae: Tum etiam quia cum haec opinio sit incerta, qui dedit stipendium, & is, cui promissa est missa, exigunt, ut pro se adaequate missa offeratur, ne exponantur periculo, quod minus accipiant. Quare licet possit aliis obligationibus, quae non sunt ex justitia, quilibet satisfacere, sequendo opinionem probabilem: Verbi gratia, qui debet jejunare, vel recitare officium, satisfacit, si jejunet, aut recitet officium eo modo, quo probabiliter satisfit; At qui debet satisfacere obligationi ex justitia, non potest sequi opinionem probabilem, omissa certa; cum non detur aequalitas exigita a justitia inter debitum certum, & solutionem probabilem, & incertam.

Circa fructum Missae specialissimum, docuerunt nonnulli apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 14., quod potest Sacerdos duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere, quando applicat pro offerente stipendium non solum fructum medium, sed etiam hunc specialissimum: quae tamen opinio jure merito proscripta est ab Alex. VII., & antecedenter in decreto Urbani VIII., tum quia stipendium datur pro sustentatione Sacerdotis, ut proinde non possint pro eadem Missa multiplicari stipendia; tum etiam quia incertum est, an possit hujusmodi fructus specialissimus alteri applicari; ut fusius diximus explicando in Trutina octavam Thesim ab Alex. VII. confixam.

ARTICULUS IV.

A quibus, & quomodo fructus hujus Sacrificii participari possint?

I. Quonam pacto pro Beatis offerri possit Sacrificium?

II. Valide, & licite pro non Baptizatis offertur.

III. Cur animae purgantes non sint capaces fructuum Sacramentorum, sint vero capaces, ut pro iis Sacrificium offeratur.

IV. Probabile est, quod illicite dumtaxat, non vero invalide pro excommunicatis vitandis offeratur.

V. Num possit offerri mentaliter pro excommunicatis vitandis, si sint contriti, & per ipsos non stet, quominus absolvantur?

VI. Probabilius pro excommunicatis toleratis publice offerri sacrificium potest.

VII. In Offerente requiritur intentio saltem habitualis applicandi illud ei, cui vult prodesse, quin tamen possit fructus Sacrificii suspendi.

VIII. Is, pro quo offertur Sacrificium, debet esse de praesenti capax, ac indigens fructu Sacrificii.

I. Quaeritur primo; An possit hoc Sacrificium applicari, & valide offerri pro Beatis, aut pro damnatis, ita ut possit aliquo pacto illis prodesse?

Respondeo negative, cum non sint capaces fructuum hujus Sacrificii. Hinc audiendi non sunt, qui dixerunt poenas inferni in damnatis minui vi hujus Sacrificii. Nam in iis *Judicium fiet sine misericordia*, ut habetur Jacobi 2. Quare si quis offerat Sacrificium pro anima Titii, quae est damnata, aut etiam beata, fructus illius Sacrificii cedunt in utilitatem sacrificantis, si habeat intentionem illud sibi applicandi in defectu alterius; aliter reponuntur in thesauro Ecclesiae, ut notat Henr. lib. 3. cap. 18. Puto tamen, quod satis sit intentio interpretativa applicandi illud sibi, si non prodest alteri, juxta illud Psal. 34. *Oratio mea in sinum meum convertetur*. Sicut autem Beatis prodesse Sacrificium non potest, quatenus satisfactorium, aut propitiatorium, seu placativum Dei ut patet; ita neque ut impetratorium relate ad gloriam essentialem; solum potest illis prodesse, ut impetratorium relate ad gloriam accidentalem extrinsecam ipsis Sanctis; Sed in hoc sensu potius prodest nobis, qui illos glorificamus: propterea sicut non potest offerri Sacrificium pro Deo directe, ut scilicet Deo resultet gloria accidentalis, ita nec pro Sanctis; & sicut in oratione Dominica dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, non orando directe pro Deo, sed directe pro nobis, ut sanctificemus ejus nomen, indirecte petendo extrinsecum honorem Dei, ita quando offerimus Sacrificium propter gloriam extrinsecam alicujus Sancti, vel Dei: Et quia Sacrificium hoc est etiam Eucharisticum, ideo potest Deo offerri etiam in gratiarum actionem pro beneficiis collatis Sanctis. Nec potest non esse gratissimum Angelo nostro Tutelari, quod Sacrificium Deo offeramus inquantum

tum

tum Eucharisticum in gratiarum actionem, quod gratia efficaci illum munierit in prælio illo magno, quod inter Michaelem Archangelum, & draconem commissum fuit.

II. Quæritur secundo; An possit Sacrificium hoc valide offerri pro non baptizatis?

Respondeo affirmative cum Suar., & aliis contra Vasq. sicut enim potest non baptizatis conferri Sacramentum Baptismi, ut fiant membra Ecclesiæ, ita potest non solum orari, sed etiam offerri Sacrificium pro non baptizatis, impetrando illis ex opere operato auxilium, ut baptizentur: Cum enim Sacrificium incruentum sit applicatio cruenti; sicut cruentum fuit quoad sufficientiam oblatum etiam pro infidelibus, ita potest offerri incruentum. Quamvis non possit illis prodesse, quatenus satisfactorium est, quia non potest satisfacere pro pœnis debitis ei, qui est in peccato mortali; nec ulla pœna remittitur ei, cui debetur pœna æterna. Adde, quod etiam licite id fieri possit; nam Apost. 1. ad Timoth. 2. dicebat, obsecrationes, & orationes fieri pro Regibus, qui tunc erant infideles: Et Ecclesia in die Parasceves orat pro Catechumenis, & pro Paganis. Ex quibus sequitur, a fortiori applicari posse Sacrificium pro baptizatis peccatoribus, esto nec illis prodesse possit, quatenus est satisfactorium.

III. Quæritur tertio, an possit applicari pro animabus existentibus in Purgatorio?

Respondeo affirmative, ex Trid. sess. 22. can. 3., potest enim illis prodesse, quatenus satisfactorium est, remittendo illis pœnas ex opere operato; sicut etiam quatenus impetratorium, obtinendo auxilia, quibus alii excitentur ad exhibenda pro illis Deo opera pietatis. Immo potest pro illis offerri inquantum Eucharisticum, seu inquantum est Sacrificium gratiarum actionis, gratias Deo agendo, quod illos in statu salutis posuerit. Neque dicas, animas purgatorii non esse capaces fructuum Sacramentorum: ergo neque Sacrificii. Disparitas enim est, quia Sacramenta ordinantur ad producendam gratiam, in qua non possunt crescere; Sacrificium vero ad remissionem pœnarum, cujus sunt capaces. Præterea Sacramenta applicari non possunt soli animæ exutæ e corpore, cum sint sensibilia, secus vero Sacrificia, ut patet.

IV. Quæritur quarto; An possit pro excommunicatis Sacrificium offerri?

Respondeo, & dico primo; Sacerdos applicare potest Missam pro excommunicatis vitandis ut persona privata; eo scilicet pacto, quo possunt pro iisdem offerre Sacrificium, qui missæ intersunt, & qui dat eleemosynam pro Missa. Ita communiter contra Fabrum apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 57. Ratio est, quia Ecclesia privat excommunicatos solum communibus suffragiis, atque adeo privat illos solum Sacrificio, ut oblato in persona Christi, vel Ecclesiæ. Unde fit, quod possit Sacerdos privatim orare sola mente in *Memento* pro excommunicatis vitandis, non tamen per orationes, quæ nomine Ecclesiæ funduntur.

Dico secundo consequenter; Non potest Sacerdos pro excommunicatis vitandis offerre Sacrificium ut persona publica, seu nomine Christi, vel Ecclesiæ, aut sic pro illis orare; cum id directe prohibeatur per excommunicationem, qua privantur communibus suffragiis Ecclesiæ.

Utrum autem illicite solum, an etiam invalide pro iis Missa offerretur a Sacerdote in persona Christi, & ut ejus Ministro? Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 2. §. 4. num. 7. putat, quod invalide; unde teneretur ad restitutionem, qui acciperet stipendium pro Missa applicanda excommunicato vitando. Sed verius Coninch quæst. 82. art. 1. num. 159. quod solum illicite; quia Ecclesia potest quidem prohibere, ne offeratur pro his Sacrificium; non potest tamen efficere, ne Sacrificium producat suos effectus ex opere operato juxta Christi institutionem illis, qui talium effectuum sunt capaces; Sicut potest prohibere, ne Sacerdos excommunicatus consecret, non tamen potest efficere, ne valide consecret, si illicite consecraret. Quare excommunicatus vitandus solum privatur fructu Sacrificii proveniente ex parte Ecclesiæ; non vero fructibus provenientibus ex institutione Christi. Unde fit, non teneri ad restitutionem Sacerdotem, qui illicite acciperet eleemosynam ad sui sustentationem pro offerenda Missa pro hoc excommunicato. Sicut enim totum stipendium potest retinere, (ut idem Tamb. loc. cit.) qui offert Missam vel pro peccatore, vel pro Turca, qui non possunt omnes fructus Sacrificii percipere; cum non possit iis Sacrificium prodesse, prout est satisfactorium; etenim qui erogant eleemosynam, interpretative solum volunt id, quod possunt rationabiliter percipere; ita in casu nostro.

V. Dubium tamen est, an possit licite Sacrificium in persona Christi offerri pro excommunicato vitando, si constet, quod sit contritus, & per ipsum non stet, quominus absolvatur?

Sotus, Con., Vasq., Hurt. apud Tamb. loc. citat. negant, quia adhuc est excommunicatus, eumque ad terrorem aliorum punit Ecclesia. Quare sicut non potest hic accedere ad recipienda Sacramenta, ita nec possunt illi applicari Sacrificia, etiamsi sit in gratia, & per ipsum non stet, ne absolvatur; licet aliter potuerit Ecclesia decernere. Sed probabilius affirmant Fagund. de Præc. Ecclesiæ lib. 3. cap. 12.

& Dian.

& Dian. part. 5. tract. 9. resol. 76.; quia Ecclesia non intendit punire tam graviter Dei amicos. Verum quidem est, quod hujusmodi excommunicati non possint Sacramenta suscipere, nec possint pro illis publice preces fundi; quia hoc pertinet ad forum externum; secus vero, si Sacrificium Sacerdos applicet mentaliter pro illis.

VI. Dico tertio, pro excommunicatis toleratis potest etiam Sacrificium offerre Sacerdos, ut persona publica, & pro iis orare, ut communius docent cum Lug., Con., Bonac. contra Suar., & Vasq. apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 74.; Ratio est, quia Concilium Constantiense permittit omnem communicationem cum his excommunicatis ad dilatandas conscientias fidelium. Et quamvis id faveat excommunicatis indirecte, non proinde obstat, quominus directe talis concessio faveat fidelibus, quatenus possunt sine scrupulo pro iis orare; Et favet etiam Sacerdoti per hoc, quod possit, verbi gratia, eleemosynam accipere, ut applicet Missam pro illis. Unde fit, quod iisdem excommunicatis non liceat talem eleemosynam dare; liceat tamen Sacerdoti, cui offertur, illam accipere.

Neque dicas cum Vasq. de Excom. dub. 2., quod quando Concilium permittit communicationem cum his excommunicatis, etiam in divinis, non permittat applicationem Sacrificii; quia hæc fit sola mente, & excommunicato longe distante; Unde id non potest dici communicatio permissa cum excommunicato. Nam in Ecclesia pro eodem veniunt communicatio Sanctorum, & participatio suffragiorum; Et in cap. *A nobis* 28. *de Sent. excommunicationis*, ista duo communicare cum aliquo, & publica suffragia illi applicare, aut simul conceduntur, aut simul prohibentur; ergo cum concedatur communicatio cum excommunicatis toleratis, conceditur etiam, quod possit participare publica suffragia, atque adeo quod possit pro iis Sacrificium Missæ applicari.

Adverte tamen cum Suar. disp. 78. sect. 2., dupliciter posse offerri Sacrificium pro Hæreticis, & aliis excommunicatis. Primo directe pro bono ipsorum sive spirituali, sive temporali; Secundo indirecte, intendendo eorum conversionem pro bono, & augmento Ecclesiæ. Quamvis autem non posset directe pro iis Sacrificium offerri; posset tamen indirecte, intendendo principaliter bonum Ecclesiæ: In quo sensu in die Parasceves Ecclesia orabat publice pro Hæreticis olim ante Concilium Constantiense; quando nulla communicatio cum toleratis tunc permittebatur; Nisi velimus dicere, quod Ecclesia sibi dispensaret pro tali die.

VII. Quæritur quinto; Quænam requirantur ex parte offerentis, ut possint percipi fructus hujus Sacrificii ab iis, pro quibus offertur.

Respondeo, requiri, quod offerens velit pro illis Sacrificium offerre, & applicare: Ratio est, quia celebrans est constitutus a Christo dispensator talium fructuum, ut illos, cui maluerit, applicet: Quare si nulli applicet; nec sibi velit saltem interpretative applicare, remanebunt in thesauro Ecclesiæ, qui possit a Pontifice per indulgentias, quas concedit, dispensari. Notat autem Trull. dub. 6., quod Sacerdos, quando nulli applicat, censetur velle sibi applicare per generalem illam voluntatem, qua quisque semper intendit sibi prodesse, quantum potest: Debet tamen Sacerdos habere, dum actu celebrat, intentionem saltem virtualem, aut etiam habitualem non retractatam applicandi alicui hoc Sacrificium (ut Doctores docent contra Vasq. apud Tamb. l. 2. cap. 2. §. 10.) cum communiter homines soleant sic de suis rebus disponere. Nec satis est, si post Sacrificium illud applicet, quia non potest suspendere fructus hujus Sacrificii, sicut nec Sacramenti. Unde fit, quod sicut non potest offerenti eleemosynam applicari Sacrificium jam præteritum nulli alteri applicatum, ita nec possit applicari Sacrificium pro iis, qui dabunt eleemosynam in futurum; vel quos Deus scit post aliquot dies hoc, vel illud esse facturos; vel pro eo, qui primo est moriturus; ut docent Suar., Con. quæst. 8. n. 108., & alii communiter contra Henr. lib. 9. cap. 22. num. 2. Ratio est ex Suar., Lug., & aliis apud Tamb. lib. 2. cap. 2. §. 8., quia quamvis Deus de facto sciat, quisnam sit stipem daturus, vel primo moriturus, &c. tamen per hoc non vitatur, quod effectus Sacrificii non suspenderentur. Etenim sæpe accidit, quod non indigeat nunc fructibus Sacrificii, (verbi gratia, satisfactione illa) qui crastina est daturus stipem pro missa, aut moriturus, atque adeo fructus Sacrificii deberent in suspenso remanere, ut possent percipi ab illo, quando futurum est ut indigeat. Christus autem noluit, posse nunc applicari satisfactionem Sacrificii Titio pro peccatis futuris, ne daret impunitatem peccandi: & ideo prohibita est a Paul. V., & a Sacra Congregat. Conc. die 15. Novembris anno 1605. hujusmodi anticipata celebratio pro incerto eleemosynam oblaturo. Diximus autem art. 2. probabiliter voluntati offerentis stipem satisfacere Sacerdotem, qui ante sumptionem applicat Missam; eo quod probabile sit sumptionem esse partem essentialem hujus Sacrificii: Quod si Sacrificium in sola consecratione consisteret, deberet saltem in consecratione calicis haberi ista applicatio, quia nunc perficitur consecratio: Unde fit, quod si unus consecrat hostiam, & deficiat, & alter consecret calicem, ad hunc secundum pertineat applicare Sacrificium.

VIII. Quæritur sexto; quænam requiratur ex-

ex parte subjecti ad hos fructus percipiendos?

Respondeo, requiri capacitatem. Propterea peccator, v. g. non potest percipere fructum Sacrificii relate ad satisfactionem, cum non remittatur pœna ulla illi, qui pœnam meretur æternam, ut communiter docent contra Amicum disp. 33. sect. 6. unde fit, requiri gratiam habitualem in eo, qui percipit ex hoc Sacrificio fructum satisfactionis ex opere operato: (quicquid sit, utrum quando peccator deinde conteritur, reviviscat fructus talis satisfactionis? quod examinant Scholastici.) Nec damnati possunt ullum omnino hujusmodi fructum percipere ex defectu capacitatis. Requiritur etiam in subjecto indigentia talis fructus; quare ante commissam culpam nemo potest ex hoc Sacrificio percipere fructum satisfactionis, quo fruatur, quando est peccaturus. Ex quo fit, Sacerdotem optime facere, si applicet alteri Sacrificium semper sub conditione, hoc est, quod si is, pro quo applicat, non indigeat ejus fructu, ex tunc illud applicet huic, vel illi pro libito; vel cui Deus maluerit applicari. Quamvis autem ad percipiendum simpliciter fructum hujus Sacrificii non requiratur alia dispositio; tamen probabile est, ut supra diximus art. 4. ex D. Th. quod magis disposito, ac magis devoto uberior fructus conferatur: Quod colligitur ex iis verbis Missæ, *Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.*

ARTICULUS V.

De Ministro hujus Sacrificii.

I. Num citra mortale possit Sacerdos voluntarie distrahi in recitatione Horarum?

II. Et an etiam in Missæ celebratione?

III. Sacrificium Sacerdotis celebrantis in mortali quosnam fructus parit?

IV. Quoties teneatur Sacerdos quotannis celebrare?

V. Parochi tenentur diebus Dominicis, & festis Missam pro Parochianis suis applicare, quin possint aliam eleemosynam iis diebus recipere.

VI. Quotidie celebrandum in Ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus, &c.

VII. Num peccetur graviter omittendo unam Missam, sive ex promissione gratuita, sive ex stipendio, sive ex voto debitam?

VIII. Num possit Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie semel singulis hebdomadibus vacare?

IX. Num posset tunc pro aliis accepto novo stipendio celebrare?

X. Num teneatur per alium celebrare, si forte ægrotet?

I. Diximus art. super. quando, & quomodo debeat Sacerdos Missam applicare. Diximus pariter quæst. 1. de intentione, quam habere debet consecrandi; Dicendum hic de attentione, & dispositione in eo requisita, ac de obligatione celebrandi.

Quæritur primo, an peccet mortaliter Sacerdos, qui voluntarie in Sacrificio distrahitur, mente revolvendo sua negotia, aut philosophicam aliquam quæstionem, &c.?

Respondeo, in Missæ auditione, & in recitatione Horarum, & aliis orationibus requirunt Doctores communiter apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 2. attentionem internam; Tum quia Ecclesia præcipit actum orationis, oratio autem, cum sit colloquium cum Deo, sine actu interno non est oratio; tum etiam, quia in cap. *Dolentes* præcipitur, ut officium divinum recitetur *studiose pariter, & devote*, atque adeo cum attentione interna: Unde sequitur, teneri ad restitutionem fructuum beneficii Beneficiarium, qui sine attentione interna officium recitavit, perinde ac si officium non recitasset, cum non satisfecerit obligationi recitandi officium, prout debet. Verum Less. Con. Fill. Laym. Lug. & alii cum Dian. loc. cit. putant, probabile esse, quod qui sine attentione interna, & cum voluntaria distractione officium recitavit, neque teneatur repetere officium, neque restituere fructus beneficii, dummodo recitarit cum sola attentione externa, puta non confabulando, ridendo, &c. nec exercendo ullum actum incompossibilem cum attentione interna, videlicet legendo, scribendo, &c. Ratio istorum est, quia Ecclesia non potest præcipere actus internos, cum non possit illos punire. Et ad rationes in contrarium respondent, orationem sine attentione interna cum sola externa, si debite fiat, esse verum actum religionis externum, & hunc solum præcipi ab Ecclesia, quando præcipitur oratio: Sicut sola adoratio externa idoli sine interna est verus actus idololatriæ, qui etiam prohibetur. Similiter docent, quod quando præcipitur recitatio officii studiosa, & devota, præcipiatur solum actus externus studiosus, qui scilicet fiat cum talibus circumstantiis externis; quæ requiruntur ad constituendum actum externum religionis, ita ut non peccetur exterius contra religionem. Conveniunt tamen omnes ex Tamb. hic lib. 2. cap. 3. quod peccet saltem venialiter, qui voluntarie distrahitur; exercet enim aliquam irreverentiam erga Deum sic illum alloquendo. Equidem tamen communiori sententiæ adhæreo; quod scilicet peccet mortaliter, & quod Beneficiarius ad restitutionem fructuum teneatur, si absque ulla attentione interna voluntarie distractus recitet Horas. Sicut enim non satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui in Paschate communicat in statu peccati mortalis, ut habetur ex thesi 55. ab Innoc. XI. proscripta; ita nec satisfacit præcepto reci-

recitandi Horas, aut audiendi Sacrum, qui sine ulla interna attentione hæc præstat; quia Ecclesia saltem indirecte præcipere potest actus internos, sine quibus consistere non possunt actus externi præcepti, ut diximus in Expositione thesis 14. confixæ ab Alex. VII. ostendendo, non satisfieri præcepto Confessionis Ecclesiastico per Confessionem voluntarie nullam. Sicut autem præcipiendo annuam Confessionem, & communionem Paschalem Ecclesia indirecte præcipit actus internos, sine quibus ea Sacramenta nonnisi sacrilege susciperentur; ita præcipiendo recitationem Horarum, aut auditionem Missæ, videtur Ecclesia præcipere aliquam attentionem internam, sive ad Deum, sive ad sensum verborum, quæ proferuntur, aut audiuntur, sive saltem (ut docet Cajet.) ad ipsa verba; siquidem sine aliqua ex his attentionibus internis non videtur consistere posse actus religionis præceptus ab Ecclesia, cum præcipiatur Horarum recitatio attenta, & devota. Præsertim, quia, ut notat Busemb. attentio externa sine attentione interna, saltem ad verba, consistere non posse videtur.

II. Dubium nunc est, an idem dicendum sit in celebratione Missæ, quod dictum est in auditione Missæ, & in recitatione divini officii. Respondeo, Tamb. loc. cit. docere, quod si voluntarie distrahatur Celebrans recitando illas Missæ partes, quæ non pertinent ad canonem, peccet solum venialiter, adhibendo tamen attentionem externam requisitam, ut dictum est de auditione Missæ, juxta secundam sententiam: At qui voluntarie distrahitur per notabile tempus, dum recitat canonem, (videlicet *Te igitur*, usque ad consumptionem, ex Suar. & ex Gavant. usque ad orationem dominicam) peccet mortaliter. Ratio est, tum quia Sacrificium est actus religionis excellentissimus, unde majorem attentionem, ac devotionem videtur requirere, quam aliæ orationes; tum etiam quia est morale periculum aliquid omittendi, vel non rite operandi mysterium Sacrosanctum.

III. Quæritur secundo, An Sacrificium celebratum a Sacerdote in peccato mortali validum sit, & prosit illi, cui applicatur?

Respondeo, validum esse, non secus ac Sacramentum ab indigno Ministro valide conficitur. Parit præterea suum fructum, quatenus offertur nomine Christi, & Ecclesiæ, ex Trid. sess. 22. c. 2. quia fructus hic confertur ex opere operato, & non dependet a probitate Sacerdotis. Quare in eo solum sensu potest dici, quod minus prosit Missa iniqui Sacerdotis, quam justi, quia Deus minus improbos, quam justos exaudit, atque adeo solum fructus Sacrificii, qui habentur ex opere operantis a Sacerdote, tamquam persona privata, deficiunt, quando Sacerdos est in mortali, non vero fructus Sacrificii, quatenus Sacrificium est, qui habentur ex opere operato a Sacerdote tamquam Ministro Christi. Immo neque fructus, qui habentur ex precibus Sacerdotis, prout repræsentantis Ecclesiam, & nomine Ecclesiæ orantis, ut notat hic Bon. dummodo non sit excommunicatus vitandus; tunc enim Ecclesia non tolerat, ut Sacerdos ipsam repræsentet, & nomine suo oret.

Hinc sequitur, quod Sacerdos, qui stipendium accepit pro Missa celebranda, satisfaciat, etiamsi celebret in mortali, aut cum excommunicatione, ut notat Suar. disp. 86. Con. Val. Bon. quia fructus præcipuus Sacrificii ex opere operato perinde habetur. Imo Con. quæst. 83. n. 195. contra Tam. lib. 3. c. 1. sect. 3. putat, non teneri Sacerdotem danti stipendium Sacrificium applicare, quoad fructum ex opere operantis; quia solum exigitur fructus ex opere operato; aliter malus Sacerdos non satisfaceret. At communius docent, quod dans eleemosynam pro Missa exigat totum fructum, qui potest hic & nunc haberi a Sacerdote; quamvis non exigatur, quod hac de causa Sacerdos sit bonus, & devotus: Et ideo etiam excommunicatus vitandus satisfacit offerendo Missam, quamvis hæc non possit prodesse ei, cui applicat, quoad fructus, qui habentur a Sacerdote, ut Ministro Ecclesiæ; sed solum prosit quoad fructus, qui habentur a Sacerdote, ut Ministro Christi.

Notat tamen Suar. disp. 89. Val. Bon. quod si Sacerdos in mortali celebrans sibimet applicet Missam, non percipiat fructum Sacrificii ex opere operato; quia ponit obicem ad talem fructum; imo sibi judicium manducat, & bibit. Neque enim est eadem ratio, si Sacerdos offerat Sacrificium pro aliis peccatoribus. Nam vi Sacrificii Deus potest erga alios peccatores, pro quibus offertur, placari, & concedere illis auxilia ad resurgendum, aut bona temporalia, &c. quamvis non prosit illis, ut satisfactorium est, ut diximus: At quando Sacerdos offert Sacrificium pro se peccatore, cum iterum sacrilege peccet, irritat iram Dei potius, quam Deum placet.

IV. Quæritur tertio, Quam obligationem habeat simplex Sacerdos celebrandi?

Respondeo, quamvis Victor. Cajet. Tamb. lib. 1. art. 8. §. 2. Bon. Dian. part. 1. tract. 14. res. 19. & part. 2. tract. 17. resol. 19. probabiliter putent, non peccare mortaliter, si nunquam celebret, modo in Paschate communicet; Communius tamen docent teneri sub mortali aliquoties in anno celebrare; tum quia illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, continent præceptum divinum; cum Trid. sess. 22. can. 1. dicat Christum illis verbis præcepisse, ut offerrent; uti semper Ecclesia intellexit, & docuit; Hoc autem præceptum videtur latum

tam

tam erga communitatem, quam erga singulos Apostolos, & Sacerdotes: Tum etiam, quia in cap. *Dolentes* de celebrat. Missar. imponitur pœna suspensionis ei, qui vix quater in anno celebrat: Tum demum, quia Pius V. apud Trull. hic disp. 9. jussit expungi in impressione Romana opinionem Cajet. quæst. 82. art. 1. docentis, transgressionem hujus obligationis esse tantum venialem. Quamvis autem D. Th. quæst. 80. art. 10. cum Soto putet, debere Sacerdotes celebrare in præcipuis festis, in quibus fideles solent communicare, atque adeo ex Trull. decies, aut duodecies quotannis; Communius tamen docent apud Dian. satisfieri huic obligationis, si ter, vel quater in anno celebrent, prout dicitur in cap. *Dolentes*; præcipue die Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & nonnulli addunt Corporis Christi, & Assumptionis Beatæ Virginis (*a*).

(*a*) ,, P. Concina *T.* 8. *p.* 418. 1. obtrun- ,, cat suo more Vivæ verba, omittitque ista ,, *& nonnulli addunt Corporis Christi, & As-* ,, *sumptionis B. Virginis*; deinde Vivam tra- ,, ducit, perinde ac si contra D. Th. S. Ca- ,, rolum Borromæum, & Concilia Lateranense ,, IV. & Tridentinum aliquid docuisset. Ve- ,, rum si Benedicti XIV. egregium de Sacri- ,, ficio Missæ Tractatum legisset T. IX. *ope-* ,, *rum Lib.* 3. *c.* 1. intellexisset, positis illis ,, testimoniis quæstioni adhuc locum esse, il- ,, lique satis difficili, an Sacerdos, qui legiti- ,, me non impeditus, Missam dominicis, & ,, reliquis festis diebus, quos SS. Thomas, ac ,, Borromæus, duoque illa Concilia præscri- ,, bunt, celebrare omittat, mortaliter peccet; ,, didicisset, non id definiri a S. Thoma; di- ,, dicisset, Juveninum, qui post Tridentinam ,, Synodum scripsit, & rigidiores doctrinas con- ,, sectatur, ingenue fassum esse, se non aude- ,, re definire, an S. Synodi præceptum ejusmo- ,, di sit, ut ei, qui non pareat, lethalem cul- ,, pam incurrat; didicisset, sapientissimo Pon- ,, tifici non adeo absurdam fuisse visam hanc ,, Vivæ doctrinam, quum ab ea rejicienda ,, abstinuerit, idque unum certum indubita- ,, tumque esse dixerit, mortaliter peccare Sacer- ,, dotem, qui nunquam per annum celebraret.

V. Parochi tamen, & habentes curam animarum tenentur per se, vel per alios celebrare omnibus diebus, in quibus fideles tenentur audire Missam, ex Azor. Vasq. Navar. Ratio est, quia Trid. sess. 23. c. 14. docet, eos teneri tam frequenter celebrare, ut satisfaciant muneri suo. Sotus, Bon. punct. 1. n. 5. & alii apud Tamb. lib. 2. c. 2. §. 16. putant, teneri Parochos aliquoties, puta semel in hebdomada, Sacrificium offerre pro suis ovibus, quia Trid. sess. 23. c. 1. hæc habet: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro iis Sacrificium offerre &c.* antonomastice autem offerre Sacrificium, fert applicare pro iis Sacrificium. Alii tamen apud Trull. dub. 9. & Dian. loc. cit. res. 26. putant ad id non teneri, nisi ex præcepto Episcopi, aut ex consuetudine ad id obligentur; quia decimæ dantur illis solum, ut suis ovibus Sacramenta ministrent suo tempore, & ut divina officia celebrent, ut concionentur, non ut applicent pro iis Sacrificium. Et quamvis Trid. loc. laud. dicat, Curatos ex præcepto divino teneri Sacrificium offerre pro ovibus suis, putant Doctores laudati huic præcepto satisfieri orando pro iis in Sacrificio, & offerendo pro iis specialiter fructum Sacrificii generalem, etiamsi non applicent pro iis fructum Sacrificii medium. Prior sententia est rationabilior, ac tenenda: Præsertim quia non semel Sacra Congregatio id statuit. Decretum, quod recensetur in Synodo Neapolitana anni 1694. hæc habet, in quadam Lucanensi: *Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis: Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, & Diœcesis; Hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo Pastorali zelo compellere non gravetur. Hanc Sacræ Congregationis sententiam E. V. significo, eique manus humillime deosculor. Romæ* 10. *Maji* 1681. Ejusdemque tenoris decretum in quadam Pistorien. & Praten. editum a Sacra Congreg. anno 1699. & ab Innoc. XII. confirmatum legitur in secundo tomo consultationum Canonicarum, & Moralium apprime eruditarum P. Benedicti Chiaretta Soc. Jes. Panormitani, Consul. 169. ubi pariter decernitur, Parochos omnes, sive congruam habeant, sive non, teneri in diebus dominicis, & festis celebrare, & Sacrificium applicare pro suis Parochianis, quin possint iisdem diebus aliam eleemosynam recipere (*b*).

(*b*) ,, Plures Sacræ Congregationis defini- ,, tiones hac de re congessit Lambertinus, dum ,, eidem Congregationi esset a secretis T. 3. ,, Resolut. ejusdem Congreg. pag. 13. At non ,, est, cur eas afferamus. Nam idem Lamber- ,, tinus ad Apostolatus apicem evectus, anno ,, 1744. epistolam encyclicam inscripsit Pa- ,, triarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cun- ,, ctisque Locorum Ordinariis per Italiam con- ,, stitutis, quæ omnino observanda est. En ,, illam.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ CUm semper oblatas Nobis occasiones „ Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras libenter amplectimur, ut sinceræ Nostræ erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipsum præstamus, quum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum pro conservatione rectæ disciplinæ in Clero regimini Vestro commisso, præsentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostræ omnium Ecclesiarum solicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si Divini Cultus augmentum, atque exactam Ecclesiasticarum Sanctionum in singulis Diœcesibus custodiam religiosæ vigilantium Pastorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

„ Hujus porro Epistolæ ad Vos scribendæ occasionem Nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro Populo ipsorum curæ commisso; tum etiam applicatio Missæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Nostræ Congregationibus; & potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earundem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia & sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædecessorum Nostrorum approbationem & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque Vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, & Fraternitatibus Vestris quædam veluti norma ac regula suppetat; juxta quam Synodales, aliasque Vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem, dum, juxta ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, qua decet, solicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit; ne Statutorum Vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curiæ Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus ac jubemus; quamobrem has ipsas Litteras Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de Vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi, & conferri mandamus.

„ Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missæ Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex Divino præcepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre*: Et quamvis minime defuerint, qui per inanes & frivolas intrepretationes hujusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara & perspicua sint, quumque prædicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum hæc intelligentia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli Vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in Vestris respective Diœcesibus omni studio procurare debeatis.

Neque

„ Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis, Patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

„ Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est *in sess. 6. cap. 2. sess. 7. cap. 5. & 7. sess. 21. cap. 6. sess. 25. cap. 16.* non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess. 24. cap. 18. de Reform.* nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Missæ pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra & sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & singuli, qui actu Animarum curam exercent, & non solum Parochi aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica, & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

„ Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ reditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem & confirmationem extendimus; & quatenus opus sit, authoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus destituantur, & quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

„ Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Missæ Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 14.* præcipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debere; eum vero qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri: quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia & gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tanquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innotescant: Idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de præcepto, quum prædicti Dominici, aliique Festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *sess. 5. cap. 2. & sess. 24.*

„ *cap.* 4. quilibet animarum curæ præpositus „ Populum sibi commissum salutaribus verbis „ pascere debet, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque „ sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus „ statuit, ut *moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*; & quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in citat. *Cap.* 4. Episcopis præcipitur, ut nempe *saltem Dominicis & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri* curent.

„ Et quia in nonnullis Diœcesibus numerus dierum Festorum de præcepto, de Apostolica nostra authoritate & consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Cristifideles & Missam audire, & ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus Festis, penitus eliminentur, statuimus & declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus Populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare & applicare teneantur.

„ Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu Œconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti, & pauca incerta emolumenta iisdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, iisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere: Idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes & singuli prædicti teneantur diebus festis Missam pro Populo celebrare & applicare; attamen, quod pertinet ad Prædictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere & licite possint & valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis, infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

„ Quod autem spectat ad Vicarios, sive Œconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *citat. sess.* 24. *cap.* 18. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi & constituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*; vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna Thesaurario nostro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticæ Nostræ Ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

„ Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore Nostro S. Pio Papa V. prefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII. distincte statuitur; nihilominus ubi præscri-

„ pta fructuum portio, vel nullo modo, vel „ non integre Vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, & signanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus Festis de præcepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 7. dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob caussam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter à Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

„ Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, & Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, & per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica Authoritate Nostra confirmamus & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum, pro earundem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

„ Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea quæ a Lege Ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

„ Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra etate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium, & singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorundem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ Sacrificium offerretur; quam ob caussam etiam prædictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum & disciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit.

„ Quemadmodum vero, loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de præcepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam Missæ Con-

„ ven-

„ ventualis pro Benefactoribus in genere. „ Ut autem superiores illæ, sic etiam hæ „ posteriores, provide e medio sublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini Resolutiones, quas proinde in „ his etiam authoritate Nostra approbamus & „ confirmamus.

„ Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus, & corruptela dicenda est, nemini suffragari. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiæ Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.

„ Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Mansionariis; quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

„ Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem Synodus *sess.* 24. *cap.* 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse continuat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu, authoritate Apostolica a Prædecessoribus Nostris eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Festos tantummodo dies reducere.

„ Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam & applicandam esse; nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni Vestræ respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

„ Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam & tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit, Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe & confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque Missæ Conventuali sapplicationem celebrantibus relinquen-

„ dam

„ dam esse, dummodo in commemoratione pro „ Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.

„ Huic demum Epistolæ nostræ finem imponentes, Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam & vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 12. loquens de Dignitatibus & Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, & improbata; quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus Nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis & confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiæ Canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque Divinæ Psalmodiæ Cantu. Verum nisi illis præsto sit Apostolicum non præsumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens Privilegium sive Indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, Præbendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, & consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus & corruptelas, quas arguendo & increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 19. Augusti 1744. Pontificatus Nostri anno quarto.

VI. Demum in Cathedralibus, Collegiatis, conventualibus, & parochialibus, in quibus est conveniens numerus Sacerdotum, debet quotidie celebrari, nisi rationabilis causa excuset; idque tum ex præcepto Ecclesiæ in cap. *Cum creatura de celebrat. Missar.*, tum ex usu Ecclesiæ habente, ut communiter Doctores docent, vim legis. Hæc autem obligatio primo & per se spectat ad Rectores istarum Ecclesiarum, qui id curare tenentur.

VII. Quæritur quarto, An peccet mortaliter, qui omittit Sacrum alteri promissum?

Respondeo, Navar., & Bonac. de Contract. disput. 3. quæst. 12. punct. 1. apud Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 9. affirmare, quia una missa videtur materia gravis. Sed Sanch., Fagund. negant, quia in hujusmodi promissionibus non est attendendum ad damnum spirituale; (aliter qui omitteret dicere Pater Noster, quod promisit, peccaret mortaliter, quia affert damnum spirituale, quod est longe majus quovis temporali) sed est attendenda quantitas stipendii, quæ in casu nostro esset unius caroleni. Addit Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 5. n. 24., quod quantitas notabilis in materia fidelitatis debet esse quadruplo major, quam in materia justitiæ; quare si ut peccetur mortaliter contra justitiam deberent omitti verbi gratia tres missæ debitæ ex stipendio, ut peccetur mortaliter contra fidelitatem, debent omitti duodecim missæ promissæ. Quinimo Sa, & alii docent, regulariter loquendo, obligationem ex fidelitate etiam in materia gravi non esse gravem, nisi grave damnum obveniat promissario ob fidem non servatam, tunc enim læderetur justitia propter hujusmodi damnum injuste illatum.

Verum quando Missa est debita ex stipendio, communiter docent apud eundem Tamb., quod graviter peccetur, si una tantum missa ex contractu oneroso debeatur; non secus ac peccatur graviter, si omittatur auditio unius missæ debitæ ex voto, aut ex præcepto Superioris:

rioris: Esto Pelliz. tract. 5. cap. 9. num. 20., & tract. 8. cap. 1. num. 137. putet, quod etiamsi missa sit ex stipendio, adhuc leviter per se loquendo peccetur per omissionem unius tantum missæ: non enim peccatur graviter ratione damni temporalis, ut conceditur; neque ratione damni spiritualis, quia hoc in genere damni spiritualis non est grave, cum levi stipendio redimi possit: Quod videtur docere Palaus tract. 22. disp. unica, punct. 14., & alii viri docti ab eodem Pelliz. consulti. Dixi per se loquendo; nam si quis, verbi gratia, indigeat missa propter gravem necessitatem, puta propter ægritudinem filii, non solum omittere, sed etiam differre missam per unum, aut alterum diem, est mortale, si Sacerdos consensit ad strictam obligationem per respectum ad illam urgentem necessitatem, fieri enim posset, ut filius non moreretur, si tempore præfixo missa fuisset celebrata.

Hinc sequitur primo, quod differre celebrationem missarum debitam ex stipendio, per se loquendo, tunc sit mortale, quando tempus est notabile: Quod alii docent esse duos menses; Alii cum Led., Villal., Lugo de Euchar. sect. 2. num. 33. tres menses; Alii arbitrio prudentis judicandum, attenta necessitate petentium missas, numero illarum, aliisque circunstantiis. Communiter tamen rejiciunt Peyrinum, qui apud Tamb. loc. citat. putat, tempus notabile in hac re esse spatium trium annorum.

Sequitur secundo, quod qui unam missam homini sub juramento promisit, non peccet mortaliter, si illam omittat, supposita probabilissima sententia, quod juramentum promissorium in materia levi non obliget graviter, non secus ac votum in re levi: Contra vero peccat graviter ex Pal. de Euch. punct. 14., qui omittit unam missam debitam ex voto, aut ex juramento Deo exhibitam, aut impositam ex præcepto Superioris, vel confessarii. Ratio est, quia in his casibus materiæ gravitas desumenda est ex cultu, & honore, qui Deo per Sacrificium exhibetur. Quod ex eo patet, quia aliter omittere auditionem Sacri die festo, vel debitam ex voto, &c. esset materia levis, & peccatum veniale.

VIII. Quæritur quinto, an peccet mortaliter Capellanus, qui habens obligationem celebrandi quotidie, semel in hebdomada omittit celebrare ex reverentia?

Respondeo cum Zanard. & aliis apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 28. quod si in institutione Capellaniæ dicatur, quod Capellanus quotidie vel per se, vel per alium celebret, non possit ullo die missam debitam omittere, sicut neque si dicatur, quod in tali loco quotidie celebretur: At si eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, poterit hic ex causa majoris honestatis, & reverentiæ unam missam in hebdomada omittere; Quod etiam fert consuetudo introducta, ut notat idem Dian.. Non potest tamen eo die pro alio celebrare accepto stipendio, ut docent communiter Doctores apud Dian. part. 10. tract. 14. resol. 34., & Tamb. lib. 3. cap. 3. §. 2. Non negaverim tamen, probabilem esse opinionem Tamb. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 14., quod possit Capellanus juxta consuetudinem receptam semel in hebdomada vacare, etiamsi in institutione Capellæ dicatur, quod in tali loco quotidie celebretur; quia censetur fundator velle morali modo obligare personam ad quotidianam missam, & morali modo velle honorare locum, quem elegit missa quotidiana decorandum. Excipe tamen nisi expresse dicatur; quod sine interruptione quotidie celebretur; tunc enim ad tale onus consensit Capellanus. Excipe etiam, si onus sit impositum Ecclesiæ, vel Monasterio curandi efficere, ut celebretur missa quotidiana: Vel si dicatur, quod Capellanus per se, vel per alium celebret quotidie; cum enim tali oneri per diversos Sacerdotes satisfieri possit, non præsumitur, quod fundator velit permittere vacationem singulis hebdomadis. Ubi notandum cum Sa, & Trull. dub. 11., quod Capellanus semper possit per alium satisfacere nisi expresse obligetur, ut per se ipsum celebret. Ratio est, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.

IV. Paucis hic recolo, quod fusius dixi in calce exponendo decimam thesim ab Alex. VII. confixam in Trutina Thesium damnatarum, videlicet ex Sacris Canonibus, ex decretis Sacræ Congregationis, ex communi Doctorum auctoritate, & ex ipso rationis dictamine constare, quod si Capellanus teneatur quotidie accepto stipendio celebrare, licet possit aliquando honestatis, ac debitæ devotionis causa, (ut habetur in cap. *Significatum de Præbendis*) non vero causa otiandi a celebrando abstinere, immo licet possit ex consuetudine introducta semel singulis hebdomadis, ne indevote celebret, seu ob majorem devotionem vacare; nihilominus si iis diebus, quibus vacare permittitur, vellet celebrare, non poterit pro alio celebrare, quam pro fundatore Capellaniæ, a quo stipendium quotidianum accipit, aliter quo stipendia pro eadem missa reciperet, si vellet tunc pro aliis, accepto novo stipendio, celebrare: Esto ex benigna Fundatoris voluntate præsumi possit, quod possit quotannis sexies circiter pro se, vel pro amicis, aut ob aliam urgentem causam celebrare absque novo stipendio. Adversus hanc solidam doctrinam adduci solet consuetudo in contrarium, videlicet quod non solum

lum possit Capellanus semel in hebdomada vacare honestatis causa, sed etiam quod possit pariter iis diebus, quibus licite potest non celebrare pro Fundatore, conari ad devote celebrandum pro alio, & ab hoc accipere novum stipendium, quia non videtur hac in re Fundator posse esse rationabiliter invitus. Equidem tamen, positis tot Decretis Sacræ Congregationis in contrarium, & communi Doctorum auctoritate, censeo ab usum hunc potius esse in aliquibus locis, quam consuetudinem legitime introductam. Si tamen alicubi de hac consuetudine constaret, necnon de lapsu temporis ad consuetudinem præscribendam requisito, id permitti posset. In dubio tamen, num ea sit consuetudo, an abusus, censendum est, esse abusum, quia possessio stat pro lege obligante, & non pro libertate.

X. Præterea dubium est primo; An si Capellanus obligetur ad celebrandum per se ipsum, non per alium; teneatur ponere supplementum, si sit infirmus, aut in carceribus?

Respondeo cum communi apud Tamb. lib. 3. cap. 5., & Lug. disp. 21. sect. 2. num. 29. non teneri, si sit breve impedimentum; (quando Testator non expressit, quod nunquam missa deesset) non enim deterioris conditionis debet esse, quam famulus ægrotans, cui ex Lege *Arboribus ff. de Usufructu* salarium non est denegandum, si exiguo tempore ægrotet; tenetur tamen supplementum ponere, si impedimentum sit longum, videlicet ex Barbos. decem dierum, ex Bonac. quindecim, ex Petro Navar. unius mensis, ex Lug., & Peyrin. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 51. duorum mensium; quia in jure, quod est infra tale tempus, breve judicatur. Quod si culpa sua sit excommunicatus, suspensus, interdictus, &c., tenetur per alium supplere; donec absolvatur; quia non præsumitur, quod Fundator velit deobligare eum, qui culpa sua est impeditus. Qua de causa distributiones debentur ei, qui ægrotat, non vero illi, qui sua culpa est excommunicatus.

Dubium est secundo, an possit conferri Capellania Clerico non Sacerdoti, qui per alium satisfaciat?

Respondeo, Bus. apud Tamb. lib. 3. cap. 7. negare; Marchin. concedere, si infra annum ordinari possit Sacerdos; Sicut in Beneficiis Sacerdotalibus sufficit ista potentia proxima ad Sacerdotium: Bonac. vero hic punct. 9. §.1. cum Fag., primo Ecclesiæ præcepto lib. 3. cap. 9. absolute affirmat; quando Fundator non præsumitur velle Sacerdotem, qui possit per se satisfacere; sicut beneficia simplicia conferri possunt Clerico, vel Sacerdoti.

Dubium est tertio, an peccet, & obligetur ad restitutionem stipendii Capellanus, qui obligatus per se ipsum celebrare, celebrat per alium?

Respondeo cum Bonac., & Tamb. loc. citat., peccare mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ, quia facit contra mentem Fundatoris, & contra pactum; non tenetur tamen ad restitutionem, quia habetur fructus Sacrificii ex opere operato per se intentus per alium Sacerdotem. Propter eandem rationem puto, quod Sacerdos obligatus celebrare in loco determinato, si alibi celebret ad intentionem dantis eleemosynam, peccet quidem mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ, aut alia rationabilis causa, sed non teneatur ad restitutionem. Ita Bonac. hic punct. 7. §. 4. contra Azor.; Et idem dicendum, quando sine rationabili causa non dicuntur missæ præscriptæ, sed aliæ.

ARTICULUS VI.

De tempore, loco, & aliis circumstantiis Sacrificii.

I. Die Sabbati Sancti probabiliter graves, & plures Doctores docuerunt posse privatas missas celebrari, saltem post inceptam solemnem.
II. Quid dicendum post decretum Alexandri VIII. anno 1690.?
III. Quandonam liceat pluries eadem die celebrare?
IV. Quænam sit hora ad celebrandum permissa?
V. Ut locus sit aptus ad celebrandum, quid requiratur?
VI. Quinam satisfaciunt præcepto audiendi missam die festo, audiendo illam in Oratoriis privatis?
VII. Num liceat in mari, aut in flumine celebrare?
VIII. Quid si Ecclesia tempore celebrationis polluatur? & quot modis contingere potest, ut polluatur?
IX. Quænam Ara requiratur, & qualis debeat esse calix cum patena?
X. Quid de vestibus sacris?
XI. De aliis ad Sacrificium requisitis.

I. QUæritur primo, an liceat in triduo hebdomadæ sanctæ celebrare;

Respondeo, die Parasceves non licere: At die Jovis, & Sabbati Sancti consueta praxis Ecclesiæ est abstinere Sacerdotes a missa in signum mœroris concepti ex passione Domini: Suar. tamen, Fagund., Lug. apud Tam. lib. 1. cap. 6. permittunt iis diebus cuilibet Sacerdoti missas privatas, quia pro die Jovis nulla est prohibitio; & pro Sabbato Sancto vel non adest prohibitio in cap. *Sabbato de consecratione dist. 6.*, cum non tam aperte loquatur de feria sexta, ac de Sabbato; vel si adest prohibitio, cum hæc jam cessaverit quoad missam solemnem, quæ nunc anticipatur dicendo in Sabbato Sancto missam, quæ olim dicebatur in nocte Resurrectionis,

videtur etiam cessasse quoad privatas; & usu etiam timoratorum videtur abrogata. Quare seclusо scandalo probabiliter potest celebrari privatim die Sabbati Sancti, & quidem etiam summo mane, ex Hurtad. disp. 4. de Sacrif. diff. 3., Suar., Lugo disp. 20. num. 18. contra Navar., Vasq., Azor. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 21. & part. 4. tract. 4. resol. 237.; quamvis, ut notat Trull. in praxi servanda sit loci consuetudo. Incipit autem missa Sabbati Sancti a *Kyrie eleison*, omisso Introitu: Quod si his diebus Jovis, & Sabbati Sancti incidat festum, tunc debent publice celebrari plures missæ, quot scilicet sufficiunt ad satisfaciendum populo; ut accidit anno 1693., quando incidit in diem Jovis Sancti festum Divi Joseph: & Archiepiscopus Cantelmus Neapoli concessit sex missas pro primariis Ecclesiis. Verum Alex. VIII. voluit anno 1690., ut festum Annunciationis, quod eo anno incidit in diem Sabbati Sancti, celebraretur die lunæ de præcepto post dominicam in Albis; idemque decretum est anno 1701., quando festum Annunciationis incidit in diem Parasceves.

II. Dubitari posset, an eo decreto Alex. VIII. edito 1690., quo translatum fuit festum Annunciationis ad diem lunæ post dominicam in Albis, vetarentur eo die Sabbati Sancti aliæ missæ simpliciter, præter solemnem in singulis Ecclesiis; an vero prohiberentur Missæ aliæ publicæ, quæ deservirent ad satisfaciendum præcepto audiendi missam die Annunciationis. Videri posset, quod solum istæ Missæ prohiberentur, quia dubium propositum Sacræ Congregationi de iis Missis loquebatur. Hæc enim ibi habentur: *Cum Sabbato Sancto proximo futuro occurrat festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, dubitatum fuit, an debeant celebrari missæ privatæ ad effectum, ut Christifideles commode satisfacere possint præcepto audiendi Missam.* Ad quod dubium Sacra Congregatio respondit, festum transferendum esse, & celebrationem Missarum eo die prohibendam esse in quibuscunque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. Certe cum responsionis verba debeant respondere ad verba dubii propositi, videntur eo die prohiberi solum Missæ, de quibus dubitabatur, an possent celebrari, videlicet ad satisfaciendum præcepto audiendi eo die Missam. Præsertim, cum Pontifex non soleat derogare opinioni gravium, & plurimorum Doctorum, (qualis est ista, de qua agitur) nisi disertis verbis, ac derogatoriis. Præterea ipse expendens fuse hanc quæstionem in Cursu Theologico censui, probabilem esse laudatam opinionem, quod liceat privatim die Sabbati Sancti celebrare; præsertim post inceptam missam solemnem.

Verum, quia in Synodo Neapolitana anni 1694. legitur aliud novum decretum ejusdem Sacræ Congregationis, in quo decernitur, quod omnibus futuris temporibus, quibus festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis die Parasceves, aut die sabbati Sancti occurrerit, transferatur similiter ad feriam secundam post dominicam in Albis, & itetum prohibentur his diebus aliæ missæ, etiam in Oratoriis privatis, idcirco ex vi hujus alterius decreti celebrare non licet præfatis diebus in Oratoriis privatis Nobilium, de quibus dumtaxat videtur decretum loqui; eo quod velit Pontifex, ut in solemnioribus festivitatibus Magnates ad publicas Ecclesias confluant ad Sacrum audiendum. Non videntur tamen eo die prohiberi missæ privatæ in Oratoriis privatis Religiosorum, juxta opinionem laudatam gravium ac plurium Auctorum, quippe quæ validis rationibus nititur, quas retuli in Cursu Theologico quæstione ultima de Eucharistia: Quicquid sit de illa quæstione, quam fuse discutit Dian. part. 11. tract. 2. resol. 44., Utrum hujusmodi declarationes Cardinalium, consulto Pontifice, eodemque approbante emanatæ, solum sint doctrinales, ut plures docent, an habeant vim legis, ut docent communius.

III. Quæritur secundo; quandonam liceat pluries eodem die celebrare?

Respondeo primo, licere die Nativitatis Domini; quamvis nemo, etiamsi sit Parochus, teneatur nisi ad unam missam celebrandam; Quod si unam velit celebrare, poterit dicere quam velit ex tribus, ex Ledesm. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 39. contra Gavant., qui putat, debere dicere vel primam, vel tertiam, imo potius tertiam, cujus oratio concordat cum officio, addendo commemorationem S. Anastasiæ; Si vero velit dicere tres missas, poterit illas celebrare successive post mediam noctem, quia in Canone *Nocte Sancta de Consecrat. dist.* 1. absolute, & sine ulla distinctione id conceditur, ut notat Suar. tom. 3. disp. 80. sect. 4. apud Dian. loc. citat. resol. 35., & part. 4. tract. 4. resol. 236. contra Vasqu., & alios, qui putant, unam tantum posse celebrari nocte, alias vero nonnisi in aurora. Ex decreto tamen Sacræ Congregationis relato a Croix edito anno 1641., quod sane non est ubique in usu, non possunt in hac nocte successive tres missę celebrari; nec populus potest ante Auroram communicare; idque habetur in ordine Divini officii diœcesis Neapolitanæ.

Secundo, ubi est ea consuetudo; Sic in Regno Valentino celebrantur duæ missæ a singulis Sacerdotibus in die commemorationis defunctorum, ut notat Trull.

Tertio, quando aliquis Parochus haberet plures parochias, & nisi pluries celebraret, aliqua careret missa die festo; idem dicas, ubi

ubi pauci ſunt Sacerdotes, ut in Anglia; quilibet enim poteſt pluries celebrare in diverſis locis abſq; ulla licentia, ut poſſint fideles intereſſe Sacro. Concedit enim id jus commune in cap. *Conſuluiſti de Celebratione Miſſar.*; idque verum eſt etiam in diebus non feſtivis, ſi adſint, qui ſacro velint intereſſe, ut probat Lugo lib. 1. Reſp. Mor. diſp. 12. contra Nugn., & Trull., Notandum tamen, quod hujuſmodi Parochus, vel Sacerdos in una tantum parochia poſſet die Jovis Sancti reſervare Sacramentum, quia die Veneris, ſumpto calice cum particula mixta vino non conſecrato, non poſſet iterum alibi communicare, quia non eſſet jejunus, ut debet eſſe, qui in his caſibus pluries celebrat.

Quarto, propter eamdem rationem probabiliter ex Suar., & Villal., ſi aliquando in feſto ſolemni, aut in dedicatione Eccleſiæ ob populi multitudinem, Eccleſia non poſſit illam capere, nec adſit alius Sacerdos, nec poſſit in altari portatili extra Eccleſiam celebrari, poterit idem pluries celebrare: Sicuti etiam ſi Sacerdos antequam ſumat ablutiones, ſciat gentium multitudinem tunc ex itinere adventaſſe, nec ſit alius Sacerdos, ſitque dies feſtus, poterit iterum celebrare; ut probabiliter docent Suar., & Villal. contra Con., & Fagund., qui putant, non teneri in his caſibus peregrinos audire miſſam, quæ debito modo celebrari non valet. Poterit etiam iterum celebrare Sacerdos, etiam die non feſtivo, ſi ante ablutiones ſuperveniat Epiſcopus, vel Princeps, qui velint intereſſe Sacro, nec ſit alius Sacerdos, quamvis talis caſus ab antiquis Doctoribus adductus non ſit amplius in uſu, ex Dian. part. 2. tract. 14. reſol. 56.

Quinto, poteſt iterum celebrare, ſi neceſſe ſit ad dandum viaticum moribundo: communius tamen docent, debere Sacerdotem in hoc caſu eſſe jejunum. Sed videtur probabile oppoſitum, ut diximus, cum de jejunio naturali prærequiſito ad communionem, ex Granad., Zanard., & aliis apud Dian. Ratio eſt, quia aliter hic caſus vix accidere poſſit; nam ſi id advertat Sacerdos, antequam communicet, deberet particulam ſuæ hoſtiæ dare moribundo, ſi vero poſt ſumpta ablutionem advertat, non poſſet iterum celebrare. Propterea juxta hanc ſententiam deberet id advertere poſt ſumptionem calicis, antequam ſumat ablutiones; qui caſus vix poteſt accidere. Et ratio ulterior eſt, quia ſicut non eſt irreverentia, quod moribundus communicet non jejunus, & quod Sacerdos celebret non jejunus ad dandum ſibi viaticum, ſi mox ſit occidendus, verbi gratia; ita probabiliter non videtur irreverentia, quod Sacerdos non jejunus celebret ad dandum viaticum alteri moribundo; eſto communius doceant oppoſitum apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 33., Laym. tamen docet verius, licitum eſſe Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum viaticum moribundo, ſolum quando hic nequit alio Sacramento vel Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis muniri, ut ſic poſſit ex attrito fieri contritus.

Adducuntur a Doctoribus alii caſus, in quibus licitum eſt ſæpius in die celebrare, ut ſi miſſa ſit neceſſaria ad benedicendas nuptias; vel ſi ſuperveniat defunctus, ubi ſepeliri non ſolet ſine miſſa; vel ſi ſit conſuetudo in una parochiali bis celebrandi, & alter Sacerdos ægrotet; vel ob nimiam paupertatem Eccleſiæ, vel Sacerdotis, ita ut judicio prudentium id videatur neceſſarium, ut notat Suar. diſp. 80. ſect. 3., vel ſi alia conſimilis cauſa adſit; quamvis hujuſmodi caſus non ſint amplius in uſu ob frequentiam Sacerdotum.

IV. Quæritur tertio, Quanam hora celebrari poſſit miſſa?

Reſpondeo, ab aurora ad meridiem: die vero Nativitatis Domini dici poterit prima miſſa immediate poſt mediam noctem, ut diximus; & probabiliter aliæ duæ, præſcindendo a decreto Sacræ Congregationis. Poteſt etiam poſt mediam noctem celebrari, ſi neceſſitas urgeat dandi viaticum infirmo, ut docent communiter cum Laym., Trull., Dian. part. 2. tract. 14. reſol. 33.; ſic etiam cauſa itineris, vel ob aliam cauſam licitum eſt celebrare ante auroram, vel poſt meridiem, ut Doctores docent apud Lugo num. 27. Imo Epiſcopi (ſicut etiam Superiores regulares) poſſunt hic & nunc id concedere ſuis ſubditis, poſita rationabili cauſa, vi ſuæ ordinariæ poteſtatis, ut notat Tamb. ex Suar. Poſſunt tamen Mendicantes abſque cauſa ex privilegio per horam ante auroram, & per horam integram poſt meridiem celebrare. Imo de La Crux apud Dian. loc. citat. concedit Mendicantibus, quod poſſint duabus horis poſt mediam noctem celebrare, ex privilegio conceſſo per Bullam ab Alex. VI. Monachis S. Benedicti, quod non eſſe revocatum a Trid. docet Lugo diſp. 20. ſect. 1. num. 29. apud Tamb. contra Peyrin. Docet etiam Trull. dub. 13., & Ledeſm., quod ſine licentia Epiſcopi poterit aliquis in neceſſitate ante auroram celebrare, ſi neceſſitas urgeat, verbi gratia, ſi Sacerdos ſit iter facturus, aut operarii ad laborem profecturi ſint, dummodo non celebretur immediate poſt mediam noctem, ſed ad tempus, quod magis accedat ad auroram, quam ad mediam noctem; Univerſim enim in his caſibus præſumitur Epiſcopi licentia, ut notat Ledeſm. cap. 19. de Euchariſt.

Porro per auroram intelligitur initium crepuſculi diei, quod ſolet eſſe ex Suar. Filliuc., & aliis apud Dian. loc. citat., per horam cum dimidio, & ex Azor. per quinque quadrantes ante ſolis ortum. Quia tamen ex Suar., & Henr. poteſt

test inchoari missa ante auroram, ita ut sub initium auroræ finiatur; ideo infert Rodriq., & alii, quod liceat duabus horis ante solis ortum incipere Sacrum; & Religiosi, qui habent privilegia anticipandi horam, possunt illud incipere tribus horis ante solis ortum, contra Laym., & Vasq. apud Dian. loc. citat., qui solum permittunt, quod possint incipere duabus horis ante ortum solis. Quamvis Jo: de la Crux illis permittat, ut diximus, quod incipiant duabus horis post mediam noctem. Religiosi tamen Societatis Jesu hoc privilegio non possunt uti, cum non communicetur illis a Patre Generali, prout in jure Societatis requiritur. Quacumque autem hora Sacerdos celebret, potest alios communicare, etiam nocte Nativitatis (præscindendo a decreto loc. citat. superius relato) ut docet Dian. part. 9. tract. 7. resol. 43. contra Bordon.. Qui tamen absque ulla causa ante, vel post tempus præscriptum celebrat, peccat mortaliter, ut usus, & communis sensus Doctorum testatur; cum præcipiatur a Trid. sess. 22., ut statutis horis celebretur; Laym. tamen requirit mediam horam, Bonac. tres quadrantes, Sylvius in 3. par. quæst. 83. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 34. quod non pertingat ad horam, ut differendo peccetur mortaliter: infra tale tempus peccabitur solum venialiter, nisi detur justa causa, verbi gratia, ob supplicationem, vel concionem publicam, aut missam cantatam protractam ultra meridiem, sicut etiam ob funus Principis, vel quia Sacerdos propter iter fuit impeditus, Religiosi tamen ex privilegio possunt hora post meridiem missam inchoare, quod si sine causa differant per tres alios circiter quadrantes, peccabunt solum venialiter, ob parvitatem materiæ, juxta doctrinam laudatam Bonacinæ, ac Sylvii.

Noto demum, Eugen. IV. per Bullam concessisse congregationi S. Justinæ (atque adeo omnibus Mendicantibus cum ea communicantibus in privilegiis) quod possint in itinere constituti, aut ex alia simili causa celebrare ante diem, & usque ad nonam inclusive, hoc est tribus horis post meridiem; ut notat Jo: de la Crux apud Dian. loc. citat. Et Lug. contra Fagund., & Peyrin., ostendit privilegium hoc non esse a Trid. revocatum. Certe tamen non videtur esse in usu.

V. Quæritur quarto, quinam locus requiratur ad celebrandum?

Respondeo, & dico primo, requiri Ecclesiam vel consecratam, vel saltem benedictam ab Episcopo; in qua vel in altari consecrato, vel saltem super petram consecratam, non enormiter fractam, celebretur. Et quamvis Sa, & Sot. docuerint, non esse mortale, secluso scandalo, & contemptu, extra ecclesiam celebrare, communiter tamen id negant; quia ex sensu fidelium ea res censetur gravis.

Dico secundo; Episcopus non solum potest benedicere Oratoria, vel Ecclesias, in quibus sit janua privata affixa domui alicujus Sæcularis, dummodo habeat januam expositam pro omnibus, sed etiam potest occurrente casu necessitatis dispensare hic & nunc, seu per modum actus, ut celebretur in loco honesto, quamvis profanis usibus destinato. Facultatem vero ad id amplam, seu per modum habitus concedere nequit post Trid. sess. 22. ubi id vetatur; Potest solum in id consentire, occurrente hic & nunc necessitate, ex Suar., & Laym., quia talis necessitas non raro accidere solet. Porro etiam extra propriam diœcesim, & sine licentia diœcesani in domo sua etiam rusticana constituere potest Oratorium, ubi quilibet Sacerdos, etiam ipso absente, celebrare possit. Et ratio est ex Portel. apud Tamb., quia id passim fit ab Episcopis sine scrupulo, permittiturque illis in jure; nec videtur revocatum esse hoc privilegium per Trid. loc. citat. quia ibi Concil. loquitur de domibus privatis; domus autem Episcopi non est domus privata. Datur etiam Episcopo facultas in *Cap. ult. de privileg. in 6.*, habendi altare viaticum, & ibi celebrandi, ac faciendi alios celebrare ubicumque gentium, ut notat Portel. apud Dian. part.4. tract. 4. resol. 15.. Verum in decreto Clementis XI. 15. Decemb. 1703. edito declaratur, non licere, post Trid., Episcopis, nec Cardinalibus extra domum propriæ habitationis in domibus laicis etiam in propria diœcesi, nedum in aliena erigere altare ad celebrandum. Neque possunt Episcopi (nedum Regulares, aut alii Sacerdotes) celebrare in Oratoriis privatis Magnatum diebus Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, & aliis solemnioribus in indulto exceptis. Reliquis vero diebus, in quibus una missa in iis Oratoriis permittitur, non possunt Episcopi, aut Cardinales nec Regulares, aut alii secundam missam celebrare, nec illam unicam; quæ permittitur in indulto, celebrare possunt post meridiem. Declaratur demum in eodem decreto privilegium utendi altari portatili, olim aliquibus Regularibus permisso, revocatum esse a Trid., quicquid in contrarium docuerint nonnulli apud Dian. part. 6. tract. 8. resol. 39. Concessum tamen est Religiosis Societatis Jesu post Trid. a Greg. XIII., quod possint in Missionibus uti altari viatico, dummodo P. Provincialis eo utendum fore judicaverit. Possunt etiam nostri Provinciales in locis, ubi aliqui Societatis resident, deputare aliquam Capellam, aut Oratorium, in quo celebretur absque limitatione ad unam tantum Missam.

VI. Ubi advertendum, quod ubicumque missa

ſa celebretur, ſatisfaciunt præcepto illam audientes, præterquam quando celebratur in Oratoriis privatis Magnatum de licentia pontificis, niſi ſolum a perſonis privilegiatis. Etenim in Brevi hæc habentur: *Volumus autem quod familiares ſervitiis tuis non neceſſarii ibidem miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtivis de præcepto minime liberi cenſeantur.* Quamvis autem Pelliz. tract. 8. ſect. 2. ſubſect. 2. ex Pal., & Homob., & alii apud Croix lib. 3. part. 1. num 528. contra communiorem ſententiam apud Tamb. lib. 1. de Sacrif. miſſæ cap. 4. §. 4. putarint hujuſmodi familiares ſatisfacere præcepto audiendi miſſam, ſi in his Oratoriis illam audiant, quia non obligat amplius conſuetudo audiendi miſſam in Parochia: ita ut verba iſta Brevis ponantur ex ſtylo Curiæ, ſi forte alicubi adhuc vigeret conſuetudo obligatoria audiendi miſſam in propria Parochia: Nihilominus poſt decretum ultimum Clem. XI., quod habetur apud Croix de ſacrif. Miſſæ n. 258. hæc opinio non videtur ſubſiſtere; in eo enim aperte declaratur, quod non ſatisfaciant præcepto audiendi miſſam, qui citra privilegium illam audiunt in iis Oratoriis privatis.

Dubitatur tamen, quinam dicantur familiares ſervitiis Domini actu non neceſſarii, qui non ſatisfaciunt præcepto miſſæ, ſi illam audiant in his privatis Oratoriis? Nonnulli apud Pelliz. tract. 8. ſect. 2. ſubſect. 2. putarunt, intelligi ſolum famulos honorarios, qui honoris cauſa dominis inſerviunt, ſicut etiam Procuratores, Ærarios, Villicos, & ſimiles. Sed hoc videtur nimis laxe dictum, præſertim quia iſti non veniunt nomine familiarium. Alii putant intelligi eos omnes, ſine quibus non poteſt decenter in ſuo Oratorio dominus, vel domina miſſam audire: ſed hæc ſententia videtur nimis rigida, quia ſæpe domini nullo omnino famulo indigent, ut poſſint ibi miſſam audire: Quare rationabilior videtur ſententia illorum, qui putant, ſatisfacere præcepto Miſſæ, audiendo illam in hiſce Oratoriis, omnes illos famulos, quibus indiget dominus, ut nunc miſſam audiant, quatenus ſi tunc non audirent, non poſſent commode ſuum famulatum præſtare; Et ideo coqui, pueri Aulici, Aurigæ, & ſimiles familiares, qui ſine dominorum incommodo nequeunt Eccleſiam adire ad Sacrum audiendum, dicuntur tunc temporis eſſe ſervitiis domini neceſſarii, & ſic ſatisfaciunt præcepto audiendo tunc miſſam cum ſuis dominis.

VII. Rogabis primo, an poſſit in mari, aut in flumine celebrari miſſa, ſi abſit periculum effuſionis ſanguinis, & urgeat neceſſitas, verbi gratia, communicandi infirmum?

Reſpondeo, communiter negari cum Navar. apud Lug. diſp. 20. ſect. 6. propter conſuetudinem in contrarium, & decentiam. Granad. tamen, necnon Sa, & Henr. apud Bonac. cum eodem Lug. putant, celebrari poſſe, etiam ut detur commoditas audiendi miſſam diebus feſtis, ſi mare ſit tranquillum, & ſit alius Sacerdos, qui poſt conſecrationem calicem firmiter teneat, cum nulla in hoc ſit indecentia; ſæpe enim decentius ornatur altare in triremi, quam in litore. Quamvis autem Con. doceat, id fieri non poſſe ſine licentia Papæ, putat tamen Granad. in neceſſitate ſufficere licentiam Epiſcopi. Et de facto quotidie in navibus, quas Auguſtiſſimus Imperator in hoc Regno conſtruxit, de licentia Pontificis celebrari abſque ulla indecentia, audivi a quodam iſtarum Navium Capellano, quin ſit opus ullo Sacerdote, qui calicem ſuſtineat; cum calix plumbeum habeat, ac bene ponderoſum, ac amplum pedem, ut nullum detur periculum, quod invertatur, niſi forte tempeſtas ſit valde horrida, quo tempore abſtinent potius a miſſa celebranda.

VIII. Rogabis ſecundo, An peccet mortaliter, qui celebrat in Eccleſia polluta per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis publicam, & mortaliter malam?

Reſpondeo cum communi, peccare mortaliter; quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi. Imo debet Sacerdos miſſam inchoatam relinquere, ſi nondum inchoatus ſit Canon, quando inter celebrandum Eccleſia violatur; incepto tamen Canone, debet illam abſolvere. Poteſt tamen Epiſcopus, urgente neceſſitate, concedere licentiam, ut ibi celebretur ante reconciliationem. Reconciliabitur autem Eccleſia conſecrata per Epiſcopum proprium cum aqua, vino, & cinere a ſe benedictis, ac verbis, & cæremoniis contentis in Pontificali, Eccleſia vero benedicta reconciliari poteſt per ſimplicem Sacerdotem per aſperſionem aquæ benedictæ, ex cap. *Si Eccleſia de conſecrat. diſt.* 2. ſine ulla licentia Epiſcopi, ut notat Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 91., ubi docet Superiores Regularium poſſe ſuas Eccleſias reconciliare etiam conſecratas, ex Avila, Graff., & Navar., quod tamen multi negant concedendo ſolum eos poſſe reconciliare ſuas Eccleſias benedictas.

Ex dictis ſequitur, quod ſi, inchoata miſſa, ſuperveniat Eccleſiæ violatio, poſſit idem Sacerdos illam reconciliare modo præſcripto in Rituali Romano, & miſſam proſequi.

Notandum tamen primo, pollui ſolum poſſe Eccleſiam conſecratam, vel benedictam, necnon hujuſmodi cæmeteria, non vero alia templa, aut Oratoria non benedicta, niſi in iis ſit altare ad celebrandum, ex Bonac. de Matrim. quæſt. 4. punct. ult. num. 91. contra Lugo, & alios apud. Tamb. lib. 3. cap. 6. §. 3.

Notandum etiam, Eccleſiam cenſeri reconcilia-

ciliatam, si in ea Sacrificium post violationem celebretur, ex Henr., Sa, Dian. contra Lug. de Eucharist. disp. 20. sect. 2.; quod etiam probabiliter docent de Calice, quod scilicet remaneat consecratus, si quis forte bona, aut mala fide in eo sacrificet; vestesque Sacerdotales remanere similiter benedictas.

Notandum tertio, pollui Ecclesiam, ita ut non possit in ea celebrari, Primo, propter homicidium in ea factum, etiamsi sine effusione sanguinis; Secundo per effusionem sanguinis, aut seminis publicam, & mortaliter malam, atque adeo etiam per actum conjugalem in eo casu, in quo esset sacrilegium. Tertio per sepulturam excommunicati vitandi, aut infidelis: non tamen hæretici, ex Lug.; Quarto per destructionem Ecclesiæ, saltem ex majori parte, in quo casu potius dicitur execrari, quam pollui: Polluta autem Ecclesia, censetur pollutum etiam cæmeterium contiguum; non tamen e converso; quia pars magis digna trahit ad se minus dignam, non vero ex opposito.

IX. Quæritur quinto, quodnam altare requiratur ad Sacrificium?

Respondeo, requiri sub mortali altare vel fixum, vel portatile, seu viaticum, consecratum ab Episcopo proprio, & sede vacante, a viciniore. Portatile autem constare debet ex unico lapide, super quem saltem major pars Calicis, & patenæ consistere possit; Etenim super ipsum esse debent non solum Calix, & patena, sed etiam aliæ particulæ consecrandæ, tum tempore consecrationis, tum etiam usque ad communionem Sacerdotis, quia particulæ illæ sunt pars Sacrificii, ut notat Lug. de Eucharist. disp. 20. num. 66.: Excusat tamen a mortali Tamb. lib. 2. cap. 5. §. 2. Sacerdotem, qui consecrata pyxide, illam statim reposuit in custodia; quia cum remaneat hostia grandior, qua Sacrificium consummetur, non videtur res gravis, abesse parvas: Immo excusaret eundem etiam a veniali, si adesset necessitas expediendi communionem populi.

Notandum primo cum Con. apud Tamb., non requiri cum tanto rigore reliquias in sigillo, seu sepulchro aræ: quamvis enim in cap. *Si placuit de consecrat. dist.* 2. exigantur; adest tamen in contrarium consuetudo rationabilis; eo quod non sint in promptu tot reliquiæ pro tot aris: Unde ea verba, *Oramus Te Domine per merita Sanctorum tuorum*, *quorum reliquiæ hic sunt*, dicuntur, quia de more solent esse ibi reliquiæ; ut dicitur, *Dominus vobiscum*, *Orate Fatres*, etiam uno præsente.

Notandum secundo ex cap. *de Altari de consecratione dist.* 2. non licere simplici Sacerdoti celebrare eodem die in altari, ubi Episcopus celebravit, (ut refert Gavant. apud Tamb. quamvis in textu dicatur, *Cantavit*) sine licentia saltem tacita ejusdem; hic tamen Canon videtur in desuetudinem abiisse, ex Lezana.

Notandum tertio, hujusmodi aram non amittere consecrationem, nisi ita frangatur, ut non possit in majori parte superponi major pars calicis, & patenæ, &c.; Sicut calix, & patena suam consecrationem amittunt, & aliæ vestes Sacræ benedictionem, quando ineptę redduntur ad usum Sacrificii, non tamen si calix, & patena amittant inaurationem, ex Hurtad., & Tamb. Immo Lug., Laym., Con., Dian., part. 2. tract. 14., resol. 3. contra Azor. Suar., Vasq., Bonac. putant, quod si iterum inaurentur, non indigent nova consecratione, (sicut non indiget iterum consecrari Ecclesia, si iterum dealbetur) etsi deceat, quod abluatur aqua benedicta, ex Dian. part. 1. tract. 9. resol. 3. Pyxis autem, & Sphæra, seu Lunula, quæ tangit immediate hostiam consecratam, non indigent consecratione, ut communius docent cum Tamb. contra Dian. part. 1. tract. 15. resol. 3.; quia non præscribitur in jure talis consecratio, nec ponitur in Rituali propria pyxidis benedictio; unde juxta Laym. solum ex congruitate esset benedicenda. Debet tamen patena, & cuppa calicis, & pyxidis esse aurea, vel argentea; Et in cap. *Vasa*, & cap. *Ut Calix de Consecrat. distinct.* 2. permittitur, quod sit stannea, si Ecclesia valde egeat; non tamen ex ære, aut aurichalco inaurato, quamvis alicubi etiam ex aurichalco inaurato confici soleat; ut notat Filliuc. tract. 5. cap. 5. num. 129. In Rubrica tamen Missalis præscribitur, ut si patena, & cuppa calicis sint argentea, etiam sint inaurata. Sed Granad. Tamb. putat, non requiri inaurationem hanc sub mortali; Immo forte nec sub veniali, quia usus obtinuit, ut sint ex solo argento. Unde fit, quod sine mortali possit celebrari in patena inaurata, etiam quando aurum est corrosum.

X. Quæritur sexto, quænam vestes ad Sacrificium requirantur?

Respondeo, Vestes Sacerdotales sub mortali requisitas ad celebrandum esse amictum, albam, cingulum, (quod potest esse etiam ex serico, aut lana) manipulum, stolam, & casulam, quæ omnia debent esse benedicta ab Episcopo, ex cap. *Vestimenta de Consecrat.* Quod si non essent benedicta, vel essent enormiter, aut valde attrita, aut immunda, mortaliter peccaretur. Excusat aliquando a mortali parvitas materiæ, ut si quis sine cingulo benedicto sacrificaret, ut multi probabiliter docent contra Suar., Vasq., & alios plurimos apud Dian. part. 2 tract. 13. resol. 68. Potest etiam aliquis uti stola pro manipulo, & vice versa; quia vestes istæ non habent determinatam formam. In necessitate ex Ledesm., & Filliuc. apud Trull. liceret quidem

dem celebrare absque aliqua ex vestibus minoribus, videlicet stola, cingulo, amictu, vel manipulo; at sine majoribus, idest alba, & casula non licet. Necessitas autem sufficiens ad celebrandum sine aliqua ex vestibus minoribus probabiliter esset ex Dian. part.2. tract. 14.resol. 68. necessitas audiendi, vel celebrandi Sacrum die festivo, fervor devotionis, necessitas eleemosynæ in Sacerdote non divite, &c. At sine vestibus majoribus, ne ad dandum quidem viaticum infirmo, licitum est celebrare. Immo ex Cajet. apud Trull. neque ob metum mortis, eo quod fieri non possit absque scandalo, & periculo magnæ irreverentiæ: Quod tamen Navar. & Hurt. apud Bonac. negant.

Notandum hic, Guardianos, & Custodes Fratrum Minorum ex privilegio Leon. X. apud Tamb. posse benedicere corporalia, vestimenta, & reliqua ornamenta ad cultum divinum pertinentia tam suæ Ecclesiæ, quam undecumque delata: Superiores tamen Societatis possunt hoc privilegio uti solum pro proprio usu; ut habetur in Compendio privilegiorum Societatis.

Notandum præterea ex Trull. Bonac. & aliis, vestes Sacras amittere benedictionem, non solum quando ita sunt attritæ, ut non sint amplius aptæ ad suum usum, sed etiam quando non remanet propria forma. Quare si ab alba abscindatur manica, hæc amittit benedictionem, quam non acquirit, si deinde eadem manica eidem albæ assuatur: Sicuti calix non tornatilis amittit consecrationem, si pes frangatur, & dividatur a cuppa: At si calix sit tornatilis, non amittit consecrationem, si separetur a cuppa; quia in tornatili sola cuppa consecratur, ut notat Busemb. Cingulum vero non amittit benedictionem, si aliqua ejus pars remaneat apta ad cingendum; quod si ei addatur alia pars minus apta, tunc totum cingulum erit benedictum, quia accessorium sequitur principale: Si vero neutra pars cinguli erit apta ad cingendum, neutra pars benedictionem servabit, ut notat Tamb. Putat tamen Dian. part. 1. tract. 14. resol. 58. quod sine mortali possit utraque ista pars cinguli necti, & ea possimus uti; quatenus plures Doctores censent ratione parvitatis materiæ non esse mortale celebrare sine cingulo benedicto, ut diximus: Immo Dian. loc. cit. putat, nec esse veniale in casu necessitatis audiendi Sacrum die festo, &c.

Notandum tertio, paramenta benedicta lacera, aut vetustate consumpta debere igne consumi, & non adhiberi ad usus profanos, ex Cap. *Altaris de consecrat. dist.* 2. Quamvis Pal. tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. cum Tamb. lib. 1. cap.2. §.3. putet, ne veniale quidem esse, ea ad profanos usus deputare, mutata jam forma; tum quia consecrationem amittunt; tum etiam quia non constat directe de hujusmodi prohibitione; unde poterit calix confractus, verbi gratia, & alba dissuta ad alios usus deservire.

XI. Quæritur ultimo: Quænam sint alia ad Sacrificium requisita?

Respondeo, requiri primo super altare ex Rubricis Missalis, præter corporale, tres mappas; Suar.& Vasq. docent sufficere duas, aut ex Præp. unam duplicatam; in necessitate autem ex Azor. & Laym. satis est etiam una simplex, etiam non benedicta, quæ deinde aliis usibus reddatur.

Secundo requiritur Corporale lineum, (quamvis in extremitatibus possit esse sericum, &c.) & benedictum ab Episcopo, vel privilegiario, (juxta modo dicta de vestibus Sacerdotalibus) quod non indiget nova benedictione, si lavetur, nisi notabiliter rumpatur: Communiter autem docent ex Lug. & Gavant. apud Busemb. peccare mortaliter, qui utitur illo notabiliter immundo. Requiritur etiam cum Corporali palla linea, qua parte regit calicem, similiter benedicta.

Tertio, Purificatorium lineum, non tamen necessario benedictum, ex Lug. Suar. contra Laym. cum nulla ejus benedictio reperiatur in Ritualibus.

Quarto, Missale continens saltem Canonem; quamvis ex Laym. Ledesm. apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 46. quando non reperiretur, posset sine Missali celebrare ille qui est moraliter certus non errandi, Lug. etiam, Dian. Tamb. excusant probabiliter eum, qui propter visus debilitatem legere non potest, si sine missali celebret, dummodo vel memoriter legenda sciat, vel ab alio Sacerdote adjuvetur.

Quinto: Crux, non tamen sub mortali: Alii contra Gavant. putant, non requiri, ubi servatur clausa in Tabernaculo Eucharistia: Certe non requiritur, ubi est expositum Sacramentum, quia est palam ipse Dominus crucifixus: sufficit etiam contra Gavant. Crucis, vel Crucifixi imago solum depicta (*a*).

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ (*a*) Accepimus præstantium Virorum testimonium jampridem in quibus„dam Pontificiæ Ditionis Civitatibus indu„ctam esse consuetudinem, quæ licet pieta„tem, ac religionem præseferat, Ecclesiæ tamen „institutis, ac disciplinæ plurimum adversatur. „Idem nos ipsi deprehendimus in aliquibus Ec„clesiis hujus nostræ Romanæ Urbis, & aliis „pariter, quæ Episcopis Suburbicariis subjici„untur. Quapropter muneri nostro deesse ma„gno-

gnopere videremur, nisi de hac re monerentur illi, qui pro spirituali hujus Civitatis regimine Ministri a Nobis constituti sunt, & alii, qui suburbicarios Episcopatus, vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia Sedem obtinentes curam gerunt animarum.

,, In altaribus, quæ per Ecclesias erecta sunt, & in quibus sacrum fieri consuevit, præter majorem Tabulam, quæ vel depictam, vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam Altare consecratum est, adjungi cœpit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur effigies alterius Sancti, itaut Crux auferatur, quæ juxta Rubricas, inter Candelabra collocari debet: cum vero neminem lateat, rem divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super Altari constituatur, hinc minori Tabulæ superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distingui ferme possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super Altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit.

,, Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen, ac memoriam dedicetur, quodve in majori tabula aut unus tantum, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alio minor tabula collocetur inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus vel plures Sancti fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem vel ita tenuis & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & Populi assistentis oculos pone effugiat. Id enim est a legibus, & institutis Ecclesiæ quæ in Rubricis, aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus continentur. Id etiam maxime contrarium est Sacræ antiquitati, & Ecclesiarum, etiam Orientalium, consuetudine; ita ut certissimum sit violari Leges Ecclesiæ, si exigua solum Imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel statuæ Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.

,, In Rubricis Missalis tit. de præparatione Altaris, & ornamentorum ejusdem, hæc leguntur: super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere. In Romano Pontificali titul. de consecratione electi in Episcopum; cum sermo est de Altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad offertorium, quo peracto Missæ Sacrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem divinam facit; in eo, inquam, Pontificali hæc habentur: In Capella vero minore pro electo, quæ a majore esse debet distincta, addatur Altare cum Cruce, & duobus Cadelabris. Cæremoniale autem Episcoporum postquam lib. 1. cap. 12. commemoravit Candelabra, & Candelas, hæc addit: In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo, & opere præalta, ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, & Crux ipsa tota candelabris supereminеat, cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem.

,, Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandæ Crucis in Altari. Cum Sacrum peragitur, in nostris Commentariis de Sacrificio Missæ, quæ Italico sermone a nobis confecta fuerunt part. 4. sect. 1. num. 17. ac sequentibus: Plura deinde addimus sect. 1. §. 18. & 19. cum ipsa latine reddita lucem iterum publicam adspexerunt. His etiam adjungimus, ob vetustatem præsertim hujusce ritus, tantam venerationem, cultumque semper exhibitum fuisse Cruci, quæ in medio Altari collocatur, cum Missæ Sacrificium conficitur, ut Novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre pertimuerint cum suam cœnam instituunt: hæc testatur Gretserus in suo tractatu de Cruce cap. 23. tom. 1. ejus editionis, quæ postremo typis vulgata fuit.

,, Si vero disciplinam Orientalium inspiciamus, Græcis in more positum est, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini, ac Beatæ Virginis, & super Altari Crucem una cum Libro Sanctorum Evangeliorum constituant: In Liturgia vero Copto-Abraica, quæ desumpta ex manuscriptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736. in Collegio Urbano de Propaganda Fide pag. 33. Indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem cum Cruce Populo impertiat, eam deinde osculetur, ac Diacono tradat, qui ipsam Altari collocet: Postremo Ritus Syriacus Maronitarum eadem prorsus decernit, quæ in Rubricis Romani Missalis præscribi superius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus lib. 3. tract. 2. sect. 4. ita scriptum reliquit: Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferæ Crucis vexillum collocetur. In Synodo etiam Nationali, quæ coacta fuit anno 1736. in Monte Libano, quam Literis Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, part. 2. cap. 13. de Sacrosancto Missæ Sacrificio can. 8. ita sancitum est: super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.

,, Scri-

„ Scriptores, qui Sacros Ritus explicarunt, nonnullas diſputationes inſtituunt; ac primo, utrum ſatis ſit nudam Crucem in Altari ſtatuere; an Imago Crucifixi addenda ſimul videatur. Equidem Rubricæ Miſſalis ſolam Crucem commemorant. Cum tamen cæremoniale Epiſcoporum Crucem una, & Crucifixum nominet, idque communi Eccleſiæ conſuetudini conſentaneum ſit, hanc ideo ſententiam probandam nemo ſapiens dubitabit. Ita ſentiunt Gavantus, Claudius La-Croix, qui lib. 6. part. 2. de Sacrificio Miſſæ num. 318. fatetur, ob veterem communemque uſum, ſine imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce, rem Divinam fieri non poſſe, niſi neceſſitas intervenerit: & profecto initio Eccleſiæ, cum Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, ſi Chriſtum Crucifixum publice adorandum proponerent; crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque inciſum, vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui Typus amantiſſimi Salvatoris ſemper habitus eſt, ut eo ſaltem modo Crucifixi imaginem exhiberent: id conſpicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Eccleſiis, & teſtimonio etiam Magrii comprobatur in ejus Hierolexico, in vocabulo CRUX.

„ Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens e Cruce debeat in Altari conſtitui, etiam ſi Salvator noſter Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii vero neceſſarium id minime arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur. Ita cenſent Paſqualigus de Sacrificio Miſſæ quæſt. 716. Quartus ad Rubricas Miſſalis part. 1. tit. 20. dub. 10. & Gribaldus de Sacramentis in tract. 5. de Sacrificio Miſſæ cap. 9. dub. 2. num. 20. Huic pariter ſententiæ ſe conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti conſtat ex reſponſione, quam ipſa promulgavit anno 1663. & quam Meratus recenſet tom. 1. tit. 20. de præparatione Altaris num. 6. & in Indice Decretorum eodem tomo part. 2.

„ Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Miſſæ in eo conficitur Altari, ubi poſitum eſt Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præſertim eidem Tabernaculo parva Crux cum imagine Salvatoris Crucifixi ſemper præfigatur: Equidem in cæremoniali Epiſcoporum hæc habentur. Non incongruum, ſed maxime decens eſt, ut in Altari, ubi Sanctiſſimum Sacramentum eſt, Miſſæ non celebrentur, quod antiquitus obſervatum eſſe credimus: in veteri cæremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur, quod antiquitus obſervatum eſſe videmus. Attamen id prorſus difficile nonnullis videtur, ob eam cauſam, quod, ut ipſi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis exſtrui ſoleret, aut divina Euchariſtia in eis conſervata non fuiſſet, aut nullum Miſſæ Sacrificium in eis eſſet inſtitutum: Aliter vero ſentiunt ii, quibus cognitum perſpectumque eſt, eum morem fuiſſe antiquitus, ut Sacra Euchariſtia in Eccleſiæ Sacrario ſervaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perſpicimus in Baſilica Sanctæ Crucis in Jeruſalem: Idem perpendit Mabillon in Muſeo Italico tom. 1. pag. 89. ac tom. 2. pag. 139. At quod in præſenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propoſitæ controverſiæ liberum facit, illud eſt, quod, juxta vigentem diſciplinam, Sacra Euchariſtia conſervatur in Tabernaculo, quod eſt poſitum ſuper uno ex Altaribus Eccleſiæ, & quod in eo paſſim Miſſa celebratur; cum, ſedulo perpenſo cæremoniali textu deprehenſum ſit, eum prædictæ celebrationi abſolute non obſtare; uti Chriſtianus Lupus expendit tom. 11. recentioris editionis in Diſſertatione de Sacris Proceſſionibus pag. 356. Hanc itaque controverſiam quum alias Nos ipſi expenderemus in ſupracitatis commentariis de Sacrificio Miſſæ part. 4. ſeſſ. 1. num. 18. illorum ſententiam probavimus, qui exiſtimant Crucifixum inter Candelabra ſtatui debere, neque parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, ſatis eſſe, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferius explicabimus. Idemque cenſuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663. uti perſpicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit part. 2. tom. 1. num. 400. ubi hæc leguntur verba: Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.

„ Quarto loco diſputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi Divina Euchariſtia non includitur Tabernaculo, ſed publice Fidelium venerationi exponitur. Id neceſſarium eſſe putavit Sacrorum Rituum Congregatio die 14. Maii anni 1707. Hoc enim petitum fuerat: An ſuper Altare, in quo Sanctiſſimum Sacramentum expoſi-

positum est, Crux de more collocari debeat. „ Sic autem responsum est: Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appositа collocationem. Porro quum Nos ipsi tunc in minoribus constituti coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco eidem Congregationi præsentes adfuerimus, adhuc memoria retinemus, in illa sententia ferenda varia fuisse ac discrepantia suffragia, cautumque deinde fuisse, ne ipsa sententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta est in examen initio Pontificatus Nostri die 2. Septembris anno 1741. in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quæ postquam omnia diligenter accurateque perpendit, decrevit, ut quælibet Ecclesia morem & institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Missa in eo celebratur, & super eo publicæ venerationi Eucharistia exposita est, parum urget, quod nonnulli afferunt, indecens esse, ut Christi imago in eo loco sit, in quo Christus ipse sub specie panis realiter præsens est, & ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe prorsus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens, materiam Eucharistiæ consecravit; nec enim Ecclesia unquam decernendum putavit: ut peracta consecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec afferentibus Crucem necessario esse debere in Altari, in quo expositum est Sacramentum publicæ venerationi, si in eo Missa celebretur, quidquam prodesse potest, quod in publica Eucharistiæ expositione significetur triumphus, & gloria Salvatoris, in Missæ autem Sacrificio ejusdem mors repræsentetur; cum Ecclesia tam in actione Missæ, in qua Eucharistia consecratur, quam in conclusione precum, quæ coram eadem jam consecrata & Fidelium venerationi palam exposita recitantur, una eadem collecta æque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui Sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuæ (hoc est passionis, ac mortis) fructum in nobis jugiter sentiamus. Quæ cum ita se habeant, Rituumque Interpretes & Scriptores, ob ea, quæ mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quæ prudenter, sapienterque decreta fuerunt a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Ecclesia vel Diœcesis suam retineat consuetudinem; ita ut nihil immutetur in ea Diœcesi, ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet; neque nova disciplina excitetur in ea Diœcesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit.

„ Hæc omnia diligenter exposuimus non quidem, ut hac de re plenum justumque tractatum adornaremus, sed ut ex eis cognitum esset atque perspectum, quam alienum sit a Sacris Ritibus id, quod plures temere & inconsulto peregerunt, nempe ut sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra, sed exiguus tantum Crucifixus præfigatur Tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaris adjungi consuevit.

„ Si etenim, juxta Rubricas Missalis, Crux inter candelabra statuenda est; si, juxta cæremoniale Episcoporum, Crux ipsa cum Imagine Crucifixi candelabris supereminere debet; si juxta sensum Congregationis Sacrorum Rituum, non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Missa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum Sacris Particulis in Tabernaculo includitur; si in præsenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur; nec minus de Altari, in quo Sacra Eucharistia publice adoranda proposita sit; nemo est, qui non videat, praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam, ex supradictis dicendam esse omnino improbatam; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter candelabra collocandam decernit. De hac re præclarissimus Vir Cardinalis Bona ita scriptum reliquit Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8. Ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocatur, cujus Passionis viva Imago, & realis repræsentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tanquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur: His postremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 2.

„ Itaque vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apostolica scripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne vestras in Diœceses irrepat consuetudo, quam superius explicavimus; quod si jam ipsa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde se-

„ veri-

„ veritatem, si opus fuerit, adhibentes, illam „ penitus convelli. De Sacrificio Missæ res „ agitur, ideoque nemo vestrum ignorat, a „ Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem „ Episcopis, & Ordinariis locorum, ut „ etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati „ corrigere valeant pravas consuetudines, „ quæ Ritui Missæ celebrandæ adversantur; „ Ita clare desumitur sess. 22. in Decreto de „ observandis, & evitandis in celebratione „ Missæ. Neque vos latet, nullum esse privilegium, „ aut immunitatem, quæ delinquentibus „ in hac re suffragari possit, ut „ vestra ab auctoritate, pœnisque per Vos „ irrogatis vindicentur; Idem sæpius confirmavit „ Sacra Congregatio Tridentini Concilii „ interpres, Decreto inhærens ejusdem „ Synodi, quod paulo ante memoravimus: Id „ Fagnanus testatur ad cap. Grave, num. 46. „ de Officio Ordinarii, his verbis: Et generaliter „ hoc Decretum (de quo superius dictum „ est) censuit Sacra Congregatio comprehendere „ etiam Regulares, quantumvis „ exemptos, eosque ea omnia, quæ ab Ordinariis „ locorum circa observanda, & evitanda „ in Missarum celebratione statuta fuerint, „ omnino servare teneri, ad idque etiam pœnis, „ & censuris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis „ cogi & compelli posse. Nos quidem „ his Literis eandem auctoritatem, qua jam „ prædití estis, iterum Vobis confirmamus. „ Illud monendum superest, eam Nobis mentem „ haud esse, ut Imagines Sanctorum, „ quæ majori Tabulæ Altaris superadditæ sunt, „ de medio auferatis, quum fortasse defuturi „ non essent invidi, qui ut pietati vestræ maculam „ inurerent, in vulgus disseminarent, „ Vos nulla duci religione in eum Sanctum, „ cujus Imaginem Fidelium venerationi subducitis: „ Illud Vobis præcipimus, ut nullo „ modo patiamini rem Divinam fieri ad hujusmodi „ Altaria, nisi Crucifixus inter candelabra „ ita promineat, ut Sacerdos celebrans, „ ac Populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum „ facile, & commode intueri possint; „ quod evenire nequit, si exigua solum Crux „ minori Tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. „ Si ejusmodi corruptela in Diœcesim non valde „ propagata est, facile extingui poterit, si „ privatim Regulares, aut Sæculares Ecclesiarum „ superiores de hac re moneantur; sin „ autem late per Diœcesim invaluerit, tunc „ a Vobis Edictum necessario promulgandum „ erit, quod his nostris literis conformetur. „ Plura scribere Vobis prætermittimus, quos „ prudentiæ, ac doctrinæ laude satis præstantes „ existimamus: Auctoritatem nostram, ut „ rem perficiatis, & quoties opus fuerit, Vobis „ petentibus nunquam defuturam pro certo „ habeatis. Interim Fraternitatibus vestris, „ & Populis curæ vestræ commendatis Apostolicam „ Benedictionem peramanter impertimur.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem „ die XVI. Julii MDCCXLVI. Pontificatus „ Nostri Anno sexto.

Sexto, Minister masculus, ex Navar. Fagund. sub mortali. In necessitate tamen gravi, v. g. diei festi, posset ex Nugn. & Sylvest. contra communem apud Dian. part. 4. tr. 14. resol. 44. adhiberi fœmina, quia quando in jure dicitur, *Nulla fœmina præsumat ad altare accedere, aut Presbytero ministrare*, non videtur intelligendum de tempore gravis necessitatis, tunc enim fœmina non præsumit, sed ex commissione Sacerdotis ministrat. Verum in tali casu poterit ipse Sacerdos sibi respondere sine alio Ministro, ex Sa, Bon. Dian. res. 43. Non est tamen prohibitum, quod Moniales respondeant ex choro, quando masculus ministrat circa altare.

Septimo, duplex candela cerea accensa, & quidem sub mortali, ex Vasq. Regin. Fagund. In necessitate autem probabiliter ex Zanard. Azor. & aliis apud Dian. loc. cit. res. 45. sufficit unum lumen adipis, vel olei, secluso scandalo. Numquam tamen licet celebrare sine lumine. Unde Fagund. docet apud Busemb. quod si ante consecrationem lumen extinguatur, debeat missa relinqui, etiam in necessitate dandi viaticum moribundo. Cereus in consecratione accendendus non requiritur sub mortali, sed solum, ut rubricæ observentur.

Demum requiritur pallium in fronte altaris, seu antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, campanula pro tempore elevationis hostiæ, manutergium, non tamen benedicta; quæ si desint, possunt ex profanis congruenter mundis accipi, & deinde priori usui reddi. Pallium tamen ex Sylv. non videtur simpliciter necessarium; quando scilicet habetur vel præstantia lapidis, vel paupertas; dummodo altare sit decenter constructum; nec sub mortali est necessarius Pulvillus, cereum, & campanula pro elevatione, &c. immo ne sub veniali quidem, ex Persic. & Tamb. si commode haberi nequeant.

ARTICULUS VII.

De ritu in celebratione servando.

I. Num sit mortale negligere Rubricas in Missali præscriptas?

II. Num teneatur Capellanus Missas votivas juxta devotionem dantis stipendium celebrare, si non consonent Rubricis?

III. Num

III. Num saltem possit aliquando missas hujusmodi celebrare?
IV. In quibus casibus licite missa interrumpitur?
V. Quomodo supplendi substantiales defectus, aut errores facile occurrentes in celebratione Missæ?
VI. Quid si Sacræ species evomantur?
VII. Quomodo supplendi defectus accidentales?
VIII. Quid si particula Hostiæ remaneat in fundo calicis, aut palato adhæreat?

I. RItus, qui in missa observantur, alii consistunt in actione, ut genuflexio, pectoris tunsio, immixtio aquæ cum vino, &c. Alii in verbis, ut orationes, & alia verba, quorum aliqua submissa voce, alia elata dicenda sunt, prout in Rubricis præscribitur. Omnes hujusmodi ritus convenienter adhiberi certa fide tenendum est ex Suar. cum pertineant ad religiosum cultum, ad reverentiam tanti Sacramenti, ad devotionem fidelium, & Apostolorum traditioni sint conformes, ex Trid. sess. 23. c. 4.

Quæritur nunc primo, an sit mortale negligere Ritus, seu Rubricas in Missali præscriptas?

Respondeo, communiter cum Azor. Suar. Bon. hic quæst. ult. punct. 7. §. 3. apud Dian. part. 2. tr. 14. resol. 55. docere, quod juxta probabiliorem sententiam peccetur mortaliter negligendo hujusmodi rubricas, quando parvitas materiæ non excusat; quia in constitutione Pii V. quæ habetur initio Missalis, dicitur, *Stricte præcipi omnibus, & singulis in virtute Sanctæ obedientiæ, ut missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ in missali habetur, decantent, aut legant*. Quare juxta communem apud Suar. disp. 63. sect. 3. Fill. Trull. disp. 11. omittere voluntarie aliquod eorum, quæ præscribuntur, in materia gravi est mortale; in levi vero veniale. Verum Tamb. lib. 2. c. 6. ex Lug. Gavant. & aliis distinguit duplex genus Rubricarum; ita ut aliæ sint Præceptivæ, aliæ Directivæ: Dicuntur Præceptivæ illæ, quæ continent aliquod, quod ex jure, vel legitima consuetudine graviter jubetur; v. g. de jejunio ante celebrationem missæ, de integritate Sacrificii, de loco, ara, vasis, & vestibus sacris, de materia Sacramenti, de azymo in Ecclesia latina, de reverentia debita, & similibus: Dicuntur vero directivæ reliquæ, de quibus non constat apud Doctores, quod graviter præcipiantur. Quare sine onere peccati mortalis præscribitur, v. g. orare ante, & post missam, numerus orationum, &c. dummodo non negligantur cum scandalo, aut contemptu; ad quem contemptum reducit Gavant. in Rubricas Missalis part. 3. tr. 11. negligentiam illam intolerabilem, qua quis non curat eas ut plurimum non servare, quia implicite videtur eas contemnere. Equidem tamen existimo, quod possit aliquis ut plurimum eas negligere sine contemptu saltem gravi, atque adeo in tali casu non peccabit graviter ratione contemptus; sed peccabit graviter, quia cum illæ præcipiantur a Pio V. ut diximus, *In virtute Sanctæ obedientiæ*, quando aliquis ut plurimum eas negligit, non excusatur a parvitate materiæ. Non nego tamen, probabilem esse sententiam Doctorum, quos citavimus cum Bon. quod secluso gravi contemptu, & scandalo, vel animo inducendi novum ritum, non sit mortale negligere nonnullas Rubricas directivas, & secluso contemptu levi, aliquando nec esse veniale; si scilicet hujusmodi Rubricæ videantur esse tantum doctrinales, nec inducat præceptum, sed instructionem, & consilium præbeant, ut loquitur Dian. part. 1. tr. 14. res. 70. & Croix n. 410. Veniale autem ex indecenti irreverentia, & levi scandalo, si sæpe negligantur, declinari non potest.

Ex dictis sequitur primo, esse mortale omittere Epistolam, Evangelium, aut partem notabilem Canonis, v. g. Communicantes, &c. quia istæ censentur materia gravis: (quamvis non teneatur privatim recitare Epistolam, vel Evangelium, qui celebrat missam solemnem, ex Dian. part. 1. tr. 14. res. 42. quia nullibi reperitur hoc præceptum, etiamsi usus sit in contrarium). Contra vero esset veniale omittere voluntarie materiam levem, etiam in Canone; Idemque multi censent apud Suar. disp. 59. si omittatur in consecratione particula *Enim*; Sic etiam omittere *Credo*, & *Gloria*, quia non sunt partes simpliciter necessariæ ad missam, ut notat Dian. loc. cit. res. 59. ex Fill. contra Nug. Unde si inadvertenter omittantur, regulariter non sunt repetendæ, cum non possit id fieri sine nota.

Sequitur secundo, peccare mortaliter juxta gravitatem materiæ Sacerdotem, si adderet in missa ex devotione novas preces, præsertim publicas; cum id in Missali prohibeatur: Et ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium peccaret mortaliter, qui in Canone Missæ, pro nomine Episcopi, poneret nomen Generalis suæ Religionis, non quia de se res sit gravis, sed quia videtur id fieri in contemptum Episcopi: Contra vero, si ut privata persona secreto aliquod recitet, v. g. Pater, & Ave, Miserere, &c. ex Tamb. propter levitatem materiæ, solum venialiter peccaret; At mortaliter peccaret ex Bonac. apud Busemb. si adderet quid notabile.

Sequitur tertio, esse mortale omittere oblationem hostiæ, vel calicis, quia censetur materia gravis. Quando tamen facta oblatione hostiæ majoris, adduntur aliæ particulæ, Gavant. putat, posse eas consecrari, si mentaliter offerantur; dummodo offerantur paulo post oblationem hostiæ grandioris; quamvis Tamb.

part. 2. c. 5. §. 2. putat, posse consecrari, si opus sit, etiamsi remote ab oblatione adducantur.

Sequitur quarto, peccare solum venialiter, qui voce depressa recitat, quæ alta voce dicenda sunt. Quamvis Navar. putet, quod mortaliter: Sed Tamb. cum communiori, quod ne venialiter quidem, cum id faciant passim timorati. Illud certe notandum, quod in Rubrica præcipitur, vocem non esse ita efferendam, ut negotium facessat aliis Sacerdotibus ibi celebrantibus. Multi etiam docent apud Mendo in Epitome, quod qui adeo elata voce verba consecrationis proferret, ut per quadraginta passus audiretur, peccaret mortaliter. Notandum tamen hic, Pium V. permisisse aliquos ritus peculiares in aliqua particulari Ecclesia, quos per ducentos saltem annos consueverat observare; permisitque iisdem Ecclesiis, ut de consensu Prælati, totiusque Capituli possent Missalis Romani ritus amplecti.

II. Quæritur secundo, An teneatur Capellanus celebrare missas votivas, quas exigit, qui dat stipendium, quando eas Rubrica non permittit?

Respondeo cum communi apud Dian. loc. cit. res. 31. quod, per se loquendo, peccet non celebrando missas promissas, eo quod infideliter agat, non peccat tamen, si illas non celebret, quando a Rubrica non permittuntur, etiamsi sub juramento eas promiserit; quia nulla promissio etiam jurata obligat, si sit de re interdicta per legem. Immo notat Alcozer. apud Trull. quod in tali casu nec debeat fieri commemoratio missæ votivæ: quia abunde satisfit per missam illius diei, quam exigunt Rubricæ; & melius satisfit intentioni petentis hujusmodi missas; cum Ecclesia corrigat ejus intentionem juxta Rubricas Missalis. Addit Bonac. hic quæst. ult. punct. 7. §. 3. num. 4. & Trull. dub. 21. quod Sacerdos, a quo, v. g. peteretur missa votiva longa de Passione, abunde satisfaceret, si celebraret de Sancto, de quo eo die celebratur officium, etiam semiduplex, aut infra octavam, immo etiam simplex; quia ubi velit se conformare Rubricæ Missalis, omittendo misas alias, quæ petuntur, secluso scandalo, non peccat, ut docet Suar. disp. 83. sect. 3. Immo ex cap. *Quidam Laicorum de celebratione missarum*, celebranda est missa de eo, de quo fit officium, & reprehensibile est Sacerdotibus ad instantiam laicorum dimittere missas proprias propter peculiares ex devotione. Quamvis enim prosit, v. g. defuncto magis missa de Requiem, quæ petitur, secundum preces ab Ecclesia impositas ad hunc finem, quam alia de Sancto eo die occurrente: tamen Sacrificium, qua Sacrificium est, ex opere operato æqualiter prodest, & defectus missæ petitæ compensari potest devotione, & intercessione illius Sancti, cujus missa celebratur. Ita etiam Azor. Sa, & alii apud eundem Bonac. & Dian. loc. cit. resol. 31. Et ratio ulterior est, quia quamvis, v. g. in Rubricis permittatur dicere missam votivam in festo semiduplici; at requiritur justa causa; non censetur autem sufficiens causa petitio cujuscumque, ita ut semper mutetur missa, quæ eo die præscribitur: Unde fit, quod si petatur missa votiva, satisfieri aliquando possit etiam per missam feriæ currentem; quia ille affectus conformationis, & obedientiæ ad leges Sacras, & specialis devotio posset compensare fructum, qui proveniret dicendo missam votivam.

III. Rogabis, an saltem possit citra culpam Capellanus nonnullis diebus celebrare missas votivas, quæ petuntur, si adversentur Rubricis Missalis?

Respondeo, quod si velimus sequi opinionem probabiliorem, & communiorem, quod scilicet Rubricæ Missalis obligent sub mortali, quando non excusat parvitas materiæ, certe non poterit Capellanus adversus Missalis Rubricas dicere, v. g. missas votivas, aut de Requiem in die Dominico, aut festo duplici, aut aliis feriis, & octavis privilegiatis, ut proinde peccet venialiter transgrediendo in materia levi Rubricas; peccet vero graviter, si eas in materia gravi, aut ut plurimum transgrediatur; At si malimus sentire cum Gavant. & aliis apud Tambur. & Dian. part. 1. tract. 14. res. 70. quod scilicet, ut diximus num. 1. plurimæ Rubricæ hujusmodi sint doctrinales, & directivæ, quæ consilium, non præceptum præbent; profecto poterit aliquando propter petentis missam specialem devotionem sine culpa, etiam levi, ex Suar. apud Tamb. libro 2. c. 6. n. 6. unam, aut alteram Rubricam hac in re non observare, secluso scandalo; Quod certe non vitaretur, si, v. g. die Paschæ aliquis celebraret missam de Requiem. Præceptum autem in virtute Sanctæ obedientiæ latum a Pio V. servandi Rubricas Missalis videtur ex Bonac. strictius obligare in missis solemnibus, ac publicis, quam in privatis, cum in privatis esset mortale, si, v. g. ordo missæ inverteretur, aut si omitteretur aliquod notabile, quod faciendum præscribitur; At si una missa pro alia diceretur, non semper esset culpa; quia tunc non prætermittitur ordo missæ, nec id sapit mutationem ritus, cum pro una missa approbata dicatur alia missa similiter approbata. Nec videtur esse latum præceptum proprie, & in rigore dicendi missam de festo, aut de feria; Nam cum Sacerdos non teneatur hodie missam dicere, non est cur obligetur ad dicendam hanc determinate, ut ratiocinatur Trull. Secus autem dicendum de divi-

divino officio, quia datur præceptum & de dicendo officio, & de tali officio dicendo. Quare certum est, non esse saltem mortale dicere diebus, v. g. Apostolorum aliam missam, secluso scandalo, ut notat Dian. loc. cit. res. 30. & aliquando ex gravi causa nec est veniale; ut si his diebus exponatur solemniter Venerabile Sacramentum, & dicatur missa votiva de Sacramento, cum commemoratione festi duplicis, aut Dominicæ; aut si solemniter celebretur in gratiarum actionem, vel pro necessitate pluviæ ingruentis, belli, pestis, &c. vel pro eo, qui iter periculosum aggreditur; aut si quis celebret in Ecclesia, in qua agitur dies festus loci proprius, ut notat Busemb. ex Gavant.; vel si cadaver insepultum sit præsens in Ecclesia: Immo si quis ducatur non modica devotione ad dicendam aliquam missam, posset sine culpa, etiam veniali, illam dicere, etiam occurrente aliquo festo duplici, ut habet Tamb. loc. cit. c. 6. n. 11. saltem quia probabilis est sententia Suar. disp. 83. sect. 3. quod in missis privatis ne leve quidem peccatum sit sine causa celebrare aliquando aliam missam a currente, etiamsi currens sit duplex, quia non putat haberi de hac re Rubricam præceptivam, & timorati sine scrupulo id faciunt. Hinc qui diu stare propter ægritudinem non potest, poterit Dominica Palmarum, & tribus diebus sequentibus recitare privatim missam votivam de Passione ex Tamb. loc. cit. quamvis Dian. part. 9. tract. 8. resol. 53. ex declaratione Cardinalium doceat, id sine causa non esse permittendum.

IV. Quæritur tertio, in quibus casibus liceat missam interrumpere?

Respondeo, licere primo, si ingruat incendium, terræmotus, hostes, &c. præciso tamen scandalo, & periculo contemptus; ita ut, quo partes missæ sunt propinquiores consecrationi, & communioni, eo majus periculum mortis requiratur. Facta tamen consecratione, si non potest missa perfici, statim sumantur species Eucharisticæ, si vacet, omissis cæremoniis intermediis, e Villal. & Trull.

Secundo, Si Sacerdos deficit ante consecrationem, debet missa interrumpi; post consecrationem vero etiam solius hostiæ debet Sacrificium eodem die perfici ab alio Sacerdote, si haberi possit: Secus sumi debent altero die species consecratæ in altero Sacrificio: Quamvis Tamb. lib. 2. c. 8. putet, posse sequenti etiam die perfici illud Sacrificium, quando deest, aut longe distat, qui eodem die illud perficiat; possitque perfici etiam ab excommunicato, suspenso, &c. si desit Sacerdos aptus. Tertio, si Sacerdos ante canonem recordetur se non esse jejunum, aut esse in mortali, vel censura innodatum, debet desistere, si possit sine scandalo, aut sui diffamatione: Quod tamen vix accidere potest, ut notat Bon. quæst. 6. punct. 1. unde fere semper in his casibus missa est perficienda concepta contritione, &c. Quarto, si vinum, vel hostia veneno inficiantur ab aliquo animali, v. g. ab aranea, ante consecrationem, debet vinum, vel hostia mitti in piscinam, & novum apponi, mente illud offerendo; Quod si contingat post consecrationem, debet illud animal ablui, comburi, & cineres una cum ablutione in Sacrarium mitti; Sanguis vero si non possit citra periculum vomitus, vel salutis sumi, debet honeste conservari, donec corrumpatur, & tunc mitti in Sacrarium: Vel potest panno imbibi, exiccari, & combusto panno, cineres in Sacrarium mitti. Interim abluto calice, debet novum vinum cum aqua imponi, & incipiendo a *Simili modo postquam cænatum est*, prosequi Sacrificium. Idem dicas proportionaliter de hostia; Notatque Gavant. censeri hæc venenata, si fulmine tangantur. Quinto, si Sacerdos ante consecrationem advertat, aquam calici non imposuisse, debet imponere; non tamen post consecrationem, quia non est de necessitate Sacramenti. Sexto, si quis post consecrationem advertat consecrasse acetum, vel aquam, debet hæc in piscinam mittere, quando advertit esse aquam, etiamsi aliquid illius ebiberit; (cum non debeat eam projicere, ne projiciat particulam hostiæ consecratæ, & indecens est, aquam in calicem expuere, ut notat Con. & Trull.) & consecrare calicem, ut alias diximus, juxta Rubricas Clem. VII. Expeditius enim erit, præsertim in præsentia populi, novum vinum, & aquam imponere, mente offerre, & consecrare, incipiendo a *Simili modo postquam cænatum est*, & sumere; Quamvis D. Th. putet juxta Rubricas Pii V. novam hostiam etiam, & vinum esse consecrandum, incipiendo a *Qui pridie*, perinde ac nihil consecratum esset, ut notat Trull. dub. 23. & Dian. resol. 70. & idem proportionaliter docet, si advertat, hostiam consecratam non esse triticeam. Sed Rubricis Clementis VIII. potius adhærendum, utpote posterioribus, quam sint Rubricæ Pii V.

V. Quæritur quarto; Quid faciat Sacerdos, si advertat aliquid essentiale formæ omisisse, aut si dubitet, an habuerit intentionem consecrandi?

Respondeo: Conveniunt universim Doctores, quod teneantur Sacerdotes vitare omnes defectus, & si quid ex substantialibus omiserint, supplere juxta regulas Missalis. In dubio autem proposito dicendum, quod si Sacerdos certitudinem moralem habeat, se omisisse aliquid essentiale formæ, aut quod ne virtualem quidem habuerit intentionem

nem

nem consecrandi, tunc debeat iterum consecrare, repetendo secreto totam formam supra eandem materiam cum intentione debita, dummodo id contingat ante sumptionem; immo post sumptionem hostiæ, si advertat, defectum esse in sola consecratione calicis, debet idem facere; At si defectus fuit in utraque specie, post sumptionem, non debet iterum consecrare, cum non sit jejunus, ut notat Trull. Quod si non habeat certitudinem moralem, sed solum dubium, prudens tamen, notabile, & rationabile, debet repetere verba consecrationis sub conditione, saltem mente retenta, ex Suar. disp. 83. loc. cit. quia defectus est substantialis. Quod etiam dicendum, si certo sciat, omisisse aliquod verbum in consecratione, de quo dubitatur apud Doctores, an sit essentiale; ut notat Bon. punct. 16. n. 12. Qui addit ex Henr. quod si Sacerdos dubitet prudenter, an habuerit intentionem consecrandi particulas pro communione populi, nec possit dubium prudens deponere per rationem probabilem ex iis, quæ diximus quæst. 4. in calce art. 3. debet illas aut sumere post consumptionem utriusque speciei, aut relinquere, ut alius Sacerdos deinde in missa eas consecret sub conditione.

Ex quibus sequitur primo, quod Sacerdos, qui malitiose noluit hostiam consecrare, consecravit tamen calicem, sed post sumptionem calicis ipsum pœnitet erroris, debeat hostiam consecrare, etiamsi non sit jejunus; ut Sacrificium sit perfectum: (nisi aliud tamen suadeat necessitas vitandi scandalum). Ratio est, quia præceptum divinum de integritate Sacrificii fortius est præcepto ecclesiastico de jejunio naturali: Contra vero, si neutrum consecravit, non debet quicquam consecrare, quando jam non est jejunus, ut notant etiam Suar. & Bonac.

Sequitur secundo, quod si totum vinum consecratum e calice effundatur, ita ut nihil remaneat, debet pariter novum vinum consecrari modo dicto: Idemque similiter observandum, si hostia dispareat vento, aut ab aliquo animali subtrahatur: Quod si difficillime nova hostia possit haberi, quia quod est multum difficile, reputatur moraliter impossibile, & strictius obligat jus naturæ de vitanda offensione populi, quæ sequeretur, quam jus divinum de integritate Sacrificii; ideo tunc in una tantum specie Sacrificium perfici debet, prætermittendo, juxta Rubricas Missalis, verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem.

Notandum tamen, quod Sanguis cadens super corporale, vel super linteum debeat lavari super calicem, & ablutio nisi sumatur ab eodem Sacerdote, debet projici in piscinam; quod etiam fieri debet, si super tapetum, vel alium pannum cadat: at si cadat super aram, debet a Sacerdote sorberi, deinde lapis lavari, & ablutio in piscinam mitti. Si cadat super tabulam, debet lambi, & abradi; sicut etiam debet abradi, si cadat super terram, & quod abraditur comburi, & cineres in piscinam condi. Quod si sacra hostia super terram, vel super tabulam, &c. cadat, sumpta reverenter hostia, locus mundetur, aliquantulum abradatur, & abrasio in Sacrarium mittatur; sin ceciderit super linteum, aut pannum sericum, &c. diligenter lavetur, & lotio in Sacrarium mittatur: poterit autem lavari a Clerico, vel Sacrista, a quo lavari possunt corporalia: Solum si effundatur sanguis, ablutio fieri debet a Sacerdote, vel saltem, si ille desit, a Diacono, quia tangendus est sanguis, qui in panno imbibitur; quod non contingit in lotione purificatorii, quia aut sanguis non fuit in eo imbibitus, aut est excitatus: Præterquamquod non datur lex universalis de eo, quod raro, & per accidens occurrit; unde purificatorium etiam a Sacrista lavari potest. Demum si hostia cadat intra pectus fœminæ, quia habenda est ratio decentiæ, & honestatis, ipsa potius melius debet illam accipere, & in pyxidem mittere, & si deperdatur aliquod fragmentum, committatur Angelis, & Deo; quod etiam faciendum, si Sacerdos videat fragmentum aliquod in pectus mulieris, aut intra barbam viri cadere, nec possit sine gravi turbatione illorum, & adstantium offensione illud perquirere: hæc enim pati voluit, qui dignatus est nobis sese in cibum dare. Certe si hostia tangat barbam vel communicaturi, vel celebrantis, debet barba ter lavari juxta Rubricas, & consuetudinem, non vero radi, & comburi, ut notat Trull. lotio autem debet in Sacrarium mitti: Quando tamen sequeretur non modica turbatio viri ex tali lotione, eo quod ipse non adverterit ad talem contactum Sacræ hostiæ, putat Tamb. contra Dian. part. 10. tract. 12. resol. 10. omittendam esse talem lotionem, quia præstat vitare turbationem fidelium, quam Rubricarum apicem observare; possumus enim uti Epicheja, rationabiliter interpretando mentem Legislatoris, quod voluerit talem casum excipere.

VI. Rogabis; quid, si contingat, quod Sacræ species evomantur?

Respondeo, quod si judicentur corruptæ, totum vomitus debet comburi, & cineres in Sacrarium projici; Sin appareant integræ, debent reverenter assumi, ut dicitur in Rubricis Missalis n. 14. nisi nausea habeatur; aliter separentur, & in loco sacro reponantur, donec corrumpantur; deinde comburendæ sunt, & cineres in Sacrarium projiciendi. Non est autem illicitum provocare vomitum, quando quis advertit, quod species Sacramentales a se sumptæ veneno fuerint infectæ; & quod nisi statim evomantur cum cibo, immineat periculum grave mortis, ut notat Tamb. de Commun. cap. 3. §. 4.

VII. Quæritur sexto; quando quis paululum in missa procedens advertit, se aliquid omisisse, tenetur ne illud repetere?

Respondeo cum Suar. & Trull. regulariter loquendo, defectus accidentales, postquam commissi sunt, non esse supplendos; ut si quis omisit *Gloria*, vel *Credo*, &c. quia non sunt de substantia, & si repeterentur, facile aderit scandalum, aut nota, & invertitur ordo missæ: dixi tamen, Regulariter, quia si parva esset mora, & omissum esset aliquod notabile, non est inconveniens, imo necessarium ex Suar. disp. 85. sect. 2. §. 2. quod repetatur, præsertim in iis, quæ secreto dicuntur.

VIII. Quæritur ultimo; quid faciet Sacerdos, si sumpto calice, remaneat particula in fundo calicis?

Respondeo, posse vel digito illam ad calicis labrum perducere, & sumere, vel infundere vinum, & totum sumere, ut habetur in novo Missali: Quod si prima vice non potuit sumi, potest iterum novum vinum infundi, ut sumatur: quod idem dicendum, si hostia conglutinetur palato Sacerdotis; nam non censetur tunc Sacerdos communicare non jejunus, prout notat Lug. disp. 15. de Euchar. sect. 7. n. 79. præstatque id facere, quam digitum ori imponere ad trajiciendas species agglutinatas palato.

ARTICULUS ULTIMUS

De Missæ Stipendio.

I. *Qua de causa Stipendium pro Missa licite sumatur?*

II. *Justum Missæ stipendium quodnam sit?*

III. *Num diebus festis accipi possit stipendium majus, quam diebus profestis?*

IV. *Possit ne pro eadem Missa duplex stipendium accipi, alterum scilicet pro Officiatura, alterum pro applicatione Sacrificii?*

V. *Quid si alter petat Impetrationem, alter Satisfactionem Sacrificii?*

VI. *Num possit Beneficiarius, vel Capellanus, si per alium satisfaciat, dare illi solum consuetam eleemosynam pro Missa?*

VII. *Sub gravi Sacerdos, qui per alium celebrat, universim tenetur illi integram eleemosynam manualem tribuere.*

VIII. *Num Rectores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere pro expensis necessariis ad celebrandum?*

IX. *Si quis plura exigua stipendia accipiat, promittendo singulis Sacrificium, poterit ne eandem Missam pro iis omnibus applicando, obligationi suæ satisfacere, si necessitate ductus id promiserit?*

X. *Videtur id non licere tum secundum se, tum etiam ex decreto Urbani VIII.*

I. Plurima huc spectantia diximus art. 5. Quærimus nunc, qua ratione stipendium accipi pro Missa possit? Quodnam sit justum Missæ stipendium? Num possit duplex stipendium aliquando pro eadem missa accipi; & alia his affinia; omittentes quæ olim apud Doctores agitabantur, sed post decretum Urbani VIII. de Celebratione Missarum, cum declarationibus Sacræ Congregationis, sunt jam extra controversiam; sicut etiam post proscriptionem octavæ, nonæ, ac decimæ Thesis factam ab Alex. VII. in quarum expositione plurima diximus in Trutina Thesium damnatarum. Theses autem a Pontifice proscriptæ sunt hujusmodi: Octava, quæ habet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idq; post decretum Urbani VIII.* Pariter nona, dicens: *Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collocato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta:* Et decima, ubi dicitur: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quæritur nunc primo, quibus titulis accipi possit stipendium pro missa absque labe Simoniæ?

Respondeo, certum esse quod si stipendium recipiatur ut pretium ipsius fructus spiritualis, sit vera simonia; sicut etiam si recipiatur ut pretium laboris necessario requisiti ad sacrificandum. Quando enim talis labor missæ intrinsecus venderetur, censeretur ipsa missa vendi, ut Doctores docent communiter in de Simonia. Habetur enim in cap. *Si quis objecerit* quæst. 3. *Qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*: Quare potest stipendium accipi, vel pro sustentatione Sacerdotis, juxta illud: *Qui altari servit, de altari vivet:* Nam sicut artifex, v. g. Pictor, dicitur gratis pingere, si in domo tua sit, nec aliud a te habeat præter sustentationem; ita dicitur gratis celebrare Sacerdos, si accipiat solum stipendium pro sustentatione. Vel potest accipi stipendium propter circumstantias aliquas extrinsecas, v. g. quod sacrificet in tali loco distanti, tali tempore incommodo, &c. Vel demum, ut eleemosyna, vel ut donum liberaliter datum.

II. Quæritur secundo, quodnam sit justum missæ stipendium?

Respondeo cum Suar. disp. 86. sect. 2. & aliis apud Trull. dub. 52. justum stipendium non esse taxandum, habita ratione congruæ sustentationis; nam actio sacrificandi non exigit integrum diem; unde

unde potest Sacerdos etiam in aliis exercitiis occupari, ut lucretur, & habeat, unde sustentetur, v. g. concionando, cantando in Choro, &c. Præterquamquod ex usu, & præscripto Ecclesiæ nemo potest ad Sacerdotium ascendere, nisi aliunde valeat se congrue sustentare, quare illud stipendium dicitur justum, quod est a Superiore taxatum. Ratio est, quia licet stipendium non sit pretium, servat tamen pretii proportionem, quatenus in ea servanda est ratio justitiæ: unde sicut in temporalibus illud dicitur pretium justum, quod est taxatum a Principe; ita in casu nostro.

Dubium tamen est, an Religiosi exempti teneantur stare taxæ factæ ab Episcopo? sicut eadem ratione quæritur apud Doctores, An Ecclesiastici teneantur stare taxis, & metis in pretio rerum, quas Principes sæculares legitime taxant? Communiter cum Vasq. Molin. affirmant apud Pal. lib. 1. tr. 3. de legib. disp. 1. punct. 24. n. 6. (quamvis Navar. apud Tamb. putet, ad id non obligari sub mortali). Ratio est, quia posita tali taxa, illud est pretium justum, atque adeo si plus accipiatur, contra justitiam accipitur.

III. Quod si missæ stipendium non fuerit a Superiore taxatum, illud dicitur justum, quod communiter receptum est; ita ut supra illud exigi non possit: quamvis possit Sacerdos contentus esse de minori stipendio. In Italia justum stipendium est argenteus: In diebus autem festivis in Diœcesi Mediolanensi permittitur duplex argenteus, teste Bonac. punct. ult. n. 13. alibi argenteus cum dimidio. Dian. tamen part. 1. tr. 14. res. 9. docet, opinionem hanc, quod scilicet possit majus stipendium accipi die festo, damnatam esse in decreto Sacræ Congregationis §. 3. Quod tamen Tamb. loc. cit. negat, siquidem ibi solum vetatur, ne die festo recipiatur stipendium duplicatum; qui tamen accipit duos carolenos die festivo, non dicitur accipere duplicatum stipendium, nec majus justo, ubi pro die festo taxatur vel a superiore, vel a consuetudine duplex argenteus: sicut enim rerum pretia decrescunt, quando pauci sunt emptores, crescunt vero, quando emptores multiplicantur; ita justum missæ stipendium (quod ad normam pretii regulatur, quamvis pretium non sit) diebus feriatis potest esse minus quam festivis, quando ad populi commoditatem multi missas quærunt. Distinguit tamen Tamb. in missa Applicationem, & Officiaturam, docetque pro Applicatione non posse die festo exigi stipendium majus, cum semper sit eadem; secus vero pro Officiatura, quæ die festo magis exposcitur, eo quod majus decus Ecclesiæ, & majorem populo commoditatem afferat; eademque ratione non pro Applicatione, sed pro Officiatura Missæ cantatæ potest accipi majus stipendium, ex Suar. disp. 86. sect. 2. quam pro Officiatura missæ privatæ.

Notandum tamen, quod si stipendium non sit manuale a fidelibus voluntarie oblatum, sed ex titulo ecclesiastico, illud censetur justum, quod ob eam causam relictum est Beneficiario, vel Capellano, quamvis sit maximum. Si tamen sit ita tenue, ut non attingat stipendium pro illo loco sufficiens, pertinebat olim ad Episcopum reducere onus missarum ad minorem numerum; nunc tamen post decretum laudatum pertinet ad solum Pontificem, quamvis non sit improbabile apud March. & Tamb. lib. 3. c. 1. §. 2. n. 9. quod possint Episcopi hoc facere, antequam Ecclesia tale onus acceptet; quia in decreto solum prohibetur, ne Episcopi moderentur onera missarum imposita; quod autem nondum est acceptatum, non dicitur proprie impositum. Quare si Ecclesia acceptat onus dicendi, v. g. viginti missas pro decem carolenis, non potest tale onus moderari nisi solus Pontifex; & quamvis si omnino sine culpa beneficiarii cessent reditus beneficii, cesset etiam omnino statim onus missarum; si tamen reditus diminuantur, non per hoc potest diminui onus missarum absque recursu ad Pontificem, cum hoc in decreto prohibeatur.

IV. Quæritur tertio, an possit Sacerdos accipere duplex stipendium, alterum pro Applicatione Missæ, alterum pro præsentia, seu Officiatura in loco sibi præstituto?

Respondeo, Dian. loc. cit. res. 80. negare, quia S. Congregatio decrevit, *quod Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione Beneficii, Capellaniæ, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis susceperint, non possint eadem missa utrique obligationi satisfacere.* At Lug. de Euch. disp. 21. & Tamb. loc. cit. n. 14. affirmant, dummodo constet, unum voluisse solum præsentiam, alterum vero solum applicationem Sacrificii; quia stipendium pro præsentia recipitur propter laborem extrinsecum missæ, quod scilicet in tali loco, vel tempore celebretur, ad quod non tenetur Sacerdos obligatus pro alio celebrare; stipendium vero pro applicatione missæ recipitur pro parte sustentationis congruæ Sacerdotis, ut diximus: Decretum autem adductum a Dian. loquitur solum de iis, qui tenentur ratione beneficii, &c. ad præsentiam simul, & applicationem Sacrificii, non vero de iis, qui solum tenentur ad præsentiam. Quamvis autem Barb. & Lug. doceant, quod qui petit missam in aliquo loco, petat etiam implicite sibi missam illam applicari; quia cum non constet contrarium, præsumendum est, quod communiter contingit: March. tamen apud Tamb. docet, non satis esse talem præsumptionem, quia onus grave non est imponendum, nisi clare constet. Præterea ex Leg. *Quicquid astringendæ* de Verbor. obligat. dicitur, quod propositum mente reten-

tum nihil extra operetur; unde lex Principis mente retenta non obligat: ergo si testator non declaret, quod velit etiam applicationem Missæ, non obligatur Sacerdos ad illam, etiamsi animus fundatoris fuisset obligare Sacerdotem. Quare si petantur missæ in tali loco celebrandæ, nihil aliud exprimendo, ex quo colligatur exigere etiam applicationem, videtur Sacerdos obligatus dumtaxat ad præsentiam; si enim ille voluisset applicationem missæ, expressisset, dicendo v. g. illam velle pro anima sua, vel defunctorum suorum, &c. Etenim ex Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 17. n. 7. in oneribus imponendis hæc regula servanda est: *Si voluisset, expressisset*. Verum quidem est: in rebus dubiis præsumendum esse, quod communiter contingit: in casu autem nostro non raro accidit, quod fundatores Capellaniæ, & qui petunt missam die festo, v. g. in aliquo loco, solum inspiciant ad honorem altaris, vel ad commoditatem populi, non ad suorum delictorum satisfactionem.

Equidem censeo, non esse recedendum a sententia opposita Barb. & Lug. cum regulariter contingat, quod petens missam in aliquo loco, non solum velit commoditatem populi, aut cultum Sancti illius loci, sed etiam Missæ applicationem; Ex hoc autem quod regulariter contingit, rationabiliter id præsumitur; ac propterea Sacerdos in tali casu tenetur etiam missam applicare pro dante eleemosynam.

V. Ex dictis resolvitur alia quæstio, An possit Sacerdos accipere stipendium ab eo, qui petit tantum fructum impetrationis missæ, petendo, v. g. illam pro infirmo; & alterum integrum stipendium ab eo, qui petit fructum satisfactionis, petendo, v. g. illam pro defuncto? Petrus Navar. apud Tamb. docet, id non esse improbabile. Sed communiter cum eodem Nav. & Tamb. docent, id non licere; quia præsumendum est in rebus dubiis, quod communiter contingit. Communiter autem contingit, quod petens missam utrumque fructum velit sibi applicari, nisi aliud explicet, aut ex aliqua circumstantia contrarium colligatur. Præterquamquod in tali casu duplex stipendium pro eadem missa reportaretur; quod in decreto Urbani VIII. vetatur. Quare nisi diserte consentiant offerentes stipendium, quod uni solum impetratio, alteri satisfactio applicetur, non poterit Sacerdos hoc duplex stipendium pro eadem missa accipere. Illud a nonnullis admittitur, quod si gratis uni promisisti missam pro salute parentis ægroti, v. g. alteri pro anima fratris defuncti, possis eadem missa utrique obligationi satisfacere; Nam ex modo promittendi, non promittitur nisi uni fructus impetrationis, alteri fructus satisfactionis, nec communiter contingit, quod offeratur semper uterque fructus Sacrificii, sicut communiter contingit, quod petens missam, & erogans pro illa stipendium, petat utrumque fructum; neque in tali casu duplex stipendium pro eadem missa accipitur.

VI. Quæritur quarto: An peccet mortaliter non solum qui tenetur missas celebrare ob eleemosynas manuales, sed etiam Capellanus, ac Beneficiarius, si accepto pro missis celebrandis stipendio majori, det easdem celebrandas alteri pro stipendio minori?

Respondeo, indubitatum esse id non licere relate ad missas celebrandas ob stipendium manuale, juxta decretum laudatum Urbani VIII. & juxta thesim nonam Alex. VII. etenim id saperet turpe lucrum. Nihilominus Sacra Congregatio rogata, an Beneficiarius, qui potest per alium celebrare, teneatur huic alii dare stipendium ad rationem redituum Beneficii? respondit, satis esse, si det eleemosynam congruam secundum morem regionis, si aliud in fundatione cautum non fuerit. Disparitas est, quia qui dat eleemosynam manualem pinguem pro missa, totam illam eleemosynam dat pro missa; unde non debet aliquid sibi retinere, qui per alium celebrat: Contra vero Fundator beneficii non dat pingues reditus beneficii pro sola missa, sed etiam pro commodiore sustentatione Beneficiarii, ut alacrius serviat, &c. & propter eandem rationem Dian. loc. cit. res. 11. Lug. disp. 21. sect. 2. & Tamb. concedunt etiam Cappellano, id quod a Sacra Congregatione conceditur Beneficiario; & Croix putat, id verum esse, etiamsi Capellania sit amovibilis: Immo idem concedunt legatario pingui, quando hic non accepit eleemosynam manualem; v. g. si Titio relinquantur centum aurei cum onere, quod faciat celebrari centum Missas; quia talis eleemosyna non videtur relicta solum intuitu missæ, ut eleemosyna manualis solet conferri, sed intuitu personæ. Idemque dicas, si Sacerdoti relinquatur prædium reddens quotannis centum aureos cum onere, quod celebret quotannis centum missas.

VII. Docuit Bord. res. 26. n. 28. apud Tamb. quod qui hoc decretum non servaret, non peccaret mortaliter; quia in eo decreto nulla adsunt verba indicantia culpam mortalem; & ex alio capite nulli fieret injuria. Verum communiter cum Peyr. & Tamb. damnant id de mortali, quia tam subtilis districtio Sacræ Congregationis in re tam gravi gravem prohibitionem demonstrat; Præsertim, quia decreto Urbani VII. successit deinde condemnatio dictæ propositionis facta ab Alex. VII. Universim autem lex Ecclesiastica obligat sub gravi, quoties usus, & consuetudo ita obligationem interpretatur, ut lex de servandis festis, de jejuniis, & similibus; usus vero in casu nostro obligationem gravem interpretatur, ut docent communissime. (*a*)

Ve-

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Univerſis gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

,, (*a*) QUanta cura adhibenda ſit, ut Sacroſan-
,, ctum Miſſæ Sacrificium non ſolum
,, omni Religionis cultu, ac veneratione cele-
,, bretur; verum etiam, ut a tanti Sacrificii
,, dignitate cujuſvis generis mercedum condi-
,, tiones, pacta, importunæ, atque liberales,
,, eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtu-
,, lationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimonia-
,, ca labe vel certe a turpi quæſtu non longe
,, adſunt, e medio tollantur, nemo eſt ex ca-
,, tholicæ fidei cultoribus, qui ignoret. Ve-
,, rum eo uſque tandem progreſſa eſt, ſicut
,, non ſine ingenti Cordis noſtri mœrore un-
,, dique accepimus, nonnullorum ſive Eccle-
,, ſiaſticorum, ſive Laicorum virorum avari-
,, tia, qua eſt idolorum ſervitus, ut eleemo-
,, ſyna quidem, ſeu ſtipendia propter Miſſa-
,, rum celebrationem juxta locorum conſue-
,, tudines, vel Diœceſanarum Synodorum ſan-
,, ctiones in ſubſidium alimentorum uniuſcu-
,, juſque Sacerdotis dumtaxat pro regionum
,, opportunitatibus præſcripta colligant, Miſ-
,, ſas vero celebrari curent alibi, ubi elee-
,, moſynæ, ſeu ſtipendia vel conſuetudine,
,, vel Synodali lege pro ſingulis Miſſis attributa
,, ſunt minoris pretii, quam illic ubi accipiun-
,, tur, darentur. Id quam abſonum ſit, at-
,, que alienum ab ipſa ſive expreſſa, ſive ta-
,, cita pia offerentium voluntate, omnes pla-
,, ne intelligunt, nec aliter exiſtimandum eſt:
,, in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas,
,, quiſque vult, ad quam religionis & pieta-
,, tis ſtimulis ductus eleemoſynas confert, aut
,, in qua quiſquam fortaſſe tumulatus eſt,
,, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota.
,, Quod ſane veluti mercaturis faciendis a turpis
,, lucri cupiditate inductum non ſolum ab ava-
,, ritiæ ſuſpicione, & vitio, verum etiam a
,, furti crimine unde reſtitutioni ſubjacet,
,, haud immune, in cauſa eſt, ut bonorum quam-
,, plurimi ad quorum notitiam mercatura hu-
,, juſmodi venit graviter offenſi ab eleemoſy-
,, nis ad celebrandas Miſſas amplius offeren-
,, dis ſeſe abſtineant. Execrabilem hujuſmodi
,, abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtan-
,, tes Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri
,, de conſilio tum Congregationis S. R. E.
,, Cardinalium univerſitatis inquiſitionis con-
,, tra hæreticam pravitatem, tum Congrega-
,, tionis, tum Cardinalium Concilii Triden-
,, tini interpretum Decretum voluerunt, ni-
,, mirum a quolibet Sacerdote ſtipendio, ſeu
,, eleemoſyna majoris pretii pro celebratio-
,, ne Miſſæ a quocumque accepta, non poſſe
,, alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebra-
,, turo ſtipendium ſeu eleemoſynam minoris
,, pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſ-
,, ſam celebranti, & conſentienti ſe majoris
,, pretii ſtipendium, ſeu eleemoſynam acce-
,, piſſe indicaſſet. Ea propter vos Venerabi-
,, les Fratres in Apoſtolici miniſterii, & ſol-
,, licitudinis noſtræ partem adſcitos rogamus,
,, & maximopere in Domino hortamur, ut cu-
,, ſtodientes vigilias ſuper Gregibus veſtris,
,, enitamini ne ea peſtis amplius pervagetur,
,, ſed ut penitus extinguatur. Ab avartia qui-
,, dam appetentes erraverunt a fide, & inſe-
,, ruerunt ſe doloribus multis. Avaritia qui-
,, dem nulla potior contagio quæ conceptam
,, apud omnes Sacerdotalis dignitatis, perfe-
,, ctioniſque opinionem magis inficiat, evel-
,, latque avaritia opibus Deum poſthabere ac
,, ſervire mammonæ docens efficit, ut avari hæ-
,, reditatem non habeant in Regno Chriſti, &
,, Dei, ſi hæc in Laicis hominibus minime to-
,, leranda atque adeo legibus exercenda. Quid
,, in Eccleſiaſticis viris qui terrenis rebus nun-
,, tium miſerunt, qui in ſortem vocati, qui
,, Deo mancipati ſunt? Quid quod non per
,, mundana ſacra, ſed per altaris miniſterium
,, tam ſordide, & cum Sanctiſſimarum Legum
,, contemptu, & cum Sacerdotalis characte-
,, ris dedecore in avaritiam præcepti animo
,, rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles
,, Fratres, quibus Chriſti ovium cura deman-
,, data eſt, non ſolum ut verbo, & exemplo
,, præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in o-
,, mni loco unde populi veſtigia veſtra ſequan-
,, tur, verum etiam ut Eccleſiaſticos primum,
,, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pa-
,, ſcuis avertentes, per viam mandatorum Dei
,, ad cœleſte ovile currere doceatis. Quoniam
,, autem ita comparatum eſt, ut præſentis
,, pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius ob-
,, temperetur per edictum in veſtris Diœce-
,, ſibus proponendum affigendumque univer-
,, ſis notum facite, quemcumque qui elee-
,, moſynas ſeu ſtipendia majoris pretii pro
,, Miſſis celebrandis quemadmodum locorum
,, conſuetudines vel Synodalia ſtatuta exigunt,
,, colligens Miſſas, retenta ſibi parte earum-
,, dem eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acce-
,, ptorum ſive ibidem, ſive alibi ubi pro Miſſis
,, celebrandis minora ſtipendia ſeu eleemoſynæ
,, tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem,
,, ſeu

„ seu sæcularem præter alias arbitrio vestro „ irrogandas pœnas, excommunicationis pœ- „ nam, Clericum vero, sive quemcumque Sa- „ cerdotem pœnam suspensionis ipso facto in- „ currere, a quibus nullus per alium quam „ per nos ipsos, seu Romanum Pontificem „ pro tempore existentem, nisi in mortis ar- „ ticulo constitutus absolvi potest. Fore autem „ in Domino confidimus, ut unusquisque me- „ mor conditionis suæ posthac bene consul- „ tum velit animæ suæ, nec tam salutares „ leges censurasque Ecclesiasticas parvipendat. „ Interea Fraternitatibus vestris Apostolicam „ Benedictionem in populos etiam curæ ve- „ stræ commissos redundaturam peramanter „ impertimur. Volumus autem, ut præsen- „ tium Litterarum transumptis, sive exem- „ plis etiam impressis, manu alicujus Nota- „ rii publici subscriptis, & sigillo personæ in „ Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis ea- „ dem prorsus fides in judicio, & extra ad- „ hibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsenti- „ bus si forent exhibitæ vel ostensæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam „ Majorem sub anulo Piscatoris die trigesi- „ ma mensis Junii, millesimo septingentesi- „ mo quadragesimo primo: Pontificatus no- „ stri anno primo.

VIII. Rogata pariter Sacra Congregatio, An Rectores Ecclesiarum possint ab eleemosyna manuali aliquid sibi retinere pro expensis necessariis videlicet, pro candelis, paramentis, vino, &c.?

Respondit, id posse solum Rectores Ecclesiæ pauperis, non vero quæ sufficientes habet reditus. Ex reditibus tamen Beneficii, aut Capellaniæ poterunt universim pauperum Ecclesiarum Rectores illam portionem duntaxat accipere, quæ nullatenus excedat valorem expensarum, quæ pro ipsomet Sacrificio sunt subeundæ.

Præterea docet Dian. loc. cit. resol. 12. quod Sacerdos, qui a Petro habuit aureum pro missa, non intuitu solius missæ, sed etiam intuitu personæ sibi amicissimæ, cui vult hoc beneficium præstare, possit per alium Sacerdotem satisfacere, collato illi justo stipendio; sicut etiam quando sponte excessus consueti stipendii ab alio Sacerdote condonatur, ex eodem Dian. resol. 13. Notat tamen Tamb. duos in hac re scrupulos esse vitandos: primus est, ne ille non sponte condonet, sed coactus metu, ne non inveniat in posterum eleemosynas pro Missis: alter, ne tu incidas in periculum sordidæ negotiationis, & damnabilis lucri. Demum Collectores missarum, qui plura stipendia congregant, & deinde inter stipendiarios Sacerdotes distribuunt, probabiliter ex Trull. dub. 11. & Tamb. possunt pro labore in colligendis, vel transportandis stipendiis moderatam mercedem retinere; quia talis prohibitio directe est contra Sacerdotes, qui missas celebrandas accipiunt; reliqui igitur solum servare tenentur id, ad quod jure naturæ obligantur.

IX. Quæritur quinto, An qui accipit plura exigua stipendia, promittens singulis missam, possit unica missa pro omnibus satisfacere; Verbi gratia, si recepit quinque asses a Titio, & quinque a Cajo, potest ne eandem missam pro utroque applicare; ita ut debitum caroleni stipendium pro ea accipiat?

Respondeo, Azor. 3. part. lib. 12. cap. 8. quæst. 3. & Cordub. apud Trull. dub. 6. id permittere, quia justum stipendium debetur Sacerdoti. At communissime negando, quando sponte promisit applicare integram missam pro exiguo stipendio; quia quilibet tenetur stare promissis, & potest Sacerdos liberaliter donare, quod requiritur usque ad stipendium justum: Si tamen nihil promisit, sed tacuit, dum offerretur stipendium exiguum pro missa, Corduba, Nugnus, Fraxinellus apud eundem Trull. & apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 7. facilius permittunt. Sed communius etiam negant, quia qui tenuem acceptavit eleemosynam ab offerente stipem pro missa, videtur consentire ad mentem petentis, quæ est, ut integra missa sibi offeratur. Quare sicut qui acceptavit tenuem Capellaniam, tenetur ad omnia missarum onera, donec a legitimo Superiore reducantur ad minorem numerum; ita in casu nostro.

Verum Trull. & Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 3. probabilem putant sententiam Suar. disp. 86. sect. 4. docentis, in eo casu posse concedi Sacerdoti pauperi, quando paupertate coactus consentit; poterit enim ab injusto pacto resilire, & missam pro stipendio justo applicare. Sicut enim (inquit Suar.) operarius, cui digna merces non tribuitur, potest damnum sibi compensare, etiamsi ob paupertatem consenserit in mercedem exiguam; (quamvis non possit exigere mercedem majorem illa, qua alius facile contentus esset in magna turba operariorum). Et sicut qui ob necessitatem cogitur emere triticum pretio injusto, potest sine injustitia se indemnem servare alia via; quia venditor dum extorquet consensum ad pretium injustum, debet putare, quod qui ob necessitatem emit, vere non consentiat tali pretio: Additque Lugo de justit. disp. 16. sect. 4. num. 82. quod sicut qui in necessitate petit mutuum, & promittit usuras, non tenetur illas solvere, etiamsi fraudulenter promiserit ad extorquendum mutuum; quia cum obliget se mutuator sponte ad mutuandum, obligat etiam se ad leges mutui, atque adeo ad non accipiendam usuram: Ita pariter qui in necessitate vendit infra ju-

stum

stum pretium, potest exigere justum pretium; quia emptor eo ipso quod voluit libere emere, voluit implicite obligare se ad solvendum pretium justum, prout ferunt leges emptionis: Quod idem dicendum in conductione; Idemque videtur etiam dicendum in casu nostro; quia quamvis stipendium missæ non sit vere pretium, servat tamen in omnibus rationem pretii. Dian. tamen part. 1. tract. 14. resol. 7. cum Lug. loc. cit. March. hanc doctrinam in casu nostro non permittit; quia oppositum decrevit Sacra Congregatio, dicens in laudato decreto: *Deinde ubi plura stipendia, quamvis incongrua & exigua, collata fuerint Sacerdotibus, præcipit, ut absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin graviter peccent, & ad restitutionem teneantur*. Verum Tamb. putat, verba hæc Sacræ Congregationis non esse contra sententiam Suarii; quia dicunt, missas celebrandas esse *ad rationem eleemosynæ attributæ*; unde si eleemosyna attributa sit dimidium justi pretii, nonnisi medietas fructuum missæ pro eo applicari debet. Advertit tamen idem Tamb. quod si offerens exiguum stipendium pro integra missa facile invenisset alios Sacerdotes, qui pro eodem tenui stipendio celebrarent, non posse Sacerdos se indemnem servare applicando pro illo partem tantum fructus missæ: quia promittendo fraudulenter integram missam pro tenui stipendio, esset causa injusti damni: Quod pariter docet de operario promittente suas operas pro tenui mercede; non posset enim solitam mercedem exigere, quando Dominus facile invenisset alios operarios, qui eadem tenui mercede contenti essent; etenim fraudulenter id promittendo esset causa injusta damni; & idem docet de mutuatario, qui si promittendo usuras est causa, ut mutuans damnum aliquod patiatur, vel lucrum amittat, debet partem saltem usurarum solvere, ita ut resarciat damnum emergens, aut lucrum cessans mutuantis, cui fraudulenter usuræ promissæ sint.

Equidem tamen, spectato jure naturali, censeo primo, quod sicut promittens usuras ob necessitatem non tenetur resarcire lucrum injustum cessans mutuanti per hoc quod, verbi gratia, aliter mutuasset alteri, qui solvisset usuras: & sicut promittens ob necessitatem injustum pretium pro tritico, non tenetur resarcire emptori lucrum injustum, quod illi cessat, per hoc, quod facile, verbi gratia, alteri eodem pretio injusto vendidisset: ita promittens ob necessitatem integram missam pro tenui stipendio, aut suam operam tenui mercede, non tenetur resarcire damnum injustum, quod patitur promissarius per hoc, quod, verbi gratia, aliter facile reperisset alios Sacerdotes, aut operarios pro eodem tenui injusto stipendio: In eo casu admitto doctrinam Tamb. quando qui offert stipem, facile invenisset alios, qui celebrarent sponte ob eandem exiguam stipem, non coacti necessitate: vel quando sicut ex copia operariorum decrescit pretium operariorum, quod non est a lege taxatum, ita ex copia Sacerdotum decresceret stipendium, quod non esset a Superiore, vel consuetudine taxatum, in indivisibili consistens: Quod si taxatus sit carolenus pro missa, tunc doctrina Suar. videtur absoluta vero secundum se.

X. Censeo tamen secundo cum Lug. & Dian. ex verbis citatis Sacræ Congregationis prohiberi, ne isthæc sententia Suar. in praxim deducatur; quippe quæ multum animabus Purgatorii nocet; cum passim reperiantur, qui bona fide petant integram missam pro tenui stipendio: Quare si Sacerdotes non satisfacerent juxta opinionem Suar. animæ purgantes heu quot Sacrificiis privarentur! Unde merito Sacra Congregatio id vetuit, & explicatio Tamb. videtur omnino aliena a mente Sacræ Congregationis; sicut merito prohibitum est ne reducantur onera missarum ad minorem numerum, quamvis reditus non sint sufficientes ad stipendium justum.

Et hinc confirmatur mea sententia; nam si quis acceptat Capellaniam reddentem quotidie quinque asses cum onere celebrandi quotidie, tenetur quotidie celebrare, nec potest reducere onus missarum ad minorem numerum sine licentia Pontificis; idque puto verum esse, etiamsi coactus necessitate in id consentiat: ergo etiam in casu nostro.

Censeo tertio, sententiam Suar. absolute esse falsam, quia taxa stipendii pro missa non est facta a Superiore, ita ut consistat in indivisibili, sed a consuetudine. Quare sicut ex Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 35. possunt die festo exigi aliquando duo caroleni, quin fiat contra decretum prohibens, ne die festo exigatur duplex stipendium, quia scilicet duo caroleni aliquando, ubi est copia petentium missas ad commoditatem populi, non sunt in rigore stipendium duplicatum, sed stipendium debitum majus: Ita in casu nostro, ubi est copia Sacerdotum offerentium missas, stipendium justum decrescit; atque adeo justum stipendium dat, qui daret, verbi gratia, pro ea Missa quinque asses; unde qui promittit integram missam pro exigua stipe, quæ sit justa, spectata copia Sacerdotum in simile stipendium consentientium, tenetur integre illam offerre. Contendunt quidem multi apud Bonac. punct. 7. §. 2. quod eleemosyna justa pro missa debeat esse, quæ

suffi-

ſufficiat ad ſuſtentationem Sacerdotis integram. Sed hoc merito negatur ab eodem Bonac. quia ex uſu, & inſtitutione Eccleſiæ, nemo poteſt promoveri ad Sacerdotium, niſi aliunde habeat, unde congrue valeat ſe ſuſtentare (*a*).

APPENDIX.

,, (*a*) QUum ex Sacræ Rituum Congregationis Decretis maxime penderat ritus, quo celebrare debemus, non inutile erit heic adſcribere decreta omnia ejuſdem Sacræ Congregationis quæ ad Miſſam pertinent. Addemus etiam ob affinitatem quamdam quæ ad officium ſpectant. E Meratio illa duximus, cujus auctoritatem Romæ præſertim magni fieri experti ſcimus.

PARS PRIMA
CONTINENS
DECRETA

Quæ ad Rubricas Miſſalis aliaſque functiones pertinent.

ABBAS.

,, 1. ABbas ſemel benedictus cum uſu bireti, ſi transferatur ad aliam Abbatiam cum uſu mitræ, non indiget alia benedictione, ſed poteſt per ſe ipſum mitram capere. S. R. C. 25. Febrarii 1606.

2. Abbates, & alii Prælati Regulares, non poſſunt benedicere Paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubjectarum. S. R. C. 24. Auguſti 1609.

3. Abbas, licet habeat uſum Mitræ, & Baculi, & ſolemniter populo benedicere poſſit, privatam tamen benedictionem more Epiſcoporum per vias minime dare poteſt. S. R. C. 24. Auguſti 1609.

4. Abbates, quando ſunt plures in eodem loco, & habent Clerum diſtinctum, debent in Proceſſionibus incedere unuiſquiſque cum ſuo Clero, & in ſuo loco. S. R. C. 19. Januarii 1613.

,, 5. Abbates non ſunt aſſociandi a ſua domo, nec excipiendi, cum ad Pontificaliter celebrandum accedunt. S. R. C. 11. Decembris 1613.

,, 6. Præſente Epiſcopo Diœceſano, ſedebit Abbas in loco ſuæ juriſdictionis vel apud Epiſcopum in ſede Camerali abſque ornatu, & ſuo gradu, vel in conſpectu Epiſcopi ex alia parte in loco inferiori, cum uno parvo gradu non excedente dimidium palmi. S. R. C. 18. Martii 1617.

,, 7. Privilegium conceſſum ab Alexandro II. Abbatibus Monaſterii Cavenſis Congregationis Caſinenſium celebrandi Pontificaliter in Exequiis Nobilium virorum, non extenditur ad alia Monaſteria ejuſdem Congregationis, neque comprehenditur in reſtrictione uſus Pontificalium, quæ habetur §. 5. Decreti generalis 27. Septebr. 1659. pro tribus diebus tantum de præcepto quolibet anno. Ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato.

,, 8. Abbates Congregationis Caſinenſium Divina peracturi, in acceſſu, & receſſu, non obſtante prohibitione in §. 6. Decreti generalis 27. Septembris 1659. expreſſa, ab immemorabili tempore poſſunt aſſociari more Epiſcoporum, modo non extra, ſed intra ſepta Monaſterii ſe ſe ad Eccleſiam conferant. Ex Decret. S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. approbato 20. Julii.

,, 9. Abbatibus Congregationis Caſinenſis, licet in §. 7. Decreti generalis 27. Septembris 1659. taxatus fuerit numerus Miniſtrorum inferiorum, conceduntur tamen alii quatuor Miniſtri cotta induti. Ex Decret. S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato.

,, 10. Abbates Congregationis Caſinenſium, non obſtante prohibitione mitræ pretioſæ, facta §. 8. Decreti generalis 27. Septembris 1659. debent ſervare diſpoſitionem Capitis *Ut Apoſtolicæ* de privilegiis. Ex Decr. S. R. C. 12. Julii 1660. ab Alexandro VII. 20. Junii approbato.

,, 11. Abbates Congregationis Caſinenſium poſſunt uti mitra, & aliis inſignibus Pontificalibus in actu Ordinationum, & Benedictionum cum Oleo ſancto, non obſtante, quod uſus mitræ, & aliorum inſignium Pontificalium in §. 17. Decreti generalis 27. Semptembris 1659. fuerit prohibitus. Ex Decret. S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato.

,, 12. Abbatibus pontificaliter indutis, uti coabſolventibus, juxta Decretum 12. Julii 1727. debetur præcedentia ſuper Canonicos Cathedralis in Proceſſionibus funerum. Item Abbates Pontificaliter induti, invitati pro Aſſiſtentia in ſolemnibus Veſperis, Proceſſione, & Miſſa, debent ſedere in loco decenti ſeparatim a Canonicis in choro poſt Epiſcopos. Pariter Abbatibus Pontificaliter indutis, & genua flectentibus in actu receptionis, & reſtitutionis Sacrarum Reli-

,, quia-

„ quiarum, quæ per eosdem in Processione „ deferuntur, debet permitti usus ejusdem pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiepiscopi, quam Episcopi Suffraganei; & „ in Processionibus secum ducere possunt duos „ tantum Clericos, seu Monachos cotta indutos, in utroque latere assistentes pro servitio, „ & usu mitræ, & baculi Pastoralis. S. R. C. „ 24. Novemb. 1731.

„ Vide Prælatus.

ABSOLUTIO.

„ 13. IN Exequiis post Absolutionem, quæ „ fit super cadaver in die obitus, vel „ supra tumulum in die Anniversario, dicto „ ultimo ℣. *Requiescant in pace*, subjungi „ debet *Anima ejus, & animæ omnium Fidelium Defunctorum, per misericordiam Dei requiescant in pace*; sed super lecticam, seu „ castrum doloris in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum nihil est superaddendum. S. R. C. 2. Decemb. 1654. *Hoc Decretum quo ad secundam partem habet locum quoties celebretur Officium pro omnibus Defunctis*.

„ 14. Absolutio solemnis cum assistentia quatuor Dignitatum, vel Canonicorum ultra „ Celebrantem in Anniversario alicujus Episcopi non debet fieri, quia obstant Rubricæ „ Pontificalis Romani. S. R. C. 14. Novemb. „ 1654.

„ 15. In depositione defunctorum in verbis „ illis, *non intres in judicium cum servo tuo*, „ quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt *servo tuo*, mutari in verba „ *serva tua*, absque sacræ Rubricæ læsione, „ & servandum est Rituale. S. R. C. 31. Augusti 1697.

„ 16. In Absolutione in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum non est „ dicenda tota conclusio in Oratione. S. R. C. „ 5. Julii 1698.

„ Vide Dignitates. Exequiæ. Officium defunctorum. Missa defunctorum.

ALLELUJA.

„ 17. IN Expositione, & Depositione SS. Sacramenti, etiam causa devotionis, „ non est addendum Alleluja ad versiculum „ *Panem de Cœlo*. S. R. C. 5. Julii 1698. *Hoc Decretum non comprehendit tempus Paschale, & octavam Corporis Christi; tunc enim addendum est Alleluja*.

ALTARE.

„ 18. ALtare portatile ligneum cum Ara „ lapidea permitti debet, non obstante Constitutione Synodali; dummodo habeat „ solitum Reliquiarum repositorium, juxta reformationem Rubricarum Missalis Romani. „ S. R. C. 10. Novemb. 1612.

„ 19 In altari pro certis diebus privilegiato non potest dici Missa de Requiem in Festo duplici de præcepto, neque in die Dominico. S. R. C. 24. Aprilis 1627.

„ 20. Non licet in altari privilegiato dicere „ Missam de Requiem in diebus, quibus occurrit Festum primæ, vel secundæ classis, „ non obstante consuetudine immemorabili. S. „ R. C. 25. Septemb. 1649.

„ 21. Habens Indultum a Sede Apostolica „ erigendi Oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi ædificare Altare ligneum, non indiget facultate Apostolica, „ dummodo Altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum, amovibile non sit, & „ Altaris portatilis imaginem non præseferat. „ S. R. C. 3. Decemb. 1661.

„ 22. In Ecclesiis permittuntur Altaria tantum antiqua, sanctis veteris Testamenti „ Prophetis dicata. S. R. C. 3. Augusti 1661.

„ 23. Intuitu alicujus Altaris privilegiati „ in aliqua Ecclesia, non licet exponere tabellam super januam ipsius Ecclesiæ cum inscriptione: *Indulgenza per li Morti*; sed „ tantum super Altari ipso privilegiato consuetis verbis *Altare Privilegiatum pro Defunctis*. S. R. C. 13. „ Augusti 1667.

„ 24. Si Altare non habeat planitiem, sed „ multos gradus, vel si ipsam haberet nimis „ latam, debet in eo apponi prædella, quæ „ dividat Altare a planitie, ut Sacerdos incipiat Missam ante ipsam prædellam. S. R. C. „ 16. Junii 1683.

„ 25. Quoad Altare portatile, licentiæ, seu „ privilegia concessa nonnullis Regularibus in „ Capite: *In his* de privilegiis, & per aliquos „ Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in „ eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino „ revocata sunt per Sacrum Concilium Tridentinum; & propterea iisdem Regularibus „ prohibetur, ne illis utantur; ac mandatur „ Episcopis, aliisque locorum ordinariis, ut „ contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam „ Sedis Apostolicæ Legati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium, in Decreto Sess. 22. Cap. unico, usque ad censuras „ latæ sententiæ; tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuissent. Eadem S. R. C. 15. Decemb. 1703. approbante, & mandante eodem Clemente XI.

„ 26. Super Altare, in quo eſt expoſitum SS. Euchariſtiæ Sacramentum, Crux de more collocari debet cum Imagine Crucifixi appoſita. S. R. C. 14. Maii 1707. *Intelligitur tempore Miſſæ, quæ in eo Altari cantatur*.

„ 27. In Altari, ſub quo ſunt ſepulta cadavera mortuorum, non poteſt celebrari. S. R. C. 11. Junii 1629.

„ 28. Quando Altare fuit conſecratum ad modum Altaris fixi cum ſacris Sigillis, & Unctionibus inter Stipitem, & Altare; ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam Altaris, a ſuo ſtipite, tunc execratur Altare; ſi vero fuit conſecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, ſed tantum quando frangitur ſepulcrum Reliquiarum. S. R. C. 21. Januarii 1710.

„ Vide Epiſcop. Thurificatio. Miſſa.

ANULUS.

„ 29. ANuli uſus in Miſſa prohibetur Protonotariis non participantibus, & quibuſcumque Doctoribus. S. R. C. 11. Februarii 1623.

„ 30. Anuli uſus in Miſſa prohibetur non ſolum Protonotariis, ſed etiam Canonicis Eccleſiarum Cathedralium. S. R. C. 20. Novembris 1628.

„ Vide Canonicus. Protonotarius.

ANTERIORITAS.

„ 31. ANterioritas ſuſcepti Ordinis Presbyteratus inter Sacerdotes ſimplices non gaudentes Præbenda inſpicienda eſt, nulla habita ratione inter eos prioritatis in ordine Diaconatus, vel Subdiaconatus S. R. C. 29. Martii 1659.

AQUA BENEDICTA.

„ 32. AQuæ benedictæ aſperſio in Dominicis debet fieri per ipſum Celebrantem, etiam quod ſit prima vel alia Dignitas, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius corruptela dici debet. S. R. C. 27. Novemb. 1632.

„ 33. Aſperſio die Dominico ſemper facienda eſt a Celebrante, etiam quando ſuperior celebrat. S. R. C. 16. Novemb. 1649.

„ 34. In aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit a Sacerdote, alba, & ſtola induto, vel etiam pluviali, immediate celebraturo Miſſam Conventualem, ſtola aptanda eſt ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens a collo ad utrumque latus. S. R. C. 30. Septemb. 1679.

„ Vide Benedictio. Canonicus.

ANTIPHONA.

„ 35. ANtiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediate ſequitur Miſſa, quæ in Eccleſiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, ſed & in minoribus etiam Regularibus, licet non cantetur a Choro; ſed coram Clero legatur tantum a Celebrante, habenda eſt tamquam Conventualis; & in Feſtis ſecundæ claſſis debet omitti commemoratio Sancti ſimplicis eodem die occurentis, ut præſcribitur in Rubrica Miſſalis Tit. 7. n. 1. S. R. C. 14. Februarii 1705.

ARCHIDIACONUS.

„ 36. ARchidiaconus dum aſſiſtit Epiſcopo ſolemniter celebranti tam in Eccleſia Cathedrali, quam in alia, intelligitur in Choro præſens. S. R. C. 15. Martii 1608.

„ 37. Archidiaconus non poteſt aſſiſtere Epiſcopo in habitu Prælatitio non Chorali, licet ſit Protonotarius. S.R.C. 6. Martii 1610.

„ 38. Archidiacono Miſſam celebranti in diebus ſolemnibus debent duo Canonici aſſiſtere, & miniſtrare pro Diacono, & Subdiacono, ſi Manſionarii, quibus Animarum cura incumbit, ipſius exercitio eo tempore ſint impediti. S. R. C. 14. Februarii 1615.

„ 39. Archidiaconus, ſi eſt prima Dignitas, debet facere Officium Presbyteri aſſiſtentis, dummodo ſit Sacerdos; & recuſans debet cogi pœnis, & cenſuris. S. R. C. 28. Maii 1616.

„ 40. Archidiaconus, uti Dignitas habens annexum Canonicatum, debet præcedere omnes alios de Capitulo. S.R.C. 6. Martii 1634.

„ 41. Archidiacono primæ Dignitati & Protonotario Apoſtolico, dum inſervit Epiſcopo in Miſſis, & functionibus publicis non licet portare Rocchettum cum Impluvia, ſeu habitum Prælatitium, ſed debet uti habitu Canonicali. S. R. C. 27. Novemb. 1646.

„ 42. Archidiaconus prima Dignitas Cathedralis tenetur accedere ad cubiculum Epiſcopi ob obſequium ei exhibendum, dum Epiſcopus cum Cappa ad Eccleſiam accedit; & ſi recuſat, omnino eſt compellendus, ut præſtet. S. R. C. 24. Januarii 1660.

„ 43. Archidiacono primæ Dignitati non licet, ſive in præſentia, ſive in abſentia Epiſcopi, uti pulvinari ſerico, ſed coriaceo tantum. S. R. C. 13. Septemb. 1670.

„ Vide Aſperſorium.

ARCHIEPISCOPI.

„ 44. ARchiepiſcopus poteſt ante ſe Crucem deferri facere per Monaſteria, & loca etiam exempta ſuæ Diœceſis: S. R. C. 13. Julii 1613.

„ 45. Archiepiſcopus, & illius Suffraganei, cum ſimul in Metropolitana Divinis interfuturi conveniunt, & genuflexi preces effun-

,, effundant ante Altare SS. Sacramenti, & Aram maximam, idem Archiepiscopus debet genuflectere, & incedere digniore quidem loco, sed in linea cum Suffraganeis; Archiepiscopus scilicet super faldistorio, & Suffraganei super pulvinaribus hinc inde; & si loco faldistorii Archiepiscopus adhibeat genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, si eidem capa fuerit, super eodem hinc inde pariter genuflectere. S. R. C. 8. Junii 1658.

ARCHIPRESBYTER.

,, 46. SUbstitutus Archipresbyteri non debet cantare Missas, quæ ad ipsum Archipresbyterum pertinent, nec locum, & honorem incensi, & pacis ipsius Archipresbyteri prætendere. S. R. C. 14. Decemb. 1602.

,, 47. Archipresbyter, licet sit prima Dignitas, in Choro tamen cedere debet primum, & digniorem locum Canonico celebranti. S. R. C. 26 Junii 1610.

,, 48. Substitutus Archipresbyteri non potest Missas, & divina Officia celebrare, quæ ad ipsum, si adesset, pertinerent, sed spectant ad Canonicum successive. S. R. C. 22. Januarii 1618.

,, 49 Archipresbytero Ecclesiæ, tamquam Archipresbytero, & in functionibus Archipresbyteralibus, & ad se, uti Archipresbyterum, spectantibus, non competit usus habitus Protonotarii. S. R. C. 24. Maii 1664.

,, 50. Archipresbyter alicujus loci, & Ecclesiæ, quæ non habet Clerum, ipso absente, vel impedito, potest deputare in functionibus parochialibus unum ex Capellanis amovibilibus plurium Confraternitatum in sua Ecclesia degentium, sibi bene visum, non obstante, quod alii Capellani noviter instituti prætendant, ad ipsos, uti non amovibiles, spectare. S. R. C. 20. Junii 1665. ,, Vide Præcedentia.

ASPERSORIUM.

,, 51. CAnonicus primus Presbyter debet Episcopo aspersorium ministrare, si Præbendæ sint distinctæ; si vero non sint distinctæ, prima Dignitas, vel primus Canonicus in ordine id facere debet. S. R. C. 19. Maii 1607.

,, 52. Aspersorium aquæ benedictæ porrigendum est Episcopo a Priore Ecclesiæ Collegiatæ, dum eo accedit Episcopus, non autem a prima Dignitate, vel primo Canonico Ecclesiæ Cathedralis. S. R. C. 15. Martii 1608.

,, 53. Aspersorium cum aqua benedicta Episcopo accedenti ad Ecclesiam semper debet ministrari a prima Dignitate, vel digniore Canonico. S. R. C. 12. Martii 1612.

,, 54. Aspersorium semper est porrigendum Episcopo a digniore de Capitulo Cathedralis. S. R. C. 20. Decemb. 1628.

,, 55 Episcopo ingredienti aliquam Ecclesiam suæ Diœcesis, associato a Dignitatibus, & Canonicis suæ Cathedralis, debet porrigi aspersorium a Digniore illius Ecclesiæ, ad quam Episcopus accedit; non autem a Dignitatibus, aut Canonicis Cathedralis Episcopum associantibus. S. R. C. 14. Febr. 1632.

,, 56 Aspersorium aquæ benedictæ Cardinali etiam Legato, seu Ordinario loci, aliquam Ecclesiam suæ Diœcesis, seu Jurisdictionis quacumque de causa ingredienti, non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo cujuscumque Ecclesiæ porrigi debet, sed a Digniore illius Ecclesiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, seu Ordinarius accedit. S. R. C. 14. Februarii 1632.

,, 57. Aspersorium aquæ benedictæ Episcopo Ecclesiam Religiosorum ingredienti est porrigendum per Digniorem illius Monasterii, non autem per aliquem ex Canonicis Episcopum associantibus. S. R. C. 14. Junii 1646.

,, 58. Aspersorium aquæ benedictæ Episcopo debet per Digniorem de Capitulo Cathedralis, quando capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus proceditur ad Ecclesias quascumque Diœcesis. S. R. C. 18. Januarii 1653.

,, 59 Jus porrigendi, & dandi aspersorium Episcopo accedenti ad Cathedralem, privative in omnibus functionibus spectat ad Digniorem de Capitulo, non autem ad Vicarium. S. R. C. 31. Julii 1665.

,, 60. Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, non est porrigendum aspersorium a Parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12 Januarii 1704.

ASSISTENTIA.

,, 61. ASsistentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, sed quilibet debet accedere secundum prærogativam sui Ordinis. S. R. C. 23. Maji 1603.

,, 62 Assistentia duarum Dignitatum, vel duorum Canonicorum, Episcopo loci Ordinario tantummodo convenit. S. R. C. 9. Maji 1606.

,, 63. Duorum Canonicorum assistentia semper convenit Episcopo, sive celebret ipse, sive assistat Divinis. S. R. C. 10. Maji 1608.

,, 64. Canonicus Episcopo assistens, superveniente digniore Canonico, debet illi cedere locum assistentiæ. S. R. C. 20. Junii 1609.

„ 65 Ad Dignitates, & Canonicos Cathe-
„ dralis, si adsit, spectat assistere Episcopo so-
„ lemniter celebranti etiam in Collegiata Ec-
„ clesia, vel Parochiali, non autem ad Cano-
„ nicos Collegiatæ, vel Presbyteros Parochia-
„ lium. S. R. C. 15. Julii 1617.

„ 66. Assistentes Episcopo pro Dignitatibus,
„ & inchoato Officio supervenientibus Digni-
„ tatibus, debent eisdem cedere locum assi-
„ stentiæ. S. R. C. 21. Junii 1632.

„ 67. Dignitates, & Canonici, qui assistunt
„ Episcopo, locum assistentiæ cedere debent
„ supervenienti Dignitati, seu Canonico di-
„ gniori, quibus convenit assistere. S. R. C.
„ 5. Sept. 1648.

„ Vide Archidiaconus. Canonicus, Coad-
„ jutor. Dignitas. Episcopus.

AURORA.

„ 68 UBi non est Aurora physice, pro li-
„ cita Missarum celebratione, atten-
„ datur ea moraliter, & politice, quando sci-
„ licet terminari solet hominum quies, & in-
„ choari labor, juxta probatam regionum con-
„ suetudinem. S. R. C. 18. Septemb. & 2.
„ Novemb. 1634.

BACULUS.

„ 69. BAculi, & Mitræ usus sunt correla-
„ tiva, & cui unum conceditur, al-
„ terum etiam concedendum videtur. S. R.C.
„ 7. Octob. 1606.

„ Vide Abbas, Episcopus, Prælatus.

BALDACHINUS.

„ 70. BAldachini hastæ in Ecclesia deferen-
„ dæ sunt, ut dicitur in libro Cæremo-
„ niali Episcoporum. S. R. C. 30. Augusti 1602.

„ 71 Baldachinum in Ecclesiis, & locus in
„ Presbyterio, non debetur Domino loci, &
„ admonentur Ordinarii, ne permittant hu-
„ jusmodi usurpationem, & non licitam de-
„ tentionem. S. R. C. 9. Julii 1657.

„ Vide Episcopus.

BEATUS.

„ 72 TAm Sæculares, quam Regulares cu-
„ juscumque Instituti, etiam Socie-
„ tatis Jesu, non possunt excedere limites ver-
„ bales Indultorum Sedis Apostolicæ super Bea-
„ tificationibus, præsertim in celebratione Mis-
„ sarum, & Officii cum Octavis, nisi hoc ex-
„ presse Sedes Apostolica indulserit. S. R. C.
„ 5. Octobris 1652. approbante Innocentio X.
„ 16. Septemb. ejusdem anni.

„ 73 Si concessa fuerit per Sedem Apostolicam
„ Altarium erectio, non tamen ob id Missam,
„ & Officium de Beatis celebrandi, vel reci-
„ tandi facultas tradita præsumatur: etenim
„ specifica, & expressa concessio super his præ-
„ cedere debet. S. R. C. coram Alexandro
„ VII. 17. Septemb. 1659.

„ 74. Ubi in uno loco cultus Beatis fuerit
„ concessus, non extendatur inconsulto Pon-
„ tifice ad alium locum, quavis alia concur-
„ rente auctoritate, S. R. C. coram Alexan-
„ dro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 75. In locis, ubi Beatos ab omnibus co-
„ li permissum fuerit, non inde publica Officii
„ recitatio permissa censeatur, sed tantummo-
„ do privata, nec satisfactoria præcepto reci-
„ tationis, nisi quod ad illos, quibus Sedes
„ Apostolica de hoc indulserit. S. R. C. co-
„ ram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 76. Missæ de Beatis, quæ fuerint indul-
„ tæ certis personis, nempe Presbyteri Regu-
„ laribus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel
„ Monasterii, seu Presbyteris alicujus Eccle-
„ siæ servitio præcipue addictis a confluenti-
„ bus Sacerdotibus quavis dignitate, etiam
„ Cardinalatus insignibus, minime celebrari
„ possunt S. R. C. coram Alexandro VII.
„ 27. Septembris 1659.

„ 77. Dies Festi in Beatorum memoriam
„ non celebrentur, nisi speciali Indulto Apo-
„ stolico permissum fuerit. S. R. C. coram
„ Alexandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 78. Beatorum nomina in Kalendariis non
„ apponantur, nisi illius tantum loci, earum-
„ que personarum, in quo, & a quibus cul-
„ tus cum Officio, & Missa celebratur. S. R.C.
„ coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 79 In quibusvis Ecclesiasticis precibus,
„ etiam in Oratoriis privatis recitandis, par-
„ ticularia Beatorum Suffragia non apponan-
„ tur, nec recitentur. S. R. C. coram Ale-
„ xandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 80. In publicis precibus, præter indul-
„ tas, & a Sede Apostolica approbatas, Beati
„ non invocentur. S. R. C. coram Alexan-
„ dro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 81. Beatorum Reliquiæ in Processionibus
„ minime circumferantur. S. R. C. coram Ale-
„ xandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 82. Non removetur cultus Beatis, qui
„ per communem consensum Ecclesiæ, vel
„ per immemorabilem temporis cursum, aut
„ per Patrum virorumque Sanctorum scripta,
„ vel temporis centum annorum metam ex-
„ cedentis, scientiam, & tolerantiam Sedis
„ Apostolicæ, aut Ordinariorum, hactenus
„ præstitus, ac certis modo, & forma ab eo
„ tempore eis exhibitus fuit; verum si a cen-
„ tum annis citra cultus hujusmodi aliqua ex
„ parte constiterit auctus, & extensus, eo
„ casu in pristinum reducatur; prout quivis
„ cultus, extra casus prædictos, ad expressa
„ tantum verbaliter in Apostolicis Indultis
„ omnino revocetur. S. R. C. coram Alexan-
„ dro VII. 27. Septemb. 1659.

83. Bea-

„ 83. Beati in Patronos non eligantur, nec „ eorum natalitia cum Octavis celebrentur. „ S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Se- „ ptemb. 1659.

„ 84. Locorum Ordinarii, auctoritate Sedis „ Apostolicæ possunt, immo debent Sæcula- „ res, & regulares quoscumque, quantumvis „ exemptos, & speciali expressione indigentes, „ etiam sub censuris, compellere ad omnimo- „ dam omnium Decretorum, circa Beatos, „ observationem. Cumque aliqui nullo modo „ subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, „ coercere valeat, eo casu a Sedis Apostolicæ „ Nunciis, si adsint, sin minus ab Archiepi- „ scopis in eorum Provinciis, vel ab Episco- „ pis Romano tantum Pontifici subjectis, in- „ tra vel prope quorum Diœcesis limites eo- „ rum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, „ tamquam a Sede Apostolica delegatis, ad „ hujusmodi decretorum observationem prædi- „ cti omnes cogi debent. S. R. C. coram Ale- „ xandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 85. Beatorum imagines etiam non princi- „ paliter, & uti supplices appositæ, simulacra, „ picturæ, tabellæ, aut scripturæ, præclara gesta „ eorum repræsentantes, aut referentes, in Ec- „ clesiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuscumque, & „ præsertim, in quibus Missæ Sacrificium, vel „ alia divina Officia peraguntur, inconsulta „ Sede Apostolica nullo modo exponi debent. S. „ R. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 86. Ubi Indultum fuit per Sedem Apo- „ stolicam, Beatorum imagines, simulacra, pi- „ ctasque tabellas in Ecclesiis poni, & coli pos- „ se, in pariete tantum, non tamen super Al- „ tare collocandi facultas tributa censetur. S. „ R. C. coram Alex. VII. 27. Septemb. 1659.

„ 87. In Ecclesiis, in quibus Officium, & „ Missa de Beatis recitari, ac respective cele- „ brari possunt, licitum est eorum Reliquias „ exponere. S. R. C. 17. Aprilis 1660.

„ 88. Episcopi Regulares, qui ex Indulto „ Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Re- „ ligionis, de quibus sunt capaces pro eorum „ conditione, non possunt de Beatis suæ Re- „ ligionis recitare Officium, & in propriis Ca- „ thedralibus Missam celebrare, & Altare Bea- „ tis prædictis erigere. S. R. C. 17. April. 1660.

„ 89. Ubi Indultum fuerit, ut Missæ de aliquo „ Beato celebrentur, licitum est ejus imaginem, „ & simulacrum super Altari exponere, nec- „ non votivas tabellas illi appendere. S. R. C. „ 17. Aprilis 1660. *Neque huic Decreto deroga-* „ *tur per illud editum 27. Septembris* 1650.

„ 90. Dies Festi in Beatorum honorem non „ celebrandi, non extenduntur ad Festa devo- „ tionis. S. R. C. 17. Aprilis 1660.

„ 91. Indulta recitandi Officium cum Octa- „ va, vel sine octava, & celebrandi Missam „ de Beatis, non fuerunt revocata per decre- „ tum emanatum anno 1659 27. Septem. S. R. „ C. 17. Augusti 1660.

„ 92. In Missis de Beatis, quæ sub ritu „ duplici majori celebrantur, non debet dici „ *Credo*. S. R. C. 12. Julii 1664.

„ 93. Absque Pontificio indulto non licet „ assumere in Titulum Ecclesiæ Beatum non- „ dum canonizatum: Titulus autem sic assum- „ ptus debet supprimi, & alius pro eo de San- „ cto canonizato substitui. S. R. C. 23. Janua- „ rii 1740.

BENEDICTIO.

„ 94. Cineres distribuendi in feria IV. post „ Dominicam Quinquagesimæ debent „ esse aridi. S. R. C. 23. Maii 1603.

„ 95. Benedictio, ac distributio Candela- „ rum, & Palmarum regulariter potest fieri „ in omnibus Ecclesiis tam Collegiatis, quam „ Parochialibus, tam Secularibus, quam Regu- „ laribus. S. R. C. 28. Aprilis 1607.

„ 96. Prima dignitas det Candelam Episco- „ po in Festo Purificationis B. M. V., & Epi- „ scopus det statim primæ Dignitati ante Vi- „ carium Generalem. S. R. C. 14. Junii 1608.

„ 97. Benedictio Candelarum, Cinerum, „ & Palmarum, & aliæ similes actiones, quas „ faceret Episcopus præsens, eo absente, vel „ impedito, ad primam Dignitatem non ve- „ ro ad Canonicum hebdomadarium pertinent. „ S. R. C. 21. Martii 1609.

„ 98. Cineres Episcopo ministrare feria IV. „ Cinerum non ad primam Dignitatem, sed „ ad Canonicum ea die celebrantem pertinet. „ S. R. C. 28. Maji 1616.

„ 99. Qui habet usum mitræ, & insignium „ Pontificalium, in Missis etiam privatis be- „ nedicit cum versu: *Sit nomen Domini bene-* „ *dictum;* non potest tamen benedicere popu- „ lo extra actum celebrationis. S. R. C. 25. „ Maji 1624. *Hoc Decretum tollitur ob aliud* „ *Decretum generale approbatum ab* Alexandro „ VII. 27. *Septemb.* 1659., *quod statuit, ut* „ *hujusmodi Prælati Episcopis inferiores in Mis-* „ *sis privatis quoad indumenta, cæremonias,* „ *&c. & benedictionis largitionem, discrepare* „ *non debent a simplici Sacerdote.*

„ 100. Absente Episcopo benedictiones Can- „ delarum, Cinerum, Palmarum, & Fon- „ tis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Ju- „ nii 1627.

„ 101. Cum Episcopus benedicit Cineres, de- „ bet Celebrans imponere Cineres eidem Epi- „ scopo; & idem servari debet in die Cande- „ larum, & Palmarum, juxta Cæremoniale. „ S. R. C. 12. Julii 1627.

102. Sa-

„ 102. Sacerdos, etiam si sit Dignitas, vel „ Canonicus, absente, vel impedito Episcopo, „ distribuens Palmas, juxta Decretum 18. Julii 1626. stare debet capite detecto. S. R. C. „ 31. Martii 1629.

„ 103 Benedictio cum SS. Sacramento danda est „ in fine hymni *Pange lingua*, non vero ad „ verba *sit & benedictio*. S. R. C. 5. Feb. 1639.

„ 104. Pixis, Ostensorium, & Corporalia, „ quæ immediate inserviunt SS. Sacramento, „ debent benedici juxta formam propriam, „ quæ habetur in Missali. S. R. C. 16. Novemb. 1649.

„ 105. Dignior Sacerdos, ad quem spectat „ Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti „ celebranti in die Purificationis, in feria IV. „ Cinerum, & in Dominica Palmarum mi„ nistrare, debet ab eodemmet Celebrante su„ pradicta accipere stans, non vero flexis ge„ nibus. S. R. C. 30. Augusti 1664. *Quod tamen, inhærendo Cæremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 17. n. 2. intelligitur de Canonicis.*

„ 106. In benedicendo populum cum SS. Sa„ cramento iste modus approbatur, nimirum: „ Cum Sacerdos stat ante populum, Ostenso„ rium ante pectus tenet, tum elevat illud „ decenti mora non supra caput, sed tantum „ usque ad oculos, & eodem modo illud de„ mittit infra pectus, mox iterum recta li„ nea illud tollit usque ab pectus, & exin„ de ad sinistrum humerum ducit, & reducit „ ad dexterum, & rursus ante pectus reducit, „ ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad „ omnes Mundi partes Cruce, Sacramentum „ etiam venerandum omnibus præbeat; tum „ gyrum perficiens, collocat Ostensorium su„ per altare. Servari etiam potest alius mo„ dus descriptus in Cæremoniali Episcoporum „ lib. 2. cap. 33., ubi requiritur tantummo„ do, ut cum eodem Sacramento Celebrans „ producat signum Crucis. S. R. C. 21. Martii 1676. *Hujusmodi autem Crucis signum non erit undequaque completum æqualiter, nisi Sacerdes, ducto Ostensorio ad humerum dexterum, illud ante pectus ut supra reducat, priusquam gyrum perficiat.*

„ 107. Modus benedicendi alios, vel rem „ aliquam, debet esse cum manu recta, & di„ gitis simul junctis, & extensis. S. R. C. 24. „ Julii 1683.

„ 108. Benedictio aquæ in Sabbato sancto, „ etiam sine infusione Olei sancti, fieri non „ potest in Ecclesiis non habentibus Fontem „ Baptismalem, quamvis usus sit in hujusmo„ di Ecclesiis talem benedictionem fieri. S. R. „ C. 13. Julii 1697.

„ 109. Potest permitti, quod hebdomada„ rius, aut alius Canonicus, post Processionem, „ in Festo alicujus Sancti stans ad altare ma„ jus benedicat populum, habens tantum su„ perpelliceum, & stolam, sicut in aliis Pro„ cessionibus, in quibus circumferuntur aliquæ „ Reliquiæ cum alba, stola, & pluviali. S. „ R. C. 5. Julii 1698.

„ 110. Diaconus ministrans thus Canonico „ celebranti, ut benedicat, debet dicere *Benedicite Pater Reverende*, & non *Pater Reverendissime*. S. R. C. 4. Aprilis 1699.

„ 111. Benedictio publica sacrorum Cine„ rum, facienda in feria quarta post Domini„ cam Quinquagesimæ, non potest fieri post „ Tertiam, sed servandæ sunt Rubricæ, in „ quibus præscribitur post Nonam. S. R. C. „ 22. Januarii 1710.

„ Vide Canonicus. Episcopus. Missa. Pa„ rochiale Jus. Prælatus. Reliquiæ. Vicarius.

B I R E T U M.

„ VIde Canonicus. Episcopus.

B U G I A.

„ 112. INstrumentum Bugiæ, de candela ser„ viens Episcopo, non potest esse ma„ teria Ordinis Acolythorum, loco Candela„ bri, seu Ceroferarii. S. R. C. 8. Junii 1709.

„ Vide Canonicus. Episcopus.

C Æ R E M O N I Æ.

„ 113. CÆremoniæ novæ non inducendæ, „ nec antiquæ immutandæ absque „ expressa licentia, quam dare debet S. R. C. „ 12. Maii 1612.

C Æ R E M O N I A L E.

„ 114. CÆremoniale Episcoporum non tol„ lit immemorabiles, & laudabi„ les Ecclesiarum consuetudines. S. R. C. 11. „ Junii 1605.

„ 115. Decretum de die 11. Junii 1605. quod „ Cæremonialis liber non tollat laudabiles, & „ immemorabiles consuetudines, habet locum „ in omnibus Regnis, & locis Christianitatis. „ S. R. C. 17. Junii 1606.

„ 116. Decretum in Visitatione factum con„ tra regulas libri Cæremonialis, non est ser„ vandum. S. R. C. 1. Augusti 1610.

C Æ R E M O N I A R I U S.

„ 117. MAgister Cæremoniarum, non au„ tem Sacrista, debet vocare Vi„ carium, ut hora debita, si voluerit, ad Eccle„ siam accedat. S. R. C. 26. Novemb. 1605.

„ 118. Cæremoniarum Magister in Pro„ cessionibus incedit apud Celebrantem, & „ ejus Assistentes; & ubique discurrit, quan„ do opus est, pro ordinanda processione. S. „ R. C. 8. Maii 1617.

,, 119. Magister Cæremoniarum, etiamsi sit Capellanus, quando Officium exercet, & vestibus illius Officii indutus est, sedere debet apud Celebrantem, vel ejus Assistentes pluvialibus indutus; quando vero non est in ministerio, sedere debet in choro inter Præbendatos, & Presbyteros, vel Clericos sui Ordinis, servato ordine suæ receptionis. S. R. C. 30. Maii 1617.

,, 120. Licitum est Capitulo eligere pro functionibus Canonicalibus, & ejus servitio, Magistrum Cæremoniarum distinctum ab altero Episcopi: Magister tamen hujusmodi non potest suum exercere munus absque approbatione Episcopi, & tantum in functionibus Episcopalibus uti valet veste violacea, ex dispositione Cæremonialis. S. R. C. 7. Julii 1734.

,, 121. Die 17. Julii 1734. S. R. C. confirmavit, licitum esse Capitulo Cathedralis eligere Magistrum Cæremoniarum ab Episcopo confirmandum, quem tamen Episcopus potest justis de causis, in Cæremoniali Episcoporum præscriptis, non approbare seu reprobare, nec tenetur causas exponere. Item idem Magister Cæremoniarum non debet censeri privative electus etiam quoad omnes functiones Episcopales, & assistentias præstari solitas Episcopo tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem, cum licitum sit Episcopo eligere alium Magistrum Cæremoniarum pro omnibus functionibus ab ipso peragendis, & aliis ipso præsente explendis tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem; & huic Magistro Cæremoniarum ab Episcopo electo omnes Capitulares tenentur obedire quoad ea, quæ divinum cultum concernunt, sub pœna arbitrio Episcopi infligenda. S. R. C. die, & anno, quo supra.

,, Vide Dignitas. Episcopus.

C A L I X.

,, 122. ANte versiculum, qui dicitur Communio, cooperiendus est calix velo in anteriori parte, prout ante Confessionem. S. R. C. 1. Martii 1698.

,, 123. Sacerdotes non debent deferre manutergium super calicem, tam eundo, quam redeundo ab altari, S. R. C. 1. Septembris 1703.

,, Vide Missa.

C A M P A N Æ.

,, 124. COnsuetudo immemorabilis aliquibus in locis, ut campanæ in Salutatione Angelica non pulsentur ante pulsationem in Ecclesia Matrice, servanda est. S. R. C. 24. Septemb. 1605.

,, 125. Sabbato sancto non sunt pulsandæ campanæ majores, antequam signum datum fuerit in Cathedrali, seu Matrice Ecclesia. S. R. C. 21. Martii 1609.

,, Vide Parochiale Jus.

C A N O N.

,, 126. IN Canone omnino facienda est commemoratio de Episcopo, etiam ab exemptis. S. R. C. 25. Septemb. 1649.

C A N O N I C U S.

,, 127. COnsuetudo immemorabilis, ut præter Diaconum, & Subdiaconum Canonico celebranti assistat unus Capellanus cum pluviali, servanda est. S. R. C. 19. Junii 1602.

,, 128. Assistentia, quæ a Canonicis Diaconis debetur per viam Episcopo accedenti ad Ecclesiam pro Missa, & Vesperis celebrandis, fiat tantum quando Episcopus pergit intra, vel extra eamdem Ecclesiam cum pluviali, & mitra, non vero quando incedit cum Cappa. S. R C. 3. Augusti 1602.

,, 129. Ubi adest consuetudo quod Canonici, & Dignitates ministrent Episcopo mitram, gremiale, thuribulum, & id genus alia, debet servari; sicut etiam si adsit consuetudo, quod Dignitas, seu Canonicus gestet Baculum ante Episcopum in quibusdam solemnitatibus. S. R. C. 5. Julii 1603. & 14. Novemb. 1676.

,, 130. Non tenentur omnes Canonici associare Episcopum ab eo altari, in quo Missam planam celebravit, ad sedem Epicopalem, si voluerit Missæ Conventuali assistere. S. R. C. 5. Julii 1603.

,, 131. In Ecclesia Collegiata exempta, præsente uno Canonico Cathedralis cum Episcopo, & Abbates Collegiatæ ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonicus, quam Abbas. S. R. C. 21. Febr. 1604.

,, 132. Episcopo suffraganeo tenentur Canonici assistere, quando nomine proprii Episcopi functiones Episcopales exercet. S. R. C. 21. Februarii 1604.

,, 133. Canonicus celebrans in aliqua Ecclesia Collegiata de Urbe, præsente proprio Vicario illius Ecclesiæ ad Missam Conventualem, non tenetur in fine Missæ ante benedictionem reverentiam facere ipsi Vicario. S. R. C. 21. Februarii 1604.

,, 134. Ubi adest consuetudo, ut Capellani ministrent Canonicis Capas, vel pluvialia capite detecto, servanda est. S. R. C. 19. Junii 1604.

,, 135. Canonico solemniter celebranti datur Assistens, si est immemorabilis consuetudo. S. R. C. 19. Junii 1604.

,, 136. Canonici debent aspergi singillatim

aqua

,, aqua benedicta, in Dominicis. S. R.C. 20. Decemb. 1605. *Hoc Decretum in Regestis S. R. C. non reperitur, sed refertur a Gavanto, & est conforme Cæremonialis Episcoporum dispositionibus.*

,, 137. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ non debent in Processionibus incedere parati, sicut, Canonici Cathedralis. S. R. C. 19. Maii 1607.

,, 138. Canonici digniores debent sedere in sedibus, quæ sunt viciniores sedi Episcopali. S. R. C. 15. Martii 1608.

,, 139. Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicario Generali, & sunt ante ipsum thurificandi. S. R. C. 6. Martii 1610.

,, 140. Canonicus vel Presbyter paratus, Officium faciens, debet habere locum etiam a Decano. S. R. C. 26. Junii 1610.

,, 141. Tenentur omnino Canonici ad cantandum Missam de die, ut lucrentur distributiones. S. R. C. 28. Januarii 1612.

,, 142. Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus, qui obtinuit Præbendam Presbyteralem, non debet amplius uti dalmatica, vel tunicella, ut Canonici Diaconi, quando paratur sed planeta, ut Presbyteri. S. R. C. 12. Maii 1612.

,, 143. Canonici tenentur assistere Episcopo, etiam quando Ordinationem celebrat extra propriam Ecclesiam; dummodo numerus sufficiens Canonicorum, & Ministrorum in Ecclesia remaneat. S. R. C. 7. Julii 1612.

,, 144. Consuetudo immemorabilis, quod Passio Domini in Dominica Palmarum, & in Feria VI. Parasceves decantetur a Canonicis, debet servari, non obstante Cæremoniali, in quo disponitur, eam a Cantoribus decantandam esse. S. R. C. 7. Julii 1612.

,, 145. Canonicus Protonotarius potest uti subtana violacea in choro, & in Ecclesiis, dum Divinis assistit, Dummodo in ceteris habitum proprium Canonicis convenientem deferat. S. R. C. 14. Januarii 1612.

,, 146. Canonici, & Dignitates non tenentur ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare, nec debent genuflectere, quando Episcopum celebrantem thurificant. S. R. C. 4. Maii 1613.

,, 147. Canonici Cathedralis Ecclesiæ absente Epscopo, vel sede Episcopali vacante, in omnibus, & per omnia præferri debent Magistratibus sæcularibus, qui non sunt de perpetuis, & majoribus; & Concionatores debent prius Canonicos, quam Magistratus salutare. S. R. C. 3. Octob. 1615.

,, 148. Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ semper præcedere debent Regularibus, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. S. R. C. 22. Januarii 1618.

,, 149. Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiatæ, etiam intra eamdem Collegiatam, non obstante consuetudine, S. R. C. 19. Augusti 1619.

,, 150. Canonici Protonotarii non lucrantur distributiones quotidianas, nisi proprio habitu Canonicali intersint choro, Processionibus, &c. S. R. C. 7. Augusti 1621.

,, 151. Canonici non possunt uti pallio, & pileo in choro, quando assistunt etiam Completorio. S. R. C. 17. Julii 1627.

,, 152. Quod præscribitur in Cæremoniali, ut Canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnibus. S. R. C. 12. Junii 1628.

,, 173. Canonici habentes usum Cappæ, & Rocchetti, quando administrant Sacramenta debent deponere Cappam, & induere superpelliceum cum stola. S. R. C. 12. Julii 1628.

,, 154. Soli Canonici debent facere consuetos circulos ante Episcopum Diœcesanum, non autem Vicarius Generalis. S. R. C. 28. Septembris 1630.

,, 155. Dignitate, vel Canonico solemniter tantum Missam celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores, inservire debent, non obstante contraria consuetudine; ad Vesperas vero debent assistere Presbyteri, non Canonici. S. R. C. 8. & 22. Martii 1631.

156. In Cathedralibus, in quibus non sunt distinctæ Præbendæ, Canonicus non Sacerdos, licet prius admissus, cedere debet digniorem locum Canonico Sacerdoti postea admisso. S. R. C. 19. Novemb. 1633.

,, 157. Canonici Presbyteri non debent habere præcedentiam super Archidiaconum, etiam si ipse in Diaconali tantum Ordine sit constitutus. S. R. C. 26. Septembris 1643.

,, 158. Quando aliqua Ecclesia Sæcularis, vel Regularis ob aliquod impedimentum est substituta Cathedrali, & Episcopus interest cum Cappa in Concionibus, tenentur Canonici Cathedralis assistere cum habitu Canonicali. S. R. C. 22. Martii 1653.

,, 159. Canonici pluviali, planeta, dalmatica, tunicella parati, non debent deferre Almutias: Canonico vero defuncto, induto planeta seu dalmatica, vel tunicella, imponi potest Almutia supra brachium. S. R. C. 4. Augusti. 1663.

,, 160. Canonici quando Missam celebrant, de rigore uti possunt anulo aureo, sed sine gemma, & sine aliqua effigie. S. R. C. 4. Augusti 1663.

,, 161. Canonici assistentes tenentur accipere biretum de manu Episcopi Cappa induti, & eidem reddere, non obstante Decreto 3. Junii 1662. præcipiente, per Capellanum hujusmodi implenda esse. S. R. C. 4. Augusti 1663.

162.

„ 162. Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ „ Cathedralis non potest cogi ad inserviendum „ Missis cantatis pro Diacono, & Subdiacono; constitutione, seu consuetudine in contrarium non obstante. S.R.C.21. Januarii 1673.

„ 163. Canonici Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, semper, & ubique præferendi sunt Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impræscriptibilem esse declaravit. S. R. C. 30. Julii 1689.

„ 164. Canonici semper, & quandocumque tenentur in Missis solemnibus, & Conventualibus, quæ a dignitatibus, & ab ipsis cantantur per gyrum, præcipue in diebus festis ex obligatione Capitulari, assistere sibimetipsis gradatim in ministerio Diaconi, & Subdiaconi, nec possunt substituere alios simplices Sacerdotes non de gremio Capituli ad exercendum officium Diaconi, & Subdiaconi in hujusmodi solemnium Missarum celebrationibus, etiam assistente Episcopo, non obstante quacumque antiqua consuetudine. S. R. C. 15. Septemb. & 15. Decemb. 1691.

„ 165. Non possunt Canonici in celebratione Missæ uti Palmatoria, vulgo *Bugia*. S. R. C. 11. Julii 1699.

„ 166. Dignitates nunquam debent Canonicis celebrantibus inservire. S. R. C. 3. Octobris 1699.

„ 167. Canonici Ecclesiæ Cathedralis interessentes Concionibus, præsertim Quadragesimalibus, debent esse induti habitu Canonicali, dum sedent in propriis stallis. S. R. C. 31. Martii 1703.

„ 168. Canonicus Sacerdos præcedere debet Canonicum Diaconum, seu Subdiaconum, anteriorem habentem possessionem, tam in stallis, quam in omnibus aliis functionibus intra, & extra Ecclesiam: & Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus anteriorem habens possessionem, promotus postea ad Sacerdotium, præcedere debet Canonicum Sacerdotem Ordine Sacerdotali anteriorem. S. R. C. 27. Augusti 1707.

„ 169. Feria V. in Cœna Domini, cum Episcopus exit a Sacrorum custodia ad altare, non debent Canonici, qui eum parati associant, præcedere Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos paratos, qui eum comitantur, sed debent sequi. S. R. C. 8. Junii 1709.

„ 170. Canonici, & Beneficiati, dum occasione benedictionis Augustissimi Sacramenti singulis Dominicis post Completorium cantatur hymnus *Pange lingua*, non tenentur descendere a choro, sed flexis genibus in eodem choro in suis stallis canant. S. R. C. 26. Augusti 1730.

„ 171. Seclusa consuetudine in contrarium, Canonici Collegiatæ, uti Personæ graduatæ, & in quasi dignitate constitutæ, non genuflectunt Episcopo, & Altari, sed caput, & humeros profunde inclinant. S. R. C. 11. Julii 1739.

„ 172. Pro inchoandis divinis Officiis, quibus interesse solet Magistratus, multoties ad deferendas consuetas oblationes, Capitulum non tenetur dictum Magistratum expectare ultra horam condictam. S. R. C. 11. Julii 1739.

„ 173. Capitulum, & Canonici celebrantes tam in Cathedrali, quam extra ipsam, postquam ingressi sunt Presbyterium pro Missis & Vesperis celebrandis, induti pluvialibus, sicuti quoties procedunt ad sedendum, & redeunt ad Altare, se inclinant Cruci, Episcopo, & Canonicis existentibus in Presbyterio; non autem debent se vertere a Presbyterio ad extra, & salutare Magistratum. S. R. C. 11. Julii 1739.

„ Vide Archidiac. Aspersorium. Assistent. Benedictio. Cineres. Coadjutor. Dignitates. Episcopus. Genuflexio. Missa. Missa Conventualis. Præcedentia. Processio. Sessio. Thurificatio. Vicarius.

CANTOR.

„ 174. Cantor, si est Dignitas in Cathedrali, debet suum munus obire vel per se ipsum, vel per Vicecantorem ante assumendum, ab Episcopo approbandum, qui non sit de his qui alioquin choro sunt obligati. S. R. C. 19. Martii 1611.

CAPELLANI.

„ 175. Capellani, seu alii Ministri Ecclesiæ, quocumque nomine appellentur, solitas functiones facere debent, licet Cæremoniale ad eas exercendas eos nomine proprio non appellet. S.R.C. 3. Augusti. 1602.

„ 176. Capellanus Confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia Episcopali Processiones facere. S. R. C. 4. Martii 1606.

„ 177. Capellani seculares in propriis Ecclesiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere possunt Missam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium recitant, sed cum Missali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. S. R. C. 20. Novemb. 1628.

„ 178. Associatio a Capellanis juxta antiquum solitum debetur Episcopo, quando ipse Cappa indutus descendit ad Ecclesiam pro præstanda assistentia. S. R. C. 3. Martii 1731.

„ 179. Capellani, ubi adest aut quum solitum, in Aula Episcopali quando Episcopum excipiunt, tam in accessu, quam in regressu tenentur eidem Episcopo genuflectere. S. R. C. 3. Martii 1731. *Quæ pariter decernit, quod Capellani de Massa nuncupati non teneantur Episcopo Pontificaliter celebraturo deferre sacra Paramenta ad Cathedram Episcopalem, nisi deficientibus Acolythis, actualiter vero celebranti debent tenere librum, & bugiam.*

„ Vide Canonicus. Missa. Missa Conventualis. Missale. Moniales. Parochiale Jus, Præcedentia. Processio.

CAPUT APERIRE. SALUTARE.

„ 180. AD Processiones, quibus Episcopus cum Mitra intervenit, Canonici incedant per Ecclesiam capite detecto, extra vero eam, cum bireto in capite. S. R. C. 5. Martii 1673.

Hoc Decretum adducitur, quamvis in Regesto non reperiatur; sed authenticum censetur, quia refertur a Gavanto in manuali Episcoporum v. Processio, *& est conforme dispositioni, quæ habetur in Cærem. Epis.*

„ 181. Celebrans in Missa solemni procedere debet ad Sedem præparatam aperto capite, & ita regredi ad altare, quando sedere debet dum cantatur Hymnus Angelicus, & Symbolum Apostolorum; sed ad illa verba, quæ cantantur in choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur se inclinare nudo capite, non obstante contraria consuetudine. S. R. C. 22. Martii 1676.

182. Quando in Missa solemni Concionator post Salutationem Angelicam salutat Ministros altaris, & facit reverentiam, non est incongruum si Ministri altaris, & ipse Celebrans, correspondeant salutationi Concionatoris discooperiendo caput. S. R. C. 20. Julii 1686.

„ 183. Concionator absente Episcopo debet prius salutare Canonicos Cathedralis, in apparatu chorali capitulariter sedentes, deinde Gubernatorem sæcularem Civitatis. S. R. C. 11. Augusti 1691.

„ Vide Benedictio. Canonicus. Episcopus. Processio.

CATHEDRALIS.

„ 184. PResbyteri, & Clerici Cathedralis omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, & sub una Cruce debent incedere. S. R. C. 28. Novemb. 1609.

„ Vide Aspersorium. Assistentia. Canonicus. Missa. Missa Conventualis.

CEREUS.

„ 185. CEreus Paschalis regulariter accendi debet ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis usque ad Ascensionem, quo die cantato Evangelio extinguitur. Ad matutinum, & in aliis solemnitatibus, & diebus solemniter celebratis, non accendatur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur. S. R. C. 19. Maii 1607.

CHORUS.

„ 186. DEstinatus ad regendum chorum non est dimovendus a choro, ut assistat Episcopo. S. R. C. 6. Septembr. 1603.

„ Vide Canonicus. Coadjutor. Dignitates. Primicerius.

CINERES.

VIde Benedictio.

CINGULUM.

„ 187. SAcerdotes in Missæ Sacrificio congruentius utuntur cingulo lineo, quam serico. S. R. C. 22. Januarii 1701.

„ Cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, potest esse coloris Paramentorum. S. R. C. 8. Junii 1709.

CLAVIS.

„ 188. CLavis Hostiæ repositæ in feria V. in Cœna Domini non debet dari Laico, quantumvis Nobili. S. R. C. 30. Januarii 1610.

Vide Reliquiæ.

CLERUS.

„ 189. CLerus Ecclesiæ Cathedralis unitus, ultimo loco incedere debet in Processionibus; nec Clerus, vel Canonici aliarum Ecclesiarum debent cum dicto Clero Cathedralis incedere. S. R. C. 21. Augusti 1604.

COADJUTOR.

„ 190. COadjutori Episcopi debetur primum stallum in choro, sive sedes Cameralis. S. R. C. 14. Januarii 1623.

„ 191. Coadjutor Canonici, justa de causa immunis, & exempti a choro tenetur interesse, ut Canonicus lucretur distributiones. S. R. C. 20. Februarii 1627.

„ 192. Coadjutor Episcopi celebrans, præter Diaconum, & Subdiaconum, debet habere assistentem Canonicum, pro libro. S. R. C. 7. Augusti 1627.

„ 193. Non licet Coadjutoribus Canonicorum, absentibus, vel impeditis Coadjutis, inservire pro Assistentibus Episcopo solemniter celebranti, vel cum Cappa Divinis interessenti, sed hoc munus spectat, & pertinet ad veros Canonicos Ordine successivo. S. R. C. 24. Maii 1636.

„ 194. Coadjutores, quando Coadjuti sunt præsentes

„ sentes in choro, vel Processionibus, non possunt in habitu Canonicali intervenire. S. R. C. 24. Maii 1636.

„ 195. Coadjutores Canonicorum extra suam Ecclesiam, & sine Capitulo, nullam habent prærogativam, ac si non essent Coadjutores; unde in concursu cum aliis Sacerdotibus non precedunt nisi ratione antiquitatis in Ordine. S. R. C. 7. Martii 1637. *Hoc Decretum non potuit conferri cum Originali, quia non reperitur Regestum hujus anni.*

COLLEGIATA.

„ 196. Collegiata insignis ab ejus erectione, præcedit aliis Collegiatis antiquioribus. S. R. C. 24. Martii 1612.

„ 197. Collegiata simplex præcedit Parochialibus, etiamsi antequam erigeretur illis cessisset. S. R. C. 23. Martii 1619.

„ Vide, Missa. Missa Conventualis.

COLORES.

„ 198. In Festo Stigmatum S. Francisci adhibetur color albus. S. R. C. 9. Decembr. 1623.

„ 199. In Ecclesiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus octavæ; & Regulares celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus juxta ritum earumdem; & tam exteri in Ecclesiis Regularium, quam Regulares in alienis, possunt apponere Commemorationem octavæ ut supra occurrentis, servata Rubrica de duplici Oratione habenda in Dominicis infra octavam. S. R. C. 11. Junii 1701.

„ 200. Color Paramentorum in Missis privatis semper is esse debet, qui conveniat Officio illa die occurrenti, nullo habito respectu colori adhibito in quavis Missa votiva solemni, ea die celebrata. S. R. C. 1. Decemb. 1742.

„ Vide Episcopus. Imagines. Missa. Missa Defunctorum.

COMMEMORATIO.

„ 201. In Missis ferialibus, quæ contingunt a Dominica Passionis ad feriam quintam Cœnæ Domini, si facienda obveniat commemoratio de simplici, omittenda est tertia Oratio, quæ pro secunda assignatur in Missali, nempe pro Ecclesia, vel pro Papa. S. R. C. 22. Novemb. 1659.

„ 202. In Missa privata de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, potest quidem fieri commemoratio de Sanctissimo Sacramento exposito occasione Quadraginta horarum, sed omittenda in Festis primæ, & secundæ classis. S. R. C. 2. Decembris 1684.

„ 203. In Missa solemni de feria commemoratio non est facienda de Sancto semiduplici occurrente, cujus Missa pariter cantanda est absque commemoratione feriæ, & in utraque Missa tempore Passionis dicenda est tantum secunda Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa, ut docet Gavantus. In Missis autem privatis de Festo semiduplici, cum sit clara dispositio Rubricæ IX. de Oratione, dicenda est secunda Oratio de feria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa; de simplici vero facienda est commemoratio juxta eamdem Rubricam. S. R. C. 10. Januarii 1693.

„ 204. In feria VI. post octavam Ascensionis, si occurrit Festum 9. lectionum, facienda est in Missa commemoratio illius diei, nisi Festum fuerit ex solemnioribus juxta Rubricas. S. R. C. 4. Aprilis 1705.

„ 205. Occurrente commemoratione Sancti simplicis in feria II. Quadragesimæ, quando dictum est Nocturnum defunctorum, non debet in Missa, quarto loco dici Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum, &c.* pro commemoratione defunctorum, sed sufficit tertia Oratio *A cunctis*. Quod si dicatur quarta *Omnipotens, &c*, quinta erit ad libitum. S. R. C. 4. Maji 1709.

„ 206. Occurrente commemoratione Sancti simplicis in feria II. post Dominicam Passionis, quando dictum est Nocturnum defunctorum, in Missa dicenda est secunda Oratio de simplici tantum. S.R.C.4. Maii 1709.

„ 207. Commemoratio in Missa pro Consecratione Episcopi, quando ratione Festi occurrentis dicitur Missa de Festo habente plures commemorationes, debet uniri cum Oratione Missæ, & dici sub unica conclusione, juxta Rubricam Pontificalis Romani de Consecratione electi in Episcopum, & Missalis Romani in fine post Benedictiones. S. R. C. 8. Junii 1709.

„ 208. Dum missa cantatur coram SS. Sacramento in altari exposito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento post omnes alias commemorationes de præcepto; & in Missis solemnibus tantum Festorum primæ, & secundæ classis, est facienda sub unica conclusione. S.R.C. 23. Jun. 1736.

„ 209. Dum præter Missam Conventualem cantantur Missa votiva ex Fundatione, in hac Missa non debet fieri commemoratio Festi, de quo cantata est Missa Conventualis. S. R. C. 23. Junii 1736.

„ 210. Dum SS. Sacramentum est patenter expositum, in omnibus Missis facienda est com-

„ memoratio de eodem post omnes alias commemorationes de præcepto; in Missis tamen solemnibus festorum primæ, & secundæ classis, fit sub unica conclusione. S. R. C. 16. Februarii 1737. Hoc decretum magis explicat nuper descriptum n. 208.

„ Vide Antiphona. Colores. Missa. Octava. Oratio.

CONCIONATOR.

„ VIde Caput aperire. Episcopus. Eucharistia.

CONFRATERNITAS.

„ 211. COnfraternitates Laicorum in Processionibus præcedant ante Regulares, quas iidem Regulares sequuntur, postremo digniorem locum habeat Clerus sæcularis. S. R. C. 7. Augusti 1621.

„ 212. Confraternitati SS. Sacramenti, si sumptus ceræ facit, indulgetur, ut in Processione ejusdem SS. Sacramenti aliqui ex Confratribus, saccis induti, cum funalibus accensis incedant hinc inde ante, & apud idem SS. Sacramentum, dummodo major pars Confraternitatis cum sua Cruce, & insignibus incedat ante in loco suo, juxta Bullam Gregor. XIII. S. R. C. 10. Maii 1608. & sic etiam 19. Junii 1655., & 20. Februarii 1687. *In quibus tamen postremis conceditur talis præcedentia, dummodo dicta Societas SS. Sacramenti accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis; quod si quavis ratione, aut prætextu recusaverit ad alias Processiones accedere, etiam proprio die festo Solemnitatis, & in Processionibus SS. Sacramenti nullo modo præcedere debeat.*

„ Vide Capellanus. Præcedentia.

CONSECRATIO.

„ 213. SI incepta Consecratione Ecclesiæ correptus morbo Episcopus deficiat, & præsertim antequam ungantur Cruces, reassumenda est consecratio. S.R.C. 12. Apr. 1614.

„ Vide Episcopus.

CRUX.

„ 214. PResbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ non possunt propriam Crucem erigere, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ, licet Parochia sit Regularium. S. R. C. 12. Martii 1616.

215 Celebrans in Parasceve mittat particulam in calicem sine aliquo Crucis signo, neque se signet cum calice. S. R. C. 28. Aug. 1627.

„ 216. Crux parva cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum; & in altari, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Missa. S. R. C. 16. Junii 1663.

„ 217. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super Oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis. S. R. C. 14. Julii 1683.

„ 218. Cruces altarium, seu processionum, non sunt benedicendæ de præcepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non solemniter. S. R. C. 12. Jun. 1704.

„ 219. Decretum Sacræ Rituum Congregat. de anno 1707., præcipiens, quod in Altari, ubi est publice expositum SS. Sacramentum, tempore Missæ Crux de more collocetur, apud aliquas Ecclesias non est in viridi observantia: & hac de causa Instructio pro oratione Quadraginta horarum, Clementis XI., Benedicti XIII. & Clementis XII. Summorum Pontificum jussu edita, sub silentio præterit, an locanda, an vero removenda sit hujusmodi Crux; linquens quemlibet in sua praxi. S. R. C. 2. Sept. 1741.

„ Vide Altare. Archiepiscopus. Imagines. Missa. Oblationes. Reliquiæ. Regulares.

CURATUS.

„ 220. CUratus ratione stolæ debet præcedere aliis Presbyteris, etiam Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ. S. R. C. 24. Octob. 1609.

„ 221. Parochi in Festis non possunt recipere nova stipendia pro Missis. S. R. C. 1. Septembris 1629.

„ Vide Præcedentia.

DEDICATIO.

„ 222. ANniversaria dies Dedicationis Ecclesiæ dum Episcopus in Consecratione ejusdem non elegerit diem, sed consecravit Ecclesiam die, &c. mense, &c. debet celebrari in futurum die, quo hactenus in præteritum consuevit celebrari. S. R. C. 20. Novemb. 1662.

DIGNITATES.

„ 223. DIgnitates, quæ habent Præbendas cum onere cantandi Evangelium, seu Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus. S. R. C. 10. Januarii 1604.

„ 224 Dignitates tenentur associare Episcopum cum Canonicis ex debito, licet Cæremoniale Episcoporum nominet tantum Canonicos S. R. C. 10. Januarii 1609.

„ 225. Missarum solemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Processione in ejus Festivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & Functiones similes, quas Episcopus præsens in sua Cathe-

dtali

„ drali facere solet, & debet, juxta formam „ libri Cæremonialis Episcoporum, absente, „ vel impedito Episcopo ad primam Dignitatem, „ & deficiente prima ad secundam, & sic successive pertinent. S. R. C. 25. Junii 1611.

„ 226 Ante Dignitates non debet poni pulvinar cum tapete, sed debent sedere in suis „ stallis, prout sedent alii Canonici; tamen „ ratione Dignitatis potest indulgeri pulvinar „ de corio tantum. S. R. C. 24. Martii 1622.

„ 227. Prima Dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica. S. R. C. 12. Decemb. 1620.

„ 228. Dignitates nolentes celebrare Missas „ Pontificales absente Episcopo, justa causa „ impeditæ, possunt assistere in suo stallo in „ choro. S. R. C. 12. Junii 1627.

„ 229. Missæ solemniores, impedita prima „ Dignitate, non ad hebdomadarium, sed ad „ secundam Dignitatem spectant, & pertinent; „ & impedita secunda, ad alias, ordine successivo. S. R. C. 5. Julii 1631.

„ 230. Non convenit, quod prima Dignitas „ celebret Missam ante Processionem SS. Sacramenti, & deinde altera Dignitas minor „ deferat illud in Processione. S. R. C. 31. Julii 1633.

„ 231. Prima Dignitas, officium Presbyteri „ assistentis faciens, Episcopo Divina Pontificaliter peragente, tenetur sustentare librum, „ quando solum cantat, non vero quando legit, quod spectat ad Capellanum. S. R. C. 16. Martii 1638.

„ 232. Functiones, quæ debent fieri per primam Dignitatem, ea impedita, obeundæ „ sunt per Dignitatem sequentem. S. R. C. 7. Octobris 1645.

„ 233. Assistentia Episcopo in Missis Pontificalibus, ministratio asperforii Episcopo „ ingredienti Ecclesiam canere Missam in diebus solemnioribus, nec non peragere solemnia Missarum, & delatio SS. Sacramenti „ absente Episcopo in Festivitate Corporis Christi, spectant ad primam Dignitatem, vel ad „ seniorem Canonicum, non autem ad Vicarium „ Generalem. S. R. C. 29. Maii 1655.

„ 234. Primæ Dignitati post Pontificalem „ solemniter celebranti in solemnioribus Festivitatibus debetur assistentia duorum Canonicorum pro Diacono, & subdiacono, „ quamvis Præbendæ non sint distinctæ. S. R. C. 7. Decemb. 1658.

„ 235. Prima Dignitas in Cathedrali præcedit Vicario Capitulari, quia cum hic habeat auctoritatem, & jurisdictionem a Capitulo, non debet præcedere primam Dignitatem, in qua Capitulum repræsentatur. S. R. C. 2. Aprilis 1667.

„ 236. Prima Dignitate impedita, vel absente, succedat secunda Dignitas in functionibus peragendis, & secunda impedita, succedat tertia, & omnibus Dignitatibus impeditis, vel absentibus, primus Canonicus „ id exequatur. S. R. C. 29. Novemb. 1670.

„ 237. Functiones Pontificales, quæ absente, vel impedito Episcopo spectant ad primam Dignitatem, sunt Festum Nativitatis „ Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, Tituli ejusdem Ecclesiæ, Patroni Civitatis, nec non „ Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, distributio Candelarum, Cinerum, „ Palmarum, celebratio Officii feriæ quintæ „ in Cœna Domini, ac feriæ sextæ in Parasceve, Festum Paschatis, Resurrectionis D. N., & dies solemnis Corporis Christi cum „ Processione. S. R. C. 3. Decemb. 1672.

„ 238. Dignitatibus, seu Canonicis non debetur thurificatio triplici, sed duplici tantum ductu, non obstante, quod ibi amissis „ distributionibus Persona habens Dignitatem, „ vel Canonicatum, incedat cum habitu Protonotarii in choro. S. R. C. 21. Martii 1699.

239. Prima Dignitas præcise tenetur supplere partes Episcopi impediti in celebrandis „ Missis solemnibus, & peragendis aliis solemnibus functionibus, ad ipsum Episcopum „ spectantibus. S. R. C. 19. Januar. 1704. *Idem antea declaratum fuerat* 11. *Februarii* 1702. *ad exclusionem Vicarii Generalis, & Canonici hebdomadarii, ac impedita prima Dignitate, ad secundam, &c.*

„ 240. Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ „ Cathedralis convenit distinctio tam quoad „ qualitatem Paramentorum, quam quoad locum se parandi pro Missis privatis respectu „ altaris tantum, aliorumque Sacerdotum eidem Ecclesiæ addictorum. S. R. C. 20 Martii 1706.

„ 241. Quatuor Dignitates, seu Canonici, „ assistentes Episcopo ad Absolutionem ad tumulum, debent necessario esse Sacerdotes. „ S. R. C. 8. Junii 1709.

„ 242. Aliqui ex Dignitatibus, seu Primiceriis, & Canonicis abesse possunt a choro „ audiendi causa Monialium, seu Sæcularium „ Confessiones, & dirigendi Confraternitates, „ vel ex alia causa, pro diebus, quibus tenentur interesse choro. S. R. C. 24. Nov. 1731.

„ 243. Ad secundas Dignitates, non vero ad „ Canonicos spectat peragere functiones solemnes, prima Dignitate impedita, vel celebrare nolente; & Dignitatibus, seu Primiceriis, functiones solemniores peragenti-

„ bus,

„ bus, tenentur Canonici illis assistere in mu-
„ nere Diaconi, & Subdiaconi. S. R. C. 24.
„ Nov. 1731.

„ 244. Dignitates, & Canonici in eorum
„ Missis privatis celebrandis tam intra, quam
„ extra Cathedralem, ultra unum inservien-
„ tem, qui Missæ respondeat, uti non pos-
„ sunt Magistro Cæremoniarum cum, vel sine
„ veste violacea, vel alio Ministro Sacerdote,
„ tam pro delatione calicis ad altare, & il-
„ lius reportatione ad Sacristiam, quam pro
„ sustinendo Missali, indicando Orationes, o-
„ periendo calicem, porrigendo patenam cum
„ Hostia, eumdemque postea cum velo in-
„ struendo, & ceteris actibus Missæ inser-
„ viendo, ad instar Episcoporum; sed debent
„ celebrare ut quilibet alius simplex Sacer-
„ dos, omnes relatos ritus per se ipsos explendo
„ absque Ministri ope. S. R. C. 7. Julii 1734.

„ 245. Dignitates, & Canonici tenentur ca-
„ pitulariter in habitu Canonicali recipere E-
„ piscopum a suo cubiculo, & associare ad Ec-
„ clesiam Cathedralem, similique modo ad i-
„ dem reducere, quando ipse vult Pontificali-
„ ter celebrare, tam in solemnioribus a Pon-
„ tificali Romano præscriptis, quam in aliis
„ Festis ex consuetudine, vel devotione in Ci-
„ vitate introductis, vel occasione universalis
„ Jubilæi, vel alia rationabili causa Episcopo
„ bene visa; etiam quando accedit ad Eccle-
„ siam cum Cappa, ut assistat Missæ cantatæ,
„ Vesperis, vel Processioni, vel ut Concionem
„ audiat, vel alia de causa. S. R. C. 7. Julii 1734.

„ Vide Aspersorium. Assistentia. Benedi-
„ ctio. Canonicus. Cineres. Genuflexio. Pa-
„ tena. Præcedentia. Processio. Sessio. Thu-
„ rificatio. Vicarius.

E P I S C O P U S.

„ 246. POtest Episcopus etiam in Ecclesiis
„ Regularium, facere cantari Mis-
„ sas Rogationum per suos Canonicos. S. R. C.
„ 25. Januarii 1603.

„ 247. Episcopus non debet in Ecclesiis sa-
„ lutare Canonicos aperiendo caput, sed be-
„ nedicendo manu. S. R. C. 10. Januarii 1604.

„ 248. Episcopus potest habere fenestram ex
„ domo respicientem in Ecclesia. S. R. C 19.
„ Junii 1604.

„ 249. Potest Episcopus ex causa necessitatis
„ Olea sacra conficere cum minori numero
„ Ministrorum, quam præscribitur in libro
„ Pontificali. S. R. C. 21. Augusti 1604.

„ 250. Non debet assistens Episcopo depo-
„ nere illi biretum de capite, sed ipse sibi
„ detrahat. S. R. C. 21. Augusti 1604.

„ 251 Episcopus concionaturus in aliena
„ Diœcesi coram Ordinario, etiam Cardina-
„ li, non debet petere benedictionem, ob su-
„ premam Episcopalem dignitatem S. R. C. 28.
„ Aprilis 1607.

„ 252. Debetur assistentia Episcopo quando
„ facit Ordinationes in Missa solemni; si vero
„ ipsas in Missa privata, vel alias functiones
„ Episcopales in Pontificalibus facit, saltem
„ duo Canonici assistant, præter Archidiaco-
„ num, qui vocare debet Ordinandos. S. R.
„ C. 19. Maji 1607.

„ 253. Septimum candelabrum Episcopo ce-
„ lebranti adhibeatur in Missis tantum sole-
„ mnibus, non vero in Vesperis, neque et-
„ iam in Missis defunctorum. S. R. C. 19.
„ Maji 1607.

„ 254. Episcopus non potest signum, quod
„ habere debent Canonici Cathedralis ad di-
„ stinctionem, concedere aliis, vel immutare,
„ inconsulta Sede Apostolica. S. R. C. 1. Se-
„ ptembris 1612.

„ 255. Episcopus tantum, & non alius,
„ dum private celebrat, potest accipere Pa-
„ ramenta de ipso altari, & duos habere Mi-
„ nistros superpelliceis indutos, præter alium
„ Ministrum Clericum, sive Laicum, com-
„ muni veste indutum. S. R. C. 7. Julii 1612.

„ 256. Episcopus in aliena Ecclesia non pot-
„ est sibi pulvinar, & pannum coloris viola-
„ cei sternere; & extra suam Diœcesim non
„ competit illi deosculatio textus Evangelii.
„ S. R. C. 13. Octob. 1618.

„ 257. Non est laudabilis ea consuetudo,
„ ut Episcopo cum Cappa sedenti ad sedem
„ suam, caput aperiatur, & cooperiatur ab
„ altero ex Diaconis assistentibus: nec ideo est
„ quærendum, ad quem eo casu spectabit, cum
„ biretum debeat Episcopus sibi de se extrahere.
„ S. R. C. 4. Aprilis 1620. & 20. Augusti 1632.

„ 258. Episcopus processurus cum mozzet-
„ ta, eam deponere debet coram Cardinali-
„ bus, etiam non Legatis, in Italia. S. R. C.
„ 10. Julii 1621. *In Cæremoniali vero recogni-*
„ *to, & vulgato 1727., præscribitur, Episco-*
„ *pum in propria Diœcesi debere deponere moz-*
„ *zetam solum coram Cardinali Legato.*

„ 259. Episcopus Canonicus præcedat omnes
„ Canonicos, & Dignitates, in choro, & in
„ omnibus actibus. S. R. C. 13. Novemb. 1621.

„ 260. In Episcopi ingressu delatores balda-
„ chini incedant pedites, & capite detecto.
„ S. R. C. 27. Julii 1624.

„ 261. Sæpius decretum est, Episcopos ca-
„ rere facultate delegandi aliis benedictionem
„ Paramentorum, & earum rerum, in qui-
„ bus unctio non adhibetur. S. R. C. 22. De-
„ cemb. 1629.

„ 262. Episcopo prædicanti in Ecclesia Ca-
„ thedrali, in ambone, ubi Concionatores or-
„ dinarii prædicare consueverunt, sine balda-

„ chino

„ chino, & in habitu mozzettæ, & stolæ, „ non debetur assistentia a Canonicis, & Dignitatibus; quæ assistentia a Canonicis, & Dignitatibus, solum debetur Episcopo concionem habenti cum pluviali, & mitra, ad præscriptum Cæremonialis Episcoporum. S. R. C. 19. Decemb. 1633.

„ 263. Episcopus non potest pervertere, & immutare ritum Processionum, præscriptum a Cæremoniali Episcoporum, & Rituali Romano, neque de consensu Capituli. S. R. C. 26. Januarii 1658.

„ 264. Diaconi assistentes non tenentur, immo non debent, inservire Episcopo de bugia, seu candela, sed ea administranda est per Capellanum; nec possunt cogi Canonici ad inserviendum Episcopo in Missis privatis, præter consuetudinem. Etiam dicti Canonici, non induti Canonicalibus vestimentis, non tenentur ad præstandum Episcopo assistentiam; immo est contra ritum præstare. S. R. C. 16. Martii 1658.

„ 265. In consecratione Episcoporum solus Episcopus consecrandus semper uti debet colore albo; Consecrator vero, & Assistentes, debent uti colore, qui tempori congruit. S. R. C. 16. Junii 1663. *Idem ritus a fortiori servandus esse videtur etiam in Ordinationibus, seu collationibus Ordinum.*

„ 266. Licet Episcopus non celebret, sed tantum assistat Missæ solemni, Celebrans debet ad Confessionem respondere Episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusive, non vero simul cum illo dicere *In Nomine Patris &c.* S. R. C. 4. Augusti 1663.

„ 267. Potest Episcopus concedere, etiam contradicente Parocho, licentiam Regularibus in die Festivitatis alicujus Sancti, præcipue Fundatoris, faciendi Processionem cum Reliquia ejusdem Sancti, & cum Confraternitatibus erectis intus Conventum, & extra claustra dicti Conventus, & intra limites Parochiæ dictorum Regularium. S. R. C. 13. Junii 1676.

„ 268. Licitum est Episcopo incedere cum mitra, quando defert Reliquiam Sanctissimæ Crucis in Processionibus. S. R. C. 14. Junii 1692.

„ 269. Si Episcopus Suffraganeus accedens ad Ecclesiam deferat Cappam, tenetur ipse sustentare sibi caudam involutam brachio sinistro, & duo Canonici debent ire usque ad ostium Ecclesiæ, dignior vero illorum porrigere ei tenetur aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergit, & pariter eum associant ad eumdem locum. Si assistens Concioni sedeat in Presbyterio, Concionatois salutatio ei primum dirigi debet, distincta ab illa Canonicorum, & Magistratus Sæcularis. Occasione functionum Episcopalium, si accedat ad Ecclesiam cum Cappa, debet se parare in Faldistorio, alias in Sacrario; non potest tamen sibi deferri facere caudam vestis violaceæ, una cum elevatione fimbriæ anterioris, in plano pavimenti Ecclesiæ S. R. C. 6. Septemb. 1698.

„ 270. Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo liceat extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, & ibi sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrare facere. S. R. C. 15. Decemb. 1703. approbante Clemente XI. in sua Constitutione, quæ extat in particulari Bullario part. 3., & incipit *Quoniam sancta sancte &c.*

„ 271. Si Episcopus Titularis Suffraganeus accedat ad Regularium Ecclesias ad celebrandum Pontificaliter, non debent Regulares ei baldachinum erigere, quod nec in Ecclesiis suis, nec in exemptis Diœcesis, nec extra Diœcesim illi competit, quamvis accedat de licentia Ordinarii. S. R. C. 16. Martii 1706.

„ 272. Episcopus celebrans Missam de Natali Domini in Pontificalibus, vel assistens cum Pluviali, vel Cappa, quæ eo die ob maximam solemnitatem nunquam conveniret, ex quo sedens legit Evangelium, non debet genuflectere ad *Verbum caro factum est*, sed solum quando Diaconus illud cantat. S. R. C. 28. Septemb. 1708.

„ 273. Episcopus Palmas benedicens, & Missæ assistens, non debet legere Epistolam, neque Evangelium *Cum appropinquasset*, vel *Altera autem die*, tam ex praxi Capellæ Pontificiæ, quam, ex præscripto Cæremonialis Episcoporum. Dum Episcopus distribuit Candelas, Cineres, ac Palmas, Celebrans, & Ministri debent sedere capitibus coopertis. Dum Episcopus assistit Missæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum Cappa, non debet sedere, neque genuflectere, sed stare discoopertus, dum cantatur Passio; & in casu impotentiæ debet abstinere ab interventu saltem Missæ. Canonici, & Assistentes Episcopo parati, & illum ad altare comitantes in Pontificalibus, ratione Paramentorum possunt procedere per Ecclesiam coopertis, non vero nudis capitibus. S. R. C. 28. April. 1708.

„ 274. Feria V. in Cena Domini, cum Episcopus exit a Sacrorum custodia ad altare, non debent Canonici, qui eum parati associant, præ-

„ præcedere Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos paratos, qui eum comitantur; sed debent sequi. S. R. C. 8. Junii 1709.

„ 275. Episcopi debent uti vestibus violaceis in die Annunciationis B. M. V., quando occurrit in Quadragesima, excepta tota hebdomada majori, & feria VI., non vero eo die, ad quem prædictum Festum transfertur in Quadragesima. S. R. C. 8. Junii 1709.

„ 276. Episcopus deputatus administrator alterius Ecclesiæ, in functionibus Ecclesiasticis non gaudet omnibus præeminentiis, & prærogativis, quibus fruuntur, & gaudent omnes alii Episcopi in propriis Diœcesibus. Et primo: Episcopus administrator Ecclesiæ vacantis non potest sedere super Cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum baldachino, & Pastorali, sed sedere debet super Faldistorio prope altare, sine ipso Baculo. Secundo: Non potest concedere Indulgentiam quadraginta dierum, sine speciali facultate Apostolica. Tertio. Dum assistit Missæ solemni ab alio cantatæ, non debent ei Canonici facere circulum ad *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus & Agnus Dei*; & tunc sedeat in primo stallo chori. Quarto: Non debet fieri ejus Consecrationis Anniversarium, cum Missa cantatur per Capitulum, & Clerum; ejusque nomen non debet in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes. Quinto: Dum cantat in pontificalibus, non debet poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa; nec omnes Canonici debent indui sacris Paramentis, sed tres tantum fungentes officium Diaconi, Subdiaconi, & Presbyteri assistentis. Sexto: Cum vadit ad Cathedralem, potest proprio arbitrio sumere Cappam magnam vel in ædibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiæ, vel Presbyterii, & decet, quod accedentem ad Ecclesiam omnes Canonici excipiant in ædibus Episcopalibus, non vero soli tres, aut quatuor ad portam Ecclesiæ. S. R. C. 22. Augusti 1722.

„ 277. Episcopi abusus omnes, qui in Ecclesiis aut sæcularibus, aut Regularibus contra præscriptum Ceremonialis Episcoporum, & Ritualis Romani, vel Rubricas Missalis, & Breviarii irrepserint, debent omnino removere; & si adversus ea, quæ in dicto Cæremoniali statuta sunt, consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de jure non posse; executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali instituta sunt, diligenter incumbere debent; nec ulla suspensio, aut appellatio admittitur. Innocentius XIII. in Constitutione, quæ incipit *Apostolici ministerii* 13. Martii 1723. super Ecclesiastica disciplina, a Benedicto XIII. in alia Constitutione, quæ incipit *In supremo*, confirmata 23. Sept. 1724.

„ 278. Canonico Episcopo Titulari, post delatam per Archidiaconum, sive Presbyterum assistentem, pacem Episcopo locali, non debet illa per eumdem Archidiaconum, sive Presbyterum assistentem, ipsi deferri, sed illam recipere debet ab eodem Ministro parato, qui eam distribuit Choro, & postquam Episcopus localis ipsam dederit Canonicis assistentibus, in throno. Idem Canonicus Episcopus Titularis in Missis, & Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis, tenetur discedere a stallo una cum reliquis Canonicis, pro faciendis consuetis circulis, præscriptis a Ceremoniali Episcoporum. Et exercente Episcopo locali Pontificalia cum assistentia Capituli sacris vestibus parati, potest idem Canonicus Episcopus Titularis, cum reliquis Canonicis in stallo assistentibus, deferre pluviale, & de consensu Episcopi gestare mitram lineam, sed illam per se ipsum imponere, & removere debet a capite; & semper thurificandus est post Archidiaconum, seu Presbyterum assistentem, & Canonicos a latere Episcopi in throno pariter assistentes. Idem debet se abstinere a celebratione Missæ cantatę, & Vesperarum de turno in propria hebdomada, sed subrogare tenetur alium; in solemnioribus vero Festis de licentia Episcopi debet uti Faldistorio, & indumentis Pontificalibus. S. R. C. 10. Apr. 1728.

„ 279. Episcopus potest cogere Sacerdotes sęculares, ut audiant Confessiones Sacramentales cum superpelliceo, & stola, & Regulares cum stola tantum. S. R. C. 28. Augusti 1728.

„ 280. Nequit Episcopus Abbatibus, aliisque Pręlatis inferioribus, exercitium Pontificalium in suis tantum Ecclesiis restrictive habentibus, facultatem, seu licentiam impertiri, exercendi illa in Ecclesiis, ipsis Pręlatis inferioribus non subjectis, sive Sęcularibus, sive Regularibus suę Diœcesis, S. R. C. 11. Julii 1739.

„ Vide Benedictio. Cineres, Capellanus. Coadjutor. Dignitas. Eucharistia. Missa Conventualis. Pręcedentia. Processio. Sedere. Thurificatio.

EVANGELIUM.

„ 281. QUi prę timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium sancti Joannis, quod legitur in fine Missę, sed ejus loco aliud suo arbitratu recitat, debet

,, debet a Missarum celebratione suspendi, ,, quousque illud rite pronuntiare assuescat. ,, S. R. C. 5. Maii 1736.

,, 282. Quando Festum S. Petri martyris ,, transfertur extra tempus Paschale, Evan- ,, gelium erit: *Si quis venit ad me &c.* S. ,, R. C. 5. Maii 1736.

,, Vide Missa.

EUCHARISTIA.

,, 283. Eucharistia non est singulis diebus ,, exponenda super altare, sed in qui- ,, busdam tantum solemnitatibus. S. R. C. 4. ,, Martii 1606.

,, 284. Omnes de Clero, etiam Canonici, ,, Eucharistiam sumant de manu Celebran- ,, tis in feria V. in Cœna Domini. S. R. C. ,, 27. Septembris 1608.

,, 285. Feria VI. in Parasceve non est mini- ,, stranda Eucharistia nisi infirmis. S.R.C. 19. ,, Februarii 1622. *quo casu adhibetur col. alb.*

,, 286. Ante sacræ Eucharistiæ Sacramen- ,, tum publice expositum non potest fieri Con- ,, cio capite tecto, non obstante quacumque ,, contraria consuetudine, & abusus est omni- ,, no tollendus. S. R. C. 16. Februarii 1630. ,, *& alias iterum.*

,, 287. Feria V. in Cœna Domini Episco- ,, pus debet per seipsum ministrare Euchari- ,, stiam Canonicis, & Clericis, nunquam ve- ,, ro debet illam ministrare Diaconus, vel unus ,, ex Assistentibus. S. R. C. 8. Augusti 1643.

,, 288. Præsupposita facultate retinendi SS. ,, Eucharistiæ Sacramentum, non potest per ,, annum publice exponi sine licentia Ordi- ,, narii. S. R. C. 10. Decembris 1703. *in De- ,, creto generali, approbante Clemente XI.* 12. ,, *Januarii* 1704. *ut in Bullario ejus particu- ,, lari part.* 2.

,, 289. In Ecclesiis Confraternitatum, si ,, non sint Parochiales, vel Regulares, non ,, potest retineri SS. Eucharistiæ Sacramentum ,, sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. S. ,, R. C. 10. Decembris 1703. *in Decreto ge- ,, nerali approbante Clemente XI.* 12. *Juanua- ,, rii* 1704.

,, 290. Non est toleranda consuetudo quo- ,, rumdam, qui contra id, quod præscribitur ,, in Missali, exponunt patenter Hostiam con- ,, secratam, reservandam a feria V. in Cœna ,, Domini usque ad ipsius consumptionem in ,, feria VI. in Parasceve. S. R. C. 14. Fe- ,, bruarii 1705.

,, 291. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramen- ,, tum in Processione, quæ fit in Festo Ss. ,, Corporis Christi, deferri debet ab eo, qui ,, Missam celebrat; & idem servandum in Pro- ,, cessione, quæ fit in die Dominico infra ejus ,, octavam; non vero deferendum est a primo ,, de Capitulo, qui non celebravit. S. R. C. ,, 23. Martii 1709.

,, 292. Quando in Missa solemni ministra- ,, tur sacra Eucharistia Clericis, vel Laicis, ,, reliqui de Clero in choro debent stare. S. ,, R. C. 9. Maii 1711.

,, Vide Festum Corporis Christi. Genufle- ,, xio. Processio.

EUCHARISTIÆ ADMINISTRATIO.

,, 293. In Missis defunctorum, quæ in pa- ,, ramentis nigris celebrantur, non mi- ,, nistratur Eucharistia per modum Sacramen- ,, ti, scilicet cum Particulis præconsecratis, ,, extrahendo pyxidem a custodia: potest ta- ,, men ministrari per modum Sacrificii, pro- ,, ut est, quando fidelibus præbetur Commu- ,, nio cum Particulis intra eamdem Missam ,, consecratis. S. R. C. 2. Septembris 1741. ,, *Hoc Decretum in eo quod prohibet Communio- ,, nem in Missis defunctorum ex Particulis præ- ,, consecratis adversatur doctrinæ superius tra- ,, ditæ* v. Eucharistiæ administratio; *in reliquis ,, vero eidem doctrina suffragatur.*

EXEQUIÆ.

,, 294. In Exequiis Parvulorum in feria V. ,, & VI. ac Sabbato majoris hebdoma- ,, dæ potest in psalmis omitti *Gloria Patri*, ,, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. ,, Januarii 1677.

,, 295. In secundo triduo majoris hebdoma- ,, dæ non possunt celebrari Exequiæ defun- ,, ctorum, sed Officium, & preces recitentur ,, privatim. S. R. C. 11. Augusti 1736.

,, Vide Absolutio.

FESTUM.

,, 296. Celebratio Festi de sancto Patrono ,, Civitatis ad Episcopum, & eo ab- ,, sente, vel impedito, ad primam Dignita- ,, tem pertinet. S. R. C. 28. Septembris 1619.

,, 297. Festum principalioris Patroni in quo- ,, cumque Regno, seu Provincia, & alterius pa- ,, riter principalioris Patroni in quacumque Ci- ,, vitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Pa- ,, tronos haberi, & venerari contigerit, est ,, præceptivum cum obligatione audiendi Sa- ,, crum, & vacandi ab operibus servilibus. ,, S. R. C. 13. Septembris 1642. *Quod De- ,, cretum confirmatum est ab Urbano VIII. in ,, Constit. quæ incipit* Universa &c.

,, 298. Communitates, vel Universitates ,, Civitatum, seu Locorum, non tenentur ex ,, præcepto servare Festa ex voto earumdem ,, indicta, cum sub præcepto teneantur tan- ,, tum personæ voventes. S. R. C. 18. Apri- ,, lis 1643. in Decreto de Festorum obser- ,, vatione.

„ Vide Beatus. Missa. Missa defunctorum. „ Missa votiva. Officium. Oratio.

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

„ 299. IN Festo Ss. Corporis Christi non convenit cantare cantiones vulgari sermone. S. R. C. 21. Martii 1609.

„ 300. In Festo Ss. Corporis Christi Eucharistia non est deferenda in Processionibus Sacerdotum humeris, sed Celebrantis manibus, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit. S. R. C. 2. Junii 1618.

„ 301. In Festo Ss. Corporis Christi deferatur Eucharistia a Celebrante; in Vesperis autem diei octavæ, si fiat Processio, deferatur ab eo, qui cantavit Vesperas, modo sit Dignitas, vel Canonicus. S. R. C. 12. Junii 1627.

„ 302. Missa in die solemnitatis Corporis Christi non debet cantari post absolutam Processionem; & hujusmodi consuetudo, uti a Cæremonialis dispositione aliena, omnino abroganda est. S. R. C. 3. Junii 1662.

„ 303. In Festo Ss. Corporis Christi servanda est dispositio Cæremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. in reponendo Ss. Sacramento, non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiscum*; & sic servat in Urbe Summus Pontifex, & servatur ab omnibus. S. R. C. 16. Junii 1663. & 28. Septembris 1675. *Hoc Decretum habet locum in quacumque repositione SS. Sacramenti.*

„ 304. Quando in choro canuntur aliqua verba genuflexionem requirentia, si mora præscriptæ genuflexionis est brevis, hæc fiat, etiam a cantantibus ad ambonem, seu a regentibus chorum, dum ipsa verba cantantur, quæ genuflexionem exquirunt: quando autem mora genuflexionis est longa, ut ad verba Psalmi Invitatorii *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, ad verba Symboli *Et incarnatus &c.* & ad alia similia, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum. S. R. C. 8. Martii 1738.

„ Vide Processio.

GENUFLEXIO.

„ 305. GEnuflectendum est semper ab omnibus transeuntibus ante Ss. Sacramentum, etiam dum fiunt Processiones per Ecclesiam; & contraria consuetudo declaratur abusus. S. R. C. 14. Decembris 1602.

306. Genuflectendum non est ad Orationes in Missa solemni, in qua dicitur *Gloria*, & *Credo*, S. R. C. 19. Maii 1607.

„ 307. Dum elevatur Eucharistia, &c. Canonici, & Clerus, sive in choro existant, sive processionaliter incedant, semper debent genuflectere. S. R. C. 2. Maii 1620.

„ 308. Dignitates, & Canonici assistentes, vel aliquam modo Episcopo solemniter celebranti inservientes, nunquam tenentur genuflectere. S. R. C. 15. Decembris 1632.

„ 309. Quando Ss. Eucharistiæ Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes, cujuscumque conditionis, & ordinis sint, sive ad illud accedentes, sive ab eodem recedentes, semper utrumque genuflectere debent. S. R. C. 19. Augusti 1651.

„ 310. Ad benedictionem solemnem Episcopi omnes, etiam Magistratus Civitatis tenentur genuflectere, præter Dignitates, & Canonicos Cathedralis. S. R. C. 21. Martii 1676.

„ 311. In Natali Domini in tribus Missis, post sumptionem Sanguinis eundo, & redeundo in medium Altaris, non est facienda genuflexio; & vertendo se Celebrans ad *Dominus vobiscum*, & ad dandam benedictionem, debet renes vertere ad altare, licet species vini non sint exsiccatæ in calice; & serventur Rubricæ Missalis Romani de ritibus servandis in celebratione Missarum 11. & 12. num. 2. S. R. C. 20. Julii 1686.

„ 312. Sacerdos Missam celebraturus, transiens ante altare, ubi fit populi Communio, non debet manere genuflexus donec, & quousque terminetur Communio. S. R. C. 5. Julii 1698.

„ 313. In Expositione Ss. Sacramenti, cantatis, seu recitatis versiculis *Panem de Cœlo, &c.* Sacerdos surgens non debet reiterare genuflexionem, antequam recitet Orationem. S. R. C. 2. Augusti 1698.

„ 314. In transeundo de una ad alteram partem altaris in prima, secunda, & tertia Missa Nativitatis Domini, serventur Rubricæ Missalis, quæ nullam præscribunt genuflexionem ante calicem esse faciendam. S. R. C. 2. Augusti 1698.

„ 315. Non licet Clericis ministrantibus thuribulum, seu navicellam Canonicis celebrantibus coram Episcopo genu illi flectere, sicuti fit Episcopo. S. R. C. 4. Aprilis 1699.

„ 316. In Missa feriali, quæ substituitur Missæ de octava, est genuflectendum in choro. S. R. C. 23. Junii 1736.

„ 317. Non est genuflectendum a Capitulo, & Clero, processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est Reliquia Sanctæ Crucis. S. R. C. 15. Septembris 1736.

„ Vide Archiepiscopus. Benedictio. Capellanus. Processio.

GLO-

GLORIA IN EXCELSIS.

„ 318. Gloria in excelsis cum Credo omittitur in Votivis pro re gravi, quando dicuntur cum Paramentis violaceis. S. R. C. 19. Maii 1607. *In Dominica tamen dicitur* Credo, *etiam in Paramentis violaceis, excepta Missa Rogationum in Festo S. Marci occurrente in Dominica.*

„ 319. Gloria in excelsis dicitur in Missis votivis B. M. V. tam in Sabbatis feriarum, quam in Sabbatis Adventus, licet ipsa die Officium non fiat de B. V. S. R. C. 19. Maii 1607. & 27. Julii 1609. & 30. Julii 1689.

„ Vide Missa votiva.

H O S T I A.

„ 320. Pars inferior Hostiæ præcidi debet, non autem superior, quando dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum.* S. R. C. 4. Augusti 1663.

„ Vide Eucharistia.

I M A G I N E S.

„ 321. Sabbato Passionis debent velari Imagines, & Cruces, etiamsi occurrat eo die Festum S. Titularis, vel Patroni Ecclesiæ. S. R. C. 16. Novembris 1649.

„ 322. Imagines, & Cruces detegi non debent, etiamsi in hebdomada Passionis occurrat Festum S. Titularis, aut Dedicationis Ecclesiæ. S. R. C. 16. Novembris 1649.

„ 323. Velum, quo operitur Crux in altari, semper debet esse coloris violacei, & nunquam, etiam in feria V. in Cœna Domini, est mutandum, ut clare constat ex responsione. S. R. C. quasi negando suppositum ad dubium tenoris sequentis: Quo velo cooperienda sit Crux in altari ad functionem Lotionis pedum in feria V. majoris hebdomadæ, & Crux Processionis, cum Sacerdos sit indutus violaceo, & Diaconus colore albo, & actus ipse Lotionis, sive Mandatum, præcipiatur a Rubricis fieri cum floribus, & signis lætitiæ, & videatur participare de festivitate Missæ celebratæ in mane cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte sit actus humilitatis? S. R. C. 16. Novembris 1649. respondit: Colorem non esse mutandum.

„ 324. In primis Vesperis Dominicæ Passionis non solum Cruces, & Imagines Salvatoris, sed etiam Icones altarium, & omnes Imagines Sanctorum debent tegi. S. R. C. 4. Augusti 1663.

„ Vide Beatus.

LIBER OSCULANDUS.

„ 325. Domino loci, & Commendatario Religionis Jerosolymitanæ, & multo minus ejus Procuratori, non defertur Liber osculandus in Missa. S. R. C. 17. Septembris 1611.

L I T A N I Æ.

„ Vide in secunda Parte, verbo Litaniæ.

M A N I P U L U S.

„ 326. In adoratione Crucis feria VI. in Parasceve debent Celebrans, & Ministri deponere etiam manipula. S. R. C. 15. Septembris 1736.

„ *In extendendo hoc Decreto irrepsit forsan aliquis error Scriptoris, ut aliquando evenit, quia ex Rubrica Missalis potius deducitur, non esse deponendum manipulum ex dicta circumstantia; unde opus est, ut hoc diligentius examinetur.*

M A N U S.

„ 327. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem* debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero posito super sinistrum in modum Crucis super manus. S. R. C. 4. Augusti 1663.

M I S S A.

„ 328. Missa in Festis solemnibus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria V. in Cœna Domini, Paschate, Pentecoste, Annunciatione, Ascensione D. N. J. C. Assumptione B. M. V. Festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum, in privatis Oratoriis, & privilegiatis, non potest celebrari. S. R. C. 17. Novembriis 1607.

„ 329. Dum horæ canonicæ recitantur in choro, non sunt celebrandæ Missæ privatæ in altari majori. S. R. C. 2. Maii 1620.

„ 330. In Parasceve si incidat Festum Annunciationis B. M. V. non tenentur Fideles ad Missam audiendam, seu interesse Officio. S. R. C. 19. Februarii 1622.

„ 331. Quædam Missa propria SS. Rosarii fuit concessa tantum Ordini Prædicatorum. S. R. C. 25. Januarii 1622.

„ 332. Missæ certis Regularibus concessæ non possunt ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. S. R. C. 19. Novembris 1622.

„ 333. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis, de Festo, & de feria. S. R. C. 16. Maii 1626.

„ 334. In Missa feriæ IV. Quatuor temporum, occurrentis in die octava Nativitatis B. M. V. dicenda est Præfatio communis, non vero de B. V. S. R. C. 12. Decembris 1626.

„ 335. In fine Missæ ad quocumque altare celebratæ fiat reverentia Cruci infra gradus capite semper aperto. S. R. C. 28. Augusti 1627.

,, 336. Missæ S. Gregorii pro vivis, & de-
,, functis impressæ, XV. Auxiliatorum, & de
,, Patre Æterno, prohibitæ sunt. S. R. C. 8.
,, Aprilis 1628.

,, 337. Triginta Missæ S. Gregorii pro de-
,, functis non prohibentur. S. R. C. 28. Octo-
,, bris 1628.

,, 338. Non potest prohiberi celebratio Mis-
,, sæ in Oratorio ruri ædificato per Laicum,
,, antequam celebretur Missa Parochialis. S.
,, R. C. 31. Martii 1629. *In hujusmodi autem*
,, *Oratoriis, si sint Ecclesiæ Parochiali proxi-*
,, *ma, Missæ celebrationem, antequam Paro-*
,, *chus celebraverit in sua Ecclesia, prohibuit*
,, *Benedictus XIV. in Constitutione, quæ incipit*
,, Etsi minime nobis. 7. Februarii 1742.

,, 339. Ubi expresse jubetur Missa sine obli-
,, gatione Sacrificii, potest accipi stipendium
,, pro eadem Missa. S. R. C. 13. Julii 1630.

,, 340. In nocte Nativitatis Domini post
,, cantatam primam Missam nullo modo pos-
,, sunt aliæ duæ immediate celebrari, nec Fi-
,, deles communicari. S.R.C. 20. Aprilis 1641.

,, 341. Missa de Dominica Pentecostes non
,, potest repeti in Sabbato Quatuor temporum
,, Pentecostes. S. R. C. 14. Aprilis 1646.

,, 342. Missæ duæ ejusdem Sancti, imme-
,, diate una post aliam, non debent cantari
,, eodem die in Ecclesia, in qua celebratur
,, ejus Festivitas. S. R. C. 3. Augusti 1652.

,, 343. Missa non potest celebrari cum cæ-
,, sarie ficta. S. R. C. 3. Augusti 1652.

,, 344. Missa de Dominica, seu de Festo
,, duplici, si illa die occurrat, debet dici
,, cum commemoratione SS. Sacramenti ad
,, formam Rubricarum Missalis, quando fit
,, particularis Processio cum Ss. Sacramento in
,, aliquibus Dominicis, seu aliis diebus cu-
,, juslibet mensis. S. R.C. 6. Decembris 1653.

,, 345. Missa solemnis de Annunciatione
,, B. M. V. non potest celebrari, quando
,, ejus Festum incidit in Dominica Palma-
,, rum. S. R. C. 10. Martii 1657. *Immo jux-*
,, *ta recentiorem Rubricam, quæ habetur tit.*
,, *6. de Translat. Festorum, non solum in Do-*
,, *minica Palmarum, sed etiam in tota heb-*
,, *domada majori nequit solemniter decantari*
,, *Missa de Titulo Ecclesiæ occurrente.*

,, 346. Missæ currentes in honorem alicujus
,, Beati non Canonizati, non possunt celebra-
,, ri sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. S.
,, R. C. 28. Septembris 1658.

,, 347. In novem diebus ante Nativitatem
,, Domini, ubi adest antiquissima consuetudo,
,, vel concursus, potest decantari unica Missa
,, votiva solemnis B. M. V. quamvis in ipsis
,, occurrat Festum S. Thomæ Apostoli, &
,, Dominica tertia, vel quarta Adventus, non
,, omissa tamen Conventuali, statuta hora de-
,, cantanda. S. R. C. 28. Septembris 1658.

,, 348. Non licet in Ecclesiis, in quibus
,, non asservatur Ss. Sacramentum, celebratio
,, Missæ in feria V. in Cœna Domini, nec
,, ejusdem Ss. Sacramenti asservatio in Sepul-
,, chro. S. R. C. 14. Junii 1659.

,, 349. Archidiacono, & Canonicis Ec-
,, clesiæ Cathedralis Camerinensis, petenti-
,, bus, an ipsis liceret plures Missas celebrare
,, feria V. in Cœna Domini, in quam cadit
,, Festum Ss. Annunciationis? S. C. respon-
,, dit licere, & jussit, ut a Cardinali Vicario
,, singularum Ecclesiarum Urbis Rectoribus
,, idem notificaretur. 20. Martii 1660.

,, 350. Missa solemnis in Dominica infra
,, octavam alicujus Sancti non debet celebra-
,, ri de eodem Sancto, licet de consensu Or-
,, dinarii fiat Processio ad ejus Ecclesiam. S.
,, R. C. 24. Julii 1660.

,, 351. Missæ omnes de Sanctis sub ritu
,, duplici excluduntur ab octava Epifaniæ, præ-
,, ter eas, quæ sunt primæ classis, nempe Ti-
,, tularis, & Patroni principalis, ac Dedicatio-
,, nis Ecclesiæ. S. R. C. 20. Novembr. 1660.

,, 352. Missa secunda de Passione Domini
,, cum Gloria, & Credo in altari Ss. Crucifi-
,, xi singulis Dominicis, præter Resurrectio-
,, nis Domini Nostri, & Pentecostes, non
,, conceditur, neque potest tolerari. S. R. C.
,, 2. Julii 1661.

,, 353. Missæ Sacrificium peragi potest in
,, publico Oratorio extra aliquod Oppidum
,, constructo de licentia Episcopi, in diebus
,, solemnioribus anni, etiam contradicente Pa-
,, rocho, pro commoditate vilicorum circum-
,, habitantium, dummodo habeat omnia re-
,, quisita ad Ecclesiam, vel saltem ad publicum
,, Oratorium constituendum. S. R. C. 3. Se-
,, ptembris 1661. *Adde, & dummodo non sit*
,, *Ecclesiæ Parochiali proximum, ut supra in-*
,, *nuimus num.* 338.

,, 354. Missæ plures non possunt celebrari
,, in Capellis Nobilium privatis a Sacerdoti-
,, bus Regularibus. S.R.C. 23. Februarii 1661.

,, 355. Missa solemnis de S. Joseph, quando
,, ejus Festum incidit in feriam II. III. vel
,, IV. majoris hebdomadæ, non potest canta-
,, ri, etiam ob concursum populi, sed debet
,, omitti; nec potest in illis diebus fieri Pro-
,, cessio in ejus honorem. S. R. C. 4. Aug. 1663.

,, 356. In die Commemorationis omnium
,, Fidelium defunctorum Sacrificia possunt a
,, Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libi-
,, tum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus de-
,, functis, vel pro aliquibus tantum. S. R. C.
,, 4. Augusti 1663.

,, 357. Missæ celebratio in Ecclesia, seu Ora-

„ torio sito in Territorio extra mœnia alicu- „ jus Oppidi, non potest prohiberi antequam „ celebretur in Ecclesia Parochiali, & Matri- „ ce, non obstante Decreto Episcopi in Sy- „ nodo Diœcesana, aut quocumque alio, et- „ iam in erectione Ecclesiæ edito, celebratio- „ nem hujusmodi prohibente. S.R.C. 30. Augusti „ 1664. *Hoc autem Decretum non habet locum* „ *in illis ruralibus Oratoriis, quæ sunt Eccle-* „ *siæ Parochiali proxima, in quibus prohibetur* „ *Missæ celebratio ante Parochialem, ut supra* „ *innuimus num.* 338.

„ 358. Quando exponitur Sacramentum in „ altari pro initio Quadraginta horarum, vel „ spiritualium Exercitiorum, si accidat in „ Festo primæ, vel secundæ classis, sive in „ Dominica privilegiata primæ, vel secundæ „ classis, tunc in Collegiatis vel duæ canten- „ tur Missæ, una de Festo, seu Dominica „ post Tertiam, altera votiva de Sacramento „ post Nonam; vel una cantetur de die cum „ commemoratione Ss. Sacramenti. S. R. C. „ 13. Februarii 1666. *Hæc regula observanda* „ *est etiam pro diebus, in quibus prohibetur* „ *fieri Officium de duplici, sive de semiduplici.*

„ 359. In assignatione Missæ, & Evange- „ liorum, quæ debentur extra tempus pascha- „ le Ss. Martyribus Stanislao Pontifici, Pe- „ tro, & Ss. Nereo, & Achilleo, servan- „ dæ sunt Rubricæ generales. S. R. C. 18. „ Septembris 1666.

„ 360. Missæ de Festo duplici, celebratæ „ in altari pro Animabus in perpetuum pri- „ vilegiato, & in quo proinde etiam in du- „ plicibus Missæ sint celebrandæ de Requiem „ ex obligatione, suffragantur ac si celebra- „ tæ fuissent *de Requiem* juxta formam Pri- „ vilegiorum, ut declaravit Alexander VII. „ in suo Brevi, quod incipit *Credita nobis*, „ 22. Januarii 1667.

„ 361. Sacerdos sæcularis, sive Capellanus, „ sive non, qui recitavit Officium semidu- „ plex, vel simplex, vel feriale, illo die ce- „ lebrans in aliqua Ecclesia Regularium, in „ qua recitatum est ab ipsis Regularibus ea- „ dem die Officium duplex de præcepto, „ prout de aliquo Sancto sui Ordinis, non „ potest dicere Missam de Requiem. S. R. „ C. 9. Junii 1668.

„ 362. Missa S. Crucis non debet ullo „ modo celebrari die Veneris infra octavam „ Nativitatis D. N. J. C. non obstante qua- „ cumque prætensa consuetudine illam cele- „ brandi singulis diebus Veneris infra annum, „ & signanter infra octavam supradictam. „ S. R. C. 12. Januarii 1669.

„ 363. Quando adest legatum, quod Sacer- „ dos discedat ab altari, & recitet aliquod Evan- „ gelium, Psalmum, vel Orationem post ter- „ minatam Missam, debet oneri sibi injuncto „ satisfacere post Missæ finem, exutis vestibus „ Sacerdotalibus, & cum sola cotta, in alta- „ ri, vel in Sacristia, & sic legatum adim- „ plere. S. R. C. 31. Augusti 1669.

„ 364. Missa Immaculatæ Conceptionis B. „ M. V. & continuatio qualibet die Sabbati „ ex particulari populi devotione, ex quo sit „ Patrona Loci, non conceditur, sed ejus lo- „ co permittitur Missa de S. Maria in Sabba- „ to, dummodo non sit impedita ab aliis Fe- „ stis duplicibus, seu semiduplicibus. S. R. „ C. 20. Julii 1669.

„ 365. Privilegium Alexandri VII. die 22. „ Januarii 1667. circa Missas de Festo dupli- „ ci in altaribus privilegiatis perpetuo cele- „ bratas, extenditur etiam ad altaria non in „ perpetuum, sed ad septennium, sive aliud „ brevius, vel longius tempus, ac non omni- „ bus, sed aliquo die, vel aliquibus diebus „ tantum hebdomadæ privilegiata; ac proin- „ de Missæ, quæ ibidem de festo currente, „ in quo Missæ defunctorum celebrari non pos- „ sunt, sive ex obligatione, sive ex sola Fide- „ lium devotione celebrabuntur, suffragantur, „ itaut animæ Christifidelium, pro quibus ce- „ lebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia „ ejusmodi concessas consequantur in omnibus, „ & per omnia, perinde ac si Missæ defun- „ ctorum ad formam eorumdem privilegiorum „ celebratæ fuissent. S. R. C. 20. Julii, an- „ nuente Clemente IX. 13. Augusti 1669.

„ 366. Missa B. M. V. sub invocatione Se- „ ptem Dolorum feria sexta infra hebdoma- „ dam Passionis, ab his, qui gaudent ejusmo- „ di indulto, debet recitari cum Gloria Patri „ ad Introitum, & cum Psalmo Judica, sed „ sine Gloria. S. R. C. 31. Augusti 1669. *Quæ* „ *Missa a Benedicto XIII. die 22. Augusti* „ *1727. demandata fuit sub ritu duplici majo-* „ *ri pro Ecclesia universali, & in ea ut supra* „ *cum Psalmo &c. Gloria, & Credo. Sed si* „ *infra eamdem hebdomadam extra dictam diem* „ *ut votiva dicatur, dicitur cum Gloria Pa-* „ *tri, Psalmo &c. sed sine Gloria in excelsis,* „ *& Credo.*

„ 367. Missam in altari majori, ubi est ex- „ positum publice Ss. Sacramentum, non li- „ cet celebrare, præsertim si in Ecclesia ad- „ sunt alia altaria, in quibus celebrari possit. „ S. R. C. 9. Augusti 1670.

„ 368. Non debet cantari, neque celebrari „ Missa in altari, ubi est expositum Ss. Sacramen- „ tum, nisi sit pro eo reponendo; at si ex necessi- „ tate hoc fieri opus esset, populus benedicendus „ est more consueto, & non cum Sanctissimo Sa- „ cramento. S. R. C. 13. Junii 1671.

„ 369. Mis-

,, 369. Missa assignata Festo Conceptionis B. M. V. pro Fratribus Minoribus, non potest dici per annum uti votiva, etiam in Sabbatis. S. R. C. 30. Septemb. 1679. *Sed ex Missali eorumdem apparet licere, & licet; quia editio hujus Missalis est posterior hoc Decreto, & talis editio habet approbationem Innocentii XII.*

,, 370. In nocte Nativitatis Domini non possunt dici Missæ privatæ immediate post decantatam; circa quod adest Decretum tenoris sequentis in Lucana: Inhærendo aliis resolutionibus circa celebrationem trium Missarum in nocte Natalis Domini alias editis, & signanter sub die 7. Decemb. 1641. iterum declaravit S. R. C. non esse permittendum usum introductum a nonnullis Canonicis, & Presbyteris Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Lucanæ, celebrandi Missas privatas immediate post decantatam Missam solemnem in media nocte Natalis Domini, sed omnino prohibendum, hac die 22. Novemb. 1681. in Lucana. Idem decrevit 15. Septemb. 1668.

,, 371. In Ecclesiis B. M. V. dicatis, seu aliis Sanctis, ubi adest immemorabilis consuetudo cantandi Missam votivam B. M. V. singulis Sabbatis, licite continuari potest, etiamsi occurrat Officium duplex, dummodo non omittatur suo tempore Missa Conventualis. S. R. C. 2. Decemb. 1684.

,, 372. Rubrica concedit usum planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, & Subdiaconis ministrantibus in Missa solemni in Cathedralibus, & præcipuis Ecclesiis in diebus jejuniorum, cum limitatione ut ibi; in minoribus vero Ecclesiis Ministris prædictis dat tantum usum albæ cum manipulo Subdiacono, & cum stola, ac manipulo Diacono. S. R. C. 13. Junii 1684.

,, 373. Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam non possint successive aliæ duæ Missæ celebrari, nec Communio exhiberi Eucharistica Fidelibus deposcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam PP. Societatis Jesu, tum omnes cujuscumque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandos. Neque possunt excipi Confessiones in Ecclesia, maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est ut illucescat aurora tam pro Confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia ministranda Fdelibus utriusque sexus. S. R. C. 23. Martii 1686.

,, 374. In Sabbato Sancto, etiamsi occurrat Festum Annunciationis B. M. V. celebratio Missarum privatarum omnino prohibetur in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis tam publicis, quam privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine, sed unica tantum Missa Conventualis una cum Officio Sabbati sancti celebretur. S. R. C. 11. Februarii 1690.

,, 375. Quando Festum Annunciationis B. M. V. occurrit in Sabbato sancto, Missæ privatæ celebrari non possunt, & Festum Annunciationis transferendum est ad feriam secundam post Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam, & fixam, juxta Decretum 11. Februarii, & 11. Martii 1690.

,, 376. Quando vero occurrit in feria V. in Cœna Domini, servandum est Decretum generale pro Festo S. Joseph editum 13. Septemb. 1695.

,, 377. In Ecclesiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deest numerus Cantorum, non potest celebrari in Sabbato sancto unica Missa privata loco solemnis, ut in eisdem Ecclesiis fiat benedictio tam luminis, & cerei, quam aquæ, attentis maxime Decretis 11. Februarii, & 11. Martii 1690. prohibentibus celebrationem Missarum privatarum, & unicam tantum Missam Conventualem una cum Officio Sabbati sancti celebrari præcipientibus. S. R. C. 13. Julii 1697. *Benedictus vero XIII. jussit, in omnibus Parochialibus celebrari omnes functiones solemnes, etiam sine numero Cantorum, & Ministrorum; & parvum Cæremoniale pro Ecclesiis minoribus evulgari præcepit anno 1725. ac servari mandavit diebus Purificationis B. M. V. feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, feria V. in Cœna Domini, feria sexta in Parasceve, & Sabbato sancto.*

,, 378. Si in feria III. Rogationum occurrat Festum simplex, in Cathedralibus, & Collegiatis non sunt cantandæ duæ Missæ. S. R. C. 5. Julii 1698.

,, 379. In Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, in quibus fit de duplici primæ classis, non sunt cantandæ duæ Missæ. S. R. C. 5. Julii 1698.

,, 380. In Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, quæ habet privilegium recitandi Officium novem lectionum qualibet hebdomada non impedita, non potest cantari unica Missa feriæ cum commemoratione Officii currentis novem lectionum, quando eo die occurrit feria, quæ habet Missam propriam. S. R. C. 5. Julii 1698.

,, 381. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Ecclesiæ, Missæ

pri-

„ privatæ dicendæ sunt de Requiem, & cantandæ sunt duæ Missæ Conventuales, una scilicet de die octavæ post Tertiam, & altera de Requiem post Nonam, juxta Rubricas: quando vero dies octavæ incidit in Dominicam, omnes Missæ celebrentur de die octavæ, & Commemoratio omnium Fidelium defunctorum transferatur in diem sequentem. S. R. C. 27. Septemb. 1698. *Et per hoc Decretum non derogatur alteri Decreto emanato die 2. Julii 1706.*

„ 382. Quadragesimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo duplici, vel semiduplici, non licet post Primam celebrare Missam prædictarum feriarium, sed servandæ sunt Rubricæ, quæ præscribunt post Nonam. S. R. C. 22. Januar. 1701.

„ 383. Sacerdotes exteri confluentes ad Ecclesias etiam Regularium, in quibus celebratur de Sanctis etiam Ordinis, quando Festum celebratur cum solemnitate, & concursu populi, debent in Missis se uniformare cum Sacerdotibus illius Ecclesiæ etiam Regularium, quoad *Credo*, & numerum Orationum more duplicium; in aliis vero diebus possunt &c. S. R. C. 11. Junii 1701.

„ 384. Sacerdotes etiam Regulares, diebus, quibus propria Officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in Ecclesiis alienis, quando peragitur Festum cum solemnitate, & concursu populi, debent celebrare Missas conformando se ritui, & colori earumdem Ecclesiarum; in aliis vero diebus possunt; sed quando prohibentur Missæ votivæ, vel defunctorum, debent se uniformare saltem quoad colorem. S. R. C. 11. Junii 1701.

„ 385. In prima, & secunda Missa, quæ celebrantur in die festo Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio calicis. S. R. C. 16. Septembr. 1702.

„ 386. Sacerdotes non debent deferre manutergium super calicem, tam eundo, quam redendo ab altari. S. R. C. 1. Sept. 1703.

„ 387. In Ecclesiis, ubi quotidie non cantatur Missa, si occurrat Festum Patroni, seu Titularis, diebus, quibus non potest de eo fieri Officium, potest nihilominus, diebus non exceptis a Rubrica Missalis tit. 6. de Translatione, cantari Missa de Patrono, seu Titulari, licet non cantetur altera Missa concordans cum Officio. S. R. Cong. 23. Augusti 1704.

„ 388. Quando dies Anniversaria Consecrationis Episcopi incidit in Dominicam primæ classis, infra hebdomadam majorem, in die Paschæ, Pentecosten, Nativitatis Domini, vel alio solemniori, non potest dici Missa de dicta Consecratione, sed in ipsa Missa de die fieri debet Collecta pro Episcopo sub unica conclusione, ut disponit Cæremoniale Episcoporum. S. R. C. 4. Aprilis 1705.

„ 389. Missa ad postulandam gratiam bene moriendi demandatur apponenda in Missali Romano post Missam pro remissione peccatorum, & in Rubricis Generalibus in tit. de coloribus Paramentorum, sub colore violaceo. S. R. C. 20. Martii 1706. approbante Clemente XI. 27. ejusdem mensis, & anni.

„ 390. Sacræ Religioni Jerosolymitanæ conceditur, ut in navibus magnis, occasione longæ navigationis in alto mari contra Infideles, quibus navibus rarissime terra attingitur, & sunt magni ponderis, ac firmæ structuræ, ut unaquæque sustineat quinquaginta ænea tormenta bellica, celebrari possit Missa, eo dumtaxat tempore, quo mare est tranquillum, & cœlum est serenum, & cum assistentia alterius Sacerdotis, seu Diaconi, ita ut adesse non possit periculum effusionis Sanguinis in dicta celebratione. Clemens XI. in Diplomate *Exponi Nobis*, *&c.* edito die 22. Martii 1706. in ejus particulari Bullario.

„ 391. Quando per annum fit apud privilegiatos Officium de Immaculata Conceptione, vel sub alio Titulo, vel de S. Maria in Sabbato, vel de Sanctissimo Sacramento, si dicatur aliqua Missa votiva non habens Præfationem propriam, Præfatio debet esse Communis, vel de tempore, si tunc specialis dicatur, non vero ea, quæ est conformis Officio; & servetur Rubrica generalis tit. 12. S. R. C. 16. Junii 1708.

„ 392. Celebratio Missæ solemnis in diebus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & SS. Corporis Christi, spectat privative ad primam Dignitatem, seu ad primum de Capitulo; eo autem absente, vel impedito, non potest alium subrogare in sui locum ad libitum, sed hujusmodi celebratio fieri debet privative ab illo, qui immediate succedit, non vero ab hebdomadario. S. R. C. 23. Martii 1709.

„ 393. Celebratio Missarum in secundis feriis Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, ac in die festivitatis S. Stephani Protomartyris, nec non in die Dominico infra octavam SS. Corporis Christi, spectat ad secundum de Capitulo. S. R. C. 23. Martii 1709.

„ 394. In Ecclesiis, ubi Titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, diebus, quibus juxta Rubricas Missalis de Translatione Festorum possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de festo; in illis Ecclesiis, in quibus non est obligatio cantandi Missam quo-

„ tidie,

„ tidie, cantari potest Missa solemnis votiva de Festo occurrente tantum. S.R.C. 17. Aug. 1709.

„ 395. Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, etiam privilegiati, non possunt in feria VI. Parasceves, occasione SS. Annunciationis in dicta feria occurrentis, celebrare in quavis Ecclesia, seu Oratorio aliquam Missam solemnem, vel privatam, nec facere Festum, nec parare, & ornare Ecclesias, aut altaria, licet dicata Beatissimæ Virgini, etiam Annunciatæ; cum ob dolorosam mortis nostri Redemptoris recordationem tenendæ sint coopertæ Sacræ Imagines, & altaria spoliata; sed tantum debet fieri solita sacra functio, prout præscribit Missale Romanum, in Ecclesiis scilicet, in quibus feria V. in Cœna Domini collocari solet Venerabile in aliquo altari, vel alio decenti loco, vulgo vocato *Sepolcro*: & per hanc prohibitionem pro feria VI. in Parasceve, non ideo possunt in feria V. in Cœna Domini, & Sabbato sancto, celebrari Missæ privatæ, sed solum Conventualis, juxta ritum Sanctæ Ecclesiæ, & iterata Decreta S. R. C. Clemens XI. 15. Martii 1712. in ejus particulari Bullario parte 2.

„ 396. In die Consecrationis, vel Tituli Ecclesiæ Parochialis non Cathedralis, & per octavam, non potest celebrari Missa Dedicationis, seu Titularis sub eodem ritu duplici, ac in Parochiali, etiam in Oratoriis eidem Ecclesiæ Parochiali subjectis, in quibus multi Sacerdotes celebrant. S. R. C. 17. Augusti 1709.

„ 397. Confessario, & Capellanis tantum, quarumcumque Monialium servitio addictis, licitum est Missas Sanctorum, de quibus ipsæ Officium recitant, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Communi, non vero Missas proprias eorum Sanctorum, variis Ordinibus concessas. S. R. C. 20. Nov. 1717.

„ 398. In Festo B. M. V. de Monte Carmelo dicenda est Missa a Sede Apostolica approbata *Gaudeamus* juxta præceptum Benedicti XIII. & in Missali Romano impressa S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 399. Si Festum Purificationis B. M. V. venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, in Ecclesiis dicatis sub titulo Annunciationis, Assumptionis &c. post Benedictionem Candelarum, & Processionem, debet cantari Missa Dominicæ tantum, nec facienda est commemoratio Purificationis B. M. V. S. R. C. 13. Septembris 1704. & 15. Septemb. 1736.

„ 400. Sequentia in Missa Ss. Nominis Jesu est omittenda. S. R. C. 23. Junii 1736. & 16. Februarii 1737. *præterquam ab illis, quibus est expresse concessa, prout concessa reperitur Ordini Minorum.*

„ 401. In Sabbatis Quatuor temporum, vel aliis ad ordines conferendos a jure præstitutis, Episcopus Ordinationem faciens Missam de feria celebrare debet, non autem de Sancto, qui forte diebus illis occurreret. S. R. C. 11. Julii 1739.

Vide Beatus. Commemoratio. Eucharistia. Festum Corporis Christi. Oratio. Oratoria. Parochiale Jus. Processio. Symbolum. Thurificatio. Vicarius.

MISSA CONVENTUALIS.

„ 402. Missæ Conventuales infra octavam Corporis Christi possunt, ubi est consuetudo, cantari sine Diacono, & Subdiacono, excepto die Festo, ac Dominica, & die octava. S. R. C. 15. Martii 1608.

„ 403. Canonici tenentur ad cantandam Missam Conventualem de Officio occurrente, ut lucrentur distributiones; nec ad satisfactionem sufficit Missa in aurora. S. R. C. 25. Junii 1611.

„ 404. Missa Conventualis de Festo, seu de feria currente, omnino cantanda est, non obstante quacumque contraria consuetudine. S. R. C. 28. Januarii 1612.

„ 405. Missa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, non autem ad Vicarium, quando ipse habet tantum curam animarum Parochianorum. S. R. C. 7. Julii 1612.

„ 406. Missa Conventualis de feria in Cathedralibus, & Collegiatis omnino est dicenda, ultra Missam Festi; & abusus sunt reformandi. S. R. C. 16. Januarii 1627.

„ 407. Potest Episcopus cogere Canonicos, ut a Capellanis in Quadragesima cantare faciant Missam Conventualem feriæ cum Diacono, & Subdiacono. S. R. C. 17. Julii 1627.

„ 408. Missa Conventualis non potest celebrari pro Anniversario, sed cantandæ sunt duæ Missæ; in die vero Depositionis dicenda est Missa pro defuncto, non obstante contraria consuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628.

„ 409. Feria secunda post Dominicam Passionis, quando recitatum est Officium defunctorum, non dicitur Missa Conventualis de defunctis, neque Oratio *Fidelium*, quæ in aliis feriis secundis Quadragesimæ non dicitur juxta Rubricas, sed solum Oratio *Omnipotens sempiterne Deus*, quæ est pro vivis, & defunctis, & omittitur tempore Passionis. S. R. C. 11. Julii 1643.

„ 410. In Missa Conventuali, quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum cereis accensis assistere debent; & Diaconus, quoties thurificatur altare, incensum ministrare debet. S. R. C. 5. Septembr. 1648.

„ 411. Mis-

„ 411. Missa Conventualis de feria in Quadragesima, & Adventu, nullo modo potest omitti, quando in eis etiam cadat Festum alicujus Sancti, non obstante contraria consuetudine. S. R. C. 24. Novemb. 1635. *Quod intelligitur etiam de aliis vigiliis, in quibus duæ, vel tres Missæ debent celebrari.*

„ Vide Commemoratio. Missa defunctorum. Missa votiva. Octava.

MISSA DEFUNCTORUM.

„ 412. IN Dominicis, & Festis potest celebrari Missa de Requiem pro defunctis, insepulto Cadavere. S. R. C. 23. Maii 1603. *Quod Decretum intelligitur de Missa solemni, non vero de privatis.*

„ 413. Defunctorum Missæ non sunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus solemnibus. S. R. C. 23. Junii 1607.

„ 414. Anniversaria, & aliæ Missæ pro defunctis certo die dicendæ, eo impedito, possunt transferri in diem sequentem. S. R. C. 27. Septemb. 1608.

„ 415. Quando adest obligatio, & onus faciendi diversa Anniversaria statis diebus, quibus occurrunt Festa duplicia, vel semiduplicia, nec non etiam tempus Quadragesimale, & Quatuor tempora, Missa Conventualis nullo pacto est omittenda, sed utraque Missa est cantanda, altera de die, altera de Requiem, etiam si occurrat Festum duplex, dummodo non sit Festivum de præcepto, ad hoc, ut testatorum voluntates adimpleantur, & licite eleemosyna lucrari possit, ut declaravit 1. Septemb. 1607., S. R. C. 29. Novemb. 1628.

„ 416. Non valentes satisfacere Anniversariis defunctorum in diebus ferialibus, possunt ipsa adimplere in Festis duplicibus, non tamen de præcepto. S. R. C. 11. Junii 1629.

„ 417. Missa ut in die obitus præsente Corpore, ultra Missam de Communi defunctorum, celebranda erit quando aliquis obierit in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum. S. R. C. 14. Aprilis 1646.

„ 418. Missæ exequiales defunctorum in die depositionis defuncti possunt solemniter celebrari diebus, in quibus cadit Festum duplex alicujus Sancti, dummodo Festum non sit de præcepto, juxta Rubricas Breviarii Romani. S. R. C. 19. Septemb. 1654. *Hoc Decretum editum fuit pro Missa solemni celebranda in Ecclesiis, non præsente Cadavere.*

„ 419. Missæ privatæ de defunctis quocumque die celebrari possunt, præterquam in Festis duplicibus, & Dominicis diebus, juxta præscriptum Rubricarum. S. R. C. 15. Februar. 1659. *Adde, & infra octavas privilegiatas, atque in aliis diebus duplicia excludentibus: ex alias resolutis, & ex Rubrica.*

„ 420. Omnibus & singulis Sacerdotibus, tam sæcularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis, etiam necessario exprimendi, districte præcipitur, ut Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præsumant. Quod si ex Benefactorum prescripto Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus suffragium expectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currente, cum applicatione Sacrificii juxta mentem Benefactorum; caveantque Ecclesiarum Rectores, Sacristæ, aliique, ad quos spectat, ut hujusmodi Decretum inviolate servetur, atque in Sacristia affixum retineatur, ut commode ab omnibus celebrare volentibus conspici, & legi possit: in eos autem, qui contrafacere ausi fuerint, vel præmissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tam sæculares, quam Regulares, pro modo culpę animadvertant. S. R. C. approb. Alex. VII. 5. Augusti 1662.

„ 421. Anniversaria, & Missæ cantatæ de Requiem relictæ ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, possunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Augusti 1662. edito non comprehenduntur. S. R. C. 22. Novembris 1664. *Quod Decretum intelligitur de unica Missa de Requiem cantata, non vero de Missis privatis.*

„ 422. In die, quo celebratur Festum duplex, etiam translatum, prohibetur Missa de Requiem, nisi sit pręsens Cadaver: Anniversarium potest anteferri, immo debet; & in feriis majoribus debent omnino cantari duę Missę; & Collectę pro defunctis non admittuntur, nisi in Missis Festorum simplicium, & ferialium. S. R. C. 31. Julii 1665. *Quoad* pręsens Cadaver *intelligitur tantum Missa cantata.*

„ 423. Anniversaria, & Missę de Requiem, quę ex dispositione testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandę, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus inciderit in Festum duplex majus. S. R. C. 20. Julii 1669.

„ 424. Missę de Requiem non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670.

„ 425. Missæ cantatæ mortuorum infra octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsente Cadavere. S. R. C. 12. Septemb. 1671.

„ 426. Durante Expositione SS. Sacramenti occasio-

caſione Quadraginta horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa de Requiem privata, licet occurrat Officium hujuſmodi Miſſas admittens; neque cantari poteſt Miſſa defunctorum pro adimplenda mente teſtatoris, ſive pro anniverſario ſatisfaciendo. S. R. C. 2. Decemb. 1684

427. In Miſſa privata de Feſto ſemiduplici, ſimplici, ſeu votiva, vel de die infra octavam, ſive de feria non privilegiata, poteſt in penultimo loco dici Collecta pro particulari defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus qui nos Patrem*, & ſimiles; ſed ob id non eſt omittenda ulla ex Collectis pro tempore aſſignatis, puta *A cunctis*, vel *Eccleſiæ*. S. R. C. 2. Decembris 1684.

428. Anniverſaria, ſive Miſſæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione teſtatorum pro certis diebus, his impeditis die Dominico, ſeu alio Feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrant Officia de Feſto duplici majori, non tamen de præcepto, præcipue de Sanctis alicujus Ordinis; non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici minore occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi. S. R. C. 4. Maii 1686.

429. Cum primum accipitur nuncium de obitu alicujus in loco diſſito, poteſt cantari Miſſa de Requiem, ut in die obitus, pro ejus anima in Feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citius ſuffragetur animæ defuncti, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici, quatenus adſit obligatio. S. R. C. 4. Maii 1686.

430. In Anniverſario tranſlato ob Feſtum de præcepto non debet variari Oratio *Cujus anniverſarium depoſitionis diem*, ſed recitanda eſt, ut in Miſſali. S. R. C. 4. Maii 1686.

431. Miſſæ privatæ de Requiem Corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem, tamquam abuſum, abolendam juxta diſpoſitionem Rubricæ V. Miſſalis Romani de Miſſa defunctorum num. 2. in fine, & Decreta S. Congreg. & ſignanter generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe, mandavit S. R. C. 10. Januarii 1693.

432. In Eccleſiis, in quibus occaſione Quadraginta horarum expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentius abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum defunctorum, etiamſi ex præſcripto teſtatorum eſſent celebrandæ. S. R. C. 27. Aprilis 1697.

433. In vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſſæ privatæ defunctorum. S. R. C. 13 Julii 1697. & 16. Junii 1708.

434. In Anniverſario occurrente in Feſto duplici ſecundæ claſſis non poteſt cantari Miſſa de Requiem. S. R. C. 5. Julii 1698.

435. In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente corpore, non poteſt cantari Miſſa defunctorum, & multo minus dicenda eſt una Miſſa privata, deficientibus Clericis in choro. S. R. C. 5. Julii 1698.

436. Infra Octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa defunctorum in Anniverſario, & Officio ſolemni. S. R. C. 5. Julii 1698.

437. In die Anniverſarii, & Depoſitionis, non poteſt cantari Miſſa defunctorum, loco Conventualis. S. R. C. 5. Julii 1698.

438. Si Anniverſarium anticipetur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici Miſſa, ut in Anniverſario. S. R. C. 5. Julii 1698.

439. In Eccleſiis Parochialibus, ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici Miſſa de Requiem, quando Anniverſaria ex teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in Feſtum duplex majus; non idem tamen dicendum eſt de diebus tertio, ſeptimo, & trigeſimo, ſed ſervetur Decretum generale editum 5. Auguſti 1662. S. R. C. 19. Junii 1700.

440. Ex privata devotione Parochianorum, petentium ſæpius per annum Anniverſaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis defunctis, poteſt in Eccleſiis ruralibus cantari Miſſa ſolemnis de Requiem in Feſto duplici minori, altera Miſſa cantata de Feſto ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes, dummodo ſermo ſit de die vere Anniverſaria a die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700.

441. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum non poteſt celebrari Miſſa ſolemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701.

442. Prohibitio facta 9. Junii 1668. Sacerdotibus ſæcularibus, etiam Capellanis, quod licet recitaverint Officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, non celebrent Miſſam de Requiem in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit Officium duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto ſui Ordinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium. S. R. C. 11. Februarii 1702.

443. Miſſæ pro defunctis, ſive de Requiem, in Feſtis duplicibus, contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani, nullatenus celebrari debent. Quod ſi ex Beneſactorum inſtitutione Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detri-

men-

„ mento sit, in aliam diem non impeditam „ minime transferantur, sed dicantur de Fe- „ sto occurrente, cum applicatione Sacrificii „ juxta mentem eorumdem Benefactorum. S. „ R. C. 15. Septemb. 1714.

„ 444 Idem intelligendum est de Missis ce- „ lebrandis in altaribus privilegiatis perpetuis, „ & non perpetuis. S. R. C. denuo declara- „ vit 15. Septemb. 1714.

„ 445. Eodem die, & anno S. R. C. de- „ nuo prohibuit Missas votivas, & de Re- „ quiem, infra octavam Corporis Christi, ut „ decreverat 21. Junii 1670. quod idem quoad „ octavam etiam Nativitatis Domini.

„ 446. Quando Anniversarium, seu Officium „ solemne pro animabus omnium defuncto- „ rum Confratrum alicujus congregationis, „ fit in festo ritus duplicis minoris, potest can- „ tari Missa de *Requiem*; secus si occurrat in „ Festo altioris ritus. S. R. C. 8. Martii 1738.

„ 447. Infra octavam Corporis Christi non „ potest cantari Missa de *Requiem* in diebus „ tertio, septimo, trigesimo, & anniversario, „ infra dictam octavam incidentibus S. R. C. „ 8. Martii 1738. *Hoc Decretum habet locum* „ *etiam infra alias octavas privilegiatas, ut* „ *patet ex Decreto superius posito num.* 437.

„ 448. Cum juxta Rubricas Ritualis Roma- „ ni, absque Missa, quantum fieri potest, de- „ functorum Corpora non sint sepelienda; po- „ terit, præsente in Ecclesia Cadavere, unica „ Missa solemnis de *Requiem* celebrari feria „ II. post Pascha, aut Pentecosten. *Vigore hu-* „ *jus Decreti Missa solemnis de Requiem de-* „ *cantari poterit, præsente Cadavere, etiam in* „ *quocumque alio duplici primæ classis, quod* „ *sit minoris vel etiam æqualis solemnitatis cum* „ *prædicta feria II.; & sic derogatur De* „ *creto superius posito*. Hæc tamen Missa „ non decantabitur in duplici primæ classis, „ etiam non festivo de præcepto, si Corpus „ præsens in Ecclesia non fuerit, aut si fuerit „ pridie sepultum. S. R. C. 2. Septembris 1741.

„ 449. In Missis quotidianis, quæ pro defun- „ ctis celebrantur, possunt quidem dici plures „ orationes, quam tres; sed curandum, ut sint „ numero impares. Sicut pro illa *Deus veniæ* „ *largitor* potest subrogari alia, nempe pro Pa- „ tre, pro Matre, &c., dummodo ultimo loco „ dicatur oratio *Fidelium*. S. R. C. 2. Sept. 1741.

„ Vide Altare. Missa. Missa Votiva.

MISSA VOTIVA.

„ 450. RES gravis pro licita votivæ sole- „ mnis decantatione, ea est, pro „ qua convenit Clerus cum Episcopo vel a- „ pud Regulares in eorum Comitiis Genera- „ libus, seu provincialibus, cum cantatur Missa „ pro re, eorumdem judicio, gravi. S. R. C. „ 19. Maii 1607.

„ 451. Tolerari possunt Missæ votivæ cantatæ „ B. M. V. in Sabbato, vel pariter cantatæ de- „ functorum in Festo duplici, quod non est de „ præcepto, ut testatorum voluntates adim- „ pleantur, dummodo non omittatur Missa „ Conventualis. S. R. C. 20. Junii 1607. *Hoc* „ *tamen Decretum intelligitur de Missis canta-* „ *tis in die Anniversario, vel tertio, septimo,* „ *& trigesimo, relictis ex dispositione testato-* „ *rum*.

„ 452. Missæ votivæ jam acceptæ, quæ non „ possunt celebrari diebus impeditis, debent „ celebrari de Festo occurrente, cum applica- „ tione Sacrificii, S. R. C. 19. Maii 1614.

„ 453. Missæ votivæ non possunt suffragari „ pro Missa Conventuali, quæ non potest o- „ mitti, etiamsi cantetur Missa votiva. S. R. „ C. 16. Maii 1626.

„ 454. Ob Missam votivam, seu pro defun- „ ctis, non est omittenda Missa Conventualis, „ neque potest introduci consuetudo in contra- „ rium ritum. S. R. C. 16. Januar. 1627.

„ 455. In diebus, in quibus non potest fie- „ ri de Festo duplici, prohibentur Missæ vo- „ tivæ, & de Requiem. S. R. C. 28. Augusti 1627.

„ 456. Ubi adest consuetudo immemorabi- „ lis cantandi singulis diebus, immediate post „ Primam, Missam votivam de B. V., potest „ exceptis solemnioribus Festivitatibus tolera- „ ri, prout tolerat S. R. C. 19. Novembris „ 1633. *Festa solemniora sunt Dominica prima* „ *Adventus, feria quarta Cinerum, Dominica* „ *prima Quadragesimæ, Palmarum cum tota* „ *majori hebdomada, Resurrectionis, & Pente-* „ *costes cum duobus sequentibus diebus, dies Na-* „ *tivitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis,* „ *Corporis Christi, & dies festi ejusdem B. M.* „ *V., ac dummodo in diebus, in quibus canta-* „ *tur prædicta Missa votiva, cantetur etiam* „ *Missa Conventualis, seu diei festi currentis.*

„ 457. Missæ votivæ, quas ex obligatione „ aliqua Ecclesia tenetur per hebdomadas cele- „ brare certis diebus præscriptis, in quibus „ multoties occurrit Festum de præcepto, de- „ bent transferri in alteram diem feriatam non „ impeditam. S. R. C. 9. Decembris 1634.

„ 458. Missa votiva de B. M. V. in vigi- „ lia Pentecostes non potest dici. S. R. C. 19. „ Augusti 1651.

„ 459. Missæ votivæ de Titulari, & Patro- „ no, non possunt dici cum Gloria, & Credo; „ sed Ordinariis præcipitur, ne quid contra, „ vel præter Rubricarum præscriptionem, „ sub pœnis in Constitutionibus Pontificiis „ contentis, servari permittant; sed tantum- „ modo die tituli quarumlibet Ecclesiarum, &

 Ora-

,, Oratorii, de Sancto Titulari Missa cum Glo-
,, ria, & Credo celebretur. S. R. C. 4. Augu-
,, sti 1658.
,, 460. Missa votiva de B. M. V. cum Gloria,
,, & Credo, sed sine Officio, potest celebrari
,, in aliqua die ob publicam causam, & ra-
,, tione concursus. S. R. C. 8. Junii 1658.
,, 461. Missa votiva solemnis de B. V. potest
,, celebrari in die Dominico, ratione concur-
,, sus populi. S. R. C. 20. Novemb. 1662. *Hoc
,, tamen intelligitur de Dominicis, aliisque Fe-
,, stis non privilegiatis, & dummodo Dominica
,, non incidat in Festum duplex primæ, vel se-
,, cundæ classis, vel infra octavas privilegiatas.*
,, 462. Missa votiva cantata de B. M. V. cum
,, Gloria, & Credo, potest celebrari in die
,, Dominico, causa voti, seu alia causa. S.
,, R. C. 16. Junii 1663. *Hoc tamen non habet lo-
,, cum in Dominicis, & octavis privilegiatis,
,, neque in duplicibus primæ, vel secundæ classis.*
,, 463. Missa votiva, dum cantatur pro re
,, gravi de aliquo Sancto, semper dici debet
,, cum Gloria, & Credo, & cum colore, quo
,, utimur in Festo, cujus Missa cantatur. S.
,, R. C. 13. Augusti 1667.
,, 464. Infra octavam SS. Corporis Christi
,, prohibentur Missæ votivæ quæcumque, vel
,, pro defunctis. S. R. C. approbante Clem. X.
,, 21. Junii 1670.
,, 465. Receptio ad Habitum, & ad Professio-
,, nem Religiosam, sub re gravi numerari non
,, potest, ut ex consuetudine cantari possit Mis-
,, sa votiva solemnis, etiam de Spiritu Sancto,
,, in Dominicis, vel duplicibus; & hic abusus
,, omnino est tollendus. S. R. C. 24. Julii 1683.
,, 466. Missæ votivæ de SS. Sacramento, vel
,, de B. M. V., in cantu fundatæ, dici non
,, possunt in duplicibus, aliisque diebus dupli-
,, cia excludentibus; sed cantari debet Missa
,, de festo currente, cum applicatione Sacrifi-
,, cii, juxta Decretum editum die 19. Maii
,, 1614. sicque satis fieri, & Benefactorum
,, mentem impleri, non obstante quacumque
,, consuetudine in contrarium, declaravit. S.
,, R. C. 24. Julii 1683.
,, 467. Si urgente causa celebranda est Mis-
,, sa votiva infra octavam, quæ habeat Præ-
,, fationem propriam, & Communicantes, in
,, Missa votiva debet dici Præfatio conveniens,
,, Communicantes vero de infra octavam, quia
,, est proprium de illo tempore. S. R. C. 16.
,, Junii 1683.
,, 468. Qui in Sabbato infra aliquam octa-
,, vam B. M. V. recitat Officium de aliquo
,, Sancto eo die occurrente, volens celebrare
,, Missam votivam de B. M. V. tenetur qui-
,, dem dicere Missam festivam cum Gloria,
,, sed sine Credo. S. R. C. 2. Decemb. 1684.
,, 469 Qui in Sabbato recitat Officium de
,, B. V. Volens celebrare Missam votivam de
,, aliquo Sancto, non debet dicere Gloria, ne-
,, que Præfationem B. M. V. sed communem.
,, S. R. C. 2. Decemb. 1684.
,, 470. Non potest Missa votiva de Spiritu
,, Sancto, vel alia, celebrari etiam ab Episco-
,, po pro eligenda Abbatissa, in Festo duplici,
,, vel Dominica. S. R. C. 28. Aprilis 1708.
,, 471. In Vigilia Epiphaniæ non possunt ce-
,, lebrari Missæ votivæ, & de Requiem. S.
,, R. C. 16. Septembris 1730. *Quod etiam pro-
,, hibitum fuit 13. Julii 1697. & 16. Junii 1708.*
,, Vide Commemoratio. Gloria in excelsis.
,, Missa. Oratio. Symbolum.

M I S S A L E.

,, 472. USus Missalis, & Breviarii Roma-
,, ni, semel introductus in aliqua
,, Ecclesia, quæ habebat particulare Missale,
,, & Breviarium, confirmandus est; nec licet
,, redire ad usum antiqui Missalis, & Brevia-
,, rii. S. R. C. 15. Martii 1608.
,, 473. Facultas celebrandi cum Missali Ro-
,, mano pro Capellanis Monialium, intelligi
,, debet pro omnibus, & singulis, qui ex de-
,, bito tenentur celebrare in Ecclesiis ipsarum
,, Monialium, dummodo celebrent cum Mis-
,, sali Romano. S. R. C. 11. Febr. 1702.
,, Vide Capellani.

M O N A C H I.

,, 474. MOnachi Congregationis Cassinensis
,, non sunt ullo modo cogendi re-
,, cedere, nisi ad Processionem Ss. Sacramen-
,, ti, juxta eorum antiquam consuetudinem,
,, quam eis ubique conservandam esse, cen-
,, suit, & declaravit S. R. C. 10. Junii 1602.

M O N I A L E S.

,, 475. IN Communione Monialium, haben-
,, tium fenestrellam in parte Evange-
,, lii, Sacerdos debet descendere, & reverti
,, per gradus anteriores, & non laterales al-
,, taris. S. R. C. 15. Septemb. 1737.
,, Vide Capellani. Dignitas. Missa. Missale.

M O Z Z E T T A.

,, VIde Episcopus. Prælatus.

O B L A T I O N E S.

,, 476. COnsuetudo, ut oblationes, quæ of-
,, feruntur Cruci feria VI. in Pa-
,, rasceve, dentur Magistris Cæremoniarum,
,, servanda est. S. R. C. 29. Novemb. 1603.

OCTA-

O C T A V A.

„ 477. QUi habent privilegium celebrandi „ octavas in Quadragesima „ occurrente die infra octavam in feria IV. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava neque in Laudibus, neque in Missa. S. R. C. 24. Januarii 1682.

„ 478. In diebus infra aliquam octavam occurrentibus in Quadragesima, debent privilegiati dicere Missam Conventualem de feria currente, cum commemoratione octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra octavam. S. R. C. 24. Januarii 1682.

„ 479. Quando occurrit vigilia, aut feria Quatuor temporum infra octavam Conceptionis B. M. V. Officium recitetur de die octava, Missæ vero, sive cantentur, sive legantur, sint de feria, cum secunda Oratione de octava, tertia de Spiritu sancto, quæ semper dicitur infra octavas B. M. V., juxta tit. 9. de Orat. n.7. & 9. nam Oratio quæ ibi præscribitur dicenda secundo loco, ponitur tertio loco, cum præfatione de Octava. At si feria Quatuor temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes Missæ erunt de eadem cum commemoratione feriæ, cujus cantabitur Missa post Nonam sine commemoratione octavæ, cujus cantata fuit post Tertiam. In Missa feriæ Præfatio erit communis. Idem servandum in Quadragesima ab illis, qui habent privilegium faciendi octavam alicujus Sancti. Tempore autem Passionis, quando contingat fieri Officium de infra octavam, unica cantari debet Missa, quæ erit de feria, cum commemoratione diei octavæ; & si Præfatio octavæ erit propria, hæc dici debet in Missa cantata, in qua in choro est genuflectendum. S. R. C. 23. Junii 1736.

„ Vide Beatus. Colores. Missa. Missa Conventualis. Missa defunctorum. Octava.

O F F I C I U M.

„ 480. REcitantes ex concessione Officium „ de Ss. Corpore Christi in quacumque feria V. per annum, non impedita Festo novem lectionum, illud recitare debent ut in die festo ejusdem solemnitatis, Missam vero, ut in votiva. S. R. C. 12. Julii 1664.

„ 481. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum potest fieri Officium de Festo duplici minori, etiam translato, sed Missæ privatæ sunt celebrandæ de Requiem. S. R. C. 5. Octob. 1686.

„ 482. Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis, & dummodo constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martirologio Romano descriptus: de ceteris autem Sanctis in predicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missæ celebrari non debent, non obstante, quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur, quibus tamen, ab Ordinariis Locorum approbatis, debita Fidelium veneratio, prout hactenus servatum fuit, exhibeatur, sed absque Officio, & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in constitutione S. Pii V. contentis. S. R. C. 11. Augusti in Decreto generali ab Inn. XII. approbato 19. Oct. 1691.

„ 483. Si Festum S. Joseph occurrat in feria V. majoris hebdomadæ, ejus officium transferendum erit ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta S. R. C. Ceterum præceptum audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus, non erit transferendum, sed servandum in prædicta feria V. adeoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Missæ privatæ, ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis celebrandæ, pro præcepti adimplemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni illius diei, quo Ecclesia Ss. Eucharistiæ Sacramenti institutionem & memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. S. R. C. 13. Septemb. 1692.

„ 484. Si Officium, & Missa de aliquo Sancto celebrentur in Cathedrali, vel Matrice, seu Parochiali, propter insignem Reliquiam, quæ ibi asservatur, non potest celebrari per Civitatem, sed in ipsa sola Ecclesia, ex Decreto S. R. C. contra abusus edito 8. Aprilis 1628., & impresso in missali Romano, & in Breviario. Si autem Officium concessum sit universo Clero Civitatis de aliquo Sancto, cujus insignis Reliquia asservatur in Cathedrali, vel Matrice, seu Parochiali, tunc Missa cum Symbolo celebranda est in ipsa Ecclesia tantum, in aliis vero Ecclesiis sine Symbolo, ex Rubrica Missalis Romani de Symbolo, juxta Decretum S. R. C. 2. Decemb. 1684. & 10. Jan. 1693.

„ 485. Occurrente dublici minori, etiam translato, in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, Officium faciendum est de Sancto, Missæ vero celebrandæ sunt de Requiem. S. R. C. 19. Junii 1700.

„ Vide Beatus. Commemoratio. Reliquiæ

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

,, 486. OFficium anniversarium, vel septenarium, vel trigenarium defunctorum post obitum, si cadat die Dominico, vel festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. S.R.C.23.Maii 1603.

,, 487. Annua Commemoratio omnium defunctorum alicujus Ordinis, seu Communitatis, non est transferenda, si in illa die occurrat Festum duplex minus, etiam translatum, sed fiet Officium de duplici cum sola Missa solemni post Tertiam; Officium vero defunctorum recitandum erit post laudes sub ritu duplici, & omnes Missæ privatæ dicentur pro defunctis in paramentis nigris. S. R. C. 5. Maii 1736.

,, Vide Exequiæ.

ORATIO.

,, 188. IN Oratione *A cunctis* nomina Patronorum S. Michaelis Archangeli, & Sancti Joannis Baptistæ, præponenda sunt Apostolis. S. R. C. 22. Augusti 1620. *Præponenda pariter sunt Apostolis nomina ceterorum Angelorum, ac S. Josephi, si sint Patroni, vel Titulares.*

,, 489. In Festo primæ classis non dicitur Oratio *Deus refugium* jussa a Superioribus pro re gravi. S. R. C. 28. Augusti 1627. *Nec etiam in Festo secundæ classis, saltem in Missa solemni.*

,, 490 Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de festo simplici, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, veluti *Deus refugium &c.*, sed post tertiam Orationem *A cunctis* potest & imperata dici, cum in Missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva, non sint necessario dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem. S. R. C. 2. Decemb. 1684.

,, 491. Quando occasione belli contra Turcas dicitur Collecta, vel Missa, contra Paganos, non potest mutari nomen Paganorum, dicendo Turcarum, vel Hæreticorum. S. R. C. 30. Julii 1689.

,, 492. Quando Festum Purificationis B. M. V. non celebratur die 2. Februarii, sed transfertur ejus Officium post aliquam Dominicam, vel post Festum semiduplex, vel simplex, in Suffragiis debet dici ℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix*, cum Oratione *Concede nos famulos tuos*, & in Missa, secunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum, cum in fine Completorii diei secundæ Februarii, ex Decreto. S. R. C. 11. Januarii 1681., dicenda sit Antiphona *Ave Regina Cœlorum*. S. R. C. 14. Februarii 1705.

,, 493. Feria III. Rogationum non dicitur secunda Oratio Dominicæ. S. R. C. 25. Septemb. 1706.

494. In Missa votiva SS. Sacramenti tertia Oratio dicenda est ea, quæ secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ est assignata secundo loco infra octavam SS. Sacramenti. S. R. C. 4. Julii 1705.

,, 495. Quando tertia Oratio in Missis est ad libitum, ut cum ex jussu Summi Pontificis, vel Episcopi, debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, seu ad petendam serenitatem, &c., hæc Oratio recitari debet tamquam ex præcepto quarto loco, non omissa tertio loco illa, quæ est ad libitum. S. R. C. 17. Augusti 1709.

,, 496. Diebus Festis fieri debent publicæ Orationes pro novi Episcopi electione, ad formam Concilii Tridentini, & Cæremonialis Episcoporum, licet adsit Episcopus administrator. S. R. C. 22. Augusti 1722.

,, 497. In Missa votiva quæ celebrari aliquando potest infra octavam in Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, vigiliis, & secunda Rogationum, prima Oratio erit de Missa, secunda de octava, tertia de feria, & non dicitur Evangelium feriæ in fine, sed S. Joannis *In principio*. S. R. C. 23. Junii 1736.

,, 498. Ab Orationibus expungenda sunt cognomina, & patriæ Sanctorum. S. R. C. 23. Junii 1736.

,, 499. Translato Festo semiduplici ad vigiliam alicujus Apostoli, in Festi Missa tertia Oratio debet esse *A cunctis*. S. R. C. 15. Septemb. 1736.

,, 500. In Missis ferialibus a Dominica Passionis usque ad feriam V. in Cœna Domini, & infra octavas Paschatis, & Pentecostes, juxta alias resolutiones, occurrente Festo simplici, non est dicenda tertia oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa. 15. Septemb. 1736.

,, 501. Si secunda Oratio est de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia, sive ultima, non debet concludi cum *ejusdem Spiritus Sancti*. S. R. C. 5. Septembr. 1736. Sicuti a pari: Si secunda Oratio dirigitur ad Filium, aut in ipsa de eo fiat mentio, conclusio tertiæ, sive ultimæ, non erit *Qui vivis*, vel *Qui tecum*, vel *Per eundem*, sed *Per Dominum nostrum*.

,, 502. Tertia oratio dicenda ad libitum Sacerdotis, potest esse vel de Sancto vel de Ss. Sacramento, vel de Patrono, vel de Passione, vel pro quacumque necessitate, &c. S. R. C. 2. Septemb. 1741.

Vide

„ Vide Commemoratio. Missa. Missa Conventualis. Missa Defunctorum. Octava. Regulares. Vigilia.

ORATORIA.

„ 503. MIssa in feria V. majoris hebdomadæ non potest celebrari in Oratoriis Confraternitatum, & privatis. S. R. C. 8. Februarii 1653.

504. In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licet Regularibus cujusvis Ordinis, aut instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Jerosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiam si essent Episcopi, celebrare in diebus Paschatis, Ss. Resurrectionis D. N. J. C., aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis: in reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licet, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; atque illam, etiam in casibus permissis, celebrare nequit post meridiem: & in omnibus hujusmodi casibus personæ quæcumque dictas Missas audientes, nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfaciunt. S. R.C.15.Decembr. 1703. approbante Clem.XI.

„ 505. Circa Missarum celebrationem in privatis Oratoriis, & usum altaris gestatorii, quoad disposita a Clemente XI. in Decreto emanato die 15. Decem. 1703., confirmato ab Innocent. XIII. in Constitutione, quæ incipit *Apostolici Ministerii* 13. Maii 1723., & a Benedicto XIII. in Constitutione, quæ incipit *In supremo* 22. Septembris 1724., declaratur a duobus ultimis Pontificibus, quod prohibitio facta Episcopis, ne in domibus laicorum erigere faciant altare pro celebratione Missæ, non intelligenda est de domibus etiam laicis, in quibus Episcopi forte occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiuntur & nec etiam quando Episcopi, in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ habitationis ordinariæ, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis: in his enim casibus licita his erit erectio altaris, ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.

„ Vide Altare. Missa. Parochiale Jus. Regulares.

ORGANUM.

„ 506. ORgana non silent, quando Diaconus, & Subdiaconus utuntur in Missa Dalmatica, & Tunicella, licet Color sit violaceus. S. R. C. 2. Septemb. 1741.

PALLA.

„ 507. IN Sacrificio Missæ non est adhibenda Palla a parte superiori drappo serico cooperta. S. R. C. 22. Januarii 1701.

PALLIUM.

„ 508. ELectus Ecclesiæ Archiepiscopalis non potest exercere Pontificalia in sua Ecclesia ante receptionem Pallii. S. R. C. 28. Augusti 1627.

PAROCHI.

„ 509. PArochi, Superiores Ecclesiarum sæcularium, & Regularium, Sacristæ, & alii, ad quos spectat, non permittere debent, quod Cadavera Ecclesiasticorum sæcularium, præsertim Sacerdotum, sicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum, transferantur ex propriis domibus ad Ecclesias, vel in istis exponantur, cum quocumque alio habitu, sive Confraternitatum, sive Religionum, sed cum sacris Vestibus eorum Ordini convenientibus, juxta dispositionem Ritualis Romani tit. de Exequiis. Clemens XI. 9. Decembr. 1705. in ejus Bullario particulari.

„ Vide Oratoria. Parochiale Jus.

PAROCHIALE JUS.

„ 510. BEnedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non sunt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Jauuarii 1704.

„ 511. Functiones omnes hebdomadæ sanctæ non sunt de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

„ 512. Celebratio Missæ solemnis feriæ V. in Cœna Domini non est de juribus Parochialibus, sed spectat ad Parochos. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704.

„ 513. Prima pulsatio campanarum in Sabbato sancto non est de juribus Parochialibus prout jacet, sed spectat ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

„ 514. Expositio Quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super populo, non est de juribus mere Parochialibus. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

515. Ex-

,, 515. Expositio, quæ fit cum Reliquiis, ,, vel sacris imaginibus, & benedictio, quæ ,, cum eis fit super populo, non est de juribus Parochialibus, & quoad benedictiones ,, cum Reliquiis, & imaginibus, serventur ,, Decreta. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. ,, 12. Januarii 1704.

,, 516. In Oratoriis privatis Confraternitatum ,, per Confratres statis horis recitari possunt Horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque ,, licentia Parochi, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa; & licita est in dictis Oratoriis privatis celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho: Capellani autem Confraternitatum possunt populo denunciare Festivitates, & vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

,, 517. Intra ambitum Ecclesiarum Confraternitatum fieri possunt processiones, juxta ,, cujusvis Confraternitatis institutum, absque ,, licentia Parochorum, & interventu. S. R. ,, C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, ,, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

,, 518. Processiones juxta institutum Confraternitatum fieri non possunt extra ambitum ,, earum Ecclesiarum absque licentia illorum ,, Parochorum, per quorum territorium transeundum est, nisi adesset licentia Episcopi; ,, & extra propriam Ecclesiam non possunt Capellani dictarum Confraternitatum in iisdem ,, Processionibus deferre stolam. S.R.C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

,, 519. Non potest Parochus, cessante alio ,, speciali, ac legitimo titulo, & ex solo jure ,, Parochialitatis, compellere Ecclesiarum, & ,, Confraternitatum Rectores, & Capellanos ,, invitos, ad assistendum functionibus Ecclesiæ ,, Parochialis. S. R. C. 10. Decemb. 1703. in Decreto generali approbante Clem. XI. 12. Januarii 1704.

,, 520. Capellani Societatum non possunt prohiberi a Parocho celebrare Missam ante Missam ,, Parochialem. S. R. C. 11. Novembris 1641.

,, 521. Parochi jurisdictio supra Cadaver durat, quousque transeat in aliorum jurisdictionem: non transit autem Cadaver in jurisdictionem Regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiæ. S. Conc. C. ,, 28. Februarii 1708., & 26. Martii 1711. Et ,, sicut non licet Parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiæ Regularium, consuetas ,, recitare preces supra Cadaver; ita non poterunt Regulares (etiam rogati a parentibus defuncti, vel a quolibet alio) antequam vere, ,, & realiter sit Cadaver intra limites propriæ ,, jurisdictionis, super illud absolvere, deposito feretro in vico; qui actus ad summum ,, unice spectaret ad Parochum. S. R. C. 2. ,, Septembris 1741.

PASSIO DOMINI.

,, 522. PAssio in Missis privatis legi debet a ,, Celebrante in cornu Evangelii, licet in Missa solemni legatur in cornu Epistolæ. S. R. C. 4. Augusti 1663.

PATENA.

,, 523. SIgnum, quod fit cum patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo ,, Crucis, post quod debet deosculari. S. R. C. ,, 13. Martii 1627.

,, 524. Patenæ suppositio per Sacerdotem cotta ,, indutum in Communione generali, quæ per ,, Dignitates agitur, licita est. S. R. C. 3. Septemb. 1661.

,, 525. Patena ad Missam in extremitate, ,, seu ora patenæ, congruentius est exosculanda. S. R. C. 24. Julii 1683.

PAX.

,, 526. USus semel introductus juxta regulas Libri Cæremonialis, servandus ,, est, & Pax cum osculo omnibus viris Ecclesiasticis in choro sedentibus danda est. S. ,, R. C. 8. Julii 1602.

,, 527. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt ,, Pacem ab Episcopo celebrante statim post ,, Diaconos assistentes, si in Missa Communionem non recipiunt. S. R. C. 15. Martii 1608.

,, 528. Diaconus non debet dare Pacem laicis, neque Domino Loci, sed ipsa spectat ad ,, alium Ministrum cotta indutum, & cum instrumento, non vero cum osculo. S. R. C. ,, 5. Julii 1614.

PILEOLUS.

,, 529. FAcultas concedendi usum pileoli in ,, Missa spectat ad Papam. S. R. C. ,, 24. Aprilis 1626.

,, 530. Parocho reumate laboranti, & Ss. Sacramentum infirmis deferenti, solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra ,, Civitatem, vel Oppidum. S. R. C. 5. Martii 1633. Et ita remisit arbitrio Episcopi usum ,, pileoli, ad tenorem dicti Decreti, eadem S. ,, C. 10. Januarii 1693.

,, 531. Parochis ministraturis Ss. Sacramenmentum infirmis non est licitum de die, neque de nocte, uti parvo pileolo in delatione ejusdem per Civitatem, sub prætextu alicujus infirmi-

„ firmitatis, absque speciali S. Sedis licentia. „ S. R. C. 13. Augusti 1695.

PYXIS.

„ 532. PYxis, in qua proprio velo cooperta defertur Ss. Viaticum infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S. R. C. 21. Martii 1699.

„ Vide Benedictio.

PŒNITENTIARIUS.

„ 533. CAnonicus Pœnitentiarius non potest cogi ad ministrandum pro Diacono, & Subdiacono, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. S. R. C. 21. Januarii 1673.

PRÆBENDA.

„ 534. POsita Præbendarum distinctione in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, qui de novo obtinuerit Presbyterales, præcedere debet habentes Diaconales. S. R. C. 17. Junii 1606.

„ 535. Quamvis Præbendæ non sint distinctæ, convenit tamen, ut fiat distinctio pluviatium, planetarum, & dalmaticarum, in Festis solemnioribus. S. R. C. 15. Martii 1608.

„ Vide Canonicus. Dignitates.

PRÆCEDENTIA.

„ 536. CAnonicus, vel Dignitas, factus Episcopus cum retentione Canonicatus, vel Dignitatis, debet præcedere omnibus Dignitatibus, & Canonicis, etiam ipso antiquioribus. S. R. C. 24. Septemb. 1605.

„ 537. Inter Canonicos Presbyteros nulla datur præcedentia, nec præeminentia ratione Doctoratus, sed tantum ratione Ordinis, & antiquitatis. S. R. C. 19. Martii 1611.

„ 538. Præcedentia inter Presbyteros sumitur ex antiquitate Ordinis, non vero ex gradu Doctoratus; quia Presbyteratus Ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus. S. R. C. 30. Martii 1621.

„ 539. Præcedentia competit Dignitatibus, & Canonicis paratis, super Vicarium Generalem; neque consuetudo, immo vero abusus, suffragatur. S. R. C. 27. Septemb. 1621.

„ 540. Prima sedes in choro conceditur hebdomadario parato tantum. S. R. C. 22. Augusti 1626.

„ 541. Ubi adest Sodalitas Ss. Sacramenti, competit ei præcedentia super alias Confraternitates in omnibus Processionibus, in quibus defertur Ss. Sacramentum. S. R. C. 12. Julii 1628. *Vide tamen Decretum v.* Confraternitas, 10. *Maii* 1608.

„ 542. Præcedentia semper danda est supra Dignitates, & Canonicos, Vicario Generali, tam absente, quam præsente Episcopo, ut declaravit. S. R. C. 23. Martii 1602. & 7. Augusti 1628.

„ 543. Archiepiscopo, uti Archiepiscopo, pro majoritate gradus competit præcedentia supra Episcopum præsentem in Civitate Metropolitana, & Diœcesi. S. R. C. 29. Januarii 1656.

„ 544. Archiepiscopi, & Episcopi Titulares, existentes in aliena Diœcesi, debent præferri Archiepiscopis, & Episcopis consecratione junioribus, nec non aliis Episcopali charactere senioribus, seu gradu Archiepiscopali posterioribus, extra tamen Ecclesiæ ambitum; intra quam Ordinario privative quoad omnes Archiepiscopos, & Episcopos, etiam seniores, præcedentia competit. S. R. C. 8. Aprilis 1656.

„ 545. Capellanus Curatus ratione stolæ in funeribus debet præcedentiam habere super alios quoscumque Sacerdotes Curatos, simplici cotta indutos. S. R. C. 10. Junii 1656.

„ 546. Archipresbytero, seu Dignitati, vel Canonico, qui alteri Archipresbyteratum, seu Canonicatum resignavit, non competit præcedentia super alios Sacerdotes seniores; quia nulla qualitas Archipresbyteri, Dignitatis, seu Canonici, ei remanet post renunciationem. S. R. C. 7. Septembr. 1658.

„ 547. Præcedentia debetur Coadjutori Canonici Ordinis Presbyteralis non adhuc Sacerdoti, sed in minoribus Ordinibus constituto, & pro suo Coadjuto Ecclesiasticis functionibus, & choro interessenti; Canonici quoque Ordinis Diaconalis in minoribus Ordinibus, vel in sacro tantum Diaconatus Ordine constituti, debent præcedere Canonicis Ordinis Subdiaconalis in Presbyteratus Ordine constitutis. S. R. C. 31. Maii 1670.

„ Vide Canonicus. Collegiata. Confraternitas. Curatus. Dignitas. Episcopus. Processio. Protonotarius. Sessio. Vicarius.

PRÆFATIO.

„ 548. SI Festum Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis Sanctæ Crucis, aut S. Joannis ante Portam Latinam, occurrerit infra octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce, sed Communicantes de Ascensione. S. R. C. 28. Augusti 1627.

PRÆLATUS.

„ 549. PRælati Episcopis inferiores, qui Pontificalium usu fruuntur, super altari, in quo Sacra erunt facturi, septimum nequaquam debent apponere candelabrum. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659.

„ 550. Prælati Episcopis inferiores Cathedram seu sedem fixam, & permanentem, in eorum Ecclesiis non debent detinere, sed tribus ipsis diebus,

„ diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodo Pontificaliter celebrare est eis permissum, mobili sede, seu Cathedra, uti debent, quam nihilominus simplici serico panno, coloris Festivitati congruentis, obducere possunt, non auro contexto, aut phrygio, sive basilico opere exornato. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decr. gener. §. 2.

„ 551. Prælati Episcopi inferiores Baldachinum adhibere supra sedem possunt, non autem pretiosum, aut aureum, sed simplex, & eo, quod altari superimponitur, materia, & opere inferius; & ad ipsum per duos tantum gradus, in superficie presbyterii stratos, ascendatur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decreto gener. §. 3.

„ 552. Prælati Episcopis inferiores Abacum alium parare non possunt, præter parvam mensam, in cornu Epistolæ, in qua duo candelabra cum candelis, nec non mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, & reliqua ad celebrandum necessaria, collocentur; prope vero mensam eamdem parieti hærens baculus Pastoralis aptetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto gener. §. 4.

„ 553. Dies, in quibus solemniter Prælatis Episcopo inferioribus celebrare conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii, in quibus ipsos Pontificaliter celebrare, Festivitatis ratio exigat; nempe Patroni Loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, & Dedicationis Ecclesiæ; abstinere autem debent ab hujusmodi Pontificalium usu in Officiis; & Missis defunctorum quocumque die, etiam festivo, & de præcepto. S. R. C. coram Alexandro VII. 17. Septembr. 1659. Decreto gener. §. 5.

„ 554. Prælati Episcopis inferiores ad Ecclesiam accedentes, licet Pontificaliter Divina peracturi, & iisdem absolutis ab altari recessuri, a suis Canonicis, vel Monachis, ut mos est Episcoporum, non possunt associari. S. R. C. coram Alexandro VII. 17. Sept. 1659. in Decreto gener. §. 6.

„ 555. Prælatis inferioribus præter duos Sacrificii Ministros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epistolæ, duo alii tantum Diaconi cum dalmaticis, & unicus Presbyter cum pluviali, assistere debent; duo insuper Capellani pro mitra, & baculo, & totidem Acolythi pro candelabris, debent inservire; præterea sex alii Canonici, vel Monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti, Divinis hujusmodi interesse valeant; qui tamen non in sedibus, seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus, panno viridi laneo coopertis, ritu congruo accomodatis, moxque illinc removendis, consedere debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembri 1659. in Decr. gener. §. 7.

„ 556. Prælati Episcopis inferiores mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, adhibere minime possunt, sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant, baculum Pastoralem albo velo appensum deferre debent; ab hisque, & aliis Pontificalibus, etiam de Ordinariorum licentia, extra Ecclesias sibi subjectas prorsus abstinere debent, & neque in Processionibus, quæ ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur, insigniis prædictis uti possunt, vel penes se præferri facere. S. R. C. coram Alexandro. VII. 27. Sept. 1659.

„ 557. Prælati Episcopis inferiores, invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valent; nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti, in propriis Ecclesiis uti possunt privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis, indulto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Sept. 1659.

„ 558. Prælati Regulares Rocchettum deferre non valent, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum hujusmodi competat. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Septembr. 1659.

„ 559. Prælati Episcopis inferiores sacras vestes ex altari sumere non possunt, nisi Pontificaliter Divinis vacaturi. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembr. 1659.

„ 560. Indulgentias impertiri, vel publicare non debent Prælati inferiores Episcopis, absque expresso S. Sedis indulto. S. R. C. coram Alexand. VII. in Decr. gener. §. 12.

„ 561. Prælatis Episcopis inferioribus Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, nec non in Vesperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis, licitum est impertiri; privatim enim populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes, impertiri benedictionem præsumere non debent. S. R. C. coram Alexand. VII. 27. Septemb. 1659.

„ 562. Præsente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicæ permissu Prælati Episcopo inferiores, etiam Pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessare debent. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Septemb. 1659.

„ 563. Si Episcopus aderit in Ecclesiis Prælatorum inferiorum, vel Abbatialibus, sedes in cornu Evangelii, uno saltem gradu eminentior sede Abbatiali, est erigenda, hæcque altero gradu humilior in cornu epistolæ collocari debet: a latere Episcopi Canonici Cathe-

„ dralis,

„ dralis, prope Abbatem Canonici, vel Mo-
„ nachi Monasterii, & Abbatialis Ecclesiæ con-
„ sedere debent: Confessionem cum Celebran-
„ te Episcopus facere, isque thus thuribulo
„ imponere, Evangeliorum textum osculari,
„ & populo solemniter (quamvis Abbas ipse
„ Pontificaliter celebret) benedicere debet:
„ Episcopus præterea trino ductu, & imme-
„ diate Canonici Cathedralis duplici, moxque
„ Abbas, nisi celebret, duplici ductu, & sub-
„ inde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ec-
„ clesiæ unico tantum ductu, thurificari de-
„ bent. S. R. C. coram Alexand. VII. 27.
„ Septemb. 1659.

„ 564. Episcopi abstinere debent, ubi con-
„ suetudo contraria non viget, a frequenti ac-
„ cessu ad Ecclesias exemptas, pro sacris fun-
„ ctionibus assistendo, ut liberius Abbates va-
„ leant suis uti privilegiis. S. R. C. coram
„ Alexandro VII. 27. Septemb. 1659.

„ 565. In Ordinationibus Canonicorum,
„ Clericorum, Monachorum, nec non in ve-
„ stitionibus Monialium, & emissione Profes-
„ sionis earumdem, etiam pleno jure Prælatis
„ inferioribus subjectarum, in benedictionibus
„ sacræ supellectilis, ceterisque actibus, ac Mis-
„ sarum, Vesperarum, & Matutinorum sole-
„ mniis, ter tantum in anno, ut præfertur,
„ exceptis, neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliis-
„ que locis tam publicis, quam privatis, quan-
„ tumvis exemptis, & eisdem Abbatibus ple-
„ no jure subjectis, mitram, baculum, &
„ quævis alia Pontificalia insignia, nisi de ex-
„ pressa Sedis Apostolicæ concessione, adhibe-
„ re non debent. S. R. C. coram Alexandro
„ VII. 27. Septemb. 1659.

„ 566. Prælati Episcopis inferiores Ecclesia-
„ sticam supellectilem pro servitio duntaxat
„ suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum,
„ benedicere valent. S. R. C. coram Alexand.
„ VII. 27. Septemb. 1659.

„ 567. Prælati Episcopis inferiores aliqua
„ Pontificalia, extra loca ipsis subjecta, vel
„ pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subdi-
„ tos pariter alienos, etiam de licentia Ordi-
„ nariorum, exercere non possunt, puta campa-
„ narum benedictiones, calicum, & similium,
„ in quibus sacra adhibetur unctio; nec non
„ minorum Ordinum collationes. S. R. C. co-
„ ram Alexandro VII. 27. Sept. 1659.

„ 568. Prælati inferiores Concionatoribus,
„ qui coram subditis verbum Dei prædicandi
„ onus acceperint, benedictionem elargiri præ-
„ sumere non debent, sed Episcopis, quibus
„ jus ejusmodi privative competit, omnino
„ dimittant. S. R. C. coram Alexandro VII.
„ 27. Septembris 1659.

„ 569. In Missis privatis quoad indumenta,
„ cæremonias, Ministros, altaris ornatum, &
„ benedictionis largitionem, a simplici Sacer-
„ dote Prælati inferiores discrepare non debent;
„ ac proinde sacras vestes induere debent in
„ Sacristia, neque uti possunt Cruce pectora-
„ li, unico tantum contenti Ministro sint,
„ aquam cum pelvi, & urceolo argenteis sibi
„ ministrare minime facere possunt, duasque
„ tantum candelas super altare adhibere valent.
„ S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septem-
„ bris 1659.

„ 570. Locorum Ordinarii auctoritate Sedis
„ Apostolicæ possunt, immo debent, Abbates,
„ & Prælatos Episcopis inferiores, qui usu
„ Pontificalium gaudent, tum Sæculares, tum
„ Regulares, quantumvis exemptos, & spe-
„ ciali expressione indigentes, etiam per cen-
„ suras, compellere ad omnimodam observan-
„ tiam rerum præscriptarum circa moderatio-
„ nem Pontificalium. S. R. C. coram Alex.
„ VII. 27. Septemb. 1659.

„ 571. Cum nonnulli ex Abbatibus, & Præ-
„ latis inferioribus proprium habeant territo-
„ rium, & jura Episcopalia, nullisque subdan-
„ tur Episcopis, qui eos coercere, si excesse-
„ rint, valeant; eo casu a Sedis Apostolicæ
„ Nuntiis, si adsint, sin minus ab Archiepi-
„ scopis, in quorum Provinciis, & ab Epi-
„ scopis Romano tantum Pontifici subjectis,
„ intra, vel prope quorum Diœcesis limites eo-
„ rum Ecclesiæ, vel Monasteria sita sunt, tam-
„ quam a S. Sede delegatis, ad hujusmodi De-
„ cretorum observationem prædicti omnino
„ debent cogi. S. R. C. coram Alexandro VII.
„ 27. Septemb. 1659.

„ 572. Prælato Episcopis inferiori, vel cui-
„ cumque alio gaudenti usu Pontificalium, non
„ licet benedicere Concionatorem, qui con-
„ cionem est habiturus, dum ipsemet Missa-
„ rum solemnia Pontificali modo peragit; quia
„ post Concilium Tridentinum prohibentur
„ hujusmodi benedictiones, etiam post Decre-
„ tum emanatum 27. Septembris 1659. circa
„ usum Pontificalium. S. R. C. 12. Junii 1660.

„ Vide Benedictio. Præcedentia.

PRÆPOSITUS.

„ 573. PRæpositus Cathedralis absente Epi-
„ scopo non debet thurificari triplici
„ ductu, neque præsente Vicario Generali.
„ Ubi ob deficientiam sedium fixarum chori
„ Canonici sedent in scamnis, sive in functio-
„ nibus sacris, sive in congressibus Canonica-
„ libus, præsente, vel absente Episcopo, de-
„ bent sedere in illis primo loco, nec eidem
„ apponenda est sedes cameralis. In diebus
„ solemnibus, eodem Præposito Sacrum facien-
„ te non possunt exponi in gradibus Abaci pel-
„ vis, gutturnium, & manutergium in lance

„ pro *Lavabo*, duobus Mansionariis, vel Clericis cum cotta ministrantibus, sed debet celebrare ad instar aliorum Canonicorum. In „ Processionibus vero debetur eidem Præposito Candela majoris ponderis, & in distributione Palmarum distincta, & honorabilior „ Palma, quam ceteris Canonicis. Assistentibus autem in choro Vicario Generali, & eodem Præposito, præcedere debet Vicarius, „ non Præpositus; secus vero si Præpositus sit „ indutus sacris vestibus, aut si Vicarius sit „ Canonicus, & intersit in choro habitu Canonicali. Dum vero Præpositus induitur vestibus choralibus, tolerari non potest, ut ei „ inserviat unus ex Mansionariis, neque aliquis ex illis debet ei deferre Breviarium ad „ suum stallum, nec debentur ei Paramenta „ sacra, & nobiliora, in loco distincto a Canonicis, & tenetur per seipsum, quando „ non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro, & canere Missas per turnum cum ceteris Canonicis. S. R. C. „ 21. Aprilis 1736.

P R E C E S.

„ 574. PReces ordinatæ ad impetrandam pluviam non sunt recitandæ inter Missarum solemnia, ne Missæ Sacrificium interrumpatur. S. R. C. 11. Junii 1605.

P R I M I C E R I U S.

„ 575. PRimicerius, licet dubitetur an sit Dignitas, debet in Processionibus capere pluviale sicut Dignitas, & non planetam „ sicut Canonicus. S. R. C. 28. Aprilis 1607.

„ 576. Primicerii a chori assistentia, & directione non sunt amovendi; sed ad Canonicos immediate digniores spectant, post præfatos Primicerios, Vesperarum, & Missarum „ solemnia, ut unusquisque proprio muneri incumbat. S. R. C. 8. Junii 1638.

„ 577. Primicerii, quatenus intersunt, privative quoad alios debent dirigere chorum; „ qui tamen non possunt uni, vel pluribus eorum absentibus, subrogare eorum muneri simplicem Sacerdotem, sed eorum vices supplere debent Canonici, eosque adjuvare in canendis antiphonis: & quando Primicerii sunt „ secundæ Dignitates, debent assistere Episcopo, in Ecclesia Collegiata Diœcesis Pontificaliter celebranti; non tamen, quando sunt „ secundæ Dignitates, tenentur assistere in Officio Diaconi, & Subdiaconi Archipresbytero primæ Dignitati, functiones solemniter „ peragenti. S. R. C. 24. Novembr. 1631.

P R O C E S S I O.

„ 578. CÆremonialis liber nec Laicis, nec Clericis prohibet, quominus in „ Processione Ss. Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accensas. S. R. C. 12. „ Aprilis 1603.

„ 579. Si Processio Litaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur „ ibi Missa de S. Marco, non vero de Rogationibus. S. R. C. 23. Maii 1603.

„ 580. Clerici Seminarii debent in Processionibus primi incedere ante Clerum secularem, & relinquere locum digniorem Curatis. S. R. C. 1. Septemb. 1607.

„ 581. In Ecclesiis Confraternitatum licitum est Confratribus, & respective Capellanis facere solitas Processiones, non „ tamen eo tempore, quo fiunt in Parochiali, visitare in Processione alias Ecclesias, tempore Quadragesimæ & Adventus „ de licentia Episcopi audire in his Ecclesiis „ concionem, benedicere Palmas, Ignem, „ & Aquam in Sabbato sancto; ante Matricem tamen non sunt pulsandæ a Confratriis campanæ in eodem Sabbato sancto. S. „ R. C. 9. Februarii 1608.

„ 582. Potest Episcopus compellere Regulares, etiam per censuras, ut accedant ad „ publicas Processiones. S. R. C. 27. Julii 1609.

„ 583. Nullo modo convenit, ut Magister „ Capellæ incedat in Processionibus cum Beneficiatis, sed quacumque consuetudine, „ vel usu non obstante, debet incedere cum „ suis Cantoribus immediate post Crucem ante ipsos Beneficiatos, vel in loco, ubi ab „ Episcopo ordinatum fuerit. S. R. C. 20. „ Novemb. 1610. & 15. Januarii 1611.

„ 584. Reliquiam deferre in Processionibus „ pertinet ad Superiorem Conventus, unde „ Reliquia assumitur, qui cum Ministris paratis ultimo loco incedere debet; sed Regulares debent in dictis Processionibus cedere digniorem locum Clero Sæculari. S. „ R. C. 23. Januarii 1610.

„ 585. Rectores Ecclesiarum Parochialium „ in Processionibus non debent incedere inter Dignitates, & Canonicos, sed separatim cum suo Clero, & ante Clerum Cathedralis. S. R. C. 12. Maii 1612.

„ 586. Non possunt Regulares Processiones facere extra Ecclesiam in feria V. in „ Cœna Domini; nec in Festo Corporis „ Christi extra eorum Jurisdictionem, & per „ Parochiam alienam. S. R. C. 11. Decembris 1613.

„ 587. Fra-

„ 587. Fratres Prædicatores nequeunt in suis „ Processionibus Ss. Sacramenti, Dominica infra octavam Corporis Christi, mutare viam „ semel a principio electam. S. R. C. 14. „ Novembris 1615.

„ 588. Priores Confraternitatis Ss. Sacramenti non ante Baldachinum post Capitulum, „ sed a latere Baldachini, in Processione Sanctissimi Sacramenti debent incedere. S. R. „ C. 30. Januarii 1616.

„ 589. Delatio Ss. Sacramenti in ejus die festo, absente Episcopo, spectat ad Dignitates, seu Canonicos Cathedralis, atque ab „ eadem Cathedrali Processio debet inchoari, „ & ibi finire. S. R. C. 19. Augusti 1616.

„ 590. Regulares deferre debent Crucem in „ Processionibus cum velo pendente, seu pallio. S. R. C. 14. Januarii 1617.

„ 591. Ubi habitus Dignitatum est distinctus, & diversus ab habitu Canonicorum, „ quamvis Canonici sint impares numero, „ non sunt conjungendæ Dignitates cum Canonicis in Processionibus, sed tres ultimi „ digniores, tam ex illis, quam ex istis, incedant simul in eadem riga. S. R. C. 3. „ Junii 1617.

„ 592. Si ad Processiones Cathedralis sine „ Sacramento plures conveniant capitulariter „ Ecclesiæ Collegiatæ, harum Dignitates incedere debent cum suis Capitulis sine pluvialibus. S. R. C. 29. Januarii 1628.

„ 593. In Ecclesiis Regularium habentibus „ claustra, fiant processiones intra claustra tantum; si vero non habent claustra, fiant prope muros Ecclesiæ, sive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Ecclesiæ portam, „ sive per eamdem. S. R. C. 26. Februarii 1628.

„ 594. Extra aditum Ecclesiæ non licet Regularibus facere Processiones, nisi de licentia, & consensu Parochi, salvis Privilegiis, „ si quæ sint. Processiones vero Confraternitatum non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt. S. „ R. C. 26. Februarii 1628.

„ 595. Canonici Regulares possunt in publicis Processionibus uti Rochetto, & superpelliceo. S. R. C. 28. Augusti 1624.

„ 596. Non licet mulieribus comitari Processiones per claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit expressa licentia Sedis Apostolicæ. S. R. C. 30. Septembris 1628. & Benedictus XIV. 3. Januarii 1742.

„ 597. Episcopus in publicis Processionibus „ cum Cappa, & bireto, non inter Dignitates, sed solus incedere debet: quod si deferatur aliqua Imago, seu Reliquia, ipse cum „ Cappa, & bireto debet incedere post Imaginem, seu Reliquiam, nisi adsit consuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Novembris 1628.

„ 598. Vicarius Generalis in publicis Processionibus, absente, & præsente Episcopo, „ debet ultimo loco incedere inter Canonicos, „ seu Dignitates; dummodo non adsit consuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Decemb. 1628.

„ 599. Si Episcopus in Processione Ss. Sacramenti non deferat Ss. Sacramentum, vel „ non interveniat, Canonici tamen Cathedralis induant sacras vestes. S. R. C. 27. „ Martii 1628.

„ 600. Mulieres de cetero non possunt occasione Processionum ingredi septa Monasteriorum Regularium, sub pœnis, quibus comprehenduntur Regulares permittentes fœminas ingredi septa eorum Monasteriorum. „ S. R. C. 5. Julii 1631. Hujusmodi ingressum „ pariter prohibuit Benedictus XIV. in sua „ Constitutione, quæ incipit *Regularis disciplinæ* 3. Januarii 1742.

„ 601. Jus deferendi Ss. Sacramentum, & „ Reliquias in Processionibus, spectat ad hebdomadarium Missarum solemnium peragendarum post Processionem, vel ad illum, „ qui immediate ante Processionem eadem „ peregerit, privative quoad reliquos, etiam „ Dignitates, & seniores Canonicos, tam absente, quam nolente Episcopo prædicta munia subire. S. R. C. 26. Januarii 1658.

„ 602. In Processionibus Ss. Sacramenti, „ quæ occasione Quadraginta horarum fiunt „ per Ecclesias, debent processionaliter incedentes ante Sacramentum, in occursu, & „ transitu a latere ejusdem, facere genuflexionem, dummodo in transitu videatur. S. „ R. C. 1. Martii 1681.

„ 603. In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt per Ecclesiam sine Ss. Sacramento, non est pulsanda Campanula ad elevationem Hostiæ in „ Missa privata: quod si pulsetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum est „ utroque genu a transeuntibus ante altare, „ ubi Missa celebratur, & deposito Ss. Sacramento, progrediendum est; similiter si alii „ transeant in elevatione calicis. S. R. C. 1. „ Martii 1681.

„ 604. In Processionibus, quæ fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, præcedentia „ debetur Beneficiatis ejusdem supra Parochos. S. R. C. 2. Octobris 1683.

„ 605. Hoc Decretum ita intelligitur, quando „ Parochi non sunt de gremio illius Capituli, „ secus vero si Parochi habent stallum in choro, & sunt de gremio Capituli illius, ut „ declaravit S. R. C. 22. Augusti 1688.

„ 606. In Processione solemni Ss. Sacramen-

„ ti,

„ ti, quando Processio sistit, Sacerdos cele-
„ brans, Diaconus, & Subdiaconus, non de-
„ bent sedere neque in scamno, neque in se-
„ dibus, etiamsi deferantur ad ornatum tan-
„ tum. S. R. C. 21. Januarii 1690.

„ 607. In Processionibus, in quibus defer-
„ tur Sanctissimum Sacramentum, vel Lignum
„ Crucis, tam Clerus, quam sæculares, de-
„ tecto capite incedere debent; in aliis ve-
„ ro Processionibus, in quibus deferuntur
„ Reliquiæ, vel statuæ Sanctorum, tunc sæ-
„ culares, & Ecclesiastici, qui eas deferunt,
„ detecto capite, alii vero Clerici possunt in-
„ cedere tecto capite cum bireto; quando ve-
„ ro non gestantur Reliquiæ, Magistratus ad
„ instar Cleri potest incedere capite cooper-
„ to. S. R. C. 2. Septemb. 1690.

„ 608. Si in die S. Marci post Processionem
„ in Ecclesia minori, seu non Collegiata,
„ cantetur unica Missa, ipsa debet esse de Ro-
„ gationibus, & servanda est Rubrica Missalis
„ Romani, posita ante Missam Festi S. Mar-
„ ci, ubi præscribitur, quod de prædicto San-
„ cto cantanda est Missa tantummodo quando
„ Processio terminatur ad Ecclesiam eidem
„ Sancto dicatam; quemadmodum cavetur in
„ Cæremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 32. &
„ decrevit Sacra Congreg. 23. Maii 1603. &
„ alias pluries. S. R. C. 10. Januarii 1693.

„ 609. Ubi est Confraternitas Ss. Sacramen-
„ ti, quando in una Dominica cujuslibet men-
„ sis fit Processio intra, vel extra Ecclesiam;
„ cum Ss. Sacramento, debet dici Missa de
„ Dominica. S. R. C. 19. Januarii 1693.

„ 610. Absque pluviali non licet in die, &
„ infra octavam Ss. Corporis Christi, perage-
„ re Processionem cum Ss. Sacramento; non
„ potest tamen cogi, ut ejus expositio fiat cum
„ pluviali. S. R. C. 22. Januarii 1701.

„ 611. Ubi adest consuetudo immemorabilis,
„ licitum est Spinam Coronæ D. N. J. C. præ-
„ sertim in Parasceve, capite aperto sub bal-
„ dachino processionaliter deferre. S. R. C.
„ 12. Julii 1704.

„ 612. Parochi, Capellani Confraternita-
„ tum, Sacerdotes, aliique Ecclesiastici, qui
„ cotta induti interveniunt Processionibus fu-
„ neralibus, deferant, sicut in aliis Proces-
„ sionibus, biretum Sacerdotale, non vero pi-
„ leum, excepto tempore pluviæ, & noctis,
„ prout disponit Rituale Romanum tit. de
„ Processionibus, & ut sæpe resolvit S. R. C.
„ quæ quidem pilei prohibitio non solum est
„ pro Ecclesiastico sæculari, sed etiam pro
„ Regulari, licet sint Parochi cotta induti.
„ Clemens XI. 9. Decembris 1704. in ejus
„ Bullario particulari part. 2.

„ 613. Si Festum S. Marci occurrit in die
„ Paschatis, Processio cum Litaniis transfer-
„ tur in feriam tertiam sequentem, juxta Ru-
„ bricam particularem Missalis; & si alicubi
„ fit abstinentia, vel jejunatur, servanda est
„ consuetudo, etiam a Regularibus. S. R. C.
„ 14. Februarii 1705.

„ 614. In Processionibus, & Funeralibus,
„ debetur præcedentia Parochis supra Mansio-
„ narios, etiam Ecclesiæ Cathedralis, inceden-
„ tes sine Canonicis, & Capitulo. Mansiona-
„ riis autem Ecclesiæ Collegiatæ incedentibus
„ absque Capitulo, non est licitum deferre
„ pelles super brachio in Processionibus fune-
„ ralibus. S. R. C. 12. Septembris 1705.

„ 615. Processio in solemnitate Corporis
„ Christi incipere debet a Cathedrali, seu Ma-
„ trice, & ad eamdem terminari, non vero a
„ Parochiali. S. R. C. 1. Septembris 1708.

„ 616. In Festo S. Marci, vel respective in
„ feriis Rogationum, si fiat de Officio dupli-
„ ci, vel semiduplici in locis, ubi tantum una
„ Missa cantatur, pro majori populi commo-
„ ditate, ut possit post Processionem vacare
„ laboribus, convenientius est Processionem fa-
„ cere post Nonam, inde cantare Missam Ro-
„ gationum. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 617. In Processione feriæ sextæ in Para-
„ sceve, Episcopo totum Officium, & sacram
„ Functionem in Pontificalibus non peragen-
„ te, non sunt a gestantibus hastas baldachini
„ adhibenda pluvialia, sed solum cottæ. S. R.
„ C. 15. Septembris 1736.

„ Vide Beatus. Benedictio. Caput aperire.
„ Capellanus. Clerus. Confraternitas. Epi-
„ scopus. Eucharistia. Festum Corporis Chri-
„ sti. Genuflexio. Monachi. Præcedentia.
„ Protonotarius.

PROTONOTARIUS.

„ 618. PRotonotarii de numero participan-
„ tium præcedunt Vicarios, & Ca-
„ nonicos, tam in Ecclesiis Patriarchalibus Ur-
„ bis, quam in aliis quibuscumque, etiam Ca-
„ thedralibus extra Urbem, & solis Episcopis
„ cedunt locum. S. R. C. 4. Maii 1613.

„ 619. Protonotarii Titulares neque supra,
„ neque inter Canonicos, locum habere de-
„ bent. S. R. C. 23. Martii 1619.

„ 620. Protonotarii non possunt benedice-
„ re paramenta pro Missa. S. R. C. 17. Ju-
„ lii 1627.

„ 621. Protonotarii Titulares præcedere de-
„ bent Canonicos Cathedralis, collegialiter
„ non incedentes. S. R. C. 12. Julii 1628.

„ 622. Protonotarius simplex Sacerdos e nu-
„ mero non participantium, in Processioni-
„ bus, ceterisque Ecclesiasticis functionibus,
„ debet servare Cæremoniale Episcoporum;
„ ideoque præcedere debet omnes simplices

„ Sa-

„ Sacerdotes sacris vestibus non amictos. S. „ R. C. 24. Maii 1659.

„ *623.* Protonotarius simplex, incedens in „ habitu Protonotarii, debet sedere in choro „ post Canonicos, & ubi Capitulum non exi- „ stit, immediate debet sedere post Rectorem „ Ecclesiæ, vel alias facientem Officium; in „ Processionibus vero pariter eodem loco, „ vel, nisi adsit Magistratus, potest etiam, uti „ Prælatus, incedere post baldachinum, sub „ quo defertur Ss. Sacramentum. S. R. C. 2. „ Augusti 1659.

„ *624.* Protonotarius Apostolicus, prima Di- „ gnitas alicujus Cathedralis, non potest cum „ habitu Protonotarii sedere in choro in suo stal- „ lo, sed sedere debet ut dicitur in libro Cæ- „ remoniali. S. R. C. 12. Julii 1664.

„ *625.* Protonotarius simplex Sacerdos, si „ vult præcedere aliis Sacerdotibus simplici- „ bus, antiquioribus quoad Ordinem, & æta- „ tem, debet incedere in habitu Protonota- „ rii; secus nulla eidem præcedentia debetur. „ S. R. C. 13. Septembris 1670.

„ *626.* Protonotario Apostolico in celebra- „ tione Missæ non licet deferre anulum in „ digito. S. R. C. 3. Martii 1674.

RECONCILIATIO.

„ *627.* SImplex reconciliatio Ecclesiæ, seu „ Cæmeterii non consecrati, potest „ committi Presbytero in dignitate Ecclesiasti- „ ca constituto. S. R. C. 9. Februarii 1608.

REGULARES.

„ *628.* EPiscopus non potest cogere Regula- „ res, ut faciant commemorationem „ illius in ultima Collecta. S. R. C. 10. Ju- „ nii 1602.

„ *629.* Regulares Ordinis Minimorum, „ dum in Oratione S. Franciscum, præfati Or- „ dinis Fundatorem, nominant, non debent „ adjungere *de Paula*. S. R. C. 23. Decem- „ bris 1624.

„ *630.* Nequeunt Regulares Ss. Sacramen- „ tum exponere sine licentia Ordinarii. S. R. „ C. 26. Februarii 1628.

„ *631.* Regulares, etiam Societatis Jesu, in „ Missis solemnibus adhibere debent Diaco- „ num, & Subdiaconum, & in Vesperis Sa- „ cerdotem pluviali indutum; ac in reliquis „ omnibus tenentur exacte observare Rituale, „ Cæremoniale, & Rubricas Missalis Roma- „ ni. S. R. C. 5. Octobris 1652. confirmante „ Innocentio X. 16. Decembris 1652.

„ *632.* Regulares tenentur celebrare sub ri- „ tu duplici primæ classis Festum de Patrono „ principali Loci, de Titulari Ecclesiæ Cathe- „ dralis, ac de Patrono principali Regni, vel „ Provinciæ, sed ad octavam non tenentur. „ S. R. C. 20. Martii 1683.

„ *633.* Regulares cujusvis Ordinis, & In- „ stituti, seu Congregationis, etiam Societatis „ Jesu, & quicumque alii Sacerdotes, in Ora- „ toriis privatis, quæ per Sanctam Sedem con- „ cessa fuerint, nequeunt celebrare in Festis „ solemnioribus, ac diebus in Indulto exce- „ ptis; sicuti nec etiam in reliquis diebus, „ ubi unica Missa, quæ in Indulto concedi- „ tur, celebrata jam fuerit. Super quo cele- „ braturus tenetur diligenter inquirere, & de „ eo se optime informare; atque illam, in ca- „ sibus etiam permissis, nunquam celebrare „ potest post meridiem. Clem. XI. in sua Con- „ stit. *Quoniam Sancta*. 15. Decembris 1703.

„ Vide Colores. Confraternitas. Episcopus. „ Missa. Processio.

RELIQUIÆ.

„ *634.* OFficium est recitandum de Sancto, „ cujus habetur Reliquia insignis. „ S. R. C. 3. Junii 1617.

„ *635.* Una clavis Reliquiarum Sanctorum „ concedi potest Magistratui sæculari. S. R. „ C. 8. Maii 1604.

„ *636.* Insignis Reliquia est Corpus, Ca- „ put, Brachium, Crus, aut illa pars inte- „ gra, & non parva, in qua passus est Mar- „ tyr, & quæ sit legitime ab Ordinariis ap- „ probata. S. R. C. 8. Aprilis 1628.

„ *637.* Spinæ de Corona D. N. J. C. inter „ Reliquias insignes computantur, & specia- „ li nota, & cultu dignæ sunt. S. R. C. 27. „ Junii 1632.

„ *638.* Reliquiæ Sanctorum, existentes sub „ custodia Capituli, in Processionibus in ca- „ su, quo requirantur quatuor unitim, defe- „ rendæ sunt a Canonicis non paratis. S. R. „ C. 22. Martii 1655.

„ *639.* Reliquiæ Sanctorum, quæ deferun- „ tur in Processionibus per Civitates, & Op- „ pida non debent deferri sub baldachino. S. „ R. C. 23. Martii 1686.

„ *640.* Quando exponuntur sacræ Reliquiæ, „ ultra lampadem continuo ardeant super al- „ tare duo saltem lumina; alias non exponan- „ tur. S. R. C. 22. Januarii 1701.

„ *641.* Dedecet, quod sacra Corpora, & „ Reliquiæ Sanctorum Martyrum, quorum „ zelotypus est Christus, & specialiter insignes, „ collocentur, & conserventur in domibus pri- „ vatis, & apud laicos, cum sint custodien- „ dæ, & adorandæ religiose in Ecclesiis. In „ alma Urbe non concedantur Corpora inte- „ gra, nec Reliquiæ insignes, nisi petentes „ deferant literas Ordinarii Loci, a quo ex- „ ponatur qualitas Ecclesiarum, in quibus de- „ bent collocari, & decenter custodiri; exci- „ piuntur tamen hac prohibitione magni Prin- „ cipes, & conspicui Ecclesiæ Prælati: & ne

„ pietas aliorum Fidelium hisce omnino privetur sacris thesauris, eis concedantur Reliquiæ minus insignes. Clemens XI. 19. Februarii 1704. in ejus Bullario particulari.

„ 642. Reliquia Sanctæ Crucis non est incensanda a Celebrante genuflexo. S. R. C. 15. Septembris 1736.

„ 643. Post expositionem Reliquiæ Sanctissimæ Crucis, vel post ejus delationem in Processione, benedicendus est populus cum ipsa. S. R. C. 15. Septembris 1736.

„ 644. Consuetudo deferendi Reliquiam Ss. Crucis manibus opertis velo ab humeris pendente, potest retineri. S. R. C. 16. Septembris 1741.

„ Vide Beatus. Episcopus. Genuflexio. Processio. Symbolum.

SACRAMENTUM.

„ 645. IN Expositione Ss. Sacramenti, quæ fit ad instar proscenii, quantitas luminum pietati facientis Expositionem remittitur; & in altari super candelabris ad minus sex candelæ accendi debent. S. R. C. 15. Martii 1698.

„ 646. Lampas ardens omnino retinenda est ante altare Ss. Sacramenti, non vero supra valvas Ecclesiæ in choro de diametro opposito ante prædictum altare. S. R. C. 22. Augusti 1699.

„ 647. Ante ostiolum tabernaculi Ss. Sacramenti, in quo depicta, vel insculpta est imago D. N. J. C. non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed potest collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Januarii 1701.

„ 648. Sanctorum Reliquiæ non sunt collocandæ super altare, in quo reipsa Ss. Sacramentum publice venerationi est expositum. S. R. C. 2. Septembris 1741.

„ 649. Ex vi, aut lege Cæremonialis Episcoporum, Sanctissimo Sacramento patenter exposito, non prohibetur Episcopo, dum Divinis assistit, vel Divina per seipsum peragit, ut propria utatur sede, super qua umbraculum, seu baldachinum dependeat; dummodo genuflexiones omnes tunc præscriptas, debitasque reverentia, adamussim observet, atque aperto capite in signum reverentiæ saltem assistat. S. R. C. 9. Junii 1742.

„ Vide Alleluja. Altare. Benedictio. Commemoratio. Dignitas. Eucharistia. Festum Corporis Christi. Genuflexio. Missa. Missa Defunctorum. Pileolus. Processio. Regulares. Sessio. Thurificatio.

SESSIO. SEDERE.

„ 650. CAnonici Missam celebrantes coram Episcopo, non debent sedere in sede cum postergali, sed in aliquo scamno oblongo, tapete, vel panno cooperto, in latere Epistolæ. S. R. C. 19. Maii 1614.

„ 651. Celebrantes Missam solemniter, sedeant in loco parato pro Celebrantibus a latere Epistolæ. S. R. C. 19. Maii 1614.

„ 652. Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, celebrantes solemniter, possunt, & debent sedere in banco, dum cantatur Gloria, Credo &c. etiamsi sint Beneficiati, vel Capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine. S. R. C. 15. Januarii 1611.

„ 653. Episcopo accedente ad aliquam Parochialem suæ Diœcesis cum Canonicis suæ Cathedralis, Rector illius Parochialis non debet præcedere Canonicos Cathedralis, & sedere immediate post Episcopum, ante Canonicos, sed dignior locus debetur Canonicis Cathedralis immediate post Episcopum, post Canonicos vero Rector debet sedere, vel e regione sedis Episcopalis. S. R. C. 14. Februarii 1632.

„ 654. Rector alicujus Parochialis, dum recitantur divina Officia in sua Parochiali, debet sedere in scamno, non vero in sella. S. R. C. 14. Februarii 1632.

„ 655. Canonicis, & Dignitatibus Episcopum associantibus in aliqua Parochiali, Rector Parochialis cedere debet locum digniorem, ut jam dictum est; & præterea idem Rector in eadem sua Parochiali Ecclesia sedere debet in scamno, prout sedent Dignitates, & Canonici, non vero in sella. S. R. C. 14. Februarii 1632.

„ 656. Celebrans, & Assistentes in Vesperis, & Missa solemni, etiam in solemnitatibus, debent sedere in stallo, & non in sede camerali. S. R. C. 3. Julii 1665.

„ 657. Sanctissimo Sacramento exposito, Gubernator Civitatis, seu Personam regiam repræsentans, debet habere eamdem sedem, vel scamnum, quod habet reposito Sanctissimo Sacramento. S. R. C. 16. Junii 1683.

„ Vide Canonicus. Cæremoniarius. Coadjutor. Protonotarius. Thurificatio. Vicarius.

STOLA.

„ 658. SAcerdotes, in die Cœnæ Domini Ss. Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam vel ante pectus, vel a collo pendentem. S. R. C. 30. Septembris 1679.

„ Vide Aqua Benedicta. Episcopus.

SUBDIACONUS.

„ 659. DEficiente Subdiacono pro Missa solemni, data necessitate, potest permitti per Superiores, ut substituatur consti-

stitutus in Ordinibus minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo. S. R. C. 5. Julii 1698.

SYMBOLUM.

,, *660.* SYmbolum in Missa solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est altare erectum sub invocatione alicujus Sancti, ratione concursus, ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat Officium sub ritu semiduplici; ut pro festo S. Antonii de Padua declaravit. S. R. C. 1. Aprilis 1661.

,, *661.* Quando a Choro cantatur Symbolum in Missa, non potest a Celebrante prosequi Offertorium, sed debet expectari donec terminatum fuerit Symbolum. S. R. C. 13. Septembris 1670.

,, *662.* Qui recitat officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebrat eo die in alia Ecclesia debet omittere *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1684.

,, *663.* Clerus, qui habet indultum recitandi Officia Sanctorum, quorum insignes Reliquiæ asservantur in aliqua Ecclesia, quæ habet Clerum separatum, in Missis non debet dicere *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1684.

,, *664.* In Missis votivis privatis de Ss. Sacramento, & de Officio duplici, quæ celebrantur in Ecclesiis, ubi adest Ss. Sacramentum expositum occasione Quadraginta horarum, non dicitur *Credo*, nisi aliter competat Missæ Officii duplicis de die. S. R. C. 2. Decembris 1684. *Idem statuitur in Instructione Clementis XI. pro Expositione SS. Sacramenti occasione quadraginta horarum* §. 10.

,, *665.* Occurrente Festo S. Marci die Dominico, in Missa Rogationum non dicitur *Credo*, quia est Missa ferialis. S. R. C. 5. Julii 1698.

,, *666.* In Missa Patroni minus principalis non debet dici *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1684. & 15. Septembris 1691. *Qua die declaratum fuit, particulam Patroni intelligendam esse de Patrono principali tantum.*

,, *667.* In Festo Translationis Patroni principalis Cathedralis sub ritu duplici majori, non potest in Missa dici Symbolum, nec in ipsa Ecclesia Cathedrali, neque per totam Diœcesim. S. R. C. 19. Junii 1700.

,, *668.* In Festis Ss. Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub ritu duplici majori, non est dicendum *Credo* in Missa, sed serventur Rubricæ generales Missalis Romani. S. R. C. 12. Junii 1700.

,, *669.* In die S. Laurentii, Titularis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœcesis, non est recitandum Symbolum in aliis Ecclesiis ejusdem loci, sed tantum in Ecclesia propria. S. R. C. 23. Martii 1709.

,, Vide Beatus. Gloria in excelsis. Missa. Missa Votiva. Officium.

THURIFICATIO.

,, *670.* CLerici parati ratione Paramentorum thurificandi sunt ante Beneficiatos. S. R. C. 10. Junii 1602.

,, *671.* Beneficiati parati incensentur ante non paratos. S. R. C. 30. Augusti 1602.

,, *672.* Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates sunt thurificandi. S. R. C. 23. Maii 1603.

,, *673.* Archidiaconus, si sustinet baculum Episcopi, thurificandus est immediate post Presbyterum, & Diaconum assistentes. S. R. C. 28. Aprilis 1607.

,, *674.* Canonici omnes ex utraque parte chori thurificandi sunt ante Mansionarios, non obstante consuetudine in contrarium. S. R. C. 19. Maii 1607.

,, *675.* Presbyter Assistens debet Episcopum thurificare ad sedem, quicumque ille sit, non vero Diaconus Evangelii. S. R. C. 19. Maii 1607.

,, *676.* Canonici duo Diaconi assistentes, & non Presbyter assistens, debent elevare fimbrias pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur, & thurificat altare. S. R. C. 19. Maii 1607.

,, *667.* Presbyter assistens, licet non sit prima Dignitas, thurificandus est ante Archidiaconum a dextris Episcopi assistentem, quamvis idem Archidiaconus sit prima Dignitas. S. R. C. 23. Junii 1607.

,, *678.* Consuetudo immemorabilis, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magistratus, servanda est. S. R. C. 1. Septembris 1607.

,, *679.* Gubernator Civitatis, etiam si sit uxoratus, thurificandus est immediate post Canonicos; absente vero Episcopo, immediate post Vicarium Generalem. S. R. C. 6. Maii 1606. & 17. Novembris 1607.

,, *680.* In thurificatione attendatur consuetudo inter Vicarium, & Canonicos, & alios, nisi Canonici sint parati. S. R. C. 15. Martii 1668. *Hoc intelligitur etiam in accipiendis Candelis, Cineribus, & Palmis.*

,, *681.* Diaconus Evangelii debet thurificare chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consuetudinis. S. R. C. 15. Martii 1608.

,, 682. Non approbatur usus duorum thuri-

„ bulorum in incensatione personarum. S. R. C. 15. Martii 1608.

„ *683.* Baro Dominus Loci in Ecclesia Parochiali non Collegiata, ubi non sunt Canonici, thurificandus est post Celebrantem, Ministros paratos, & Archipresbyterum, duplici ductu ab eodem Ministro, qui thurificat, & ante omnes alios Presbyteros. S. R. C. 27. Septembris 1608.

„ *684.* Canonici Ecclesiæ Collegiatæ thurificari debent duplici ductu thuribuli; Clerici vero Parochialium Ecclesiarum unico tantum ductu, nisi specialis adsit consuetudo. S. R. C. 19. Januarii 1613.

„ *685.* Portionarii, & alii Beneficiati, si in omnibus sint æquales Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum, & æqualiter incedant in Processionibus, & sedeant in æqualibus scamnis, thurificandi sunt duplici ductu, sicut Canonici, non obstante Cæremoniali libro, qui intelligitur quando non adsunt Presbyteri, qui non sint omnino Canonicis æquales. S. R. C. 21. Maii 1615.

„ *686.* Absente Episcopo thurificandus est Celebrans triplici ductu thuribuli. S. R. C. 30. Januarii 1616.

„ *687.* Vicario Generali sedenti in choro, licet supra Canonicos, absente Episcopo, thurificatio duplici, non autem triplici ductu debetur, si tamen non sit Prælatus. S. R. C. 14. Januarii 1617.

„ *688.* In personarum incensatione tota thurificatio facienda est cum unico thuribulo. S. R. C. 21. Julii 1618.

„ *689.* Prior Collegiatæ si intersit in Cathedrali, thurificandus est duplici ductu thuribuli, sicut Dignitates, & Canonici, super quos tamen non habet præcedentiam. S. R. C. 19. Augusti 1619.

„ *690.* Dignitates, & Canonici, a digniori latere chori sedentes, prius thurificandi sunt, & postea Dignitates, & Canonici, qui sedent a latere chori minus digno. S. R. C. 15. Septembris 1648.

„ *691.* Quando Missa canitur sine Ministris, non debet thurificari neque altare, neque chorus. S. R. C. 19. Augusti 1651.

„ *692.* Finito Evangelio Missæ solemnis, cui assistit Episcopus cum Cappa, thurificandus est celebrans, non vero Episcopus. S. R. C. 4. Augusti 1663.

„ *693.* Non est tolerandus usus, qui in aliquibus Ecclesiis servatur feria sexta in Parasceve, incensandi iterum Ss. Sacramentum post incensationem Oblatorum, omittendo consuetam Crucis incensationem, cum sit contra Rubricam illius diei. S. R. C. 3. Augusti 1697.

„ *694.* Feria sexta in Parasceve thurificanda sunt oblata, sed post thurificationem Oblatorum non est iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præsentiam non est omittenda thurificatio Crucis, sed Crux, & altare thurificanda sunt eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante Ss. Sacramentum. S. R. C. 5. Julii 1698.

„ *695.* In Missa Conventuali dierum solemnium, quæ absque cantu, & Ministris celebratur, non est facienda thurificatio. S. R. C. 22. Januarii 1701.

„ Vide Benedictio. Canonicus. Dignitas. Præpositus. Reliquiæ.

VICARIUS GENERALIS.

„ *696.* VIcarius Generalis præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, dummodo non sint parati sacris Paramentis, & dummodo dictus Vicarius non sit ex numero Dignitatum, vel Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, & velit tanquam Dignitas, vel Canonicus assistere in choro, distributiones quotidianas lucrandi gratia, quia tunc sedere debet in stallo, seu loco suæ Dignitatis, vel Canonicatus. S. R. C. 12. Aprilis 1603.

„ *697.* Vicarius Generalis supra Dignitates, & Canonicos paratos, nullam habeat præcedentiam, sed tantum aliis præcedat, quando sunt in habitu Canonicali ordinario, & sine Paramentis. S. R. C. 6. Septembris 1603.

„ *698.* Vicario non licet dare benedictionem Diacono antequam cantet Evangelium, neque benedicere Prædicatori antequam pulpitum ascendat. S. R. C. 17. Martii 1607.

„ *699.* Vicario Generali in choro præsente, & Episcopo absente, si primum stallum ei detur in dextera altaris, sedebit in parte sinistra prima Dignitas, secunda vero post Vicarium. S. R. C. 7. Augusti, & 25. Septembris 1610.

„ *700.* Vicarius Apostolicus non potest functiones Episcopales facere. S. R. C. 15. Februarii 1614.

„ *701.* Vicarius Generalis absente Episcopo debet habere primum locum supra omnes Dignitates, & Canonicos. S. R. C. 13. Julii 1619.

„ *702.* Ad Missam Vicarii Generalis non debent accendi quatuor candelæ in altari; nec illi assistere debent duo Capellani cum cottis. S. R. C. 7. Augusti 1627.

„ *703.* Si Vicarius Episcopi incedit in habitu Vicariali, præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, quantumvis Protonotarios; si vero assistat uti Canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis. S. R. C. 26. Augusti 1645.

„ 704. In Capella palatii Episcopalis absente „ Episcopo, vel sede vacante, potest Vicarius „ Generalis Missam celebrare, & in diebus festis „ ipsam audientes adimplent præceptum Eccle- „ siæ. S. R. C. 2. Julii 1661. Die vero 24. No- „ vembris ejusdem anni sancitum fuit, non „ posse celebrari Missas, etiam pro Animabus „ Purgatorii, una hora post meridiem.

„ 705. Vicario foraneo ratione sui Vicaria- „ tus nulla debetur præcedentia, seu præemi- „ nentia; & ad Præpositos forenses spectat præ- „ cedentia super Vicarios foraneos in Proces- „ sionibus, Sessionibus, & aliis actibus fieri „ solitis occasione Synodi Diœcesanæ. S. R. C. „ 11. Martii 1684.

„ 706. Vicario Apostolico in omnibus Eccle- „ siis, & Ecclesiasticis functionibus, debentur „ tantum illæ prærogativæ, quibus gaudent „ Vicarii Generales Episcopi; & titulus Illu- „ strissimi Vicario Apostolico non debetur. „ S. R. C. 12. Augusti 1694.

„ 707. Vicario Generali debetur primus, & „ dignior locus, ac præcedentia supra pri- „ mam, & omnes alias Dignitates, & Cano- „ nicos Ecclesiæ Cathedralis, tam in choro, „ quam in Processionibus, & aliis functionibus „ Ecclesiasticis. S. R. C. 2. Decembris 1684.

„ 708. Vicarii foranei in functionibus Eccle- „ siasticis, nimirum in Missis, Vesperis, Pro- „ cessionibus, Sessionibus locorum, aliisque si- „ milibus, non debent præcedere Archipres- „ byteris, aliisque Curatis Parochialium. In „ Congregationibus vero Casuum conscientiæ, „ quæ solent fieri, debent præcedere supra „ omnes etiam Archipresbyteros. S. R. C. „ 10. Februarii 1685.

„ 709. Vicario Generali in functionibus Ec- „ clesiasticis in choro, Processionibus, Syno- „ do, & aliis actibus publicis, & privatis, „ competit præcedentia supra Capitulum Ca- „ thedralis. S. R. C. 13. Martii 1688.

„ 710. Vicario Generali, quotidiano habitu „ induto, sive sit Protonotarius cum Rocchet- „ to, & Mantelletto, danda est semper, & „ ubique præcedentia super omnes Dignita- „ tes, & Canonicos, sacris vestibus non in- „ dutos. S. R. C. 30. Julii 1689.

„ 711. Vicario Generali nunquam compe- „ tit præcedentia supra Canonicos sacris ve- „ stibus indutos, neque in choro, neque in „ Processionibus; nec ei competit usus scacra- „ rum vestium, nisi sit de gremio Capituli, „ & eo casu stare debet in loco suæ receptio- „ nis, juxta alias resoluta. S. R. C. 2. De- „ cembris 1690.

„ Vide Cæremoniarius. Dignitas. Missa „ Conventualis. Præcedentia. Processio. Thu- „ rificatio.

VIGILIA.

„ 712. Occurrente vigilia S. Mathiæ Apo- „ stoli in feria tertia post Dominicam „ Quinquagesimæ, observandum est jejunium, „ quod non potest anticipari ratione carnis- „ privii. S. R. C. 23. Januarii 1694.

„ 713. In Vigilia Omnium Sanctorum, si „ occurrit dici Missa de Festo semiduplici, „ post Orationem vigiliæ tertia Oratio erit „ *A cunctis*, non vero de Spiritu Sancto. S. „ R. C. 21. Junii 1710.

„ 714. Occurrente vigilia S. Joannis Bapti- „ stæ in die Festo S. Corporis Christi, antici- „ pato jejunio vigiliæ prædictæ in die 22. Ju- „ nii ad formam Constitutionis 232. Urbani „ VIII. emanatæ 24. Septembris 1638. de ea- „ dem vigilia nihil fit in Officio, & Missa. „ S. R. C. 18. Septembris 1706. approbante „ Clemente XI. 2. Octobris 1706.

„ Vide Missa Defunctorum. Missa votiva. „ Octava.

PARS SECUNDA

CONTINENS DECRETA

Quæ ad Rubricas Breviarii pertinent.

ALLELUJA.

„ 715. Ad Invitatorium, Antiphonas, Re- „ sponsoria, & Versiculos, in Offi- „ cio parvo B. M. V. tempore paschali non ad- „ ditur *Alleluja*. S. R. C. 28. Martii 1626.

„ 716. In expositione, & repositione San- „ ctissimi Sacramenti non est addendum *Alle- „ luja* ad versiculum *Panem de Cœlo &c.* S. „ R. C. 5. Julii 1698. *Hoc intelligitur extra tem- „ pus paschale, & octavam Corporis Christi.*

„ 717. Quando Festum Ss. Philippi, & Ja- „ cobi celebratur extra tempus paschale, omit- „ ti debent omnia *Alleluja*; Asterisci vero non „ tolluntur. S. R. C. 5. Maii 1736. *Hic notandum „ ex Gavanto, quod repetitio ultima in istis re- „ sponsoriis debet esse brevior, non autem prolixior.*

ANTIPHONA.

„ 718. Antiphonæ feriales ad laudes ante „ Nativitatem omitti possunt in Fe- „ sto solemniter celebrato, ut contingit in Fe- „ sto S. Thomæ, sed antiphonæ majores ante „ Nativitatem, etiam in Festis solemniori- „ bus, dicendæ sunt ad *Magnificat*. S. R. C. „ 17. Novembris 1607.

„ 719. In fine Completorii Festi Purifica- „ tionis B. M. V. dicitur antiphona *Ave Regi- „ na Cœlorum*. S. R. C. 27. Julii 1624.

„ 720. Occurrente Festo Purificationis B. „ M. V. in Dominicis Septuagesimæ, vel simi- „ libus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium

,, transferri debeat, non eſt ob id protrahenda *Alma Redemptoris*, ſed ut ſupra poſt Completorium diei ſecundæ Februarii dicenda eſt antiphona *Ave Regina Cœlorum*, ſublato quolibet alio aſſerto difformi quarumcumque Eccleſiarum uſu, jure, conſuetudine; & ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, pariformiter ſervari mandavit. S. R. C. 11. Januarii 1681. Hoc Decretum confirmatum fuit 10. Januarii 1693. etiam ſi habeat prædictum Feſtum octavam. Tertio confirmatum fuit 14. Februarii 1705. Quarto demum 4. Aprilis 1705.

,, 721. Antiphona in choro Cathedralis poſtquam primo loco data fuerit Celebranti a cornu Epiſtolæ, danda eſt ſecundo loco primæ dignitati ſive a cornu Evangelii, ſive a cornu Epiſtolæ exiſtenti, & ſive interveniat, ſive non, prima Dignitas, quæ ſedet a dicta parte Evangelii, non obſtante allegata conſuetudine. S. R. C. 21. Martii 1655.

,, 722. In Feſto Ss. Cornelii &c. die 16. Septembris, pro commemoratione Ss. Euphemiæ, & Sociorum, in primis Veſperis dicatur antiphona; *Gaudent in Cœlis*, & in Laudibus antiphona *Iſtorum*; quod ſervatur in ſimilibus caſibus: ſecus ſi transfertur Officium Ss. Cornelii &c. S. R. C. 14. Decembris 1709.

,, 723. Quando Feſtum S. Raphaelis celebratur Dominica tertia poſt Paſcha, in primo nocturno antiphona erit *Multa magnalia*, in ſecundo nocturno *Archangele Raphael*, in tertio autem *Angelus Archangelus*. S. R. C. 5. Maii 1736.

,, 724. In Feſto S. Caroli Borromæi 4. Novembris, in primis Veſperis pro commemoratione Ss. Vitalis, & Agricolæ MM. antiphona erit *Iſtorum* cum verſu *Lætamini*, ad Laudes *Veſtri capilli* cum verſu *Exultent juſti*. S. R. C. 5. Maii 1736.

,, 725. Quando antiphonæ, & verſu in Veſperis variandi ſunt pro commemoratione alicujus Simplicis facienda, tunc ad *Veſperas* primo accipienda eſt antiphona cum verſu Laudum; ſi vero plures ſint commemorationes, tunc pro ſecunda commemoratione ſumetur antiphona ex ſecundis Veſperis, cum verſu ſecundi nocturni; tertia vero commemoratio fiet deſumendo antiphonam primam ex tertio nocturno, cum verſu ejuſdem nocturni. Ad *Laudes* vero prima commemoratio cum verſu erit propria ex primis Veſperis, ſecunda commemoratio fiet cum antiphona prima tertii nocturni, & verſu ejuſdem nocturni; tertia autem commemoratio fiet deſumendo antiphonam ex ſecundis Veſperis, & verſum ſecundi nocturni. S. R. C. 5. Maii 1736.

,, 726. In Officio votivo Immaculatæ Conceptionis in antiphona, quæ dicitur *Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti*, dici non poteſt *Immaculata*. S. R. C. 23. Junii 1736.

,, Vide Alleluja. Canonicus. Commemoratio. Magiſter. Cæremoniarum. Suffragia.

BREVIARIUM.

,, 727. Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo poſſunt uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari. S. R. C. 7. Auguſti 1694. *dummodo non ſint obligati choro alicujus Eccleſiæ, quæ habeat uſum Breviarii Romani, ut ex Decreto 28. Septembris 1602.*

,, 728. Quoad mutationem Breviarii attendatur Decretum allatum in prima parte, *v.* Miſſale.

CANONICI.

,, 729. Canonici debent cantare alta voce; & poteſt Epiſcopus eos hortari ad id faciendum. S. R. C. 23. Novembris 1602.

,, 730. Canonicus Officium faciens ad Veſperas non poteſt recuſare aſſiſtentiam Clericorum in defectu Capellanorum, vel Beneficiatorum, ſub prætextu, quod Cæremoniale dicat, id munus pertinere ad Capellanos, vel Beneficiatos. S. R. C. 15. Martii 1608.

,, 731. Ad Canonicum hebdomadarium in Matutinis, & Veſperis ſpectat primam antiphonam intonare, initium hymnorum, & antiphonas ad *Benedictus*, & *Magnificat*: Capellani vero tenentur eidem facere præintonationem, dum eſt paratus. S. R. C. 5. Julii 1653.

,, 732. Antiphonas primas recipere in choro, & Spiritum Sanctum invocare in Capitulo, ſpectat ad primum Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, quando ſit conſtitutus in ordine Epiſcopali, non autem ad primam Dignitatem. S. R. C. 17. Novembris 1674.

,, Vide Lectiones.

CAPELLANUS.

,, 733. Capellani Epiſcopi, qui cum eo recitant Officium, debent ſe illi conformare. S. R. C. 11. Junii 1605.

CHORUS.

,, 734. Deſtinatus ad regendum chorum non eſt dimovendus a choro, ut aſſiſtat Epiſcopo. S. R. C. 6. Septembris 1603.

,, 735. Chorus univerſus ad Primam, & Completorium debet replicare *Miſereatur tui*, & *Confiteor*. S. R. C. 19. Maii 1607.

,, Vide Officium.

COMMEMORATIONES.

,, 736. Commemmoratio S. Mariæ in ſuffragiis Sanctorum debet fieri in Eccleſiis eidem dicatis, etiam ſi ejus Officium

,, par-

„ parvum in chorum recitatum fuerit. S. R. „ C. 10. Januarii 1604. 13. Junii 1682. 10. „ Junii 1690. 23. Aprilis 1695. *Simile Decretum vide v.* Suffragia.

„ 737. Commemoratio de Cruce ordinaria „ sufficit in Ecclesiis dicatis in honorem S. „ Crucis, pro commemoratione Tituli Ecclesiæ. S. R. C. 30. Martii 1621.

„ 738. Si occurrat Officium novem lectionum de pluribus Sanctis Virginibus, & Martyribus, eo die, quo cadit Festum simplex „ ejusdem qualitatis, servanda est pro commemoratione Simplicis antiphona *Istarum*, ut „ in Festo S. Perpetuæ, & Felicitatis VV. & „ MM. S. R. C. 7. Decembris 1680.

„ 739. In festo Ss. Nominis Mariæ non est „ facienda commemoratio de ejusdem Nativitate, & in secundis Vesperis de Nativitate, „ cadentibus in Sabbato, non est facienda commemoratio de prædicto Ss. Nomine Mariæ. „ S. R. C. 23. Septembris 1684.

„ 740. Si uno die occurrant plures Martyres, quorum Officium unum sit semiduplex, „ & aliud simplex; in Vesperis pro commemoratione simplicis servanda est Rubrica XI. „ de Commemoratione num. 8. nisi aliter assignetur in propriis locis, ut ibi docet Rubrica. S. R. C. 10. Januarii 1693.

„ 741. Die Octava Sancti proprii cadente „ in Festum Conceptionis B. M. V. & Dominica secunda Adventus die 7. Decembris, „ in primis Vesperis Conceptionis prius debet fieri commemoratio de octava Sancti, „ deinde de Dominica, juxta dispositionem „ Tabellæ secundæ de concurrentia Dominicæ majoris sive primæ, sive secundæ classis, „ cum die octava, ut ibi regula tertia; quemadmodum præcise docet Rubrica Breviarii „ de Commemoratione num. 11. S. R. C. 10. „ Januarii 1693.

„ 742. In Desponsatione B. M. V. non est „ facienda commemoratio S. Josephi, nisi constet de speciali concessione. S. R. C. 5. „ Maii 1736. & die 16. Februarii 1737. *Quæ specialis concessio habetur pro Ordine Minorum.*

„ 743. Quando dies Octava Dedicationis impeditur per Festum majoris ritus, & in ea „ occurrat Dominica, vel concurrat in primis „ Vesperis, aut secundis semiduplex, commemoratio diei octavæ facienda est ante commemorationem Dominicæ occurrentis, & „ semiduplicis cujuscumque occurrentis. S. „ R. C. 5. Maii 1736.

„ 744. In Officio Ss. Sacramenti, quod recitatur singulis quintis feriis in Germania, „ &c. & in Officio Immaculatæ Conceptionis, „ quod ex indulto S. R. C. pariter in Germania sub ritu duplici in Sabbato, quoad commemorationes in his faciendas servetur Rubrica de Commemorationibus: Et commemoratio S. Benedicti a PP. Benedictinis fiat „ in semiduplici, simplici, & feria: Et quoad Officia S. Benedicti, S. Scholasticæ, Ss. „ Sacramenti, & Immaculatæ Conceptionis, „ servetur Decretum diei 20. Martii 1706. „ quo prohibentur hujusmodi Officia celebrari intra Quadragesimam, Adventum, Quatuor tempora, Ferias Rogationum, & Vigilias omnes sive cum jejunio, sive non. „ S. R. C. 23. Junii 1736.

„ 745. In Commemorationibus communibus, sive Suffragiis Sanctorum per annum, „ dum fit de aliquo Sancto, cujus antiphona „ habet in fine *Alleluja*, debet hæc recitari cum „ *Alleluja*, si contineat verba, quibus exprimatur gaudium, victoria, & similia; alioquin *Alleluja* omittatur. S. R. C. 29. Novembris 1738. *Omittitur pariter a Dominica Septuagesimæ usque ad Pascha.*

„ 746. Ubi Festum S. Petri ad Vincula, „ vel conversionis S. Pauli, est Titulus Ecclesiæ, semper per octavam facienda est commemoratio distincta alterius, prout in die „ Festi, non autem unica utroque communis „ per antiphonam *Petrus Apostolus.* S. R. C. „ 2. Septembris 1741.

„ Vide Antiphona. Lectiones. Officium. „ Suffragia.

CONCURRENTIA.

„ 747. IN concurrentia Festorum S. Antonii Patavini Confessoris, & S. Basilii Episcopi, & Confessoris, quæ Panormi „ ex indulto Apostolico sub ritu duplici majori celebrantur, Vesperæ dimidiandæ sunt, „ & faciendum in Capitulo de sequenti, cum „ commemoratione præcedentis. S. R. C. 17. „ Junii 1684.

„ 748. Concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda est ratio de posteritate Patronatus; unde Vesperæ dimidiandæ sunt. S. R. C. 17. Junii 1684.

„ 749. In concurrentia plurium Officiorum „ æqualis ritus, sive Martyrum, vel Confessorum, aut Virginum, vel Viduarum, minime attenditur dignitas eorum, sed præferenda sunt Festa posteriorum, si celebrentur „ pompa solemniori, aut sint ex illis Festis, „ quæ celebrantur in propriis Locis, & Ecclesiis; & hoc juxta verba Rubricæ de Concurrentia Officii tit. 11. num. 2. *Inter Festa æqualis ritus, &c.* S. R. C. 20. Julii 1686. *Hoc idem resolutum fuit ab eadem S. R.C. in concursu Officii alicujus Regni cum Officio alicujus Religionis*, die 20. Martii 1683.

„ 750.

„ 750. Sanctus Martyr in concurrentia officii duplicis cujuscumque classis cum Sancto „ Confessore, non debet habere integras Vesperas propter majorem dignitatem, vel nobilitatem, quam habet Martyr præ Confessore; sic in concurrentia Confessoris respectu Virginis, & in quacumque alia concurrentia Officiorum æqualis ritus: aliter enim fit in concurrentia Festorum Domini, B. M. V. Angelorum, & Apostolorum, quam fiat in prædictis concurrentiis, in quibus standum est præscriptioni Rubricæ Breviarii Rom. de Concurrentia num. 2. quæ habet: *Regulariter fit a Capitulo de sequenti*. S. R. C. 14. Decembris 1709. *Notandum, quod S. Joannes Baptista, & S. Josephus Sponsus B. M. V. præferendi sunt Apostolis*.

„ 751. Occurrente eadem die Festo novem lectionum Kalendarii particularis cum altero Festo Kalendarii universalis, quæ tamen sint ejusdem ritus, prius recitari debet de Festo Kalendarii particularis, & postea universalis. S. R. C. 22. Januarii 1689.

„ 752. Die 2. Martii 1681. decreverat eadem S. R. C. quod occurrente ut supra, si neutrum cum solemnitate celebretur, & utrumque sit ejusdem ritus, servetur ut supra die 22. Januarii 1689. *Quod confirmatum est per Decretum ejusdem S. R. C.* die 12. Julii 1704. *uti decreverat* 27. Septembris 1698. *& iterum decrevit* die 16. Februarii 1737.

„ 753. Festum semiduplex incidens in Festo duplici infra octavam non privilegiatam, transferendum est in diem immediate sequentem, non impeditam Festo novem lectionum, ut fit de semiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam. S. R. C. 30. Septembris 1679. & hoc etiam si adsit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum: *quod totum postea ab eadem S. R. C. confirmatum est* die 23. Junii 1736. *& denuo* 16. Februarii 1737.

„ 754. In concurrentia Festorum ejusdem ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habet Officium Ecclesiæ particularis, secundum locum Officium Ordinis, sive Religionis, tertium Diœcesis, quartum Nationis, quintum Officium Ecclesiæ universalis. S. R. C. 23. Junii 1736.

„ Vide Consecratio. Festum. Octava. Vesperæ.

CONSECRATIO ECCLESIÆ.

„ 755. Consecrator Ecclesiæ potest in actu Consecrationis statuere aliam diem pro Anniversario ejusdem Consecrationis. S. R. C. 19. Februarii 1587. *Hoc Decretum, cum editum fuerit anno* 1587. *hoc est antequam inciperent scribi in Regestis S. R. C. Decreta ab eadem emanata* (*quod contingit anno* 1602.) *ideo in prædictis Regestis non reperitur; sed quia affertur a Gavanto in suo Indice, etiam in hoc nostro exhibetur*.

„ 756. Dedicationis Festum extra actum Consecrationis non potest amplius mutari ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica. S. R. C. 16. Octobris 1604.

„ 757. Si Ecclesiæ Dedicatio accidat in Festo Nativitatis B. M. V. Officium fieri debet de Dedicatione, & duæ Missæ possunt cantari eadem die; infra octavam vero fiat de digniori. S. R. C. eodem die, & anno superius descripto.

„ 758. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis in Civitate celebratur cum octava, in Diœcesi vero sine octava. S. R. C. 2. Maii 1619.

„ 759. Festum Dedicationis aliarum Ecclesiarum a Cathedrali celebrandum est tantum in ea Ecclesia, ubi Consecrationis dies peragitur. S. R. C. quæ insuper declaravit, non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiæ, quam certum est non fuisse consecratam, vel dubium est; si autem constet de Consecratione, sed ignoretur dies, potest Ordinarius assignare diem pro Festi prædicti celebratione. S. R. C. 18. Augusti 1629.

„ 760. Dum Episcopus in Consecratione Ecclesiæ non elegerit diem, Anniversarium Dedicationis debet celebrari in futurum die, quo hactenus consuetum est celebrari. S. R. C. 20. Novemb. 1662.

„ 761. Dedicatio Basilicæ Ss. Salvatoris extra Almam Urbem non habet integras Vesperas secundas, si concurrat cum sequenti Officio duplici minori. S. R. C. 12. Julii 1664.

„ 762. Regulares degentes in Civitate debent recitare Officium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis sub ritu duplici tantum sine octava; extra Civitatem degentes non tenentur. Item extra Urbem in Ecclesia, quæ propriam non habet Dedicationem, non debet fieri octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis. S. R. C. 10. Januarii 1693. quod confirmatur ab alio Decreto ejusdem S. R. C. 19. Junii 1700.

„ 763. Quando plures adsunt Cathedrales unitæ, Officium Dedicationis cujuslibet Cathedralis non debet recitari ab universo Clero Diœcesum unitarum, sed in qualibet respective Diœcesi debet recitari de sua propria respectiva Ecclesia Cathedrali. S. R. C. 8. Martii 1704.

„ 764. Occurrente Dedicatione Basilicæ Ss. Salvatoris, vel Ss. Petri, & Pauli Apostolorum, infra Octavam Dedicationis aliarum Ecclesiarum, pro commemoratione octavæ

debet

„ debet sumi alia Oratio de Communi, nempe *Deus qui invisibiliter*. S.R.C. 25. Septembris 1706. *Ita servetur in similibus casibus*.

„ 765. Ecclesia pluribus in locis restaurata, & magna in parte renovata, licet de illius Consecratione signa nullibi appareant, neque aliæ probationes existant, tamen quia Festum Dedicationis ejus in præteritum fuerat celebratum, non indiget nova Consecratione; & Episcopus potest transferre Festum Dedicationis illius ad aliam diem fixam, amplius non immutandam. S. R. C. 27. Novembris 1706.

„ 766. Cum Benedictus XIII. consecraverit Ecclesiam sacrosanctam Lateranensem die 28. Aprilis 1726. decrevit, Dedicationis hujus Festum singulis annis die 9. Novemb. esse colendum, tanquam Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ Almæ Urbis, ab universo ejus Clero sæculari, & ejus districtus, juxta Decreta alias a S. R. C. edita, sub ritu duplici primæ classis cum octava: ita etiam cum Decreto eadem S. R. C. firmavit die 14. Septembris 1726. *Licet autem ex Decreto Benedicti XIII. Regulares non videantur obligati, sunt tamen ex vi Decreti S. R. C. diei 1. Aprilis 1662. confirmati ab Alexandro VII. die octava ejusdem mensis, in quo demandatur, quod Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici secundæ classis sine octava Festum Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis; quod idem aliis Decretis declaravit*.

„ Vide Festum. Lectiones. Officium. Regulares. Translatio.

DIES NATALITIUS.

„ 767. Dies natalitii hi omnes habendi sunt, qui licet vere non sint dies obitus, tamen ex Decreto Apostolico assignati sunt Festivitati alicujus Sancti veluti fixi, & veluti propria eorum sedes. S. R. C. 28. Novembris 1682.

EPISCOPUS.

„ 768. Episcopus Regularis debet recitare Officium juxta ritum suæ Diœcesis, non vero sui Ordinis. S. R. C. 11. Junii 1605.

„ 769. Episcopus non potest extendere ad suam Diœcesim Officium illud, quod fieri solet in Civitate. S. R. C. 16. Januarii 1607.

„ 770. Episcopus ad Matutinum in nocte Nativitatis potest sedere vel in sede chori, vel in sede Episcopali, prout melius sibi videbitur, & magis populo satisfaciet. S. R. C. 15. Martii 1608.

„ 771. Episcopus non potest statuere diem Dominicam ad celebrandum Festum alicujus Sancti Martyris, de quo asservatur Reliquia insignis in aliqua Ecclesia, nec de eo celebrari debere Officium, & Missam, in ipsa die sui martyrii, nisi Reliquia sit de Sancto in Martyrologio Romano descripto, & nisi constet de identitate Reliquiæ ejusdem Sancti; tibia autem non est Reliquia insignis. S. R. C. 3. Junii 1662.

„ Vide Capellanus. Officium.

FESTUM.

„ 772. Si occurrat Festum Annunciationis B. M. V. in Dominica secunda, tertia, vel quarta Quadragesimæ, non fit Officium de Annunciatione, nisi in Ecclesiis sub invocatione Annunciationis dicatis. S. R. C. 1. Septembris 1612.

„ 773. Sub nomine Festi novem lectionum venit etiam Dominica. S. R. C. 12. Martii 1618.

„ 774. Festum S. Josephi est de præcepto ubique. S. R. C. 8. Maii 1621.

„ 775. Decreto S. R. C. sub die 5. Januarii 1622. declaranti, Festum Sancti Francisci esse de præcepto ubique, derogatum fuit ab Urbano VIII. 13. Septembris 1642.

„ 776. Festum S. Annæ est de præcepto ubique. S. R. C. 24. Aprilis 1622. ita præcepit, & mandavit Gregorius XV. in sua Constitutione, quæ incipit *Honor laudis &c.*

„ 777. Festum Angelorum Custodum est duplex minus. S. R. C. 2. Octobris 1627.

„ 778. Ubi Festum S. Honuphrii celebrabatur cum Officio, & Missa, ante Bullam S. Pii V. potest continuari; post Bullam nequaquam introduci potest. S. R. C. 17. Novembris 1632.

„ 779. Si Festum Dolorum B. M. V. occurrat in aliud Festum altioris ritus, transfertur in Sabbatum sequens; si vero concurrat cum Festo Annunciationis ejusdem B. M. V. Vesperæ dicuntur de Annunciatione sine Commem. de Septem Doloribus. S. R. C. 3. Septembris 1672. *Quoad hoc Festum Benedictus XIII. die 25. Januarii 1729. mandavit, quod quando in feria sexta post Dominicam Passionis non potest fieri Officium de Septem Doloribus, ob occursum alterius Officii altioris ritus, transferatur in Sabbatum sequens, etiam si in illo occurrat Officium aliud, dummodo non sit altioris ritus. Vide infra v* Officium.

„ 780. Festum Ss. Nominis Mariæ celebretur Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. M. V. sub ritu duplici majori in Ecclesia universali ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tam sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur. S. R. C. 20. Novembris 1683. approbante Innocentio XI. die 25. ejusdem mensis: & sub die 5. Februarii 1684. eadem S. R. C.

„ appro-

„ approbavit Miſſam, & Officium proprium „ ejusdem Ss. Nominis.

„ 781. Occurrente Feſto Ss. Nominis Mariæ „ in die octava Nativitatis ejusdem B. M. V. „ Officium fiet de eodem Ss. Nomine Mariæ, „ abſque commemoratione de prædicta octava. „ S. R. C. 15. Novembr. 1685., annuente „ Innocentio XI. die 24. ejusdem menſis, & „ anni.

„ 782. Feſtum Nativitatis S. Joannis Bapti- „ ſtæ præferri debet Feſto Dedicationis Eccle- „ ſiæ, & habere integras ſecundas Veſperas, „ cum commemoratione tantum ſequentis. „ In Feſto autem Dedicationis Veſperæ ſunt „ dimidiandæ, & a Capitulo debet fieri de „ Patronis, cum commemoratione Dedicatio- „ nis, ut in utroque caſu præſcribitur a Ru- „ brica de Concurrentia num. 2. v. *Inter Fe-* „ *ſta*. Et infra Octavam Nativitatis ejusdem „ S. Joannis Baptiſtæ, Dedicationis, & Ss. „ Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ, fa- „ ciendum eſt Officium de die infra octavam „ S. Joannis Baptiſtæ, cum commemoratione „ aliarum octavarum concurrentium. S. R. „ C. 21. Auguſti 1688.

„ 783. Si Feſtum Ss. Annunciationis B. M, „ V. occurrat feria VI. in Paraſceve, vel „ Sabbato ſancto, Officium, cum præcepto „ audiendi Sacrum, & vacandi ab operibus „ ſervilibus, transferatur ad feriam ſecundam „ poſt Dominicam in Albis, quæ dies in tali „ caſu habeatur pro ſede propria, & fixa, non „ obſtante occurrentia cujuſcumque alterius „ Feſti, S. R. C. 11. Februarii, & 11. Mar- „ tii 1690., approbante Alexandro VIII.

„ 784. Feſta Sanctorum celebranda ſunt eo „ die quo cadunt; verum, ſi incidant in diem „ impeditam, transferenda ſunt in alteram „ diem non impeditam, juxta Rubricas Bre- „ viarii Romani, neque immutari poſſunt „ de licentia Ordinariorum, ut pluries decre- „ vit S. R. C., & ſignanter 14. Novemb. „ 1620., 3. Decembris 1630., 22. Novemb. „ 1631., & 2. Septembr. 1690.

„ 785. Si Feſtum S. Joſephi occurrerit in „ feria V. majoris hebdomadæ, Officium trans- „ ferendum erit ad aliam diem, juxta Rubri- „ cas Breviarii Romani. S. R. C. 13. No- „ vembris 1692.

„ 786. Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. „ M. V. celebretur deinceps in Eccleſia uni- „ verſali ſub ritu duplici ſecundæ claſſis cum „ octava. Innocentius XII. 15. Maii 1693. „ Et eſt de præcepto ubique, cum obligatio- „ ne audiendi Miſſam, & vacandi ab ope- „ ribus ſervilibus. Clemens XI. 6. De- „ cemb. 1708.

„ 787. Ubi celebratur Feſtum Ss. Gabrielis, „ vel Raphaelis Arcangeli, ad octavam Be- „ nedictionem dicatur *Cujus feſtum colimus*, „ & non *quorum* S. R. C. 13. Septembris 1692.

„ 788. Feſtum Ss. Fabiani, & Sebaſtiani „ una ſimul celebratur in illis Locis, in qui- „ bus S. Sebaſtianus eſt Patronus minus prin- „ cipalis. S. R. C. 22. Septemb. 1698. „ *Quod ſi eſſet Patronus principalis, deberet at-* „ *tendi Rubrica generalis clariſſima*.

„ 789. Feſtum, & Officium Ss. Roſarii B. „ M. V., Clemens XI. extendit ad Eccle- „ ſiam univerſalem, ſub ritu duplici majori „ de præcepto quolibet anno recitandum in „ prima Dominica Octobris, ut ex ejus Bul- „ la, quæ incipit *Cum alias*, die 3. Octo- „ bris 1716.

„ 790. Feſtum Ss. Nominis Jeſu, cum Of- „ ficio, ac Miſſa propriis, celebretur ab om- „ nibus Criſtifidelibus, qui ad horas canonicas „ tenentur, Dominica II. poſt Epiphaniam „ ſub ritu duplici ſecundæ claſſis. S. R. C. „ 29. Novembris 1721., annuente Innocentio „ XIII. 20. Decemb. ejuſdem anni.

„ 791. Feſtum S. Benedicti, quod habet an- „ nexum Forum, incidens in aliquem diem „ majoris hebdomadæ, transfertur ad feriam ter- „ tiam poſt Dominicam in Albis, tamquam diem „ propriam, translato alio quocumque Officio „ etiam æqualis ritus. S. R. C. 6. Septem- „ bris 1727.

„ 792. Feſtum Ss. Angelorum Cuſtodum de- „ bet habere integras utraſque Veſperas in „ concurſu duplicis minoris. S. R. C. 16. Se- „ ptemb. 1730.

„ 793. Ubi celebratur Feſtum S. Barbaræ „ ſub ritu duplici, etiamſi ſine ſpeciali ſolem- „ nitate, fiet de illa Officium, aſſignando aliam „ fixam diem S. Petro Chryſologo. S. R. C. „ 5. Maii 1736. *Idem ſervandum in ſimilibus* „ *caſibus, ut eruitur ex pluribus Decretis par-* „ *ticularibus, eodem die, & anno, quo ſupra* „ *emanatis pro variis Locis. Ex Decreto autem* „ *de die 28. Auguſti 1706., relato infra v.* „ Translatio, *hujuſmodi aſſignatio diei fixæ* „ *non videtur facienda inconſulta Sacra Rituum* „ *Congr., & abſque ejus aſſenſu*.

„ 794. Quando occurrit Feſtum aliquod in „ Diœceſi, quod ſit de præcepto quoad Fo- „ rum, Regulares de eo debent Officium illa „ ipſa die recitare, niſi apud ipſos occurrat „ eadem die aliud Feſtum, quod ſit ejusdem „ claſſis, & ritus, ſed majoris dignitatis. S. „ R. C. 5. Maii 1736.

„ 795. In Feſto S. Margaritæ Scotorum „ Reginæ ab aliquibus Breviariis expungi de- „ bent ultima verba ſextæ lectionis: *Cujus* „ *Feſtum, ab eodem Pontifice conceſſum, Innocen-* „ *tius Undecimus ad octavam Idus Julii tranſ-*

„ *ferri*

,, *ferri jussit.* S. R. C. 5. Maii 1736.

,, 796. Festum B. M. V. de Monte Carmelo celebrandum est ab omnibus de præcepto, & servari debet Decretum emanatum 24. Septembris 1726. S. R. C. 23. Junii 1736. *Quo die, mense, & anno, denuo decrevit, Festum SS. Nominis Mariæ celebrandum in Dominica post Nativitatem B. M. V.; & quando dies octava est Dominica, omittenda est dies octava Nativitatis, nulla facta commemoratione ejusdem.*

,, 797. Festa duplicia, quæ coluntur a Populo de præcepto, retinent eundem ritum, quem alias haberent seclusa qualitate præcepti; nec sunt idcirco duplicia majora: unde qualitas Festivitatis non est ratio, quod Vesperæ dicantur integræ de tali Festo, nisi hoc Festum fruatur simul qualitate vel majoris dignitatis, vel altioris ritus. S. R. C. 2. Septemb. 1741.

,, 798. Festa, quæ sunt ritus duplicis, non celebrentur sub alio ritu, quam duplici minori, nisi constet de diversa concessione. Festa tamen Patronorum minus principalium, si celebrentur cum solemnitate, habent in se naturam duplicis majoris; & qualitatem duplicis minoris, si absque solemnitate peragantur. Symbolum autem in eorum missis recitandum non est, nisi in illis ecclesiis, in quibus aut sacrum ipsorum corpus, aut insignis Reliquia adservatur. S. R. C. 1. Decemb. 1741.

,, Vide Alleluja. Antihona. Commemoratio. Concurrentia. Hymnus. Lectiones. Octava. Officium. Patronus. Translatio.

HEBDOMADARIUS.

,, 799. Consuetudo, ut hebdomadarius in Vesperis capiat Pluviale ad Capitulum, & non a principio Vesperarum, servari potest. S. R. C. 1. Septemb. 1607.

,, 800. Hebdomadarius in decantandis in choro horis canonicis non debet uti stola. S. R. C. 4. Augusti 1663.

,, Vide Canonicus. Sedes.

HYMNUS.

,, 801. Ubi Festum Ss. Angelorum Custodum habet octavam, non possunt in Festo, & per octavam, terminari hymni ejusdem metri, sicut terminatur eorum hymnus in laudibus. S. R. C. 19. Junii 1700.

,, 802. In Officio pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est dies obitus eorum, ad hymnum *Iste Confessor* non debet dici *Meruit beatas scandere sedes*: quod idem servetur, si transferatur ad aliam diem, ob occursum alterius Officii. S. R. C. 11. Junii 1701.

,, 803. In Festo Expectationis Partus B. M. V. hymni sunt concludendi cum versibus *Virtus, honor, laus, gloria*, & breve Responsorium ad Primam debet esse *Qui venturus es in mundum*. S. R. C. 26. Novemb. 1735., quod confirmatum fuit 16. Februarii 1737.

,, 804. Quando in primis Vesperis S. Hermenegildi Martyris hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matutino, & hymnus Matutini substituendus est in Laudibus. S. R. C. 5. Maii 1736.

,, 805. In hymno *Iste Confessor* pro Sanctis Confessoribus, juxta Decretum de die 11. Junii 1701., mutatur tertius Versus, quoties eorum Officium recitatur extra diem obitus ipsorum. Verum prædicta mutatio non fiet, quando Officium festivum Sancti Confessoris habentis octavam, non ultra octavam ipsam transfertur, quia tota octava nil aliud est, quam extensio ipsius Festi; & ideo versus idem per reliquos octavæ dies, qui forte supererunt, retinebitur. S. R. C. 2. Sept. 1741.

,, Vide Canonicus.

INVITATORIUM.

,, 806. Tempore Passionis in Quadragesima, in fine Palmi *Venite exultemus*, omissis *Gloria Patri*, & *nolite obdurare corda vestra*, debet repeti integre Invitatorium *Hodie si vocem Domini audieritis &c.* S. R. C. 4. Julii 1683.

,, Vide Alleluja.

LECTIONES.

,, 807. Lectiones secundi nocturni propriæ S. Conradi approbantur pro Diœcesi Placentina. S. R. C. 24. Octobris, 1609., & extenduntur pro diœcesi Syracusana, & pro districtu, & Civitate Netina, die 19. Maii 1614. & conceduntur universo Ordini S. Francisci, die 2. Augusti 1625.

,, 808. Lectiones duæ penultimæ, quando ab Episcopo Matutinum solemniter celebratur, sunt cantandæ a duobus Canonicis, qui hinc inde assistunt Episcopo, sive sint Dignitates, sive Canonici, etiam ultimi, non obstante alia consuetudine. S. R. C. 18. Martii 1617.

,, 809. Lectiones secundi, & tertii nocturni, deficientibus cantoribus, cantandæ sunt a Canonicis, incipiendo a junioribus, ad præscriptum Cæremonialis. S. R. C. 4. Aprilis 1620.

,, 810. Lectiones primi nocturni in Officio de Festo duplici majori sumendæ sunt ex ejus Communi, si ex concessione non habentur propriæ. S. R. C. 12. Julii 1664., & 5. Maii 1736.

„ 811. In aliquibus Ecclesiis habetur Reli-
„ quia insignis alicujus Sancti, qui cum Socio
„ est in corpore Breviarii; & uterque habet
„ Festi simplicis ritum, ut in Festo Ss. Ger-
„ vasii, & Protasii, quorum duæ lectiones vi-
„ tam, amborumque mortem enarrant, in quo
„ casu, si lectiones disjungi commode possunt,
„ legenda est illa de Sancto, cujus fit Officium
„ duplex propter Reliquiam insignem, in se-
„ cundo nocturno, & hæc erit quarta lectio;
„ quinta, & sexta sumendæ sunt de Commu-
„ ni, altera vero lectio disjuncta poni poterit
„ pro lectione nona in tertio nocturno, tan-
„ quam de Sancto simplici, de quo fieri debet
„ etiam commemoratio ad Laudes; si vero non
„ possunt commode disjungi, utraque ponen-
„ da est in secundo nocturno pro quarta, &
„ quinta lectione; sexta vero legenda est de
„ Communi, & in hoc casu lectio nona pro
„ simplici non repetenda est; fieri tamen de-
„ bet de eo commemoratio. S. R. C. 16. Ja-
„ nuarii 1677.

„ 812. Occurrente Festo duplici cum sim-
„ plici infra octavam Corporis Christi, de sim-
„ plici legenda est lectio nono loco. S. R. C.
„ 12. Septembris 1671., & 10. Januarii 1693.,
„ quod decretum fuit etiam 4. April. 1705.
„ In Officio vero de die infra octavam omitti de-
„ bet, ut eadem S. R. C. decreverat 8. Junii
„ 1669.

„ 813. Quando in mense Novembris sunt
„ eadem die ponenda tria initia Prophetarum,
„ dicenda est tantum unica lectio ex quolibet
„ libro Prophetarum; nec possunt poni in quo-
„ libet Officio plura principia librorum quam
„ tria: si vero sunt plura officia habentia pri-
„ mas lectiones proprias prædicto tempore,
„ possunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophe-
„ tarum, occurrente legitima causa. S. R. C.
„ 5. Julii 1698. *Vide tamen Decretum de die* 5.
„ *Maii* 1736. *paulo infra positum, in hac ea-*
„ *dem pagina*.

„ 814. Lectiones primi nocturni de Exodo,
„ quæ leguntur in Dominica IV. Quadrage-
„ simæ, quoties ista sit impedita aliquo Festo
„ primæ classis, reassumendæ sunt infra illam
„ hebdomadam in Festo occurrente, carente
„ lectionibus propriis primi nocturni, quæ de-
„ sumerentur de Scriptura occurrente, si Fe-
„ stum illud incidisset extra Quadragesimam.
„ S. R. C. 26. Novemb. 1735.

„ 815. Quando in aliquo Festo lectiones pri-
„ mi nocturni assignantur legendæ sive propriæ,
„ sive de Communi, omittitur ea die etiam
„ initium Scripturæ, & reponitur infra heb-
„ domadam in Officio ritus inferioris, mino-
„ ris dignitatis, & solemnitatis, etiam si tale
„ Officium habeat lectiones proprias, aut
„ sint de Scriptura. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 816. In Festo S. Joannis Chrisostomi, quoad
„ lectiones in primo nocturno legendas, serve-
„ tur Rubrica Breviarii Romani; unde extra
„ Quadragesimam dicuntur Lectiones de Scri-
„ ptura occurente, intra Quadragesimam vero
„ de Communi Doctorum. Idem in Festo S.
„ Joannis de Matha, sed lectiones de Commu-
„ ni erunt *Beatus vir*. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 817. Quando October habet tantum qua-
„ tuor Dominicas, servetur omnino dispositio
„ Breviarii Romani, & in feria V., VI., &
„ Sabbato hebdomadæ IV., legantur lectiones
„ de Dominica V., continentes martyrium Ss.
„ Machabæorum. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 818. In tertio nocturno pro Festo S. Joan-
„ nis Nepomuceni, tam intra, quam extra
„ tempus Paschale, semper dicatur Evange-
„ lium *Nihil est opertum &c.* cum sua Homi-
„ lia. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 819. Cum sæpe contingat, ut in Diœcesi
„ celebretur unum, & idem Festum, & alii
„ in tertio nocturno unum assignent Evange-
„ lium, alii vero aliud, Religiosi sequi debent
„ ordinem proprii Breviarii. S. R. C. 5. Maii
„ 1736.

„ 820. In Dominica in Albis potest legi no-
„ na lectio de Festo simplici occurrente, ut ac-
„ cidit anno 1735. de Sancto Aniceto: & in
„ Dominica tertia post Pascha, ubi celebratum
„ est Festum S. Raphaelis Archangeli, in tertio
„ nocturno recitetur Homilia Sancti Joannis
„ Chrysostomi, nempe *Cum vellet Deus &c.*
„ S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 821. In die octava Dedicationis semper
„ repetendæ sunt lectiones in primo nocturno,
„ quæ jam lectæ fuerunt in primo nocturno
„ Officii de ipsomet Festo Dedicationis, ut ex
„ Rubrica Breviarii de Lectionibus n. 9. S. R.
„ C. 5. Maii 1736.

„ 822. Si in Dominica IV. post Pascha le-
„ gantur lectiones initii Epistolæ B. Jacobi
„ Apostoli, in Festo Ss. Apostolorum Philip-
„ pi, & Jacobi legendæ erunt lectiones ejus-
„ dem Epistolæ, quæ occurrent dicendæ in
„ illa feria. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 823. In Festo S. Luciæ, ubi accidit Festum
„ simplex, potest legi nona lectio simplicis. S.
„ R. C. 23. Junii 1736., & die 16. Februa-
„ rii 1737.

„ Vide Festum. Octava. Officium.

L I T A N I Æ.

„ 824. Litaniæ majores, si occurrant in die
„ Paschatis, transferantur in feriam
„ tertiam sequentem. S. R. C. 25. Septembris
„ 1627. *Non in feriam secundam*.

825.

„ 825. Non possunt in Litaniis inseri alii „ Sancti, præter ibidem descriptos; neque „ tempore pestis addendi sunt Titulares, & „ Patroni Civitatis, sine speciali concessione. „ S. R. C. 22. Martii 1631.

„ 826. In Litaniis Sanctorum, pro diversi- „ tate functionum, & temporum assignatis, „ & in illis pro Animæ commendatione, post „ nomen S. Joannis Baptistæ statim adjungi „ debet illud S. Josephi; ita servari manda- „ vit ab omnibus Cristifidelibus Benedictus „ XIII. 19. Decemb. 1726. *Ex hoc Decreto in- „ fertur, quod S. Josephus præferendus est Apo- „ stolis, sicut eisdem præfertur S. Joannes Ba- „ ptista.*

„ Vide Regulares.

MAGISTER CÆREMONIARUM.

„ 827. Magister Cæremoniarum non potest „ alterare, seu mutare consuetudinem „ circa præintonationem antiphonarum ad „ Vesperas. S. R. C. 28. Aprilis 1607.

MARTYROLOGIUM.

„ 828. Postquam S. Canutus pro Ordine Be- „ nedictino fixe est repositus ad 20. Fe- „ bruarii, potest pridie hoc elogium legi in „ Martyrologio: *Sancti Canuti Regis, & Mar- „ tyris, cujus dies natalis agitur VII. Idus Ja- „ nuarii*; non variata tamen dispositione Mar- „ tyrologii Romani. S. R. C. 5. Maii 1736. „ *Ita in similibus casibus, ex sequenti Decreto.*

„ 829. Festa illa, quæ a die obitus aliquo- „ rum Sanctorum translata, sortita sunt alium „ diem fixum, annuntianda sunt iisdem die- „ bus, & verbis, in Martyrologio Romano „ descriptis; quod si eorum transferantur Of- „ ficia, pridie, quam celebrentur, potest nun- „ ciari Festum illius Sancti, de quo sequenti „ die agetur solemnis memoria. S. R. C. „ 5. Maii 1736.

„ 830. Festa perpetuo in aliam diem trans- „ lata, sunt pronuncianda in Martyrologio eo „ ipso die, quo celebrantur. S. R. C. 2. Se- „ ptemb. 1741. *Non sequitur tamen, non esse „ pariter pronuncianda eo die, quo cadunt: quod „ in modernis Martyrologiis pluribus exemplis „ evincitur.*

MATUTINUM.

„ 831. Matutinum defunctorum pro genera- „ li eorum Commemoratione prohi- „ bitum est cantari pridie Vesperi in Festo „ Omnium Sanctorum, sed recitandum est „ mane die secunda Novembris post laudes „ diei. S. R. C. 1. Septemb. 1607. *Hoc De- „ cretum non habet locum in Ecclesiis Cathedra- „ libus, in quibus ex dispositione Cæremonialis „ Episcoporum Matutinum defunctorum canitur „ immediate post defunctorum Vesperas, ut de- „ claravit* S. R. C. 5. Julii 1698.

MONIALES.

„ 832. Moniales in *Confiteor* ad Primam „ & Completorium, ne dicant *Ti- „ bi Mater, Vobis sorores*, sed ut in Brevia- „ rio. S. R. C. 18. Augusti 1629.

„ 833. Moniales Ordinariis Locorum sub- „ jectæ non tenentur recitare Officia particu- „ laria Diœcesum: tenentur tamen recitare „ de Patrono principali Loci, & de Titulari „ Ecclesiæ Cathedralis, nec non de ejusdem „ Ecclesiæ Dedicatione; non vero de eorum- „ dem Festorum octavis. S. R. C. 20. Novem- „ bris 1683. Hic notandum, quod S. R. C. „ 20. Martii 1683. decrevit, quod Regulares „ non possunt ad libitum recitare Officium „ de octava Patroni Principalis Ecclesiæ Ca- „ thedralis, & Titularis, ac Dedicationis e- „ jusdem, nisi id specialiter ipsis Regularibus „ indultum fuerit ex vi concessionis Aposto- „ licæ, vel Constitutionis Religionis, appro- „ batæ ab Apostolica Sede; & hoc compre- „ hendit etiam Moniales Ordinariis subjectas, „ ut pro Monialibus decrevit S. R. C. 11. Fe- „ bruarii 1702.

OCTAVA.

„ 834. Sanctæ Eulaliæ Officium cum octa- „ va, etiam si veniat in Quadragesima, „ juxta antiquam, & immemorabilem consue- „ tudinem concedit S. R. C. 6. Decemb. 1608.

„ 835. Nemini licet facere octavam pro de- „ functis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ, „ neque intuitu alicujus altaris privilegiati licet „ exponere hanc tabellam *Indulgenza perpetua „ per i Morti*, sed tantum super ipso altari „ privilegiato: *Altare Privilegiatum pro De- „ functis*. S. R. C. 13. Augusti 1667.

„ 836. In Officio de die infra octavam Cor- „ poris Christi, non legitur nona lectio de Fe- „ sto simplici. S. R. C. 8. Junii 1669. *Sed, ut „ ex alio Decreto jam allato sub verbo* Lectio- „ nes, *si infra octavam prædictam occurrat Fe- „ stum duplex una cum simplici, ejus lectio „ dici debet nono loco.*

„ 837. Dies octavarum Assumptionis, Na- „ tivitatis, aliarumque Festivitatum B. M. V. „ octavam habentium, concurrentes cum Of- „ ficio duplici minori, habere debent integras „ utrasque Vesperas, ut disponit Rubrica ul- „ timo posita in Officio octavæ Conceptionis, „ si concurrat cum Sancta Lucia. S. R. C. 1. „ Martii 1681., & 11. Augusti 1691.

„ 838. Dies octava cujuslibet Festi, quia „ non transfertur, excludit, & transferri facit „ quodlibet Festum duplex, sive Majus, sive „ minus; solisque cedit Festis solemnibus pri- „ mæ, vel secundæ classis, nisi sit octava

,, privilegiata, qualis est octava Epihaniæ, de
,, qua in Rubricis generalibus. S.R.C.1.Mar-
,, tii 1681.
,, 839. Qui habent privilegium celebrandi
,, octavam in Quadragesima, occurrente die in-
,, fra octavam in feria quarta Cinerum, nul-
,, lam debent facere commemorationem de octa-
,, va neque in Laudibus, neque in Missa, &
,, debent dicere Preces, Psalmos Graduales,
,, &c. & servare omnino Rubricas dictæ fe-
,, riæ IV. Cinerum. S. R. C. 24. Januarii 1682.
,, Occurrente autem in eadem feria IV. Ci-
,, nerum die Octava, Officium octavæ cessat
,, omnino ad Nonam feriæ III. præcedentis.
,, S. R. C. 23. Junii 1736. Pariter occurrente
,, die infra octavam in Dominica Passionis,
,, debent hujusmodi Privilegiati omittere com-
,, memorationem octavæ in Laudibus, ac Missa
,, Dominicæ tantum, & dicere Preces ad Pri-
,, mam: si autem in eadem Dominica occurrat
,, dies octava, Officium octavæ cessat ad No-
,, nam præcedentis Sabbati. S. R. C. 23. Ju-
,, nii 1736.
,, 840. In die infra octavam non potest fie-
,, ri Officium, licet occurrens, de Sancto, ad
,, libitum. S. R. C. 1. Decembris 1684., &
,, 15. Martii 1698.
,, 841. Octava Omnium Sanctorum, tam-
,, quam dignior, præferenda est octavæ Dedica-
,, tionis Ecclesiæ. S. R. C. 5. Martii 1695.
,, 842. Infra octavam Corporis Christi potest
,, recitari Officium de duplici primæ, & secun-
,, dæ classis, etiam translato; non autem in
,, die octava, in qua nec de duplici secundæ
,, classis occurrente fieri potest Officium. S. R.
,, C. 30. Maii 1699.
,, 843. Quando duæ octavæ simul occurrunt,
,, quarum una sit Patroni principalis sub ritu
,, duplici primæ classis, altera vero B. M. V.
,, sub ritu duplici secundæ classis, recitandum
,, est Officium de octava Patroni principalis
,, cum commemoratione octavæ B. M. V. S.
,, R. C. 19. Junii 1700. Eadem Congregatio
,, eodem die, & anno statuit, quod in Domi-
,, nica infra octavam Nativitatis B. M. V. si
,, occurrat alicubi octava aliqua; quia Ss. No-
,, men Mariæ est ritus duplicis majoris, trans-
,, feratur Officium Ss. Nominis Mariæ, & fiat
,, de Octava; quod non valet tamen pro octa-
,, va Nativitatis ejusdem, de qua jam allatum
,, est Decretum sub die 15. Novembris 1685.
,, *v. Festum*.
,, 844. Festa octavam habentia, quibus, in
,, aliquibus locis ob perpetuum impedimentum
,, alius dies est assignatus, sunt semper cele-
,, branda sine octava, si de ea nihil post assi-
,, gnatum diem remaneat; vel cum residuo
,, octavæ si aliqui dies supersint: cum qui-
,, bus pariter festis, in aliam diem perpetuo
,, translatis, non transfertur indulgentia eisdem
,, concessa. S. R. C. 16. Septembris 1741.
,, Vide Commemoratio. Consecratio. Fe-
,, stum. Lectiones. Moniales. Officium. Re-
,, gulares. Symbolum. Translatio. Vesperæ.

OFFICIUM.

,, 845. Qui sunt de gremio alicujus Eccle-
,, siæ, debent recitare Officium, quod
,, in choro dicitur, licet morentur alibi. S.
,, R. C. 30. Augusti 1602.; non tamen tenen-
,, tur Clerici, licet adscripti Ecclesiæ, non ve-
,, ro obligati ejusdem choro. Eadem S. R. C.
,, eodem die, & anno.
,, 846. Tertiarii S. Francisci degentes in sæ-
,, culo, de gremio alicujus Ecclesiæ, & illius
,, choro obligati, debent recitare officia parti-
,, cularia illius Ecclesiæ; secus autem si sint
,, de gremio, & nullatenus choro intervenire
,, debuerint. 28. Septemb. 1602.
,, 847. De Sancto, cujus insignis Reliquia ha-
,, betur, fieri potest Officium duplex minus in
,, ejus Festo. S. R. C. 23. Novemb. 1602.
,, 848. Non est relinquendum Officium Bre-
,, viarii pro Officio devotionis. S.R.C. 29. No-
,, vemb. 1603.
,, 849. Ubi viget consuetudo immemorabilis,
,, potest recitari Officium de Communi pro
,, Sanctis etiam non canonizatis. S. R. C. 11.
,, Junii 1605. Hic apponendum aliud Decre-
,, tum ejusdem S. R. C., emanatum 8. Apri-
,, lis 1628., nempe: De Ss. Episcopis Locorum,
,, Martyribus, Civibus, & aliis Festis, de qui-
,, bus in Kalendario Romano, seu Rubricis Bre-
,, viarii nihil habetur, uti etiam de Beatis non
,, canonizatis, nihil propria auctoritate statua-
,, tur, sed omnino consulatur S. R. C. *Quod*
,, *Decretum non est contrarium antecedenti, quia*
,, *ibi intervenit consuetudo immemorabilis*.
,, 850. Servanda est antiqua, & laudabilis
,, consuetudo, ubi recitatur in choro Officium
,, parvum B. M. V. etiam in semiduplicibus, &
,, Dominicis, non obstante Rubrica Breviarii.
,, S. R. C. 1. Septemb. 1607.
,, 851. Sub ritu duplici est recitandum Offi-
,, cium de Sancto, cujus habetur insignis Re-
,, liquia, ubi asservatur; vel sit Corpus inte-
,, grum, aut magna pars ejusdem, aut caput,
,, & sit ex Sanctis approbatis, & positis, in
,, Martyrologio Romano. S. R. C. 3. Junii
,, 1617. Eadem S. R. C. 12. Maii 1618., *sta-*
,, *tuit, ad explicationem superioris Decreti su-*
,, *per vocem* Ubi, *intelligi debere Ecclesiam,*
,, *non vero Civitatem, vel Oppidum, ita ut*
,, *Ecclesiæ aliæ totius Civitatis, vel Oppidi,*
,, *possint idem Officium recitare; quod nequeunt*

852.

,, 852. Officium Stigmatum S. Francisci, pro Clero est semiduplex. S. R. C. 2. Octobris 1627.

,, 853. Non possunt locorum Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ a Breviarii Romani Rubricis, vel a S. R. C., seu Sedis Apostolicæ licentia, conceduntur; neque propria auctoritate, & quovis prætextu possunt mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa Officia de loco in locum. S. R. C. 8. Aprilis 1628.

,, 854. Celebrari non potest per totam Civitatem, vel Diœcesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio de Sancto, eo quod in Loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in Ecclesia ipsius Sancti Titularis, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia, & non alibi. S. R. C. 8. Apr. 1628.

,, 855. Officia non approbata damnantur. S. R. C. 8. Aprilis 1628.

,, 856. *Solemniter consuevisse fieri Officium*, de quo Rubrica Breviarii Romani sub tit. 1., significat Festum populi, aut Cleri, cum pompa, exteriore apparatu, concursu, &c. S. R. C. 28. Octobris 1728.

,, 857. Officia Sanctorum Episcoporum alicujus Loci possunt continuari de Communi, si constat illos fuisse canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuisse de illis Officium, & Missam. S. R. C. 28. Octobris 1628.

,, 858. De Sancto canonizato non potest fieri Officium extra propriam Ecclesiam, sine novo Decreto. S. R. C. 9. Decemb. 1628.

,, 859. Officium, & Missa S. Rochi conceditur tantum in Ecclesiis ad ejus honorem Deo dicatis S. R. C. 16. Junii, & 26. Novemb. 1629.

,, 860. Dum aliqua legata relinquuntur cum onere celebrandi Officium alicujus Sancti sub altiori ritu quam qui a Sede Apostolica ei præscribitur, licitum erit hujusmodi Officia solemnius celebrare quoad pompam extrinsecam, non autem quoad ritum Ecclesiasticum. S. R. C. 14. Maii 1644.

,, 861. Recitatio Officii de Beatis non canonizatis non est satisfactoria præcepti, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulsit; nec talium Beatorum nomina possunt poni in Kalendario, nisi illius tantum Loci, earumque personarum, in quo, & a quibus cultus Beati cum Officio, & Missa celebratur. S. R. C. 27. Septembris 1659. approbante Alexandro VII.

,, 862. Recitantes ex legitima concessione Officium Ss. Sacramenti in qualibet feria V. non impedita, illud persolvere debent, ut in die ejusdem Solemnitatis; Missam vero debent celebrare, quæ est votiva Ss. Sacramenti. S. R. C. 12. Julii 1664. *Hujusmodi Officium SS. Sacramenti, si debet per annum recitari ut in die Solemnitatis ejusdem ut patet ex relato Decreto, debet recitari cum Alleluja, quia in die Solemnitatis dicitur Alleluja; excepto tempore post Septuagesimam: & in Missa dicatur* Gloria.

,, 863. Cum in omnibus Dominiis Imperio subjectis recitetur ex indulto Apostolico Officium proprium Ss. Angelorum Custodum cum octava mense Septembri non est de eis recitandum etiam secunda die Octobris. S. R. C. 30. Septemb. 1679.

,, 864. Officia concessa semel in hebdomada, ut de Conceptione B. M. V. in Sabbato, vel de Ss. Sacramento in feria V., non sunt celebranda in Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, nec in Vigiliis. S. R. C. 1. Martii 1681.

,, 865. Ubi Festum S. Thomæ Cantuariensis Martyris celebratur sub ritu duplici, si occurrerit in Dominica, recitandum erit Officium de Sancto, cum commemoratione Dominicæ, & die 30. Decembris agendum de die infra octavam Nativitatis. S. R. C. 1. Martii 1681.

,, 866. In Officio feriæ quartæ Cinerum, Privilegiati debent relinquere commemorationem octavæ, & dicere Preces, Psalmos Graduales, &c., & servare omnino Rubricas dictæ feriæ quartæ Cinerum. S. R. C. 24. Januarii 1682. *Hoc Decretum habetur clarius supra, n.* 839.

,, 867. Si Officium ad libitum non poterit celebrari, & habuerit etiam ritum simplicem de præcepto, eo anno non omittatur sed celebretur ritu simplici. S. R. C. 13. Junii 1682.

,, 868. Quando aliqua Officia concessa sunt, ut recitentur in diebus Dominicis, ut de Patrocinio B. M. V. &c., si aliqua ex dictis Dominicis impediatur aliquando ab alio Officio majoris ritus, vel dignitatis, in tali casu dictum Officium non potest transferri in aliam Dominicam, vel ad primam diem non impeditam, sed debet omitti. S. R. C. 20. Martii 1683. *Advertendum, dictum Decretum loqui de concessis, non de præceptis, nam præcepta transferri debent ad primam diem non impeditam. Sicuti pariter transferri debent Officia concessa toti alicui Regno, vel Provinciæ, ut patet ex responsione S. R. C. ad quæsitum Metropolitanæ Hispalensis*, ut infra n. 870.

,, 869.

„ 869. Quando pro aliquo Festo, vel Officio concesso ponitur ritus duplex absque expressione majoris, vel minoris, concessio intelligenda est de duplici minori, etiam si ad honorem Deiparæ facta fuerit. S. R. C. 2. Octobris 1683.

„ 870. Quando Indultis, & Decretis super concessione Officiorum leguntur verba illa *recitari posse*, *fieri posse*, ita intelligenda sunt, ut nihil significent præter Officia ad libitum, quibus omnino competit Decretum 24. Januarii 1682. pro Sanctis ad libitum emanatum. S. R. C. 20. Novemb. 1683. Verum hic apponendum quod posterius decrevit eadem S. R. C. 5. Maii 1736. nempe: Non possunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quæ sunt concessa pro Locis, & Ecclesiis particularibus ad eorum instantiam; at quando Officia prædicta sunt de præcepto pro aliquo Statu, sicut plura B. M. V. affixa certis diebus, transferantur. *Et cum supplicatum esset eidem S. R. C. pro declaratione: An sub nomine Sanctorum ad libitum comprehendantur Officia duplicia, & semiduplicia Sanctorum, recitari concessa aliquibus Regnis, Provinciis, Civitatibus, & alicui particulari Ordini, cum particulis* possint, & valeant? S. R. C. die 16. Septembris 1730. *respondit* negative. Et die 26. Novembris 1735. *ad quæsitum Metropolitanæ Hispalensis, utrum scilicet Festum Patrocinii S. Joseph, toti Hispaniæ concessum sub ritu duplici in tertia Dominica post Pascha, si occurrat eodem die Festum majoris ritus, per quod transferendum sit, an transferri possit? S. R. C. respondit* transferri posse, ita tamen, ut Archiepiscopus assignet pro dicto Festo aliquam diem, quæ non sit Dominica.

„ 871. In Ecclesiis Titularibus sub invocatione S. Mariæ Angelorum, Officium cum Missa erit ut in Festo S. Mariæ ad Nives, sed lectiones secundi nocturni sumendæ sunt a secundo nocturno diei Nativitatis ejusdem B. M. V., mutato verbo *Natali* in verbum *Festivitate* S. R. C. 10. Junii 1690.

„ 872. Non licet aliquid ex devotione, seu auctoritate privata, miscere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujusvis diei; quia in Officiis Sanctorum nihil est addendum, vel immutandum, nisi a sancta Sede Apostolica concessum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690.

„ 873. Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodo constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: de ceteris autem Sanctis non descriptis in prædicto Martyrologio, aut de quibus a sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missæ celebrari non debent, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto, aliisque in Constitutione S. Pii V. contentis: per hoc tamen, si tale Corpus, vel Reliquia insignis, legitima recognita fuerint ab Episcopo, debita veneratio non tollitur. S. R. C. 11. Augusti 1691., approbante Innocentio XII.

„ 874. Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particulares, & propriæ Religionis, omittenda sunt. S. R. C. 11. Augusti 1691.

„ 875. In feria VI. post octavam Ascensionis potest fieri de Officio semiduplici translato. S. R. C. 11. Augusti 1691.

„ 876. Officium S. Francisci Salesii in posterum est duplex. S. R. C. 24. Novemb. 1691., annuente Innocentio XII.

„ 877. A die 17. Decembris inclusive, usque ad vigiliam Nativitatis Domini exclusive, fieri potest quodcumque Officium duplex, vel semiduplex occurrens, vel translatum, sed in utrisque Vesperis pro commemoratione feriæ dicantur Antiphonæ majores tunc occurrentes. S. R. C. 17. Maii 1692. Idem statutum fuerat 5. Martii 1644.

„ 878. In Officio simplici Martyris, qui sanguinem non fudit, pro secundo responsorio dicendum est *Domine prævenisti*, in quacumque feria occurrat, nec tantum in feria IV. S. R. C. 10. Januarii 1693.

„ 879. Officium S. Margaritæ Viduæ, Scotorum Reginæ, deinceps est semiduplex de præcepto. S. R. C. 21. Februarii 1693., annuente Innocentio XI.

„ 880. Officium semel in hebdomada concessum, recitari potest die Sabbati, si tota hebdomada sit impedita; & in tali casu omittendum Officium de S. Maria in Sabbato. Prima autem die mensis non impedita Festo duplici, vel semiduplici, & in qua occurrit recitari Officium defunctorum, potest recitari supradictum Officium semel in hebdomada concessum, transferendo, vel etiam aliquando omittendo, Officium defunctorum. S. R. C. 27. Aprilis 1697. & 7. Febr. 1699. *Hoc Decretum intelligitur de Officio semel in hebdomada concesso extra diem fixam.*

„ 881. Cum Officia non sunt ejusdem ritus Episcopus in sua Diœcesi non potest minus digno fixam diem assignare. S. R. C. 15. Martii 1698.

„ 882. Festa ad libitum, quæ semper cadunt in-

„ infra octavas Sanctorum, celebrari non possunt, attento Decreto S. M. Innocentii XI. die 24. Januarii *1682.* emanato. S. R. C. 15. Martii *1698.*

„ 883. Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare Officium juxta Rubricas, maxime si Ecclesiæ sint peræque unitæ. S.R.C. 5. Jul. *1698.*

„ 884. Officium semel in hebdomada concessum non potest recitari in vigiliis ordinariis, nec in Quatuor temporibus, juxta alia Decreta jam emanata. S.R.C. 7. Februarii *1699.*

„ 885. Officium Semiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam, debet recitari feria secunda immediate sequente, dummodo non sit impedita dicta feria ab Officio novem lectionum occurrente; & hoc etiam si intercederet aliquod translatum primæ, vel secundæ classis. S. R. C. 22. Decemb. *1696.*, 19. Julii 1700., & 1. Septemb. 1703.

„ 886. Officium S. Petri de Alcantara Confessoris ad ritum duplicem elevatur. S.R.C. 16. Aprilis 1701., annuente Clemente XI.

„ 887. Officium S. Ubaldi Episcopi, & Confessoris, deinceps est semiduplex de præcepto. S. R. C. 11. Februarii 1702., approbante Clemente XI.

„ 888. Officium Expectationis Partus B.M.V. pro sola Hispania, & non pro omnibus Regnis Hispano Monarchæ subjectis, indultum esse a Gregorio XIII., S. R. C. 4. Aprilis 1705. declaravit.

„ 889. Officium Sanctorum ad libitum, sive duplex, sive semiduplex, occurrens in die, quo fieri debet Officium de Dominica anticipanda ante Septuagesimam, vel ante Dominicam 24. post Pentecosten, non est recitandum cum commemoratione dictæ Dominicæ, neque transferendum, sed potius omittendum. S. R. C. 4. Aprilis 1705.

„ 890. Infra Octavam Corporis Christi, occurrente Festo novem lectionum, non debet omitti nona lectio Festi simplicis; in Officio enim tantum de Octava Corporis Christi omitti debet dicta lectio. S.R.C. 4. Aprilis 1705.

„ 891. S. R. Congregatio die 20. Martii 1706. magis explicavit dies, in quibus non potest recitari Officium concessum recitandum in singulis mensibus, vel hebdomadibus anni, nempe: In feriis Adventus, ac Quadragesimæ, in Quatuor temporibus, in Vigiliis sive cum jejunio, sive sine jejunio, in feria secunda Rogationum, atque in illa feria, in qua secundum Rubricas est reponendum Officium Dominicæ. *Decretum S. R. C. quoad hoc, habetur in Bullario particulari Clementis XI. Ad quos dies addidit eadem S. R. C. eodem die, & anno, dies in quibus ponendum est officium duplex, vel semiduplex, translatum, & dies infra quascumque octavæ, in quibus non potest recitari dictum Officium, &c.*

„ 892. Officium S. Heduvigis Viduæ est semiduplex de præcepto. S. R. C. 20. Martii 1706., annuente Clemente XI.

„ 893. Officium S. Antonini Episcopi, & Confessoris, in posterum est semiduplex de præcepto. S. R. C. 2. Aprilis 1707., approbante Clemente XI. 16. ejusdem mensis, & anni.

„ 894. Diebus sexta, & septima infra octavam Ss. Trinitatis, ubi est Titularis faciendum est Officium de die secunda, & tertia infra octavam Corporis Christi, cum commemoratione Ss. Trinitatis. S. R. C. 8. Junii 1709.

„ 895. De Titulo, & Consecratione Parochialis Ecclesiæ, quæ non est Cathedralis, non debet fieri Officium in die, neque per octavam, a Sacerdotibus, qui non sunt de Clero illius Parochiæ, licet sub eadem Parochia degant. S. R. C. 17. Augusti 1709.

„ 896. In occursu duorum Festorum, Officium minoris ritus transferendum est in diem immediate sequentem, etiam si sit Dominica: hoc intelligitur quando talis occursus est perpetuus, & non per accidens. S. R. C. 2. Julii 1712., & die 20. Novemb. 1717.

„ 897. Officium S. Pii V. Papæ, & Confessoris, cum Lectionibus secundi Nocturni, & Oratione propriis, est semiduplex de præcepto S. R. C. 28. Januarii 1713. annuente Clemente XII. 17. Februarii ejusdem anni.

„ 898. Officium S. Agathæ Virginis, & Martyris, elevatur ad ritum duplicem. S. R.C. 26. Augusti 1713. approbante Clemente XI. 29. ejusdem mensis, & anni.

„ 899. Officium S. Joseph Sponsi B. M. V. cum novis Antiphonis, Versibus, Lectionibus primi Nocturni, Responsoriis, & Capitulis, approbavit, & ab omnibus Christifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Martii in posterum recitari, & in Breviario apponi mandavit S. R. C. 3. Februarii 1714., annuente Clemente XI. sub die 4. ejusdem mensis, & anni.

„ 900. Officium S. Joannis de Deo Confessoris elevatur ad ritum duplicem. S. R. C., approbante Clemente XI. 21. Aprilis 1714.

„ 901. Officium S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, & Angliæ Primatis, elevatur ad ritum duplicem. S.R.C. 3. Februarii 1720., approbante Clemente XI. 8. ejusdem

„ men-

„ mensis, & anni. In utrisque Vesperis dici debet ad Magnificat antiphona *O Doctor optime*, & in Missa *In medio* debet dici *Credo*: ita rescribente eadem S. R. C.

„ 902. Officium proprium Ss. Nominis Jesu ab omnibus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu duplici secundæ classis Dominica secunda post Epiphaniam recitari, & Missam respective celebrari debere, indulsit S. R. C. 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. 20. Decembris ejusdem anni.

„ 903. Officium S. Isidori Episcopi, & Confessoris, recitetur sub ritu duplici, cum Lectionibus propriis secundi, ac tertii nocturni, & octavo responsorio *In medio*, & Oratione *Deus*, *qui populo tuo*, nec non cum antiphona ad Magnificat in utriusque Vesperis *O Doctor optime*; assignata Missa de Communi Doctorum, cum *Credo*. S. R. C. 25. Aprilis 1722. approbante Innocentio XIII.

„ 904. Officium S. Pauli primi Eremitæ deinceps est duplex minus. S. R. C. 11. Julii 1722. annuente Innocentio XIII. 18. ejusdem mensis, & anni.

„ 905. Officium S. Birgittæ Viduæ elevatur ad ritum duplicem. S. R. C. 26. Augusti 1724. annuente Benedicto XIII. 2. Septembris ejusdem anni.

„ 906. Officium S. Andreæ Avellini Confessoris sub ritu semiduplici, cum Lectionibus secundi nocturni, & Oratione propriis, ubique recitetur. S. R. C. 7. Julii 1725. approbante Benedicto XIII. 18. Augusti ejusdem anni.

„ 907. Benedictus XIII. concessit, ut in toto Ecclesiastico Statu ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, sequentia B. M. V. Officia in ejus respective Festivitatibus recitari, & Missæ respective celebrari debeant, videlicet: Die 23. Januarii, Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph; feria sexta post Dominicam Passionis, de Septem doloribus B. M. V. die 16. Julii, B. M. V. de Monte Carmelo; Dominica secunda Novembris Patrocinii B. M. V. die 10. Decembris, Translationis Sacræ Domus Lauretanæ; & die 18. Decembris, Expectationis Partus B. M. V. & ita decrevit, & servari mandavit die 23. Augusti 1725. *Hæc, & similia Officia, utpote de præcepto recitanda in toto Statu Ecclesiastico, si aliquando fuerint impedita ab aliquo Officio majoris ritus; etiam si fuerint affixa alicui Dominicæ, nihilominus possunt transferri; idque colligitur etiam ex Decreto S. R. C. 26. Novembris* 1735. *&* 5. *Maii* 1736.

„ 908. Officium S. Vincentii Ferrerii Confessoris deinceps est duplex, Benedictus XIII. 5. Aprilis 1726.

„ 909. Officium B. M. V. de Mercede elevatur ad ritum duplicem majorem. Benedictus XIII. 22. Martii 1727.

„ 910. Officium S. Rosæ Limanæ Virginis sub ritu duplici, cum Lectionibus secundi Nocturni, & Oratione propriis, ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari, & Missam respective celebrari, mandat Benedictus XIII. 28. Julii 1727.

„ 911. Quoad Officium B. M. V. de Monte Carmelo notandum, quod Idem Benedictus XIII. die 24. Septembris 1726. extendit ad omnes Christifideles utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, & recitari mandavit prout jacet, Romæ impressum anno 1726. & S. R. C. die 23. Junii 1736. declaravit, ad hoc teneri etiam quoscumque Regulares. Idem Summus Pontifex idem statuit quoad Officium de Septem Doloribus B. M. V. sub ritu duplici majori, die 22. Augusti 1727.

„ 912. Officium S. Rosæ Viterbiensis Virginis, cum Lectionibus secundi nocturni, & Oratione propriis, prout erant approbatæ pro Ordine Minorum, celebretur in toto Statu Ecclesiastico, & in Etruria, sub ritu duplici de præcepto. Benedictus XIII. 18. Januarii 1728.

„ 913. Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, alias sub ritu semiduplici pro Ecclesia universali die 25. Maii recitari concessum in posterum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, existentibus in tota Italia, & Insulis adjacentibus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu duplici recitari posse, & debere, concessit Benedictus XIII. 28. Januarii 1728. *Cui officio assignata est dies* 27. *Maii, quia die* 25. *ejusdem mensis recitari debet in perpetuum Officium S. Gregorii VII. sub ritu duplici minori*.

„ 914. Officium Ss. Joannis & Pauli Martyrum elevatur ad ritum duplicem. Benedictus XIII. 21. Maii 1728. *Unde Rubrica illa, quæ hactenus lecta est in Breviario ad diem 26. Junii, nempe*: Si hoc Festum venerit in Dominica, transfertur in sequentem diem, *modo cessat*.

„ 915. Officium S. Eusebii Episcopi Vercellensis, & Martyris, cujus hactenus die 15. Decembris facta est sola commemoratio, in posterum ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitetur die 16. ejusdem mensis sub ritu semiduplici, cum lectionibus secundi nocturni propriis; & Missa respective celebretur. Benedictus XIII. 7. Julii 1728.

„ *Nulla*

„ *Nulla itaque fiat commemoratio S. Eusebii in* „ *primis Vesperis, Laudibus, ac Missa de die* „ *octava Conceptionis; & in relato Officio S.* „ *Eusebii responsorium octavum sit* Domine præ„ venisti, *fuit enim S. Eusebius vere Martyr,* „ *licet sanguinem non fuderit.*

„ *916.* Officium S. Gregorii VII. Papæ, & „ Confessoris, cum Lectionibus secundi no„ cturni, & Oratione propriis, ab omnibus, „ qui ad horas canonicas tenentur, die 25. „ Maii sub ritu duplici recitari, & Missa re„ spective celebrari, atque in Missali, ac Bre„ viario Romano apponi, mandavit Benedi„ ctus XIII. 25. Septembris 1728.

„ *917.* Quoad Officium Septem Dolorum ul„ terius Benedictus XIII. die 25. Januari 1729. „ mandavit, quod, impedita feria sexta post „ Dominicam Passionis, transferatur ad Sab„ batum immediate sequens, etiam si in dicto „ Sabbato occurreret aliud Festum duplex, „ dummodo non sit altioris gradus; & illud „ Officium occurrens in Sabbato transferatur „ juxta Rubricas generales.

„ *918.* Officium S. Scholasticæ Virginis, „ cum Lectionibus secundi Nocturni, & Ora„ tione propriis, ab omnibus, qui ad horas „ canonicas tenentur, sub ritu duplici recita„ ri, & Missas respective celebrari debet, „ Benedictus XIII. 1. Februarii 1729.

„ *919.* Die 4. Decemb. recitari debet sub ritu „ duplici Officium S. Petri Chrysologi Episcopi, „ & Confessoris, cum Oratione, & Lectionibus „ propriis, & respective Missa celebrari, ab o„ mnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus „ utriusque sexus, qui ad horas canonicas te„ nentur. Benedictus XIII. 10. Februarii 1729.

„ *920.* Officium S. Wenceslai Martyris in „ posterum est semiduplex de præcepto. Be„ nedictus XIII. 14. Martii 1729.

„ *921.* Officium S. Joannis a S. Facundo Con„ fessoris, cum Lectionibus secundi nocturni, „ ac Oratione propriis, ab omnibus, qui ad „ horas canonicas tenentur, sub ritu duplici „ recitetur, & Missa respective celebretur. „ Benedictus XIII. 16. Novembris 1729.

„ *922.* Officium S. Monicæ Viduæ elevatur „ ad ritum duplicem. S.R.C. 26. Augusti 1730.

„ *923.* Officium S. Andreæ Corsini elevatur ad „ ritum duplicem a Clem. XII. 3. Januarii 1731.

„ *924.* Officia Sanctorum, quæ in fine anni „ supersunt, non sunt transferenda ad annum „ sequentem, sed quoties toto anni decursu de „ illis celebrari non valeat, tunc in illo anno „ diebus eorum propriis consideranda sunt tan„ quam simplicia, faciendo illorum comme„ morationem ut fit in semiduplicibus, cum „ nona lectione composita ex omnibus lectioni„ bus propriis secundi nocturni (si proprias ha„ buerint) ad modum unius. S. R. C. 26. No„ vembris 1735. 8. Martii 1738. & 6. Septemb. „ 1738. *Officia prædicta consideranda sunt tan„ quam simplicia, quatenus cum alio Officio* „ *majoris ritus, vel dignitatis occurrentia, no„ nam tantum lectionem, & commemorationem* „ *admittunt: hæc autem commemoratio fieri de„ bet ad modum semiduplicis, scilicet in utris„ que Vesperis, Laudibus, ac Missa Officii ea* „ *die currentis (dummodo in secundis Vesperis* „ *illam omitti non contingat ob sequens duplex* „ *2. classis) etiam ante commemorationem de die* „ *infra octavam.*

„ *925.* Officium S. Stanislai Episcopi, & „ Martyris, deinceps est duplex. S. R. C. 10. „ Martii 1736. annuente Clemente XII. 13. „ ejusdem mensis, & anni.

„ *926.* Quamvis Officium B. M. V. de Monte „ Carmelo celebrandum sit prout in Festo S. „ Mariæ ad Nives, Missa tamen, & non solum „ Evangelium, dicatur illa, quæ a Sede Apo„ stolica approbata est, quæ incipit *Gaudea„ mus omnes, &c.* S. R. C. 5. Maii 1736.

„ *927.* Officium S. Margaritæ de Cortona de „ Communi nec Virginum, nec Martyrum, „ cum Oratione, Lectionibus secundi nocturni, „ & Antiphonis ad *Benedictus*, & *Magnificat*, „ ac Missa propriis, celebretur die 23. Februa„ rii sub ritu semiduplici in tota Italia. S. R. „ C. 5. Maii 1736. annuente Clemente XII. „ 11. ejusdem mensis, & anni.

„ *928.* Officia a Benedicto XIII. demandata „ in honorem B. M. V. sub diversis Titulis „ superius expressis, pro toto Statu Ecclesia„ stico, omnia debent recitari sub ritu dupli„ ci majori. S. R. C. die 15. Septembris 1736.

„ *929.* Officium S. Vincentii a Paulo Con„ fessoris sub ritu semiduplici celebretur, cum „ Oratione, ac Lectionibus secundi nocturni „ propriis, & in tertio nocturno Homilia in „ Evangelium *Designavit Dominus*, ut in Fe„ sto S. Lucæ 18. Octobris. S. R. C. 7. De„ cembris 1737. annuente Clemente XII. 11. „ ejusdem mensis, & anni.

„ *930.* In tota Italia, & Insulis ei adjacen„ tibus, atque in aliis Dominiis, Regnis, & „ Provinciis, die 21. Junii celebretur Officium „ S. Aloysii Gonzagæ Confessoris sub ritu du„ plici, cum Oratione, Lectionibus, ac Mis„ sa propriis. S. R. C. 18. Maii 1737.

„ *931.* Officium, & Missa S. Julianæ de „ Falconeriis, Fundatricis Tertii Ordinis Ser„ vorum B.M.V. cum Oratione, Hymno, & „ Lectionibus propriis secundi nocturni, sub „ die 20. Martii 1728. præfatæ Servorum B. „ M. V. Religioni, & Civitati Florentiæ „ concessum, in posterum, prout jacent, ab „ omnibus Christifidelibus utriusque sexus tam

„ Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Junii sub ritu semiduplici recitari, & respective celebrari debere indulsit. S. R. C. 8. Martii 1738. approbante Clemente XII. die 15. ejusdem mensis, & anni.

„ *932.* In Officiis SS. concessis Regularibus infra annum, puta Conceptionis semel in hebdomada, & similibus, octava benedictio erit *Cujus festum colimus &c.*

„ *933.* Adveniente notitia alicujus Officii recitandi, a Sacra Rituum Congregatione recenter concessi, si talis notitia ita opportune perveniat, ut prædicti Officii recitatio evenire possit tempore congruo, scilicet, vel die a Sacra eadem Congregatione pro tali recitatione præscripto, vel diebus post illum vacantibus, quibus juxta rubricarum regulas hujusmodi Officium recitari possit, recitetur quidem; si autem talis notitia non ita opportune pervenerit, ut prædictis diebus impleri potuerit, Officii recitatio pro præsenti anno omittatur. S. R. C. 11. Julii 1739.

„ *934.* Ubi adest Indultum recitandi qualibet feria V. per annum Officium Ss. Sacramenti, occurrente in eadem feria V. quocumque Officio novem Lectionum, etiam translato, omissa recitatione Officii Ss. Sacramenti, faciendum est Officium ea die occurrens, etiamsi esset de die infra octavam. S. R. C. 1. Octobris 1740. *Idem dicendum de Officio per annum Immaculatæ Conceptionis, aliquibus in Locis quolibet Sabbato recitandum, & de aliis similibus.*

„ *935.* Ubi octava Corporis Christi ex indulto Sacræ Rituum Congr. est ita privilegiata, ut de nullo festo infra eandem fieri possit, nisi fuerit primæ classis, in quo æquiparatur octavæ Epiphaniæ Domini; si aliqua alia octava inchoata sit ante Festum Corporis Christi, eo adveniente cessat octava jam inchoata. Quod si infra octavam Corporis Christi occurrat Festum primæ classis habens octavam, de eo celebrabitur Officium cum commemoratione octavæ Corporis Christi; sequentibus autem diebus fiet Officium de ipsa Octava Corporis Christi, cum commemoratione octavæ occurrentis. S. R. C. 22. Aprilis 1741.

„ *936.* Persolventes Divinum Officium extra Chorum, non tenentur ad psalmos Graduales, nec Pœnitentiales, neque ad Officium parvum B. M. V. nec defunctorum; quæ quidem Officia & Psalmi, sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in Choro. S. R. C. 2. Septembris 1741.

„ *937.* In recitatione Officiorum particularium serventur Decreta a Sacra Rituum Congreg. edita super illorum recitatione, non excedendo limites concessionis: nec ad servandam uniformitatem licitum est, Officia alicui Diœcesi concessa recitare in aliis Diœcesibus ejusdem Regni, vel Provinciæ. Qui autem particularia Officia recitare, vel ipsa a ritu duplici minori ad duplicem majorem elevare desiderant, instent in eadem Sacra Congreg. pro illorum concessione, vel elevatione; & interim serventur Rubricæ tam de Occurrentia, quam de Concurrentia Festorum, quæ ex ritu Officii, non autem ex apparatu, & concursu, propriam ac veram desumunt solemnitatem. S. R. C. 1. Decembris 1742.

„ Vide Antiphona. Commemoratio. Concurrentia. Consecratio. Episcopus. Festum. Hymnus. Lectiones. Moniales. Octava. Patronus. Regulares. Sancti. Suffragia. Translatio.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

„ 938. MAtutinum defunctorum pro generali eorum Commemoratione non debet cantari pridie Vesperi in Festo Omnium Sanctorum, sed recitandum est mane die 2. Novembris post Laudes diei. S. R. C. 23. Maii 1603. & primo Septembris 1607. In Cathedralibus vero præsente Episcopo potest dici ante Completorium diei Omnium Sanctorum, ut declaravit S. R. C. 5. Julii 1698. *Huic Decreto non officit aliud Decretum S. R. C. editum* 22. Januarii 1701. *quia loquitur de Officio extra Cathedralem, & non præsente Episcopo.*

„ *939.* Officium pro die tertio, septimo, vel trigesimo post obitum defuncti, si cadat in die Dominico, vel festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. S. R. C. 23. Maii 1603.

„ *940.* Commemoratio omnium Fidelium defunctorum non est celebranda, nec facienda in die Dominico, sed transferri debet in feriam secundam sequentem. S. R. C. 24. Septembris 1605. & 1. Septembris 1607.

„ *941.* Officium defunctorum non potest dici in semiduplicibus, & in Officiis novem lectionum, nisi ad effectum satisfaciendi menti Testatorum. S. R. C. 12. Julii 1628. & potest dici in choro separatim ab Officio diei, 12. Augusti 1682.

„ *942.* In commemoratione omnium Fidelium defunctorum potest fieri Officium de Festo duplici minori, sed Missæ sunt celebrandæ de Requiem. S. R. C. 1686. & 17. Septembris 1696. & 19. Junii 1700. & 5. Maii 1736. *Intellige, excepta Conventuali de Festo post Tertiam.*

„ *943.* Quando ab aliqua Congregatione di-

„ citur

„ citur totum Officium defunctorum, non debet illud dici, ut secunda die Novembris, omittendo Psalmos post Vesperas, & Laudes positos in Officio defunctorum. S.R.C. 5. Julii 1698. & 23. Junii 1736. & 3. Augusti 1737. & 8. Martii 1738.

„ 944. Vesperæ defunctorum pro prima die mensis dicuntur post Vesperas etiam Dominicæ, vel Festi de præcepto, si accidat. S. R. C. 23. Maii 1603.

„ 945. Duplicatio antiphonarum præter diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & diem depositionis defuncti, fiat in diebus tertio, septimo, trigesimo, & anniversario tantum. S. R. C. 8. Martii 1738.

„ Vide Matutinum.

PATRONUS, PROTECTOR.

„ 946. Usus semel introductus, & receptus, in Ecclesia Cathedrali celebrandi Festum solemniter de aliquo Sancto tanquam de Patrono, continuandus est, licet non sit de antiquis Patronis Ecclesiæ, vel in Breviario Romano de eo non fiat Officium. S. R. C. 15. Martii 1608.

„ 947. Festum Patroni Principalis Loci tenentur omnes cum Officio de eodem, etiam Regulares, celebrare, sed isti ad octavam non tenentur. S. R. C. 27. Martii 1628. Et 23. Maii 1639 eadem S. R. C. declaravit, in occurrentia octavarum plurium Patronorum, de principaliori dumtaxat fieri debere octavam; necnon declaravit Festum Patroni principalis Civitatis a Clero Sæculari Civitatis celebrandum esse cum octava, a Regularibus vero sine octava; in Diœcesi autem, ubi non adsit proprius Loci Patronus, similiter cum octava; at ubi colitur Festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attenta consuetudine, sub ritu duplici majori tantum, & sine octava; quod idem confirmavit 28. Septembris 1658.

„ 948. Cum S. Januarius fuerit declaratus Patronus principalis Regni Neapolitani, hinc die festo dicti Sancti in eodem Regno fieri debet Officium sub ritu duplici cum octava, sed de Sancto Januario tantum, non vero de sociis ejusdem, quorum Officium transfertur ad primam diem non impeditam. S. R. C. 12. Julii 1664.

„ 949. Cum in pluribus Decretis dicatur, Regulares teneri ad recitationem Officii Patroni Loci, pro ly *Loci* intelligitur etiam Patronus Provinciæ, vel Regni, dummodo constet liquido de concessione Apostolica. S. R. C. 20. Martii 1683.

„ 950. In Patronorum, sive Protectorum præcedentia, servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & inter ordinem hierarchicum attendenda est anterioritas in electione. S. R. C. 11. Martii 1690.

„ 951. In Sanctorum Patronorum electione non fieri debent promissiones servandi eorum diem festum tanquam de præcepto. S. R. C. 15. Martii 1698. *Quæ rejicit hujusmodi vota, seu promissiones, & concedit servari posse tantum ex devotione.*

„ 952. Eadem S. R. C. die 14. Februarii 1705. declaravit pro Regularibus, nomine Patroni Loci, de quo ipsi tenentur recitare Officium sub ritu duplici primæ classis sine octava, non intelligi debere Patronum Parochiæ, intra cujus limites degunt, dummodo illa Parochia non esset Ecclesia Matrix nullius Diœcesis.

„ 953. Festum Principalis Patroni alicujus Diœceseos a Regularibus est celebrandum ritu duplici primæ classis, & Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis ritu duplici secundæ classis, sine octavis; extra Civitatem vero non tenentur ad Dedicationis Officium. S. R. C. 5. Maii 1736. & antea 16. Junii 1708.

„ 954. De Patrono, seu Titulari Ecclesiæ, debet fieri Officium sub ritu duplici primæ classis cum octava a Clero eidem adscripto, etiam si Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta. S. R. C. 21. Junii 1710.

„ 955. Super electione Sanctorum in Patronos, Decretum a S. R. C. de ordine Urbani VIII. emanatum die 23. Martii 1630. servetur, & est ejusmodi: S. R. C. annuente SS. D. N. in electione Patronorum mandavit, infrascripta in posterum servari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.

„ I. Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beneficiati dumtaxat.

„ II. Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus solum; & quod accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius loci; idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularum Civitatum Provinciæ; & quod repræsentantibus Regnum, Civitatem, vel Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Civitatum.

„ III. Quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in S. Congregatione de-

„ duci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari. Hoc Decretum emanavit die 23. Martii 1630.

„ Vide Festum. Regulares. Suffragia. Translatio.

PSALMI PŒNITENTIALES.

„ 956. PSalmi Pœnitentiales, & Graduales, dicuntur licite, ubi est consuetudo eos dicendi, pridie Vespere feriæ IV. & VI. post Completorium. S. R. C. 2. Augusti 1603.

REGULARES.

„ 957. REgulares Ordinis Minimorum, cum in Orationibus S. Franciscum, præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere *de Paula*. S. R. C. 23. Decembris 1624. sed clarius 1629.

„ 958. Regulares tenentur quidem celebrare Festum de Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis, & sine Octava. S. R. C. 1. Aprilis 1666. approbante Alexandro VII. die 8. ejusdem mensis, & anni.

„ 959. Ratione communicationis Privilegiorum non potest recitari peculiare Officium concessum illi Ordini Regulari, de cujus privilegiis facta fuit communicatio. S. R. C. 15. Septembris 1668. & 30. Septembris 1679. & eodem anno die 16. Novembris.

„ 960. Religiosi tenentur celebrare sub ritu duplici primæ classis cum octava Festum tam de Dedicatione, quam de Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. S. R. C. 13. Junii 1682. Et eodem die, & anno decrevit, quod in occursu Officii Sancti proprii, & Officii concessi aliquibus Locis, seu Provinciis, vel Regnis ad libitum, debent recitare Officium proprii Sancti.

„ 961. Regulares non possunt uti Kalendario Diœcesano; tenentur tamen ad recitationem Officii Patroni principalis Loci, ac Titularis Ecclesiæ Cathedralis, sed non ad eorumdem octavas. S. R. C. 20. Martii 1683.

„ 962. Regulares possunt, & debent recitare Officia ad petitionem Regum, & Principum concessa aliquibus Regnis, Provinciis, & Ditionibus, recitanda a Clero Sæculari, & Regulari. S. R. C. 20. Martii 1683. Et eodem die, & anno decrevit, quod in occurrentia aliquorum Officiorum, quæ recitari debent in aliquibus Regnis, cum Officiis propriis Religionis, servanda est Rubrica de Translatione Festorum in dispari ritu, & dignitate, præferendo Officium, quod cum majori solemnitate, & populi concursu celebratur.

„ 963. Eadem S. R. C. explicavit die 20. Martii 1683. illa verba *non tenentur recitare Officium de octava* Patroni, vel Titularis principalis, & Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, ac Patroni Diœcesis, Regni, Provinciæ, vel Civitatis &c. dicendo, quod ly *non tenentur* nedum excludit ad libitum, sed importat etiam non posse, nisi id specialiter ipsis Regularibus indultum fuerit a Sede Apostolica, vel mandatum a Constitutione Religionis, ab Apostolica Sede approbatæ.

„ 964. Regularium Superiores non veniunt sub nomine Ordinariorum, & consequenter non possunt assignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione Officii de Patrocinio B. M. V. quod multis in Locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico præfati mensis, a Locorum Ordinariis eligendo. S. R. C. 22. Januarii 1701. *Hoc Officium pro Statu Ecclesiastico est assignatum a* Benedicto XIII. *Dominicæ secunda intra mensem Novembris*.

„ 965. Regulares sola communicatione privilegiorum non possunt in Litaniis, & *Confiteor* addere nomen Sancti Fundatoris, absque speciali privilegio. Hoc ipsum de Officiis, & Missis aliis Religionibus concessis. S. R. C. 20. Martii 1706.

966. Quando occurrit Festum aliquod, quod sit de præcepto quoad Forum, Regulares de eo debent illa ipsa die Officium facere, nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud Festum, quod sit ejusdem classis, & ritus, sed majoris dignitatis. S. R. C. 5. Maii 1736.

„ 967. Regulares, quamvis ex consuetudine utantur Kalendario Diœcesano, non ideo tenentur ad recitationem Officii de octava Patroni Loci, vel Titularis principalis. S. R. C. 16. Septembris 1741. *Notandum quod ly* non tenentur *non importat* ad libitum, *sed æquivalet expressæ prohibitioni, ut constat ex Decreto superius posito v. Moniales*.

„ Vide Consecratio. Lectiones. Moniales. Officium. Patronus. Translatio.

RELIQUIÆ.

„ 968. INsignes Reliquiæ, quarum ratione recitari potest Officium sub ritu duplici minori, sunt caput, brachium, crus, aut illa pars Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata. S. R. C. 8. Aprilis 1628.

„ Vide Episcopus. Officium.

RESPONSORIUM.

„ 969. UBi ex dispositione testatorum singulis diebus canendum est in Ecclesia Responsorium pro defunctis, potest quo-

„ tidie

„ tidie decantari, exceptis festis primæ & secundæ classis, & octavis privilegiatis, necnon tota hebdomada mjori: in prædictis autem festis primæ, & secundæ classis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia Testamtorum voluntas defraudetur, Responsorium prædictum recitetur privatim in choro, absolutis horis canonicis. S. R. C. 8. Julii 1741.

S A N C T I.

„ 970. DE Sanctis Episcopis Locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate statuatur, sed omnino consulatur. S. R. C. 8. Aprilis 1628.

„ 971. Consuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua asservatur ejus Corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in Martyrologio, & de ejus identitate constet. S. R. C. 5. Julii 1698.

„ 972. Sanctorum Officia concessa aliquibus Regnis, Provinciis, &c. cum formula *recitari possint, & valeant*, non intelligitur ad libitum; ideoque si non possint recitari in diebus assignatis, recitantur alia die non impedita, ut in superioribus Decretis. S. R. C. 16. Septembris 1730. *Notanda tamen sunt quæ dicta sunt in præcedentibus Decretis sub verbo* Officium.

S E D E S.

„ 973. PRima sedes in choro conceditur hebdomadario parato tantum. S. R. C. 22. Augusti 1626.

„ Vide Episcopus.

S U F F R A G I A.

„ 974. DUm dicenda sunt suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, facienda est commemoratio tantum de Patrono principaliori. S. R. C. 20. Novemb. 1683.

„ 975. In Ecclesiis Titularibus B. M. V. (*idem dicendum ubi B. M. V. sub quocumque Titulo est Patrona Loci, Diœcesis, vel Ordinis*) inter Snctorum suffragia facienda est commemoratio de B. M. V., non obstante quod in choro recitetur ejusdem Officium parvum. S. R. C. 17. Junii 1684., & 14. Augusti 1691. *Quod etiam Decretum fuerat* 10. Januarii 1604., & 13. Junii 1682., & 10. Junii 1690., & 23. Aprilis 1695., quo ultimo Decreto assignatur etiam antiphona dicenda, nempe *Sancta Maria succurre miseris*, non obstante quocumque Titulo, per quod Ecclesia sit dicata B. M. V.

„ 976. Si contingat fieri Officium de Festo semiduplici in vigilia Omnium Sanctorum, non obstante commemoratione vigiliæ, debent in Laudibus fieri suffragia solita; in Missa tamen non debet dici Oratio *A cunctis. &c.* S. R. C. 21. Junii 1710., *scilicet in missa de vigilia prædicta; in Missa autem de prædicto Festo semiduplici debet dici oratio* A cunctis, *ex Decreto relato in prima Parte v.* Vigilia.

„ Vide Commemoratio.

S Y M B O L U M.

„ 977. SYmbolum S. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in choro recitatur stando. S. R. C. 23. Decemb. 1624.

„ 978. Diebus infra octavam Ss. Trinitatis, ubi est Titulus Ecclesiæ, & in festis infra dictam octavam occurrentibus, non debet ad primam dici Symbolum S. Athanasii. S. R. C. 8. Junii 1709., & 5. Maii 1736. In hoc tamen ultimo Decreto statuit eadem S. R. C., non solum dici debere dictum Symbolum in die Festo, sed etiam in octava die ejusdem solemnitatis.

T R A N S L A T I O.

„ 979. HAbentes privilegium recitandi Officium Ss. Sacramenti feria V. singularum hebdomadarum & Sabbato Officium B. M. V. sub ritu semiduplici, exceptis solitis temporibus; si in prædictis duobus diebus, vel in uno eorum, reponendum esset Officium translatum, possunt ulterius transferre translatum, & in dictis diebus recitare Officium juxta privilegium. S. R. C. 22. Novemb. 1664.

„ 980. Nulla disparitas adest inter translationem Festorum Apostolorum, & illam Evangelistarum, sed occasione dictæ translationis faciendum est Officium, quod prius in Kalendario proponitur. S. R. C. 18. Septembris 1666. *Quo circa eadem* S. R. C. die 17. Julii 1706. *decrevit ut sequitur*: Si Festum S. Marci Evangelistæ occurrat in feria secunda post Dominicam Resurrectionis, & similiter Festum Ss. Apostolotum Philippi & Jacobi in Dominica in Albis, ac propterea juxta Rubricas utrumque sit transferendum, prius transferri, & reponi debet Festum S. Marci.

„ 981. S. R. C. die 18. Julii 1671. decreverat, Festa ad libitum, impedita per occurrentiam alterius, posse transferri. At die 20. Decembris 1673. non obstante prædicto Decreto, censuit, in futurum Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum Festivitatum sunt impediti Dominico, aut alio die Festorum mobilium. Postea proposito eidem S. R. C. quæsito, quæ regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Kalendiarii proprii, vel translatis,

„ vel

„ vel demum semel per hebdomadam, vel per „ mensem recitari concessis? Eadem S. Congregatio respondit „ prædicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus Dominicis, octavis, & natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœcesis „ ex vi Kalendarii proprii a Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semiduplici, celebrandis, non esse transferenda, sed omitti debere: si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod Festum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit, eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre, prout etiam omisso Officio, quod per hebdomadam, vel per mensem ex Apostolico indulto recitari concessum est, Officium ad libitum eo die occurrens recitari posse decrevit: & ita ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur servari mandavit eadem S. R. C. 24. Januarii 1682. Quod si tale Officium ad libitum, quod ob occurrentiam alterius non potest recitari, habuerit antea ritum simplicis de precepto, fiat sub tali ritu simplici eadem die in qua datur occurrentia alterius, de quo fit Officium. S. R. C. 13. Junii 1682.

„ 982. Festum duplex, occurrens ante octavam non privilegiatam, si est transferendum, transferri debet in diem infra octavam. S. R. C. 30. Septemb. 1679.

„ 983. Festum semiduplex incidens in Festo duplici infra octavam non privilegiatam, transferendum est in diem immediate sequentem, Festo novem lectionum non impeditam, ut fit de semiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam. S. R. C. 30. Septembris 1679. Quo die, & anno eadem S. R. C. pariter decrevit, de Festo translato faciendum esse officium die immediate sequente, etiam si adsit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum; & licet his Decretis videatur derogari per Decretum 22. Decembris 1696. tamen sunt in suo robore ob alia Decreta posteriora isto emanato 1696. præcipue 19. Julii 1700. & 16. Septemb. 1702. & 23. Junii 1736. & 16. Februarii 1737.

„ 984. Translato Festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, S. R. C. 30. Decemb. 1639. & 16. Junii 1690. Quod quidem Decretum habet locum, quando transfertur Festum quoad Officium tantum; nam si transferatur quoad Officium, & quoad feriationem, ut transfertur Festum Annuntiationis B. M. V. incidens feria VI. in Parasceve, vel Sabbato sancto, non desunt, qui credunt transferri etiam Indulgentiam, ut ex Decreto S. Indulgentiarum Congregationis sub die 2. Julii 1674 in quo declaratur, quo si transferatur Festum quoad feriationem, & Officium, transfertur etiam Indulgentia.

„ 985. Occurrentibus eodem die tribus Officiis ejusdem ritus, quorum unum est de Ordine, aliud de Kalendario Ecclesiæ universalis, & aliud de aliquo Sancto, cujus habetur Reliquia insignis in propria Ecclesia, faciendum est Officium de digniore, seu solemniore, quæ vero sunt minoris dignitatis, seu solemnitatis, transferenda sunt, S. R. C. 7. Decembris 1680.

„ 986. Occurrentibus eadem die duobus Festis duplicibus infra octavam Ss. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediate sequente non impedita, sed post prædictam octavam. S. R. C. 7. Decembris 1680., *nisi festum translatum fuerit primæ, vel secundæ classis, ut liquet ex sequenti Decreto.*

„ 987. Infra octavam Corporis Christi potest recitari Officium de duplici primæ, & secundæ classis etiam translato, non autem in die octava, in qua nec etiam potest recitari de duplici secundæ classis occurrente. S. R. C. 30. Maii 1699.

„ 988. Officium particulare alicujus Diœcesis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Februarii, est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam Officio novem lectionum (nisi esset Festum Patroni, vel Tituli, seu Dedicationis Ecclesiæ) ut fiat Officium Sancti Matthiæ Apostoli. S. R. C. 7. Decembris 1680.

„ 989. Si eadem die occurrant duo Officia, quorum unum sit particulare Ordinis, alterum vero sit descriptum in Kalendario Ecclesiæ universalis, & utrumque sine solemnitate, & cum eodem ritu, transferendum est Officium de Kalendario Ecclesiæ universalis, & recitandum Officium Sancti proprii, dummodo sit antiquior ex concessione. S.R.C. 2. Martii 1681. *Huic Decreto videtur contrarium emanatum* 15. Martii 1698. *quod decernit, in occursu duorum Officiorum æqualis ritus, quorum unum particularis Loci sit, vel Diœcesis &c. alterum universale, transferendum particulare; & in occursu duorum Officiorum inæqualis ritus, transferendum illud minoris ritus, sit qualecumque. Sed eadem* S. R. C. 23. Junii 1736. *decrevit ut sequitur, nempe*: In occurrentia Festorum ejusdem ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis, seu Religionis, tertium Diœcesis, quartum Na-

„ Nationis, quintum Ecclesiæ universalis. „ *Per quod ultimum videtur adhærendum Decreto 2. Martii 1681.*

„ 990. In repositione duorum, vel plurium „ Festorum, eundem ritum habentium, & diversa die occurrentium, attendatur prioritas „ translationis, nisi attendenda sit major dignitas, quæ attendi debet in illis tantum Festis, quæ exprimuntur in Rubricis generalibus de Translatione Festorum num. 7. & de „ Concurrentia Officiorum num. 2. ab illis „ verbis *Inter Festa æqualis ritus*. S. R. C. 13. „ Junii 1681.

„ 991. Quando contingit transferri Festum „ alicujus Sancti Confessoris a die sui obitus „ in diem proxime sequentem, si fiat a capitulo de ipso, tunc in primis Vesperis ejus „ dicitur *meruit beatas scandere sedes*, & in „ reliquo Officio sequentis diei debet continuari idem versus. S. R. C. 13. Januarii 1682.

„ 992. Sub die 24. Januarii 1682. emanavit „ Decretum, in quo habetur, quod Officia „ Sanctorum ad libitum, etiam sub ritu duplici, in diebus Dominicis, & octavis occurrentia, non possint transferri, sed omitti „ debeant. Circa hoc Decretum ortum est dubium, an illa verba *in octavis* intelligi debeant de die proprio octavæ, vel de tota octava, & an de qualibet octava, vel solum de „ octavis privilegiatis? S. R. C. respondit, verba illa intelligenda esse de tota octava, & „ de quacumque octava, 28. Novembris 1682. „ *Quod idem confirmatum fuit* die 30. Maii 1699. „ *& antea* die 2. Decembris 1684. & die 11. „ Augusti 1691. *in quo ultimo Decreto exprimuntur etiam octavæ particulares, & propriæ „ Religionis*.

„ 993. Quando transfertur Officium Patriarchæ S. Josephi, & Annuntiationis B. M. V. „ ambo secundæ classis, quocumque in contrarium non obstante, prius debet reponi, & „ recitari Officium de Annuntiatione, & postea „ de S. Josepho. S. R. C. 28. Novembris 1682. „ Quod postea confirmatum fuit die 30. Junii „ 1689. & die 14. Julii 1692.

„ 994. In occursu non licet transferre Officium proprium Ordinis, vel Diœcesis, causa faciendi aliud ad libitum. S. R. C. 2. Decembris 1684.

„ 995. Si Festum Exaltationis S. Crucis occurrat in Dominica infra octavam Nativitatis B. „ M. V. in qua celebrandum est Festum Ss. „ Nominis Mariæ, tunc Officium Ss. Nominis transferendum est ad primam diem non „ impeditam Festo novem lectionum. S. R. C. „ 20. Julii 1686.

„ 996. In occursu diei octavæ Sancti proprii „ cum Festo Præsentationis. B. M. V. transferendum est Festum Præsentationis. S. R. „ C. 10. Januarii 1693.

„ 997. Ad quæsitum: Quid agendum, si una „ Dominica post Epiphaniam superest, quæ reponi non possit post Pentecosten? S. R. C. die „ 10. Januarii 1693. remisit ad Rubricam Breviarii Romani de Dominicis sex, & ad aliam „ Rubricam propriam positam ante Dominicam primam post octavam Epiphaniæ.

„ *Decretum emanatum pro translatione Officii de „ Septem Doloribus B. M. V. in occursu &c. „ die 19. Junii 1700., modo non habet ullam „ vim, quia alia posteriora Decreta emanarunt, „ aliter disponentia. Vide v.* Officium.

„ 998. De Festo transferendo, quod potest in „ sequentem diem immediate transferri, non „ recitandum est Officium hujusmodi ante alia „ æqualis ritus prius translata, sed recitandum „ est prius Officium de primo translato, nisi „ sint simiduplicia occurrentia in Dominicis infra octavas, pro quibus servetur Rubrica generalis Breviarii tit. X. num. 5. de Translatione. S. R. C. 22. Decembris 1696.

„ 999. Si in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. in qua celebratur Festum Ss. „ Nominis ejusdem B. M. V. sub ritu duplici „ majori, occurrat alicubi dies octava alicujus „ Festi, translato Officio dicti Ss. Nominis, „ agendum est de die octava in ipsa Dominica. „ S. R. C. 19. Junii 1700. & 22. Januarii 1707. „ *Hoc Decretum habet locum in quocumque simili casu, dummodo sermo sit de duplici tantum majore, vel minore, non autem primæ, „ vel secundæ classis, ut patet ex Rubrica generali Brev. tit. X. num. 2.*

„ 1000. Festum duplex ante octavam non privilegiatam, vel infra eam occurrens, alio majore Festo duplici impeditum, est transferendum ad diem infra octavam proxime Festo „ duplici, vel semiduplici non impeditam. S. „ R. C. 22. Septembris 1703.

„ 1001. Quando debet transferri Officium „ Annuntiationis B. M. V. & in illa die, ad „ quam transferri debet, occurrat Festum ad „ libitum, si transfertur solum Officium, & „ non solemnitas, potest fieri de Sancto ad „ libitum occurrente. S. R. C. 14. Februarii 1705.

„ 1002. Non licet Regularibus cujuscumque Ordinis, qui non utuntur Breviario Minorum Observantium, in usum deducere „ Rubricam in dicto Breviario num. 15. relatam, & cum aliis a S. R. C. approbatam die „ 18. Octobris 1696., quæ sic habet: *Quando „ autem plura Officia de præcepto eadem die in „ aliquibus locis ita fixe occurrant, ut translatio „ alicujus, seu aliquorum sit perpetua, tunc „ prima dies proxime non impedita, assignata censea-*

„ *censeatur in perpetuum pro die propria Festi* „ *translati respective*. Siquidem concessio facta „ utentibus prædicto Breviario non extenditur „ ad non utentes. S. R. C. 28. Augusti 1706. „ *Hoc Decretum non comprehendit illos, qui* „ *idem speciale Indultum a S. R. C. obtinuissent.*

„ 1003. Ad quæsitum: Quid agendum in illis „ Ecclesiis, ubi Festum S. Bartholomæi cele- „ bratur die 25. Augusti cum octava, & dies „ 26., in qua recitari deberet Officium S. „ Ludovici, esset Dominica, transferendum „ ne Officium S. Ludovici in feriam secundam, „ vel post octavam? S. R. C. 23. Martii 1709. „ respondit, servandam Rubricam X. num. 5. „ de Translatione Festorum.

„ 1004. Cum nonnulla Officia propter per- „ petuam occurrentiam Officii majoris ritus „ perpetuam habeant translationem, & juxta „ Rubricam de Translatione Festorum num. 6. „ transferenda sint in primam diem non im- „ peditam; S. R. C. declaravit, Officia præ- „ dicta reponi debere in die immediate sequen- „ te post diem Festum majoris ritus, die 20. „ Novembris 1717. etiam in occursu Domini- „ cæ, si illa sint duplicia.

„ 1005. S. R. C. 22. Novembris 1698. decre- „ vit, quod quando S. Sebastianus Martyr „ est Patronus minus principalis, non separe- „ tur a S. Fabiano Papa, sed una simul cele- „ bretur de utroque. Eadem vero Sacra Con- „ gregatio Rituum die 12. Febr. 1633. decrevit, „ quod in Ecclesia Ss. Nazarii & Celsi trans- „ feratur Festum Ss. Victoris, & Innocentii „ in primam diem non impeditam post Festum „ Ss. Nazarii & Celsi, sub ritu semiduplici, „ sed cum Evangelio, & Oratione solita, omis- „ sis nominibus Nazarii, & Celsi; sicut in „ Officio, & Missa Ss. Nazarii & Celsi omit- „ ti debent nomina Ss. Victoris & Innocen- „ tii. *Videntur hæc duo Decreta contraria, sed* „ *revera non sunt; quia in primo agitur de* „ *Patrono minus principali, in secundo vero de* „ *Patrono principali.*

„ 1006. Si die 21. Januarii occurrat aliquod „ Festum particulare, per quod transferendum „ sit Festum S. Agnetis, quod occurrit eadem „ die, assignanda est S. Agneti alia dies, quæ „ tamen non sit 28. Januarii, quia hac die „ occurrere potest Festum Ss. Nominis Jesu, „ quod celebrari debet Dominica secunda post „ Epiphaniam, & non convenit quod Festum „ Ss. Nominis Jesu, in casu, quo dies supra- „ dicta 28. Januarii assignata esset S. Agneti, „ transferri deberet post Dominicam Septua- „ gesimæ. Quod si S. Agneti assignetur dies, „ quæ sit posterior Festo S. Agnetis secundo, „ non interest; sed fiat Officium S. Agnetis „ secundo ea die, qua occurrit, & die assi- „ gnata ejusdem primo Festo, fiat &c. S. R. „ C. 5. Maii 1736. *In hoc eodem Decreto afferun-* „ *tur alii casus particulares, in quibus idem fie-* „ *ri debet. Romæ vero præfatum Decretum non* „ *est in usu, nam die 28. Januarii assignata* „ *reperitur alteri Officio, & in casu superius* „ *exposito Officium SS. Nominis Jesu transfertur* „ *ad mensem Februarii.*

„ 1007. Festum Lanceæ, quod in Germania „ ex Indulto fit feria sexta post Dominicam in „ Albis, si dicta feria sexta sit impedita, trans- „ ferri debet ad aliam feriam sextam, intra ta- „ men tempus Paschale. S. R. C. 5. Maii 1736

„ 1008. Non possunt transferri Officia illa af- „ fixa certis diebus, quæ sunt concessa pro Lo- „ cis, & Ecclesiis particularibus ad eorum in- „ stantiam; at quando sunt præcepta, vel sub „ præcepto, possunt transferri. S. R. C. 5. Maii „ 1736.

„ 1009. Festum Inventionis S. Crucis cadens „ in Dominicam, in qua celebratur Festum „ Dedicationis Ecclesiæ, non potest transferr „ in diem immediate sequentem, si hæc sit im- „ pedita Festo duplici, vel semiduplici; sed „ debet reponi prima die non impedita. S. R. „ C. 23. Junii 1736.

„ 1010. Si Festum S. Joannis Baptistæ, sive „ aliud ex solemnioribus, venerit in die Cor- „ poris Christi, Officium S. Joannis Baptistæ „ singulari privilegio transfertur in sequentem „ diem, a quocumque Officio novem lectio- „ num impeditam, cum commemoratione octa- „ væ: sed in secundis Vesperis Corporis Chri- „ sti fit commemoratio tantum Sancti Joannis „ Baptistæ; cætera vero Festa solemniora (*sci-* „ *licet primæ, vel secundæ classis, juxta De-* „ *cretum de die 30. Maii 1699. supra relatum*) „ occurrentia in dicta die Corporis Christi „ (*vel etiam occurrentia ante dictam diem, ut* „ *ex eodem Decreto*) transferantur infra octa- „ vam in primam diem non impeditam. S. R. „ C. 23. Junii 1736.

„ 1011. Quando ob Festum Ss. Nominis Jesu „ contingat transferri aliud officium duplex „ secundæ classis inferioris dignitatis, de eo „ debet fieri prima die non impedita. S. R. C. „ 23. Junii 1736.

„ 1012. Ad quæsitum: Quid agendum in oc- „ currentia Festi duplicis secundæ classis haben- „ tis octavam, & translati ob occurrentiam „ Dominicæ Septuagesimæ, & aliorum Festo- „ rum infra dictam hebdomadam, ad Sabba- „ tum ante Sexagesimam; quæ erunt Vesperæ „ in dicto Sabbato? S. R. C. die 15. Septem- „ bris 1736. respondit: Vesperæ debent esse de „ Festo ut in secundis Vesperis, cum comme- „ moratione Dominicæ in Sexagesima; & in „ die octava, si habet tale Festum orationem „ propriam, hæc dici debet.

„ 1013. Officium Translationis S. Januarii „ quod in Regno Neapolitano ex indulto S. „ R. C. celebratur Dominica prima Maii sub „ ritu duplici majori cum octava, occurrens „ cum Festo altioris ritus, vel majoris di- „ gnitatis transferendum est ab ipsa Dominica in „ primam diem non impeditam; quoad octa- „ vam vero servetur Rubr. X. Breviarii de „ Translat. num. 1. ab illis verbis: *Quod si* „ *Festum* S. R. C. 11. Julii 1739.

„ 1014. Si Dominica Novembris, ab Ordi- „ nario Loci assignata pro recitatione Officii „ de Patrocinio B. M. V. occurrat festum „ altioris ritus, transferatur Officium Patroci- „ nii juxta rubricas in primam diem non im- „ peditam. S. R. C. 1. Octobris 1740.

„ 1015. Si Dominica tertia post Pascha, cui „ pro aliquibus Locis est affixum Officium „ Patrocinii S. Josephi, occurrat Festum S. „ Marci Evangelistæ, vel Ss. Apostolorum „ Philippi & Jacobi, Officium Patrocinii trans- „ feratur juxta Rubricas ad primam diem non „ impeditam. S. R. C. 22. Aprilis 1741. *Adver-* „ *tendum est, quod licet S. Josephus dignior* „ *Apostolis censeri debeat, ideoque ipsis præfe-* „ *rendus, sicuti de facto in Litaniis Sancto-* „ *rum ipsis præfertur; hujusmodi tantum præ-* „ *sentia locum habet tantummodo in Festis San-* „ *ctorum primariis, non autem in Festis secun-* „ *dariis, quale est respectu S. Josephi Festum* „ *Patrocinii ejusdem.*

„ 1016. Assignatio alterius diei Officio in per- „ petuum impedito, fieri potest inconsulta „ S. R. C. 22. Aprilis 1741. *Hoc decretum de-* „ *rogat alteri posito num.* 1002.

„ 1017. Quando Festum Annunciationis B. „ M. V. transfertur simul cum præcepto au- „ diendi Sacrum (ut evenit, si occurrat feria „ VI. in Parasceve, vel Sabbato Sancto) ad fe- „ riam II. post Dominicam in Albis, præfer- „ tur cuicumque duplici, etiam primæ classis, „ eo die occurrenti: si vero transfertur abs- „ que præcepto audiendi Sacrum, præfertur „ cuicumque Festo translato, licet primæ clas- „ sis, non autem Festis eo die occurrentibus. „ S. R. C. 2. Septembris 1741.

„ 1018. Obligatio audiendi Sacrum non red- „ dit solemnitatem majorem, sed relinquit Of- „ ficium in suo ritu. Quare in reponendis duo- „ bus Officiis translatis, quorum unum habeat „ annexum præceptum audiendi Sacrum, re- „ ponendum prius erit Officium altioris ritus „ præ alio minoris, quamvis istud haberet an- „ nexum hujusmodi præceptum: cum sit pe- „ culiaris tantummodo prærogativa Festi An- „ nunciationis B. M. V. quod quibuscumque „ aliis Festis tam translatis, quam occurrentibus „ præferatur, quando cum ejus Officio trans- „ fertur simul obligatio audiendi Sacrum. S. „ R. C. 2. Septembris 1741.

„ 1019. Officia translata, quæ tamen sint „ ejusdem ritus, & dignitatis, reponuntur jux- „ ta ordinem translationis, ut scilicet prius „ celebretur officium ab ante translatum, de- „ inde fiat de alio secundo loco translato, & „ sic successive. Ab hac tamen regula excipi- „ tur semiduplex occurrens in Festo habente „ octavam, vel in Dominica infra octavam, „ vel in Festo duplici infra octavam; quod „ semiduplex in præfatis tribus casibus trans- „ fertur in diem immediate sequentem (in „ qua alias agendum esset Officium de die in- „ fra octavam) protrahendo ad aliam diem „ non impeditam aliud quodcumque duplex „ etiam primæ classis prius translatum. S. R. „ C. 2. Septembris 1741.

„ 1020. Decreta quæ statuunt, non esse trans- „ ferendos ad annum sequentem sanctos illos, „ qui in fine anni supererunt, intelligenda sunt „ non solum de semiduplicibus, sed etiam de „ duplicibus; & locum habent, sive ab acci- „ dentali, sive a perpetuo occurrente impe- „ dimento, eorum celebratio fuerit impedita. „ S. R. C. 16. Septembris 1741.

„ 1021. *Quando Festum Purificationis occurrit* „ *in aliqua Dominica 2. classis, ejus Officium* „ *transferendum est in feriam secundam immedia-* „ *te sequentem, quamvis impeditam, translato* „ *ab ea quocumque alio Festo, ne continuatio* „ *Mysterii Dominicæ Incarnationis diu protra-* „ *hatur. S. R. C. 7. Maii* 1746. Deinde vero, „ nempe 20. Julii 1748. declaravit transferen- „ dum esse in Feriam secundam immediate se- „ quentem *quocumque Festo etiam æqualis, non* „ *tamen altioris ritus in ea incidente; & idem* „ *servandum mandavit quando Festum Annun-* „ *ciationis B. M. V. occurret in Dominica Pri-* „ *vilegiata. Quod si in hebdomada majori, vel* „ *Paschali, tunc Annunciationis Officium pari* „ *cum privilegio in feriam secundam post Do-* „ *minicam in Albis transferri voluit; atque* „ *hoc Decretum generalibus Calendarii Roma-* „ *ni Rubricis adjici præcepit.*

„ Vide Antiphona. Festum. Martyrolo- „ gium. Octava. Officium.

V E S P E R Æ.

„ 1022. IN primis Vesperis communibus diei „ octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, „ Vesperæ debent recitari cum psalmis Sabba- „ ti, & a capitulo fiat de Dominica privilegia- „ ta, cum commemoratione de die octavæ ut „ in primis Vesperis. S. R. C. 9. Novembris „ 1622. *Hoc Decretum non repertum est in Rege-* „ *stis, sed reperitur in Octavario Romano tit.* „ *XL. de Concurrentia Officii num.* 4.

„ 1023. Secundæ Vesperæ diei octavæ non „ pri-

„ privilegiatæ; concurrentes cum primis Vesperis Festi duplicis minoris debent dimidiari, & fieri a capitulo de Festo sequenti. S. R. C. 12. Julii 1664. *Sed hoc non valet pro diebus octavis Festorum B. M. V., pro quibus allatum jam est Decretum, sub verbo* Octava*: nec pro vesperis* SS. *Angelorum, & Apostolorum, ut decrevit S. R. C.* 14. *Decembris.* 1709. *in quo Decreto pariter habetur*, quod in concursu Officii SS. Martyrum, & Confessorum, & Virginum, non attendi debet major dignitas Martyrum respectu Confessorum, & horum respectu Virginum.

„ 1024. In Vesperis, ac Laudibus ferialibus, non sunt canendæ feriales Preces alta voce, & per depressionem vocis in fine uniuscujusque versiculi a *Fa* ad *Re*, sed utendum tono, ac voce uniformi per simplicem *Fa*, non obstante contraria consuetudine, S. R. C. 9. Maii 1739.

„ Vide Concurrentia. Festum. Hebdomadarius. Hymnus. Octava. Officium defunctorum. Translatio.

VICARIUS.

„ 1025. OFficium in choro, dato signo, inchoandum est, non expectato Vicario Generali. S. R. C. 25. Februarii 1606.

VIGILIA.

„ 1026. OCcurrente vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ in die Festo SS. Corporis Christi, anticipatur jejunium vigiliæ prædictæ in die 22. Junii, ad formam Constitutionis Urbani VIII., emanatæ 27. Septembris 1638., & nihil fit in Officio, & Missa, de eadem vigilia. S.R.C. 18. Septembris, 1706., approbante Clemente XI. 2. Octobris ejusdem anni.

„ 1027. Quando vigilia Omnium Sanctorum venit in Dominica, & consequenter anticipanda est in Sabbato, quod in tali casu erit die 30. Octobris, in qua a monachis Benedictinis celebratur Festum sacrarum Reliquiarum totius Ordinis; tunc de vigilia Omnium Sanctorum a prędictis Monachis facienda est tantum commemoratio. S.R.C. 5. Maii 1736. *Ita decrevit Sacra Congr., quia Evangelium* Descendens Jesus de monte *est commune cum Officio vigiliæ, tum Officio Reliquiarum. Ita etiam servat Ecclesia in Officio Expectationis Partus B. M. V., quando occurrit in feria IV., Quatuor temporum; in tali enim casu de ipsa feria fit tantum commemoratio in Officio, & Missa, in cujus fine legitur Initium Evangelii S. Joannis; non omittendo tamen Missam Conventualem de feria prædicta post Nonam, quæ licet in aliquibus cum Missa Festi conveniat, in multis tamen ab illa differt.*

„ Vide officium.

QUÆSTIO VI.

De Extrema Unctione.

SAcramentum hoc appellatur Extrema unctio: tum quia confertur homini in extremis constituto; tum quia hæc est ultima Sacra unctio, quæ homini confertur. Primo enim ungitur in baptismo; Secundo in confirmatione; Tertio in collatione Secerdotii (Presbyteri enim manibus, & Episcopi in capite, & manibus unguntur, sicut Reges in humero, vel brachio) Quarto demum in collatione hujus Sacramenti. Ex Trident. autem sess. 7. can. 1. constat Sacramentum hoc a Christo Domino esse institutum, & a Beato Jacobo promulgatum: Probabiliter institutum fuit quando Christus Dominus Apostolos misit, Marci 6. ut ungerent oleo infirmos, & sanarent. Non fit mentio ab Evangelistis de hoc Sacramento, quia soliciti fuerunt de iis tantum, quæ sunt necessaria ad salutem, & ad dispositionem Ecclesiæ: Sacramentum autem Extremæ unctionis ad salutem non est necessarium: sicut nec Sacramentum Confirmationis, de quo nec ulla mentio fit in Evangelio.

Definitur Extrema unctio, quod sit *Signum rei Sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi unguntur oleo benedicto sub præscripta forma verborum, juxta Christi institutionem, ad salutem animæ & corporis.* Brevius definitur, quod sit *Sacramentum novæ legis ad ungendum infirmos ordinatum, in salutem animæ, & corporis*, quod constat, tum ex iis, quæ dicemus, tum ex verbis Jacobi Apostoli dicentis cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei alleviabit infirmum, & salvabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Est autem unum numero Sacramentum in quolibet suscipiente, conflatum tamen ex materiis, & formis partialibus ordinatis ad eundem finem. Neque enim gratia confertur, nisi completa ultima unctione essentiali, ut dicemus cum Suar. disp. 40. sect. 4. Sicut enim Sacramentum Eucharistiæ est Sacramentum per modum convivii, quod integratur per cibum simul, & potum; ita Sacramentum hoc ex D.Th. in 4. dist. 23. quæst. 1. est Unctio omnium sensuum exteriorum, quibus hauritur morbus interior, & integratur pluribus unctionibus; Curatio enim multorum vulnerum non potest adumbrari perfecte, nisi per applicationem medicinæ ad diversas vulnerum radices; sicut convivium non potest perfecte adumbrari, nisi per cibum simul, & potum. Discutiemus primo hujus Sacramenti materiam, & formam: Secundo, Ministrum: Tertio, Subjectum: Quarto, Effectus.

ARTICULUS I.

De Materia, & Forma hujus Sacramenti.

I. Oleum olivarum dumtaxat est materia remota hujus Sacramenti.
II. Necessitate Sacramenti opus est, ut illud sit benedictum.
III. Proxima materia est Unctio, quæ fieri solet in formam Crucis.
IV. Unctiones a Florentino enumeratæ sunt septem: At non omnes sunt de essentia Sacramenti.
V. Quomodo cæcus, & surdus inungendi sunt? Et quid tempore pestis?
VI. Forma proferri debet deprecatorio modo.
VII. Quænam verba sint essentialia, ac de necessitate Sacramenti?
VIII. Num sensus, qui inungitur, exprimendus sit?

I. QUæritur primo; Quænam sit materia remota extremæ Unctionis?

Respondeo, esse oleum olivarum: nam Jacobi 5. dicitur, *Ungentes eum oleo*: oleum autem absolute dictum significat oleum expressum ex baccis olivarum. Ex Innocentii autem Papæ epistola, ut notat Trull., debet oleo misceri balsamum; usus tamen communis Ecclesiæ nunc est, ut balsamum non misceatur; quia odor bonæ vitæ balsamo significatus non est necessarius morientibus, sed viventibus: Quare peccaret qui contra consuetudinem Ecclesiæ oleo balsamum misceret (ut notat Suar. loc. cit.) In necessitate autem deficiente oleo extremæ unctionis, licitum est uti oleo Chrismatis, in quo admixtum est balsamum, ut notat Trull., & Dian. part. 3. tract. 4. resol. 176. & part. 5. tract. 3. resol. 90.

II. Notandum, essentialiter requiri, atque adeo non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate Sacramenti, quod oleum sit benedictum ab Episcopo, ut constat tum ex traditione, tum ex Florentino: Probabiliter tamen ex dispensatione Pontificis benedici potest, & consecrari, a simplici Sacerdote, ut diximus, cum de Chrismate (*a*). Probabiliter etiam ex Bonac. ad validitatem Sacramenti sufficit oleum benedictum ab Episcopo, quamvis alia benedictione ab ea, quæ præscribitur in Rituali: ex consuetudine tamen debet eo anno esse benedictum. Verum notat Leand. hic disp. 7. quæst. 11. post longam consultationem sensisse Theologos, & utriusque Juris Doctores non dari præceptum sub mortali de illo renovando singulis annis; quia id de solo Chrismate præscribitur in cap. *Si quis de alio de Consecrat. dist.* 4. Licitum autem est parocho, oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore, ut oleum consecratum non sufficiat pro toto anno; tunc enim utrumque censetur consecratum; dummodo quod additur sit minoris quantitatis, quam consecratum, major enim pars trahit ad se minorem, ex cap. *Aqua de Consecrat.*; sicut tota aqua censetur benedicta, si aquæ benedictæ admisceatur minor quantitas aquæ non benedictæ: Contra vero non est totum vinum consecratum, si vino consecrato misceatur non consecratum, quia ex institutione Christi Domini non consecratur vinum, nisi per verba consecratoria; aqua vero remanet benedicta etiam per immixtionem cum aqua benedicta, ex cap. citat. *Aqua de Consecrat.*

„ Vide Benedictum XIV. *de Syn. diœces.*
„ *Lib.* 8. *c.* 9. *num.* 4.

III. Quæritur secundo; Quænam sit materia proxima hujus Sacramenti?

Respondeo, esse Unctionem: dicitur enim a D. Jacobo: *Ungentes eum oleo*. Quamvis autem unctio fieri soleat in formam crucis, id tamen non est de necessitate Sacramenti; imo neque de necessitate præcepti; cum nullum de hoc extet præceptum, ut probat Suar. contra Sylv. Nec talis consuetudo ex Suar., & Trull. obligat sub mortali, secluso scandalo, aut contemptu; cum non videatur res gravis, nec constet, illam introductam esse cum existimatione, quod obliget sub mortali.

IV. Quæritur tertio; Quænam unctiones sint de essentia materiæ proximæ hujus Sacramenti?

Respondeo, quamvis Florentinum septem unctiones numeret, in oculis, in auribus, in naribus, in ore, in manibns, in pedibus, in renibus; Communiter tamen docent, non esse omnes de essentia; plerumque enim, ut testatur Suar., omittuntur unctiones pedum, & renum, præsertim in fœminis propter honestatem. Quare neque omnes septem sunt de necessitate Sacramenti, neque de necessitate præcepti; cum circa unctiones pedum, & renum servanda sit loci consuetudo, ut notant Filliuc., & Trull. An autem omnes aliæ quinque unctiones sint de essentia? dubium est apud Doctores: Aliqui apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 21., & part. 3. tract. 4. resol. 159. cum Bell. cap. 10. putant, unam unctionem in quacumque parte corporis infirmi esse de essentia Sacramenti, reliquas vero Sacramentum integrare; Sicut in Eucharistia una species pertinet ad essentiam Sacramenti, altera ad integritatem. At communius cum D. Th. & Suar. docent, omnes quinque esse de essentia, ita ut non conferatur gratia, nisi completa quinta unctione. Ratio est, quia cum hoc Sacramentum sit institutum ad delendas reliquias peccatorum, & radices, seu origines omnium peccatorum sint in sensibus; (nihil enim est in intellectu, quod prius non fuerit in sen-

ſenſu) ideo quinque unctiones in quinque ſenſibus videntur de eſſentia Sacramenti : Et hæc ſententia in praxi ſequenda eſt, quando nulla urget neceſſitas in contrarium ; univerſalis quippe uſus Eccleſiæ ſaltem evincit omnes quinque eſſe de neceſſitate præcepti. Præterquam quod, ſecluſa gravi neceſſitate, non poſſumus a conſuetudine diſcedere in dubio de valore Sacramenti : Ex quo fit, quod cum conſuetudo ſit, ut in utroque oculo, aure, manu, &c. fiat unctio, ideo nec licet ab hac conſuetudine diſcedere, quamvis videatur ſatis eſſe unctio in uno tantum oculo, aure, &c. (*a*)

„ (*a*) Lege Benedictum XIV. *l. c. cap.* 3. & „ lib. 13. c. 19. num. 29.

V. Quod ſi quis careat oculis, vel manibus, tunc unctio fieri debet ex D. Th., & Bonac. in parte corporis magis propinqua : eſto enim cæcus, verbi gratia, a nativitate non peccarit videndo, tamen quia potuit peccare deſiderando, verbi gratia, turpes aſpectus, ideo convenienter etiam cæcus ungitur in oculis. Sacerdotes autem non unguntnr in palma, in qua jam fuerunt ſemel uncti, ſed in ſuperiore parte manus. Deinde, ut notat Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 168., & part. 5. tract. 3. reſol. 89. in caſu neceſſitatis, præſertim in morbis contagioſis, ad evitandum periculum contagii, poſſet aliquis ſequi priorem ſententiam, quod ſcilicet ſit de eſſentia Sacramenti una tantum unctio, & ungere unum tantum organum ſenſus magis obvium, dicendo : *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum deliquiſti* : nam teſte Conink tota Univerſitas Lovanienſis cum Archiepiſcopo id approbavit anno 1588. Immo ad vitandam contagionem Poteſt ungere infirmum virgula argentea, lignea, &c., ut notat Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 167., & part. 5. tract. 3. reſol. 79. ; (*b*) Suar. etiam diſp. 41. ſect. 2. apud Bonac. putat, quod ſi periculum eſt in mora, poſſit Parochus, inuncta ſingulorum ſenſuum unica parte, proferre unicam formam complectentem plures formas partiales modo dicto ; nam quando urget evidens neceſſitas, poteſt Sacramentum cum materia dubia ſub conditione miniſtrari, eo quod tunc non poſſit haberi materia certa : Et propter hanc eandem rationem tempore peſtis poteſt Sacramentum hoc conferri conditionate cum unica unctione, ut dictum eſt, quia ſcilicet quod ſine magno incommodo, & ſine periculo vitæ haberi non poteſt, dicitur moraliter impoſſibile; unde cum non poſſint quinque unctiones poni ſine periculo vitæ, dicitur iſta materia certa eſſe impoſſibilis, ideoque poteſt poni Sacramentum cum maria dubia, ſeu cum unica unctione.

„ (*b*) Confer Benedictum XIV. *de S.D. lib.* „ 13. *c.* 19. *n.* 30.

VI. Quæres quarto, quænam ſit forma hujus Sacramenti?

Reſpondeo, ex Florent., & Trid. ſect. 14. can. ult. eſſe hæc verba prolata a Sacerdote : *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per viſum deliquiſti* ; *Amen*. Quando ſcilicet unguntur oculi ; deinde quando unguntur nares, &c. dicendo : *Quicquid per auditum, per odoratum, per oris vitium, per tactum, per inceſſum, per ardorem libidinis deliquiſti*. Forma itaque hujus Sacramenti proferri modo debet deprecativo, ut conſtat tum ex illis verbis D. Jacobi, *Inducat presbyteros, & orent ſuper eum* : tum ex traditione Eccleſiæ. Unde communius docent contra nonnullos, non ſufficere, ſi per verba indicativi modi ſine ulla oratione proferatur, dicendo verbi gratia, *Ungo te oleo ſalutis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti* : Non eſt tamen improbabile ex Trull. contra Nugn. apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 175. valere hanc formam: *Ungo te oleo Sancto, ut Deus tibi remittat peccata, quæ per viſum commiſiſti* : quia jam additur ſufficienr deprecatio. (*c*)

„ (*c*) Confer Benedictum XIV. *de S. D. l.* „ 8. *c.* 2.

VII. Porro in hac forma ſunt de eſſentia illa verba, *Per iſtam unctionem*, quia in forma Sacramenti debet exprimi actio miniſtri, ut *Baptizo te &c.*, non ſunt vero de eſſentia illa verba, *Et per ſuam piiſſimam miſericordiam* ; cum ſufficienter imploretur miſericordia divina per verba ſequentia : Sunt tamen de præcepto, ita ut ſine mortali omitti non poſſit, ex D. Th., Suar., Trull. ; ſicut nec verbum illud *Sacram*, vel *Sanctam*, ideſt unctionem. Si pro verbo *Indulgeat* dicatur *Parcat*, *Ignoſcat*, &c., mutatio eſſet accidentalis. Invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, poſt unctionem ſingulorum ſenſuum non eſt de eſſentia, nec de præcepto ; cum neque in Conciliis, neque in Cæremoniali Romano habeatur : nec hoc Saeramentum eſt profeſſio fidei, ut Baptiſmus.

VIII. Dubium eſt apud Doctores ; An ſit de eſſentia expreſſio ſenſus, qui ungitur, dicendo verbi gratia : Quicquid per viſum peccaſti, ita ut non ſatis ſit, ſi dicatur, Indulgeat tibi Deus, quicquid peccaſti. Nonnulli cum Con. docent, eſſe tantum de præcepto, quia abſque ea expreſſione ſufficienter ſignificatur committi peccatum, quod originem trahit a ſenſibus. Quare ex Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 175., & 180., ſolum ſunt de eſſentia iſta verba, *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti*, & reliqua ſunt de præcepto : At communius docent, expreſſionem ſenſus, qui ungitur, eſſe de eſſentia.

Un-

Unde in praxi a communi sententia citra gravem culpam recedere non possumus, ut notat Bonac.

ARTICULUS II.

De Ministro hujus Sacramenti.

I. Solus Sacerdos illud ministrare valide potest, etiamsi sit excommunicatus.

II. Probabiliter potest valide a pluribus Sacerdotibus relate ad diversas unctiones ministrari.

III. A Sacerdote proprio ministrari debet, nisi necessitas urgeat.

IV. Num Parochus sub mortali teneatur Sacramenta Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ ministrare cum periculo vitæ? & quando?

V. An possit hoc Sacramentum sine sacris vestibus in necessitate ministrari?

VI. Num aliquando Tempore Interdicti ministrari possit?

I. Queritur primo; Quinam sit Minister, qui possit valide Extremę unctionis Sacramentum conferre?

Respondeo, esse solum Sacerdotem, ex Florent,. & Trident.; quod eruitur ex verbis Jacobi 5. *Inducat Presbyteros:* cum enim ordinatus sit ad tollendas reliquias peccatorum, debuit ministrari a Sacerdote, qui potest a peccatis absolvere: Quare Diaconus invalide illud confert, nec potest Pontifex in hoc dispensare, cum sit juris divini: Valide vero confertur a Sacerdote etiam excommunicato, suspenso, &c. quia ministratio hujus Sacramenti est actus Ordinis, non jurisdictionis; unde jurisdictio non requiritur ad valide illud administrandum, ut in Sacramento Pęnitentię. Et ratio est, quia solum Sacramentum Pęnitentię est institutum per modum judicii, in quo essentialiter requiritur jurisdictio.

II. Queritur secundo, An valide ministretur a pluribus, ita ut unus ungat unum sensum, alter alterum, &c.?

Respondeo cum communi affirmative; unde in necessitate, si statim decessurus timeretur infirmus, possent ei unctiones simul adhiberi a pluribus Sacerdotibus, qui proferrent singulas suas formas correspondentes, ut docet Męrat. apud Dian.part.5.tract.3.resol.88. Imo si Sacerdos post aliquas unctiones moreretur, posset alius Sacerdos alias unctiones perficere: Sicut si Sacerdos moriatur post consecratam hostiam, debet alius Sacerdos calicem consecrare. Putat tamen Męrat. apud Dian. loc. citat. resol.89., quod in tali casu potest secundus Sacerdos unctiones repetere ab initio, quia utilius id poterit esse infirmo, eo quod solum probabile sit, non certum, quod hoc Sacramentum possit a pluribus ministrari. Equidem tamen dico, quod non solum id possit, sed etiam quod debeat, ne exponat periculo frustr actionis Sacramentum. (*a*)

(*a*) Adi Benedictum XIV. de S. D. lib.8.c.4.

III. Queritur tertio, Quinam sit Minister, qui possit licite illud ministrare?

Respondeo, esse Parochum proprium, quia ministrare Sacramentum est officium Pastoris; unde graviter peccat, qui sine illius licentia illud ministrat; Et Religiosi excommunicationem Clementinę primę de Privilegiis incurrunt. Sufficit tamen in necessitate licentia implicita, seu interpretativa, quę censetur, quando jamjam aliquis moritur, & Parochus opportune inveniri non potest. Imo ex Henr., Laym. Dian. part.3.tract.4.resol.170. si Pastor absit, vel non possit, aut nolit injuste hoc Sacramentum conferre, potest quilibet Sacerdos, tam sęcularis, quam regularis, etiam renitente Parocho, illud ministrare, quia in tali casu Episcopus, vel Pontifex censetur illi licentiam prębere, ut notat Trull.; Ubi notandum ex Palud., Con., Laym. apud eundem Dian. quod Sacerdos inferior solum sub veniali teneatur hoc Sacramentum conferre ex charitate, si commode potest, non vero sub mortali; nisi quando infirmus graviter indigere censeatur, eo quod aliter sine omni Sacramento decederet. Verum tenetur sub mortali Sacerdos ministrans hoc Sacramentum recte se disponere, ut sit in gratia, saltem per contritionem existimatam: Quod si sit excommunicatus, vel suspensus, debet suas vices alteri committere; Si tamen alius desit, probabile est ex Filliuc., quod possit ab eo ministrari. Et quamvis Suar. disp. 44. apud Trull. probabilius putet, quod non possit ab excommunicato, vel suspenso vitando conferri, quando infirmus alia Sacramenta suscepit; certum tamen est, quod excommunicatus toleratus ad hoc requisitus potest illud conferre, quia solum illi prohibetur, ne se ingerat ad divina ministranda.

IV. Quæritur quarto; An Parochus teneatur sub mortali hoc Sacramentum, suis ovibus ministrare?

Respondeo cum communi affirmative; nam illi comperit ex officio, & justitia suas oves pascere, & ordinaria salutis remedia præbere; unde peccabit mortaliter, tam si illud neget, quam si notabiliter differat cum periculo infirmi: Idemque dicitur de Episcopo, deficiente Parocho. Tempore pestis, negat Navar. apud Trull. cum Suar., Filliuc., quod teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc Sacramentum ministrare, quia non est Sacramentum necessitatis; & alioquin satis subvenitur necessitati infirmi per Sacramentum Confessionis, & Communionis; tenetur tamen Parochus tentare omnia reme-

media convenientia, ut illud sine periculo vitæ ministretur. Imo Nugn. putat apud Dian. part.3. tract.4. resol. 174., & part. 5. tract.3. resol. 96., quod teneatur cum periculo vitæ peste infectis ministrare tria Sacramenta, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Tenetur certe Sacramentum Penitentiæ etiam cum periculo vitæ ministrare: (quamvis Suar.disp. 44. sect. 2. num.15., & Filliuc. apud Dian.part. 5.tract.3.resol.93. excusaret Parochum, si moraliter certus esset, quod infirmus non habeat conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum propriæ vitæ esset magnum) At Sacramentum Extremæ Unctionis communius docent, quod non teneatur ministrare cum periculo vitæ. Immo Hurt. apud eundem Dian. putat, quod nec teneatur, etiamsi infirmus aliud Sacramentum, puta Confessionis, & Communionis, suscipere non potuisset; quia ex una parte potest ille sibi consulere per contritionem; ex alia vero parte non est certum, quod hoc Sacramentum, quod est vivorum, ex attrito faciat contritum, & deleat mortalia quoad culpam. Huic tamen sententiæ non subscribo; cum contritio non omnibus sit facilis; & probabilitas ista, quod Sacramentum vivorum ex attrito per accidens possit facere contritum, causando primam gratiam, satis est, ut eatenus teneatur Sacerdos in casu adducto hoc Sacramentum ministrare. Denique quamvis ex Filliuc. tom. 1.tract.3.cap.5. teneatur Parochus cum periculo vitæ Eucharistiam moribundis ministrare, quia ad illam tenetur infirmus ex precepto divino, & est medium moraliter necessarium ad salutem; Molfes. tamen apud Dian.part.3.tract.4.resol. 174., & part. 5. tract. 3. resol. 53.putat, non teneri ad id Parochum cum tanto periculo, quia non est Sacramentum præcise necessarium.

V. Notandum demum ex Tanner. apud Dian. part.5.tract.3.resol. 91., debere ministrum Extremæ Unctionis adhibere respondentem, & præmittere precationes Ritualis: si tamen urgeat necessitas, potest utrumque omittere: At sine vestibus ab Ecclesia præscriptis ex Bonac. ministrare in necessitate non debet, ut dicitur de Eucharistia. Observat etiam Barbosa, quod Parochus non debeat absque lumine Sacrum Oleum deferre; nec possit domi illud tenere, ut noctu vocatus citius accurrat: si tamen utrumque hoc fieret sine periculo irreverentiæ, aut scandali, non esset mortale.

VI. Tempore autem interdicti ministrari non potest, cum non sit Sacramentum necessarium; si tamen ægrotus aliud Sacramentum suscipere non potest, tunc posset hoc Sacramentum illi conferri, ex Palud. apud Trull.

ARTICULUS III.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

I. *Invalide confertur non ægroto, ac de vita periclitanti, quamvis sit baptizatus, & usum rationis habuerit.*

II. *Qui de vita periclitatur, sed non ratione ægritudinis, incapax est hujus Sacramenti.*

III. *Probabile est, Beatissimam Virginem hoc Sacramentum suscepisse.*

IV. *Num citra mortale negligi illud possit?*

V. *In eadem ægritudine tunc poterit iterari, quando novum vitæ periculum supervenerit post congruum tempus.*

I. Quæritur primo, Quinam sit capax hujus Sacramenti?

Respondeo, esse capaces solum baptizatos in extremo vitæ laborantes, qui usum rationis saltem habuerint. Ita Florent. Hinc sequitur primo, (*a*) pueris, & perpetuo amentibus invalide conferri, ut communiter docent contra Majorem; quia falsa redditur in iis forma, Quicquid deliquisti; non potuit enim delinquere, qui nunquam habuit usum rationis (*b*). Potest tamen sub conditione conferri pueris, si dubitetur, an lumen rationis iis irradiarit, ex Lugo apud Dian. part. 3. tract. 7. resol. 169. & part. 5. tract. 3. resol. 85. sicut quando dubitatur, an aliquis sit mortuus.

„ (*a*) Hinc sequitur Græcos, qui sanos perinde ac infirmo sancto oleo dum perungunt, animum habent verum conficiendi Sacramentum, ut adfirmat Arcudius, gravis erroris insimulandos. Vide Benedictum XIV. *de S.D. Lib.* 8. *c.* 5.

„ (*b*) Lege Bened. XIV. *de S. D. Lib.* 8. *c.* 5. *n.* 2.

Sequitur secundo, Amentibus, & phreneticis, qui aliquando habuerunt usum rationis, dari debere, nisi ante phrenesim fuissent in peccato notorio, & nullum signum Pœnitentiæ dedissent. Ratio est, quia quilibet fidelis præsumitur habuisse intentionem suscipiendi Sacramentum in articulo mortis; & hujusmodi intentio habitualis non retractata satis est ad valide suscipiendum hoc Sacramentum (*c*). Quamvis autem debeat esse in gratia, qui illud suscepturus est, quippe quod est Sacramentum vivorum: at si præmiserit solum attritionem inculpabiliter, adhuc gratiam probabiliter recipiet; quia omnia Sacramenta non ponentibus obicem gratiam causant, nec dicitur ponere obicem, qui cum attritione peccati commissi accedit, ut patet in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ: Quamvis peccet, qui ad Sacramentum vivorum culpabiliter non se disponit per contritionem,

aut

aut per attritionem cum confessione; Ad Eucharistiam vero nullatenus sufficit per solam contritionem se disponere, sed debet etiam præmitti mortalium confessio; nisi tamen physica, aut moralis impotentia obstet, & urgeat necessitas communicandi (*a*).

„ (*a*) Vide Bened. XIV. *l. c. n.* 3. & 14.

II. Sequitur tertio, Sacramentum hoc esse conferendum periclitantibus de vita solum ratione infirmitatis, ut patet ex verbis Divi Jacobi dicentis, *Infirmatur quis in vobis?* Quare incapaces illius sunt navigantes aut belligerantes cum periculo vitæ, necnon qui suspendendi sunt, & mulieres in partu existentes, quamvis vi doloris sint in periculo vitæ: Contra vero potest conferri senibus morti propinquis, cum senectus ipsa sit morbus, necnon periclitantibus de vita ob pestem, ob rabidum morsum, ob tactum viperæ, ob vulnus: Non est autem expectandum, ut infirmus sit in extremo vitæ, sed administrandum est, si fieri potest, quando infirmus adhuc usu rationis gaudet, ut se magis ad fructum recipiendum disponat; cum Sacramenta magis disposito uberiores fructus causent, instar causarum naturalium, ut alias diximus. Probabilius autem est, quod sit invalidum, si conferatur ægro, qui revera non sit in periculo vitæ, quamvis putetur esse in tali discrimine. At Con. quæst. 19. dub. 7. probabiliter putat, valide conferri, si bona fide credatur infirmus esse in vitæ periculo, quamvis revera non sit, præsertim quia Florentinum dicit debere dari iis, de quorum morte timetur; unde satis esset, quod appareat periculum mortis; non solum ut licite, sed etiam ut valide conferatur; aliter deberet dari jamjam agenti animam, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis.

III. Sequitur quarto ex Suar., Con. contra Sanc., & Nugn. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 181., non esse necesse, quod suscipiens hoc Sacramentum aliquando peccaverit, sed satis esse, quod usum rationis habuerit. Ratio est, quia D. Jacobus dicit, *si in peccatis fuerit*, *remittentur ei*: unde non requiritur, quod peccaverit. Et quamvis in forma dicatur, *Ignoscat tibi Deus quicquid deliquisti*, sensus videtur esse, *Ignoscat*, *si quid deliquisti*. Finis enim hujus Sacramenti est gratia præsidiativa, & corroborativa in extrema lucta; unde licet non inveniat vulnera, quæ sanet, adhuc habet finem suum, cum inveniat hostes aggredientes. Hinc Suar. existimat valde probabile esse, quod Beatissima Virgo hoc Sacramentum susceperit; Ad eum modum, quo communius docent illam suscepisse Sacramentum Baptismi, non quidem ut ab originali culpa emundaretur, sed ut charactere baptismali insigniretur. Alii tamen negant, quia Beata Virgo non solum erat immunis a culpa, sed etiam a laboribus morbi, & a tentationibus hostium.

IV. Quæritur secundo; An teneatur sub mortali ægrotus suscipere hoc Sacramentum?

Respondeo cum communi contra Sot. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 170., & part. 5. tract. 3. resol. 97., non esse mortale illud negligere, secluso scandalo, & contemptu; cum nullum de eo suscipiendo sit præceptum. Notat tamen Trull., vix inter Christianos vitari posse scandalum, si quis adeo utile Sacramentum nollet in tali statu suscipere. Immo nonnulli contra Tanner. apud eundem Dian. putant, quod præsumatur contemnere illud, qui in extremis positus nolit suscipere, quando commode potest habere. Quare certum saltem erit, non excusari a veniali qui illud negligeret, quia videretur habere magnam rerum spiritualium prodigalitatem.

V. Quæritur tertio; An possit Extrema Unctio reiterari?

Respondeo cum communi apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 96., in eadem infirmitate non posse iterari, durante eodem periculo mortis, quia semel suscepta est medicina sufficiens ad effectum, quo infirmus eget; & quia ita fert usus Ecclesiæ. Unde Trident. sess. 14. cap. 3. habet: *Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint*, *iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt; cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint*. Si tamen infirmitas sit longa, & infirmus post unctionem liberatus sit a periculo mortis, & deinde antequam plene convalescat, iterum incidat in novum periculum, poterit juxta communiorem sententiam iterum ungi, elapso aliquo tempore, arbitrio prudentis viri, verbi gratia, ex Trull. post mensem a prima unctione. Ratio est, quia Sacramentum hoc cum non imprimat characterem, est de se iterabile; & causa, cur conferatur, non est morbus, sed periculum mortis: ergo si durante eadem infirmitate, iterum veniat periculum mortis, poterit Sacramentum iterari: Et Gobat advertit, Parochum in hoc non debere esse adeo scrupulosum. (*a*)

„ (*a*) Confer Benedictum XIV. de *S. D. lib.*
„ 8. *c.* 8. *n.* 3. *seq.*

ARTICULUS IV.
De Effectibus Extremæ Unctionis.

I. Tridentinum hujus Sacramenti effectus recenset.
II. Quinam sit effectus primarius? Num gratia corroborativa? Num peccatorum remissio? Num utrumque?
III. Quid veniat nomine reliquiarum peccatorum, quæ, hoc Sacramento absterguntur?

IV. Quan

IV. Quandonam Extrema Unctio causat effectus suos?

I. Quæritur primo; Quinam sint effectus hujus Sacramenti?

Respondeo, illos significari a Trident. sess. 14. cap. 2. his verbis: *Hujus Sacramenti res est gratia Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam allevat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Quare effectus hujus Sacramenti est gratia habitualis habens secum adjuncta auxilia ad expellendam proclivitatem ad malum, ad delenda venialia, & reatum pœnæ, ex Suar. & ad conferendam corporis sanitatem, quatenus expedierit. Triplex igitur potest assignari fructus hujus Sacramenti, ex Bonacin., & Suar. Primus est gratia non solum sanctificans, sed etiam delens venialia, & habens annexa auxilia adversus tentationes, & dæmonis incursus, qui sciens quoniam modicum tempus habet, magno tunc impetu irruit. Secundus est abstergere reliquias peccatorum, idest proclivitates ad malum, & reatum pœnæ. Tertius est sublevare infirmum a corporali ægritudine, & sanitatem conferre, si expediat ad salutem animæ.

II. Disputant hic Scholastici; Quinam sit primarius effectus hujus Sacramenti? Suar. contendit, esse gratiam corroborativam contra tentationes diaboli, & difficultates morbi. Alii contendunt esse remissionem culpæ; cum in forma dicatur: *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti*: Alii probabilius docent, utrumque hoc indivisibiliter sumptum primario esse intentum, est quippe Sacramentum illud (quod ex Trident. nuncupatur Sacramentum exeuntium) præsidium firmissimum finis vitæ: præsidium autem firmissimum non habetur, nisi ægrotus contra omnes hostes, a quibus potest timere, valide muniatur; Et quia timere potest non solum a tentationibus, sed etiam a peccatis nondum expiatis, quæ indignitate sua pugnant contra infirmum, reddendo illum indignum beneficiis Dei, ideo utrumque debet ab hoc Sacramento conferri, videlicet tum gratia expiativa peccatorum, tum etiam auxilia contra tentationes, & contra molestias morbi, quæ ad varia peccata impatientiæ, desperationis, &c. solent incitare.

III. Rogabis, quid sint reliquiæ peccatorum, quæ ex Trident. per hoc Sacramentum absterguntur?

Respondeo, quosdam velle, quod significent peccata venialia occulta non deleta per aliud Sacramentum. Alii putant, quod significent habitus vitiosos, seu proclivitates ad peccatum, quatenus per hoc Sacramentum dantur auxilia corroborativa, ne facile succumbamus in illo articulo mortis. Alii cum Suar. disp. 41. sect. 1. docent, quod significent reatum pœnæ temporalis, ita ut per hoc Sacramentum tollatur, non quidem totaliter, ut in baptismo, sed juxta devotionem, & dispositionem recipientis. Demum alii censent, per hoc Sacramentum abstergi reliquias peccatorum, quatenus ex vi peccatorum debitum erat homini, ut suæ fragilitati relictus, auxiliis gratiæ, præsertim extraordinariis, privaretur: per hoc autem Sacramentum tolitur hoc debitum, seu indignitas; unde multa auxilia extraordinaria infirmo conferuntur; Et quia sæpe ob peccatum datur infirmitas corporalis, ut patet ex verbis Christi Domini dictis leproso, quem curavit: *Vade, & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* & sæpe etiam ob peccatum datur mors, juxta illud Apost. *Stipendium peccati mors:* idcirco per hoc Sacramentum sæpe tollitur debitum hoc infirmitatis, & mortis, & confertur ægro salus corporis; si tamen saluti animæ expediat, ut notat Trident.; aliter non conferretur per hoc Sacramentum bonum expetibile. Equidem tamen censeo, omnia hæc bene intelligi per reliquias peccatorum, atque adeo omnes hujusmodi effectus ab hoc Sacramento causari.

IV. Quæritur secundo; quando hoc Sacramentum causet suos effectus?

Respondeo, gratiam hujus Sacramenti conferri in eo instanti, in quo illud essentialiter completur. Quare, si vera est opinio Becan. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 179., quod hoc Sacramentum unica unctione perficiatur, certe post primam unctionem causatur gratia, & reliquæ unctiones pertinent tantum ad Sacramenti integritatem, ita ut moraliter tantum causent gratiam post primam unctionem, cum qua faciunt unum moraliter; sicut diximus, quod in aliis Sacramentis verba, quæ integrant formam essentialiter jam completam, moraliter tantum causant gratiam, quatenus faciunt unum moraliter cum iis verbis, quæ pertinent ad essentiam formæ: quod idem dicendum, tum in Baptismo, (in quo licet triplex immersio, aut ablutio fiat, una tamen pertinet ad essentiam Baptismi) tum pariter in Eucharistia, si verbi gratia, Sacerdos successive sumat unam partem hostiæ post aliam, post sumptionem primæ partis causatur gratia Sacramentalis, & sumptio secundæ partis causat moraliter tantum cum eadem prima sumptione eandem gratiam; Quicquid sit, an per sumptionem calicis sumatur alia

gra-

gratia Sacramentalis, non sit sumptio diversæ speciei; non secus, ac per Sacerdotium confertur alia gratia Sacramentalis Ordinis, quam per Diaconatum. Si tamen vera sit sententia communis, quod quinque unctiones pertinent essentialiter ad hoc Sacramentum perficiendum, tunc gratia hujus Sacramenti confertur post quintam unctionem, & reliquæ duæ pertinent modo dicto ad Sacramenti integritatem.

QUÆSTIO VII.

De Sacramento Ordinis.

IN hac postrema quæstione investigandum, Primo, quid, & quotuplex sit Ordo? Secundo, quænam sit singulorum Ordinum materia, & forma? Tertio, quisnam Minister? Quarto, quodnam subjectum? Quinto, quos effectus pariant?

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Ordo.

I. Multifariam definitur Ordinis Sacramentum.

II. Cur septem enumerentur ordines?

III. Prima tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines.

IV. Est quidem Ordo Episcopatus; sed non est Ordo distinctus a Sacerdotio; hujus tamen est extensio, & complementum.

V. Potestas, quæ per Episcopatum superadditur, est inferior potestate Sacerdotali præsupposita.

VI. De fide est, Sacerdotium esse Sacramentum; ac certum omnino, quod pariter Diaconatus. Communiter etiam idem docent de Subdiaconatu; & probabiliter etiam alii Ordines minores. Cur tres Ordines majores dicantur Sacri?

VII. Singulorum Ordinum officia recensetur.

VIII. Num peccet mortaliter universim, qui actum Ordinis solemniter exercet in statu peccati mortalis.

I. CErtum est ex Trident. sess. 23. cap. 1. inter septem novæ legis Sacramenta recenseri Ordinem, institutum a Christo Domino in nocte Cœnæ, quando protulit illa verba Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quamvis autem videatur institutus tunc temporis solus Ordo Sacerdotalis; communiter tamen docent, omnes Ordines tunc fuisse institutos; tum quia non apparet commodior locus institutionis; tum etiam quia Ordo Sacerdotalis omnes alios eminenter continet, cum ad illum reliqui ordinentur, illique inserviant. Idcirco enim hoc Sacramentum vocatur Ordo, quia ordinatus constituitur in certo quodam ordine dignitatis Ecclesiasticæ ad conficiendum Christi Corpus.

Quæritur nunc primo: Quid sit Sacramentum Ordinis?

Respondeo, ex Div. Thom. quæst. 34. art. 2. esse *Sacramentum, quo spiritualis potestas traditur circa Eucharistiam in Sacrificio Missæ*; vel brevius ex Bonac. est *Sacramentum, quo specialis potestas traditur in ordine ad Eucharistiam*; ex aliis apud Dian. est *Sacramentum, quo homines aliqui in Dei ministerium, spirituali potestate tradita, deputantur*. Dicitur *Sacramentum*, in quo convenit cum reliquis Sacramentis, tum in hoc, quod sit signum sensibile, quod est, verbi gratia, impositio manuum, seu instrumentorum traditio, & sensibilis verborum prolatio; tum in eo, quod causat gratiam; nam 1. Timoth. 4. dicitur: *Noli negligere gratiam*; & 2. Timoth. 1. *Admoneo, ut resuscites gratiam*. Dicitur secundo: *Quo specialis potestas traditur*, quod significatur per formam illam, qua solet conferri, *Accipe potestatem*. Dicitur tertio, *In ordine ad Eucharistiam*, quod intelligitur, vel immediate, ut in Ordine Sacerdotali, vel mediate, ut in reliquis: nam illorum ministeria ad Eucharistiam, tanquam ad finem ordinantur, ut ex dicendis constabit. Notat D. Thom. idcirco dici, quod per hoc Sacramentum conferatur potestas, non potentia, quia potentia indifferens est ad activam, vel passivam; nam verbi gratia, in baptismo traditur potentia passiva ad valide recipienda alia Sacramenta: potestas vero solam potentiam activam significat; in solo autem Sacramento Ordinis datur potentia activa conficiendi Eucharistiam: Hæc tamen potestas, quamvis non sit ipse character, nihilominus est stabilis, & immobilis, sicut ipse character.

II. Quæritur secundo, quotuplex sit Ordo?

Respondeo, septem in Trident. sess. 23. cap. 2. Ordines enumerari, videlicet, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acholythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Hic autem numerus colligitur, ut notat Trull. ex actibus, quos singuli exercent circa Eucharistiam, vel consecrando, ut Sacerdotes; vel immediate ministrando, ut Diaconi; vel ordinando materiam in vasis, ut Subdiaconi: vel præparando.

do, & præsentando Subdiaconis, ut Acolythi: Alii vero versantur circa recipientes Eucharistiam, vel arcendo indignos, ac eos, quibus non licet interesse Sacris, ut Ostiarii; vel inserviendo, ut Lectores; vel liberando oppressos a Dæmone, ut Exorcistæ.

III. Dubium est, an prima Tonsura, & Episcopatus sint Ordines ab iis distincti?

Respondeo cum communi negative. Admittimus enim, Episcopatum esse Ordinem, non tamen esse Ordinem distinctum a Sacerdotio, sed complementum illius, ut mox explicabimus; Et sane, quod præter illos septem Ordines nullum aliud detur Ordinis Sacramentum, constat, quia Trident. ubi enumerat septem Ordines, loquitur dogmatice contra Hæreticos, qui aliquos admittebant, aliquos negabant; contra quos intendebat docere, quinam, & quot sint veri Ordines: Quod si Ordines essent plures, quam septem, dedisset doctrinam diminutam, quod non est asserendum; sicut male fecisset Trident. enumerando septem Sacramenta contra Hæreticos, si Sacramenta essent plura, quam septem.

Prima itaque tonsura non est Ordo, ut communiter Doctores docent contra quosdam Canonistas apud Dian. part. 6. tract. 8. resol. 29. Ratio est, quia quamvis tonsuratus habeat ex deputatione, & privilegio Ecclesiæ gradum quemdam inter Clericos, & sit capax beneficiorum, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, non per hoc habet ullam specialem potestatem circa Eucharistiam, seu circa ministerium altaris. Quare prima tonsura est solum præparatio quædam, seu dispositio ad Ordines, non secus ac Novitiatus ad professionem, & Catechismus ad Baptismum. Neque dicas cum Adversariis, dari tonsuratis potestatem canendi Psalmos in Choro: Hoc enim est falsum, tum quia nulla sunt verba, quæ hanc potestatem dandam tonsurato significent; tum etiam, quia talis potestas traditur Lectori, qui cum libro Prophetarum potestatem accipit canendi prophetias.

IV. Deinde, Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, concedimus cum communi contra Capreol. Sot. & alios ex antiquis Theologis, qui putant, non esse Ordinem ut Sacramentum, sed esse Ordinem ut quoddam officium, & dignitatem. Vasqu. tamen docet, non posse post Trident. sine gravi nota negari, quod sit Ordo, & Sacramentum. Ratio est, quia verbis, & signis exterioribus perficitur, & gratiam confert ex opere operato; (cum in eo conferendo dicatur, *Accipe Spiritum Sanctum*) ac per ipsum datur Episcopo potestas ordinandi, & confirmandi, seu conferendi Ordines Sacros. Quare cum per Episcopatum conferatur specialis aliqua potestas spiritualis, non est cur negetur, quod sit Sacramentum Ordinis habens suum specialem characterem: ubi enim nova potestas spiritualis, ibi novus character. Unde non placet Vasq. aliique, qui quamvis velint Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, nolunt tamen, per illum imprimi novum characterem, sed solum extendi moraliter characterem Sacerdotii: Aliter possemus dicere, quod in anima non sit nisi unus character, qui moraliter extendatur in collatione novæ potentiæ spiritualis.

Hinc tamen non sequitur, quod sicut Episcopatus fert secum novam potestatem, & novum characterem, ita sit novus, & distinctus Ordo a Sacerdotio. Etenim cum non possit valide conferri Episcopatus sine Sacerdotio; (sicut potest, verbi gratia, Presbyteratus sine Diaconatu, & Diaconatus sine Subdiaconatu) inde fit quod non debeat dici Ordo distinctus a Sacerdotio, sed potius extensio Ordinis Sacerdotalis: Sicut enim potestas absolvendi a peccatis non est novus Ordo, licet adhuc caracteri Sacerdotali, & potestati consecrandi novam potestatem, & novum characterem, sed est extensio Sacerdotalis Ordinis; quia potestas absolvendi essentialiter præsupponit potestatem consecrandi: Et sicut Virginitas non censetur nova virtus distincta a castitate, quam essentialiter includit, licet addat aliquid; ita in casu nostro Episcopatus non est novus Ordo, quamvis novam potestatem addat Sacerdotio, quod essentialiter includit. Ratio autem, quare Episcopatus includat essentialiter Sacerdotium, est, quia munus primarium Episcopi est ordinare Sacerdotes, hoc est, ut loquitur Epiphanius, generare Patres, (& ideo olim quilibet Episcopus vocabatur Papa, nam Papas idem sonat, ac Avus) Virtus autem generativa debet esse conjuncta cum natura communicanda genito: ergo conveniens non foret, quod inesset Episcopo vis generativa Sacerdotii, si non præhaberet in se Sacerdotium.

V. Notandum tamen, quod potestas, quam habet Episcopus supra potestatem propriam Sacerdotis, sit inferior potestate Sacerdotis; magis enim est posse consecrare Corpus Christi Domini, quam posse ordinare Sacerdotes, & confirmare. Dicitur tamen Episcopus superior Sacerdote, non solum dignitate, & jurisdictione, sed etiam ordine, quia Episcopus utramque potestatem, & characterem includit.

VI. Quæritur tertio, An quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum?

Respondeo, collationem singulorum Ordinum probabiliter esse Sacramentum. Ita D. Th. Bellar. Bonac. Ledesm. Trull. Et sane, quod Sacerdotii collatio sit Sacramentum, est de fide, videturque a Trident. definitum sess. 17. Certum etiam videtur de Diaconatu, adeo ut plures Auctores apud Dicast. putent, id etiam esse de fide. Ratio est, quia in ejus ordinatione dicitur,

citur, *Accipe Spritum Sanctum*: atque adeo gratia confertur, ut diximus de Episcopatu. Circa Subdiaconatum, licet non sit adeo certum, est tamen communissima sententia inter Theologos, paucis exceptis, quod sit Sacramentum, ut notat Bellar. cap. 7. si enim etiam Ordines minores, ut mox dicemus, probabiliter sunt Sacramentum, & imprimunt characterem, utpote irreiterabiles, a fortiori erit Sacramentum Subdiaconatus, qui est Ordo Sacer, vel quia Subdiaconus proxime inservit Sacerdoti cum Diacono in Sacrificio Missæ, ut multi autumant; vel quia habet annexum votum castitatis, quo Subdiaconus Deo sacratur, ut docent communius apud Dicast. Major autem est controversia de Ordinibus minoribus. Nav. Sot. Vasq. disp. 237. cap. 2. docent, non esse Sacramenta, sed Sacramentalia. Communius tamen docent, quod etiam sint Sacramenta, ex Bellar. cap. 8. cum Concilia eodem modo loquantur de Ordinibus majoribus, ac de minoribus, assignata singulis sua materia, & forma: habere enim materiam, & formam est proprium Sacramenti; Sicut autem unum dicitur esse Sacramentum Eucharistiæ, licet tam species panis, quam vini suam gratiam conferant, quia ordinantur ad repræsentandum idem convivium; ita unum dicitur esse Sacramentum Ordinis, quia omnes ordinantur ad potestatem illam supremam consecrandi corpus, & sanguinem Christi, hoc est ad Sacerdotium, vel tanquam dispositiones, ut alii sex, vel tanquam appendix, & extensio illius, ut Episcopatus, qui ordinatur ad generandos Sacerdotes. At tres Ordines majores, Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus dicuntur Sacri; quia, ut diximus, habent annexum votum castitatis, quo ita Deo consecrantur homines, ut non possint amplius fieri sæculares, nec matrimonium contrahere. Olim in primitiva Ecclesia Subdiaconatus non erat Ordo Sacer, non quia non erat tunc etiam Sacramentum, sed quia per illum non contrahebatur obligatio non contrahendi matrimonium, & servandi castitatem, sicut contrahitur nunc; & ideo nunc dicitur esse Ordo Sacer, quia per votum castitatis homo censetur corpore, & animo Deo sacratus. (*a*)

„ (*a*) Vide Bened. XIV. *de S. D. lib. 8. cap. 9.*

Ex dictis sequitur, quod suscipere in mortali Ordines, etiam minores, sit mortale, juxta communiorem sententiam, quod isti sint Sacramentum; quia ponitur obex gratiæ, quæ per illud confertur. At exercere actus Ordinum etiam majorum, non videtur mortale, ex Bonac. Henr. Trull. dempto tamen Sacerdotio.

VII. Quæritur quarto: Quodnam sit exercitium singulorum Ordinum?

Respondeo, Sacerdotii officium esse celebrare, populum doctrina, & exemplo pascere, aquam, & res similes benedicere, baptizare, absolvere a peccatis, & cætera Sacramenta ministrare, dempto Ordine, & Confirmatione, quæ ab Episcopo tantum conferri possunt: Cujus etiam est consecrare Ecclesias, ungere Altaria, consecrare Chrisma, benedicere populum, distribuere officia Ecclesiastica, benedicere Virgines, prædicare Verbum Dei, ut fuse docet Barbosa cum de potestate Episcopi, & de potestate Parochi.

Diaconi officium est assistere Sacerdoti, & illi ministrare in Sacrificio missæ, præsertim in oblatione; legere, aut canere Evangelium in Ecclesia publice; baptizare in absentia Episcopi, & Sacerdotis; necnon Eucharistiam ministrare, ut supra diximus, & de licentia Episcopi prædicare.

Subdiaconi munus est assistere Diaconis, & illis ministrare in Sacrificio, deferendo calicem, &c. legere Epistolas in Sacrificio Missæ.

Acolythi, hoc est subsequentis, & pedissequi munus est, luminaria præparare ad Sacrificium, dare urceolos cum vino, & aqua, portare cereum accensum ad altare. Exorcista imponit manus super energumenos ad dæmones arcendos, legit super eos exorcismos Ecclesiæ, & sic eos præparat, ut Sacro possint interesse. Lector legit in Ecclesia lectiones prophetarum, & Catechumenos docet rudimenta fidei. Ostiarius claudit, & aperit templum, illud custodit admittitque, qui Sacro digne possint interesse, excludendo indignos; quæ omnia ex Conciliis constant apud Trull. dub. 1.

VIII. Utrum autem exercere Ordines solemniter in mortali, sit mortale universim? Affirmat Faber apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 196. putans, Acolythum peccare mortaliter, si solemniter cereum ferat in statu peccati mortalis. Sed communiter id negatur de exercitio Ordinum minorum, quia istorum exercitia remote se habent ad ipsum Sacrum mysterium, seu ad Sacrificium. Magis dubitatur de exercitio Subdiaconatus, & Diaconatus, quæ proximius se habent ad Mysterium Sacrum. Plures cum Cajet. Tolet. Fill. Sylv. & aliis apud eundem Dian. resol. 195. putant peccare mortaliter Diaconum, & Subdiaconum, si in statu peccati mortalis exerceant actum sui Ordinis canendo solemniter Evangelium, aut Epistolam. Vasq. tamen, Suar. Con. & alii plures id negant, quia iis actionibus non dispensantur merita Christi Domini, ut in administratione Sacramentorum.

Ex dictis constat, Papatum non importare novum Ordinem, nec novum characterem, sed solum jurisdictionem majorem, quia Papa idem est, ac Supremus Episcopus; unde quando eligitur, non consecratur de novo Episcopus. Cardinales autem non habent Ordinem jure divino institutum distinctum a Sacerdotio,

tio, & Episcopatu, sed jure pontificio introductum. Dicuntur autem Cardinales, quasi Principales, sive sint Episcopi, sive Presbyteri, sive Diaconi, ad quos etiam post Nicolaum Papam II. spectat electio Pontificis.

ARTICULUS II.

De materia, & forma singulorum Ordinum.

I. *Materia, & forma Ordinum non fuit universim in specie atoma a Christo Domino determinata.*

II. *Recensetur singulorum Ordinum materia, & forma.*

III. *Materia Subdiaconatus probabiliter conflatur ex duplici materia partiali; sicut materia Diaconatus.*

IV. *Num valide in Ecclesia Latina conferatur Diaconatus per solam manuum Episcopi impositionem, sicut in Ecclesia Græca?*

V. *Num Neo-Sacerdoti per impositionem manuum Episcopi in fine Missæ conferatur nova potestas? Et num sine illa posset in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem impendere sub conditione?*

VI. *Num satis sit, quod moraliter tangantur instrumenta, quæ ab Episcopo traduntur Ordinando?*

VII. *Num valide ordinentur Subdiaconi, si in calice sit vinum; aut Sacerdos, si desit vinum in calice?*

I. SUpponendum, materiam in hoc Sacramento aliam esse remotam, aliam proximam. Remota est instrumentum illud, quod traditur ordinandis, in signum potestatis spiritualis, quam recipiunt, ut eo instrumento suum Ordinem exequantur; sicut etiam est manus Episcopi; siquidem ejus impositio spectat ad materiam proximam; at materia proxima universim est traditio instrumenti facta ab Ordinante, ejusdemque acceptatio facta ab Ordinando: Sicut etiam in aliquibus Ordinibus Episcopi manuum impositio supra caput Ordinandi: Et supra hanc materiam proximam cadunt verba prolata ab Ordinante, quæ sunt forma Sacramenti, cum qua materia proxima perficit Sacramentum.

Recolendum etiam, quod diximus cum de Sacramentis in genere, Christum aliquas materias Sacramentorum ordinasse in specie, alias vero tantum in genere, præcipiendo solum, ut pro materia adhiberetur aliquod signum sensibile aptum ad significandum effectum Sacramenti; & relinquendo Ecclesiæ, ut illud in specie determinaret: Quod Christus Dominus fecit speciatim in materia aliquorum Ordinum; unde orta est aliqua varietas in Ecclesia: nam neque eadem est apud Græcos, & apud Latinos, neque fuit semper, & ubique eadem apud eosdem Latinos, quod contingere non potuisset, si determinata fuisset in specie a Christo Domino.

II. Quæritur nunc primo: Quænam sit materia, & forma singulorum Ordinum?

Respondeo, & dico primo: Materia Ostiarii est traditio clavium Ecclesiæ, & tintinnabuli. Nam, ut notant Bonac. & Fill. debent custodire Ecclesiam, & campanis populum convocare: Forma vero sunt illa verba: *Sic agite, quasi rationem reddituri*, &c. aliæ vero cæremoniæ, videlicet, aperire, & claudere ostium, pulsare campanam, &c. sunt accidentales, & adhibentur ad magis declarandum munus commissum. Materia Lectoris est traditio libri Lectionum Sacræ Scripturæ: Forma vero: *Accipite, & estote Verbi Dei relatores*. Exorcistæ materia est traditio libri Exorcismorum Ecclesiæ, vel, ut dicitur in Pontificali, traditio Missalis, aut ipsius Pontificalis: Forma vero: *Accipite, & commendate memoriæ*, &c. Acolythi materia est traditio candelabri cum cereo extincto: Forma vero: *Accipite ceroferarium cum cereo*, &c. Præterea traduntur etiam ab Episcopo Acolytho urceoli vacui, vel saltem unus urceolus sub prolatione illorum verborum: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum*: proinde communius apud Dicastill. putant, traditionem etiam urceoli pertinere ad materiam essentialem Acolythatus.

III. Dico secundo: Materia Subdiaconi, saltem partialis, est traditio Calicis vacui, & patenæ superpositæ sub illis verbis, quæ Episcopus, postquam singulis ordinandis tradidit calicem cum patena, dicit: *Videte cujusmodi vobis traditur*, &c. ut expresse docet Florentinum in decreto; & Concilium Carthaginense 4. can. 5.; unde de hoc non licet dubitare: (quamvis, ut notat Con. Viguerius putaverit, materiam hujus Ordinis esse traditionem libri Epistolarum sub illis verbis: *Accipe potestatem legendi*, &c.) Sed probabiliter, me judice, Filliuc. cum Comitulo putat, esse materiam partialem hujusmodi traditionem, ut notat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 189. Sicuti enim in Diaconatu, ut mox dicemus, traditio libri Evangeliorum probabilius est materia partialis, quæ simul cum impositione manuum Episcopi conflat materiam totalem; ita videtur traditio libri Epistolarum esse pariter materia partialis in Subdiaconatu, quæ cum traditione Calicis vacui, & patenæ conflat materiam totalem.

Utrum autem Calix, qui est materia remota Subdiaconatus, debeat necessario esse consecratus, probabiliter negat Henr. apud Dian. loc. cit. sed in praxi peccaret, qui uteretur materia ista probabili, omittendo certam.

Dico tertio; quamvis apud Græcos, ut notat

Lug.

Lug. de Sacramentis disp.4.sect.5. Diaconi materia adæquata sit sola manuum impositio facta ab Episcopo cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. etenim non aliter ordinantur Diaconi apud Græcos; apud Latinos tamen, præter hujusmodi manuum impositionem, requiritur etiam, tamquam materia partialis, traditio libri Evangeliorum cum illis verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium*; &c. Ita communiter docent contra Durand. Ratio est quia Florent. clare asserit Diaconum ordinari per libri Evangeliorum traditionem. Rejicienda pariter videtur opinio Valentiæ, & aliorum apud Dian. part. 3. tract. 41. resol. 188., quod traditio libri Evangeliorum sit materia adæquata. Nam Concil. Carthaginense 4. can. 4. dicit, Episcopum, dum ordinat Diaconum, manus illi imponere, dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum*: quæ verba ex Trid. non dicuntur frustra, & sine collatione gratiæ; unde etiam impositio manuum dicenda est materia partialis Ordinis Diaconatus, quæ cum altera materia partiali, videlicet cum traditione libri Evangeliorum, conflat materiam totalem.

Notandum hic primo, gratiam non conferri, quando habetur manuum impositio, utpote quæ est materia partialis; sed quando post manuum impositionem habetur traditio libri Evangeliorum, quia tunc habetur materia, & forma adæquata.

Notandum secundo, Christum non instituisse, quod per traditionem libri Evangeliorum conferretur Diaconatus. Nam primum Evangelium scriptum fuit a D. Matthæo anno octavo post Christi Ascensionem, ut advertit Bellarm. apud Con., quare Christus Dominus præcepit conferri Diaconatum per manuum impositionem, relinquendo arbitrio Ecclesiæ, ut pro materia partiali assignaret etiam tradictionem rei, quæ officium Diaconi designaret; quæ, ut multi putant, ante Evangeliorum conscriptionem, erat forte pagella, in qua aliquid Bibliorum contineretur. Deinde vero successu temporis Ecclesia determinavit traditionem libri Evangeliorum pro Latinis, quod non determinavit pro Græcis: & ideo valide in Ecclesia Græca confertur Diaconatus sine traditione libri Evangeliorum.

IV. Utrum autem valide Latini conferrent Diaconatum sine traditione libri Evangeliorum, sicuti valide consecrant Latini in fermentato, sed illicite? Respondeo cum Dicast.disp.1.de Sacram. dub. 20. negative. Ratio est quia quamvis materia, & forma Sacramentorum, quæ alicubi est valida, ubique sit valida, & ideo valide Latinus consecraret in fermentato; nihilominus materia Diaconatus apud Græcos non est manuum impositio, nude sumpta, sed est manuum impositio sub tali forma verborum, quę abunde explicat in particulari Ordinem Diaconatus, dicendo: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, creat seu promovet N. venerabilem subdiaconum in diaconum: Oremus igitur pro eo &c.* quod si hanc materiam, & formam adhiberent Latini, valide, sed illicite conferrent Diaconatum. At in Ecclesia Latina de facto adhibetur manuum impositio sub verbis illis generalibus, quæ non exprimunt in particulari Ordinem Diaconatus, dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*: & ideo ad valide conferendum Diaconatum requiritur etiam traditio libri Evangeliorum sub illa forma, *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, &c.* Quod fusius explicavi in tractatu de Sacram. Scolastic. disp. 1. quæst. 1. num. 19. (*a*)

(*a*) Consule de his eruditissime pertractantem Benedictum XIV. *de S. D. lib.* 8. *c.* 10.

V. Dico quarto; Materia Sacerdotii, licet apud Græcos, ut notat Lug. loc. citat., sit etiam sola manuum impositio: apud Latinos tamen ex Florent. laud. partialiter habetur per traditionem patenæ cum hostia, & calicis cum vino sub illis verbis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo*, &c. partialiter vero etiam per impositionem manuum, quæ fit in fine Missæ sub illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, &c.. Notandum tamen, quod quia Sacerdoti duplex confertur potestas, altera consecrandi, altera remittendi peccata; prior potestas, quæ est veluti essentia Sacerdotii, confertur adæquate per traditionem calicis, & patenæ cum pane, & vino; unde fit, quod posset statim post illam valide consecrare; & de facto simul cum Episcopo consecrat in ea Missa, antequam alteram potestatem accipiat. (*b*)

(*b*) Videndus Bened. XIV. de S. D. l. 8. c. 11. n. 1. seq.

Hæc autem secunda potestas, quæ est veluti passio consequens ad primam, quam supponit, confertur deinde in fine Missæ per impositionem manuum, quando explicatur casula a tergo complicata; ut denotetur, tunc esse completam, & integram ordinationem. Quod si manuum impositio omissa fuisset, ex Con., & Bellar. lib. 9. de Ordine cap. 2., illa solum supplenda esset; quia prior independenter a secunda collata fuit. Putat tamen Trull. disp. 2. ex Sot., & Ledesm. contra Suar. de censuris disp. 4. sect. 4., Bonac. Bellar., quod utraque potestas simul conferatur per traditionem calicis, ac deinde in fine Missæ non detur potestas remittendi peccata sed solum declaretur id quod antea erat datum. Ratio hujus sententiæ est, quia Florentinum omisit mentionem facere hujus formæ quam profert Episcopus imponendo manus, dicendo: *Accipe potestatem, quorum remiseris peccata*, &c.; quod si hæc forma esset essentialis, ita ut per illam acciperetur potestas absolvendi

di, non omissa fuisset a Florentino; & hanc opinionem probabilem putat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 187. Certum tamen est quod apud Græcos utraque potestas simul tradatur per manuum impositionem; Sicut autem potestas consecrandi apud Latinos juxta communiorem sententiam confertur adæquate antecedenter, & independenter a potestate remitendi peccata, quæ in fine Missæ, ut diximus, confertur Sacerdoti; ita pariter quando Episcopus consecratur per impositionem manuum factam a tribus Episcopis, tunc, ut notat Con., & Trull. disp. 2., ea nova potestas, novus character, & nova gratia Sacramentalis confertur, quin conferatur Ordo distinctus a Sacerdotio, quod supponitur.

Notandum tamen primo ex Con., aliquos contra communiorem velle ex cap. *Presbyter de Sacramentis non iterandis*, quod impositio manuum sit materia essentialis relate ad collationem Ordinis Sacerdotalis: Quod si verum esset, non deberet intelligi de impositione manuum, quæ fit in fine missæ; quando confertur potestas absolvendi; cum de facto simul cum Episcopo novi Sacerdotes consecrent; sed esset intelligendum de impositione manuum, quæ fit ad Tractum ante Euangelium, & ante traditionem calicis; aliter non possent simul cum Episcopo consecrare, si expectanda esset potestas consecrandi ab impositione manuum facienda in fine Missæ.

Notandum secundo, aliquos cum Henr., Fill., & Bonac., probabiliter putare, quod valide conferatur Sacerdotium, si vas cum una tantum specie tradatur, verbi gratia, solum calix cum vino, aut sola patena cum hostia; nam qui potest unam speciem consecrare, potest & aliam; siquidem Christi corpus cum sanguine conjunctum est, & e converso Sanguis cum Corpore. Communiter tamen docent cum Trull., in tali casu iterandam esse ordinationem sub conditione, ut videre est apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 186.

Inquiri solet, Utrum Neo-Sacerdotes, accepta solum potestate consecrandi, & nondum accepta potestate in fine Missæ remittendi peccata, possent in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem impendere? Ad quod dicendum, quod possent illam impendere sub conditione, quatenus in casu necessitatis extremæ licitum est Sacramenta conferre sub conditione etiam cum materia, & forma dubia. In casu autem nostro, posita varietate sententiarum, quas retulimus, incerta esset validitas talis absolutionis; & ideo solum in necessitate posset ea impendi sub conditione.

Inquiritur etiam, Num valide conferatur Ordo habenti aliquod impedimentum occultum; puta irregularitatem, defectum Patrimonii, &c., si Episcopus protestetur, nolle se ordinare habentes ullum ex impedimentis; Certum omnino est, ut notat Lug., quod si talis intentio in Episcopo perseveraret, invalida esset Ordinis collatio post illam protestationem: Ea tamen videtur fieri solum ad terrorem, ac deinde Episcopus ad tollendos scrupulos, mutata intentione, vult ordinare quotquot accedunt, etiamsi habeant impedimentum occultum. Quod si dubitetur, an intentionem mutaverit, procul dubio esset sub conditione reordinandus qui sic Presbyteratum suscepisset, cum ex ejus invaliditate multa incommoda trahantur.

VI. Quæritur secundo; An res, quæ traditur ordinando, debeat immediate, & physice tangi ad validitatem Sacramenti?

Respondeo, probabilius esse, quod docent Sà, Henr., Regin., Laym., apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 185., non requiri contactum physicum ad valorem Sacramenti; tum quia bene possumus signo aliquo aliquid acceptare per solum contactum moralem, ut quando acceptamus equos, nummos, &c. tum quia aliter valide non possent ordinari pueri, qui non possunt signo externo exprimere consensum internum liberum acceptandi: Communiter tamen docent, debere physice tangi calicem, & patenam saltem necessitate præcepti; quin satis sit tangere solum calicem; (quamvis id forte sufficeret ad valorem Sacramenti). Sed quia non possumus exponere Sacramentum periculo frustrationis, debet tam Calix, quam patena physice tangi: Quamvis autem contactus fieri soleat utraque manu, puto tamen, id non esse necessarium; sed satis est, quod fiat una. Nec est ullo pacto necessarium, quod simul cum patena tangatur hostia; sicut non requiritur contactus physicus vini. Nam in rebus humanis, quando unum in altero continetur, qui tradit id, quod continet, dicitur tradere id, quod continetur, sine contactu speciali: Sic qui tradit bursam plenam aureis, dicitur tradere aureos. Quia tamen in receptione Sacramentorum omnimoda securitas quæri debet, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 19., & part. 8. tract. 1. resol. 40., ideo adhibendus est contactus etiam hostiæ, quantum fieri potest. Et Croix num. 2153. putat, consultum esse, repetere sub conditione Ordinationem, si quis forte hostiam physice non tetigerit; sicut etiam, si omissa fuerit prior manuum impositio.

Ex dictis patet, quare in baptismo, & Extrema Unctione requiratur contactus immediatus, & physicus materiæ ad valorem Sacramenti; non vero in Sacramento Ordinis, nisi solum ad majorem securitatem. Ratio est, quia non potest dari vera ablutio, & vera unctio sine contactu physico aquæ, & olei: Contra vero traditio, & acceptatio alicujus rei potest esse vera sine contactu physico.

VII. Quæritur tertio, An valide Subdiaconus

nus

nus ordinetur, si casu detur illi calix cum vino; sicut etiam, An valide Sacerdos ordinetur, si detur illi pro materia Sacramenti calix sine vino?

Respondeo, a multis apud Lug. in Respons. moralibus, & apud Dian. part. 3. tract. 1. resol. 186. existimari, quod, speculative loquendo, valida sit utriusque isthæc Ordinatio. Communissime tamen docent, quod licet Ordinatio Subdiaconi non esset repetenda sub conditione, quia satis est, quod juxta probabilem opinionem is sit Subdiaconus quia nullum incommodum sequeretur, si forte non esset Subdiaconus: nihilominus ordinatio Sacerdotis esset sub conditione iteranda, quia ex defectu Sacerdotii sequerentur innumera absurda: non enim valide consecraret, nec valide absolveret: Sicut itaque Baptismi Sacramentum iterandum est sub conditione, si per accidens collatum sit juxta opinionem probabilem de ejus validitate; quia scilicet, si deesset Baptismus, invalide reliqua Sacramenta reciperentur: ita pariter Sacerdotalis Ordo repetendus sub conditione, si forte juxta opinionem probabilem duntaxat, & non juxta tutam, sit collatus.

ARTICULUS III.

De Ministro Ordinum.

I. *A quonam possint valide, & licite Ordines conferri?*

II. *Quisnam dicatur Episcopus proprius? Episcopus originis quisnam sit, juxta constitutionem Innoc. XII. quinam domicilii; & Quinam Beneficii, juxta eandem constitutionem?*

III. *Potest unus Ordo a proprio Episcopo, verbi gratia, domicilii, suscipi, & alter ab altero, puta originis.*

IV. *Literæ dimissoriales, & testimoniales a quo dandæ sint?*

V. *Collatio primæ Tonsuræ, & Confirmationis non videtur ad actus Pontificales pertinere.*

VI. *A quonam possint Regulares ordinari?*

VII. *Quandonam possint Ordines conferri?*

VIII. *De Temporum interstitiis requisitis.*

IX. *Quinam possit in hisce interstitiis dispensare?*

X. *Num possint Regulares omnes ordinari extra tempora tribus diebus festivis?*

XI. *Nomine diei festi, quo possunt Ordines conferri, num veniat solum festum in foro, an etiam festum in choro?*

XII. *Transcribitur Constitutio Innoc. XII. circa ordinationes alienorum Subditorum.*

I. Certum est, quemlibet Episcopum posse valide, sed nonnisi proprium Episcopum posse licite Ordines conferre ex Trident. sess. 23. Potest etiam Fpiscopus alienus, si habeatur vel dimissoria, vel licentia proprii; Aliter incurrit ille pœnam suspensionis per annum ab Ordinum administratione, quam etiam suspensionem ab Ordine incurrit ordinatus, cum incapacitate ad Beneficium. Abbates habentes jus mitræ, & baculi conferre possunt primam tonsuram, & Ordines minores suis subditis regularibus; aliis vero nonnisi de consensu Ordinarii loci cum literis dimissorialibus: Simplices Sacerdotes etiam possunt de licentia Papæ primam tonsuram, & Ordines minores conferre, ex Reginal. Henr., & aliis apud Bonac.: At Episcopus non potest hanc facultatem Sacerdoti concedere, ut comprobat communis usus, & sensus Doctorum; Nec Pontifex non Sacerdoti, quia collatio Ordinis est actus Ordinis, & supponit potestatem supra corpus Christi verum, ex cap. *Ex literis De excessibus Prælatorum*. Nec potest valide simplex Sacerdos Ordines majores conferre, quia jure divino est determinatus Episcopus ut notat Bellarm. de Sacram. Ordinis cap. 7. Et ratio est, quia Ordo Sacer est quædam publica dignitas Ecclesiastica; ad Principes autem Ecclesiasticos publicos, ut sunt Episcopi, spectat, has publicas dignitates distribuere. Putat Filliuc., & Henr. apud Trull., quod possit Pontifex dare facultatem simplici Sacerdoti conferendi Subdiaconatum; quia olim hic Ordo a Correpiscopis conferebatur: Sed ostendit Bellar., & Bonac., Correpiscopus non fuisse simplices Sacerdotes, sed Episcopos suffraganeos.

II. Quæritur nunc primo; Quisnam dicatur Episcopus proprius?

Respondeo cum communi, Episcopum proprium, quoad Ordines conferendos, esse illum, qui est Episcopus originis, vel domicilii, vel Beneficii.

Primo igitur Episcopus ratione originis is dicitur, in cujus diœcesi natus est vel ordinandus, vel ejus pater, dummodo non sit natus fortuito, dum illac mater transiret, sine animo permanendi, ut notat Diana part. 8. tract. 2. resol. 11. Additque Molphes. apud eundem Dian. part. 4. tract. 4. resol. 148. quod dicatur etiam Episcopus originis is, in cujus diœcesi natus est pater ordinandi, quamvis tempore nativitatis in aliam diœcesim domicilium transtulisset. Quando tamen filius est illegitimus, tunc non respicitur origo patris, sed matris, ex leg. *Ejus qui ff. de eod.* apud Trull. Verum ex ultima Constitutione Innoc. XII., quæ incipit *Speculatores*, subditus originis dicitur, qui natus est in ea diœcesi, in qua vult promoveri ad Ordines, dummodo non sit ibi natus ex accidenti, videlicet occasione itineris, officii, mercaturæ, &c. sui patris; tunc enim natu-

naturalis origo Patris est attendenda. Quod si in loco, in quo ex accidenti natus est, usque adeo moram traxerit, ut potuerit aliquo impedimento canonico irretiri, ab Ordinario ejus loci obtinere debet literas testimoniales. Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, domicilium de jure contraxerit, tunc pro filii ordinatione non est attendenda origo, sed hujusmodi domicilium patris.

Secundo, dicitur Episcopus domicilii is, in cujus diœcesi habet domicilium ordinandus; nam ratione domicilii fit ejus subditus, & diœcesanus: Contrahitur autem domicilium per hoc, quod aliquis cum sua familia, & suppellectili in aliquem locum se transferat, animo ibi permanendi perpetuo; non vero si velit post aliquod tempus ad proprium domicilium regredi, ut accidit Scholaribus, & mercatoribus. In foro autem externo requiritur cum habitatione reali etiam declaratio, & expressio talis animi; Quod si non constet de tali animo, & declaratione, non debet ordinari, quia non presumitur animus ibi permanendi, nisi forte aut per decem annos ibi permanserit, aut ibi domum emerit, & majorem bonorum suorum partem eo transtulerit, aut aliud signum dederit talis animi. Ex quibus sequitur, Baronem, ejusque filios posse ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi habet feudum; Quod verum est, etiamsi Baro ibi non habitet, sed alibi retineat domicilium, ut notat Campanil. apud Trull.; Idemque dicas de Senatore, aut Officiali perpetuo alicujus Principis. Demum qui in duobus locis habet æqualiter domicilium, potest a quolibet Episcopo illorum locorum rdinari; secus vero si alterutrum domicilium sit principalius. Ex Constitutione tamen Inn. XII. subditus domicilii relate ad Ordines suscipiendos censetur, qui adeo stabiliter in aliquo loco fuerit, ut vel per decennium ibi manserit, vel transferendo majorem bonorum suorum partem per aliquod considerabile tempus commorando, animum ibi perpetuo permanendi demonstraverit; & in utroque casu hunc animum jurejurando affirmaverit. Quod si potuerit in loco originis impedimentum canonicum contrahere, præsentare debet testimoniales literas illius Episcopi.

Tertio, dicitur Episcopus beneficii is, in cujus diœcesi ordinandus habet beneficium, etiamsi sit tenue, & exiguum, etiamsi residentiam non requirat. Verum ex Constitutione Innoc. XII. nemo potest ordinari ab Episcopo, qui non sit originis, vel domicilii sub prætextu beneficii statim post tonsuram conferendi. Et qui a proprio Episcopo accepit tonsuram, aut ordines minores, non potest ab alio Episcopo ad alios Ordines promoveri ratione, ac titulo beneficii absque testimonialibus literis proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii. Nec subjicitur jurisdictioni Episcopi, ubi situm est beneficium, nisi hoc sufficiat ad congruam sustentationem independenter a patrimonio. Non venit tamen nomine beneficii pensio, nec præbenda, seu Capellania temporalis; venit pro nomine beneficii, tam commenda perpetua, quia hæc habet vim tituli canonici, quam Præstimonium, quod scilicet dari solet adolescentibus in subsidium studiorum, ex *Cap. fin. de Concess. præben. in 6.*, ut notant Trull. Med., Garz., Less. contra Navar., Rodrig.. Quamvis Laym. cap. 5. putet, tunc præstimonium esse proprie beneficium, quando habet annexum aliquod obsequium spirituale, & datur in titulum perpetuum, unde obliget ad horas; non vero quando consistit in solo temporali obsequio, quod potest per laicum præstari. Cum autem Trident. sess. 23. cap. 9. Episcopis concedat, quod possint suos familiares, (seu illos, qui expensis Episcopi aluntur, unde dicuntur etiam commensales, nam si in regione remota inserviunt, non dicuntur familiares) ordinare, si per triennium illis inservierint, & Episcopi beneficium illis contulerint, declarat, ac statuit Innoc. XII. in sua constitutione, quod non possint hujusmodi familiares ordinari sine literis testimonialibus Prælati proprii originis, seu domicilii, nisi eos per completum triennium in suo actuali servitio secum Episcopi retinuerint, ac suis sumptibus aluerint; Beneficium autem statim illis deinde conferant, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis.

III. Dubium est, an qui unum Ordinem suscepit ab uno Episcopo, verbi gratia originis, possit deinde alios suscipere ab alio Episcopo, v. g. domicilii, aut beneficii. Barbos., Quarant., & alii negant: Trull. tamen, & alii apud Dian. part. 8. tract. 2. resol. 8., & part. 6. tract. 7. resol. 35. affirmant, quia id nullibi prohibi prohibetur; & per hoc, quod ab uno susceperit unum Ordinem, non desinit esse subditus alterius.

IV. Quæritur secundo, quisnam possit literas dimissoriales, seu Reverendas concedere?

Respondeo, posse Episcopos relate ad illos, quos ipsi possunt immediate ordinare. Secundo, Vicarios generales, quando tamen Episcopus in remotis agit, ex cap. *Cum nullus de temp. Ordin.*. Riccius autem, & Barbos. apud Trull. examinant, quid sit agere in remotis? Tertio, Regulares Generales, Provinciales, qui relate ad suos subditos habent potestatem quasi Episcopalem, ex Trident. sess. 23. cap. 8., Quarto, Capitulum Sede vacante; in duobus tamen duntaxat casibus, ex Trident. sess. 7. cap. 10., videlicet, vel si elapsus sit annus a die obitus Episcopi; vel si quis arctatus fuerit ad recipiendos Ordines, occasione alicujus beneficii recepti, aut reci-

piendi,

piendi, puta, si habeat jus, seu sit vocatus, aut præsentatus ad aliquod beneficium vacans, seu Capellaniam requirentem certum ordinem, quo careat: Verbi gratia, si quis obtinuit Parochiam, ratione cujus tenetur intra annum ascendere ad Sacerdotium; vel si obtineat Capellaniam requirentem ex institutione servitium personale,

Utrum autem Superiores Ordinum Religiosorum teneantur dimissorias, seu Reverendas pro suis subditis ordinandis dare ad Episcopum diœcesanum, si affuerit, ut declaravit S. Congregatio anno 1596. apud Croix num. 2236. An vero possint dimissorias dare ad quemcumque Episcopum, si sint exempti? Variant Doctores. Sanch., Pal., Laym. laudati ab eodem Croix putant, posse ad quemcumque Episcopum illas dare; quod tamen Avers. negat. Religiosi Societ. Jesu possunt juxta sua privilegia a quocumque Episcopo ordinari, & tribus diebus festivis, etiam continuis, Ordines Sacros suscipere. Et S. Congregatio apud eundem Croix num. 194. declaravit in decreto edito ab eadem S. Congregatione anno 1693. de moderandis indultis Religiosorum circa ordinationes extra tempora, non comprehendi Religiosos Societatis Jesu, nec ejus privilegiis derogari. Hoc autem privilegium Greg. XIII. Societati concessit incommunicabiliter, seu ita ut non communicetur aliis, qui sua Privilegia cum ipsa Societate copiose participant, ut mox fusius dicemus.

Notandum hic primo, quod Vicarius Papæ potest statim post mortem Papæ literas dimissorias concedere; sicut etiam Collegium Cardinalium, sede vacante, quia Trident. loc. citat. solum limitat hanc potestatem (quam Jure antiquo habebant) Capitulis, sede vacante: Potestque Nuncius Apostolicus intra annum Sedis Episcopalis vacantis dimissorias concedere, ut probat praxis; dummodo ordinandus afferat literas testimoniales a Vicario Capitulari.

Notandum secundo ex Bonac. hic, quod quamvis in aliis casibus non possit Capitulum, sede vacante, intra annum concedere literas dimissoriales; potest tamen dare literas testimoniales de vita, & moribus alicujus, seu testimonium facere idoneitatis illius, ut possit ordinari ab aliquo Episcopo, quando a Sede Apostolica ille obtinuit potestatem, ut ab aliquo Episcopo ordinetur; cum ex Trident. sess. 23. cap. 8. qui hanc facultatem a Sede Apostolica obtinuit, non possit ordinari sine literis testimonialibus proprii Ordinarii, aliter remaneret suspensus ab executione Ordinum susceptorum, & Ordinans remanet suspensus a collatione Ordinum per annum.

Notandum tertio, quod Episcopus (sicut etiam Vicarius Capitularis post annum sedis vacantis) concedentes ex justa causa dimissorias, debeant ex Trident. sess. 14. cap. 3., & sess. 23. cap. 3., examinare prius, & approbare illas petentem: Quamvis ex Barbos., si Episcopus sit absens, possit hoc examen demandare illi Episcopo, ad quem mittitur ordinandus. Hic tamen non tenetur illum iterum examinare, si fuerit prius a suo Episcopo examinatus; quamvis possit, si velit, ut docent Bonac., Barbos., & alii, ex declarationibus S. Congregationis. At quod attinet ad Religiosos Societatis Jesu anno 1681. rogata fuit S. Congregatio, an Ordines suscepturi debeant se subjicere examini, prout cæteri Regulares? Et respondit negative, nisi adsit consuetudo in contrarium; ut videre est apud Croix num. 2194.

Notandum quarto, quod Episcopus in aliena diœcesi existens, si habeat a proprio Episcopo loci licentiam conferendi Ordines, potest solum ordinare subditos Episcopi talis loci; alios vero non potest sine licentia propriorum Episcoporum. Quare si Episcopus in literis dimissoriis concedat alicui subdito facultatem, ut possit a quocumque alio Episcopo in sua diœcesi residente ordinari; communius docent, quod non possit ordinari ab alio Episcopo, qui sit in aliena diœcesi, etiam cum licentia Episcopi illius loci. Quamvis contraria sententia non sit improbabilis, ex Ledesm. apud Trull., & Dian. part. 3. Tract. 4. resol. 191.; quia videtur concessa licentia generalis. Probabiliter etiam ex Majol. apud Bonac. potest Episcopus ordinare extraneum, quando præsumitur ratihabitio proprii, ex facto Divi Epiphanii cap. ultim. quæst. 2.; quamvis communius id negent; excusant enim Epiphanium, qui id fecit, ratione bonæ fidei, & inadvertentiæ. Demum probabiliter qui a Papa habuit licentiam, ut extra tempora ordinetur a proprio Episcopo, potest de licentia proprii Episcopi ab alio ordinari.

V. Notandum quinto, Henr. lib. 3. cap. 6. apud Bonac. putare, quod prima tonsura, & confirmatio possint ab Episcopo conferri suis subditis extra diœcesim, quia hæc non videntur pertinere ad actus pontificales, cum possint privatim in cubiculo conferri.

Cæterum præter literas dimissoriales requiruntur literæ testimoniales, juxta Trid. loc. cit., & juxta Constitutionem Innoc. XII., quam in calce hujus articuli referemus.

VI. Quæritur tertio; A quonam Episcopo debeant Regulares ordinari? Communiter docent apud Barbos. relatum a Croix num. 2193., quod ordinari debeant, per se loquendo, ab Episcopo loci, in quo est Monasterium; & si Monasterium sit in loco nullius diœcesis, debeant ordi-

ordinari a viciniori Episcopo, juxta decretum laudatum S. Congregationis 1595.. Ex privilegio tamen Pauli III. anno 1549. concessum est, quod possint Religiosi Societatis Jesu a quocumque Antistite ad Ordines promoveri, si a præposito Generali comprobati fuerint.

„ Decretum Clementis VIII. quoad eam saltem partem, quæ Regulares prohibet ab alio „ ordinari, nisi a suo Diœcesano Episcopo, „ receptum fuisse in Galliis, & in Belgio, „ constat ex Cabassutio in *Theor.* & *Praxi Juris Canon.* l. 1. c. 10. num. 5. & *Wanespen* „ *Jur. Eccl.* par. 2. tit. 9. c. 2. num. 38. At non „ esse in Hispaniis receptum, quod quidam „ scripsere, falsum est ex Bulla Innoc. XIII. „ *Apostolici Ministerii*. Vide quæ de quodam Re„ gulari hisce Decretis minime obtemperante „ narrat Lambert. T. 2. *Edict.* p. 38. Sed præ„ sertim inspicienda est ejusdem Lambertini, „ ex quo ad Apostolicam Cathedram evectus est, „ Constitutio de *Ordinationibus Regularium*.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad Perpetuam rei memoriam.

„ IMpositi Nobis licet immerentibus Apo„ stolici Ministerii ratio postulat, ut ad „ tuendum Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, „ non modo novas interdum Leges provide „ constituamus; verum etiam veteres a Præ„ decessoribus Nostris sapienter statutas, si qui„ dem fallacium rationum præsidio debitis „ fraudentur effectibus, novis & inviolabilibus „ sanctionibus communiamus; si vero earum „ claritas pravis, & captiosis interpretationi„ bus involvi & obumbrari dignoscatur, eas„ dem perspicuis apertisque declarationibus in „ propria luce collocemus.

„ Sane quæ olim de Ordinationibus Regula„ rium controversia viguit, an scilicet Regu„ lares a quocumque Catholico Antistite indi„ stincte ordinari possent, an vero id juris „ privative pertineret ad Episcopum illius Diœ„ cesis, intra quam sita est Religiosa Domus, „ quam Regularis ad Ordines promovendus „ inhabitat, providis Romanorum Pontificum „ Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus „ & declarationibus jamdudum sublata fuit. In „ qua quidem controversia Episcopi Locorum „ Ordinarii jura sua fundantes in generalibus „ Canonum statutis, & in ipsis exemptionum „ privilegiis, quæ Regularibus indulta sunt, „ ajebant, ipsorum Ordinationes, utpote Diœ„ cesanis Episcopis expresse reservatas, neque „ spectare posse ad Ordinarios eorum Origi„ nis, quam Regulares a se abdicant, dum „ sæculo nuntium remittunt; neque porro ad „ Ordinarios Beneficii, quoniam ipsi ad titu„ lum Beneficii non promoventur; proinde„ que unice spectare ad Episcopos Ordinarios „ eorum Domicilii, nimirum illius Diœcesis, „ ac Loci, in quo ipsi Ordinandi commoran„ tur. Contra vero Regulares Apostolicis Pri„ vilegiis innixi, quæ certis ordinibus recen„ tius elargita, ac deinceps per viam commu„ nicationis ad omnes extensa fuerant, licitum „ sibi esse contendebant Sacros Ordines a quo„ cumque Catholico Antistite, juxta eorum „ Privilegiorum tenorem, pro arbitrio susci„ pere.

„ Verum quum felicis recordationis Præ„ decessor Noster Gregorius Papa XIII. per „ suam Apostolicam Constitutionem, quæ in„ cipit: *In tanta rerum*: datam apud S. „ Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1573. „ Kalendis Martii, justis gravibusque de caus„ sis, alteram Constitutionem sui nostrique pa„ riter Prædecessoris S. Pii Papæ V. cujus „ initium est: *Etsi Mendicantium*: ad juris „ communis & Sacri Concilii Tridentini ter„ minos reduxisset; eodem quoque anno in „ caussa Monachorum Ordinis Carthusiani De„ cretum edidit, quo ipsos ab Episcopis Diœ„ cesum, in quibus eorum Monasteria respe„ ctive sita sunt, vel nonnisi de istorum licen„ tia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos „ esse declaravit; quemadmodum legitur in „ *Lib.* 1. Decretorum Congregationis Concilii „ *pag.* 75. *a terg. Dub. An Nostri Ordinandi* „ *obligentur habere expressam licentiam Ordina*„ *rii, in cujus Diœcesi sunt, pro Ordinibus* „ *conferendis ab Episcopo alterius Diœcesis: San*„ *ctissimus Dominus Noster, etiam ex senten*„ *tia Sacræ Congregationis Concilii, declaravit* „ *obligari*.

„ Contigit autem, sub illius Successore Six„ to Papa V. eandem quæstionem retractari, „ instante universo Ordine Fratrum prædica„ torum. Qua de re idem prædecessor, post ma„ turum caussæ totius examen in præfata Con„ gregatione Concilii habitum, constituit, „ licere Superioribus Regularibus Litteras Di„ missoriales concedere suis respective Subdi„ tis, ad Ordines suscipiendos; sed eas ta„ men Diœcesano dumtaxat Episcopo dire„ ctas, nec alteri unquam, nisi quum forte „ is e Diœcesi adfuerit, aut, quatenus in „ Diœcesi extiterit, Clericorum tamen Or„ dinationem non sit habiturus. Ita relatum „ habetur *Lib.* 4. prædictorum Decretorum „ *pag.* 108. *Sanctissimus Dominus Noster Xi*„ *stus V.*

„ *stus V. ex sententia Congregationis, respondit, Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum Diœcesanum, eoque absente, vel etiam præsente, & Ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

„ Demum a sanctæ memoriæ Prædecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII. ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens Decretum editum fuit: *De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus & singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero observent, & observari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares, posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit; Litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit; &, si Diœcesanus absfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel absfuturus, vel nullas esset habiturus Ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, Litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi caussam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint; officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ reservatas pœnas incurrant. In quorum fidem &c.*

Datum Romæ die 15. *mensis Martii* 1596.

„ Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contendere cœperunt, necessarias esse Regularibus Dimissorias etiam Ordinariorum eorum Originis, quo possent ab Episcopis aliorum Locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes, in præfato Clementis VIII. Decreto derogatum non fuisse Apostolicis Privilegiis quæ eorum Ordinibus, sive directe, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocumque Catholico Antistite ordinari possent, hujusmodi Decreti vim & observantiam declinare se posse putarunt.

„ Verum, quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni 1654. ut notatum reperitur *Libro XIX.* ipsius Decretorum *pag.* 316., ita rescripsit: *Regulares volentes se promovere ad Ordines, non teneri ostendere Dimissorias Ordinariorum propriæ Originis, sed sufficere ut observent formam præscriptam in Decreto san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17. Martii anni 1674. Decretorum *Libro XXVIII. pag.* 261. & *sequentibus*.

„ Quod vero spectat ad Regulares, quum eorum præsumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a felicis recordationis Prædecessore Nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expensum, & examinatum fuisset; cumque ad hujusmodi quæstionem definiendam, id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi Regulares a præfati Decreti Clementini observantia sufficeret, quod Privilegia suscipiendi Ordines a quocumque, ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua Privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis Prædecessoris Decretum: Ac præterea an hujusmodi Privilegia æque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur; ac iis, quibus directe & expresse indulta fuerunt; Idem Innocentius Prædecessor, audito præfatæ Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad superdictum effectum, quo hujusmodi Privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis præfato Clementino Decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicatione Privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis Litteris, incipientibus: *Apostolici ministerii*, die 30. Maji anni 1723. datis, ac deinde confirmatis a sanctæ memoriæ prędecessore pariter

,, riter Nostro Benedicto Papa XIII. per ,, alias similes Litteras datas die 23. Septembris anni 1724. quarum initium est: *In* ,, *supremo*: aperte declaravit, his verbis: ,, *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piæ memoriæ Clemente VIII. Predecessore etiam Nostro confirmatum die* 15. *Martii* 1596. *quo sancitur, ad Episcopum Diœcesanum Litteras Dimissorias pro eorundem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo Diœcesanus a Diœcesi abesset, vel Ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in Litteris dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta Episcopi Diœcesani absentia, vel de illa alia caussa, videlicet quod Ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, Regularibus illis, quibus per speciale Privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo Indulto nihil per præsentes innovare intendimus*.

,, Porro si aliqui vigilias laboresque suos, non tam in extricandis inutilibus quæstionibus, vel forte in rebus profanis, & ab Ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum Legum, quibus Ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in Legum etiam clarissimarum interpretatione, suus cuique sensus pro authoritate esset; nec olim Nobis in nostro Bononiensi Archiepiscopatu residentibus contigisset, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digressus, suique Superioris Dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos Clericorum ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratus Ordinem susciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur: Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata Pastorali mansuetudine, vindicare, non prætermisimus; ut videre est in monito Pastorali a Nobis tunc edito, *inter impress. Monit.* 3. *Lib.* 11. Neque rursus, ex quo ad universalis Ecclesiæ regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum Fratrum Nostrorum querelæ ad Apostolatum Nostrum delatæ fuissent; qui nimirum, non sine magno animi nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus sæpe Regularibus in eorum Diœcesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum Ecclesiasticarum Legum, atque pœnalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur; (siquidem in authographo supra relati Clementini Decreti distincte legitur: *incurrant*; non autem, quod falso non nemo asseruit: *incurrent*,) dum scilicet, Superiores Regulares, qui Subditis suis non ad præscriptum ejusdem Decreti Dimissorias Litteras concedunt, suorum Officiorum, ac Dignitatum, & vocis activæ, atque passivæ amissione mulctantur; Ordinati vero, suspensionis pœnam, atque etiam, si in suscepto Ordine ministraverint, Irregularitatem incurrunt; ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt Canonicas pœnas adversus eos propositas, qui alienos Subditos absque sufficientibus Dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint, complures Regulares non alia de caussa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi Diœcesani, cujus hac in re jurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi præmisso examine, Ordines ipsis impertiatur; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinæ Synodi Decreta delinquunt: Ea siquidem *sess.* 23. *cap.* 12. *de Reformatione*, sic statuit: *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc pœnitus exclusis*.

,, Nos autem consueta Sedis Apostolicæ clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum quærimoniæ ad nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus: Quin imo omnes & singulos in hoc delinquentes, sive Superiores Regulares, sive Regulares ad Ordines promotos, sive Antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas hac de caussa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, autho-

,, rita-

„ ritatis Nostræ plenitudine, ac de Apostolica „ benignitate, tenore præsentium absolvimus, „ & absolutos esse censeri decernimus, & cum „ iisdem super quacumque irregularitate per „ eos forsan, caussa & occasione præmissis, „ quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros & Presbteratus Ordines, eorumque „ exercitium, atque ad omnia & singula eorum respective Religionum munera pari au„ thoritatis plenitudine dispensamus. De cetero tamen infrascriptas Leges in posterum o„ mnino observandas, Motu proprio, & ex „ certa scientia Nostra, ac matura delibera„ tione præmissa, edicimus atque statuimus.

„ Quæcumque nimirum hac in re præfatis „ Prædecessoribus Nostris Gregorio XIII. Six„ to V. Clemente VIII. & Innocentio XIII. „ in supra citatis ipsorum Litteris seu Decre„ tis, statuta, mandata, definita, atque san„ cita fuerunt, ea omnia & singula, motu, „ scientia, & potestatis plenitudine præfatis, „ earumdem præsentium serie, confirma„ mus, roboramus, & innovamus; atque ab „ omnibus ad quos spectat, seu quandocum„ que in futurum spectabit, inviolabiliter ob„ servari præcipimus & jubemus; Transgres„ sores quoque omnibus pœnis in præmissis „ contentis, aliisque per Apostolicas Consti„ tutiones, & per sacros Canones latis atque „ statutis, cum effectu subjacere, easque ipso „ facto & absque aliqua declaratione incurre„ re decernimus: Superiores nimirum Regu„ lares eas omnes, quas, ut præfertur, su„ pradictus Clemens VIII. Prædecessor con„ stituit & sanxit; Regulares autem, qui con„ tra illius Decreti præscriptum promoti fue„ rint, & Antistites eos promoventes, Cano„ nicas pœnas atque censuras, quæ adversus sa„ cram Ordinationem suscipientes ab Episco„ po, qui proprius ad hunc effectum dici & ha„ beri nequit, nec non adversus Episcopos, „ alienos Subditos indebite ordinantes, in ju„ re Canonico, & in Constitutionibus Apo„ stolicis statutæ habentur.

„ Prætera volumus atque decernimus, ut „ Superiorum Regularium Dimissoriæ, quæ „ ideo ad alium Antistitem directæ fuerint, „ propterea quod Episcopus Diœcesanus ex„ tra Diœcesim commoretur, vel Ordinatio„ nem non sit habiturus, nullius sint robo„ ris & momenti, nisi illis juncta fuerit au„ thentica attestatio Vicarii Generalis, vel „ Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episco„ pi Diœcesani, ex qua constat, vel ipsum „ a Diœcesi abesse, vel Clericorum Ordina„ tionem habiturum non esse proximo legi„ timo tempore per Ecclesiasticas Leges ad „ hunc effectum statuto: Hoc enim expresse „ declarari opus est, ad excludendam non„ nullorum arrogantiam, qui quum Privile„ gio gaudeant suscipiendi Ordines extra tem„ pora, existimarunt Episcopos ipsorum vo„ luntati adeo addictos esse debere, ut si quan„ documque ipsis placuisset ad Ordines pro„ moveri, non statim, ipsoque die ab ipsis „ designato, voti compotes fierent, jam dici „ posset, Ordinationem ab Episcopo non ha„ beri, proindeque alius Episcopus pro susci„ piendis Ordinibus adeundus esset. Quod si „ aliquis Antistes Regularem virum, in sua „ Diœcesi proprium domicilium non haben„ tem, solis ipsius Superioris dimissorialibus „ Litteris contentus, sine adjuncta præfata at„ testatione in forma probanti, ad Ordines „ promovere præsumpserit; decernimus & de„ claramus hunc ipso facto incurrere in pœ„ nas Canonicas adversus eos constitutas, qui „ alienum Subditum legitimis Dimissoriis de„ stitutum ordinaverint.

„ Quemadmodum vero eorum Ordinum „ Regularium Privilegia firma & rata esse „ volumus, quibus ab Apostolica Sede reperi„ tur indultum, ut eorum Alumni a quoli„ bet Catholico Antistite ipsius Sedis gratiam „ & communionem habente ordinari valeant; „ dummodo hujusmodi Privilegia post Tri„ dentinum Concilium, & ipsis Ordinibus no„ minatim atque directe, non autem per com„ municationem concessa fuerint: Ita porro „ omnia similia Privilegia, quæ aliis Ordini„ bus ante præfatum Concilium Tridentinum, „ ab ipsa etiam Apostolica Sede, & sub qui„ buscumque tenoribus & formis, indulta sint, „ vel etiam post ipsum Concilium non ipsis „ directe concessa, sed per communicatio„ nem ad eos extensa esse dicantur, iisdem „ authoritate & tenore, nulla & irrita, o„ mnique vigore ac robore, ad effectum, de „ quo agitur, penitus destituta & vacua es„ se volumus & statuimus: Decernentes, „ hujusmodi Privilegia nequaquam post Con„ cilium Tridentinum indulta censeri, nisi, „ vel post ipsius Concilii confirmationem re„ ipsa fuerint concessa, vel, quatenus an„ tea concessa, & posterius confirmata es„ se asserantur, hujusmodi confirmationes *in* „ *forma specifica* cum litterali veteris Indul„ ti insertione, ejusque expressa innovatio„ ne, factæ dignoscantur; ac declarantes, „ alterius generis confirmationes, quæ *in* „ *forma communi* nuncupantur, nemini ad „ præmissum effectum ullo pacto suffragari. „ Quod vero spectat ad eorumdem Privilegio„ rum usum & exercitium, monendi sunt ii, „ quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure „ competere dignoscuntur, ut non sine justa

„ caussa,

„ caussa, ne extra debitas circumstantias, pro „ libito ipsis utantur; minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum Prtvilegiorum „ singularitatem; quemadmodum aliquibus in „ more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo Diœcesano „ Clericorum Ordinationes publice habendæ „ sunt, ad alterius Episcopi Diœcesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem Ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt; idque se facere ajunt, ut „ jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica Privilegia, nonnisi cum „ aperto Episcopi Diœcesani contemptu, suam „ vim & robur habitura forent.

„ Denique tam Ven. Fratres Patriarchas, „ Archiepiscopos, & Episcopos, quam Dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Professores, quam maximo possumus „ Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei Nostri, & per charitatem Sancti „ Spiritus, hortamur in Domino & obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus, soliciti sint unitatem spiritus, & sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacrosancta Œcumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. „ habita, inculcatum fuit, per hæc verba: „ *Eosdem insuper Fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita & Nostra ac Apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore & congruenti observantia venerentur.* Neque obliviscantur Episcopi, „ Regulares viros ipsis datos esse adjutores in „ Dominicæ vineæ cultura; subdit enim eadem sancta Synodus: *Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei Nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, ac benigne foveant &c. & tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant*: Demum & Episcopi & Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem „ subjicitur: *Una est Regularium & Secularium, Prælatorum & Subditorum, exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*

„ Hæc profecto Christianæ veritatis & charitatis documenta quum utrimque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in „ hac etiam Ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticescent. „ Neque enim Regulares conqueri poterunt, „ quod, recusantibus Episcopis sacram Ordinationem administrare, præterquam in Temporibus ab Ecclesia statutis, eorum Privilegia de Ordinibus extra Tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi „ enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelæ, quod Superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini observantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos Ordines, falsis de caussis ad pristinum Monasterium reverti jubeant; siquidem Regulares hujusmodi agendi rationem „ (quam & alias in foro externo graviter „ vindicatam fuisse, & in posterum districte „ coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate & fide alienam, tum etiam debitæ erga sacros Ecclesiarum Antistites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

„ Præsentes vero Nostras Litteras, & in „ eis statuta quæcumque, etiam ex eo, quod „ quilibet in præmissis, seu eorum aliquo „ jus, vel interesse habentes, seu habere „ quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel „ dignitatis existant, sive alias specifica, & „ individua mentione & expressione digni, „ illis non consenserint, nec ad ea vocati & „ auditi, neque caussæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo „ justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, „ etiam quantumvis juridica, & privilegiata caussa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam „ tempore de subreptionis, vel obreptionis, „ aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, „ aliove quolibet, etiam quantumvis magno, „ ac formali & substantiali defectu notari, „ impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, „ restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam „ Motu pari, & de Apostolicæ potestatis „ plenitudine simili concesso vel emanato „ quempiam in judicio, vel extra illud uti, „ seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas „ præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & „ integros effectus sortiri & obtinere, ac ab

„ illis

„ illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

„ Sicque & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia ac potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

„ Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis, quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, aliisve quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus, in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, caussas, & occasiones præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alia in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime & amplissime, Motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

„ Volumus insuper, & eadem authoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas & affixas, omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

„ Utque earumdem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, 1746. 3. Kalen. Martii, Pontificatus Nostri Anno septimo.

VII. Quæritur quarto, Quo tempore Ordines conferri licite possint?

Respondeo, primam tonsuram quolibet die posse conferri, ut constat ex consuetudine generali Ecclesiæ: Consecratio Episcopi quolibet die dominico potest fieri: Ordines majores, secluso privilegio, conferri possunt in sex Sabbatis, videlicet in quatuor Sabbatis quatuor temporum, in Sabbato ante Dominicam Passionis, & in Sabbato Sancto, ex Trident. sess. 23. cap. 8.: Ordines minores quolibet die festo privatim conferri possunt; publice tamen conferuntur ex consuetudine feria *6.* ante Sabbatum, quo conferri possunt Ordines majores.

VIII. Quæritur quinto; Quænam interstitia servari debeant?

Respondeo ex Trident. sess. 23. cap. 10. non posse suscipi Subdiaconatum, nisi elapso anno a suscepto ultimo minori Ordine; nec Diaconatum, nisi elapso anno post Subdiaconatum; nec Sacerdotium, nisi elapso anno a Diaconatu, ut interim ordinandus in Ordine suscepto se exerceat, intelligatque altius Ordinis pondus, & dignitatem; Hic tamen annus computatur, non

non ratione trecentorum sexaginta quinque dierum, sed verbi gratia, a quadragesima ad quadragesimam, a Pentecoste ad Pentecosten. Inter minores Ordines non datur præceptum de interstitiis, sed relinquitur prudentiæ, & arbitrio Episcopi, ut eos vel simul, vel per temporum interstitia conferat, prout expedire judicaverit, ex Trident. loc. cit. cap. 11. Quare possunt eodem die simul cum prima tonsura omnes quatuor Ordines minores suscipi. Imo Vasq. in 3. part. tract. 5. disp. 246. cap. 5. apud Dian. part. 2. tract. 16. resol. 28. & part. 5. tract. 10. resol. 36. contra Reginal. & Bonac. putat, posse eodem die conferri eidem cum quatuor Ordinibus minoribus Subdiaconatum, quia nullibi prohibetur: Quod tamen Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 8. & alii apud Busemb. admittunt solum ubi est talis consuetudo.

IX. Quæritur sexto; Quisnam possit in Interstitiis dispensare?

Respondeo, Episcopum ex Trident. loc. cit. dispensare posse cum suis subditis in temporum interstitiis, ex justa tamen causa; major autem causa requiritur in dispensatione ad Sacerdotium, quam ad Diaconatum, & major ad Diaconatum, quam ad Subdiaconatum. Causa autem justa ad dispensandum in interstitiis pro Subdiaconatu, & pro Diaconatu est ex Trid. vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, remittendo hoc prudentiæ Episcopi juxta circumstantias loci, & temporis, & conditionem personæ. Communiter tamen putant, non debere esse hanc utilitatem extraordinariam, aut publicam. At ad dispensandum pro Sacerdotio requirit Tridentinum utilitatem simul, & necessitatem Ecclesiæ; quamvis aliqui apud Bonac. putent, etiam sufficere alterum, quando ita expedire judicaverit Episcopus. Siquidem necessitas non sejungitur ab utilitate; & non levis utilitas est etiam quædam necessitas. In specie tamen Hurt. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 209. & part. 6. tract. 8. resol. 23. docet, posse absque interstitiis ordinari, qui habet Beneficium, aut Capellaniam cum onere celebrandi: Et ex declaratione Cardinalium, qui in literis, aut virtutibus multum profecit; quia hic ordinatus erit utilis Ecclesiæ.

Præterea potest etiam in Interstitiis dispensare Capitulum, sede vacante, ex Barbos. & Quarant. V. *Capitulum*; necnon Episcopi cum suis familiaribus non subditis, quando possunt illis Ordines conferre, ex Dian. part. 3. tract. 4. resol. 190. Regulares tamen habentes quasi Episcopalem jurisdictionem, ut sunt Generales, & Provinciales, possunt quidem dare suis subditis dimissorias; at non possunt cum illis dispensare in interstitiis, sed debent Episcopi id facere ex causa sibi per attestationem Superiorum manifestata. Verum Barbos. apud Trull. refert, declaratum esse a S. Congregatione, debere Episcopum se conformare cum attestatione, & supplicatione Regularium; quia ad eos spectat providere circa utilitatem, & necessitatem suarum Ecclesiarum: Gregorius tamen XIII. concessit Societatis Jesu Religiosis, ut possint extra tempora tribus Dominicis, vel aliis diebus festivis etiam continuis ordinari, non servatis interstitiis, prohibendo tamen, ut diximus, aliis hujusmodi privilegii communicationem. Quare in re aliqua contra Vasq. apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 31. & part. 5. tract. 13. resol. 57. docent, hoc privilegio gaudere Mendicantes omnes: tum quia alii Pontifices post Gregor. XIII. omnia privilegia Societatis communia fecerunt aliis Religionibus: tum quia simile privilegium concessum fuit a Clem. VIII. Patribus Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Portugallia. Unde Dian. part. 3. tract. 2. resol. 32. docet, posse probabiliter Superiores Regularium dispensare in interstitiis cum subditis suis, sicut possunt Superiores Societatis Jesu. Verum Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 25. apud Sum. Dian. V. *Ordines* num. 30. adducit declarationem S. Congregationis, quod id non possint Superiores Regulares: necnon apud Dian. part. 3. tract. 12. resol. 112. esto Rodrig. oppositum putet probabile.

X. Equidem, quod attinet ad Privilegium Societatis concessum incommunicabiliter, cum Regulares passim contendant, posse ex suis privilegiis extra tempora diebus tribus festivis ad Sacros Ordines promoveri, renuentibus etiam passim Episcopis in id consentire, expono utriusque sententiæ rationes, ac fundamenta, ex quibus argui possit, num sit solide probabilis sententia affirmativa; quam sustinent Portell. Villalob. Homob. Monet. Barbos. Hieron. & Ludovicus Rodrig. Cœlestin. & alii apud Dian. qui docet, eam non solum esse probabilem, sed etiam tutam; ita ut non raro in praxim deducta sit. Quod pariter affirmat Aversa quæst. 3. sect. 9. asserens apud Croix num. 2304. pro suo Ordine Clericorum Regularium Minorum sæpius id factitatum esse in pluribus diœcesibus, & in ipsa Romana Urbe.

Primum hujus Sententiæ fundamentum est, quia apud Pal. punct. 13. num. 11. Eugen. IV. & Alexad. VI. hoc privilegium Religiosis S. Hieronymi, ac S. Benedicti olim concessere; nec videtur illud revocatum fuisse a Trident. ut probat Rodrig. ex Villal. apud eundem Dian.

Alterum fundamentum, quod passim obtruditur, est, quia quamvis Gregor. XIII. hoc privilegium concesserit Societati Jesu incommunicabiliter, dicens in sua Bulla: *Præsentis*

gratiæ

gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus: nihilominus cum alii Pontifices successores Gregor. XIII. concesserint aliis Religionibus (præsertim Clericis Regularibus, ut habet Dian. ibid., aliique apud Tamb. de Ordine cap. 9. num. 18.) absque ulla limitatione omnia privilegia Societ. Jesu concessa, videtur hoc etiam privilegium iisdem concessum; atque adeo omnibus Regularibus, qui in privilegiis aliarum religionum communicant.

Tertium est, quia hoc privilegium suscipiendi Sacros Ordines extra tempora tribus diebus festivis concessum fuit a Clem. VIII. Patribus Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, necnon, ut notat Cesped. apud Pelliz. tract. 8. cap. 2. num. 173. Capellanis S. Joannis Hierosolymitani; atque adeo Regulares omnes, qui cum istorum privilegiis communicant, libere possunt hoc privilegio uti.

Verum Ledesm., Suar. de legibus lib. 8. cap. 18., Vasq., Mirand., Peyrin., & alii apud eundem Dian. part. 1. tract. 2. resol. 31., apud Pasqual. quæst. 356., & apud Pelliz. loc. citat. putant, fundamenta adducta non evincere solidam probabilitatem sententiæ affirmativæ.

Ad primum enim respondent, Privilegia concessa ab Eugen. IV., & Alexan. VI. fuisse vivæ vocis oracula; cum autem omnia vivæ vocis oracula deinde revocata sint ab Urban. VIII., idcirco vi illorum privilegiorum non videntur Regulares posse extra tempora ordinari. Quicquid sit, an illa etiam a Trident. revocata fuerint, ut nonnulli putant apud Rodrig. laudatum; ut ea de causa nonnulli Antistites renuerent Nostros ad Sacros Ordines, non servatis interstitiis, promovere, putantes hujusmodi privilegium olim Nobis a Paul. III. collatum fuisse, & postmodum a Trident. revocatum, ut in laud. Bulla testatur Gregor. XIII., qua de causa exprimit Pontifex nobis iterum privilegium confirmare, esto revocatum fuisset a Tridentino.

Ad secundum respondet Suar. loco laudato, concessionem Privilegiorum Societat. Jesu factam a Pontificibus Gregor. XIII. Successoribus aliis Religionibus, quamvis non exprimendo ullam limitationem, non posse includere hoc Privilegium incommunicabiliter concessum; quia ex Regula Juris 81.: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter concessurus.* Sicuti autem falcultas generalis absolvendi a casibus, & censuris non se extendit ad reservata, quippe quæ indigent speciali mentione; ita generalis concessio Privilegiorum Societ. non se extendit ad hoc, quod est veluti reservatum, utpote incommunicabile, indigetque speciali mentione, ut aliis communicetur. Et sane (ut ratiocinatur Suar.) si Pontifex aliquis Prædecessor Gregor. XIII. contulisset alicui Religioni communicationem Privilegiorum etiam futurorum Societatis absque ulla limitatione, nemo diceret, quod pariter intelligeretur concessum hoc privilegium Gregor. XIII., quippe quod conceditur expresse ut incommunicabile: ergo pariter si Pontifex Gregor. XIII. Successor conferat alicui Religioni communicationem omnium privilegiorum præteritorum Societatis, neque intelligitur concessum illud, quod concessum est ut incommunicabile; Eadem quippe est ratio in utroque casu: Præsertim quia ex verbis laudatis Gregor. XIII. non solum prohibetur communicatio in hoc privilegio aliis Regularibus, qui sua privilegia copiose participant cum Privilegiis Societatis; sed etiam iis, qui poterunt deinceps sua privilegia cum iisdem communicare; quæ verba videntur indicare, quod si in posterum privilegia Societatis, non exprimendo ullam limitationem, aliis Religionibus concedantur, non intelligatur hoc concessum, quippe Religiosis Societatis Jesu collatum ob finem illis specialem, videlicet, ut habet Pontifex, quia *sunt veluti viatores, omni tempore parati, expectantesque diem, & horam, qua vel ad extremas Orbis regiones, cum venit usus, emittantur.* Propterea S. Congregatio Concilii post editum decretum anno 1693. apud Croix num. 2295. de moderandis Indultis quoad susceptionem Ordinum extra tempora in Jure statuta, ubi exposuit causas, propter quas poterit in posterum tale indultum concedi, inter illas recenset pro Regularibus penuriam Sacerdotum in Monasterio, addendo, quod nunquam tale indultum concedatur pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio Episcopi definiendo.

Quamvis autem hoc decretum non videretur includere Religiosos Societatis Jesu, qui ex Bulla Gregor. XIII. laudata possunt tribus diebus festivis, etiam continuis, Sacros Ordines suscipere; nihilominus ad cautelam anno 1695., ut videre est apud eundem Croix num. 2194. P. Thyrsus Generalis Societat. Jesu supplici libello rogavit S. Congregationem, ut dignaretur declarare, an tali decreto etiam Societas involveretur. Et facto verbo cum Sanctissimo declaravit, eo decreto Societatem non comprehendi; atque expresse mandavit, ut pro Religiosis Societatis ad Sacros Ordines promovendis servaretur Bulla laudata Gregor. XIII. Quare cum decretum istud loquatur de aliis Regularibus, quibus solum ob penuriam Sacerdotum in Monasterio concedi potest, ut tribus diebus festivis, non tamen continuis, ad Sacros Ordines promoveantur, & S. Congregatio a eo decreto solum excipiat Religiosos Societ...

ob privilegium illis incommunicabiliter concessum, non videtur posse asseri, quod isto privilegio etiam alii Regulares uti possit, ex eo motivo, quod sine limitatione Privilegia Societatis post Gregor. XIII. aliis Religionibus fuerint concessa.

Ad tertium respondet Pelliz. loc. citat., Privilegium illud Clem. VIII. fortasse esse etiam vivæ vocis oraculum, & minus authenticum; quamvis Porteil. dicat, se illud vidisse. Privilegium vero Pii V. relatum a Cesped., si verum esset, non indiguisset Societas Privilegio Gregor. XIII.; quandoquidem vi Bullæ ejusdem Pii V. communicaret cum aliorum Ordinum, ac Congregationum Privilegiis. Et decretum nuper laudatum S. Congregationis permittens tale indultum, quando in Monasterio est penuria Sacerdotum, videtur supponere, quod alii Regulares non gaudeant eo Privilegio suscipiendi universim Ordines extra tempora. Hæc habui, quæ in hac re paucis apponerem veritatis gratia, quin velim quicquam derogare auctoritati aliter sentientium. Præsertim quia Auctores, qui favent sententiæ affirmativæ, sunt magni nominis, & non pauci (ut videre est apud Pasqual. qu. 356., & apud Dian. part. 3. tract. 3. resol. 31. Illorum etiam ratiocinationes non sunt levis momenti. Praxis in multis diœcesibus probabilitatem talis sententiæ valde confirmat, ut fuse hæc omnia prosequitur in quodam erudito Opusculo de hoc Messanæ edito anno 1682. P. Franciscus Lentinus Clericus Regularis Ministrantium infirmis. Gaudeant itaque omnes probabilitate, quæcumque illa sit, sua, quam ipse extenuare non ausim.

XI. Dubium est, An nomine dierum festivorum, quibus possunt ex privilegio conferri Ordines, intelligendi sint dies festi in foro, seu de præcepto, an etiam dies qui sint festi in Choro, licet non sint in populo, ut sunt omnia festa duplicia?

Respondeo, Nald. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 97. putare, quod debeant intelligi dies festi toti populo, in quibus prohibita sunt opera servilia; nam denunciationes Matrimonii, quæ ex Trident. faciendę sunt tribus diebus festivis, faciendæ sunt diebus festis de precepto. Præposit. tamen, & Fagund. part. 1. lib. 1. cap. 2. docent probabiliter intelligi posse dies festos in Choro, quando scilicet festum est duplex; quia sic intelligitur in Pontificali Romano dies festus, quando præcipitur, ut Ordines minores die dominico, aut festo conferantur, ut observat Gavant. in Ench. V. *Ordines minores*; & hanc sententiam vocat in praxi tutam Dian. part. 5. tract. 13. resol. 47. Lug. tamen lib. 1. Resp. moral. disp. 43. apud Busemb. monet, opinionem hanc rejectam esse ex decreto Urbani VIII.

XII. Denique in calce hujus articuli subjicio Constitutionem Innoc. XII. editam anno 1694. ad tollendos abusus, & fraudes circa Ordines alienorum subditorum, ut præ manibus habeatur; viderique circa illam poterit, quæ Croix in de Sacramento Ordinis annotavit.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Ad Perpetuam rei memoriam.

SPeculatores Domus Israel, Hac generali nostra, & perpetuo valitura constitutione decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi ratione originis, seu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti, non subditum, ad Clericalem Tonsuram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac Tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post Clericalem Characterem susceptum ad illud instituatur: Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales literas proprii Episcopi, tam Originis, quam Domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit; easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit. Licet vero Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat; illudque ab Ordinando pa-

cifice

cifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjectione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis Dioecesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus literis, quam de redditu Beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Dioecesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicili ad effectum suscipiendi Ordines is duntaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac suorum bonorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii, Prælati testimonialibus literis, ut supra, & nisi ad præscritum Concilii Tridentini præfati sess. 23. cap. 9. De Refor., familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit: Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminam unius mensis a die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos Clericos quoscumque, ab alienis Episcopis, quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti sess. 14. cap. 3. de Reform., quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento; ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse comperit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno 1694. die 4. Novembris.

ARTICULUS IV.

De subjecto Ordinum.

I. *Diaconissa, & Presbytera non erant olim capaces Ordinum.*
II. *Non peccet mortaliter, qui sine prævia Confirmatione Ordines suscipit?*
III. *De Ætate in singulis Ordinibus requisita.*
IV. *Qui ordinatur animo effugiendi forum sæculare, & exemptionem a tributis, probabilius solum venialiter peccat.*
V. *De scientia requisita in Ordinando, ac de examine prævio; præsertim relate ad Regulares.*
VI. *De iis, quæ spectant ad titulum requisitum, sive Patrimonii, sive Beneficii, sive Paupertatis.*
VII. *Num Patrimonium ficte donatum sit deinde in foro Conscientiæ retrodonandum?*

I. CErtum est, solos homines baptizatos esse Ordinis capaces; jure tamen Ecclesiastico excluduntur bigami, homicidæ, cæci, muti, & omnes irregulares. Ut licite suscipiatur, requiritur in suscipiente ætas præscripta, titulus, examen, literæ dimissoriæ, quod per suos gradus ad Ordines ascendat, interstitia, tempus, locus, status, gratiæ, & alia hujusmodi, de quibus egimus articulo antecedenti.

Dices, in cap. *Diaconissa* 27. quæst. 1., & cap. *cum mulieres dist.* 32. fit mentio Presbyterarum, & diaconissarum, quæ non poterant ordinari ante quadragesimum annum; ergo etiam mulieres sunt capaces Ordinum. Respondet tamen Filliuc. apud Trull. disp. 11., illas nullo fuisse Ordine insignitas, sed vel fuisse uxores Presbyteri, aut Diaconi, vel habuisse curam aliquarum rerum Ecclesiæ. Presbytera autem erat fœmina senior, quia *Presbyter* græce idem valet, ac latine *Senior*. Diaconissa vero erat Abbatissa, quæ per quandam benedictionem recipiebat potestatem legendi Euangelium cum homilia in matutino, sicut faciunt Diaconi.

II. Quæritur nunc primo; An peccet mortaliter, qui non confirmatus Ordines suscipit?

Respondeo, Tolet. docere apud Dian. part. 2. tract. 6. resol. 4., & part. 3. tract. 4. resol. 24., quod peccet mortaliter, & fiat irregularis. At Sot., Con., Trull., & alii apud Croix num. 2223., quod solum peccet venialiter; quia Trident. sess. 22. cap. 7. non utitur verbis adeo strictis, quæ obligationem gravem significent; quamvis consilium det Episcopis, ut non confirmatos non promoveant.

III. Quæritur secundo; Quænam sit Ætas in ordinando requisita?

Respondeo, pro prima tonsura, & tribus Ordinibus minoribus requiri septennium completum, ex cap. *De iis dist.* 18. Pro acolythatu duodecim annos completos. Communiter tamen non initiantur Minoribus ante decimum quartum annum, ut notat Trull. Pro Subdiaconatu Trident. sess. 23. cap. 11. requirit vigesimum secundum, pro Diaconatu vigesimum tertium, pro Sacerdotio vigesimum quintum. Pro Episcopatu requiritur trigesimum ex cap. *Cum In cunctis de Elect.* Ad Beneficium simplex requiritur ex Trident. sess. 21. cap. 6. annus decimus quartus; ad Curatum, ad Dignitatem, vel Abbatiam vigesimus quintus: satis autem est, hos annos attigisse. Quamvis Barbos. cum Riccio, & Molfes. apud Trull. putet, non esse computandum diem bisextilem præsentis anni pro legitima ætate, quia solum quarta pars talis diei pertinet ad complementum anni præsentis; contraria tamen opinio Bonac. est probabilior, & juxta usum Ecclesiæ; quia eo anno, quo accidit dies bisextilis, habetur complementum quatuor annorum præcedentium. Illud probabile putat Dian. part. 2. tract. 16. resol. 27. & part. 5. tract. 5. resol. 17. ex Sanch., quod si ultimus dies ætatis sit inceptus, possit quis ordinari, etiam ante aliquot horas; quia in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo, leg. *Qua ætate ff. de testam.* Quod tamen ipse non admitto; quia cum requiratur in jure ætas, v. g. viginti quinque annorum pro Sacerdotio, satis quidem est vigesimum quintum attigisse, sed non videtur satis attigisse diem, quo post aliquot horas attingendus est annus vigesimus quintus.

IV. Quæritur tertio; Quinam animus requiratur in ordinando?

Respondeo, ex Trident. sess. 23. cap. 4., requiri in initiandis, quod Confirmationem susceperint, & quod de iis probabilis conjectura sit, quod hoc vitæ genus elegerint ad Deo inserviendum, non sæcularis judicii fugiendi fraude. Unde ex Barbos., & Ledesm. peccat mortaliter, qui coronam, vel Ordines minores accipit ad fugiendum judicium sæculare, & ut gaudeat exemptione a tributis. Dian. tamen part. 1. tract. 16. resol. 77. cum Sanch., Con., Laym., Pal. probabilius putat, quod solum venialiter peccet, qui eo fine initiatur; quia Trident. non utitur verbis præceptivis sufficientibus ad obligationem gravem, sed tantum vult ostendere, quid postulet ipsa decentia, & reverentia illius status. Qui tamen initiatur ad inserviendum Deo in tali statu absque animo ascendendi ad Ordines superiores, & non ad fugiendum judicium seculare, nullatenus videtur peccare.

V. Quæritur quarto, Quænam scientia in Ordinando requiratur?

Respondeo, ex Triden. loc. citat. requiri in tonsurando, quod sciat rudimenta fidei, legere, & scribere; saltem ut characteres aliquo pacto figuret, ex declaratione Congregationis Episcoporum apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 27.: In promovendis ad quatuor minores Ordines, ut saltem sciant, & intelligant linguam latinam: Pro Subdiaconis, & Diaconis requiritur præter cognitionem linguæ latinæ, ut sciant, quæ pertinent ad istos Ordines: Pro Sacerdotio demum, quod sciat populum docere necessaria ad salutem, & Sacramenta administrare. In Regularibus tamen, qui solum debent inservire choro, putant Sot., Peyr., Portell., & alii apud Pelliz. tract. 8. cap. 2. num. 165., quod non requiratur tanta scientia, quanta in Clericis: Possunt enim ordinari Sacerdotes, si tantum sciant, quid sit Sacramentum, præsertim altaris, ejusque materia, forma, Minister; sicut etiam ut sciant in necessitate, moribundum absolvere sacramentaliter, ut bene legant, & cantent, quamvis sint minus literati; quod pariter docent Henr., Villal. apud Dian. part. 3. tract. 16.

resol.

resol. 31. contra Ledesm. quia scilicet defectus scientiæ suppletur maxime ex hoc, quod vivant in communitate; unde facile a sociis corriguntur, si errant: Et propter eandem rationem, idem dicendum ex Villal. de Canonicis, Cantoribus, & aliis, qui etiam in communitate sint; præsertim quia Trident. non videtur cum tanto rigore scientiam hanc requirere: quamvis Ledesm. doceat oppositum.

Hinc fit, Episcopos debere examinare ordinandos, (nisi tamen notorie digni sint) in scientia, & moribus. Et circa Regulares, quamvis Episcopus quoad vitam, & mores stare debeat attestationi suorum Superiorum: circa scientiam tamen subjiciuntur illius examini; ita ut possit illos examinare, esto possit etiam esse contentus de examine facto a Prælatis ipsorum. Quamvis relate ad Religiosos Societat. Jesu, S. Congregatio, ut notavimus art. super. declaravit anno 1681. non esse examinandos, nisi adsit consuetudo in contrarium.

VI. Quæritur quinto; Quinam titulus requiratur in ordinando?

Respondeo, ex Trid. sess. 11. cap. 2. Clericos sæculares non posse ad Sacros Ordines promoveri, nisi habeant aliquem titulum, videlicet aut beneficii, aut patrimonii, aut pensionis, prout Episcopus judicaverit expedire: Requiritur enim, quod habeant id, quod sufficit ad congruam sustentationem, ne cogantur mendicare. Pro Regularibus vero satis est pro titulo ipsa professio, seu paupertas: Et Religiosis Societ. Jesu sufficit paupertas, quam per vota simplicia vovent ex speciali privilegio. Quamvis Avil. & Henr. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 52. & par. 5. tract. 10. resol. 50. putent, posse aliquando Episcopum dispensare in aliquo casu raro, verbi gratia, cum Collegiali docto, & insigni, præsertim Salmanticensi, & Complutensi, quia huic non deficiet cathedra, aut præbenda, aut beneficium; Campanil. tamen adducit declarationem S. Congregationis in contrarium. Ad suscipiendos autem minores Ordines, & coronam nullus titulus requiritur; quia potest hic ab Ordine Clericali retrocedere, & uxorem ducere: Quare arbitrio, & prudentiæ Episcopi id committitur, prout utilitati, aut necessitati Ecclesiæ erit expediens. Disputant Doctores apud Tamb. de Ordin. cap. 7. §. 7. Num sit ipso facto suspensus, qui sine ullo titulo, aut cum ficto patrimonio Sacros Ordines suscipit? Probabilius id multi negant apud Dian. part. 2. tract. 16. resol. 5. quia quamvis hæc pœna olim in Sacris Canonibus imposita fuerit, deinde ab Innoc. III. abolita fuit; & Trid. sess. 21. cap. 2. innovando pœnas antiquas probabilius solum innovavit pœnas Episcopis alendi sic ordinatos, non vero pœnam suspensionis relate ad ordinatos; cum enim hæc sublata fuerit ab Innoc. III. facienda esset mentio hujus abolitionis, si eam pœnam innovare voluisset. At quod mortaliter peccent, qui sic ordinantur, non revocatur in dubium.

Nihilominus in Synodo Diœcesis Neapolitanæ pœna suspensionis Archiepiscopo reservata ipso facto incurrenda imponitur iis, qui Patrimonium fictum exhibent, etiamsi ad primam tonsuram, aut ad Minores Ordines promovendi sint; & ad id concurrentes excommunicantur ipso facto excommunicatione pariter reservata.

Porro circa Beneficium notandum, debere esse sufficiens ad victum honestum ordinandi. Quamvis autem Villal. doceat, victum debere esse sufficientem ad honeste vivendum, inspecta qualitate personæ, communius tamen docent, quod satis sit, si sit honestus respectu Ordinis Clericalis juxta consuetudinem loci: Si tamen beneficii reditus non sufficiant, poterunt suppleri per patrimonium. Debet præterea beneficium pacifice possideri, & esse perpetuum: Unde non potest aliquis ordinari ad titulum servitii in aliqua Ecclesia, cui ascribitur, nisi tale servitium sit perpetuum: Nec ad titulum Coadjutoriæ, aut Capellaniæ, aut Vicariæ, nisi hæc sit perpetua, & non amovibilis ad arbitrium alterius. Unde fit, non posse ordinatum resignare beneficium, ad cujus titulum fuit ordinatus, nisi de hoc fiat expressa mentio; nec potest talis resignatio admitti, nisi constet, quod aliunde possit vivere.

Circa Patrimonium, vel pensionem debet pariter esse sufficiens ad honestam sustentationem Ordinandi, & perpetuum: nec alienari potest sine licentia Episcopi ex Trident. donec beneficium Ecclesiasticum succedat loco patrimonii. Quare Azor. putat apud Trull. quod pro foro interno non requiratur licentia Episcopi ad alienandum patrimonium, si quis adeptus sit beneficium, unde vivat. Dubium tamen est, an alienatio parrimonii sine licentia Episcopi sit solum illicita, an etiam invalida, quando non succedit loco illius beneficium? Barbos. & alii putant, quod invalida, quia Trident. dicit, quod *alienari nullatenus possit* sine tali licentia: Ledesm. tamen, & alii apud Trull. docent, quod solum sit illicita; quia verba illa Trident. quod alienari nullatenus possit, explicari possunt, quod non possit licite, & absque peccato alienari. Et Turrianus apud Dian. part. 5. tract. 10. resol. 67. cum Gordono putat ob tale peccatum non incurri suspensionem.

Notat Dian. part. 4. tract. 4. resol. 52. & part. 5. tract. 5. resol. 20. dari in patrimonio parvitatem materiæ, quatenus ubi patrimonium est, verbi gratia, triginta sex aureorum, si non sit notabiliter minus, adhuc satis sit, ut possint Ordines conferri, quia de modico non est curandum, leg. *Si oleum ff. de dolo*. Sanch. autem putat,

putat, quintam partem esse modicam, unde qui haberet, verbi gratia, viginti novem aureos pro patrimonio, adhuc ordinari posset. Equidem tamen hanc quintam partem non censeo esse modicam. Advertendum tamen, posse Episcopum requirere in ordinando beneficium, & nolle admittere eum, qui patrimonium habet sufficiens; quia Trident. sess. 21. cap. 2. vult, Episcopos posse ordinare titulo patrimonii, vel pensionis illos, quos judicaverint assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum. Ita Ledesm. Barbos. & alii cum Trull. dub. 11.

Notandum etiam cum Campanil. apud Trull. quod licet donatio inter Patrem, & Filium sit invalida; si tamen fiat causa patrimonii ad Ordines suscipiendos, est valida; imo potest filius cogere patrem, ut justum patrimonium constituat pro Matrimonio spirituali; sicut potest illum cogere ad dandam dotem pro Matrimonio carnali: Et Garz. probabilius putat, donationem factam pro Ordinibus suscipiendis non esse computandam in legitimam. Quando autem ordinatus, aut ordinans incurrant suspensionem ob defectum supradictorum, lege apud Trull. & alios.

VII. In dubium revocatur: Num teneatur ordinatus retrodonare Patrimonium ficte donatum? Negat Ledesm. & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 184. quia promissio retrodonationis, cum sit contraria juri, non est obligatoria; ut proinde in foro externo rescindi possit in pœnam ejus, qui ficte donavit ad decipiendum Episcopum. Avil. tamen cum aliis docet, in foro conscientiæ esse restituendum, quia donatio valet solum juxta intentionem donantis.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Effectibus Ordinum.

I. Recensentur effectus Ordinum, & onera iisdem annexa.

II. Num peccent mortaliter Clerici non gestantes habitum, & tonsuram?

III. An teneatur ad Castitatem, & ad Horas recitandas, qui Sacros Ordines coacte suscipit, & vi metus injusti?

IV. Infantes, in Sacris ordinati quandonam ad Castitatem teneantur? Et quid de ordinatis ante pubertatem?

V. Ordinati in Sacris in voto ne, an ex præcepto etiam Ecclesiæ ad castitatem obligantur?

VI. Num ex voto teneatur, qui scienter ordinatur ignorando Ordini Sacro annecti votum castitatis?

VII. Qualis debeat esse habitus Clericorum?

I. QUæritur primo; Quænam sint effectus Ordinum?

Respondeo, ab omnibus Ordinibus (quos cum communiori diximus singulos esse Sacramentum) conferri gratiam sacramentalem, & characterem, necnon privilegium Canonis, & fori: Sacrorum vero Ordinum effectus sunt, obligare ordinatum ad servandam castitatem ratione voti annexi, & ad horas Canonicas recitandas; necnon impedire usum facultatis medicæ, & chirurgiæ (quamvis possint consanguineis, & miserabilibus gratis mederi, qui Sacros Ordines habent, ut notat Dian. part. 6. tract. 6. resol. 50.) Præterea omnes Clerici sunt immunes a laica potestate; unde non tenentur legibus civilibus spectantibus bonum commune quoad vim coercitivam, ita scilicet ut possint puniri a laico judice, aut subire pœnam impositam a lege civili; quamvis teneantur eas servare quoad vim directivam, seu in conscientia: Verbi gratia tenentur pretio legis vendere res suas, ut communiter docent apud Dian. part. 1. tract. 2. resol. 1. & fuse Bonac. lib. 2. disp. 16. quæst. 9. Sunt etiam Clerici, ac personæ religiosæ, necnon eorum bona exempta a tributis, ac vectigalibus impositis a laica potestate.

II. Verum Clerici tenentur habitum, & tonsuram gestare, ex *cap. penult. de vita, & honest. Cler.* ita ut Clericus in Sacris, aut beneficiatus mortaliter peccent, non gestando tonsuram, & habitum clericalem ad longum tempus absque justa causa. Prohibentur etiam Clerici gestare arma absque justa causa, vel absque dispensatione Pontificis: Nam Episcopus, per se loquendo, non potest dispensare in iis, quæ sunt juris communis. Alias obligationes Clericorum, verbi gratia, de non negotiando, de non ludendo aleis, & taxillis, &c. vide apud Reginald. lib. 30. tract. 3. num. 1. cap. 7. Henr. lib. 10. & alios.

III. Quæritur secundo: An qui metu injusto gravi coactus Ordines Sacros suscipit, teneatur ad castitatem, & ad horas canonicas?

Respondeo aliquos affirmare, quia metus non tollit voluntarium simpliciter. Sed probabilius Henr. Fill. Bonac. Sanch. lib. 7. disp. 29. negant; quia vel teneretur ad castitatem ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ; non quidem ex voto, quia communius docent, quod non solum votum religionis ex cap. 1. & 6. *de his, quæ vi, &c.* sed etiam paritate rationis quodlibet votum sit irritum, jure saltem Ecclesiastico, si sit coactum: Neque teneretur præcepto Ecclesiæ; (sicuti teneretur, qui, verbi gratia, volens suscipere Ordines Sacros, nollet sacrilege votum castitatis emittere) nam Ecclesia non intendit facere inhabilem ad Matrimonium, nisi eum, qui sponte suscipit Ordines, ut ex multorum sententia docet Henr. lib. 14. de Ord. cap. 4. Bonac. Sanch. Trull. disp. 12 Hinc neque teneretur ad divinum officium recitandum;

nam

nam vel Ecclesia utramque obligationem imponit & castitatis, & divini officii, vel neutram, cum non sit major ratio de una, quam de alia.

IV. Circa infantes ordinatos in Sacris, dicendum, non teneri ex voto castitatis; quia votum essentialiter requirit liberum consensum; neque teneri lege Ecclesiastica ad castitatem, sed cum pervenerint ad usum rationis, possunt libere vel statum Ecclesiasticum eligere, vel sæcularem, ita ut possint uxorem ducere. Quod si tunc libere actum Ordinis exercuerint, aut alias suam Ordinationem approbaverint, tenentur statim ad castitatem, & ad horas recitandas, nec possunt amplius mutare sententiam. Idem docent aliqui apud Sanch. loc. cit. de Ordinatis ante pubertatem: Quod tamen negat probabilius Con. loc. cit. num. 136. quia cum sint doli capaces, possunt se voto obligare, nec reperitur tale votum redditum fuisse irritum ab Ecclesia.

Qui vero ordinaretur cum ignorantia istarum obligationum, communiter docent, quod illas contrahat, quia qui vult assumere aliquem statum, vult consequenter implicite omnia onera tali statui annexa; etiamsi de iis in specie nullam habuerit notitiam. Docet tamen Con. num. 141. quod qui habuissent rationes probabiles, quod talis obligatio non subesset, ea non tenerentur.

V. Utrum autem ordinati in Sacris ex solo voto, (quod ex lege Ecclesiastica tenentur emittere) an etiam ex præcepto Ecclesiæ ad castitatem teneantur? Dubitant Doctores. Probabilius docet Con. disp. 13. quod ex utroque capite. Ubi notandum, jure Ecclesiastico compelli ordinatos in Sacris ad tale votum dirimens matrimonium: Unde fit, posse Pontificem ex gravi causa dispensare in tali obligatione; ut aliquatenus dispensavit cum Ecclesia Græca; cum qua tamen non dispensavit, ut possint post Ordines Sacros Matrimonium valide inire, sed solum ut possint licite uti matrimonio ante Sacros Ordines contracto, ex cap. *Quæsitum* 7. *de pœnitentia, & remissione* apud Con. num. 115. In Ecclesia tamen Latina id nunquam permissum fuit; nam Divus Paulus, & alii Apostoli, qui ante Apostolatum uxores duxerunt, cum omni continentia vixerunt post Sacros Ordines, ut ex 1. ad Corinth. 7. & ex aliis locis apud Con. colligitur. Ubi autem Apostolus docet, Episcopum debere esse *Unius uxoris virum*, intelligi debet, quod non debeat esse bigamus, non vero quod possit uti matrimonio antecedenter ad Ordines Sacros contracto.

VI. Dubitatur pariter, an qui scienter ordinatur ignorando annecti Ordini Sacro votum castitatis, teneatur deinde castitatem servare ex voto implicite emisso, an ex sola Ecclesiæ constitutione?

Respondeo cum Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 27. num. 11. probabilius esse, quod etiam ex voto implicite emisso teneatur; qui enim sciens, & prudens suscipit munus aliquod, aut statum, implicite consentit ad onera ei annexa; quare volens inter Christi Ministros ascribi, vult implicite, & virtualiter facere, quicquid Ecclesia præcipit eligentibus talem statum, atque adeo virtualiter & implicite vult vovere castitatem, quamvis de tali voto nihil expresse cogitarit. Et ita docet etiam Azor. Imol. & alii apud eundem Sanch. contra Sylv. Rosellum, & alios, putantes hunc ex sola lege Ecclesiæ ad castitatem teneri, non vero ex voto, de quo non cogitavit; cum enim votum sit lex privata, quam vovens sibimet imponit, videtur quod non possit voto ligari, si de illo non cogitat: At probabilius videtur hanc obligationem posse hominem sibimet imponere implicite, & virtualiter modo explicato, quamvis de illa non cogitet.

VII. Quæritur ultimo; Quinam sit habitus clericalis?

Respondeo cum Trull. disp. 15. honestatem vestium clericalium desumendam esse ex usu regionum; nam in cap. *Clerici de vit. & honest. Cleric.* solum reprobatur nimia brevitas, vel longitudo vestium. Ex Sixti V. constitutione edita anno 1586. vestes eorum, qui sunt in Sacris, debent esse talares: Trident. reprobat colorem viridem, aut rubrum in vestibus Clericorum, & vestes virgatas, admittendo colorem nigrum, aut alium, quem honestus Clericorum usus admisit. Communiter autem docent, ut supra diximus, quod Beneficiatus, & ordinatus in Sacris peccent mortaliter, si habitum clericalem, & tonsuram apertam non deferant: Idipsum de beneficiatis Clericis docet Navar., Sylv. contra communiorem apud Regin. lib. 30. tract. 3. qui tamen asserit contra Ledesm. apud Trull. dub. 10. beneficii tenuitatem non excusare. Atque hic de Ordinis Sacramento (sed oh ubi æternitatis)?

F I N I S.

SY-

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Sacramentis habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag. 1.

De Sacramentis in genere.

ARTICULUS I. 2

Quid, & quotuplex sit Sacramentum tam antiquæ Legis, quam novæ.

I. Sacramenti definitio explicatur. II. Differt Sacramentum a Sacramentalibus, & a Sacrificio. III. Tripliciter est signum, Rememorative, Demonstrative, & Prognostice. IV. In statu naturæ innocentis nulla fuerunt Sacramenta; fuerunt tamen in statu naturæ lapsæ. V. De Sacramentis in statu legis scriptæ. VI. In quibus differant Sacramenta legis veteris a Sacramentis novæ legis? VII Quonam pacto Circumcisio gratiam contulerit? VIII. Reliqua veteris legis Sacramenta Sanctitatem duntaxat legalem conferebant.

ARTICULUS II. 5

De Necessitate Sacramentorum.

I. Sacramentorum institutio non fuit necessaria simpliciter, sed secundum quid. II Sacramenta alia sunt necessaria necessitate medii, alia vero necessitate præcepti. III. Eucharistiæ Sacramentum non est necessarium necessitate medii.

ARTICULUS III. 6

De Materia & forma Sacramentorum.

I. Sacramentorum materia alia est proxima, alia remota. II. Omnia novæ legis Sacramenta constant rebus, tamquam materia, & verbis tamquam forma. III. Moraliter duntaxat concurrunt res, & verba ad Sacramenti constitutionem. IV. Res, & verba, quæ Sacramenta Novæ legis constituunt, a Christo Domino determinata sunt, licet non eodem modo. V. In Sacramento Matrimonii non mutavit Ecclesia materiam a Christo Domino institutam, neque contractum, sed solum leges contractus. VI. Quomodo Apostoli baptizarent in nomine Jesu Christi? VII. Solum mutatio essentialis materiæ, aut formæ Sacramentorum illa irritat. VIII. Quænam variatio materiæ, aut formæ sit solum accidentalis? IX. An conficiatur Sacramentum, si variatio sit accidentalis, & putetur esse essentialis? X. Num intentio Ministri constituat Sacramentum, an solum sit requisitum essentiale?

ARTICULUS IV. 11

De Causa efficiente Sacramentorum.

I. Christus Dominus inquantum homo, seu per voluntatem creatam fuit Sacramentorum Institutor. II. Quonam pacto posset pura Creatura instituere Sacramenta. III. Soli homines viatores de facto possunt Sacramenta ministrare. IV. Num semper mortaliter peccet, qui in mortali Sacramenta ministrat? V. Minister Sacramentorum quandonam a mortali excusatur, conferendo illa indignis? VI. Requiritur intentio saltem virtualis in Ministro conficiente Sacramenta, esto in suscipiente sufficiat habitualis, & in pueris etiam interpretativa. VII. Quandonam sufficiat in Ministro intentio conditionata? VIII. Intentio indirecta, & in causa in Ministro non sufficit ad Sacramenti validitatem; secus vero in suscipiente, in quo simul sit intentio habitualis, IX. Si Minister habeat duas intentiones contrarias, utra debeat prævalere? X. Quandonam error circa Personam obstat validitati Sacramenti? XI Quid requiratur ad validam, & licitam Sacramenti administrationem? XII. Num liceat sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, omissa tutiore?

ARTICULUS V. 22

De Primario effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

I. Quid ferat primarius Sacramentorum effectus, quid secundarius? II. Omnia novæ legis Sacramenta causant gratiam ex opere operato. III. Necnon specialem gratiam Sacramentalem: sicut etiam gratiam virtutum & donorum. IV. At in subjectis inæqualiter dispositis gratia inæqualis causatur. V. Pariter perfectius Sacramentum uberiorem gratiam confert, cæteris paribus. VI. Possunt Sacramenta vivorum per accidens primam gratiam causare. VII. Quonam tempore Sacramenta, præsertim Eucharistia, causant gratiam? VIII. Num etiam Eucharistia cum fictione suscepta, sublato obice, reviviscat? IX. Quomodo fictio, seu obex tollatur? X. Physice ne, an moraliter gratiam Sacramenta causant?

ARTICULUS VI. 28

De Secundario effectu Sacramentorum, qui est Character.

I. Quid sit Character Sacramentalis? II. Quam connexionem inter se habeant Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis? III. Quinque sunt Characteris hujus proprietates. IV. Congruum fuit, ut solum a tribus Sacramentis irreiterabilibus Character imprimeretur in anima indelebiliter. V. Quid in Sacramentis novæ legis dicatur esse Res tantum, Sacramentum tantum, & Res simul, ac Sacramentum?

ARTICULUS VII. 29

De suscipiente Sacramentum.

I. Nonnisi Viatores sunt capaces Sacramentorum. II. Fetus animatus probabiliter est capax Baptismi, quamvis nondum sit egressus ex utero Matris, si possit aliqualiter ablui. III. Quænam intentio requira-

tur

tur in suscipiendis Sacramentis? IV. Intentio coacta sufficit, non tamen relate ad Matrimonium; V. Quandonam requiratur intentio expressa, & formalis ad sacramenta recipienda? VI. An possit Extrema Unctio sub conditione conferri iis, qui videntur in statu peccati mortalis decedere? VII. Nec intentio suscipiendi Sacramenta (Matrimonio excepto) sub conditione de futuro, nec intentio indirecta, nisi stet cum intentione habituali, sufficiunt ad valide ea suscipienda. VIII. Ad valide Sacramenta suscipienda (Pœnitentia excepta) nulla requiritur dispositio in suscipiente præter intentionem consonam. IX. Ad fructum vero Sacramenti recipiendum requiritur sua animi dispositio. X. Quandonam liceat a Ministris indignis Sacramenta suscipere?

ARTICULUS VIII. 34

De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus.

I. Cur Sacramenta novæ legis sint septem? II. Quinam sit ordo enumerationis, quinam dignitatis in Sacramentis? III. De ritu, ac cæremoniis in Sacramentis conficiendis. IV. Quid veniat nomine Cæremoniarum? V. Num effectus aliquis ex opere operato ab his Cæremoniis producatur? VI. Quænam dicantur Sacramentalia? VII. Non remittuntur venialia a Sacramentalibus ex opere operato? VIII. Quonam pacto vi Sacramentalium impetratur venialium remissio?

QUÆSTIO II. 37

De Baptismo.

ARTICULUS I. ib.

Quid, & quotuplex sit Baptismus?

I. Diversimode Baptismus appellatur, ac definitur. II. Baptismi Sacramentum est unicum, licet triplex sit Baptismus. III. Cur baptismus sanguinis non sit Sacramentum? IV. Num in adulto peccatore ad Martyrium prærequiratur contritio, an sufficiat attritio ad delectionem culparum? V. Ad Baptismum fluminis in adulto requiritur intentio saltem habitualis, secus vero ad Baptismum sanguinis? VI. Martyrium probabiliter effectus suos ex opere operato confert, dum vulnus lethale recipitur.

ARTICULUS II. 37

De Institutione, & necessitate Baptismi.

I. Baptismus probabiliter ante Christi passionem institutus fuit. II. Est necessarius, tum necessitate medii saltem in voto, tum etiam necessitate præcepti divini. III. Præceptum Baptismi non videtur obligasse ante mortem Christi Domini. IV. Ignorantes legem Baptismi post mortem Christi Domini, tenebantur ad Circumcisionem, sive ad legem naturæ si ea nondum erat promulgata; post promulgationem vero talis legis, qui eam invincibiliter ignorant, si legem naturalem servant, illuminabuntur, ut baptizari possint, saltem Baptismo flaminis.

ARTICULUS III. 41

De Materia Baptismi.

I. Cur aqua naturalis sit materia remota Baptismi? II. Quænam dicatur aqua naturalis? III. Materia Baptismi proxima est ablutio, sive fiat per aspersionem, sive per infusionem, sive per unam, aut trinam immersionem juxta morem Ecclesiarum. IV. Si ante tertiam immersionem infans decedat, eritne baptizatus? V. Quid si abluatur in solo digito? aut si in puteum infans projiciatur animo illum baptizandi?

ARTICULUS IV. 42

De forma Baptismi.

I. Legitima est ex Florentino tam forma Baptismi, qua utitur Ecclesia Græca, quam ea, qua utitur Ecclesia Latina. II. Quomodo debeat Trinitas Personarum exprimi? III. Quonam etiam pacto exprimenda est unitas essentiæ divinæ? IV. Non pertinent ad Formæ essentiam particulæ illæ, Ego, In, Amen, sed dubitatur de particula, Et? V. Num possit unus plures simul baptizare, & num plures unum? VI. Quænam variatio formæ videatur accidentalis.

ARTICULUS V. 44

De Baptismi Ministro.

I. Etiam Turca, & Hæreticus, necnon Mulier potest hoc Sacramentum administrare. II. Num iterandus sit sub conditione Baptismus collatus ab obstetricibus? III. Quinam possit baptizare solemniter? IV. In casu necessitatis quinam præferendus sit, qui baptizet? V. Quinam irregularitatem incurrant ex illicita Baptismi collatione?

ARTICULUS VI. 45

De Subjecto Baptismi.

I. Num etiam infans nondum egressus ex utero matris possit sub conditione baptizari, quando per fistulam ablui potest? II. Invitis parentibus filii Infidelium baptizari possunt, si habentes usum rationis Baptismum postulent, & a Parentibus subtrahendi. III. Sicut Infantes Hæreticorum, & Apostatarum; Necnon filii Infidelium Mancipiorum. IV. Non tamen filii Infidelium, qui aut nullatenus subjecti sunt Principibus Christianis; aut his subjiciuntur solum politice. V. Diluuntur objecta. VI. Si alter tantum ex parentibus Infidelibus consentiat, infantes baptizari possunt. Sicut etiam omnes in periculo mortis; aut si sint extra patriam potestatem; aut si perpetuo amentes. VII. Quid de Mutis, ac Surdis a nativitate, si sint adulti?

ARTICULUS VII. 48

De Effectibus, & Ritibus Baptismi.

I. Primarii effectus Baptismi sunt quinque. Tres vero secundarii. II. Cæremoniæ ab Ecclesia institutæ in collatione Baptismi sub mortali servandæ sunt, nisi parvitas materiæ excuset. III. Num causent aliquem effectum supernaturalem ex opere operato. IV. Patrinus in Baptismo duntaxat solemni adhibendus est; quod si in privato adhiberetur, probabiliter cognationem spiritualem non induceret: V. Quid fecerat post Tridentinum cognatio spiritualis? VI. Quid requiratur ad cognationem spiritualem contrahendam?

QUÆSTIO III.

De Confirmatione.

ARTICULUS I. 50

De Materia, & Forma Confirmationis.

I. Tam oleum, quam Chrisma ab Episcopo benedictum est materia remota hujus Sacramenti. II. Ex dispensatione Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Confirmationem; quin tamen possit Chrisma nisi a solo Episcopo benedici, ut valide Sacramentum conferatur. III. Materia proxima est Unctio Chrismatis in fronte confirmandi, facta cum pollice a Ministro in forma crucis. Sed quid si fiat cum indice? IV. Quid si unctio fiat tempore pestis cum penicillo, prout tempore pestis conferri potest Extrema unctio cum virga oblonga? V. Invocatio explicita Trium divinarum Personarum essentialiter spectat ad formam Confirmationis, ut ad formam Baptismi. VI. Græcis non licet uti hac formula, Confirmetur servus Christi, quamvis hujusmodi formula, non irritet Sacramentum. VII. Apostoli non solius manus impositione, sed etiam unctione Chrismatis hoc Sacramentum conferebant.

ARTICULUS II. 53

De Ministro, & Subjecto Confirmationis.

I. Episcopus Minister ordinarius hujus Sacramenti nequit simplici Sacerdoti facultatem tribuere, ut illud administret; sicut potest solus Pontifex ex plenitudine potestatis. II. Nequit Episcopus licite alienos subditos sine ratihabitione proprii Episcopi confirmare. Nec in aliena diœcesi confirmare subditos suos, cum nequeat Pontificalia exercere sine licentia proprii Episcopi sub pœna suspensionis. III. Potest tamen primam Tonsuram conferre, dare benedictionem solemnem, & Missam Pontificalem canere; cum hæc non veniat nomine Pontificalium. IV. Omnes Baptizati sunt capaces hujus Sacramenti; sed non expedit illud conferre pueris ante usum rationis. V. Perpetuo amentibus conferendum est: dummodo non constet in amentiam illos incidisse in statu peccati mortalis. VI. Num peccet mortaliter qui negligit hoc Sacramentum recipere?

ARTICULUS ULTIMUS. 59

De Effectibus, & Ritibus hujus Sacramenti.

I. Præter characterem, qui est effectus secundarius, confertur primario gratiæ augmentum, & quidem majus, quam in Baptismo; cum jure ad divina auxilia. II. Inter ritus, & cæremonias servandas est alapæ inflictio, Patrinus, qui sit confirmatus, & sub mortali adhibendus; & quod vitta ligetur caput Confirmati.

QUÆSTIO IV. 60

De Eucharistia ut Sacramento.

ARTICULUS I. 60

Quid, & quotuplex sit, & quando institutum Eucharistiæ Sacramentum?

I. Variis nominibus a SS. Patribus hoc Sacramentum appellatur. II. Variisque figuris in lege veteri fuit adumbratum. III. Ex hujus Sacramenti definitione sequitur, quod constituatur ex corpore, & sanguine Christi Domini, ex speciebus Sacramentalibus, atque etiam ex verbis consecratoriis. IV. Non tamen ex sumptione, seu usu. V. Eucharistia duntaxat est Sacramentum permanens, quatenus ejus materia proxima permanet physice, & verba moraliter. VI. Non est multiplex hoc Sacramentum, sed unum specie atoma. VII. Multiplicitas numerica hujus Sacramenti unde desumatur? Et an a pluribus particulis simul sumptis gratia uberior causetur? VIII. Quando, & quomodo Christus hoc Sacramentum instituerit? IX. Et quem ad finem?

ARTICULUS II. 64

De necessitate Eucharistiæ, & obligatione illam sumendi.

I. Eucharistiæ sumptio non est necessaria necessitate medii ad salutem. II. Neque ad perseverandum in gratia. III. Etiam adulti obligantur præcepto divino sumendi, Baptismo prius suscepto, Eucharistiam. IV. Præceptum divinum procul dubio obligat ad sumendam Eucharistiam in mortis articulo. V. Quid si quis mane communicarit, & vespere incidit in articulum mortis? VI. Num possit Ecclesia privare reum aliquem Sacro Viatico ad alios perterrefaciendos? VII. Sæpius etiam in vita ex divino præcepto tenemur Eucharistiam sumere. VIII. Præceptum Ecclesiasticum quos, & pro quando obliget ad communionem? IX. Pueris, & amentibus ab infantia ne in articulo quidem mortis Eucharistia administratur. Quid de pueris post usum rationis, ac de semifatuis? X. Impediti ne tempore Paschali communicent, ad quid teneantur?

ARTICULUS III. 69

De Eucharistiæ Materia.

I. Quinam dicatur panis usualis, & vinum usuale? II. Panis fermentatus valide sed illicite a latinis consecratur, exceptis nonnullis casibus. III. Aqua vino miscenda probabilius immediate in Christi sanguinem convertitur. IV. Consecratio fieri debet sub utraque specie ex præcepto divino. V. Num possit aliquando Pontifex in divinis positivis, & in naturalibus præceptis dispensare? VI. Nec potest consecrari quantitas, quæ non sit sine miraculo sensibilis, nec remanet consecrata, si ab hostia dividatur. VII. Materia consecrabilis debet esse moraliter præsens, ita ut possit per pronomen, Hic, demonstrari. VIII. Quid de materia clausa in vase, aut magna nimis, ac nimis distante? IX. Materia consecranda debet esse determinata, & quomodo? X. Quid de guttis vini intra Calicem? Aut de particulis in Pyxide, si sint extra corporale, aut extra Aram? XI. Num possit aliquando, deficiente Hostia majori, consecrari, particula, ne Sacrificium desit?

ARTICULUS IV. 74

De Forma Sacramenti Eucharistici.

I. Quænam sint verba essentialia pro consecratione panis. II. Recitative simul, & enunciative ea verba proferuntur. III. Dubitant doctores, an satis sint ad validam consecrationem Calicis illa duntaxat verba, *Hic est calix Sanguinis mei?* IV. Quandonam

nam

nam forma consecrationis variatur substantialiter? v. Ex veritate verborum fit, quod per consecrationem habeatur Transubstantiatio. vi. Quomodo se habeat Christus Dominus relate ad accidentia Eucharistica? vii. Christus vi verborum non adducitur, sed producitur sub speciebus. viii. Quandiu Christus in stomacho soleat perseverare. ix. Quid veniat sub speciebus vi verborum; quid per concomitantiam? x. Num Personalitas Patris, & Spiritus Sancti veniant per concomitantiam saltem mediate?

ARTICULUS V. 78

De effectibus Sacramenti Eucharistici.

i. Quadrifariam potest Christus Dominus in Eucharistia manducari. ii. Primarius Eucharistiæ effectus est Gratiæ augmentum. iii. Confertur etiam per Eucharistiam fervor charitatis, & quædam spiritualis dulcedo. iv. Necnon gratia propria Sacramentalis, seu auxilia ad culpas declinandas, & ad fomitem compescendum. v. Sicut etiam confert venialium remissionem, aliosque effectus. vi. Remissio pœnæ peccatis debitæ ex opere operato competit Sacrificio Eucharistico, non Sacramento. vii. Triplici modo ardorem concupiscentiæ minuit Eucharistia. viii. Potest hoc Sacramentum neutraliter suscipi; Et per talem susceptionem satisfit præcepto de Paschali Communione. ix. Quonam instanti suos effectus producat Eucharistia? x. Num conferat aliquando novam gratiam Eucharistia, dum in stomacho perseverat? xi. Num gratiam majorem, ac heterogeneam recipiat, qui communicat sub utraque specie panis, & vini, quam qui sub una tantum?

ARTICULUS VI. 82

De Suscipiente Eucharistiam. Quinam sit illius capax.

i. Incapax est hujus Sacramenti, qui non est baptizatus; Sicut etiam Angeli, ac Beati; necnon adulti inviti illud suscipientes. ii. Capax vero omnis baptizatus. Infantibus tamen ne in articulo quidem mortis dari debet. iii. Si puer ob gulam consecratas particulas sumeret, num perciperet fructum Sacramenti? iv. Quid de perpetuo amentibus, de phreneticis, semifatuis, & stolidis? v. Cur Eucharistia non soleat dari parvulis in Paschate ante circiter decennium, dari vero debeat stolidis, ac semifatuis, qui debiliori usu rationis fruuntur, quam illi parvuli?

ARTICULUS VII. 84

De dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita.

i. Quanta sit peccati gravitas communicare in statu peccati mortalis? ii. Num sit culpa venialis ad Eucharistiam accedere cum culpis venialibus non retractatis? iii. Obligatur Sacerdos quamprimum post missam confiteri, si deficiente copia Confessarii celebravit cum sola contritione de mortali, quod erat in conscientia, necessitate urgente. iv. Num dicatur esse necessitas sufficiens ad sic celebrandum, ut satisfiat præcepto de Missa audienda in die festo? v. Quænam universim censenda sit urgens necessitas celebrandi non præmissa confessione? vi. Ad quid tenetur, qui habens peccata reservata, simul, & non reservata, nequit adire Superiorem, sed habet copiam Confessarii inferioris? vii. Num liceat simplici Sacerdoti absolvere a mortalibus indirecte? viii. Qui post Confessionem recordatur alicujus mortalis teneturne de novo ante Communionem confiteri? ix. Quid si quis recordetur peccati dubii, sive dubietas sit positiva, sive negativa? x. Quandonam liceat peccatori communicare, neque Confessione præmissa, neque contritione? xi. Num liceat Laicis communicare quotidie?

ARTICULUS VIII. 87

De dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita.

i. Corporis dispositio fert habitum decentem. Equites Religiosi non debent gladium deponere dum communicant. Lepra reddit Sacerdotem irregularem propter horrorem circumstantium. ii. Pollutio nocturna quandonam impediat communionem? iii. Pollutio voluntaria, ac fornicatio quandiu post confessionem impediat Communionem? iv. Jejunium naturale excludit materiæ parvitatem; Musca si casu trajiciatur, veluti per modum salivæ, non frangit jejunium naturale, secus vero si de industria. Sicut sanguis e gingivis efluens trajicitur per modum salivæ, secus vero, si e digito vulnerato sugatur. v. Quid de auro, creta, cera, nuce avellana, & similibus? vi. Quid de Saccaro vespere ori imposito ad leniendam raucedinem? vii. Quid de Herba sancta, seu tabaco, sive in pulvere, sive in fumo sumatur, sive ore in folio? viii. Qui post prudens examen adhuc dubitat, num jejunium naturale violaverit, probabiliter potest communicare ix. Connumerantur plures casus, in quibus licitum est non jejuno communicare.

ARTICULUS IX. 94

De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus.

i. Tempus communioni congruum quodnam sit? ii. Communio præcepta tempore Paschali fieri debet in propria Parochia, aut in Cathedrali. iii. Licentia Parochi præsumpta num sufficiat, ut possit quis alibi communicare? Et quare talis licentia præsumpta non satis sit ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum? iv. Quandonam liceat citra irreverentiam post communionem expuere, aut comedere? v. Et quando similiter liceat vomitum provocare? vi. Num liceat eodem die petere debitum?

ARTICULUS X. 96

De Ministro Eucharistiæ.

i. Num possit Laicus semet communicare in extrema necessitate? ii. Num pariter Sacerdos etiam devotionis causa? iii. Quænam licentia requiratur in Sacerdote ad Eucharistiam aliis administrandam? iv. Deficiente particula, potest Sacerdos partem suæ hostiæ dare aliquando ei, qui avide petit Communionem? v. Quandonam teneatur Parochus ovibus suis Eucharistiam ministrare? vi. Num cum vitæ discrimine, & quomodo danda sit Eucharistia peste infectis? vii. Num possit pro Viatico dari species Vini ei, qui hostiam deglutire non potest? viii. Num tempore Interdicti localis administrari possit Eucharistiæ Sacramentum? ix. Deneganda omnino Eucha-

ristia publicis peccatoribus ? Et quinam ii sint ? x. Quandonam peccatori occulto debeat denegari ? xi. Quid si publicus peccator in uno loco Eucharistiam petat, ubi non habetur isthæc publicitas ? xii. Num possit dari particula non consecrata peccatori occulto publice petenti Eucharistiam ? xiii. Num sit mortale Eucharistiam in statu peccati mortalis ministrare ? xiv. Unicumne sit, an multiplex peccatum ministrare successive pluribus Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ ? xv. Quomodo Eucharistia sit ministranda ? videlicet, quo die, hora, loco, habitu &c. xvi. An Sacerdos excommunicatus licite Eucharistiam ministret mortis articulo ?

QUÆSTIO V. 102

De Eucharistia, ut Sacrificio.

ARTICULUS I. 103

Quid sit Missæ Sacrificium.

i. Explicatur Sacrificii definitio. ii. In quo differat a Sacramento Sacrificium ? iii. Multiplicitas antiquorum Sacrificiorum in Missa eminenter continetur. iv. Missa est vere, & proprie Sacrificium, nec aliud a Sacrificio cruento Crucis, licet alio modo.

ARTICULUS II. 104

Quænam sint partes essentiales nostri Sacrificii ? Quænam res oblata ? & Quis sit offerens ?

i. Probabilius Missæ Sacrificium in sola Consecratione consistit. ii. In præsenti providentia essentialiter requiritur utriusque speciei consecratio. Num Innoc. VIII. permiserit Norvegis, ut in solo pane consecrarent ? iii. Res oblata in hoc Sacrificio principaliter est Christus Dominus, ea tamen a speciebus panis, & vini integratur, nullatenus vero a panis, & vini substantia. iv. Principalis offerens pariter est Christus Dominus, per hoc, quod ejus nomine Sacerdos offerat, & ut Christi minister. v. Quonam pacto alii fideles sint pariter offerentes ?

ARTICULUS III. 106

De Effectibus hujus Sacrificii. Ubi an sit valoris infiniti ?

i. Ex opere operato solum mediate, & per modum Impetrationis confertur prima gratia, & peccatorum remissio vi hujus Sacrificii. ii. Remissio vero venialium etiam immediate; sicut etiam pœnarum temporalium peccatis debitarum; sed an infallibiliter ? iii. Quatenus impetratorium obtinet nobis etiam bona temporalia, si conducant saluti. iv. Habet hoc Sacrificium vim causativam suorum effectuum intensive infinitam. v. Et probabiliter etiam extensive infinitam, ut habuit Sacrificium cruentum ? vi. Cur nequeat Sacerdos eadem Missa pluribus obligationibus satisfacere; si scilicet uni debeat Missam ex stipendio, alteri ex promissione, &c. ?

ARTICULUS IV. 110

A quibus, & quomodo fructus hujus Sacrificii participari possint ?

i. Quonam pacto pro Beatis offerri possit Sacrificium ? ii. Valide, & licite pro non Baptizatis offertur. iii. Cur animæ purgantes non sint capaces fructuum Sacramentorum, sint vero capaces, ut pro iis Sacrificium offeratur ? iv. Probabile est, quod illicite duntaxat, non vero invalide pro excommunicatis vitandis offeratur. v. Num possit offerri mentaliter pro excommunicatis vitandis, si sint contriti, & per ipsos non stet, quominus absolvantur ? vi. Probabilius pro excommunicatis toleratis publice offerri Sacrificium potest. vii. In Offerente requiritur intentio saltem habitualis applicandi illud ei cui vult prodesse, quin tamen possit fructus Sacrificii suspendi. viii. Is, pro quo offertur Sacrificium, debet esse de præsenti capax, ac indigens fructu Sacrificii.

ARTICULUS V. 113

De Ministro hujus Sacrificii.

i. Num citra mortale possit Sacerdos voluntarie distrahi in recitatione Horarum ? ii. Et an etiam in missæ celebratione ? iii. Sacrificium Sacerdotis celebrantis in mortali quosnam fructus parit ? iv. Quoties teneatur Sacerdos quotannis celebrare ? v. Parochi tenentur diebus Dominicis, & festis Missam pro Parochianis suis applicare, quin possint aliam eleemosynam iis diebus recipere. vi. Quotidie celebrandum in Ecclesiis cathedralibus, & Parochialibus, &c. vii. Num peccetur graviter omittendo unam Missam, sive ex promissione gratuita, sive ex stipendio, sive ex voto debitam ? viii. Num possit Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie semel singulis hebdomadibus vacare ? ix. Num posset tunc pro aliis accepto novo stipendio celebrare ? x. Num teneatur per alium celebrare, si forte ægrotet ?

ARTICULUS VI. 123

De tempore, loco, & aliis circumstantiis Sacrificii.

i. Die Sabbati Santi probabiliter graves, & plures Doctores docuerunt posse privatas missas celebrari, saltem post inceptam solemnem. ii. Quid dicendum post decretum Alexandri VIII. anno 1690. ? iii. Quandonam liceat pluries eadem die celebrare ? iv. Quænam sit hora ad celebrandum permissa ? v. Ut locus sit aptus ad celebrandum, quid requiratur ? vi. Quinam satisfaciant præcepto audiendi missam die festo, audiendo illam in Oratoriis privatis ? vii. Num liceat in mari, aut in flumine celebrare ? viii. Quid si Ecclesia tempore celebrationis polluatur, & quot modis contingere potest, ut polluatur ? ix. Quænam Ara requiratur, & qualis debeat esse calix cum patena ? x. Quid de vestibus sacris ? xi De aliis ad Sacrificium requisitis.

ARTICULUS VII. 133

De ritu in celebratione servando.

i. Num sit mortale negligere Rubricas in missali præscriptas ? ii. Num teneatur Capellanus Missas votivas juxta devotionem dantis stipendium celebrare, si non consonent Rubricis ? iii. Num saltem posit aliquando missas hujusmodi celebrare ? iv. In quibus casibus licite missa interrumpitur ? v. Quomodo supplendi substantiales defectus, aut errores facile occurrentes in celebratione Missæ ? vi. Quid si Sacræ species evomantur ? vii. Quomodo supplendi defectus accidentales ? viii Quid si particula Hostiæ remaneat in fundo calicis, aut palato adhereat ?

ARTICULUS ULTIMUS. 138

De Missæ stipendio.

I. Qua de causa Stipendium pro Missa licite sumatur? II. Justum Missæ stipendium quodnam sit? III. Num diebus festis accipi possit stipendium majus, quam diebus profestis? IV. Possit ne pro eadem Missa duplex stipendium accipi, alterum scilicet pro Officiatura, alterum pro applicatione Sacrificii? V. Quid si alter petat Impetrationem, alter Satisfactionem Sacrificii? VI. Num possit Beneficiarius, vel Capellanus, si per alium satisfaciat, dare illi solum consuetam eleemosynam pro Missa? VII. Sub gravi Sacerdos, qui per alium celebrat, universim tenetur illi integram eleemosynam manualem tribuere. VIII. Num Rectores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere pro expensis necessariis ad celebrandum? IX. Si quis plura exigua stipendia accipiat, promittendo singulis Sacrificium, poteritne eamdem Missam pro iis omnibus applicando, obligationi suæ satisfacere, si necessitate ductus id promiserit? X. Videtur id non licere cum secundum se, tum etiam ex decreto Urbani VIII.

QUÆSTIO VI. 210

De Extrema Unctione.

ARTICULUS I. 211

De Materia, & forma hujus Sacramenti.

I. Oleum olivarum duntaxat est materia remota hujus Sacramenti. II. Necessitate Sacramenti opus est, ut illud sit benedictum. III. Proxima materia est Unctio, quæ fieri solet in formam Crucis. IV. Unctiones a Florentino enumeratæ sunt septem: At non omnes sunt de essentia Sacramenti. V. Quomodo cæcus, & surdus inungendi sint? Et quid tempore pestis? VI. Forma proferri debet deprecatorio modo. VII. Quenam verba sint essentialia, ac de necessitate Sacramenti? VIII. Num sensus, qui inungitur, exprimendus sit?

ARTICULUS II. 213

De Ministro hujus Sacramenti.

I. Solus Sacerdos illud ministrare valide potest, etiamsi sit excommunicatus. II. Probabiliter potest valide a pluribus Sacerdotibus relate ad diversas unctiones ministrari. III. A Sacerdote proprio ministrari debet, nisi necessitas urgeat. IV. Num Parochus sub mortali teneatur Sacramenta Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ ministrare cum periculo vitæ, & quando? V. An possit hoc Sacramentum sine sacris vestibus in necessitate ministrari? VI. Num aliquando tempore Interdicti ministrari possit?

ARTICULUS III. 214

De Subjecto Extremæ Unctionis.

I. Invalide confertur non ægroto, ac de vita periclitanti, quamvis sit baptizatus, & usum rationis habuerit. II. Qui de vita periclitatur, sed non ratione ægritudinis, incapax est hujus Sacramenti. III. Probabile est, Beatissimam Virginem hoc Sacramentum suscepisse. IV. Num citra mortale negligi illud possit? V. In eadem ægritudine tunc poterit iterari, quando novum vitæ periculum supervenerit post congruum tempus.

ARTICULUS IV. 214

De effectibus Extremæ unctionis.

I. Tridentinum hujus Sacramenti effectus recenset. II. Quinam sit effectus primarius? Num gratia corroborativa? Num peccatorum remissio? Num utrumque? III. Quid veniat nomine reliquiarum peccatorum, quæ hoc Sacramento abstergunt? IV. Quandonam Extrema Unctio causet effectus suos?

QUÆSTIO VII. 217

De Sacramento Ordinis.

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & quotuplex sit ordo?

I. Multifariam definitur Ordinis Sacramentum. II. Cur septem enumerentur Ordines? III. Prima tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines. IV. Est quidem Ordo Episcopatus; sed non est Ordo distinctus a Sacerdotio; hujus tamen est extensio, & complementum. V. Potestas, quæ per Episcopatum superadditur, est inferior potestate Sacerdotali præsupposita. VI. De fide est, Sacerdotium esse Sacramentum; ac certum omnino, quod pariter Diaconatus. Communiter etiam idem docent de Subdiaconatu; & probabiliter, etiam alii Ordines minores. Cur tres Ordines majores dicantur Sacri? VII. Singulorum Ordinum officia recensentur. VIII. Num peccet mortaliter universim, qui actum Ordinis solemniter exercet in statu peccati mortalis?

ARTICULUS II. 220

De materia, & forma singulorum Ordinum.

I. Materia, & forma Ordinum non fuit universim in specie atoma a Christo Domino determinata. II. Recensentur singulorum Ordinum materia, & forma. III. Materia Subdiaconatus probabiliter conflatur ex duplici materia partiali; sicut materia Diaconatus. IV. Num valide in Ecclesia Latina conferatur Diaconatus per solam manuum Episcopi impositionem, sicut in Ecclesia Græca? V. Num Neo-Sacerdoti per impositionem manuum Episcopi in fine Missæ conferatur nova potestas? Et num sine illa posset in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem impendere sub conditione? VI. Num satis sit, quod moraliter tangantur instrumenta, quæ ab Episcopo traduntur Ordinando. VII. Num valide ordinentur Subdiaconi, si in calice sit vinum; aut Sacerdos, si desit vinum in calice.

ARTICULUS III. 223

De Ministro Ordinum.

I. A quonam possint valide, & licite Ordines conferri? II. Quisnam dicatur Episcopus proprius? Episcopus originis quisnam sit, juxta constitutionem Inn. XII. Quinam domicilii? & Quinam Beneficii, juxta eandem constitutionem? III. Potest unus Ordo a proprio Episcopo, verbi gratia, domicilii, suscipi, & alter ab altero puta originis. IV. Litteræ dimissoriales, & te-

& ten... imoniales a quo dandæ sint ? v. Collatio primæ Ton... suræ, & Confirmationis non videtur ad actus Pontificales pertinere. vi. A quonam possint Regulares ordinari ? vii. Quandonam possint Ordines conferri ? viii. De Temporum interstitiis requisitis. ix. Quinam possit in hisce interstitiis dispensare ? x. Num possint Regulares omnes ordinari extra tempora tribus diebus festivis xi. Nomine diei festi, quo possunt Ordines conferri, num veniat solum festum in foro, an etiam festum in choro ? xii. Transcribitur Constitutio Innoc.XII. circa ordinationes alienorum Subditorum.

ARTICULUS IV. 235

De subjecto Ordinum.

i. Diaconissa, & Presbytera non erant olim capaces Ordinum. ii. Num peccet mortaliter, qui sine prævia Confirmatione Ordines suscipit ? iii. De Ætate in singulis Ordinibus requisita. iv. Qui ordinatur animo effugiendi forum sæculare, & exemptionem a tributis, probabilius solum venialiter peccat. v. De scientia requisita in ordinando, ac de examine prævio; præsertim relate ad Regulares, vi. De iis, quæ spectant ad titulum requisitum, sive Patrimonii, sive Beneficii, sive Paupertatis. vii. Num Patrimonium ficte donatum sit deinde in foro Conscientiæ retrodonandum ?

ARTICULUS ULTIMUS. 238

De effectibus Ordinum.

i. Recensentur effectus Ordinum, & onera iisdem annexa. ii. Num peccent mortaliter Clerici non gestantes habitum, & tonsuram ? iii. An teneatur ad Castitatem, & ad Horas recitandas, qui Sacros Ordines coacte suscipit, & vi metus injusti ? iv. Infantes in Sacris ordinati quandonam ad Castitatem teneantur ? Et quid de ordinatis ante pubertatem ? v. Ordinati in Sacris ex voto ne, an ex præcepto etiam Ecclesiæ ad Castitatem obligentur ? vi. Num ex voto teneatur, qui scienter ordinatur ignorando Ordini Sacro annecti votum castitatis ? vii. Qualis debeat esse Habitus Clericorum ?

FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Morali Opuſculo de Sacramentis continentur.

Prior numerus denotat Quæſtionem ; Alter Articulum ; Tertius Numerum marginalem.

A

Abſolvens ſucceſſive plures in ſtatu peccati mortalis, unumne, an plura peccata committit? 4. 10. 14.
Adulti, muti, ac ſurdi quandonam poſſint baptizari. 2. 6. 7.
Adulto dormienti, vel ei, qui incidit in amentiam poſt uſum rationis, invalide confertur Ordo Sacer: ſecus vero infanti, ac perpetuo amenti. 1. 7. 3.
Adultus, qui non fuerit perpetuo amens, ſi caſu Euchariſtiam ſumat, materialiter illam ſumit. 1. 7. 3. At perpetuo amentes, non ſecus ac pueri poſſunt hoc Sacramentum fructuoſe ſuſcipere. 1. 7. 3. Quid ſi caſu Euchariſtiam ſumant? 4. 6. 3. His tamen, ne in articulo quidem mortis, nunc ex tacito Eccleſiæ præcepto conferri poteſt. 4. 2. 9. & 1. 7. 5.
Amentibus conferenda eſt Confirmatio. 3. 2. 5.
Amentes perpetuo invitis parentibus baptizari poſſunt. 2. 6. 7.
Amentes, qui caſu Euchariſtiam manducant, num gratiæ augmentum recipiant? 4. 6. 4.
Amor Dei ſuper omnia ad gloriam perducere non poteſt; niſi a fide ſupernaturali procedat. 2. 6. 7
Apoſtoli in quonam ſenſu dicantur Confirmationem contuliſſe manuum impoſitione. 3. 2. 6., & quod Baptiſma contulerint in nomine Chriſti. 2. 4. 2
Applicatio Sacrificii a Sacerdote quando, & quomodo fieri debeat? 5. 4. 7
Ara Sacra quandonam benedictionem amittat? 4. 7. 9
Attentio requiſita in recitatione Horarum, auditione Miſſæ, &c., quænam ſit. 5. 5. 1. Num ſufficiat ſola attentio externa. ibid.

B

Baptiſmi multiplex nomenclatura. 2. 1. 1 Baptiſmi forma. 2. 4. 1. Baptiſmi miniſter. 2. 5. 1. Infidelium filii quandonam poſſint baptizari. 2. 6 2. Perpetuo amentes invitis parentibus baptizari poſſunt. 2 6. 7. Quid de mutis, & ſurdis adultis? ibid. Excitandi ſunt iſti ad fidem ſupernaturalem, ſine qua fructuoſe baptiſmus ſuſcipi non poteſt. ib.
Baptiſmi effectus primarii quinque enumerantur. 2. 7. 1. Tres alii ſecundarii, ibid. Ritus præſcripti in baptiſmo ſub mortali ſervandi ſunt, niſi excuſet parvitas materiæ. 2. 7. 2. Probabilius effectus ſupernaturales ab iis cauſantur ex opere operantis. 2. 7. 3. Patrinus in Baptiſmo ſolemni adhibendus eſt. 2. 7. 4., Si adhibeatur in baptiſmo privato in neceſſitate, num pariat cognationem ſpiritualem? ibid.
Baptiſmus fluminis duntaxat eſt Sacramentum imprimens characterem, non vero ſanguinis, aut flaminis. 2. 1. 2. In quibus differat baptiſmus ſanguinis, & fluminis? 2. 1. 3. Ejus origo, & neceſſitas. 2. 2. 1. Ante Baptiſmum quomodo originale tollebatur? 2. 2. 4. Baptiſmi materia remota. 2. 3. 1. Ejuſdem materia proxima. 2. 3. 3
Baptiſmus num poſſit conferri infanti nondum egreſſo ex utero matris. 1. 7. 2
Baptiſmus quomodo tempore Apoſtolorum conferebatur in nomine Jeſu Chriſti. 1. 3. 6
Benedictio Corporalium, & Sacrarum veſtium quibuſnam ex privilegio competat? 5. 6. 10. Quandonam talis benedictio amittatur? ib.

C

Cæremoniæ, & ritus in Sacramentis conferendis, & in Sacrificio; aliæ ſunt eſſentiales, aliæ accidentales. 1. 9. 3 Num cæremoniæ Sacramentales aliquem effectum cauſent ex opere operato. 1. 9. 5
Cæremoniæ in baptiſmo præſcriptæ ſervandæ ſunt ſub mortali; niſi parvitas materiæ excuſet. 2. 7. 2. Quæ probabilius cauſant effectus ſupernaturales ex opere operantis. 2. 7. 3
Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, num poſſit ſemel in hebdomada vacare? 5. 5. 8. Num etiam poſſit tunc pro aliis novo accepto ſtipendio celebrare. 5. 5. 9. Capellanus infirmus num teneatur ſupplementum ponere, ſi egritudo ſit brevis? 5. 5. 10. Quid ſi culpa ſua ſit excommunicatus? ib. Num peccet mortaliter, ſi obligatus per ſe ipſum celebrare celebret per alium? ibid.
Capellanus num poſſit ſemper miſſas votivas legere ad arbitrium dantis ſtipendium? 5. 7. 2
Characteres Sacramentorum quomodo inter ſe connectantur? 1. 6. 2. Quinam ſit effectus, & quænam proprietates characteris? 1. 6. 3. Beatiſſima Virgo capax fuit characteris Baptiſmi, & Confirmationis. 1. 6. 1. Non tamen Chriſtus Dominus, ibid. Cur a tribus duntaxat Sacramentis character imprimatur? 1. 6. 4.
Chriſtus Dominus quomodo ſit in Euchariſtia? 4. 4. 6.
Circumciſio quomodo gratiam contulerit? 1. 1. 7
Cingulum Sacrum quandonam benedictionem amittat? 5. 6. 10.
Cognatio ſpiritualis, quæ in Baptiſmo contrahitur, quid ferat? 2. 7. 5.
Communio quotidiana quibuſnam permitti poſſit? 4. 7. 11

Com-

Communio sub utraque specie num conferat gratiam Sacramentalem propriam Eucharistiæ heterogeneam? 4. 5. 11
Confessarius quandonam possit indirecte absolvere a reservatis? 4. 7. 6.
Confessio quomodo præmittenda sit communioni. V. *dispositio*.
Confirmatio non est conferenda pueris ante usum rationis. 3. 2. 4. Sed conferenda est amentibus. 3. 2. 5. Num sit mortale hoc Sacramentum negligere? 3. 2. 6.
Confirmationis materia remota est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, ita ut utrumque sit de essentia Sacramenti. 3. 1. 1. Essentialiter etiam Chrisma debet esse ab Episcopo benedictum. 3. 1. 2. A Pontifice dispensari potest, quod hoc Sacramentum a simplici Sacerdote conferatur, non tamen quod ab eo Chrisma benedicatur. ibid. Materia proxima est unctio facta cum pollice Ministri in formam Crucis in fronte confirmandi. 3. 1. 4. 3. Quid, si unctio fiat indice? ibid. Quid, si tempore pestis fiat per baculum, ut Extrema unctio? 3. 1. 4.
Confirmationis forma quænam sit. 3. 1. 5. Num invocatio Sanctissimæ Trinitatis sit de ejus essentia? ibid. Num valida sit hæc formula, Confirmetur servus Christi? 3. 1. 6. Num Apostoli per solam manuum impositionem hoc Sacramentum contulerint? ibid.
Confirmationis Minister est Episcopus; Potest etiam illam ministrare simplex Sacerdos, ex dispensatione tamen Pontificis, non Episcopi. 3. 2. 1. Nequit Episcopus alienos subditos chrismate, aut proprios in diœcesi aliena. 3. 2. 3.
Confirmationis effectus quinam sint. 3. 3. 1. Quinam ritus servandi? 3. 3. 2. Qualis debeat esse Patrinus? ibid.
Consecratio in una tantum specie non licet, nec potest in hoc Pontifex dispensare. 4. 3. 5.

D

Diaconatus num valide conferri possit a Latinis per solam manuum impositionem? 1. 3. 7.
Dispositio requisita ad valide ac fructuose suscipiendum Sacramentum quænam sit? 1. 7. 9.
Dispositio requisita ad Eucharistiam suscipiendam multiplex est, tam ex parte animi, quam ex parte corporis. 4. 7. 1. Num sit veniale, ad Eucharistiam accedere cum veniali? 4. 7. 2. Num præceptum de præmittenda confessione mortalium ad Eucharistiam sit divinum, an humanum? 4. 7. 4. In quibus casibus possit quis communicare non præmissa confessione. 4. 7. 5. Quid faciat communicaturus, qui habet reservata, nec potest Superiorem adire, a quo absolvatur? 4. 7. 6. Quid si nec posset conteri? 4. 7. 10. Quænam dispositio ex parte corporis requiratur? 4. 8. 1. Quid de pollutione nocturna? 4. 8. 2. Quid de jejunio naturali? 4. 8. 4. Num Tabacum frangat tale jejunium? 4. 8. 7. Quid, si quis dubitet, an illud fregerit? ibid. In quibus casibus possit non jejunus communicare? 4. 8. 9.

E

Ecclesia si polluatur, quid faciendum? 5. 6. 9.
Ecclesiastici num teneantur stare taxæ a Principe factæ in pretio rerum? 5. 8. 2.
Equites Religiosi non debent gladium deponere, dum communicant. 4. 8. 2.
Episcopatus an sit Sacramentum distinctum a Sacerdotio? 7. 1. 3. Episcopalis dignitas major est Sacerdotali, non tamen potestas. 7. 1. 5.
Episcopi benedictio essentialiter requiritur, ut Chrisma sit materia Confirmationis. 3. 1. 2. Ministrari tamen Confirmatio potest a simplici Sacerdote ex dispensatione Pontificis. ibid. Non tamen ex dispensatione Episcopi. 3. 2. 1.
Episcopus non potest in Oratoriis Magnatum secundam missam celebrare, nec primam diebus exceptis. 5. 6. 5. Potest autem in domo sua etiam rusticana Oratorium constituere, in quo pluries celebretur. ibid.
Episcopus nequit Pontificalia exercere in aliena diœcesi. 3. 2. 3. Num nomine Pontificalium veniat etiam Missa solemnis. ibid. Potest suo subdito in aliena diœcesi conferre primam tonsuram, non tamen Sacramentum Confirmationis. 3. 2. 2.
Episcopus nequit pro sua urbe, & diœcesi, quicquid potest Pontifex pro toto Orbe. 3. 2. 1.
Episcopus proprius ordinandi quinam dicatur. 7. 3. 2. Quinam sit Episcopus ratione originis, aut domicilii, aut beneficii post Constitutionem Innoc. XII. ibid.
Eucharistia non est necessaria necessitate medii ad salutem. 4. 2. 1. Neque ad perseverandum in gratia. 4. 2. 2. Etiam infideles obligantur ad Eucharistiam sumendam præcepto divino, ut eatenus etiam baptizari debeant. 4. 2. 3. In articulo mortis ex præcepto divino sumenda est, & sæpius in vita. 4. 2. 4. Pro quando obliget præceptum Ecclesiasticum. 4. 2. 8. Ea non est danda pueris, & perpetuo amentibus, ne in articulo quidem mortis. 4. 2. 9. Quid de semifatuis? ibid.
Eucharistia ne in articulo quidem mortis dari potest nunc pueris ante usum rationis, ac perpetuo amentibus ex tacito Ecclesiæ præcepto. 1. 7. 5., & 4. 2. 9.
Eucharistia num pergat gratiam causare, dum in stomacho perseverat, si accedat nova dispositio? 1. 5. 7. Num recedente fictione reviviscat? 1. 5. 8.
Eucharistia quonam tempore, & loco sumi possit. 4. 9. 5. & 4. 10. 11.
Eucharistiæ materia, & forma, V. *Materia Eucharistiæ, & forma Eucharistiæ*.
Eucharistiæ effectus quinam sint. 4. 4. 2. Quomodo ea remittat venialia. 4. 5. 5. An etiam remittat pœnas culpis debitas? 4. 5. 6. Quomodo concupiscentiam minuat, & in resurrectionem influat? 4. 5. 7. Quandonam Eucharistia suos effectus producat? 4. 5. 9. An dum est in stomacho? 4. 5. 10. Num sub utraque specie majorem gratiam conferat, quam sub una? 4. 5. 11.
Eucharistiæ nomenclatura, ejusque figuræ. 4. 1. 1. Per quid constituatur? 4. 1. 2. Est unum Sacramentum in specie atoma, sed multiplex numerice ob specierum multiplicitatem non physicam, sed moralem. 4. 1. 7. Duæ particulæ non sunt duo Sacramenta partialia; secus vero species panis, & vini. ibid. Num instituta fuerit post cœnam legalem Agni, & post cœnam communem? 4. 1. 8. Quinam finis talis institutionis? 4. 1 9.
Eucharistiæ quinam sit capax? 4. 6. 1. Quid de Infantibus, de Amentibus, de Mutis, &c. ibid.
Eucharistiam ministrans in mortali num peccet mortaliter? 1. 4. 4.
Eucharistiam quænam dispositio præire debeat? V. dispositio.
Eucharistiam sumendi præcepto non satisfit per materialem ejus manducationem. 1. 7. 1.
Examini num debeat Episcopus subjicere Regulares, qui ad Ordines promovendi sunt. 7. 3. 4.
Excommunicatus vitandus num possit Eucharistiam ministrare moribundo, si alius desit? 4. 10. 16.
Extrema unctio num dari possit iis, qui statim sensibus

sibus destituuntur in statu peccati mortalis? 1. 7. 6.
Extrema unctio quandonam possit tempore Interdicti ministrari? 4. 5. 8.
Extrema unctio tempore pestis fieri potest per virgam oblongam; Non tamen unctio spectans ad Sacramentum Confirmationis. 3. 2. 4.
Extremæ unctionis quænam sit materia, & forma? 6. 1. 1. Essentialiter oleum debet esse ab Episcopo benedictum. 6. 1. 2. Quænam unctiones sint de essentia Sacramenti? 6. 1. 4. Quænam verba formæ, 6. 1. 7. Minister est solus Sacerdos. 6. 2. 1. Parocho incumbit illud ministrare; sed an cum vitæ periculo? 6. 2. 4. Quomodo ministrari debeat? 6. 2. 5. Incapax est hujus Sacramenti, qui numquam usum rationis habuit. 6. 3. 1 Et qui non periclitatur de vita ratione ægritudinis. 6. 3. 2. Num Beata Virgo illud susceperit? 6. 3. 3. Num sit mortale hoc Sacramentum negligere? 6. 3. 4. Quandonam possit illud reiterari. 6. 3. 5. Quinam sint ejus effectus? 6. 4. 1. Quænam dicantur reliquiæ peccatorum; & qua ratione non raro tollat hoc Sacramentum debitum mortis: & infirmitatis? 6. 4. 3. Quandonam isti effectus causentur? 6. 4. 4.

F

Familiares non necessarii Dominis tempore Missæ, quæ dicitur in Oratoriis privatis, non satisfaciunt præcepto audiendi missam, si ibi audiant. Et quinam sint isti familiares? 5. 6. 6.
Festi dies, quibus ex Privilegio Ordines conferri possunt, num debeant esse festi in foro, an sufficiat, quod sint festi in choro? 7. 3. 11.
Fictio quomodo removeatur, si Sacramenta cum fictione, seu cum mortali suscipiantur, ut possint reviviscere? 1. 5. 9.
Fides supernaturalis actualis prærequiritur ad suscipiendum fructuose Baptismum, non tamen fides supernaturalis infusa habitualis. 2. 6. 7.
Forma Eucharistiæ quænam sit, & quinam verborum sensus? 4. 4. 1 Num vi verborum veniant in hoc Sacramento concomitanter etiam Pater, & Spiritus Sanctus? 4. 4. 10.

G

Græci baptizant sub ea forma, Baptizetur servus Christi, &c. quam valide, sed illicite adhiberent Latini. 2. 4. 5. Sub diversa pariter forma ministrant Sacramentum Confirmationis. 4. 1. 6. Illicite, sed valide consecrant in azymo. 4. 3. 2. At quid si celebrent in Ecclesiis Latinorum? ibid. Aut ad dandum viaticum in extrema necessitate? ibid.
Gratia, quæ a Sacramentis confertur, triplex est 1. 5. 3. Ea non semper æqualiter omnibus confertur a singulis Sacramentis. 1. 5. 4. Prima gratia a Sacramentis vivorum per accidens causari probabiliter potest. 1. 5. 6. Quo tempore gratia a Sacramentis causetur? 1. 5. 7. Num gratia conferatur a Sacramento homini qui decedit in eo ipso instanti, quo illud perficitur? 1. 5. 9. Physice ne, an moraliter gratia a Sacramentis causetur? 1. 5. 10.

H

Habitus clericalis quinam sit? 7. 5. 6.
Horas recitare num teneatur, qui metu injusto coactus Sacros Ordines suscepit? 7. 5. 3.
Hostia non consecrata num possit dari peccatori occulto publice Eucharistiam petenti? 4. 10. 1.

I

Jejunium naturale qualiter? 4. 8. 4. Dubitans an illud fregerit num possit communicare? 4. 8. 8. In quibus casibus possit non jejunus communicare? 4. 8. 9.
Ignorantes onera Sacrorum Ordinum num deinde ad ea teneantur? 7. 5. 4.
Infans nondum egressus ex utero Matris num sit capax Baptismi? 1. 7. 2.
Infantes casu Eucharistiam manducantes num gratiæ augmentum recipiant? 4. 6. 3.
Infantes in Sacris ordinatis num deinde teneantur ad castitatem? 7. 5. 4.
Infidelis attritus si sensibus destituatur, aut in phrenesim incidat, num possit baptizari? 1. 7. 4. Et an etiam Judæus servans legem Moysis cum ignorantia invincibili Baptismi? ibid.
Infidelium filii quandonam possint baptizari? 2. 6. 2.
Intentio coacta universim sufficit, tam in Ministro Sacramentorum, quam in suscipiente, dempto Matrimonio. 1. 7. 4.
Intentio habitualis sufficit regulariter in suscipiente Sacramentum; non vero in Ministro conferente. 1. 7. 3.
Intentio indirecta non sufficit ad valide suscipiendum Sacramentum. 1. 7. 7.
Intentio interpretativa in adulto sufficit ad valide suscipiendam Extremam unctionem, non tamen ad valide suscipiendos Ordines. 1. 7. 3.
Intentio interpretativa satis est in infante ad Ordines suscipiendos, & ad Baptismum, non tamen in adulto. 1. 4. 7. & 1. 7. 3.
Intentio, quæ requiritur in Ministro Sacramentorum, qualis esse debeat? 1. 4. 6. Et quænam in suscipiente Sacramentum? 1. 7. 3.
Intentio virtualis quænam sit, & quænam habitualis? ibid.
Intentiones si sint contrariæ, quænam debeat prævalere? 1. 4. 9.
Interdicti tempore quibusnam possit Eucharistia ministrari. 4. 10. 8.
Interstitia servanda in Ordinum susceptione, 7. 3. 8. Quinam possit in iis dispensare? 7. 3. 9.
Irregularitas non habetur in baptizato propter delictum commissum ante Baptismum. 2. 7. 1. Nec irregularitas ex defectu lenitatis ob homicidium justum ante patratum. ibid.
Juramentum metu extortum obligat, non vero votum, & quare? 3. 7. 4.
Juramentum promissorium homini factum in re levi non obligat graviter; at qui juramento, aut voto Deo se obligavit audire sacrum, peccat graviter, si illud non audiat. 5. 5. 7.

L

Laicis rationabiliter prohibetur communio sub utraque specie, etiam dato, quod gratia Sacramentalis propria Eucharistiæ in utraque specie esset heterogenea. 4. 5. 11.
Laico moribundo, qui hostiam deglutire non potest, poteritne vinum consecratum porrigi? 4. 10. 8.
Laicus num possit semet communicare in extrema necessitate? 4. 10. 1.

Licentia præſumpta, quæ ſufficit ut poſſit Parochus alienas oves communicare, non ſufficit, ut poſſit Sacramentum Pœnitentiæ conferre. 4. 9. 3.

M

MAria Virgo inſignita fuit charactere Baptiſmi; & Confirmationis. 1. 6. 1. Num ſuſceperit Extremam unctionem? 6. 3. 3.

Martyrium cur non ſit Sacramentum? 2. 1. 3. Ad martyrium prærequiritur ſaltem attritio. 2. 1. 4. Quænam diſparitas intercedat inter Baptiſmum fluminis, & ſanguinis; 2. 1. 5. Probabiliter martyrium cauſat gratiam, quando accipitur vulnus lethale. 2. 1. 6. Num poſt acceptos martyrii fructus homo remaneat confirmatus in gratia? ibid.

Materia Sacramentorum alia eſt remota, alia proxima. 1. 3. 1. Omnia novæ legis Sacramenta conſtant materia, & forma 1. 3. 2. Num, & quomodo ea fuerint a Chriſto Domino inſtituta? 1. 4. 4.

Materia Euchariſtiæ quænam ſit? 4. 3. 1. Quid de hoſtiis rubris? Quid de ſucco ex uvis paſſis expreſſo? Quid de defruto, ſeu vino cocto? ibid. Aqua vino miſcenda ex neceſſitate ſolum præcepti. 4. 3. 3. Probabilius ea immediate in Chriſti Sanguinem convertitur. ibid. Materia conſecranda debet eſſe præſens; Sed quanam præſentia? 4. 3. 7. Muſtum valide, ſed illicite conſecratur; at ſi ſit in uva incluſum, etiam invalide. ibid. Materia conſecranda debet eſſe determinata, & in mente Sacerdotis definita. 4. 3. 9. Quid de guttis vini intra calicem? 4. 3. 10. Quid de particulis in Pyxide clauſis extra corporale? ibid.

Materiæ, & formæ mutatio quandonam invalidet Sacramenta? 1. 3. 8.

Matrimonii Sacramentum quomodo conſtet materia, & forma? 1. 3. 3.

Metu injuſto Ordinatus in Sacris num teneatur Caſtitatem ſervare, & Horas recitare; 7. 5. 3.

Miniſter ſacramentorum quomodo debeat Sacramenta adminiſtrare? 1. 4. 11.

Miniſter Euchariſtiæ quinam ſit? 4. 10. 1. Quandonam Parochus teneatur illam miniſtrare? 4. 10. 5. Quomodo poſſit illam tempore peſtis miniſtrare? 4. 10. 6. Cuinam tempore Interdicti? 4. 10. 8. Quandonam indigne petenti poterit Euchariſtia miniſtrari? 4. 10. 9. Num peccatori occulto publice petenti Euchariſtiam dari poſſit particula non conſecrata? 4. 10. 12. Num peccet mortaliter Miniſter, ſi in mortali Euchariſtiam miniſtret? 4. 10. 13. Si ſucceſſive Euchariſtiam miniſtret pluribus, quot peccata committit? 4. 10 14. De die, hora, & loco Euchariſtiam miniſtrandi. 4. 10. 15. Si Sacerdos non poſſit cum Indice, & Pollice Euchariſtiam miniſtrare, poterit ne alios digitos adhibere? ibid. Si ſit excommunicatus vitandus, poteritne dare Viaticum moribundo, ſi alius deſit? 4. 10. 16. Non debet Sacerdos currere, aut ſine ſuperpelliceo, & ſtola, lumine &c. ad Viaticum deferendum infirmo: at ad miniſtrandum illi Sacramentum Pœnitentiæ tanta decentia non requiritur. 4. 10. 15.

Miſſæ ſacrificium quid ſit? 5. 1. 1. In quo differat Sacrificium a Sacramento Euchariſtico? 5. 1. 2. Partes eſſentiales Sacrificii miſſæ quænam ſint? 5. 2. 1. Sumptio ne integralis quidem eſt pars? ibid. Eſſentialiter ſit conſecratio ſub utraque ſpecie. 5. 2. 2. Quænam ſit res oblata; & quinam offerens? 5. 2. 3. Effectus hujus Sacrificii quinam ſint? 5. 3. 1. Sacrificia pro defunctis libere a Deo acceptantur. 5. 3. 3. Valor hujus Sacrificii num ſit extenſive, & intenſive infinitus? 5. 3. 4. Pro quibus poſſit illud offerri? 5. 4. 1. De requiſitis ex parte offerentis. 5. 4. 7. De requiſitis ex parte illius, pro quo Sacrificium offertur. 5. 4. 8. Miniſter. V. *Sacerdos*. Num proſit ex opere operato, ſi is, pro quo offertur, ſit in mortali? 5. 5. 3.

Miſſam celebrare num liceat in triduo Hebdomadæ Sanctæ? 5. 6. 1. Quandonam liceat pluries eodem die celebrare? 5. 6. 2. Quanam hora liceat celebrare? 5. 3. 4. Quonam loco? 5. 6. 5. Num in mari, aut in flumine? 5. 6. 7. Quid ſi tempore celebrationis Eccleſia polluatur? 5. 6. 8. Quænam ara requiratur? 5. 6. 9. Quinam calix? ibid.? Quænam Sacræ Veſtes? 5 6. 10. A quibus ex privilegio benedici poſſint? ibid. Quonam ritu Miſſa celebranda ſit? 5. 7. 1. An peccet mortaliter, qui rubricas omnino negligit? 5. 7. 2. Quandonam Miſſa interrumpenda ſit? 5. 7. 4., Quando repetendum, ſi quid omiſſum fuerit? 5. 7. 5.

Miſſam omittens alteri promiſſam num peccet mortaliter? 5. 5. 7. Quid ſi diu differat huic debito ſatisfacere? ibid.

Mutis, ac Surdis quomodo Euchariſtia ſit conferenda? 4. 6. 4. Quomodo vero Baptiſmus, ſi ſint adulti? V. Baptiſmus.

O

ORatoria privata Magnatibus conceſſa differunt ab Oratoriis privatis Epiſcoporum. 5. 6. 5. Quinam dicantur familiares actu non neceſſarii dominis, qui non ſatisfaciunt præcepto audiendi miſſam, ſi illam audiant in Oratoriis privatis? 5. 6. 6.

Ordinati in Sacris ex voto ne, an ex præcepto Eccleſiæ, an ex utroque ad caſtitatem teneantur? 7. 5. 9.

Ordinatus per metum gravem ad continentiam non tenetur. 1. 7. 4.

Ordinum actus exercens ſolemniter in mortali num peccet mortaliter? 1. 4. 4.

Ordinis Sacramentum quid, & quotuplex ſit. 7. 1. 1. Epiſcopatus, & prima tonſura an ſit Sacramentum? 7. 1. 3. Quodnam ſit ſingulorum Ordinum exercitium? 7. 1. 7. Num ſit mortale univerſim Ordines in mortali exercere? 7. 1. 8. Ordinum ſingulorum materia, & forma quænam ſit? 7. 2. 2. Diaconatus materia alia apud Græcos, & alia apud Latinos. 7. 2. 4. Num valide apud Latinos conferatur Diaconatus ritu Græcorum? ibid. Num Neo-Sacerdotes valide abſolvere poſſint ſtatim poſt acceptam poteſtatem conſecrandi? 7. 2. 5. Num requiratur phyſicus contactus materiæ ad valide ſuſcipiendos Ordines? 7. 2. 6.

Ordinum effectus quinam ſint? 7. 5. 1. Quænam ſint immunitates, & quænam onera Clericorum? 7. 5. 2. Num teneatur caſtitatem ſervare, & Horas recitare, qui metu gravi injuſto cogitur Sacros Ordines ſuſcipere? 7. 5. 3. Quid de infantibus ordinatis in Sacris? 7. 5. 4. Quid de Ordinatis ante pubertatem? ibid. Ignorantes onera Ordinum num ad illa deinde teneantur? ibid.

Ordinum Miniſter quinam ſit? 7. 3. 1. De licentia Papæ poteſt ſimplex Sacerdos Ordines minores conferre, ſed non majores. ibid. Quinam dicatur Epiſcopus originis, aut Domicilii, aut Beneficii poſt ultimam Conſtitutionem Innocentii XII.? 7. 3. 2. Quinam poſſit literas dimiſſoriales concedere? 7. 3. 4. Quinam teſtimoniales? 7. 3. 5. Quonam tempore poſſint Ordines conferri? 7. 3. 7. Quænam interſtitia ſervari debeant? 7. 3. 8. Refertur

tur Constitutio Innoc. XII. qua tolluntur abusus in ordinum susceptione. 7. 3. 12. Titulus requisitus ad licite Ordines suscipiendos est triplex. 7. 4. 6. Si patrimonium sit fictum, quænam pœnæ incurrantur? ibid. Ordinatus: qui promisit, se retrodonaturum Patrimonium, num teneatur stare promissis? 7. 4 7
Ordo Sacerdotalis sub conditione iterandus est, si collatus sit juxta opinionem probabilem minus tutam; secus vero Subdiaconatus, & Diaconatus. 7. 2. 7.

P

Parochus quandonam teneatur Eucharistiam ministrare? 4. 10. 5. Num etiam tempore pestis, & quomodo? 4. 10. 6
Parochus quandonam teneatur offerre pro suis ovibus Sacrificium, nullo alio accepto stipendio. 5. 5. 5.
Patrimonium fictum quas pœnas ferat? 7. 4. 6. Num invalide Patrimonium verum alienetur sine licentia Episcopi? 7. 4. 6. Num Patrimonium teneatur retrodonare Ordinatus, si culpabiliter id promiserit donanti? 7. 4. 7
Patrinus in Baptismo solemni qualis esse debeat? 2. 7. 4. Si in Baptismo privato adhibeatur, num pariat cognationem spiritualem? ibid. Quodnam sit Patrini munus? Unus esse debet, vel una, aut ad summum unus, & una. 2. 7. 6
Patrinus in Confirmationis Sacramento qualis esse debeat? 3. 3. 2
Peccata dubia num sint clavibus subjicienda, 4. 7. 9.
Peccatum num semper sit gravius per hoc præcise, quod sit contra virtutem præstantiorem. 4. 7. 1.
Pestis tempore quonam pacto ministrari possit Eucharistia? 4. 10. 15. Et quomodo Extrema Unctio? 3. 2. 4
Pollutio nocturna quandonam communionem impediat. 4. 8. 2
Pontificalium nomine: quæ non potest Episcopus in aliena diœcesi exercere, num veniat Missa solemnis? 3. 2. 3
Pontifex dispensare non potest, ut in una tantum speciei fiat consecratio. 4. 3. 5. Potest tamen dispensare in Matrimonio rato. ibid.
Præcepto Communionis non satisfit per Communionem sacrilegam. 4. 5. 8. Quid si Eucharistia neutraliter sumatur, idest nec sacrilege, nec fructuose? ibid.
Præceptum de non celebrando sub una tantum specie, aut sine sacris vestibus, aut post fractionem jejunii naturalis, si concurrat cum præcepto divino de dando Sacro Viatico, utrum prævaleat? 4. 3. 5., 4. 8. 9., & 5. 6. 3. Quid si concurrat præceptum de præmittenda confessione mortalium Eucharistiæ cum præcepto audiendi missam. 4. 7. 4. Quid si concurrat præceptum sumendi Viaticum cum præcepto, quod Laici Eucharistiam non tangant? 4. 10. 2 Aut præceptum dandi viaticum cum præcepto, ne excommunicatus vitandus Sacramenta administret? 4. 10. 16
Promittens alteri Sacramentum peccet mortaliter, si illud omittat, aut si diu differat? 5. 5. 7
Publici peccatores quinam dicantur, ita ut debeat illis Eucharistia denegari? 4. 10. 9. Quid si quis Neapoli sit publicus peccator, & Romæ occultus? 4. 10. 10.
Pyxis Sacra, & Lunula num indigeant consecratione. 5. 7. 9

R

Regulares num teneantur stare taxæ ab Episcopo factæ in ordine ad Missæ stipendium? 5. 8. 2.
Regulares a quonam Episcopo ordinari debeant? 7. 3. 6. Num possint extra tempora tribus diebus festivis, etiam continuis, Sacros Ordines suscipere? 7. 3. 10. Num debeat Episcopus examini illos subjicere, antequam ordinentur? 7. 3. 4
Resurrectio corporis qualiter ex Eucharistia causetur? 4. 5 7
Ritus servandus in celebratione Missæ 5. 7. 1. Num sit mortale ritus præscriptos negligere? ibid.
Rubricæ aliæ præceptivæ, aliæ directivæ? 5. 7. 1

S

Sabbato sancto num liceat privatim celebrare? 5. 6. 2.
Sacerdos, qui celebrando voluntarie distrahitur, num peccet mortaliter? 5. 5. 1. Quando, & quomodo applicare debeat Sacrificium. 5. 4. 7. Num teneatur ad restitutionem stipendii, si offerat Sacrificium in mortali? 5. 5. 3. Quoties singulis annis celebrare teneatur? 5. 5. 4
Sacerdos non debet Eucharistiam ministrare moribundo sine Sacris Vestibus, lumine, &c. nec valde festinanter incedere. 4. 10. 15. Num possit laborans chiragra aliis digitis a pollice, & indice Eucharistiam ministrare? ibid. Num tempore pestis possit apto instrumento Eucharistiam ministrare? ibid. Num possit in necessitate Eucharistiam ministrare Sacerdos excommunicatus vitandus? 4. 10. 16
Sacramenta antiquæ legis quænam fuerint? 1. 1. 5. Num contulerint gratiam, & quomodo. 1. 1. 7
Sacramenta num fuerint necessaria in quocumque statu? 1. 2. 1. Quare Baptismus, & Pœnitentia sunt necessaria necessitate medii, saltem in voto? 1. 2. 3.
Sacramenta instituere quinam possit? 1. 4. 1. Quinam sit eorum Minister? 1. 4. 3
Sacramenta num sint deneganda occulte indignis, si petant publice? 1. 4. 5
Sacramenta suscipere quinam possit. 1. 7. 1
Sacramenta ab indignis Ministris quandonam suscipi possunt. 1. 7. 10. Num possint ea peti a Ministro parato ministrare illa in mortali? ibid.
Sacramentum multifariam definitur. 1. 1. 1. Discriminatur a Sacramentalibus, & a Sacrificio, 1. 1. 2. Est signum Symbolicum. 1. 1. 3. Cur Sacramenta novæ legis sint septem? ibid. & 1. 1. Eorum ordo. 1. 8. 2
Sacramentorum materia, & forma. V. *Materia Sacramentorum*.
Sacramentum ministrans pluribus successive in statu peccati mortalis unumne, an plura peccata committit? 4. 10. 14
Sacramentorum Minister. V. *Minister Sacramentorum*.
Sacramentorum effectus quinam sint? 2. 5. 1
Sacramentalia quænam sint, & quem effectum causent? 1. 9. 6
Sacrificium quid sit? V. *Missæ Sacrificium*.
Sacrificiorum antiquorum multiplicitas. 5. 1. 3. Quomodo illa omnia in Eucharistia eminenter contineantur? ibid.
Stipendium Missæ quonam titulo accipi possit? 5. 8. 1. Quænam theses proscriptæ sint circa stipendium Missæ? ibid. Quodnam sit stipendium? 5. 8. 2.

Num diebus festivis accipi possit stipendium duplicatum? 5. 8. 3. Num pariter accipi possit alterum stipendium pro applicatione Missæ, alterum pro Officiatura? 5. 8. 4. Utrum alterum pro impetratione, alterum pro satisfactione? 5. 8. 5. Dubia de Missæ stipendio a S. Congregatione resoluta. 5. 8. 6. Quid possit facere, qui coacte accipit stipendium minus justo? 5. 8. 9

T

Tabaci pulvis, seu fumus, seu folium num frangat jejunium naturale? 4. 8. 7
Titulus in Ordinando requisitus quinam sit? 8. 4. 6
Transubstantiatio quid sit? Et quomodo ex veritate verborum consecrationis ea habeatur? 4. 4. 5

V

Venialia ab Eucharistia quomodo remittantur? 4. 5. 5.
Venialium remissio num conferatur ex opere operato per Sacrificium Missæ etiam immediate? 5. 3. 2
Viaticum non est dandum, si Sacerdos aliter dare illud non possit, quam consecrando in una tantum specie, aut sine vestibus Sacris. 4. 3. 5. Quid tamen, si non sit jejunus? 4. 8. 9 & 5. 16. 5.
Vinum consecratum si effundatur, quid faciendum? 5. 7. 5.
Vinum consecratum num possit porrigi Laico moribundo, qui hostiam deglutire non potest? 4. 10. 8.
Votone, an præcepto Ecclesiæ teneatur ad Castitatem Ordinatus in Sacris, an potius ex utroque capite? 7. 5. 5. Quid si de tali Voto non cogitarit, dum scienter ordinatur? 7. 5. 6.
Votum metu extortum non obligat; secus vero juramentum, & quare? 1. 7. 4

FINIS.

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de SACRAMENTIS,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus suis Auditoribus traditum in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis.

PARS SEXTA

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA

THEOLOGICO-MORALIA

TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

[illegible]

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

[illegible]

P A R S S E X T A

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

ACCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

[illegible]

[illegible] ANIMADVERSIONES,

[illegible]

F E R R A R I Æ.

M D C C L V I I.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
Qui in hoc Theologico-Morali Opuſculo
DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO
Continentur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Eſſentia, inſtitutione, & fructu Sacramenti Pœnitentiæ. 2

ART. I. *De Eſſentia hujus Sacramenti* ibid.
II. *De Inſtitutione hujus Sacramenti.* 4
III. *De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.* 6

QUÆSTIO II.

De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. 9

ART. I. *De peccato fictionis in inſtanti Baptiſmi commiſſo.* ibid.
II. *De peccato dubio.* 11
III. *De peccato, quod fuit expoſitum ut dubium, & deinde deprehenditur certum.* 16
IV. *De peccato pure putato.* 19
V. *De peccatis alias confeſſis.* 21
VI. *De peccatis venialibus.* 23

QUÆSTIO III.

De Prima parte materiæ proximæ hujus Sacramenti, quæ eſt dolor. 24

ART. I. *De Contritione perfecta.* ibid.
II. *De Attritione ſupernaturali.* 30
III. *De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.* 36
IV. *De Propoſito ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.* 43

QUÆSTIO IV.

De Confeſſione Sacramentali. 48

ART. I. *An Confeſſio ſit neceſſaria neceſſitate medii?* ibid.
II. *Quomodo Confeſſio Sacramentalis ſit neceſſaria neceſſitate præcepti divini?* 49
III. *De Præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis.* 50
IV. *De Quidditate, & conditionibus Confeſſionis Sacramentalis.* 55

QUÆSTIO V.

De Integritate Confeſſionis. 57

ART. I. *De diligentia examinis ad integritatem Confeſſionis requiſita.* ibid.
II. *De integritate Confeſſionis quoad circumſtantias peccati.* 58
III. *Expenduntur ſpecialia dubia circa ſingulas circumſtantias: Et primo de Circumſtatia, Quis.* 62

IV. *De*

IV. *De circumstantia Quid.* 64
V. *De aliis circumstantiis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* 66
VI. *De integritate Confessionis quoad numerum peccatorum.* 70
VII. *De Causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.* 73
VIII. *De Confessione Moribundi.* 83
IX. *Quando, & quomodo repetenda sit Confessio.* 85

QUÆSTIO VI.

De Satisfactione. 87

ART. I. *De Pœnitentia a Confessario injungenda.* ibid.
II. *De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.* 90
III. *De Commutatione Pœnitentiæ.* 92

QUÆTIO VII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio. 95

ART. I. *Quænam sit forma absolutionis?* ibid.
II. *Quandonam conferri possit absolutio sub conditione, aut differri?* 97
III. *Expediuntur reliqua ad absolutionem spectantia.* 99

QUÆSTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 100

ART. I. *De Jurisdictione ordinaria, ac delegata Confessarii.* ibid.
II. *De Jurisdictione dubia, probabili, & in articulo mortis.* 105
III. *De Approbatione in Confessario requisita.* 109
IV. *De Prudentia, Probitate, & Scientia in Confessario requisita.* 117
V. *De Obligationibus Confessarii in ipsa Sacramenti administratione.* ibid.

QUÆSTIO IX.

De Casibus reservatis. 126

ART. I. *Quinam possint reservare casus?* ibid.
II. *Quænam peccata cadant sub reservationem?* 128
III. *De iis, qui subjacent reservationi.* 132
IV. *Quinam possint absolvere a reservatis, & quomodo?* 135

QÆSTIO X.

De Sigillo Confessionis. 140

ART. I. *De Obligatione sigilli Sacramentalis.* ibid.
II. *De Materia sigilli Sacramentalis.* 142
III. *Quosnam obliget Sigillum?* 144
IV. *An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?* 145

QUÆSTIO XI.

De Indulgentiis. 148

ART. I. *Quid, & quotuplex sit Indulgentia?* ibid.
II. *De Effectibus Indulgentiæ.* 149
III. *Quisnam possit Indulgentias concedere?* 151
IV. *Quænam causa requiratur ad legitimam Indulgentiarum concessionem?* 152
V. *De dispositione ad Indulgentiam lucrandam requisita.* 153

CUR-

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

DE

PŒNITENTIÆ SACRAMENTO.

PARS SEXTA.

PROŒMIUM.

PŒnitentia, suavissimum miseris nomen, dicata prius fuit a Deo in Paradiso voluptatis, ut inciperet esse virtus; deinde a Christo Domino nostræ salutis vindice in Paradiso Ecclesiæ consecrata, ex virtute facta est Sacramentum. Quatenus est Sacramentum, Pœnitentia est Signum sensibile, seu cæremonia sacra a Christo Domino instituta, qua aliquis confitetur peccata commissa post Baptismum Sacerdoti habenti jurisdictionem, cum debito dolore, & proposito emendationis, ab eoque absolutionem recipit, imposita salutari pœna: Quatenus vero est Virtus, importat non solum resipiscentiam, hoc est mutationem consilii, & vitæ novitatem, sed etiam tristitiam, & dolorem de peccato, quo quis in se ipso punit, ac vindicat commissa flagitia: Quod patet tum a nominis etymologia; Pœnitentia enim ex August. est quasi Pœnæ tenentia, & ex Isidoro, quasi Punientia; tum etiam ex usu Sacræ Scripturæ, & omnium Doctorum, qui in hoc sensu pœnitentiam usurpant; ut Lucæ 10. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Unde Gregorius lib. 34. in Evangelia ait: *Pœnitentiam agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Et ipse Ovidius lib. 1. de Ponto.

Pœnitet, oh si quid miserorum creditur ulli!
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo:
Cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori,
Estque pati pœnam, quam meruisse minus.

De pœnitentia ut virtute fuse agunt Scholastici: Theologi vero morales obiter de ea disputant, cum de dolore requisito ad Sacramentum pœnitentiæ, plenam tractationem instituentes de Pœnitentia, ut Sacramento; quod a Conciliis, & Patribus variis nominibus appellatur. Dicitur enim Lavacrum animarum, secunda purgatio, Reconciliatio, Baptismus iterabilis, secunda post naufragium deperditæ gratiæ tabula; quibus, & aliis nominibus satis exprimitur ejus præstantia, ac summa necessitas: Scopus itaque hujus tractatus erit, Ministros Ecclesiæ erudire ad rectam hujus Sacramenti administrationem.

Quare primo quæremus Essentiam metaphysice, ac physice consideratam, Institutionem, & Effectus Sacramenti Pœnitentiæ. Secundo, quænam sit ejus materia remota. Tertio agemus de prima parte materiæ proxime, quæ est Dolor. Quarto de secunda parte materiæ proximæ, quæ est Confessio. Ubi speciatim quinto loco agemus de Confessionis integritate. Sexto de satisfactione, quæ pars est integralis hujus Sacramenti. Septimo de ejusdem forma, quæ est Absolutio. Octavo multa quæremus de Ministro, præsertim quænam scientia, approbatio, & jurisdictio in eo requiratur? Nono, de Casibus reservatis. Decimo, de Sigillo Confessionis. Ac demum nonnulla huc pertinentia dicemus de Indulgentiis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia, Institutione, & Fructu Sacramenti Pœnitentiæ.

Sigillatim discutiemus primo essentiam hujus Sacramenti, cum metaphysicam, quæ est ejus definitio, tum physicam, quæ conflatur ex materia, & forma: Deinde ejus institutionem. Ac demum finem, & fructus, quos operatur.

ARTICULUS I.

De essentia hujus Sacramenti.

I. Sacramentum Pœnitentiæ metaphysice consideratum quid sit?
II. Quid importet consideratum physice?
III. Quænam Sacramenti hujus pars significet, & causet gratiam?
IV. Quomodo actus pœnitentiæ gratiam remissivam peccati significare, & efficere possint?
V. Contritio, quamvis insensibilis de se, adhuc potest constituere Sacramentum sensibile: Et quid de intentione Ministri?
VI. Quomodo satisfactio ad Sacramenti hujus constitutionem pertineat?
VII. Num Satisfactio significet gratiam peccati remissivam, an solius pœnæ remissionem?

I. Sicut essentia E.G. Hominis alia est Metaphysica constituta per genus, & differentiam tanquam per partes metaphysicas, & sic dicitur esse Animal rationale: Alia est physica constituta per materiam, & formam tanquam per partes physicas, & sic dicitur esse compositum constans ex corpore, & anima rationali: ita Sacramenti Pœnitentiæ essentia alia est Metaphysica constituta per genus, & differentiam, alia pariter physica constituta per materiam, & formam.

Quæritur itaque primo; Quænam sit definitio, seu Metaphysica essentia hujus Sacramenti per genus & differentiam considerati?

Respondeo, Sacramentum pœnitentiæ definiri *Signum sensibile significans, & conferens gratiam sanctificantem, institutam a Christo Domino per modum judicii ad remittenda peccata post baptismum commissa*: Inquantum est signum sensibile efficax gratiæ, convenit cum reliquis Sacramentis; inquantum vero institutum per modum judicii, differt ab aliis. Brevius tamen definiri potest, *Sacramentum judicialis reconciliationis post baptismum*.

II. Quæritur secundo; An Sacramentum pœnitentiæ suam habeat essentiam physicam, nempe compositionem ex materia, & forma, tanquam ex partibus physicis? Et quænam illæ sint?

Respondeo, Hanc etiam essentiam competere huic Sacramento. Sicut enim reliqua Sacramenta constant ex materia, seu parte magis determinabili, & forma, seu parte magis determinativa, ut docent Concilia: ita pariter Sacramentum Pœnitentiæ. Est autem distinguenda in omnibus Sacramentis materia proxima, seu ex qua, a remota, seu circa quam. Nam in baptismo, exempli gratia, aqua dicitur materia remota, ablutio vero materia proxima, & verba illa, *Ego te baptizo, &c.* sunt verba talis Sacramenti. Eodem pacto in Sacramento pœnitentiæ materia remota sunt peccata; materia vero proxima communiter censentur esse actus pœnitentis, scilicet Confessio dolorosa, seu dolor, & confessio, quibus additur satisfactio, tanquam pars integralis, non essentialis: Forma autem sunt verba Sacerdotis dicentis, *Ego te absolvo, &c.* Constat hoc ex Trident. sess. 14. cap. 3. ubi aperte docemur, verba ministri esse formam hujus Sacramenti. Et quamvis actus pœnitentis dicantur a Concilio esse *quasi materia*, non vero materia; hinc tamen solum infertur, (ut explicat Catechismus de Sacramento pœnitentiæ cap. 4.) quod materia hujus Sacramenti non sit aliquod elementum, ut in baptismo est aqua, in confirmatione oleum, &c. non vero quod actus pœnitentis non sint propria materia Sacramentalis; quandoquidem analogicam similitudinem dicunt ad materiam physicam, eo pacto, quo verba Ministri ratione ejusdem analogiæ dicuntur proprie forma.

Hinc sequitur, Sacramentum pœnitentiæ, physi-

physice consideratum, optime definiri, quod sit *Compositum artificiale, seu morale constans ex actibus pœnitentis, & verbis Sacerdotis institutis ad significandam, & conferendam gratiam remissivam peccati post baptismum commissi per modum judicii.*

III. Disputant Scholastici, cuinam parti competant significare, & causare gratiam? Scot. in 1. distinct. 16. censet, soli formæ id competere; unde per Scot. sola forma, seu verba Ministri, adequate constituit hoc Sacramentum. Gabriel vero censet, confessionem, & absolutionem, quæ sunt signa sensibilia, constituere hoc Sacramentum: contritionem vero, utpote insensibilem, esse solummodo requisitum. Sed communior, & verior sententia docet, contritionem, & confessionem esse materiam, & compartem hujus Sacramenti, quæ significat, & causat gratiam, non secus ac forma; satisfactionem vero esse partem integralem; quia per satisfactionem quamvis non constituatur essentialiter, certe perficitur, & integratur judicium, & per illam remittitur pœna temporalis.

Disputant etiam Scholastici de intentione requisita in ministro ad conferendum Sacramentum Pœnitentiæ: num sit merum requisitum, an vero pars constitutiva Sacramenti? Et nonnulli docent, esse merum requisitum; (non secus ac est merum requisitum essentiale in Pœnitente intentio suscipiendi Sacramentum) atque adeo nullo pacto causare gratiam, sicut causatur a qualibet parte constitutiva Sacramenti. Probabilius tamen recentiores docent, constituere actum judicialem, atque adeo ipsum Sacramentum: Quod fuse nos prosecuti sumus in Cursu Theologico part. 7. disp. 1. quæst. 1. art. 3.

IV. Oppones primo. Quod est materia proxima hujus Sacramenti, debet significare, & causare gratiam sanctificantem; sed actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio & satisfactio non possunt significare, & causare gratiam sanctificantem; ergo non sunt materia proxima, sed merum requisitum; atque adeo sola forma, seu absolutio constituit hoc Sacramentum. Major patet, quia Sacramentum est signum practicum gratiæ; ergo quælibet pars Sacramenti debet esse signum practicum gratiæ; sed materia proxima est pars Sacramenti; ergo debet esse signum practicum gratiæ. Minor itaque probatur, & quidem quod actus pœnitentis non significent gratiam, videtur perspicuum; nam tota significatio gratiæ remissivæ peccati habetur in verbis absolutoriis. Deinde quod neque producant gratiam actus pœnitentis, suadetur, tum quia quando producitur gratia Sacramentalis, non est actu confessio; & sæpe nec contritio, quæ præfuit: Tum etiam quia, si actus pœnitentis producerent gratiam, pœnitens diceretur sibi remittere peccata, & ministrare Sacramentum pœnitentiæ, quod est falsum; cum hoc sit solius Ministri.

Respondeo primo, nego majorem cum Ferrariensi, Capreol. & aliis; sicut enim homo est rationalis, quin singulæ partes hominis sint rationales, cum materia non discurrat; & homo videt, non tamen singulæ partes hominis, sed solus oculus: ita Sacramentum est signum practicum gratiæ, etiamsi non significent, & causent gratiam singulæ partes Sacramenti.

Respondeo secundo omissa majore, nego minorem. Ad primam probationem dico, quod quamvis absolutio magis explicite significet gratiam remissivam peccati, tamen illam etiam significant actus pœnitentis; quia sicut per illos peccator ex parte sua se disponit ad obtinendam remissionem peccati; ita illis significatur aliquo pacto ipsa remissio peccati, quam Deus concedit bene se disponenti. Ad secundam probationem dico, actus Pœnitentis causare gratiam moraliter, non physice, si non coexistant cum verbis Sacerdotis; sicut Baptismus cum peccato susceptus, recedente fictione, moraliter, non physice causat gratiam suam.

Ad id, quod ultimo loco additur, dico, quod cum actus pœnitentis concurrant ad productionem gratiæ per conjunctionem cum forma a Ministro prolata, idcirco soli Ministro tribuitur administratio Sacramenti, & productio gratiæ. Patet hoc in Sacramento Ordinis, in quo contactus suscipientis est materia proxima productiva gratiæ; quia tamen contactus causat gratiam per conjunctionem cum forma Sacramenti a Ministro prolata, idcirco soli Ministro tribuitur collatio Sacramenti Ordinis. Quare universim qui ponit partem materialem Sacramenti, non dicitur illud conficere, aut ministrare; sicut qui conficit lignum, quod est pars materialis statuæ, non dicitur statuam conficere; & qui conficit panem consecrandum, quamvis ponat species eucharisticas productivas gratiæ, non dicitur tamen Sacramentum Eucharistiæ conficere: solus igitur Sacerdos, qui ponit formam Sacramenti, illud conficit, & ministrat; quia ponendo formam, elevat materiam præsuppositam ad rationem Sacramenti.

V. Oppones secundo: Intentio Ministri cum non sit signum sensibile, non est materia proxima juxta multorum sententiam, nec constituit Sacramentum, quod est signum sensibile, sed est merum requisitum: ergo neque contritio erit materia proxima, cum pariter sit insensibilis.

Respondeo, transmisso antecedente, nulla est consequentia. Disparitas est, quia Tridentinum eodem modo loquitur de confessione, ac de contritione, dicit enim sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis*

actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio; ergo sicut confessio, ita contritio Sacramentum constituunt: Et quamvis contritio non sit signum sensibile, fit tamen sensibilis per accidens, videlicet per confessionem; non secus ac in matrimonio consensus conjugum constituentes Sacramentum redduntur sensibiles per signa externa; & in Sacramento Eucharistiæ corpus Christi Domini fit sensibile, & demonstrabile per species eucharisticas: Contra vero intentio Ministri licet posset etiam reddi sensibilis per signa externa; at quia non liquido constat, quod sit collativa gratiæ, & Sacramentum constituat, ideo putant nonnulli, quod sit merum requisitum.

VI. Oppones tertio; Satisfactio consequitur absolutionem; ergo non potest esse pars materialis hujus Sacramenti. Materia enim præcedit, non sequitur formam.

Respondeo, Satisfactionem pertinere ad hoc Sacramentum, tanquam partem materialiter integralem, non essentialem; potest autem pars materialis integralis consequi formam, & totum constitutum ex partibus essentialibus, ut dentes consequuntur ad hominis constitutionem. Quare sicut potest dari homo constitutus per corpus, & animam, quæ sunt partes essentiales, etiamsi careat dentibus, aut aliquo brachio, quod est pars integralis; ita potest dari Sacramentum pœnitentiæ essentialiter constitutum per contritionem, confessionem, & absolutionem, antequam ponatur satisfactio.

Dubium hic est, Utrum satisfactio participet rationem Sacramenti per hoc, quod sit signum practicum gratiæ, an vero per hoc, quod sit signum practicum duntaxat remissionis pœnæ? cum enim Sacramentum pœnitentiæ sit remissivum culpæ simul, & pœnæ, videtur satis esse, ut satisfactio dicatur participare rationem hujus Sacramenti, & esse pars integralis illius, si solum significet, & causet remissionem pœnæ.

Respondeo, Satisfactionem probabiliter ex opere operato conferre etiam gratiam, & non duntaxat remissionem pœnæ, ut docet D. Th. quæst. 90. art. 2. ad 1. ubi sic habet: *Dicendum, quod satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, & auget eam, prout est in executione*. Quare ex D. Thoma propositum ponendi satisfactionem, quod præcedit absolutionem Sacerdotis, confert gratiam, una cum contritione, (in qua illud includitur) confessione, & absolutione; & deinde, quando ponitur satisfactio, habetur ex opere operato novum incrementum gratiæ habitualis. Dicitur autem in contritione includi propositum exequendi pœnitentiam a Confessario impositam; quia contritio, præter dolorem de peccato, includit propositum non peccandi de cætero, atque adeo exequendi, quod citra culpam omitti non potest, ut est pœnitentia injuncta. Sed hac de re fusius agemus quæst. 6. cum de Satisfactione Sacramentali.

ARTICULUS II.

De Institutione hujus Sacramenti.

I. Instituit Christus Dominus hoc Sacramentum pro solis fidelibus.

II. Quandonam illud instituerit?

III. Num potestas in Corpus Christi verum includat potestatem in Corpus Christi mysticum, ita ut habens potestatem consecrandi habeat etiam potestatem absolvendi?

IV. Institutum fuit hoc Sacramentum ad modum judicii; & quare?

V. Licet Sacerdos mutus non possit absolvere, pœnitens tamen mutus, ac surdus absolvi potest.

VI. In quo sensu dicatur Confessarius posse peccatorem ligare, & peccata retinere?

VII. In quo differat a Sacramento Pœnitentiæ Baptismus?

I. QUæritur primo, An Sacramentum pœnitentiæ sit a Christo Domino institutum?

Respondeo affirmative: & definitur a Trid. sess. 14. contra quamplures hæreticos. Colligitur autem institutio hujus Sacramenti ex illis verbis Joan. 20. *Insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ex quibus verbis duo habentur, quæ pertinent ad hujus Sacramenti constitutionem. Primum est promissio infallibilis gratiæ justificantis, qua peccata remittuntur in præsenti ordine. Secundum est signum sensibile, & ritus externus a Christo Domino institutus, cui annectitur gratiæ productio. Cum enim Christus Dominus dederit potestatem hominibus remittendi peccata, debuit instituere, ut id fieret humano modo, hoc est signo aliquo sensibili, tum ex parte ejus, qui remittit, quod habetur per absolutionem, tum ex parte ejus, cui remittuntur, quod habetur per dolorosam confessionem: Sic enim remissio fit convenienti modo, & confertur tantum ei, qui cognoscitur esse dispositus. Quamvis enim possit Minister Sacramenti decipi, si pœnitens vere non sit animo dispositus, prout ore profitetur; at quia Sacramentum hoc administrandum est inter homines, debuit satis esse prudens judicium, quod pœnitens sit dispositus, ut possit ei Sacramentum conferri.

Congruentia talis institutionis ex eo habetur; quia cum homines facile post Baptismum in peccata labantur, congruum fuit instituere Sacramentum, per quod ea expiarentur. Quod advertit Trident. sess. laud. dicens: *Si regenerati baptismate gratiam, & justitiam perpetuo conservassent, non fuisset opus, aliud Sacramentum institui; sed quia Deus cognovit figmentum nostrum*,

strum, ideo illis vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem tradidissent.

Dices: Verba illa Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* sunt verba universalia; quippe etiam ad Infideles extenduntur, respectu quorum non est institutum Sacramentum pœnitentiæ: ergo ex iis verbis colligi non potest, quod sit institutum Sacramentum pœnitentiæ respectu fidelium.

Respondeo, verba illa tum a Trident. loc. laudato, tum a Patribus intelligi communiter de remissione peccatorum post Baptismum: Et quidem jure merito; nam illis verbis significatur potestas judicialis, quæ sit potestas non solum remittendi, sed etiam retinendi peccata; unde debet præcedere eorum confessio, & quidem dolorosa, ut possit rationabiliter, imposita pęna, conferri absolutio. Hæc autem potestas non potest exerceri, nisi relate ad peccata post Baptismum, quandoquidem ante Baptismum non subjacent homines huic judicio Sacramentali, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 1. *Quid ad me de iis, qui sunt foris, judicare?* ergo iis verbis bene colligitur institutio hujus Sacramenti secundum singulas suas partes. Quod si verba illa intelligantur universalius de potestate remittendi peccata tam Fidelibus, quam Infidelibus, ut videntur aliqui Sancti Patres explicare, dicendum esset, ibi Christum Dominum utriusque remissionem peccatorum promisisse, non tamen eodem modo conferendam, sed Infidelibus per baptismum, Fidelibus vero per Sacramentum pœnitentiæ.

II. Quæritur secundo, quandonam Christus Dominus Sacramentum pęnitentiæ instituerit?

Armacanus putat, Christum Dominum illud instituisse Matth. 10. & Luc. 7. quando Apostolos misit ad prædicandum; quia tunc contulit illis apostolicam dignitatem, ad quam spectat potestas hæc judicialis. Alii putarunt in nocte cęnæ fuisse institutum: quando enim data est Apostolis potestas supra corpus verum Christi Domini, data videtur pariter esse potestas supra corpus mysticum, videlicet supra Ecclesiam, cum videantur istæ duæ potestates invicem connexæ.

Sed Trident. sess. 14. hæc habet: *Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, &c.* Ubi notandum ly *præcipue*; quia quamvis in nocte cęnæ dando potestatem Apostolis supra corpus suum verum, dederit pariter aliquo modo potestatem supra corpus suum mysticum, atque adeo initialiter, & aliquo modo instituerit Sacramentum pęnitentiæ; at ritum omnem talis Sacramenti vere post Resurrectionem instituit. Quando enim Deus dedit potestatem remittendi, & retinendi peccata, tunc pariter instituit modum, quo remitti debeant, scilicet audiendo confessionem dolorosam, imponendo pęnam debitam, & per sententiam declaratoriam absolvendo, ut sic humano, & convenienti modo remitterentur.

III. Voluit quidem Christus Dominus, ut cui confertur potestas in corpus suum verum, conferatur pariter potestas in corpus mysticum, atque adeo ut quilibet Sacerdos possit absolvere: At istæ duæ potestates sunt inter se separabiles, nec se includentes; etenim si Episcopus postquam Sacerdotes ordinavit, moriatur, antequam conferat illis potestatem absolvendi, in hoc casu tales Sacerdotes absolvendi potestatem probabilius non haberent, nisi alius Episcopus demortui defectum suppleret, ut notat Suar. & alii communiter contra Valent. & alios relatos a Dian. part. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 187. Quia tamen sententia laudata Valentiæ, & aliorum, ut notat idem Dian. suam habet probabilitatem, idcirco si contingeret casus, quod Episcopus post collatam potestatem consecrandi statim in discrimine vitæ poneretur, & absolutionem peteret, si alius Sacerdos deesset, posset, ac deberet absolutio conferri sub conditione a nuper ordinatis, qui probabiliter haberent potestatem supra corpus mysticum Christi, atque adeo potestatem absolvendi, posito quod habuerunt potestatem supra corpus Christi reale, seu potestatem consecrandi.

IV. Ex dictis deducitur primo, Sacramentum pęnitentiæ institutum esse per modum judicii, & tribunalis, ut idem Trid. observat; sicut enim in judicio forensi ante sententiam præcedere debet accusatio, ita in foro Sacramentali pęnitens, qui est Reus, est suimet accusator, & testis; Sacerdos vero, qui est judex, audita accusatione, & probatione; sententiam profert absolutionis, imponendo pęnam. Congruum autem fuit in Republica dari hoc tribunal; primo, ne facilitate veniæ facilius in peccata fideles labantur, si absque rigore justi judicii peccata remitterentur, eo modo, quo remittuntur in Baptismo; nam, ut advertit Riccard. quicquid ab infideli committitur, velut ignoranter committitur, cum ignoret peccati pondus perpendere; nescit enim illud expiari non posse, nisi per mortem Filii Dei: Contra vero fideles dicuntur ab Apostolo ad Hebræos 10. voluntarie peccare, idest non ex ignorantia, sed post acceptam notitiam veritatis; & ideo non adeo de facili, sed cum aliquali rigore judicii debuit iis concedi condonatio. Secundo, ut divina erga nos commiseratio, & merita Christi commendentur, dum judicium divinum in hoc Sacramento in humanum quodammodo commutatur, gerente homine in illo vices Dei vindicis. Tertio,

ut

ut plenior habeatur peccatorum expiatio, & facilius non solum inferni, sed purgatorii etiam pœnæ vitentur.

V. Deducitur secundo, quare non sit necesse ad remissionem peccatorum in hoc Sacramento, ut absolutio audiatur a pœnitente, esto verbis sensibilibus ea conferri debeat; (ita ut Sacerdos mutus absolvere non possit, ut dicemus quæst. 7.) Accidere enim potest ut pœnitens post inceptam confessionem sensibus destituatur; tunc autem vere absolvitur; sicut etiam si absolutio proferatur submissa voce, ita ut a pœnitente distante non audiatur, aut si pœnitens sit surdus. Et ratio est, quia Sacramentum hoc non est institutum ad modum contractuum, vel donationis, in quibus requiritur, ut donatio, vel contractus sciatur, audiatur, & acceptetur; Unde si creditor liberaliter donet, seu remittat debitum etiam verbis externis, ita tamen, ut debitor id ignoret, nec alius ejus nomine remissionem acceptet, talis remissio est nulla, & revocabilis ad libitum, perinde quasi esset mere interna: Et similiter in contractu matrimonii, si alter conjux consensum præstet, & statim dormiat, alter vero priori dormienti respondeat, consensum exprimendo, matrimonium non est validum. Cum autem Sacramentum pœnitentiæ institutum sit ad modum judicii, & in judicio non requiratur ad validitatem sententiæ, ut quando profertur, intelligatur, & audiatur a Reo, maxime si sententia sit absolutoria, sed satis est, ut proferatur cum debita solemnitate, ut proinde si tempore sententiæ absolutoriæ Reus usum rationis amittat, valide sit absolutus; idcirco hoc etiam habetur in judicio Sacramentali, in quo etiam est sua solemnitas, dum pœnitens gerit personam Rei, accusatoris, & testis, Confessarius vero personam Judicis, & Notarii, qui fidem faciat de sententia prolata.

Deducitur tertio, Sacramentum hoc, ut rite exerceatur, requirere potestatem non solum Ordinis, sed etiam jurisdictionis, ut definit Trident. cap. 7. Et ratio est, quia judicium exerceri non potest, nisi in subditum, erga quem jurisdictio habeatur vel ordinaria, vel delegata.

VI. Deducitur ultimo, duplicem veluti actum exerceri posse a Ministro hujus Sacramenti, videlicet remittere, & retinere peccata; seu solvere, & ligare. Prior actus est positivus, cum sit vera remissio, & absolutio per gratiæ justificantis infusionem, quæ nomine Christi principaliter remittentis a Ministro, tamquam instrumento, confertur pœnitenti. Posterior actus aliquando est negativus, quatenus potest Sacerdos negare absolutionem, & sic retinere peccata, quod est ligare negative, seu non absolvere, ut explicat D. Th., & alii; sicut Deus dicitur obdurare, & excæcare negative, scilicet subtrahendo auxilia, & lumen supernum indebitum: Aliquando vero est positivus, quatenus potest Sacerdos obligare pœnitentem ad satisfactionem Sacramentalem, ut docet Trident. cap. 8. Præterea est pariter positivus, quatenus potest Sacerdos, si habeat jurisdictionem debitam, excommunicare, & aliis censuris ligare, & Sacramentorum susceptionem impedire.

VII. Quæritur ultimo, An, & quomodo Sacramentum pœnitentiæ differat a Sacramento Baptismi?

Respondeo, differre, ut definitum est a Trident. loc. citat. contra Lutheranos dicentes, Baptismum per sui memoriam fidem excitare, & per fidem peccata delere, juxta illud Christi Domini, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Constat autem eorum discrimen, quia diversam habent materiam, & formam, & diversum ritum; Siquidem Baptismus fit per modum regenerationis, Pœnitentia per modum judicii, & reconciliationis: Habent etiam diversos fines, & effectus, quia ille institutus est ad tollendum originale, & actualia peccata, quæ cum illo reperiuntur; hæc vero ad tollenda peccata actualia post Baptismum.

Dices: Baptismus sæpe a SS. Patribus appellatur baptismus pœnitentiæ: ergo ista duo confunduntur.

Respondeo, Baptismum sic appellari, quia adulti antequam ad Baptismum accedant, debent actus pœnitentiæ præmittere, ut dicitur Actor. 2., non quia ista non sint Sacramenta diversa.

ARTICULUS III.

De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Recensentur septem hujus Sacramenti effectus.*
II. *Cur non possit in hoc Sacramento unum mortale sine alio remitti; possint vero venialia remitti divisibiliter?*
III. *Multis aliis viis venialia remitti possunt; præsertim per Sacramentalia.*
IV. *Quænam pœna in hoc Sacramento remittatur, remissa culpa.*
V. *Num omnia merita præterita per remissionem culpæ revivi$cant?*
VI. *Num etiam demerita vi Pœnitentiæ deleta per subsequens peccatum redeant.*

I. PRæcipuus Sacramenti Pœnitentiæ fructus est justificatio peccatoris, & reconciliatio ejusdem cum Deo offenso, ut loquitur Trident. cap. 3., quam tamen confert Sacramentum pœnitentiæ ex opere operato, ad differentiam contritionis, quæ illam causat ex opere operantis. Est autem justificatio ex Trident. sess. 6. cap. 7. *non sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.*

Unde

Unde inter effectus Sacramenti pœnitentiæ numerantur: Primo, remissio mortalium per infusionem gratiæ sanctificantis: Secundo, remissio etiam venialium: Tertio, Commutatio pœnæ æternæ in temporalem: Quarto, reviviscentia præcedentium meritorum, seu gratiæ deperditæ restitutio: Quinto vivificare Sacramenta ficte suscepta; nam quando quis Sacramentum, v. g., Matrimonii, vel Confirmationis, &c. suscepit ficte, seu cum obice, tunc accedente Sacramento pœnitentiæ cum attritione, confertur una cum gratia sanctificante propria hujus Sacramenti pariter gratia propria Sacramenti Matrimonii, seu Confirmationis: Sexto, pax, & tranquillitas animi, quæ ex Trident. cap. 3. in percipientibus devote hoc Sacramentum consequi solet cum vehementi spiritus consolatione: Septimo, gratia Sacramentalis propria talis Sacramenti, quæ importat auxilium quoddam speciale divinæ assistentiæ, quo præservatur pœnitens a peccatis, & facilius in justitia perseverat, ut loquitur Trident. cap. 1. Circa hæc autem

II. Quæritur primo, An possit in hoc Sacramento unum mortale sine alio remitti?

Respondeo, neque in Sacramento, neque vi contritionis extra Sacramentum id fieri posse in præsenti providentia: esto id fieri posset de potentia Dei absoluta. Ratio est, quia peccatum mortale in præsenti ordine remittitur per infusionem gratiæ, quæ est participatio divinæ naturæ, redditque hominem Dei filium adoptivum, amicum, & hæredem; unde fit, ut sit incompossibilis cum quolibet mortali, & consequenter impossibile est, unum mortale sine alio remitti. Quare ex Trident. cap. 5. in hoc Sacramento non solum remittuntur peccata clavibus subjecta, sed etiam inculpabiliter oblita, & ex legitima causa omissa: Quamvis peccata in Confessione exposita remittantur directe, cum judicialis sententia cadat super illa: peccata vero non subjecta clavibus tantum per accidens, & indirecte, seu ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti infunditur, & est incompossibilis cum quolibet mortali: Hinc remanet obligatio subjiciendi ea clavibus, ut directe, & per se absolvantur.

Quæritur secundo, Utrum saltem possit in hoc Sacramento unum veniale sine alio remitti?

Respondeo, posse; cum non militet eadem ratio de venialibus, ac de mortalibus; Hæc enim sunt incompossibilia cum gratia præsentis ordinis; unde si tollitur unum mortale, tolluntur & omnia; illa vero sunt cum gratia compossibilia; Unde fit, ut si quis dolorem debitum habeat de uno veniali, puta de mendacio, & complacentiam habeat de alio, illud remittatur, hoc vero non: Quod si de uno habeat dolorem debitum, & de alio vel oblivionem, vel saltem non complacentiam, docent Suar. disp. 12. sect. 1. num. 9. Sot., Ledesm. cum aliis, quod ex opere operato tum veniale expositum in confessione, tum etiam oblitum, imo & voluntarie non expositum condonetur, dummodo non sit de eo complacentia, quæ est obex gratuitæ remissioni. Alii tamen probabiliter censent solum remitti venialia exposita, & oblita, non vero quæ voluntarie non exponuntur. Alii demum probabiliter etiam putant plura, aut pauciora venialia deleri pro majori, vel minori dispositione pœnitentis, ut videre est apud Suar. loc. laud.; qui dicit, rem hanc esse incertam, & dubiam.

III. Quæritur tertio, quibus aliis mediis remitti possint venialia?

Respondeo cum Suar. disp. 11. sect. 3., & aliis: Primo per contritionem; si enim hæc satis est ad delenda mortalia extra Sacramentum, a fortiori delere potest venialia: Secundo, probabiliter per attritionem, etiam extra Sacramentum, quia attritio est aversio a culpa; quod si sit ab homine justo, videtur satis esse ad remissionem venialium, cum sit satis in Sacramento ad remissionem mortalium; Ita Suar. loc. citat. contra Vasq. Tertio probabile est, per quemcumque actum virtutis elicitum ab homine justo tolli aliqua venialia, plura, vel pauciora pro perfectione, & intensione talis actus. Et ratio est, quia justus per quemcumque actum virtutis meretur augmentum gratiæ, seu amicitiæ Dei, & gloriæ: ergo videtur sufficienter sic disponi ad remissionem aliquorum venialium, quæ sunt impedimentum ad gloriam, & minuunt fervorem charitatis, & amicitiæ: Sicut enim in humanis congruum est, ut per quodcumque obsequium remittatur amico aliqua levissima offensa; ita pariter congruum est, ut Deus levissimas offensas, quæ sæpe sunt imperfecte voluntariæ, remittat per quodvis obsequium, etiamsi non sit formalis dolor illarum: Quarto, remittuntur venialia per usum Sacramentalium, puta orationis dominicæ, vel orationis in templo consecrato, Aquæ lustralis, vel alterius sacræ unctionis, quæ non sit Sacramentum, comestionis panis benedicti, tunsionis pectoris, Confessionis generalis (seu recitando Confiteor) eleemosynæ, & benedictionis Episcopi, seu Abbatis consecrati, quæ omnia versu illo continentur.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Verum quidem est, quod Sacramentalia hæc non habeant vim remittendi venialia sine aliquo bono actu hominis existentis in gratia; sicut nec sine bono actu habent universim vim remittendi venialia ipsa Sacramenta: At sicut Sacramenta ex institutione Christi Domini delent peccata ex opere operato; ita pariter Sacramentalia ex institutione Ecclesiæ (quod constat nobis ex tradi-

traditione, & usu fidelium) habent ex opere operato, seu ex ipsius Ecclesiæ impetratione excitare pios motus, & bonos actus, quibus remittantur nobis plura, aut pauciora venialia pro perfectione, & intensione talium actuum. Excitant tamen pios hosce motus infallibiliter, vel statim, vel tempore a Deo præfixo, ut sic Sacramentalia a non Sacramentalibus distinguantur, ut multi censent contra Con. & Perez.

Ultimo remittuntur venialia post separationem animæ decedentis cum veniali non retractato, juxta D. Thom. Vasq. & Suar. per condonationem extrinsecam, posito perfectissimo actu elicito ab anima, tanquam conditione prærequisita. Et ratio est, quia Deus non remittit peccatum sine prævia dispositione peccatoris: Ex alia parte post mortem non potest homo mereri augmentum gratiæ, & satisfacere; & ideo reatus culpæ venialis remitti debet post mortem per condonationem extrinsecam, non vero per infusionem gratiæ nobis intrinsecæ, sicut remittitur in hac vita.

IV. Quæritur quarto, An remissa culpa, remittatur & pœna?

Respondeo, certum esse ex Trid. sess. *6*. cap. 14. remitti pœnam æternam, remissa culpa mortali; quia impossibile est Dei amicum habere jus ad gloriam æternam, & simul esse reum pęnæ æternæ: Non remitti tamen pœnam temporalem, sic exigente tum justitia divina, ne relinquat culpam sine vindicta; tum providentia, ne facilitas veniæ sit homini occasio peccandi. Remittitur quidem in baptismo pęna etiam temporalis; quia baptismus est regeneratio spiritualis delens omnem reatum præteritum. At per Sacramentum pœnitentiæ institutum per modum judicii non semper tota pœna temporalis dimittitur iis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, ut loquitur Triden. alioquin frustra essent indulgentiæ, & suffragia. Aliquando tamen tanta potest esse intensio contritionis, ut omnis omnino pœna remittatur. Etenim juxta communem Doctorum sensum, per dolorem pœnitentis aliquid etiam pœnæ temporalis remittitur: ergo si dolor pœnitentis sit intensissimus, & cæteroqui pœna temporalis debita uni mortali sit modica, poterit in tali casu simul remitti pœna æterna ex opere operato, & pęna temporalis ex opere operantis: Quod constat ex verbis Trident. dicentis, quod pœna temporalis non semper tota, ut in Baptismo fit, dimittitur: ergo si non semper dimittitur tota, aliquando saltem tota dimittitur, ut in casu prædicto. Cæterum sicut in confessione mortalium ex opere operato non solum remittitur culpa, sed etiam pœna æterna iis debita, remanente reatu pœnæ temporalis: ita in confessione venialium, ac mortalium olim remissorum videtur, quod ex opere operato non solum remittitur culpa venialium, sed etiam aliquid pœnarum, quæ iis debentur; unde si accedat dolor intensus, vi cujus ex opere operantis reliquum pœnæ debitæ evadatur, integer reatus pœnæ in hoc Sacramento extinguetur.

Hinc habes, duplicem deberi peccato mortali pœnam, alteram respondentem aversioni a Deo, & injuriæ Deo irrogatæ; alteram temporalem respondentem conversioni ad creaturas, & delectationi, propter quam homo Deum offendit: Unde eo major respondet pœna temporalis peccato, quo major fuit in illo voluptas, juxta illud Apocalypsis: *Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: Hæc autem pœna respondens intensioni voluptatis habitæ in peccato mortali erit æterna, si æternum culpa duret; erit vero temporalis, si reatus culpæ dimittatur.

Neque dicas, promitti pœnitentibus sæpe in Scripturis, quod Deus adversus illos non sit amplius peccatorum recordaturus, ut Ezechiel. 32. & alibi: ergo remissa culpa, remittitur tota pęna.

Nam sensus scripturarum est, quod Deus non recordetur amplius peccatorum post pœnitentiam in ordine ad damnationem, non vero in ordine ad punitionem temporalem, quæ sæpe pœnitentibus prodest, (ut profuit Davidi) tum quia dat ansam meritis; tum etiam quia, negata facilitate veniæ, tollitur, ut loquitur Trident. occasio peccandi.

V. Quęritur quinto, Quomodo merita per peccatum mortificata reviviscant per pœnitentiam?

Respondeo, certum esse primo ex D. Th. hic art. 4. & aliis communiter, quod sicut vivens per mortem amittit omnem operationem vitæ, quando tamen non est extinctum, sed solum impeditur ab operationibus vitalibus, dicitur esse mortificatum, seu quandam habens similitudinem cum mortuo: Ita homo vivens vita gratiæ quando amittit per peccatum mortale omnem vitæ operationem, tunc ejus opera dicuntur mortua; operationes autem meritoriæ, quas peccator exercuit ante peccatum, cum nullum habeant effectum, quando homo est in statu peccati, tunc dicuntur esse mortificatæ per mortale. Quare tria dantur genera operum, viva, mortua, & mortificata. Viva sunt, quæ fiunt ab homine in statu gratiæ, hæc enim habent suum effectum, merentur quippe, & obtinent vitam æternam: Mortua dicuntur, quæ fiunt ab homine in statu peccati mortalis; sicut enim homo, qui ea patravit, ita ipsa etiam carent vita, unde nullum habent meritum vitæ æternæ: Mortificata demum dicuntur opera meritoria, quæ facta fuerunt in gratia, & deinde qui ea patravit, incidit in mortale; hujusmodi enim opera, dum durat peccatum, non consequuntur præmium vitæ æter-

ternæ, juxta illud Ezechiel. 18. *Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

Certum est secundo juxta communem sensum Theologorum, & Patrum, (ita ut contraria sententia a Dominico Soto censeatur erronea, a Bannez errori proxima, a Suario impia, & temeraria, a Vasq. plusquam temeraria, & a Nugn. hæretica) merita mortificata per peccata reviviscere per pœnitentiam, ut constat ex innumeris Scripturis; præsertim ex illa Joelis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta*: Quem locum in hunc sensum explicat Glossa interlinealis, necnon Hieronymus: *Non patiar perire ubertatem, quam perturbationibus animi perdidistis*. Quod tamen non haberetur, si merita antiqua omnino perirent, nec reviviscerent.

Verum quidem est, Vasq. negare Pœnitentibus recuperationem gratiæ habitæ per Sacramenta, & concedere recuperationem gratiæ habitæ ex propriis meritis extra Sacramentum; Scotistas negare iisdem recuperationem primæ gratiæ; Thomistas vero, & simul Scotistas concedere recuperationem gratiæ, sed non statim, nec in hac vita, sed post mortem; Valentia demum cum Thomistis concedere recuperationem gratiæ, non tamen integræ, sed pro dispositione pœnitentis. Communior tamen sententia docet, omnem omnino præteritam gratiam statim recuperari post pœnitentiam.

Dubium etiam est, Utrum merita mortificata reviviscant ex divina liberalitate, & misericordia, an ex ipsa natura rei? Equidem cum D. Th. censeo, ex divina misericordia id oriri; unde potuisset Deus decernere pro pœna peccati privationem omnium meritorum, sine ulla spe remissionis talis pœnæ.

VI. Quæritur ultimo, an sicut priora merita per peccatum mortificata deinde per subsequentem pœnitentiam reviviscunt, ita e converso priora peccata, & demerita per pœnitentiam deleta deinde per subsequens peccatum pariter redeant.

Respondeo cum Scoto, Aureol., Valent., & aliis contra Sot., Capreol., & Vasq., potuisse Deum sic decernere: Communissima autem Theologorum sententia est, quod de facto non decreverit talem reditum peccatorum. Et ratio est, tum quia per pœnitentiam peccatum destruitur; quod autem destructum est, redire non potest: tum quia 1. ad Roman. dicitur: *Dona Dei sunt sine pœnitentia*: remissio autem peccati est donum Dei: ergo peccatum redire non potest quoad imputabilitatem moralem, & culpam; quia sic quasi Deum de suo dono pœniteret.

Antiqui Doctores putabant, hæc quatuor genera peccatorum dumtaxat redire per subsequens peccatum, scilicet odium fraternum, seu immisericordiam in proximum, Apostasiam a fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia peracta, quæ his versibus comprehendebant.

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Verum universim certum est nunc apud Theologos, nullum peccatum redire.

Neque obstat parabola illa Matth. 18., ubi debitum dimissum repetit Dominus a servo, quia immisericors fuit in conservum: dicitur enim: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Nam, ut Suar. disp. 13. sect. 1. interpretatur, sensus parabolæ est, quod peccata æquivalenter redeant, quatenus per novum peccatum eodem modo fiat peccator reus pœnæ æternæ, sicut erat prius: & in hoc sensu interpretatur etiam illud Jac. *Qui in uno peccat, factus est omnium reus.*

QUÆSTIO III.

De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

DIximus, materiam remotam esse peccata post baptismum commissa; Quærendum tamen, sintne materia vel necessaria, vel sufficiens, Primo peccata in ipso instanti baptismi commissa? Secundo, peccata dubia? Tertio, peccata exposita, ut dubia, quæ deinde deprehenduntur certa? Quarto, peccata pure putata? Quinto, peccata alias confessa? Ultimo venialia? Quamvis plurima in hanc rem disseruerim in Tractatu Scholastico de Pœnitentia, ea, quatenus ad praxim spectant, in hoc morali Tractatu non erant prætermittenda.

ARTICULUS I.

De peccato fictionis in instanti Baptismi commisso.

I. *Quid sit peccatum fictionis?*
II. *Non deletur per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum fictionis in Baptismo commissum ab eo, qui noluit baptizari.*
III. *Quid si peccatum fictionis habeatur per indebitam Baptismi susceptionem? In quo casu imprimitur character baptismalis, sed originale non deletur.*
IV. *Quomodo Baptismus ficte susceptus reviviscere possit?*

I. PEccatum originale, & peccata actualia ante Baptismum commissa per solum Ba-

Baptiſmum deleri, certum eſt ex Trident. ſeſſion. 14. cap. 2. Et ratio eſt, quia Miniſter Sacramenti pœnitentiæ debet eſſe Judex. Eccleſia autem non exercet judicium erga illos, qui per januam baptiſmi nondum ingreſſi ſunt in ipſam, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth.: *Quid ad me de iis, qui ſunt foris, judicare?* ergo peccata ante baptiſmum commiſſa per ſolum baptiſmum deleri poſſunt: Sicut etiam peccatum originale, quod non eſt materia propriæ accuſationis, cum non ſit commiſſum voluntate propria, ſed voluntate Adami capitis; unde ad judicium Sacramentale deferri non poteſt. Hinc ſequitur, quod ſi quis ſolum confiteatur peccata ante baptiſmum commiſſa, & de iis doleat, non proinde Sacramentum pęnitentiæ ſuſcipiat; quicquid contradixerit Riccar. in 4. diſtinct. 17. & Angelus verbo *confeſſio*.

Peccatum, quod in ipſo inſtanti Baptiſmi committitur, dicitur peccatum fictionis: fictio enim dem eſt, ac exterior ſimulatio, quam exercet, qui petendo Baptiſmi Sacramentum, oſtendit opere externo, ſe velle gratiam Baptiſmalem, quam tamen revera interius non vult, propter peccatum, quod habet in corde. Dupliciter autem poteſt quis fingere: Primo nolendo Sacramentum ſuſcipere: Secundo, volendo ſuſcipere Sacramentum baptiſmi, & ejus characterem, ſed ſine diſpoſitione debita ad gratiam recipiendam, vel quia non dolet de peccatis præteritis, vel quia tunc habet, v. gr., voluntatem committendi aliquod peccatum. His poſitis

II. Quæritur primo, An peccatum fictionis, quod habet, qui exterius baptizatur ſine intentione recipiendi baptiſmum, tolli poſſit per Sacramentum pœnitentiæ?

Reſpondeo negative. Et ratio eſt evidens, quia hic non recipit Sacramentum Baptiſmi: ergo nondum eſt ingreſſus januam Eccleſiæ; unde tale peccatum deleri unice poteſt per Sacramentum baptiſmi, quod iterum vere ſuſcipiatur cum intentione illud recipiendi.

III. Quæritur ſecundo, An peccatum fictionis, quod habet, qui exterius recipit Baptiſmum ſine diſpoſitione debita ad gratiam recipiendam, deleri poſſit per Sacramentum pœnitentiæ?

Reſpondeo, certum eſſe, quod hic recipiat Sacramentum Baptiſmi, & ejus characterem; ſine gratia tamen baptiſmali, propter impedimentum, & obicem peccatorum actualium. Hic autem caſus diverſimode poteſt accidere; Nam vel poteſt quis peccare peccato fictionis formalis, quæ habetur, quando cum prava intentione, & cum advertentia ad indignam ſuſceptionem baptiſmi vult illum recipere, & committere ſacrilegium; Vel poteſt quis peccare peccato fictionis materialis, quod etiam dupliciter haberi poteſt, vel quia in eo inſtanti invincibiliter oblitus peccatorum præteritorum indigne recipit Sacramentum Baptiſmi; vel quia in eo ipſo inſtanti committit peccatum, verbi gratia, odii, luxuriæ, furti, &c.

In primo caſu, quamvis multi doceant, peccatum illud deleri per baptiſmum, quando adveniente attritione reviviſcit; tamen communior opinio docet cum D. Thom., Scot., Vaſqu. eſſe materiam Sacramenti pœnitentiæ; quia peccatum illud formalis fictionis eſt poſterius natura ipſo baptiſmo: Et ratio eſt, quia non intelligitur tale peccatum opere completum, niſi per indignam ſuſceptionem Sacramenti baptiſmi, atque adeo habet pro objecto ipſum Sacramentum, & ſic eſt poſterius natura illo: unde per Sacramentum pœnitentiæ deleri poteſt. Et confirmatur, quia tale peccatum, utpote directe irrogans injuriam Sacramento Baptiſmi, non poteſt per illud deleri: ergo deleri debet per Sacramentum pœnitentiæ.

In ſecundo caſu, quando invincibiliter oblitus peccatorum præteritorum recipit indigne Sacramentum baptiſmi, communis opinio fert, ea peccata deleri per ſolum baptiſmum reviviſcentem per attritionem; ſicut per ſolum baptiſmum reviviſcentem remittitur in tali caſu peccatum originale. Et ratio eſt, quia ea peccata antecedunt ipſum baptiſmum, quamvis perſeverent uſque ad ſuſceptionem illius; ergo per baptiſmum unice deleri poſſunt.

In tertio caſu, quando peccatum odii, verbi gratia, vel luxuriæ, nec natura conſequitur, nec tempore antecedit ipſum baptiſmum, ſed illum comitatur, exiſtimo cum Lug. diſp. 16. ſect. 1. Laym., Con., & aliis, tale peccatum eſſe materiam neceſſariam Sacramenti pœnitentiæ. Et ratio eſt, quia tale peccatum eſt hominis Chriſtiani, erga quem poteſt Eccleſia judicium exercere: ergo ſubdendum eſt clavibus. Sicut enim peccatum contra caſtitatem, quod quis committeret in eo inſtanti, quo emittit Profeſſionem Religioſam, cupiendo, verbi gratia, Mæchiam, eſt ſacrilegium, & peccatum hominis Religioſi; ita peccatum commiſſum in inſtanti baptiſmi eſt peccatum hominis Chriſtiani. Et confirmatur, quia Eccleſia poteſt excommunicare, & punire eum, qui in inſtanti Baptiſmi peccatum aliquod commiſerit: ergo tale peccatum vere eſt hominis Chriſtiani ſubditi Eccleſiæ, atque adeo per Sacramentum pœnitentiæ deleri debet.

Dices: Ex Tridentino materia Sacramenti pœnitentiæ ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa: ergo excluduntur peccata commiſſa in inſtanti Baptiſmi.

Reſpondeo, Trident. ſeſſ. 4. cap. 6. aſſerere, ad Sacerdotes omnia mortalia crimina eſſe deferenda, in quæ Chriſtifideles ceciderunt.

Qua-

Quare quando in alio loco dicit, peccata post baptismum commissa esse materiam pœnitentiæ, excludit tantum peccata commissa ante baptismum: Sicut cum dicimus post solis ortum fugari tenebras, excludimus solum tempus antecedens, non vero tempus, in quo sol nascitur. Quod si verba Tridentini referantur ad sola peccata post Baptismum, loquitur de Baptismo digne suscepto secundum id, qaod regulariter accidit; in quo non datur peccatum fictionis. Hic autem adverte cum Suar., & Lug., difficultates hujusmodi esse potius speculativas, practice autem debere subdi clavibus peccata juxta primum, & secundum casum commissa; quia impossibile moraliter est discernere, utrum talia peccata in ipso instanti terminativo Baptismi duntaxat fuerint, & non continuata fuerint per aliquod tempus post Baptismum.

IV. Ex dictis habes, originale non tolli, quando suscipitur baptismus cum fictione, licet tunc imprimatur character Baptismalis; sed deleri, quando Baptismus reviviscit; hic autem reviviscit per attritionem subsequentem, quando peccata ante Baptismum commissa fuerunt obex gratiæ; quando vero fuerunt obex gratiæ peccata in ipso instanti baptismi commissa, reviviscit baptismus per contritionem subsequentem, vel per attritionem simul cum Sacramento pœnitentiæ; ita ut vi Sacramenti pœnitentiæ deleantur peccata in ipso instanti baptismi, & post baptismum commissa, vi vero baptismi reviviscentis deleatur originale, & peccata commissa ante Baptismum.

ARTICULUS II.

De Peccato dubio.

I. *Multifariam contingere potest peccatum esse dubium.*
II. *Probabiliter non tenetur subjicere clavibus peccatum, qui positive dubitat, an illud commiserit, per hoc quod probabile sit, illud non esse commissum.*
III. *Sicut etiam qui pariter positive dubitat, an peccatum certo commissum confessus sit.*
IV. *Cur per solutionem positive dubiam non satisfiat debito ex justitia; per confessionem vero positive dubiam fiat satis obligationi confitendi peccatum?*
V. *Num etiam id verum sit in mortis articulo?*
VI. *Communiter olim docebant, peccata negative dubia subjicienda esse clavibus.*
VII. *Sed plurimi probabiliter oppositum docent.*
VIII. *In quonam sensu Doctores antiqui sumebant peccatum negative dubium, quod censebant clavibus subjiciendum esse?*
IX. *Certus de peccato commisso, & negative dubius, an illud confessus sit, tenetur illud confiteri.*
X. *Num peccatum negative dubium sit materia sufficiens confessionis, quando illud non est commissum?*

I. Dubium multipliciter accidere potest. Primo potest quis dubitare irrationabiliter, an peccatum commiserit, vel an peccatum commissum confessus fuerit, ut passim solent scrupulosi, qui sæpe ob nullam, vel leves rationes sunt anxii, & ancipites; & hujusmodi dubia omnino contemnenda sunt; aliter essemus miserrimi, si juxta normam rationum levium actiones nostras instituere deberemus. Secundo, quis potest dubitare negative, sed ita ut pro neutra parte habeat rationes probabiles, quod dubium dicitur ignorantiæ; ut cum dubitamus, an astra sint paria, & hujusmodi pariter peccata sic dubia nullatenus esse materiam necessariam confessionis est omnino certum; quia hujusmodi dubium non est proprie dubium, sed ignorantia; quis autem dixerit, eum, qui ignorat se peccasse, teneri ad confessionem? Quod si certi simus de peccato, & dubii hoc pacto negative, an illud confessi simus, certe tenemur illud confiteri; quia ignorans solutionem debiti certi tenetur ad illam. Tertio, potest quis dubitare negative dubio non ignorantiæ, sed suspensionis, eo quod ita habeat rationes dubitandi, ut tamen determinari non possit ad judicium ferendum pro altera parte; unde remanet absolute dubius, & suspensus, & circa hoc genus dubii versatur maxime præsens difficultas. Quarto potest quis dubitare positive, idque, ut notat Suarez hic disp. 27. sect. 9., vel ita ut habeat probabilem rationem ad assentiendum uni parti, de altera vero judicium probabile non habeat, sed tantum suspicionem aliquam, seu formidinem; Vel ita ut pro utraque parte habeat rationes probabiles, quamvis in alteram partem cum majori probabilitate inclinet: Et hoc dubium positivum, ut bene notat Tambur., improprie vocatur dubium, cum sit judicium probabile, & ideo appellari solet dubium opinionis. His explicatis,

II. Quæritur primo, utrum qui positive dubitat, an peccatum commiserit, ita ut rationes probabiles habeat, quod non peccaverit, quamvis æque probabiles, imo forte probabiliores habeat rationes, quod peccaverit, teneatur peccatum illud confiteri?

Respondeo cum communi Doctorum negative. Ratio est, quia opinio probabilis est satis ad regulandas actiones humanas; cum raro possimus assequi certam scientiam de rebus. Et sane si pœnitens dicat confessario, se habere judicium probabile, quod non peccaverit in aliquo casu determinato, & velle sequi illud, confessor debet conformari judicio probabili pœnitentis; ergo a fortiori

poterit pœnitens juxta tale judicium probabile omittere confessionem illius peccati dubii.

Idem dicas de eo, qui certo scit, se aliquam actionem, puta homicidium, commisisse; habet tamen rationes probabile ad judicandum, quod non commiserit cum advertentia. Addit Sanch., idem dicendum, quando sunt opiniones utrinque probabiles, an aliquæ circumstantiæ sint confitendæ: Et idem etiam relate ad reservationem dicas, quando sunt opiniones utrinque probabiles, an peccatum sit reservatum.

III. Quæritur secundo, an qui certus est de peccato mortali commisso, dubitat tamen positive, an illud confessus fuerit, ita ut habeat rationem probabilem, quod confessus fuerit, & probabiles etiam, imo probabiliores rationes habeat, quod non fuerit confessus, teneatur illud confiteri.

Respondeo pariter negative cum communi Doctorum, quos citat Martinus Perez contra Con. dis. 7. apud Dian. part. 3. tract. 1. resol. 1. Ratio est eadem, quia judicium probabile satis est ad regulandas actiones humanas. Et confirmatur a Lugo, quia in aliis etiam præceptis, ubi obligatio est certa, v. g., audiendi sacrum, recitandi officium, jejunandi, &c., satisfacit obligationi, qui nititur rationi probabili in exequendis his oneribus: ergo etiam per opinionem probabilem satisfit certæ obligationi confessionis in casu nostro. Adde, qui confitetur confessario habenti jurisdictionem probabiliter, nihil frequentius apud Theologos, quam illum excusari a reiteranda confessione; & qui docent, probabile esse dari Sacramentum validum, & informe, docent pariter illa peccata non esse iterum confitenda: ergo per opinionem probabilem satisfieri potest certe obligationi confessionis. (*a*).

„ P. Concina T. IX. p. 327. ait P. Vivam „ imponere dupliciter lectoribus, dum ait, „ suam opinionem communiter Doctores defen- „ dere. *Primo*, *inquit*, *quia etiamsi omnes* „ *Probabilistæ eam docerent*, *hi non constituunt* „ *communitatem Doctorum*. Papæ! præclaram „ animadversionem, & Concina dignam! *Se-* „ *cundo*, *quia vel ipsi Doctores probabilistæ com-* „ *muniter oppositum docent*. Id vero est solem- „ niter imponere, atque mentiri. Sufficiat le- „ ctores amandare ad Moyam, La-Croix, & „ Caramuelem num. 1885. qui Auctores citant „ magno numero pro hac sententia, eosque „ gravissimos, atque doctissimos, quorum sin- „ guli millenos æquant Concinas, ejusque si- „ miles. Satis sit citare eximium Suarez, quem „ tamen cum Salmanticensibus (si recte illorum „ verba adfert) pro adversa sententia appellat „ Concina. Hinc etiam videbis, qua impuden- „ tia non semel negatum fuerit ab eodem Con- „ cina, Suarium Probabilistis esse adcensen- „ dum. Audiamus illum *T. IV. in 3. p. disp.* „ *22. sect. IX. num. 6. Assero quoties homo* „ *judicat probabiliter*, *se non peccasse mortali-* „ *ter*, *vel jam esse confessum tale peccatum*, *etiamsi* „ *in contrarium habeat conjecturas etiam pro-* „ *babiles*, *posse conformari priori judicio*, *ut* „ *non teneatur tale peccatum confiteri*. *Ita do-* „ *cuit in terminis Sylvester* (*Dominicanus*). „ *Ratio vero est*, *quia homo in rebus practicis* „ *potest sequi opinionem probabilem*, NON OB- „ STANTE (arrige aures Concina, & pu- „ deat & ignorantiæ ne tuæ? an malitiæ? qua „ ausus es inficiari, Suarium non fuisse Pro- „ babilistam) *Contraria probabili*, VEL E- „ TIAM PROBABILIORI, *quando in re-* „ *bus ipsis imminet aliquod periculum*. At, in- „ quit cum Salmanticensibus Concina, *vel i-* „ *pse* Caramuel, *qui in his rebus censetur aliis* „ *laxior*, *aut liberior*, *cum scivisset quosdam* „ *Jesuitas Viennæ defendisse thesim*, quam Vi- „ va defendit, *& Caramuelem pro se allegas-* „ *se*, *renuit palam*, *se excusavit &c.* Utrum „ revera hæc dicant Salmanticenses ignoro; præ- „ sto enim mihi illi non sunt, ut eos consu- „ lam. Caramuel certe perperam citatur. „ Nam ille *num.* 1885. *defendit*, *peccata pro-* „ *babilia neminem teneri confiteri* (quod unum „ Viva ait); deinde num. 1888. ait dubium „ positivum non esse confundendum cum pro- „ babilitate (uti confunditur ab Johanne San- „ chez, & hic a Viva); tum *num.* 1894. *ait*: „ *si dubium*, *hoc est* (notetur) *ratio levis se-* „ *quatur*, *aut comitetur certitudinem commis-* „ *sionis peccati gravis*, *aut certitudinem non* „ *confessionis*, *teneris confiteri*, *&* (nota iterum) „ *si Hoc* (non quod ait Viva) *sit confiteri* „ *peccata dubia*, *tam est certum te debere con-* „ *fiteri peccata* HÆC *dubia*, *ut contrarium sit* „ *omnino improbabile*. Venio ad Theses Viennen- „ ses, quas citat Caramuel p. 555. *seq. edit.* „ *Lugdun. Controvertitur*, *inquiunt*, *an si quis* „ *certus*, *quod peccaverit mortaliter*, *dubitet* „ NEGATIVE, *se tale peccatum esse confes-* „ *sum*, *eo ipso liber sit ab ejus confessione*. „ Nota; Theses loquuntur de dubio *negati-* „ *vo*, de quo infra Viva; non de *positivo*, „ de quo heic; quid ergo ad rem, etsi Cara- „ muel negasset, se ita sensisse? Sed pergamus. „ *Caramuelem citant*. At Caramuel respondet, „ se aliter philosophari de peccato dubio, & „ aliter de certo. Verum ibidem dolet Cara- „ muel, ab Auctoribus thesium *male confun-* „ *di dubium cum probabilitate*. Igitur, ut rem „ colligam, primo Viva loquitur de dubio „ positivo, Theses de dubio negativo; secun- „ do Viva loquitur ita de dubio positivo, „ ut cum illo probabilitatem heic confun- „ dat; Caramuel de dubio affirmativam sen- „ tentiam tuetur, sed nomine dubii *levem ra-* „ *tionem* intelligit, sin autem probabilitatem

„ in-

„ intellexeris, defendit non esse confitenda „ peccata prohibita. Ergo non opponitur Vi- „ væ Caramuel.

IV. Dices cum Con. qui scit, se debere centum, non satisfacit per solutionem probabilem; quia debito certo debet respondere solutio certa, non vero incerta, sicut est solutio probabilis; ergo obligationi certæ confitendi peccatum commissum non potest satisfieri per confessionem positive dubiam, seu probabilem.

Respondeo cum Lugo disp. 16. sect. 2. num. 60. distinguo antecedens: Si quis scit, se debere centum ex justitia commutativa, puta ex contractu oneroso, vel ex injusta ablatione, vel demum ex re accepta, non satisfacit per solutionem probabilem, & incertam, concedo: si quis scit, se debere centum ex liberali promissione, vel ex præcepto superioris, vel confessarii, vel ex voto, non satisfacit per solutionem probabilem, nego antecedens, & consequentiam. Sicut enim qui ex voto tenetur jejunare, satisfacit voto jejunando juxta opinionem probabilem; ita in casu nostro: & ratio a priori est, quia quæ debentur ex justitia, exigunt æqualitatem, & ideo debito certo ex justitia respondere debet solutio certa; quæ vero debentur ex obedientia, aut ex voto, aut ex promissione, satis est, quod juxta opinionem probabilem solvantur, ne conscientia anxietatibus, & scrupulis turbetur. Unde dicendum, quod sicuti in reliquis præceptis, ita in præcepto confessionis satis est, quod juxta opinionem probabilem satisfiat. Ratio autem hujus discriminis est, quia homines non censentur remittere jus debiti onerosi, seu debiti ex justitia, nisi posita sit perfecta æqualitas. At Deus ex summa sua benignitate ad legum impletionem non plus exigit, quam quod prudenter judicare possimus, quod legem implevimus; alioquin innumeris anxietatibus, & molestiis essemus expositi, quia facile obliviscimur ea, quæ fecimus. Denique, ut notat Bardi, ratio discriminis in casu nostro est, quia justitia commutativa ordinatur in bonum creditoris; Sacramentum vero, sicut & reliqua præcepta ordinantur in bonum debitoris, & subditi: nihil ergo mirum, si debito ex justitia certo requiratur solutio certa; debito vero confessionis satisfiat per solutionem probabilem, aliter Sacramentum pœnitentiæ esset odiosum, & non utile pœnitentibus.

V. Advertendum tamen cum Sanch. Henriq. & aliis, in articulo mortis ex charitate, quam quis debet erga se ipsum exercere, teneri homines adhibere remedium certum pro peccato probabiliter tantum confesso, ne se exponant periculo damnationis. Unde in tali articulo tum qui putat probabiliter se peccasse, & probabiliter etiam putat se non peccasse; tum etiam qui sciens, se peccasse, probabiles habeat rationes, quod sit confessus, tenetur vel conteri, vel Sacramentum pœnitentiæ suscipere, quamvis non teneatur aperire peccatum illud dubium, quia si revera peccatum dubium commissum est, indirecte absolvitur; non secus ac peccata oblita: Unde sequitur, quod si sciat se Sacramentum pœnitentiæ suscepisse post tale peccatum dubium, ne in articulo quidem mortis ad contritionem, vel Sacramentum pœnitentiæ iterandum teneatur; quia adhibuit jam remedium certum, quod est Sacramentum pœnitentiæ, in quo revelavit peccata certa, & abstinuit a revelando peccato dubio, eo quod juxta probabilem opinionem poterat abstinere, quin proinde fuerit incertus valor Samenti.

VI. Quæritur tertio, qui dubitat negative, an peccaverit, non dubio ignorantiæ, sicut qui dubitat, an astra sint paria; sed dubio suspensionis, quia ita rationes habet hinc inde, ut non possit intellectus determinari prudenter ad dicendum, quod non peccaverit, sed remanet suspensus, teneturne peccatum hujusmodi dubium confiteri?

Respondeo, fere communissimam antiquorum Doctorum sententiam fuisse, quod teneatur homo peccata negative dubia clavibus subjicere. Et Thomas Sanchez id omnino certum reputat lib. 1. opusculorum moralium cap. 10. nixus in eo, quod Christus Dominus obligaverit nos ad hujusmodi peccata dubia confitenda. Eruit autem hoc, primo ex praxi, & usu totius Ecclesiæ, cujus initium non agnoscitur, & creditur ab ipsis Apostolis emanasse: Secundo, quia hoc Sacramentum institutum est ad delenda peccata, quæ prius ante legem gratiæ delenda erant per contritionem: atqui habens hujusmodi peccata dubia ante legem gratiæ tenebatur non solum in articulo mortis, sed etiam in vita ad contritionem, ut est omnino indubitatum: ergo nos etiam post legem gratiæ tenemur hujusmodi peccata dubia confiteri. Et sane Christus Dominus per illa verba, *Quorum remiseritis, &c.* instituit Sacerdotes vicarios Dei in ordine ad delenda peccata: ergo omnia ea peccata, quæ tenebantur peccatores deferre ad Deum ipsum immediate per contritionem, tenentur nunc deferre ad tribunal vicariorum Dei, per quos unice peccata dimittuntur: atqui ad Deum tenebantur tunc temporis deferre per contritionem peccata mortalia tum certa, tum dubia; imo nunc etiam, quando non est copia confessarii, & urget necessitas ponendi se in statu gratiæ, verbi gratia, ad administrandum, vel

reci-

recipiendum aliquod Sacramentum: ergo etiam ad vicarios Dei sunt deferenda peccata mortalia, tum certa, tum dubia in Sacramento pœnitentiæ ad eorum remissionem obtinendam: Nullum enim peccatum in præsenti ordine remittitur, nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re, aut in voto susceptum: Ad Sacramentum autem pœnitentiæ peccata, ut remittantur, deferenda sunt, prout sunt in conscientia: ergo, ut peccata dubia remittantur, revelanda sunt.

Opponi solet primo adversus hanc sententiam, quod lex dubia non obliget; quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo non tenemur confiteri peccata dubia.

Ad quod respondent, qui illam propugnant, concesso antecedente, negandam esse consequentiam: aliud enim est peccatum esse dubium, aliud vero legem de confitendo peccato dubio esse dubiam: primum est verum: secundum putant esse falsum, quod constare videtur ex praxi Ecclesiæ; quare sicut certo tenemur conteri de peccatis dubiis, ita certo tenemur ea confiteri.

Opponi solet secundo; Quando dubitamus de furto commisso, non tenemur restituere: ergo quando dubitamus de peccato commisso, non tenemur illud confiteri, quia non debet dari pœna certa pro delicto incerto.

Sed respondent recurrendo semper ad instantiam de contritione, ad quam certe tenemur, licet peccatum sit dubium. Deinde respondent cum Moya, circa leges positivas non valere argumentum a pari. Non enim quia in dubio homicidii certa est irregularitas, ideo in dubio aliorum criminum certa etiam irregularitas incurritur; nam solum in dubio homicidii ea pœna certa taxata est jure positivo; ita pariter non quia lex confessionis obligat confiteri peccata dubia, ideo etiam lex restitutionis obligat restituere, quando furtum est dubium.

Opponi solet tertio, Tridentinum exigere, ut ea tantum peccata pœnitentes confiteantur, quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerint, & quorum habent conscientiam; atqui dubitans de peccato non meminit, se Deum offendisse, nec habet illius peccati conscientiam; siquidem conscientia est, quasi cordis scientia, ut loquitur Bernard. lib. 8. de conscientia: ergo dubitans de peccato non tenetur illud confiteri.

Respondent autem primo cum de Lugo, Tridentinum tantum stabilivisse ea, quæ controversa erant cum hæreticis, relinquendo ut certa ea, quæ ut certa habebantur juxta praxim Ecclesiæ, sicut est confessio peccati dubii. Sic, exempli gratia, Tridentinum sess. 13. cap. 7. definit, ante communionem debere unumquemque ex Apostoli præcepto probare se ipsum confessione, quantumvis sibi videatur contritus: non definit autem, quod qui in confessione oblitus est aliquod mortale, teneatur interim ante communionem illud confiteri, quamvis sit indirecte absolutus; & tamen quia Ecclesiæ consuetudo fert, ut peccatum illud oblitum ante communionem subjiciatur clavibus, ideo communiter Doctores cum Castro Palao, Dian. & aliis invehuntur contra nonnullos censentes, probabile esse, non teneri nos iterum confiteri ante communionem peccatum illud oblitum; cum hoc contradicat praxi Ecclesiæ.

Respondent secundo, etiam ex Trident. colligi obligationem confitendi peccata dubia. Nam sess. 13. cap. 5. ait, Christum Dominum reliquisse Sacerdotes sui vicarios, tanquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur; atqui Judicibus deferuntur etiam delicta dubia, ut ab iis, si forte commissa sint, habeatur absolutio: ergo. Deinde Trid. addit, Sacerdotes esse medicos, qui curant vulnera, si ab ægroto detegantur: atqui ab ægroto vulnera etiam dubia Medico deteguntur, ut si forte sint, curentur. Demum Trident. dicit, tantum venialia posse citra culpam omitti in confessione: ergo non possunt omitti peccata mortalia dubia. Dicit etiam Trident. reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt memoriæ, eadem confessione inclusa esse intelligi: atqui peccata dubia occurrunt aliquatenus memoriæ: ergo peccata oblita tantum, & non dubia intelliguntur inclusa in confessione: unde peccata dubia confitenda sunt.

Ad auctoritatem in contrarium adductam respondent, Tridentinum exigere tantum confessionem peccatorum, quibus meminerit pœnitens se mortaliter Deum offendisse, quin per hoc excludat peccata dubia; quia etiam peccatorum dubiorum habemus memoriam, non quidem certam, sed dubiam; imo etiam peccata dubia dici possunt esse in conscientia; licet non in scientia; nam conscientia communiter a Doctoribus dividitur in certam, probabilem, dubiam, & erroneam, ut proinde etiam dubius de mortali dicatur habere conscientiæ remorsus, ita ut non possit cum Apostolo dicere: *Nihil mihi conscius sum*. Unde Reverendissimus Candidus Magister Sacri Palatii, ut testatur Dian. part. 9. tract. 3. resol. 6. non permisit imprimi eam opinionem, quæ dicebat peccati dubii confessionem non esse communioni præmittendam. Quod si peccati dubii confessio est præmittenda communioni ex praxi Ecclesiæ, consequenter peccatum dubium est materia necessaria confessionis.

Opponi solet ultimo, praxim hanc Ecclesiæ esse timoratorum, qui sicut libere confitentur venialia, ita libere confitentur peccata dubia: Quod si putent, ex obligatione id fieri, errant,

rant, cum a multis Doctoribus, quos citat Caramuel, hæc obligatio negetur.

Ad hoc respondent, quod ubi agitur de obligatione alicujus consuetudinis; videndum sit primo, quid communissime censent Doctores; cum autem Doctores ferme omnes usque ad præteritum sæculum asseruerint, consuetudinem hanc confitendi mortalia dubia esse obligatoriam, non est recedendum a communi sententia per hoc, quod aliqui contrariam sententiam tueantur, ut suæ libertati, & commodo consulant. Nonne multi cum Joanne Sanch. negabant esse obligatoria praxim pœnitentium respondendi confessario interroganti consuetudinem peccati? Et tamen hanc Ecclesiæ praxim esse juxta obligationem a Christo Domino impositam, definivit jam Innoc. XI. damnando thesim quinquagesimam octavam. Nonne multi ante Trident. negabant, esse obligatoriam consuetudinem præmittendi communioni confessionem mortalium, dicentes satis esse contritionem; sicut satis est ad administrationem, & susceptionem reliquorum Sacramentorum? Et tamen hoc damnatum est a Trid. sess. 13. cap. 7. Nonne innumeri negabant consuetudinem abstinendi a lacticiniis, &c. in quadragesima esse obligatoriam? Et tamen Alexander VII. proscribendo thesim trigesimam secundam definit esse obligatoriam.

Deinde, ut dignoscatur, Utrum consuetudo aliqua obliget? videndum, an ea constanter observetur ab omnibus, etiamsi difficilis sit, & an timoratis scandalum pariat ejus inobservantia? Quod cum in confessione peccati dubii reperiatur, videtur dicendum, consuetudinem confitendi peccata dubia esse ex obligatione a Christo Domino imposita. Hac de causa P. Matthæus Moya nostræ Societatis, qui fuit a confessionibus Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ, in selectis quæstionibus de Sacramento pœnitentiæ, postquam asseruerit, opinionem se contrariam per triginta annos etiam in scholis docuisse, disp. 1. quæst. 5. hæc habet: Nihilominus re maturius considerata, standum censeo pro contraria, & communi sententia asserente obligationem peccati dubii; ad quam hoc uno efficaci argumento ducor, quia Sacramentum pœnitentiæ institui potuit a Christo Domino cum hac obligatione. Quod autem ita instituerit, suadet communior catholicorum sensus, & traditio a tempore Apostolorum usque ad nostra continuata, ratione cujus velut inconcussum dogma præceptum confitendi peccata dubia, æque ac certa, non tam probarunt, quam supposuerunt Doctores. Ut enim ait August. lib. 4. contra Donatistas: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Hactenus Moya. His adde Leandrum, ac Tamburinum ipsum, quamvis pronos in opiniones benigniores, (ut notat Dian. part. 10. tract. 12. resol. 2. pronissimus & ipse in easdem) non audere negare obligationem hanc ex praxi Ecclesiæ declaratam: Advertitque Tambur. lib. 2. Meth. Confess. cap. 1. §. 4. a Laym. Præposito, Dian. De Lugo omnia alia argumenta obligationem hanc suadentia erudite solvi: Deinde tamen eandem obligationem ab iis asseri unice ex praxi Ecclesiæ, & consensu Doctorum, qui negari nullo pacto potest.

VII. His tamen non obstantibus, puto probabilem esse, ac tutam opinionem contrariam asserentem peccata dubia negative non esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, quam sequuntur plurimi Auctores apud Mendo, & Dianam, & alios, videlicet D. Antoninus, Tabien. Palud. Henriq. Marchant. Joan. Sanch. Con. disp. 7. dub. 8. & alii, quos usque ad viginti duos numerat Caramuel lib. 3. Moralis Theologiæ disp. 4. Quibus adde Lessium, Sa, Laym. Præposit. Amicum, Leand. Haunoldum de Pœnitentia cap. 8. necnon Ferrantinum disp. 1. de Scandalo quæst. 77. ubi citat Revisores Societatis Jesu sentientes posse nunc in scholis nostris hanc sententiam permitti, quam aperte, & ex professo Con. Marchant. Joseph de Januario, Martinonius, & alii multi scriptores judicant probabilem; quamvis olim secundum nostras regulas permitti non poterat; cum vix reperiretur unus scriptor, qui illam aperte tueretur, ut iidem Revisores apud Tambur. testantur: Nunc tamen, ut notat Dian. loc. laud. in dies magis radices agit.

Ratio autem, quæ probabilem eam reddit, præter auctoritatem extrinsecam, est, quia lex dubia non obligat: quod autem praxis, & consuetudo Ecclesiæ ea sit, ut certos nos reddat de lege a Christo Domino instituta confitendi peccata dubia, tot, ac tanti Doctores omnino negant: ergo cum non simus de hac lege certi, consequens est, quod illa non obligemur. Verum quidem est, posse aliquando praxim Ecclesiæ esse talem, ut ex ea certo dignoscatur lex a Christo Domino instituta; sicut est praxis confitendi mortalia ante susceptionem Eucharistiæ: At quod ita de facto sit praxis Ecclesiæ in casu nostro, nec hactenus definitum est, nec consensus Doctorum nunc est talis, ut non relinquat nos dubios de tali lege: ergo ea lege non obligamur; quia lex dubia non obligat, & in dubiis melior est conditio possidentis; nec debet quis certo condemnari, aut cogi pati sententiam certam confessionis, tantumque onus subire, quantum est naturæ hominum fragili ipsa obligatio confessionis, quando culpa est dubia.

Con-

Confirmatur; quia quando quis dubitat, an peccatum sit reservatum, non tenetur adire Superiorem pro absolutione; eo enim ipso non est reservatum; quia possessio stat pro pœnitente: ergo pariter dubius de peccato non tenetur adire Sacerdotem pro absolutione. Antecedens, quamvis ab aliquibus negetur, communissime tamen admittitur; sive dubium sit juris, verbi gratia, an abortus sit reservatus; sive dubium sit facti, verbi gratia, ab abortus fuerit animatus.

VIII. Neque dicas, praxim Ecclesiæ, & consensum Doctorum per sexdecim sæcula uniformiter existimantium institutum esse a Christo Domino Sacramentum pœnitentiæ cum obligatione confitendi peccata dubia, reddere nos certos de tali lege, & institutione.

Nam quamvis verum sit, quod usque ad præteritum sæculum vix unus auctor reperiatur, qui aperte nos deobliget a confitendis peccatis negative dubiis; at non inde id ortum est, quia in sententiam obligantem omnes Scriptores calamo iverint, sed quia ab ea quæstione abstinuerunt; cum autem nunc in terminis agitetur, & plurimi sententiam deobligantem sequantur, hæc reddita est probabilis.

Adde, antiquos ipsos Auctores, qui diserte quæstionem hanc instituerunt, (ut sunt Palud. D. Antoninus, Tabien. apud Henr. de Euchar. quæst. 45. in Glossa lit. P.) negasse hanc obligationem confitendi peccata negative dubia; & solum hanc obligationem agnovisse relate ad peccata in eo sensu dubia, quatenus non certo, sed probabiliter sunt commissa, quin detur probabilitas, quod non sint commissa. Hæc profecto subjicienda esse clavibus, non est ambigendum; quia in humanis actionibus talis probabilitas est quædam moralis certitudo. Hinc tenemur, verbi gratia, colere tanquam Genitorem Petrum, quamvis non habeatur de hoc nisi consimilis moralis certitudo, quod scilicet rationes prudentes id suadent, quin detur probabilitas ulla in contrarium. In hoc itaque casu peccata dubia confitenda sunt; non vero peccata negative dubia.

Neque quicquam evincit argumentum adductum a Thoma Sanchez de contritione, ad quam certo obligamur pro delictis dubiis.

Nam etiam pro delictis dubiis positive obligamur ad contritionem, saltem in articulo mortis, & tamen non inde infertur, quod peccata positive dubia, seu a quibus per probabiles rationes excusamur, debeamus confiteri: ergo idem dicendum de peccatis dubiis negative: Tenemur enim de illis conteri, ut, si forte sint, deleantur, nec exponamur periculo damnationis æternæ; (sicut etiam tenemur conteri de oblitis, si quæ sint) non tenemur autem peccata dubia confiteri; quia de ea lege, ac Christi Domini institutione certi non sumus.

Hinc sequitur, certum de peccato, sed dubium negative, num peccatum commissum fuerit veniale, an mortale? cum plena advertentia, an non? probabiliter non teneri ad confessionem. (a)

„ (a) Et heic Concina T. IX. p. 330. tragœdias excitat contra P. Vivam; at non clamoribus, sed rationibus agendum Theologo fuerat. Mihi tamen, vere ut dicam, multo probabilior videtur opposita sententia. Confer etiam La-Croix lib. 6. p. 2. num. 610. & Zuccherium in *decision. Patav.* an. 1707. p. 31.

IX. Quæritur quarto, an qui certus de peccato commisso dubitat negative, an illud confessus sit, teneatur ad confessionem?

Respondeo, procul dubio teneri, quia possessio in tali casu non stat pro libertate pœnitentis, sed pro præcepto confessionis. Quare sicut qui negative dubitat, an audierit Sacrum, recitarit officium, ad quod tenetur, obligatur audire, ac recitare, nisi per probabiles rationes excusetur; in quo casu dubium non esset negativum, sed positivum: ita in casu nostro. Ratio doctrinæ communis est, quia solutio certi probari debet a debitore, ut eximatur ab obligatione solvendi; non enim præsumitur solutio, nisi probetur, ex *l. quinquaginta ff. de probat.* Atqui pœnitens dum dubitat de confessione, non potest probare se solvisse debitum: ergo manet obligatus.

Imo addo cum Tambur. in Meth. Confess. cap. 3. §. 3. quod si habeas rationes probabiles tantum, & certas, quod peccaveris, sed nullam rationem probabilem habeas judicandi non peccasse, aut te esse confessum, (quod est dubitare negative de confessione) tenearis pariter ad confessionem, quia possessio stat pro præcepto confessionis.

X. Quæritur quinto, Utrum peccatum mortale dubium sit materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ?

Respondeo, huic quæsito fieri satis in articulo quarto, ubi de peccato putato, cum eadem sit ratio utriusque.

ARTICULUS III.

De peccato, quod fuit expositum, ut dubium, & deinde deprehenditur certum.

I. Negant plures Doctores peccatum expositum in confessione ut dubium debere iterum subjici clavibus, si deprehendatur ut certum.

II. Sicut qui confitetur decies circiter peccasse, si deprehendas peccasse undecies, non debet iterum confiteri peccatum undecimum.

III. In praxi tamen opposita sententia videtur amplectenda.

IV. Diversum quippe formatur judicium de peccato dubio, ac de certo.

V. Plu-

V. Plura notantur pro Scrupulosis circa peccata dubia.

VI. Qui fatetur decies circiter peccasse, per ly circiter universim quinam numerus denotetur.

I. QUæritur, an qui confitetur peccatum mortale ut dubium, si deinde deprehendat certo peccasse, teneatur iterum peccatum illud confiteri ut certum?

Plurimi recentiores cum Leandro Bressero, Arriaga, Jo: Marin. Tambur. Caramuele, & aliis negant; quod speculative probabile censet de Lugo. Ratio est, quia tale peccatum fuit directe absolutum, quamvis sub conditione implicita, si scilicet revera sit commissum. Sicut enim in judicio forensi, qui habuit sententiam absolutoriam, non quidem interloquutoriam, sed definitivam de crimine dubio, non potest amplius in judicium propter tale crimen deduci; ita pariter in judicio Sacramentali, in quo datur absolutio definitiva de peccatis dubiis, non videtur requiri nova absolutio, si peccatum deinde deprehendatur certum.

II. Confirmant primo, quia si quis confessus sit numerum peccatorum sub dubio, dicendo, verbi gratia, peccavi decies circiter blasphemando, quod est sub dubio confiteri undecimam, vel duodecimam blasphemiam; si deinde deprehendat vere duodecies blasphemasse, non tenetur iterum certum numerum in confessione aperire, cum hæc sit praxis fidelium: ergo pariter quando dubium non est circa numerum peccatorum, sed circa substantiam peccati, si peccatum sit confessum ut dubium, & deinde deprehendatur certum, non proinde debet iterum subjici clavibus.

Confirmant secundo; quia si quis ad cautelam obtineat absolutionem, vel dispensationem super censura, aut irregularitate dubia, non indiget nova absolutione, vel dispensatione, si deprehendat, se illam certo incurrisse: Et idem dicas, si Episcopus dispenset super voto dubio castitatis juxta communissimam sententiam: ergo idem dicendum in casu nostro. Et ratio a priori videtur esse, quia absolutio datur in his casibus sub conditione, quod vincula adsint: ergo cum revera adsint, remanent omnino absoluta.

Dicunt consequenter hi Doctores, quod quando quis integre confitetur peccatum suum, dubitans tamen sitne mortale, an veniale, de quo etiam confessarius dubitet, si post absolutionem deprehendatur fuisse mortale, non sit opus nova confessione; cum directe sit absolutum peccatum illud, quodcumque sit, integre confessum.

Dicunt præterea, si quis confiteatur peccatum reservatum dubium, non solum posse absolvi a quolibet confessario; (cum enim reservatio sit odiosa, & consequenter restringenda, non cadit nisi in peccata certa) sed nec fore opus nova confessione apud superiorem, si deinde peccatum deprehendatur certo reservatum; quia scilicet fuit directe absolutum a confessario, qui tunc habebat jurisdictionem, & potestatem debitam, quando manifestatum fuit ut dubie reservatum.

Neque dicas cum Martino Perez: Qui confitetur peccatum, verbi gratia, fornicationis, dubitans, an commissum sit cum conjugata; si deinde deprehendat, commissum esse cum coniugata, debet iterum aperire speciem illam peccati; ergo pariter peccatum quoad substantiam, vel quoad numerum confessum ut dubium, debet iterum subjici clavibus, quando deprehenditur certum. Et ratio a priori est, quia diversum est judicium, quod formatur a Confessario de pœnitente, si sub dubio, ac si certo confiteatur, se deliquisse.

Respondent tamen Recentiores laudati distinguendo antecedens; si quis confessus est peccatum fornicationis, dicendo, se dubitare, an fuerit cum conjugata, negant antecedens; si tantum confessus sit peccatum fornicationis, & deinde deprehendat novam illam speciem malitiæ, quam ne sub dubio quidem in prima confessione manifestaverat, concedunt antecedens; negantque consequentiam. Et sane sicut dicunt, quod qui fatetur sub dubio fornicationem, non tenetur iterum illam confiteri, quando de illa certificatur; ita pariter asserunt, quod qui fatetur peccatum fornicationis sub dubio de circumstantia adulterii, si deinde certificetur, quod fornicatio fuerit cum conjugata, non tenetur iterum adulterium explicare.

Ad rationem a priori respondent, judicium, quod a confessario formatur de pœnitente fatente peccatum dubium, esse quidem diversum, ac si fateatur peccatum certum, non tamen esse notabiliter diversum: Ad eum modum quo diversum est judicium, si pœnitens fateatur circumstantias aggravantes, ac si illas taceat, non est tamen notabiliter diversum, sicut si taceret circumstantias mutantes speciem; & ideo sicut probabiliter possunt reticeri circumstantiæ aggravantes, ita pariter probabiliter satisfit præcepto confessionis confitendo peccatum dubium; etiamsi deinde, quando deprehenditur certum, non iterum subjiciatur clavibus.

III. His tamen non refragantibus, censeo cum Lugo in praxi amplectendam esse sententiam affirmativam Thomæ Sanchez, Turrian. & aliorum cum Perez, qui dicit esse communem, scilicet teneri pœnitentem confiteri iterum peccatum confessum ut dubium, quando deprehenditur certum. Ratio est, quia sententia nega-

tiva, quam sequebatur Pater Pellizarius tract. 5. cap. 3. num. 56. quamvis non sit damnata, nihilominus ab eo Codice est expurgata a Sacra Indicis Congregatione, quæ non vult illam tolerare; quare in praxi ab ea abstinendum. Ratio autem a priori est, tum quia judicium notabiliter diversum formatur de peccato dubio, ac de certo; tum etiam, quia si ab initio constaret peccatum illud ut certum, deberet ut certum explicari: ergo cum obligatio ista cessarit per accidens, scilicet ratione ignorantiæ, seu dubii, recedente impedimento dubii, vel ignorantiæ, consurgit obligatio confitendi peccatum illud ut certum, quæ prius per accidens fuerat impedita.

Neque dicas, quod sic teneremur bis confiteri idem peccatum.

Nam hoc esset per accidens; eo prorsus pacto quo qui oblitus est circumstantiæ mutantis speciem, nec potest deinde explicare in nova confessione circumstantiam illam, nisi confitendo iterum peccatum præteritum, tenetur per accidens bis confiteri illud peccatum.

IV. Ad celebrem illam paritatem Cardinalis de Lugo respondet Perez, quod qui confessus est, se decies circiter blasphemasse, si habuerit dubium negativum de undecima blasphemia, tenetur pariter iterum illam confiteri, quando certe deprehendit undecies blasphemasse. Verum quia communis sententia Suarii, & aliorum tenet oppositum, ideo assignari potest disparitas; dicendo, quod quando dubium est de numero peccatorum, judicium non est notabiliter diversum; quia diversitas est secundum magis, & minus, ut in circumstantiis aggravantibus. At quando dubium est de ipso peccato, judicium est notabiliter diversum; quia diversitas est circa substantiam rei, & dubium est, sitne pœnitens peccator, an non, in tali specie peccati, ut dicemus de circumstantiis mutantibus speciem.

Ad secundam confirmationem, transmisso, quod absolutus a censura reservata dubia non teneatur adire superiorem, quando deprehenditur certa, (quod multi negant) paritas est nulla; quia reservatio cum sit odiosa tollens potestatem absolvendi, stricte interpretanda est, unde non est censenda amplius reservata censura illa: Contra vero, lex confessionis non est ablatio, sed communicatio potestatis facta a Christo Domino Sacerdotibus: quare cum ex praxi Ecclesiæ habeatur voluisse Christum Dominum absolvi peccatum, si manifestetur, prout est in conscientia, quando dubium, ut dubium, & quando deinde certum, ut certum, dicendum, quod teneamur iterum illud confiteri, quando deprehenditur certum.

V. In calce hujus articuli ad quietem scrupulosorum, & timoratorum nonnulla adverte ex Perez, Tambur. & aliis. Et primo quidem multos decipi in eo, quod putent se dubios esse, si non recordentur in particulari Confessionis factæ de peccato commisso. Nam si præsumere possunt etiam generali aliqua ratione ducti, se sufficientem diligentiam adhibuisse ad confessionem rite faciendam, præsumere debent, eam esse rite factam, nisi specialis, & quidem gravis dubitandi ratio obstet. Unde si recorderis, te confessum esse, verbi gratia, duo peccata, & de tertio non recorderis, præsumere debes, quod illud etiam confessus sis; quia ex *l. Quæro §. Interlocutorem, ff. locati*, actus præsumitur factus secundum juris dispositionem. Et idem dicendum, si quis confessus peccatum, non recordetur, an sit confessus numerum, aut species; quas tamen confiteri solebat, vel sua, vel confessariorum, quibus utebatur, diligentia. Quod circa scrupulosos præsertim præstandum est; nam si hi confessionem generalem semel bona fide, ac diligenter fecerint, non tenentur iterum confiteri peccatum aliquod, ex eo quod non certo sciant illud se fuisse confessos; imo, si multum scrupulis turbentur, non debent fateri, nisi quæ possunt jurare esse commissa, esse mortalia, & nunquam esse confessa ex Sanch. lib. 1. cap. 10. num. 85. Quia, ut idem Auctor advertit, credulitas in scrupulosis est quasi certitudo in hominibus pacatæ conscientiæ: unde nisi hac via occurratur, confessio non erit illis in medicinam, sed in carnificinam, nec laquei tolluntur, se injiciuntur. Quod etiam extendit Sanchez ad alios scrupulosos deperditæ vitæ, quorum dubia in mitiorem partem interpretanda sunt, quoties anguntur scrupulis, sicut bene morigerati.

Secundo adverto ex Tamb. rusticos, mulierculas, puerosque, qui bona fide suas confessiones etiam coram Parocho indocto crassiori modo fecerunt, quamvis deinde grandiores, & peritiores effecti videant in multis se defecisse; unde animadverterunt multa dubia dixisse pro certis, & multa certa pro dubiis, & unum numerum pro alio, non esse cogendos repetere confessiones ex Fagund. in secundum præceptum Ecclesiæ lib. 3. cap. 4. de Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 14. a num. 58. Et ratio est, quia ex uno capite satis superque saltem in confuso confessarius eorum peccata percepit, & directe absolvit: Et ex alio capite praxis fidelium est non repetere confessiones illas, ad quod si fideles obligarentur, omnia scrupulis essent obnoxia. Verior tamen est ratio, quam Fagund. assignat, quia scilicet ex vitæ præsentis statu passim arguit confessarius statum totius vitæ præteritæ, & sufficienter numerum peccatorum a pœnitente commissorum: nam hujusmodi homines uniformem solent ducere vitam.

Tertio, qui fecit aliquando cum debita diligentia

gentia

gentia confessionem generalem, explicando numerum peccatorum, qui tunc memoriæ occurrebat, addendo semper plus, minusve, si deinde recordetur certe non esse confessum aliquod peccatum in individuo consimile illis, intelligitur inclusum in ly plus, minusve, & rite absolutum: unde non est opus nova confessione.

VI. Sed rogabis hic, dum quis fatetur numerum incertum, dicendo, verbi gratia, blasphemavi decies circiter, plus minusve, quot blasphemiæ importentur per ly circiter, ut pœnitens liber sit ab iteranda confessione, si deprehendat alium numerum blasphemiarum.

Respondeo, Verricell. tract. 1. quæst. 5. citatum, & merito rejectum a Tambur. sentire, quod importetur medietas numeri: Unde si ille vicies blasphemavit, non teneatur amplius confessionem repetere, si deprehenderit blasphemasse tricies: Et si dixerit centum circiter, non teneatur, si deinde deprehendat centum quinquaginta blasphemias commisisse. Gaspar Hurtadus apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 294. dicit decem circiter importare tres, aut quatuor alios. Vasq. & de Lugo censent, universalem regulam assignari non posse, sed prudentis arbitrio relinquendum: in quo judicio formando ea regula servetur, ut pro majori numero, qui nominatur, major pariter numerus subintelligatur per illam particulam, Circiter; non tamen servando proportionem arithmeticam; unde Lugo, & Menochius putant, quod si quis dixerit, decies circiter se peccasse, non teneatur confessionem iterare, etiamsi deprehendat peccasse octies, vel duodecies: si tamen dixerit commisisse ad centum peccata, non intelligantur octoginta, aut centum viginti, sed nonaginta quoque, aut ad summum nonaginta, vel cento & quinque, aut centum & decem, hanc proportionem servando in majori multitudine, quia quamvis ita se habeant duo ad decem, sicut viginti ad centum: at dum dico decies circiter, possunt intelligi etiam duodecim, quia duo alia etiam secundum se sunt parva pars: Contra vero, quia viginti secundum se non sunt parvus numerus; ideo cum dico centum circiter, non intelliguntur centum viginti.

ARTICULUS IV.

De Peccato pure putato.

I. Quamvis peccatum pure putatum sit materia necessaria Confessionis; dubitatur tamen, an sit materia sufficiens, in gratia conferatur.
II. Multis arridet sententia negativa.
III. Sed benignior affirmativa est valde probabilis.
IV. Hinc plura ad praxim deducuntur.
V. Cum eadem sit ratio de peccato pure putato, ac de peccato dubio, si revera non fuerit commissum, ideo in confessione præter peccata dubia, addendum est aliquod certum.

I. Citra controversiam est peccatum pure putatum esse materiam necessariam confessionis, seu teneri nos illud confiteri, quia de rebus judicare debemus, non prout sunt, sed prout in conscientia apparent: Unde dixit Apostolus, *quod non est ex fide, peccatum est*, hoc est, quod non est juxta fidem, seu juxta dictamen conscientiæ, est peccatum.

Quæritur tamen, An peccatum pure putatum sit materia sufficiens confessionis; seu an qui putat, se commisisse aliquod peccatum, quod revera non commisit, & illud tantum aperiat in confessione, sacramentum, & novam gratiam recipiat ratione veri doloris cadentis supra peccatum non verum?

Respondeo, plures Neotericos probabiliter affirmare; tum quia in tali casu non deest materia proxima hujus Sacramenti, quæ est dolor; tum etiam quia, si peccatum putatum est materia remota necessaria, congruum est, ut sit etiam sufficiens: Idque similiter docent de peccato dubio, quod revera non sit commissum; ita ut, si solum illud subjiciatur clavibus, adhuc gratia Sacramentalis conferatur.

II. Rigidior tamen sententia negat, quia Trident. pro materia proxima hujus Sacramenti non assignat dolorem quemcumque, sed dolorem de peccato: atqui in casu nostro non habetur dolor de peccato, quamvis habeatur dolor de peccato putato; quia peccatum putatum non est peccatum, sicut homo pictus non est homo, nisi æquivoce: ergo in casu nostro non habetur materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, & consequenter nec Sacramentum. Unde peccatum putatum non est materia remota sufficiens talis sacramenti.

Confirmant hanc sententiam, quia si sufficeret verus dolor de peccato non vero, sed putato, sufficeret etiam dolor verus subditi non veri, sed putati, & absolutio vera confessarii putati, seu Sacerdotis habentis jurisdictionem putatam, quod nemo dixerit. Præterea sequeretur, quod posset dari Sacramentum Confirmationis per veram unctionem Chrismatis putati, & Sacramentum baptismi per veram ablutionem aquæ putatæ. Sicut enim peccatum est materia remota, & dolor materia proxima Sacramenti penitentiæ; ita aqua naturalis est materia remota, & ablutio materia proxima Sacramenti baptismi: ergo si satis esset dolor verus de peccato putato, satis etiam esset ablutio vera aquæ putatæ.

Si opponas primo, In judicio forensi vere ferri sententiam de crimine putato, si fuerit juridice probatum: ergo etiam in judicio Sacramentali.

Respondent per instantiam de subdito putato: nam in judicio forensi vere fertur sententia, quando jurisdictio est tantum putata; non tamen in judicio Sacramentali. Præterea sicut Sacramentum pœnitentiæ est institutum ad modum judicii, ita Sacramentum baptismi ad modum ablutionis, & tamen, si ablutio sit aquæ putatæ, non confertur Sacramentum baptismi: ergo si absolutio, & dolor sint de peccato putato, neque confertur Sacramentum pœnitentiæ. Quare judicium forense, & Sacramentale in multis discrepant: nam in judicio Sacramentali reus non debet esse distinctus ab accusatore, & a teste; & qui fatetur delictum absolvitur; Contra vero in judicio forensi: ergo poterunt etiam differre in ferenda sententia de crimine putato; Et quod de facto differant, constat ex ratione adducta pro hac sententia.

Si opponans secundo, videri incredibile, quod Christus Dominus noluerit conferri gratiam Sacramentalem ei, qui tenetur peccata putata revelare, & de facto revelat Confessario: ergo ex institutione Christi Domini peccatum putatum est materia sufficiens. Quod ex eo confirmatur, quia aliter habenti peccatum putatum obesset sua innocentia: si enim vere peccasset, reciperet gratiam Sacramentalem; quia vero putat, se peccasse, & de facto est innocens, gratiam Sacramentalem non recipit, quod videtur absurdum.

Respondent, negando antecedens; sicut enim pœnitens tenetur aperire suas culpas illi, quem putat esse confessarium, quin proinde recipiat Sacramentum, si sit tantum Sacerdos putatus; ita in casu nostro: satis enim est, si in his casibus actus eliciti ad satisfaciendum obligationi prosint bene operanti ex opere operantis, quin debeant, aut possint prodesse ex opere operato; cum non satis sint ad Sacramentum conficiendum.

Ad confirmationem dicunt, huic obesse, ne gratiam Sacramentalem recipiat, non suam innocentiam, sed institutionem Christi Domini, qui noluit hoc Sacramentum pro sanis, & vivis, sed pro ægrotis in medicinam, & pro mortuis in resurrectionem instituere, quamvis potuisset aliter instituere. Non est autem argumentum efficax ad dicendum, quod de facto ita instituerit, ut conferatur gratia Sacramentalis aperienti solum peccatum putatum, ad hoc ut sic etiam hoc Sacramentum innocentibus prosit; Nam sic possemus dicere, quod de facto Sacramentum pœnitentiæ ita instituerit, ut ad illud suscipiendum satis sit etiam dolor de peccato, quatenus est offensa Dei, sive a se, sive ab alio irrogata, ad hoc ut sic posset suscipi a Beatissima Virgine, quæ tantum poterat dolere de offensa Dei ab aliis irrogata, non vero de peccato ut a se commisso, ne putato quidem; ut communissime docent Doctores contra perpaucos citatos a Raynaudo par. 2. punct. 4. putantes cum Canisio lib. 1. de Virgine cap. 4. Deiparam suscepisse Sacramentum pœnitentiæ, confitendo sive incongruitatem ad maternitatem Dei, sive culpam levem conditionaliter existimatam, vel tamquam possibilem apprehensam. Quamvis enim Deipara susceperit Sacramentum baptismi, ut charactere Christi insigniretur, & Sacramentum Extremæ Unctionis juxta probabilem sententiam Suarii, ut muniretur gratia corroborativa in extremo vitæ agone ad superandas mortis angustias; non videtur tamen suscepisse Sacramentum pœnitentiæ, quod unice voluit Christus Dominus instituere ad delenda peccata, non vero ad augendam gratiam innocenti.

III. Equidem hac in re benigniori sententiæ adhærendum censeo, ac valde probabile puto, quod peccatum pure putatum, sicut est materia necessaria Confessionis, ita sit etiam materia sufficiens. Et ratio videtur esse, quia potuit Christus Dominus instituere hoc pacto Sacramentum pœnitentiæ: ergo probabiliter ita instituit: Consonum quippe divinæ benignitati est, ut onus impositum confitendi peccatum pure putatum voluerit innocentibus compensare augmento gratiæ, etiam ex opere operato; unde instituerit, quod peccatum etiam putatum esset materia remota Sacramenti pœnitentiæ.

Neque obstant paritates adductę; quod scilicet aqua putata non sit materia remota Sacramenti Baptismi; nec Chrisma putatum materia Confirmationis: Sicut nec dolor putatus de peccato vero est materia proxima in Sacramento Pœnitentiæ; nec est forma Absolutio relate ad subditum putatum.

Respondetur enim, materiam remotam in Sacramento Pœnitentiæ esse valde diversam, ac in Sacramento Baptismi, Confirmationis, &c.; nam in hisce Sacramentis materia remota debet existere, ut habeatur materia proxima; quomodo enim poterit haberi aquæ ablutio, si non habeatur aqua? At in Sacramento Pœnitentiæ debet materia remota destrui; & perinde se habet, sive tunc destruatur per Sacramentum, sive destructa prius fuerit per contritionem, sive nunquam extiterit, ut quando peccatum est putatum. Et in Eucharistia, ubi substantia panis debet destrui, non possunt haberi species panis, nisi verus panis consecretur. At potest haberi verus dolor de peccato etiam putato.

Neque dici potest, quod dolor etiam putatus posset dici esset materia proxima hujus Sacramenti, aut absolutio relate ad subditum putatum. Nam universim verba Bibliorum, ac Conciliorum sumi debent in sensu proprio; nisi detur

valida ratio in contrarium; sed nulla est hujusmodi ratio ad dicendum, quod sufficiat dolor putatus, aut subditus putatus; nemo enim id somniavit; imo ex proscripta thesi 57. ab Innoc. XI. constat, quod solus dolor supernaturalis ad hoc Sacramentum spectet: Contra vero datur sufficiens motivum, & auctoritas ad dicendum, quod verus dolor de peccato putato sit satis: ergo probabiliter peccatum putatum est materia remota hujus Sacramenti.

IV. Ex dictis infertur primo, juxta rigidam illam sententiam non satisfieri præcepto confessionis annuæ per confessionem solius peccati putati, atque adeo, qui postquam deprehendit peccatum fuisse putatum, incideret infra annum in aliquod mortale, teneretur eo anno iterum confiteri, ut præcepto satisfaceret. Verum quia sententia nostra est etiam probabilis, & ut supra diximus, abunde satisfit præceptis juxta opinionem probabilem, idcirco absolute, & practice loquendo per hujusmodi confessionem præcepto Ecclesiæ satisfieret; quamvis speculative loquendo juxta præfatam sententiam non satisfieret.

Infertur secundo, quod dictum est de peccato putato, dicendum etiam fore de peccato dubio, si vere non est commissum: nam peccatum, quod clavibus subjectum est ut dubium, si vere non est commissum, est solum peccatum putatum.

Infertur tertio, quod qui confitetur peccata dubia, debeat pariter aliquod veniale certum addere, non solum ut juxta praxim Ecclesiæ absolutio detur quoad ejus fieri potest absoluta, & non conditionata; (sicut dari deberet, si quis tantum peccata dubia confiteretur) sed etiam ne privetur gratia Sacramentali, quæ juxta sententiam rigidam non conferretur, si peccatum confessum ut dubium vere non esset commissum. Et quamvis sententia nostra sit valde probabilis speculative, tamen quia forte non est vera, ideo ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, expedit semper peccatum aliquod certum dubiis superaddere.

V. Dubium est, Utrum hoc cadat sub consilium tantum, an sub obligarionem gravem? Martinus Perez tenet cadere tantum sub consilium; præsertim si difficultatem experiatur penitens exponendi materiam aliquam certam. Censeo tamen cadere sub obligationem gravem, ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum juxta ea, quæ passim Doctores docent in expositione primæ propositionis proscriptæ ab Innoc. XI. Quod si peccatum certo sit commissum, & dubium solum sit, num fuerit mortale, an veniale, tunc talis obligatio non datur, ut patet, cum non exponatur Sacramentum periculo frustrationis.

ARTICULUS V.

De peccatis alias confessis.

I. Videntur peccata rite confessa, & absoluta non esse amplius materia sufficiens Confessionis.
II. Sed communissime oppositum docent.
III. Quomodo forma absolutoria in hoc casu non sit falsa?
IV. Num possint peccata isthæc esse materia necessaria, vel ex voto Pœnitentis, vel ex statuto Superioris?
V. Num possit Ecclesia præcipere Confessionem de venialibus?
VI. Quandonam Pœnitens teneatur respondere, si a confessario interrogetur de peccatis alias confessis?
VII. Utrum possit reticere aliqua peccata alias confessa, qui dicit confessario velle generalem confessionem instituere?
VIII. Utrum in generali confessione explicari debeant, quænam sint mortalia post ultimam confessionem commissa?

I. OLim fuit visum nonnullis apud Martinum Perez, peccata semel confessa, & absoluta non esse amplius materiam sufficientem confessionis. Primo, quia forma nova Sacramentalis repeti non potest supra eam materiam: quis enim iterum consecret hostiam jam consecratam? Hoc autem præsertim repugnat in forma absotionis, quæ supponere debet hominem ligatum; cum solus ligatus absolvatur. Secundo, quia, si non potest Sacerdos peccata confessa, & absoluta retinere, nec potest absolvere. Tertio, quia sententia absolutoria est definitiva, post quam non datur alia.

II. Communissima tamen sententia docet oppositum; idque decrevit Benedictus II. in Extravag. 1. de privilegiis. Et ratio est, quia unusquisque potest in eadem causa sæpius judicari, si ipse velit. Secundo, quia potest eadem injuria iterum iterumque remitti; ergo bene potest sæpius absolvi penitens ab eodem peccato. Et confirmatur a pari; quia sicut renovamus votum paupertatis renunciando, quæ jam non possidemus, non solum per approbationem præteritæ renunciationis, sed etiam renovando obligationem, quam jam contraximus: ita potest pariter renovari remissio injuriæ jam deletæ.

Ad primam rationem in contrarium respondent, stante eadem materia remota, repeti posse formam Sacramentalem supra novam materiam proximam; sicut si iterum fiat ablutio, per eandem aquam potest alius baptizari; ergo si repetatur dolor novus supra idem peccatum, poterit iterum absolutio conferri. Ex quo patet disparitas circa Eucharistiam, in qua species

cies Sacramentales non sunt materia remota, sed proxima: unde consecratio non caderet supra eandem materiam remotam, sed proximam.

III. Ad id, quod additur, falsum est, quod forma absolutoria supponat hominem ligatum. aliter conferri non posset absolutio accedenti ad Sacramentum cum contritione. Quare sensus illorum verborum, *Absolvo te*, est hujusmodi, scilicet, Confero tibi gratiam absolutivam, quæ te solvat, si es ligatus, vel solveret, si esses ligatus: Vel sensus est, Remitto tibi omnes injurias, & offensas Dei: Nam, ut diximus, sicut possunt renovari vota, ita & condonationes.

Ad secundum: Peccata remissa, quamvis non possint a confessario retineri, possunt tamen iterum remitti; quia quando sunt jam remissa, non ex necessitate, sed ad arbitrium pœnitentis, potest de iis novum judicium efformari, per quod iterum conferatur sententia absolutoria, qua detur nova gratia, quæ sit remissiva peccati tantum in actu primo, non in actu secundo. Eo prorsus modo, quo datur absolutio, & confertur gratia remissiva accedenti ad Sacramentum cum contritione. Quare ea solum peccata remitti, & retineri simul possunt, quæ ex necessitate, non ad arbitrium, subjiciuntur clavibus.

Ad tertium: Sententia definitiva non potest revocari in dubium; sed potest approbari, & repeti reo petente.

IV. Quæritur hic primo, an peccatum rite confessum, & absolutum possit esse materia necessaria confessionis, vel ex voto pœnitentis, vel ex statuto, cui se Pœnitens voluntarie subjecit, vel ex penitentia injuncta a Confessario.

Respondeo cum Suarez disp. 27. sect. 7., & Fagund., quod licet peccatum alias confessum, & rite absolutum ex institutione Christi Domini non sit per se loquendo materia necessaria Confessionis, poterit tamen esse necessaria, tum ex voto penitentis; quia quod est materia consilii, potest esse materia voti; tum ratione statuti, cui quis voluntarie se subjecit, ut cum quis voluntarie assumit statum religionis sub conditione faciendi singulis annis generalem confessionem illius anni (ut in Cisterciensi religione statutum esse ferunt). Hæc enim confert ad perfectionem, & ad observantiam regularem.

Nego tamen cum Suar. loc. citato, posse absoluto præcepto a Superiore, vel a Confessario imponi obligationem iterum confitendi eadem peccata; Tum quia est res valde difficilis, & illa causa est jam terminata, & nullus videtur esse finis, nulla necessitas, propter quam expediat tale præceptum, aut talem penitentiam injungere; Tum etiam, quia hæc est propria materia consilii, & ideo per se non cadit sub præceptum humanum.

V. Disputant etiam celeberrimi Doctores, An possit Ecclesia præcipere confessionem de venialibus, saltem de aliquibus? Nonnulli affirmant cum Vasq., Suar., Lug., Laym.. Nonnulli vero negant cum Leandro, Pal., & aliis: quia non potest Ecclesia instituere diversum forum penitentiæ ab eo, quod Christus Dominus instituit. Cum ergo Christus Dominus tantum obligarit ad mortalia confitenda, non potest Ecclesia præcipere confessionem venialium.

VI. Quæritur secundo, An penitens interrogatus a confessario de peccato rite confesso, & absoluto, teneatnr respondere?

Respondeo, teneri, quando notitia illius peccati necessaria est Confessario ad penitentem in posterum dirigendum: posita enim hac necessitate, habet Confessarius jus ad interrogandum, & consequenter habet penitens obligationem ad respondendum. Unde Innoc. XI. damnavit propositionem illam quinquagesimam octavam, quæ dicebat, non teneri penitentem respondere Confessario interroganti consuetudinem peccati. Quando autem talis notitia non est necessaria, dico cum Suar. disp. 22. sect. 1., & Granad., posse penitentem absque ullo peccato etiam veniali uti æquivocatione, & non aperire veritatem confessario. Et ratio est, quia quando judex non interrogat juridice, non mentitur, qui negat factum, quod vere fecit; etenim non censetur simpliciter negare, quod fecerit, sed negare quod fecerit ita, ut teneatur in illo foro illud revelare, quæ non est restrictio mentalis jam damnata ab Innoc. XI. in thesibus vigesima sexta, & vigesima septima, sed est æquivocatio, seu restrictio non pure mentalis, ut diximus in expositione illarum thesium proscriptarum. Quando enim judex non habet jus interrogandi, nec penitens habet obligationem ad ejus mentem respondendi. Idem dicas de eo, qui existimans, juxta probabilem opinionem, circumstantias aggravantes non esse explicandas, confitetur peccatum furti, dicendo, furatus sum rem gravem, & deinde interrogatur a Confessario de quantitate furti? tunc enim tenetur respondere, quando (ut plerumque accidit) hujusmodi notitia necessaria est confessario ad judicium rite formandum, & ad medicinam applicandam, aliter non teneretur. In dubio tamen num talis notitia sit necessaria, ut Confessarius & qua Judex rite sententiam ferat, & qua Medicus rite medeatur, standum pro judicio confessarii interrogantis, & consequenter datur obligatio respondendi.

VII. Quæritur tertio, an qui dicit confessario, se velle generaliter confiteri, teneatur omnia mortalia vitæ præteritæ alias absoluta revelare?

Respondeo, Victor., & Ledesm. putare, quod teneatur; quia aliter deciperet in re gravi confessarium, qui si tantum audiret ejus peccata levia, judicaret, eum caste, & pie vixisse; unde

non

non posset rite ejus conscientiam dirigere. At Henr., Suar. Lug., &c. putant, hujusmodi pęnitentem mentiri leviter, & non peccare graviter; quia mendacium illud non est contra Sacramentum pęnitentiæ, cum nihil omittat, quod sit simpliciter de necessitate Sacramenti: nec ulli est graviter perniciosum; cum non teneatur pęnitens ad confessionem generalem, per quam dirigatur a confessario.

Hinc sequitur, ut bene notat de Lugo, neque peccare graviter eum, qui habens duos confessarios, uni prius revelat solum mortalia, alteri deinde tantum venialia, dicendo ea solum perpetrasse: imo si hoc mendacium non superaddat, per se loquendo, ne venialiter quidem peccabit; quia velle conservare bonam famam apud Confessarium ordinarium, non est hypocrisis: nec videtur saltem gravis inordinatio, præsertim in fęminis religiosis, ut docent Villalob., Henr., & alii, quos refert, & sequitur Dian. part. 1. tract. 4. resol. 86. Dixi tamen, per se loquendo; nam per accidens, si scilicet hoc esset causa relabendi sæpius in eadem mortalia, ut sæpe fit, hoc esset mortale: uti etiam si quis confiteatur peccata gravia confessario, qui parum illa ponderat, nec pęnitentem objurgat, sed levem pęnitentiam imponit, idem dicas, si quis semper diversis Confessoribus utatur; unde non possit per remedium Confessionis facile emendari; timendum enim est, quod hic careat sufficienti dolore de peccatis.

VIII. Quæritur ultimo, an qui facit confessionem generalem, teneatur explicare, quænam sint peccata mortalia commissa post ultimam confessionem?

Respondeo, de Lugo disp. 16. sect. 2. cum aliis putare, quod non teneatur; quia idem est omnino peccatum, quod confitetur, sive ante, sive post ultimam confessionem sit commissum; nisi forte mutatio temporis afferat secum circumstantiam specie diversam, ut si conjugatus confiteatur peccatum contra castitatem commissum ante conjugium; nisi enim explicetur tempus, facile confessarius apprehendet speciem adulterii.

Verum Martinus Perez docet, istum teneri explicare mortalia post ultimam confessionem commissa; quia notabiliter variatur Judicium confessarii, si sciatur circumstantia temporis, tum in cognoscenda dispositione pęnitentis, tum in applicanda medicina salutari, tum in imponenda prudenti pęnitentia, quæ minor debet esse de peccatis alias confessis, quam de non confessis. Quibus adde, eum, qui vult hoc pacto celare confessario consuetudinem peccati, nec vult ab eo dirigi, facile carere sufficienti dolore.

Utraque sententia, speculative loquendo, est probabilis; sed practice videtur sequenda sententia Patris Perez; præsertim quia si qui confiteatur præsens peccatum ut antiquum, non confitetur peccatum præsens quod fecit, sed aliud, quod non fecit: unde sacrilegam videtur facere confessionem.

ARTICULUS VI.

De Peccatis Venialibus.

I. Venialia sunt materia sufficiens, licet non necessaria Sacramenti Pœnitentiæ.
II. Quomodo possint remitti in hoc Sacramento, quamvis non possint retineri?
III. Non satis est, peccata venialia in genere explicare, nulla explicata specie peccatorum, nisi in casu necessitatis.
IV. Imperfectiones, quæ non pertingunt ad veniale, laudabiliter exponuntur, sed non sunt materia sufficiens hujus Sacramenti.

I. CErtum est ex Trident. sess. 14. c. 5., & canone 7., peccata venialia esse materiam remotam, sufficientem quidem, non tamen necessariam hujus Sacramenti. Sunt quidem materia sufficiens, quia vere remitti possunt; non sunt materia necessaria, quia non causant naufragium animæ; Sacramentum autem pęnitentiæ tamquam secunda tabula est solum necessarium post naufragium. Unde Trident. loc. citat. habet: *Venialia quamvis recte, & utiliter in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

II. Neque dicas, Christum Dominum dedisse Sacerdotibus potestatem remittendi simul, ac retinendi peccata: ergo si Sacerdotes non possunt venialia retinere claudendo Cęlum habentibus illa, (cum possint alia via remitti extra Sacramentum) consequenter non poterunt venialia remittere: unde non sunt materia sufficiens confessionis.

Nam verba illa, *Quorum remiseritis, & retinueritis, &c.* intelligenda sunt juxta capacitatem materiæ. Quare cum solum mortalia possint retinari, contra vero mortalia simul, & venialia possit remitti, sequitur, quod, magis late pateat verbum illud *remiseritis*, quam illud *retinueritis*. Et ratio est, quia favor absolutionis ampliandus est, nec debuere illo privari ii, qui parum peccaverunt; quamvis non debuerint comprehendi in retentione, quæ restringenda est ad eos, qui completam rationem peccati contraxerunt.

III. Quæritur hic primo, an valide, & licite fieri possit confessio solorum venialium, nullum exprimendo veniale in particulari, sed dicendo, de omnibus venialibus vitæ præteritæ me accuso.

Respondeo, questionem hanc a Recentioribus

bus duntaxat in medium vocari. Suarius disp. 21.sect.1.cum Granad. censet speculative loquendo probabile esse quod valide fiat hujusmodi confessio: Sicuti valide, & licite quis confitetur mortalia olim confessa, & absoluta, nullum exprimendo mortale in particulari; esto melius sit, & ex Granad. consulendum, ut semper aliquod peccatum in particulari declaretur. Ratio Patris Suarii est, tum quia si quis in articulo mortis tantum diceret, se peccasse venialiter, sine dubio absolvendus esset; tum etiam quia qui confitetur verba otiosa, & turpia, quod sæpe fit, non magis manifestat conscientiam suam, quam qui confitetur peccata venialia in genere, cum verba otiosa, & turpia sæpe sint diversæ malitiæ moralis: ergo si ille valide absolvitur, etiam hic.

Dicast. disp. 1. dub. 9. putat, etiam practice loquendo, hujusmodi sententiam esse probabilem, atque adeo licere (quod Suarius negat) confiteri tantum venialia in genere. Ratio est, quia idcirco requiritur confessio specifica, & numerica mortalium, inquantum aliter non posset confessarius formare prudens judicium de iis, quæ sunt materia necessaria judicii Sacramentalis; At peccata venialia non sunt materia necessaria, sed solum voluntaria, cum sponte clavibus subjiciantur: ergo sicuti in omnium sententia possumus omittere numerum venialium, ita pariter possumus non explicare illorum species.

Sententia tamen Suarii videtur amplectenda; tum quia est contra praxim Ecclesiæ hujusmodi confessio de solis venialibus in genere; tum etiam quia sequeretur, satis esse dicere, *Peccavi*, ut posset quis recipere absolutionem; quod est contra Ecclesiæ consuetudinem; tum demum quia debet in confessione apponi materia certa, si potest apponi; peccatum autem veniale in genere non est materia certa: ergo non licite apponitur, sed debet exprimi species alicujus venialis; Quod si aliquando exprimi non poſset, tunc certe veniale in genere esset materia sufficiens.

IV. Quæritur deinde, an imperfectiones (qualis est, verbi gratia, non corresspondere divinis inspirationibus) sint materia confessionis?

Respondeo, laudabile esse, illas, in confessione aperire, tum ut absolvatur culpa aliqua venialis, quæ sępissime tales imperfectiones comitatur; tum ut plenior habeatur a Confessario notitia pęnitentis, & sic melius dirigatur. Cæterum, si culpa illæ omnino carerent, procul dubio non essent materia sufficiens confessionis.

QUÆSTIO III.

De prima parte materiæ proximæ hujus Sacramenti, quæ est dolor.

Certum est ex Trident., ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiri, ut constitutivum illius, dolorem de peccatis, cum proposito non peccandi de cætero. Quoniam autem dolor vel est perfectus, & dicitur contritio, vel imperfectus, & dicitur Attritio, ideo de utroque seorsim agedum, inquirendo, Quinam dolor requiratur ad justificandum impium, tam extra, quam intra Sacramentum? Et quinam requiratur ad remissionem venialium? Ac demum de proposito ad hoc Sacramentum requisito multa inquiremus.

ARTICULUS I.

De contritione perfecta.

I. Perfecta contritio quid sit?

II. Num debeat contritio amorem Dei includere, ut justificet?

III. An possit justificare contritio concepta ex alio motivo a Charitate, dummodo aliquod Attributum divinum attingat immediate?

IV. Num justificet amor Dei super omnia, includens solum virtualiter dolorem peccatorum?

V. Num contritio justificans debeat esse dolor singulorum peccatorum in individuo?

VI. An peccator post peccatum commissum debeat statim conteri?

VII. Quamdiu possit peccator citra novam culpam contritionem differre?

VIII. Num teneatur ad contritionem antequam annus elabatur, qui toto anno non habuit copiam Confessarii?

I. Quæritur. primo, Quid sit contritio perfecta; & quodnam ejus motivum? Respondeo, esse detestationem, ac dolorem de pecato commisso supra omne odibile, inquantum est offensa Dei summe dilecti, cum proposito non peccandi de cætero. In quo differt a contritione imperfecta, seu ab attritione, quæ est detestatio, ac dolor de peccato, vel propter timorem gehennæ, vel propter amorem gloriæ, vel propter turpitudinem ipsam peccati animam commaculantis, vel demum juxta probabilissimam opinionem, propter timorem malis temporalis, puta febris, suspendii, &c. prout tamen a Deo culparum vindice infligendi, vel inflicti; ita ut ex hoc motivo dolor induat supernaturalitatem requisitam, ad hoc ut attritio cum Sacramento justificet, ut dicemus articulo sequenti.

Dixi, contritionem esse detestationem simul, ac dolorem, quia sola detestatio, qualis est in Beatis, sine dolore de peccato, non fert contritionem definitam a Trident. sess. 14. cap. 4. Quamvis posita cognitione de peccato trahente detestationem, non possit naturaliter in nobis non subsequi dolor.

Dixi

Dixi etiam, supra omne odibile, non quidem intensive, sed appretiative, quatenus non debet homo cum ea maxima intensione dolere, quam potest homo hic & nunc exhibere, ut volebat Adrianus in 4. quæst. 2. de Pœnitentia. Nec debet esse cum majori intensione dolor de peccato, quam sit dolor de aliis rebus, ut putabat Sotus; quia hæc maxima intensio de dolore est difficillima, nec a Sanctis Patribus, aut Conciliis, vel Scripturis requiritur; neque ratione suadetur; quia major, vel minor intentio est contritioni accidentalis, nec variat rationem formalem contritionis, quæ desumitur ab objecto formali. Quare contritio debet esse dolor de peccato supra omne odibile appretiative; quia debet esse perfecta conversio ad Deum; Non est autem perfecta conversio, ad Deum; nisi Deum appretiat, & præferat omnibus rebus, ut magis doleat de amissione Dei, quam alterius boni.

Neque dicas; Michææ 1. habetur: *Dele, quasi parturiens*; Et in Evangelio dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*: ergo ad contritionem requiritur intensio maxima doloris de peccato, ac amoris erga Deum offensum.

Nam respondeo, intensionem doloris, & amoris quoad ejus fieri potest maximam nobis non præcipi, sed de ea dari dumtaxat consilium; & solum præcipi dolorem in specie perfectissimum, scilicet supra omne odibile appretiative; non per comparationem formalem, sed solum virtualem, seu cum tali adhæsione summo bono, ut si quodcumque aliud bonum creatum offerretur, ejus amissio præferretur amissioni summi boni. Quod protestabatur Apostolus per illa verba ad Romanos 8. *Quis non separabit a Charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas? &c. certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare a Charitate Dei*. Hæc autem prælatio Dei ad omnia creata etiamsi sit remississima, adhuc satis est ad destruendum peccatum; non secus ac peccatum, per quod creatura præfertur Deo, etiamsi sit remississimum, satis est ad destruendam omnem gratiam.

Hic autem prudenter advertunt Theologi, comparationem, & prælationem hanc Dei ad omnia creata non solum sufficere, quod sit virtualis tantum, & implicita, sed etiam infirmioribus consulendum, ut abstineant ab explicita, & formali comparatione. Quare si peccatori ad peccata pronissimo, dum conteritur, menti occurrat, quid faceres in tali, vel tali occasione infamiæ, aut mortis subeundæ ad vitandum peccatum? consulendum est, quod respondeat, In gratia Dei fiderem, quod peccatum vitarem potius, quam infamiam aut mortem, etiamsi firmissime credat, quod spectatis propriis viribus peccaret potius, quam cederet infamiæ, aut morti; hæc enim firma credulitas est solum actus intellectus, non voluntatis, & ideo non est actus demeritorius: Contra vero fiducia illa in Deo est actus voluntatis, & meritorius.

II. Quæritur secundo, An contritio, quæ est dolor de peccato, inquantum est offensa Dei summe dilecti, debeat præter dolorem, includere amorem Dei super omnia, ut possit extra Sacramentum justificare?

Respondeo, & dico primo dolorem de peccato sine amore Dei super omnia, sive explicito, sive saltem implicito incluso in contritione, non esse sufficientem ad justificandum extra Sacramentum. Ratio est, tum quia Deuteronomii 4. habetur: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde tuo quæsieris eum*. Ubi ostenditur, quod dolor peccatorum debeat esse ex motivo nobilissimo, & proficisci ex corde, quod totum feratur in Deum per amorem; ita ut qui dolet de peccato, doleat de illo propter malum, seu offensam amati, non propter malum proprium; seu dolere debet de culpa, quia Deo displicuit, non quia sibi nocuit: Tum etiam quia justificatio impii fert amicitiam cum Deo: ergo ultima dispositio ad justificationem debet esse ex parte impii amor Dei. Cum enim non possit peccator reddere Deo condignam satisfactionem pro peccato commisso, par fuit ut exigeret ab illo Deus tamquam dispositionem ad amicitiam gratis illi dandam, perfectissimum actum, quem potest peccator elicere, scilicet dolorem perfectissimum, & amorem Dei super omnia.

Dico secundo, probabilis est sententia docens extra Sacramentum ad justificationem requiri amorem Dei super omnia formalem, & explicitum: Quicquid sit an contritio sit etiam amor Dei super omnia formalis, ut putat Vasq., an solum virtualis, ut putat Suarius?

Probatur, quia Scripturæ exigunt ad justificationem amorem Dei; præsertim Joan. 1. aperte habetur; *Qui non diligit; manet in morte*; At Scripturæ interpretandæ sunt in proprio sensu, si commode fieri potest: ergo verus, & proprius, formalis, & explicitus actus amoris Dei requiritur ad justificationem, & non satis est amor virtualis inclusus in contritione: Sicuti cum exigitur ad salutem fides a Scripturis, exigitur fides formalis non virtualis, quæ v. g. includitur in actu

doloris supernaturalis, dum quis simul veniam petit a Deo, & justificationem ex ejus misericordia expectat, ut ostendimus in expositione primæ Thesis ab Alex. VII. proscriptæ.

Dico ultimo; Non est improbabilis sententia docens veram contritionem; continentem solum virtualiter amorem Dei super omnia, juxta sententiam Suarii, sufficere ad justificationem.

Quod contritio contineat amorem Dei saltem virtualem, probatur facile. Nam per dolorem de offensa Dei super omne odibile peccator complacentiam habet de ipso Deo, cujus offensam, ac malum odit: ergo saltem virtualiter Deum amat.

Quod autem hujusmodi amor virtualis inclusus in contritione sine novo formalis amoris actu sufficiat ad justificationem etiam extra Sacramentum, colligi videtur ex Scripturis. Nam Ps. 31. habetur: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti, &c.*, Ezechiel. 3. *Si averterit se peccator ab injustitia sua, &c.* Et 2. Regum 22. Davidi dicenti, *peccavi Domino*, respondetur, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: ergo contritio sine novo amoris actu satis est ad justificationem.

III. Dubium est, An sit vera contritio sufficiens ad justificationem illa, quæ concipitur ex motivo alterius virtutis a charitate, dummodo Deum respiciat? Verbi gratia, si quis ex motivo gratitudinis doleat de peccato, quatenus offensa Dei benefactoris, vel ex motivo obedientiæ doleat de peccato, ut offensa Dei supremi Legislatoris; vel ex motivo religionis, aut justitiæ doleat de peccato, quatenus offensa Dei summe adorabilis, & summum jus habentis, ne offendatur. Nonnulli apud Suar., & Lugo probabiliter affirmant: Communis tamen sententia (a qua in re tanti momenti non est recedendum) docet veram contritionem esse ex solo motivo charitatis; scilicet, quia peccatum est offensa Dei summe boni, & amabilis; in quo dolore virtualiter saltem amor includatur ratione talis motivi. Quod probatur tum ex Scripturis: Nam Joan. 3. habetur: *qui non diliget manet in morte*: Et 1. ad Corinth. 3. *Sine Charitate nihil sum*: Tum ex ratione adducta, quia dispositio ad amicitiam cum Deo debet congruenter esse amor Dei, juxta illud proloquium: *Vis ut ameris? Ama*. Practice tamen in dolore de offensa irrogata Summo Benefactori ex motivo gratitudinis debitæ videtur includi saltem implicite aliquis amor erga talem Benefactorem. Idemque dicas de eo, qui dolet ex motivo aliorum Attributorum Dei.

IV. Quæritur tertio, An sicut ad justificationem extra Sacramentum sufficit contritio includens saltem virtualiter amorem Dei super omnia, ita pariter sufficiat solus amor Dei super omnia includens virtualiter contritionem?

Respondeo, certum esse primo, in Sacramento pœnitentiæ requiri dolorem formalem, nec satis esse dilectionem Dei super omnia sine formali dolore ad illud recipiendum. Ratio est, quia ex Trident. dolor constituit Sacramentum pœnitentiæ, non secus ac ablutio Sacramentum Baptismi: ergo sicut requiritur ablutio formalis, & vera, non virtualis, ac metaphorica ad Baptismum; ita ad Pœnitentiæ Sacramentum constituendum formalis pariter dolor requiritur.

Certum est secundo, ad justificationem extra Sacramentum requiri etiam aliquem dolorem de peccato commisso. Constat ex Trident. sess. 14. c. 4. ubi post definitam contritionem, ait: *Fuit autem omni tempore necessarius hic contritionis motus ad impetrandam veniam peccatorum*. Et constat etiam ex Scripturis: Nam Lucæ 13. habetur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Nec satis esse ad justificationem solum amorem sine dolore, seu pœnitentia, expressius constat ex aliis Scripturæ locis. Nam Deuteronomii 4. habetur: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen ex toto corde tuo quæsieris eum, & ex tota perturbatione animæ tuæ*, ubi ly *ex toto corde* significat perfectam dilectionem, & ly *ex tota perturbatione* denotat perfectam contritionem requisitam ad justificationem.

Certum est tertio, in amorem Dei super omnia includi virtualiter dolorem peccatorum; non secus ac in perfecta contritione includitur saltem virtualiter dilectio Dei. Ideo enim in contritione continetur virtualiter amor Dei; tum quia qui odit offensam, & malum alicujus, complacentiam quandam habet circa talem personam, & sic virtualiter amat illam; Tum etiam quia ex odio offensæ erga aliquam personam facile trahitur amor illius: Atqui eodem modo qui amat aliquem, habet displicentiam quandam de offensa, & malo illius, & ex amore erga aliquam personam facile trahitur displicentia, & detestatio offensæ illius: præsertim si talis offensa menti occurrat: ergo sicut contritio perfecta est etiam amor Dei virtualis; ita e controverso amor Dei formalis est virtualis contritio.

Dubium itaque est, Utrum contritio virtualis inclusa in amore Dei super omnia sufficiat ad justificationem extra Sacramentum sine formali dolore peccatorum?

Dico primo, probabile est non sufficere. Probatur, quia in loco adducto Deuteronomii 4. quæri debet Deus, tum ex toto corde, tum etiam ex tota perturbatione animæ. Et Ezechiel. 18. habetur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus*

mnibus peccatis suis, vita vivet. Unde sequitur, quod vita non vivet, nec justificabitur sine dolore. Quod autem dolor ab his Scripturis requisitus debeat esse dolor formalis, & non satis sit dolor virtualis inclusus in amore Dei super omnia, ostenditur; quia Scripturis tribuendus est proprius sensus, cum commode potest; & ideo quando a Scripturis exigitur fides ad salutem, intelligendæ sunt de fide formali, non virtuali; ut supra diximus numero secundo.

Confirmatur, quia August. hæc habet: *Peccatores non possunt peccata sua redimere, nisi dolorem senserit animus, qui peccavit: hoc enim justum est, ut qui contra rationem gavisus est, secundum rationem patiatur mœrorem.* Et sane, ut docet Philosophus, 2. Ethic. 2., nemo peccat, nisi ut sequatur voluptates, & fugiat tristitias: omnis autem curatio facienda est naturaliter per contraria: ergo cum pœnitentia statuta sit a Deo, ut medicina peccati, debuit esse formaliter dolorosa, ut morbis mederetur.

Advertendum tamen hic est, quod si dilectio Dei sit plena, & perfecta super omnia, & occurrat menti peccatum commissum, connaturaliter subsequatur dolor. Unde peccator non tam debet esse solicitus de dolore formali, quam de perfectione amoris. Imo addo, quod si posita dilectione Dei super omnia, occurrat menti peccatum, & simul advertatur ad obligationem doloris formalis, impossibile est, quod dolor formalis non consequatur; quia impossibile est velle finem efficaciter, & nolle media necessaria: Atqui diligens Deum super omnia vult efficaciter illi complacere; ergo non potest illi displicere non ponendo dolorem peccati commissi, ad quem teneri habet advertentiam.

Dico secundo: Non est improbabilis etiam sententia opposita sustinens, quod qui recordatur peccati commissi, & diligit super omnia Deum, justificetur etiam sine contritione formali, si non advertat ad obligationem dolendi.

Probatur, quia videtur maxime congruere divinæ bonitati, ut cum omittitur dolor sine culpa, tunc contentus sit Deus amore perfecto, in quo dolor virtualiter continetur: Præsertim quia Deus Proverbiorum 8. dicit. *Ego diligentes me diligo.* Et in Evangelio: *Si quis diligit me, ad eum veniemus.* Et 1. ad Timoth. 1. dicitur Charitas esse finis præcepti, & vinculum perfectionis. Unde qui habet charitatem perfectam, videtur, esse in ultimo ex mediis, quæ nobis præcipiuntur ad salutem: atque adeo videtur sola dilectio ad justificationem sufficere.

Confirmatur, quia propositio 32. Baii damnata dicebat: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccati.* Atqui charitas, quæ est plenitudo legis, non requirit dolorem in eo, qui memor peccati commissi non advertit ad obligationem dolendi: ergo charitas in tali casu sine dolore formali justificat. Quod si homo memor peccati putaret obligari ad dolendum, certe sine dolore non justificaretur; quia non satisfaceret huic obligationi putatæ: Si tamen diligens Deum super omnia non sit memor peccati jam obliti, probabiliter per solam charitatem, ut diximus, justificaretur.

Dico ultimo, quamvis probabile sit, ad justificationem sufficere tam solam contritionem includentem virtualiter amorem Dei super omnia, quam solum amorem includentem virtualiter contritionem; nihilominus expedit, ut peccator, ad utrumque actum, amoris, & doloris, conetur præsertim in mortis articulo. Ratio est, quia alterutrum sufficere, speculative tantum loquendo, est probabile, & peccator debet in eo præsertim articulo adhibere media certissima ad salutem, & non solum probabilia, & minus certa. Utrum autem ad hoc teneatur sub mortali, constabit ex dicendis articulo sequenti.

V. Quæritur quarto, an ad perfectam contritionem requiratur, ut homo de singulis peccatis in particulari doleat, sicut debet in Sacramento singula peccata in particulari manifestare? Et an saltem ad perfectam contritionem requiratur, quod dolens post exactum examen memoriam habeat distinctam singulorum peccatorum, juxta sententiam Cani, Soti, Medinæ, & aliorum?

Respondeo cum D. Th., & communi Doctorum negative. Debet quidem dolor esse de omnibus peccatis; ad quod sufficit, ut peccator doleat ex motivo universali; quia scilicet peccatum est offensa Dei summe boni; quo posito, virtualiter omnia peccata detestatur; non debet tamen singula in particulari detestari; imo nec de singulis memoriam, aut recognitionem habere; cum hujusmodi memoria nec exigatur necessitate præcepti, quod nusquam extat; neque necessitate medii, quia aliter sequeretur, quod si quis perfecte dolens de peccatis, omnibus in confuso statim moreretur, salvari non posset.

Neque dicas, in Scriptura exigi omnium peccatorum recogitationem. Nam Isaiæ 38. habetur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* Et Ezechiel. 18. *Si impius fecerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit judicium,* (idest examen, & inquisitionem peccatorum) *vita vivet, & non morietur.*

Nam Vasq. optime respondet, Isaiam tantum velle, id fieri esse valde utile ad contritionem excitandam, non autem necessarium. Et Ezechielem velle, ut impius faciat judicium idest recte judicet in causa proximi, vel ut reddat proximo, quod debet.

Oppones: Nisi contritio sit dolor de singulis peccatis in particulari, sequeretur, quod posset

quis dolere de aliquo peccato ex motivo universali, quia scilicet peccatum est offensa Dei summe dilecti, quin eatenus doleret de omnibus peccatis, & sic per veram contritionem non justificaretur. Sequela est absurda: ergo. Probatur sequela, quia universim potest quis amare objectum formale amore imperfecto, & sic unum objectum materiale amare, non aliud: Verbi gratia, potest quis ex amore misericordiæ misereri uni pauperi, non alteri; & ex motivo justitiæ velle restituere decem, non centum; ergo potest pariter quis ex motivo Dei dilecti detestari unum peccatum, verbi gratia furti, non reliqua.

Respondeo, contritionem, ut sit sufficiens ad justificationem, debere esse de omnibus peccatis, non tamen in particulari, sed saltem in confuso. Quare si posset quis odio habere unum peccatum ex motivo universali, quia est offensa Dei, quin simul virtualiter odio haberet omnia peccata, quæ sunt pariter offensa Dei; (sicut potest quis ex motivo misericordiæ universali mereri uni pauperi, non alteri; & sicut potest quis detestari mortale, quia est gravis offensa Dei, quin simul virtualiter detestetur per talem actum peccata venialia) de quo disputant Theologi, certe talis contritio, quæ non esset de omnibus peccatis commissis, non sufficeret ad justificationem.

VI. Quæritur quinto, An peccator teneatur statim post peccatum commissum elicere actum contritionis, vel attritionis cum Sacramento?

Affirmant Gulielmus Parisiensis, & Argentina, tum ob auctoritatem Scripturæ dicentis Ecclesiast. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*: Et cap. 21. *Quasi a facie colubri fuge peccatum*: a facie autem colubri statim est fugiendum: tum ob rationem; quia qui alteri intulit injuriam, tenetur statim satisfacere, sicut qui intulit alteri damnum, tenetur statim illud resarcire; ergo qui intulit Deo injuriam per peccatum, statim debet satisfacere, & conteri.

Respondeo equidem cum communi Doctorum apud Lugo, & Con. negative. Ratio est, quia hæc obligatio statim dolendi post peccatum nulla sufficienti ratione probatur; & praxis Ecclesiæ videtur esse in contrarium. Nam cum aliquis confitetur, verbi gratia, blasphemiam hebdomadæ, seu mensis, aut anni præteriti, quam distulit toto hoc tempore intermedio confiteri, unum peccatum dumtaxat solet reputari; ergo differre pœnitentiam per aliquod tempus non est novum peccatum. Quare D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. ait: *Non est de necessitate salutis corporalis, quod infirmus statim medicum quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit; similiter est de morbo spirituali.*

Ad auctoritates Ecclesiastici in contrarium adductas respondeo, cap. 5. laudato Ecclesiasticum inculcare accelerationem pœnitentiæ ob periculum moriendi in statu peccati; quamvis enim non sit novum peccatum non statim pœnitere, est tamen perseverantia in priori peccato; perseverare autem in statu peccati est periculosum. In cap. 31. Ecclesiasticus non loquitur de peccato commisso, sed committendo, a quo debemus fugere, & timere, sicut a facie colubri.

Ad rationem in contrarium adductam nego universaliter antecedens; non enim est semper novum peccatum non reparare statim injuriam, & damnum illatum, cum sæpe differri possit per aliquod tempus; præsertim quando ex dilatione non sequitur novum damnum; & a fortiori, quando per actionem injuriosam nullum de facto damnum est illatum: Verbi gratia, qui frustra conatus est alterius domum, vel segetes comburere, injuriam fecit alteri, sed non intulit damnum, unde nec ad restitutionem tenetur, quamvis teneatur ad aliquam satisfactionem pro offensa, quam tamen non tenetur statim post attentatum facinus exhibere; potest enim sine nova culpa aliquantisper satisfactionem debitam differre: esto si damnum fuerit secutum, teneatur, statim ac commode potest, illud resarcire.

VII. Quæritur sexto, quandonam peccator ad contritionem per se obligetur, ita ut illam omittere, sit novum peccatum?

Antequam respondeam, explico terminos. Dicitur obligari per se, & directe peccator ad contritionem, quando ad illam obligatur præcise, quia peccavit, nec potest aliter remissionem obtinere, ut accidebat in lege veteri: Dicitur vero per accidens, & indirecte obligari ad contritionem, quando per illam disponi debet ad rite aliquod agendum, puta ad audiendas Confessiones, vel ad communionem, quando urget necessitas, nec est copia Confessarii. His positis.

Directe nunc dico, peccatorem per se obligari ad contritionem in articulo mortis, si non adsit copia Confessarii; quia tunc tenemur facere, quantum in nobis est, ut reconciliemur cum Deo, ejusque gratiam assequamur: Quod si adsit copia Confessarii etiam in articulo mortis satis esse attritionem cum Sacramento, dicemus articulo sequenti; quamvis ex præcepto charitatis requiratur in articulo mortis amor Dei super omnia, ut nostræ saluti cum omni morali securitate per conjunctionem cum Deo perfectam consulamus.

Extra mortis articulum, si non adsit copia Confessarii etiam obligatur per se ad contritionem, qui diu perseveravit in peccato. Ita Lug. Suar. & Recentiores communiter contra Durand. Adrian. & alios. Ratio est, quia qui longo tempore sponte perseverat in divina inimi-

citia,

titia, interpretative divinam amicitiam parvipendit, atque adeo graviter peccat. Unde dicit Coninck, eum peccare mortaliter, qui expresse & signate vult differre pœnitentiam usque ad mortem. Quod si extra mortis articulum sit copia Confessarii, quamvis non habeat obligationem contritionis, obligatur tamen ex præcepto Ecclesiæ singulis annis confiteri, & ex præcepto divino non differre diuturno tempore pœnitentiam.

Neque dicas, non posse assignari certum tempus, intra quod peccator ad pœnitentiam teneatur: ergo non tenetur, nisi in articulo mortis.

Nam, concesso antecedente, nego consequentiam; commune enim est multis rebus, quæ pendent ex æstimatione morali, ut non possit assignari certa, & determinata mensura rei, vel temporis. Unde Innoc. XI. solum damnavit quintam propositionem, quæ dicit: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*: Et propositionem sextam, quæ dicit: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis*: Nec non ultimam, ubi dicitur: *Satis est semel in vita credidisse mysteria fidei*. Nec statuit Pontifex, quo tempore teneamur hos actus elicere; quia non est facile illud statuere. Multi enim apud Suar. putabant, quod singulis diebus festis; multi, quod bis in anno; alii, quod singulis annis; sed certe prudentis arbitrio decernendum est, spectata conditione hominum, ut fusius diximus in expositione primæ thesis ab Alexandro VII. proscriptæ.

VIII. Quæritur septimo, An peccator, qui non potest aliquo anno ex defectu confessarii confiteri, teneatur ad contritionem, antequam annus elabatur?

Affirmat Dominicus Soto in 4. dist. 15. quæst. 2. quia præceptum pœnitendi divinum, quod ex se indeterminatum est, jam ab Ecclesia est determinatum ad singulos annos. Quare si nequeat peccator ex defectu Confessarii illam pœnitentiam agere, quæ ab Ecclesia præcipitur, videlicet suscipiendo Sacramentum, tenebitur agere illam, quam potest, scilicet eliciendo actum contritionis, juxta regulam illam: *Qui non potest quantum debet, solvat quantum potest*; & illam aliam: *Qui non potest totum, reddat partem quam potest*.

Respondeo equidem cum Con. & aliis communiter negative: falsum est enim, quod Ecclesia determinarit tempus illud indeterminatum pœnitendi in genere, ad quod obligamur ex divino præcepto: Solum enim determinavit tempus confitendi indeterminatum; cum autem in tali casu sit impossibilis confessio, non videtur peccator teneri ad contritionem. Et ratio ulterior est, quia cum conteri sit aliquod mere internum, non cadit sub præceptum Ecclesiæ, neque ratione sui, & directe, ut patet, neque ratione alterius, & indirecte, hoc est ratione Sacramenti; quia cum satis sit attritio ad Sacramentum suscipiendum, jam contritio non est aliquid, sine quo nequeat valide, aut licite suscipi Sacramentum confessionis, atque adeo non potest cadere in tali casu sub præceptum Ecclesiæ indirecte: Sicut e contra tenetur, quando quis memor peccati mortalis, & non habens copiam confessarii, debet aliquod Sacramentum suscipere, aut administrare. Præterquamquod in casu adducto non potest Sacramentum confessionis suscipi; ergo non potest indirecte, seu ratione Sacramenti præcipi ab Ecclesia contritio, quæ est actus mere internus. Verum quidem est, quod præceptum divinum contritionis obliget peccatores ad non differendam diu, & usque ad mortem pœnitentiam. Hinc tamen non fit, quod impotens aliquo anno suscipere Sacramentum Pœnitentiæ teneatur saltem conteri, quia, ut modo diximus, præceptum istud divinum spectata diversa hominum conditione, diversimode obligat ad citius, vel serius eliciendam contritionem post mortale aliquod patratum.

Ad regulas adductas: *Qui non potest quantum debet, solvat quantum potest*: &c. Respondeo, eas valere, quando totum, & partes sunt homogenea, seu ejusdem rationis, & differunt solum secundum magis, & minus, non vero quando sunt heterogenea, & dissimilia, ut explicatur in materia de voto. Do exemplum primi casus in jejunio, & secundi in peregrinatione: Si quis ex voto tenetur jejunare quindecim dies, nec potest nisi decem, ex regulis traditis tenetur ad hæc decem jejunia; quia cum res debita sit jejunium, sive ponat decem, sive quindecim, semper ponit jejunium, adeoque rem debitam: Etenim quindecin jejunia a decem solum differunt, quod illa sint plura, quam ista. Contra vero, si quis ex voto teneatur peregrinationis causa Romam contendere, & non possit nisi Cajetam usque ire (quia, verbi gratia, scit in reliquo itinere parari sibi insidias) certe non tenetur ire Cajetam, nec militant regulæ adductæ: *Qui non potest totum* &c. Et ratio est, quia ire Cajetam non est peregrinatio Romana, quam vovit, quamvis sit pars itineris, quo itur Romam. Eodem pacto licet contritio esset pars necessaria Confessionis Sacramentalis, non est tamen confessio; adeoque si peccator conteratur, recte quidem facit, nullo tamen pacto implet præceptum Ecclesiasticum Confessionis Sacramentalis, quod in tali circumstantia non tenetur implere, cum nemo ad impossibile teneatur.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Attritione Supernaturali.

I. Quodnam debeat esse motivum Attritionis supernaturalis?

II. Num possit esse supernaturalis attritio, si moveatur ex motivo pœnarum temporalium?

III. Num sufficiat in Sacramento Attritio naturalis, vel quæ sit putata supernaturalis?

IV. Quomodo possit dici actus honestus Attritio, quæ sit detestatio culpæ ex motivo pœnarum?

V. Qui odit culpam propter pœnam, nonne magis odit pœnam, quam culpam?

VI. Num attritio ex motivo gehennæ sit peccati detestatio super omnia?

VII. Certumne sit Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ justificare?

VIII. Utrum in articulo mortis Confessioni præmitti debeat Contritio?

IX. Ex eo, quod in Sacramentis conferendis non liceat sequi opinionem probabilem de eorum valore, omissa tutiore, non sequitur debere confessioni præmitti contritionem. Nec sequitur, quod non possit conferri absolutio cum jurisdictione solum probabili.

X. Quonam pacto dicatur homo in Sacramento ex Attrito fieri Contritus?

I. EX iis, quæ diximus in expositione thesis quinquagesimæ septimæ ab Innoc. XI. proscriptæ constat, ad valide, ac fructuose suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ non sufficere Attritionem naturalem, hoc est quæ moveatur a motivo cognito lumine naturali, ut si quis doleat de furto commisso propter suspendium. Quare hic solum inquirimus de Attritione supernaturali.

Quæritur autem primo; Quid sit attritio, & unde moveatur?

Respondeo, Attritionem definiri a Trident. quod sit dolor de peccato, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ, & pœnarum metu conceptus.

Dices, non sufficienter a Trid. motiva attritionis assignari. Primo, quia potest quis atteri etiam ex desiderio gloriæ. Secundo, quia esto gehenna, seu pœna æterna, utpote lumine fidei cognita, sit motivum attritionis supernaturalis; pœnæ tamen temporales non videntur posse esse motivum attritionis; quia nobis objiciuntur lumine naturali, non fidei: Unde actus attritionis ex metu pęnarum temporalium conceptus non est supernaturalis, sicut requiritur, ut possit cum Sacramento justificare: ergo dum dicit Trident. ex gehennæ, & penarum metu, verbum illud pęnarum, est superfluum.

Respondeo, nego antecedens. Ad primum dico, attritionem differre a contritione per hoc quod ista detestatur peccatum ut malum Dei, & quia illi displicet; attritio vero detestatur ut malum proprium peccatoris, & quia sibi nocet. Unde merito attritio dicitur etiam contritio imperfecta, quia non attingit summam peccati odibilitatem, quam potest, quæ est contrarietas cum divina bonitate, quam lædit: Detestatio enim eo est imperfectior, quo minus attingit odibilitatem objecti; sicut amor eo est imperfectior, quo minus attingit amabilitatem sui objecti. Quare sicut in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta sunt; contrita vero dicuntur, quæ in particulas minutissimas sunt comminuta; ita cor dicitur per motiva attritionis solum atteri, & imperfecte conteri. Quia tamen motivum attritionis, ut diximus, est peccatum, inquantum est malum peccatoris, & peccatum dupliciter est malum peccatoris: Primo formaliter, inquantum illum deturpat, & fœdat: Secundo causaliter, inquantum causat illi pœnas; idcirco duplex a Trid. assignatur motivum attritionis. Primo fœditas ipsa peccati. Secundo pęna. Et quia pęna, quæ per peccatum infligitur, est amissio boni æterni, gehenna, & pęna temporalis, ideo ex Lugo, Suar. & aliis habetur verissima attritio, tam ex timore amissionis gloriæ, seu ex desiderio gloriæ, quam ex timore gehennæ: & utrumque motivum a Trid. comprehenditur sub timore gehennæ, quia gehenna per pęnam damni privat gloria æterna.

II. Ad secundum; quando Trid. addit verbum illud *Pœnarum*, significat, quod habetur verissima attritio supernaturalis etiam per timorem pęnarum temporalium, ut sentiunt Suar. aliique communiter contra Vasq. qui videtur semper exigere motivum aliquod æternum ad attritionem. Probatur, quia Trid. adducit exemplum Ninivitarum, qui ad Jonæ prædicationem pęnitentiam egerunt, timentes solum pęnam temporalem, scilicet excidium civitatis: ergo dolor etiam ex pęnarum temporalium metu conceptus ex Trident. satis est ad veram attritionem.

Verum quidem est pęnas temporales objici nobis lumine naturæ, ut infligendas a creaturis, puta suspendium a judice; at objiciuntur nobis lumine fidei pęnæ temporales, inquantum infligendæ a Deo, & inquantum indicant ejus iram, quæ puniendo in hac vita dat peccatori inchoamentum supplicii æterni. Unde sub hoc motivo pœnæ temporales causant attritionem supernaturalem; quæ, ut advertit Lugo disp. 5. Valent. aliique, respectum debet habere ad Deum, ut possit cum Sacramento justificare; cum enim peccatum sit aversio a Deo, dispositio ad reconciliationem debet esse conversio ad Deum. Unde qui atteritur attritione dispositiva ad reconciliationem in Sacramento, debet respicere tanquam motivum doloris ipsum

Deum,

Deum, atque adeo dolor oriri debet ex timore pęnarum, ut a Deo infligendarum, seu ex timore omnipotentiæ divinæ, quæ potest nos juxta nostrum demeritum punire. Et sane sicuti spe supernaturali speramus a Deo non solum gloriam, sed etiam bona temporalia; ita timore supernaturali timere possumus ab Omnipotentiâ Vindice non solum pęnas æternas, sed etiam temporales, scilicet deformitatem animæ, amissionem meritorum antecedentium, lapsum facilem in novas culpas, conscientiæ turbationem, pęnas purgatorii, & pęnas hujus vitæ corporales.

III. Quæritur secundo, Utrum attritio disponens in Sacramento ad justificationem possit esse vel naturalis, vel supernaturalis putata, an vero debeat esse vere supernaturalis?

Respondeo, ab Innoc. XI. damnatam esse propositionem 57. quæ habet: *Probabile est ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Et ratio est, quia in eodem genere debet esse dispositio, & forma, cum dispotio habilitet subjectum ad recipiendam formam; ergo si gratia est supernaturalis, debet pariter esse supernaturalis attritio disponens ad illam. Unde Trident. sess. 14. c. 4. appellat illam Donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum. Et sess. 6. cap. 5., & can. 3. dicit eam fieri per gratiam adjuvantem, & excitantem, ac per prævenientem Spiritus Sancti inspirationem; Atqui omnes actus, qui fiunt hoc modo, sunt supernaturales simpliciter; & quoad substantiam; alioquin non esset, cur diceremus, actus fidei, spei, & charitatis esse supernaturales quoad substantiam, licet nequeant fieri sine speciali auxilio, & adjutorio Spiritus Sancti; ergo attritio disponens ad justificationem in Sacramento debet esse supernaturalis. Quod fusius explicavimus in expositione hujus thesis profligatæ.

Hinc sequitur, errasse Canum, cum dixit sufficere ad justificandum attritionem solum putatam supernaturalem: hæc enim non est ex adjutorio, & impulsu Spiritus Sancti, sicut debet esse ex Trident.: ergo sola attritio vera supernaturalis disponit in Sacramento ad justificationem. Aliqui apud Machado existimarunt, attritionem naturalem sufficere ad valorem Sacramenti, non vero ad ejus fructum: Unde ex illa putarunt fieri Sacramentum validum, & informe. Alii vero cum Soto, Cano, Hurtado, Valent. apud Leand. de pęnitentia putarunt, attritionem naturalem sufficere etiam ad fructum Sacramenti. Dubium est num utraque hæc sententia damnata sit ab Innoc. XI. an solum secunda. Equidem puto cum Lumbier, quod utraque; atque adeo attritio vere supernaturalis requiritur non solum ad fructum, sed etiam ad valorem Sacramenti pęnitentiæ.

Est autem attritio vere supernaturalis, si habeat pro motivo Deum, inquantum cognitum lumine supernaturali; v. g., si quis, ut diximus, doleat de peccato ex metu pęnarum, ut infligendarum a Deo peccati vindice. Unde fit, ut ipsa consideratio turpitudinis peccati tunc solum causet attritionem supernaturalem, quando turpitudo peccati consideratur cum respectu ad Deum per oppositionem, quam dicit peccatum cum aliqua Dei excellentia, v. g. cum reverentia, gratitudine, obedientia, justitia illi debita; vel si consideratur peccatum ut oppositum virtutibus supernis, quibus duntaxat consequi possumus vitam æternam, quæ lumine superno attingitur. Quod si fęditas peccati non consideretur cum respectu ad Deum, sed tantum per difformitatem, quam habet ad rectam rationem, & ad convictum humanum; quia hæc consideratio non exigit lumen supernaturale, non causat attritionem supernaturalem, ut advertunt Lugo disp. 5. num. 142., Valent., aliique.

IV. Quæritur tertio, quomodo Attritio, quæ est detestatio peccati ex motivo gehennæ, & pęnarum, sit actus honestus?

Respondeo, Bajum, Jansenium, eorumque asseclas damnare ut vitiosam detestationem peccati ex metu pęnarum, eo quod videatur talis detestatio magis abhorrere pęnas, quam culpam; propter quod enim unumquodque tale, & illud magis. Catholici autem omnes eam ut honestam commendant; cum Trid. sess. 14. cap. 4. appellet illam Donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, & Scripturæ sæpe hunc timorem suadeant, ut Lucæ 12. *Timete eum, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere in gehennam.* Et ratione probatur, quia si timere pęnas, & propter illas culpam fugere, esset vitium, jam malum esset pęnas imponere, cum idcirco imponantur pęnæ, ut terreant, & terrore suo retrahant a culpis. Quomodo enim impositio pęnæ esset honesta, si ejus finis esset pravus? finis enim pęnæ est timor, qui per adversarios est pravus. Præterea pęnæ sunt ex se juxta rationem naturalem timendæ; ergo juxta rationem naturalem, atque adeo honeste timeri possunt, & timor hic ordinari potest ad finem bonum, scilicet ad culpam fugiendam, & detestandam.

Dices primo: Inhoneste operatur, qui ordinat majus bonum ad minus, sed qui detestatur culpam propter timorem pęnæ, ordinat carentiam culpæ, quæ est majus bonum, ad carentiam pęnæ, quæ est minus; ergo inhoneste operatur.

Respondeo, distinguo majorem, si majus bonum ultimate ordinatur in bonum minus, concedo; si non ultimate, nego majorem; & omissa minore, nego consequentiam. Christus Dominus non inhoneste operatur ordinando sua merita, quæ sunt bonum majus, in nostram

salu-

salutem: nec nos inhoneste operamur, ordinando Sacrificium Missæ ad obtinendum bonum temporale; quia hoc ipsum ordinatur ultimate ad divinam gloriam, quæ est bonum maximum. Ita qui detestatur culpam propter pœnam, ordinat quidem immediate, & proxime carentiam culpæ ad carentiam pœnæ; vult enim carere culpa, quia vult carere pœna; sed hoc ultimate est referibile in gloriam divinam, & virtualiter refertur in Deum tamquam in ultimum finem.

V. Dices secundo: qui detestatur culpas propter pœnas, plus odit pœnas, quam culpas: *Propter quod enim unumquodque tale, & illud magis*. Sic qui odit filium propter patrem, plus odit patrem, quam filium: sed odisse plus pœnas, quam culpas iniquum est, & præposterum; ergo attritio non est actus honestus.

Confirmatur; nam qui odit peccatum ob metum gehennæ, videtur esse cum ea animi præparatione, & affectu conditionato, ut si non daretur gehenna, non odisset peccatum, quod certe iniquum est.

Respondeo, in peccato duplicem reperiri malitiam, & odibilitatem, alteram ex eo, quod sit injuria Dei, alteram ex eo, quod sit inductiva pœnarum. Prior malitia est longe major, & non postponibilis secundæ; Potest tamen quis attingere secundam sine obligatione attingendi primam; quia sicut in actibus intellectus *Præscindentium non est mendacium*, ita in actibus voluntatis *Præscindentium non est malitia*. Itaque qui ex motivo pœnarum odit culpam, odit quidem per hunc actum magis pœnas, quam culpam; sed potest per alium actum attingentem odibilitatem, quam habet culpa, inquantum est injuria Dei, magis odisse culpam, quam pœnas: sic qui odit filium propter inurbanitatem patris, odit quidem hoc actu magis patrem, quam filium; sed potest alio actu odisse magis filium, quam patrem, si attingeret, v. g., filium ut homicidam. Hinc fit, nullam haberi deordinationem in detestanda culpa propter pœnam, ita ut per hunc actum magis pœna, quam culpa odio habeatur, quandoquidem potest culpa odio haberi magis, quam pœna, si attingatur odibilitas culpæ, inquantum est injuria Dei, a quo motivo hic & nunc præscinditur sine ulla culpa; eo quod præscindentium non est malitia.

Ad confirmationem, nego antecedens: sicuti quando David dicebat in Psalmo 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*, non erat David cum ea præparatione animi, & affectu conditionato, ut nollet servare legem Dei, nisi consequeretur retributio; sed solum hoc motivo adjuvabatur ad id, quod cæteroqui etiam vellet, si tale motivum non adesset: ita in casu nostro. Quæ omnia fusius elucidantur in expositione decimæ quartæ, ac decimæ quintæ thesis ab Alex. VIII. confixæ.

VI. Quæritur quarto, an attritio ex motivo gehennæ, & turpitudinis peccati sit detestatio peccati super omnia?

Respondeo, attritionem ex motivo gehennæ non esse super omnia; quia ex vi hujus actus non potest penitens habere affectum subeundi potius pœnas, quam carendi culpa, cum ratione hujus actus magis pœnas, quam culpam detestetur. Unde hic actus, licet sit honestus, ut diximus, quatenus ordinat ad detestationem peccati medium ordinatum a Deo ad talem detestationem, non est tamen actus perfectissimus: Contra vero, qui illustratus lumine superno odit peccatum ob ejus turpitudinem, odit peccatum super omnia, quia malum culpæ excedit omne aliud malum: ergo vi hujus motivi detestatio peccati est super omnia; quamvis non habeatur formalis, sed virtualis tantum comparatio peccati cum aliis malis pœnarum.

VII. Quæritur quinto, Certumne sit attritionem cum Sacramento penitentiæ justificare?

Respondeo cum Lugo, Salas, Perez, aliisque, esse id moraliter certum post Trident. sess. 14. cap. 4., ubi loquens de attritione, hæc habet: *Quamvis sine Sacramento pœnitentiæ ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*. Non loquitur autem Concilium de dispositione remota ad gratiam impetrandam, cum etiam extra Sacramentum habeat attritio talem dispositionem: ergo loquitur de dispositione proxima; atque adeo ex verbis Tridentini si minus de fide, certum tamen moraliter est, attritionem cum Sacramento satis esse ad justificationem. Quod etiam patet ex institutione hujus Sacramenti, quippe quod est Sacramentum mortuorum, & non vivorum; si autem deberet semper præsupponi contritio, nunquam per Sacramentum penitentiæ conferretur vita, & nunquam Sacerdos remitteret, sed supponeret peccata per contritionem remissa. Præterquamquod Sacramentum penitentiæ in lege gratiæ novum onus adderet sine speciali prærogativa, (quam certe tribuit) si tantum exigat a nobis attritionem facilem, non contritionem, quæ maxime difficilis est.

Non nego, plures Doctores ante Trident., imo aliquos post Trident. asserere, attritionem non esse sufficientem ad justificandum cum Sacramento. Verum hæc opinio post Trident., tamquam improbabilis, rejicitur communissime, ut constat ex iis, quæ fuse dixi in Trutina Theologica in expositione 14., & 15. thesis ab Alex. VIII. confixæ. Fuit quidema opinio probabilis ante Trident. suffulta auctoritate ma-

te magnorum virorum, sed post Trid. omnem probabilitatem amisit; sicut plures opiniones, quæ quondam probabiles fuerunt, postquam a Pontificibus damnatæ sunt, probabilitatem omnem exuerunt. (*a*)

„ (*a*) Adversus ea, quæ hic a P. Viva „ scripta sunt, ita more suo debachatur P. „ Concina Tom. 7. pag. 86. Audiamus illum.

„ *Quam sint falsæ, & intemperatæ Censu-* „ *ræ PP. Viva; Balthassaris, Francolini, &* „ *aliorum plurium Causistarum in sententiam* „ *exigentem amorem initialem.*

„ *Ut methodo mihi præstitutæ insistam, &* „ *quam perpetuo servare soleo (utinam illam ser-* „ *varent adversarii mei) priusquam quidquam* „ *pronunciem adversus P. Dominicum Viva il-* „ *lius verba sincere & integre transcribo. In suo* „ *cursu Theologico Tom. 2. p. 6. q. 3. art. 2. n. 6.* „ *P. Dominicus Viva hæc scribit.* „ Ex verbis „ Trident. si minus de fide certum tamen mora- „ liter est, attritionem cum Sacramento satis „ esse ad justificationem .... Non nego plures Do- „ ctores ante Tridentinum, imo aliquos post „ Tridentinum asserere attritionem, non esse „ sufficientem ad justificandum cum Sacramen- „ to. Verum post Tridentinum tanquam im- „ probabilis rejicitur communissime, ut constat „ ex iis quæ fuse dixi in Trutina theologica... Fuit „ quidem opinio probabilis ante Tridentinum „ suffulta auctoritate magnorum Virorum; sed „ post Tridentinum omnem probabilitatem ami- „ sit: Sicut plures opiniones, quæ quondam pro- „ babiles fuerunt postquam a Pontificibus sunt „ damnatæ, probabilitatem omnem exuerunt „.

„ *Tandem aliquando (pergit tironice, & per Sar-* „ *casmum P.* Concina) *coercitam, & limitatam* „ *videmus amplissimam* Probabilismi *jurisdictio-* „ *nem. Omnem probabilitatem amisit doctrina* „ *charitatis inchoatæ necessariæ ad peccatoris ju-* „ *stificationem in Sacramento pœnitentiæ: & hanc* „ *probabilitatem amisit, sicut illam amisere plu-* „ *res opiniones postquam damnatæ sunt a Pon-* „ *tificibus. En quam modestæ, quam Tempera-* „ *tæ, quam obsequiosæ erga Alexandrum VII.* „ *sunt censuræ P. Viva ....*

„ *Insurgit P. Viva in sua Trutina in propos. 15.* „ *damnatam ab Alex. VIII. suasque censuras sic* „ *defendit a prohibitione Decreti Alex. VII.* Ex quo „ perspicuum est præceptum istud in virtute S. „ Obedientiæ, ne censura ulla his opinioni- „ bus inuratur, non impedire quominus aliqua „ ex iis dici possit improbabilis & falsa: ut do- „ cent Theologi communiter „: Admitto do- „ ctrinam. *At cur eam non admittunt Probabili-* „ *stæ in aliarum opinionum censuris? Cur quando* „ *rejicimus tanquam improbabiles falsas, & ni-* „ *mium laxas innumeras Probabilistarum opi-* „ *niones continuo obtrudunt Decretum Innoc. XI.* „ *quo cavetur ne censura, nota, aut convicio no-* „ *tentur propositiones, quæ adhuc inter Catholi-* „ *cos hinc inde controvertuntur.*

„ *Quid plura? P. Viva ultra pergit. Docet ita* „ *improbabilem esse sententiam nostram, & exuis-* „ *se omnem probabilitatem; sicut plures opinio-* „ *nes, postquam a Pontificibus damnatæ sunt.* „ *Eodem ergo loco, Judice sedente P. Viva haben-* „ *da est hæc de nostra Attritione Initiali, (voluit* „ *dicere de Charitate Initiali) sententia quo ha-* „ *bentur propositiones ab Ecclesia damnatæ. Et* „ *dum talia scribit P. Viva obsequium & obedien-* „ *tiam exactissimam se præstare credit Alexan-* „ *drino Decreto. Judicent autem æqui rerum æsti-* „ *matores, quo partium studium, & impotens* „ *erga opiniones minus probabiles inveteratus* „ *amor impellat.* Hactenus Concina. Sed quid „ P. Nocetius *cap. LXXXVI. Veritatis vindica-* „ *tæ.* Audiamus & illum.

„ Utrum P. Concina perpetuo servet hanc me- „ thodum ut sententias Jesuitarum Sincere, & „ Integre transcribat, satis jam, credo, patet: Ve- „ niamus ad falsam, & injustam criminationem.

„ Observandum tamen est prius diligenter P. „ Vivam non loqui de quacumque sententia exi- „ gente amorem initialem, ut sonant verba P. „ Concinæ: Sed de illa solum, quæ nomine amo- „ ris initialis intelligit amorem Dei propter se „ benevolum, & super omnia; sive appretiative „ summum, quamquam intensive remissum. „ Hanc P. Viva, & alii dicunt improbabilem, quia- „ putant omnem hujusmodi amorem justificare „ extra Sacramentum, freti tum auctoritate „ Scripturæ, & Concilii Tridentini, tum damna- „ tione propositionum Baii. In quo recte ne an „ secus sentiant, ego non disputo, sed eorum tan- „ tum mentem sincere refero. Cæterum senten- „ tiam exigentem amorem initialem, & nomine „ hujus amoris intelligentem, aut amorem con- „ cupiscentiæ inclusum in spe, aut propositum „ servandi totam legem, adeoque servandi pri- „ mum, & maximum mandatum; sive proposi- „ tum amandi Deum imposterum super omnia, „ quod propositum est initium quoddam amoris: „ talem, inquam sententiam, P. Viva non modo „ non vocat improbabilem, sed ultro amplecti- „ tur, ut patere potest cuilibet legenti ipsum in „ Trutina ad propositionem 15. Alex. VIII. n. 32.

„ Hoc Observato: falsum omnino est P. Vi- „ vam censurare, & multo magis est falsum cen- „ surare Intemperanter. Ratio. Nam P. Viva non „ aliud tandem piaculum admisit, nisi vocare „ improbabilem sententiam asserentem neces- „ sarium esse ad justificationem in Sacramento „ amorem benevolum Dei propter se, & super „ omnia, sive appretiative summum, licet inten- „ sive remissum. Porro improbabilis tantum ab- „ est, ut sit censura intemperata; ut ne sit qui- „ dem censura.

„ Primo, quia in nulla Pontificia Constitu-„ tione damnante propositiones inveniet P. „ Concina hujusmodi censuræ genus.

„ Secundo, quia gravissimi Theologi, quos „ citat & sequitur eximius Doctor Franciscus „ Suarez de fide disp. 19. sect. 2. enume-„ rantes, atque explicantes censuras theo-„ logicas nusquam inter illas recensent im-„ probabile.

„ Tertio: quia alii Theologi communiter „ non modo, non recensent improbabile in-„ ter censuras; sed illud expresse a censuris „ excludunt, ut videre est apud La-Croix „ lib. 1. num. 199. & lib. 6. part. 2. num. „ 875. Audiatur Cardenas, quem doctissimum „ esse P. Concina ultro fatetur. Is igitur „ in Crisi disp. 9. num. 297. hæc habet.

„ His accedit, quod improbabile non est „ censura theologica, ut notavit P. Hurtado „ 2. 2. disp. 81. §. 46. addens §. 41. Temerariam „ esse levissimum genus censuræ theologicæ. „ Et Indice expurgatorio Inquisitionis Hi-„ spanicæ in regulis generalibus regula 16. „ ponuntur omnes theologicæ censuræ, ob „ quas expunguntur propositiones; & non „ fit mentio propositionis improbabilis & „ quidem in materia morum aliquæ sunt opi-„ niones strictæ improbabiles, quæ tamen, „ quia non scandalum generant sicut laxæ „ improbabiles: Ideo non damnantur ab In-„ quisitione.

„ At etiam P. Concina admittit doctri-„ nam hanc. Sed per superos omnes si ad-„ mittit, ut ipse profitetur doctrinam hanc, „ id est si admittit improbabilem ne esse qui-„ dem censuram, & ideo non vitari ab Ale-„ xandro VII. vetante cæteroquin censuras: „ Cur scribit quam sint intemperatæ Censuræ „ P. Viva? Cur scribit an quam modestæ, quam „ temperatæ quam obsequiosæ erga Alexand. „ VII. sunt censuræ P. Viva? cur scribit P. „ Vivam suas censuras sic defendere? cur sar-„ casmis, & ironiis insectatur P. Vivam „ propter censuras? Cur illum propter cen-„ suras violari Alexandrini Decreti reum „ postulat?

„ Paucis. Improbabile, vel censura est, „ vel non est. Si est; cur P. Concina ad-„ mittit illam doctrinam „ quæ docet non „ esse? Si non est; cur calumniatur Vivam, „ tanquam utentem intemperatis censuris? „ Extricet hæc qui potest.

„ Quod quærit P. Concina cur eandem „ doctrinam non admittant Probabilistæ in „ aliarum opinionum censuris: quæro ego, „ Putat ne esse idem appellare una vice „ unam sententiam improbabilem; & qua-„ libet fere pagina appellare omnes quæ non „ arrident, quamvis multis ac magnis au-„ ctoribus commendentur; appellare, inquam, „ laxas, laxissimas, laxitatis plenas, horrendas, „ piis auribus horrorem incutientes, scanda-„ li plenas, scandali plenissimas, Portentosas, „ de sentina Probabilitatis Effluentes, Erro-„ nea Commenta, Monstra, Paradoxa inaudita; „ & his similia: improbabile non esse cen-„ suram, ac proinde non vetari ab Alexan-„ drino Decreto etiam ipse cum omnibus „ Theologis ultro concedit. Potest ne æquo „ jure concedere laudatas venustates, quibus „ tanquam pigmentis illita est tota sua Theo-„ logia, non esse vel censuras vere theologi-„ cas, vel inurbana convicia, quæ in virtu-„ te S. Obedientiæ vetantur a Decreto In-„ nocentiano? Et tamen cum illa impinge-„ re huic vel illi sententiæ sibi religioni non „ vertat; modo tam delicatis est auribus, ut „ ad voculam Improbabilitatis commoveatur; „ & contra P. Vivam, quia illam adhibuit, „ tot rumores cieat.

„ At Decretum Innocentianum, ait P. „ Concina, non loquitur de sententiis, quas „ defendit & ille Casuista; sed de iis solum, „ quas defendunt integræ scholæ, inter se „ dissidentes, ut essent ex. ca. decreta præde-„ terminantia, Scientia Media, Decreta con-„ comitantia & his similia.

„ Primum si quis Jesuita uteretur hac in-„ terpretatione, clamaret statim P. Concina, „ eludi distinctiunculis Decreta Pontificia; „ nullam legem admissis hujusmodi interpre-„ tamentis posse consistere, ut sæpe clamat, „ quando id e re sua ducit.

„ Deinde illa interpretatio nullo nititur „ fundamento. Decretum non dicit „ Pro-„ positiones, quæ adhuc inter Scholas Catho-„ licas hinc inde controvertuntur „ Sed „ „ quæ adhuc inter Catholicos „ quæ ratio „ est coercendi Decretum, & explicandi de „ solis propositionibus, quæ inter Scholas Ca-„ tholicas disputantur? Controverti vero in-„ ter Catholicos plurimas opiniones, quas „ P. Concina, vel theologicis censuris, vel „ turpissimis conviciis dehonestat, manife-„ stum est. Cum neque ab Ecclesia proscri-„ ptæ sint, & a multis propugnentur, & „ non raro sint communissimæ, ut de non „ paucis in hoc opusculo, cum se tulit occa-„ sio, palam feci: quamquam ipsis consueto „ artificio sola nomina Tamburini, Vivæ, „ La-Croixii præfigantur.

„ Demum præfata interpretatio satis pro-„ pulsatur a fine Decreti. Finis enim est, „ quemadmodum ait Pontifex ut paci, & „ charitati consulatur. Porro pax, & chari-„ tas ipsa experientia teste, non minus vio-

„ lantur per censuras, & convicia in propositiones primi generis, quam in propositiones secundi.

„ Quod carpit P. Vivam, quia scripsit sententiam requirentem ad justificationem in Sacramento amorem Dei benevolum propter se, & super omnia, amisisse probabilitatem, sicuti amiserunt multæ propositiones postea damnatæ ab Ecclesia, est mera cavillatio. Vel Logici primorum mensium norunt, particulam sicut non semper afferre secum perfectam, & omnimodam similitudinem. Itaque similitudo illa in his limitibus sistit quod sicut multæ propositiones probabiles, per aliquid superveniens, nempe per damnationem Ecclesiæ factæ sunt improbabiles.

„ Ita illa sententia olim probabilis, per aliquod superveniens nempe per argumenta Theologica ex Tridentino petita, facta est improbabilis. Neque excurrit ad comparanda inter se, & exæquanda illa quæ decursu temporis supervenerunt. Neque enim P. Viva ita insanit, ut putet tantum habere ponderis argumenta illa, quæ ut ipse diserte ait, pariunt solum certitudinem moralem, quantum ponderis habent Ecclesiæ definitiones quæ pariunt certitudinem infallibilem.

„ Quod vero P. Viva hæc scripserit impulsus a studio partium, & ab impotenti inveterato erga opiniones minus probabiles amore, in primis istæ sunt consuetæ urbanitates quibus P. Concina obsequium, & obedientiam exactissimam se præstare credit Innocentiano Decreto. Deinde non video, cur opinionem de sufficientia attritionis appellet minus probabilem. Certe Alexander VII. dixit esse inter scholasticos communiorem: Et ignoro utrum post Alexandrum ullum novum argumentum contra ipsam inventum sit; aut alia nova solutio ad argumenta probantia certitudinem ejus moralem quæ certitudo prius est destruenda: & tunc ea sententia non poterit deduci ad praxim in conferendo, vel suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento juxta Decretum Innoc. XI. Sed hæc non pertinent ad præsens institutum. Qui videre velit eam sententiam ab Eminentissimo ac Doctissimo probabiliorista hisce nostris temporibus propugnatam adeat Cardinalem Gotti *Tract. de Pœnitentia dub.* 4. §. 2. Ita Nocetius.

VIII. Quæritur sexto; Num in articulo mortis teneamur ob majorem securitatem, & ne exponamur periculo damnationis, excitare nos ad contritionem ante susceptionem Sacramenti, an satis sit attritio, etiam cognita ut talis; Ubi etiam quæritur, utrum postquam damnata est primo propositio ab Innoc. XI. dicens, non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore teneamur nunc practice sequi sententiam tutiorem asserentem, requiri ad Sacramentum pœnitentiæ contritionem?

Respondeo cum Lug., Laym., Perez, Becan., Fagund., Turrian., aliisque contra Suar. disp. 15. sect. 4. num. 19., ne in articulo mortis obligari nos ad præmittendam contritionem Sacramento pœnitentiæ. Et ratio est, quia præcepta hominibus imposita non obligant, nisi humano modo, & juxta hominum conditionem; non ad diligentiam metaphysicam, & exquisitissimam, sed ad humanam, & moralem, aliter essent intolerabilia, & supra vires humanas, & nunquam ita satisfactum esset, ut non superesset nova diligentia adhibenda. Quare etiam in negotio æternæ salutis satis est adhibere ea media, in quibus nullum est periculum morale, & probabile, etiamsi sublit dubium aliquod, & periculum valde remotum; Alioquin qui peccavit, teneretur statim conteri de peccato, quia dubium aliquod est, an sit repente moriturus; Nec posset quis esse contentus, elicuisse semel actum contritionis, & semel confessum esse; nam cum sit incertum, an contritio, & confessio fuerint valida, deberent iterum atque iterum repeti; Deberet etiam homo procurare iterationem Baptismi sub conditione, si forte primus fuit invalidus; Quæ tamen sunt absurda, & onus hominibus intolerabile. Cum ergo sententia putans, attritionem sufficere in Sacramento ad justificandum, sit moraliter certa, nec ullum sit prudens dubium, aut periculum probabile de ejus falsitate, satis superque præcepto assecurandi salutem æternam satisfacimus per attritionem in Sacramento etiam in articulo mortis. Urget certe in articulo mortis obligatio ponendi actus amoris Dei super omnia, ratione cujus peccator justificatur; Hoc autem posito, nullatenus teneretur deinde contritionem Sacramento pœnitentiæ præmittere, quia adhibendo attritionem post præmissum actum amoris Dei, adhibetur medium ad salutem, in quo nullum est probabile periculum; Immo id etiam probabiliter verum est, quamvis post præmissum actum amoris Dei moribundus iterum peccaret, & peccatum clavibus subjiceret. At in tali casu ad securitatem salutis æternæ actus amoris Dei repetendus esset.

Hinc patet, a fortiori licere extra mortis articulum præmitttere attritionem Sacramento pœnitentiæ, etiam post primam illam propo-

 sitio-

ſitionem damnatam ab Innoc. XI., quia in tali caſu non ſequimur, relicta tutiore, opinionem probabilem, ſed moraliter certam, atque adeo tutam, quod non eſt prohibitum.

IX. Nonnemo dixit, ab Innoc. XI. ſolum damnari, quod liceat ſequi opinionem probabilem, omiſſa tutiore, in conferendis Sacramentis; atque adeo in iis ſolum, quæ pertinent ad Miniſtrum conferentem Sacramenta, non vero in iis, quæ pertinent ad ſuſcipiendum illa, ut eſt attritio.

Sed merito rejicitur a Lumbier Obſervat. 15. §. 4., quia attendendus eſt ſcopus prohibitionis, quæ vult vitare periculum fruſtrandi Sacramenta, atque adeo tam comprehendit, quæ pertinent ad Miniſtrum conferentem, quam quæ pertinent ad ſuſcipientem Sacramenta. Advertit tamen idem Lumbier obſervat. 3. §. 5. diſtinguenda eſſe duo genera opinionis tutioris: Alterum eſt tutioris in executione, & relate ad conſequendum effectum: Alterum vero tutioris in genere doctrinæ: Verbi gratia, ſtatus anachoreticus dicitur tutior in ordine ad conſequendam ſalutem æternam, non tamen eſt tutius docere nos obligatos eſſe ad talem ſtatum; Sic etiam tutius eſt iterare Baptiſmum ſub conditione, ſi forte prior fuerit invalidus; tutius etiam eſt in executione iterare contritionem ſingulis momentis, &c., ſed hæc non ſunt tutiora in genere doctrinæ; quia ſi doceamus, eſſe obligatos homines ad hanc iterationem, inumeris anxietatibus, & oneri intolerabili ſubderentur; quod in deſperationem illos vocaret. Idem dicit in caſu de attritione, & aliis ſimilibus; tutius quidem eſt in ordine ad Sacramentum non fruſtrandum adhibere contritionem, ſed non eſt tutius in genere doctrinæ docere, homines obligatos eſſe ad illam præmittendam Sacramento pœnitentiæ. Eodem modo diſcurri poteſt, dum quæritur, An poſita damnatione illius propoſitionis, teneamur de ſingulis peccatis explicite dolere, ut ſentit Vivaldus? An teneamur habere propoſitum formale; An teneamur immediate ante abſolutionem elicere dolorem, ut habeatur major propinquitas moralis inter partes eſſentiales Sacramenti? An dolor procedere debeat ex intentione confeſſionis? An teneamur attritioni addere aliquem amorem Dei? Quod paucis abhinc annis adeo pugnaciter controverſum fuit, ut Alex. VII. Bullam hac de re expedierit die 5. Maji 1667. in qua præcipit, ne quis de hoc puncto agens contrariam ſententiam cenſurare audeat. Quæ, & his ſimilia procul dubio tutiora ſunt in executione, non vero in genere doctrinæ, ut explicavimus. Quinam autem ſit amor Dei initialis, qui in Attritione ſupernaturali includitur, fuſe oſtendimus in expoſitione theſis 15. confixæ ab Alex. VIII., ubi oſtendimus, ſine ullo amore Dei formali Attritionem eſſe honeſtam, & ſupernaturalem.

Ex hac etiam doctrina infertur, licite poſſe Sacerdotem cum juriſdictione ſolum probabili abſolvere, atque adeo ſimplicem Sacerdotem in articulo mortis, etiam præſente Parocho, abſolvere poſſe ab omnibus peccatis, & cenſuris moribundum; quia hæc opinio eſt tuta, imo tutior in genere doctrinæ, quamvis oppoſita ſententia ſit tutior in executione, ut explicavimus in Trutina exponendo eam theſim. Innoc. autem XI. damnans propoſitionem aſſerentem, quod poſſimus ſequi in conferendis Sacramentis opinionem probabilem, omiſſa tutiore, non damnat, quod poſſimus ſequi opinionem tutiorem in genere doctrinæ, ſeu moraliter certam, omiſſa tutiore in executione, ut accidit in his, & ſimilibus caſibus.

X. Quæritur ultimo, Quomodo attritio fieri poſſit contritio?

Reſpondeo, non formaliter, ſed æquivalenter; non enim unus actus poteſt evadere alius, ſed poteſt attritio æquivalere contritioni; ſi componatur cum Sacramento; & in hoc ſenſu communiter dici ſolet, quod peccator in Sacramento ex attrito fiat contritus; quia in Sacramento attritio æquivalet contritioni, cum diſponat ultimo ad gratiam, non ſecus ac contritio extra Sacramentum. Præterea poteſt etiam attritio æquivalere contritioni, ſi componatur cum actu amoris Dei ſuper omnia; Nam qui habet attritionem cum actu amoris Dei ſuper omnia, eodem modo eſt diſpoſitus ad gratiam, ac qui habet contritionem. Hinc ſequitur, quod in iis caſibus, in quibus vel per ſe, vel per accidens obligatur peccator ad contritionem, ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi loco contritionis ponat vel attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, vel attritionem cum actu amoris Dei ſuper omnia.

ARTICULUS III.

De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.

I. Non ſufficit in Sacramento dolor virtualis incluſus aut in Amore Dei, aut in propoſito non peccandi de cætero.

II. Nec ſufficit in Confeſſione venialium mera non complacentia de illis cum animo ſuſcipiendi Sacramentum.

III. Non eſt tamen mortale non dolere de ſingulis venialibus, quæ ſubjiciuntur clavibus.

IV. Num dolor debeat aut confeſſionem, aut ſaltem abſolutionem præire?

V. Num

V. Num dolor elici debeat ex intentione suscipiendi Sacramentum?
VI. Quamdiu possit dolor confessionem præire?
VII. Qualiter dolor de venialibus revocetur?
VIII. Num possit sine novo dolore absolutio iterari?
IX. Nequit Superior, auditis solis reservatis, Sacramentaliter absolvere.
X. Probabilius videtur, quod dari possit Pœnitentiæ Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris illimitati.
XI. Non tamen ex variis aliis capitibus olim admissis ab Auctoribus.
XII. Ex quibus omnibus plura inferuntur.

I. DIximus, ad Sacramentum pœnitentiæ non sufficere actum amoris Dei, in quo dolor virtualiter includitur; eo quod dum a Trident. requiritur ad Sacramentum dolor, intelligendum est de dolore proprie dicto, seu de dolore formali, juxta communissimum Theologorum sensum, sive iste dolor sit contritio, sive attritio. Non me latet, Petrum Soto, Sylvestrum, Gabrielem, Rosellam, & alios ante Trident. existimasse, sufficere dolorem virtualem: Vasq. tamen appellat hanc sententiam post Trident. erroneam, & Suar. temerariam. Unde sequitur, nec sufficere dolorem, quod non doleas, contra Navar., Sylvestr., & Sa, quia Concilium exigit dolorem de peccato, non vero dolorem de negatione doloris; Nec sufficit solum propositum non peccandi de cætero; quia tale propositum non solum non est dolor, sed etiam stare potest cum complacentia actuali de peccato commisso.

II. Quæritur tamen primo, An in confessione venialium satis sit pro dolore voluntas suscipiendi hoc Sacramentum sine actuali complacentia peccati, eo quod in tali voluntate virtualis quædam detestatio contineatur.

Respondeo, Sententiam affirmantem non displicere Præposito, Rosellæ, & Tambur., qui asserit Patrem Franciscum Quiros Societatis Jesu in Theologia morali apprime versatum eam reputare veram; quia scilicet Trident. sess. 14. cap. 4. requirit ad valorem hujus Sacramenti motum proprium pœnitentis, (qui certe habetur in eo, qui voluntatem habet suscipiendi hoc Sacramentum, ejusque effectum) & in confessione solum mortalium requirit Trident. detestationem. Unde solum in confessione mortalium videtur, quod dolor debeat esse formalis, & non tantum virtualis.

Verum communis sententia docet, requiri dolorem formalem, etiam in confessione venialium; & practice sententiam hanc tutiorem tenemur sequi, quia tenemur evitare periculum frustrandi Sacramentum; & quidem sub mortali, etiamsi Sacramentum conferatur super re levi, videlicet ad remissionem solorum venialium: Quicquid in contrarium senserit quidam Recentior apud Lug. de pœnit. disput. 14. sect. 8.

III. Quæritur secundo, an sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confessione explicantur?

Respondeo cum Suar., Lug., & aliis communiter negative, quia defectus talis doloris non obstat valori, & fructui Sacramenti. Ex quo sequitur, quod quando confessio est de solis venialibus, non teneamur ponere dolorem universalem.

Dices primo; apponere pro materia Sacramenti materiam ineptam, est peccatum mortale; ut si quis apponeret ad consecrandum cum hostiis triticeis aliquas hordeaceas; ergo peccat etiam mortaliter, qui confitetur aliqua venialia sine dolore, etiamsi de aliis dolorem habeat; quandoquidem ex defectu doloris illa venialia non sunt materia idonea Sacramenti.

Respondeo cum Suar. nego consequentiam: Et disparitas est, quia forma consecrationis per se primo respicit materiam; Unde sub mortali debet apponi solum materia ideonea ad consecrationem: Contra vero forma hæc absolutionis, Absolvo te, non respicit per se primo materiam, sed personam, & effectum gratiæ ex se remissive peccati; & quia semper ac absolvitur persona, confertur gratia, sive habeat illa dolorem de omnibus, sive de aliquibus solum venialibus; idcirco non est mortale non habere dolorem universalem de omnibus venialibus. Eodem modo discurrendum in Sacramento Baptismi, quod non respicit materiam, sed personam. Non enim est mortale miscere aquæ naturali guttas aliquas aquæ rosaceæ in collatione baptismi; quia significatio formæ, & ejus effectus habetur, etiamsi materia non sit usquequaque idonea ad Baptismum.

Dices secundo; apponere in confessione peccatum mortale falsum, est mortale; ergo etiam est mortale apponere veniale sine dolore; cum utrobique materia non idonea apponatur.

Respondeo, concedo antecedens, contra Sylvestrum, qui putat esse tantum veniale, V. *Confessio*, quæst. 8., nego tamen Consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu decipitur Judex in re gravi; secus vero in secundo casu decipitur tantum in re levi, dum putat, pœnitentem dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur, & revera de aliquibus tantum dolet. Dicimus proinde contra Sylvestrum, non posse pœnitentem pro libito augere numerum suorum peccatorum, non quia peccaret mortaliter contra charitatem imponendo sibi crimina, quæ non fecit; nam non inferret sibi grave nocumentum, cum infamato in confessione censeatur levis; sed quia non posset Sacerdos exercere

circa

circa pœnitentem judicium prudens ; Tam enim variatur notabiliter judicium ex occultatione criminis veri, quam ex confessione criminis falsi.

IV. Quæritur tertio ; An dolor debeat Confessionem aut saltem absolutionem præire ?

Respondeo, certum esse dolorem post absolutionem elicitum non sufficere ad Sacramentum. Dubium est, an debeat confessionem antecedere ; Quod si non debeat : Num satis sit si ponatur in eo ipso instanti, in quo completur absolutio, an vero requiratur, ut absolutionem saltem antecedat ?

Circa primum, Coninch. disp. 4. dub. 2. putat, dolorem debere Confessionem præire : Tum quia confessio debet esse signum illius doloris ; ergo debet dolorem præsupponere ; tum etiam quia cæteroqui posset quis per modum historiæ narrare Sacerdoti sua peccata, deinde dolere, & absolvi.

Sed communis sententia negat, debere dolorem præire confessionem ; quod probatur ex praxi fidelium, qui communiter post confessionem ad dolorem a Sacerdote excitantur, & putant suæ obligationi satisfecisse, etiamsi sufficientem dolorem ex inadvertentia, non præmiserint.

Ad rationes in contrarium Coninch respondetur, dolorem etiam consequentem posse fieri sensibilem per confessionem ; quia, ut bene notat de Lugo, ut confessio sit signum doloris, non oportet, ut sit doloris effectus ; sed satis est, ut fiat confessio ad obtinendam remissionem, ad hoc ut confessio sit signum doloris interni, etiamsi hic consequatur confessionem : Hoc enim ipso quod confessio est facta ad hunc finem, satis significat, pœnitentem velle ponere omnia requisita ad talem finem, inter quæ est dolor. Quare qui confitetur peccata, ut recipiat illorum remissionem, sensibiliter declarat, quod vel jam habeat dolorem, vel mox sit illum habiturus ante absolutionem, sicut oportet.

Quibus adde, non solam confessionem esse Signum sensibile doloris interni, cum ipsamet expectatio absolutionis, & tacita ejus postulatio videatur satis significare sensibiliter dolorem internum, non solum ut ponendum, sed ut jam positum.

Ad secundam objectionem respondeo, verum quidem esse quod narratio historica peccatorum, ad quam sequatur dolor, non satis sit ad Sacramentum ; Et ratio est, quia ad Sacramentum requiritur narratio, quæ sit accusatio, seu ordinata ad obtinendam absolutionem in judicio Sacramentali, quæ certe haberi potest, etiamsi dolor post illam consequatur. Ubi adverte, quod qui historice narravit sua peccata Sacerdoti, potest narrationem illam ordinare ad Sacramentum, non quidem solo actu interno, cum confessio debeat esse per se sensibilis, sed actu externo, dicendo verbi gratia, De peccatis narratis me accuso, & sic potest absolvi ; quia sic breviter se accusavit de omnibus peccatis narratis, & posuit sufficientem Confessionem externam.

V. Dubitatur tamen hic, An sicut confessio debet esse ordinata ad Sacramentum recipiendum, ita pariter dolor elici debeat ex intentione Sacramenti ?

Respondeo cum communi contra Perez disp. 19. sect. 6., Reginaldum tom. 1. lib. 5., & Bonacin. negative. Ratio est, quia ideo confessio debet esse ordinata ad Sacramentum recipiendum, quia debet esse accusatio ; nec est accusatio, nisi ordinetur ad absolutionem in judicio Sacramentali : Contra vero nulla est ratio, quæ suadeat, dolorem debere elici ex intentione Confessionis. Quod etiam constat ex praxi fidelium ; nam si quis, verbi gratia, audiendo concionem excitetur ad dolorem, & deinde ex eo dolore moveatur ad Confessionem, hic reputatur bene dispositus, etiamsi desiderium Confessionis oriatur a dolore, & non dolor a desiderio, & intentione Confessionis.

Non negaverim tamen, dolorem, ut fiat aliquo modo sacramentalis, debere dirigi ad confessionem, cum ad conficiendum Sacramentum necessaria sit intentio Sacramenti, & partium illius in ordine ad ejus constitutionem. Dico tamen, non debere dolorem a principio ad confessionem dirigi, & ex desiderio confessionis oriri, cum satis sit, si dolor præteritus ad Confessionem dirigatur.

Neque dicas, actiones Sacramentales debere fieri a principio ex intentione Sacramenti ; Unde ablutio, verbi gratia, quæ non sit a principio ordinata ad Sacramentum, non potest deinde referri ad illud, & conjungi cum forma Baptismi ; ergo cum dolor sit pars Sacramenti, debet a principio referri ad illud, & fieri ex intentione Sacramenti.

Nam contra est, quia illæ duntaxat actiones Sacramentales debent a principio referri ad Sacramentum, & fieri ex intentione illius, quæ pertinent ad formam Sacramenti, seu quæ fiunt a Ministro ; Hic enim cum debeat operari in nomine Christi, debet operari ex fine intento a Christo Domino. Pœnitens autem in hoc Sacramento non est minister, licet ponat dolorem constitutivum illius, tamquam partem materialem ; & ideo non debet ejus dolor elici, tamquam ab operante nomine Christi, & intendente facere Sacramentum ; Quod idem dicitur de eo, qui conficit panem, qui est materia Eucharistiæ.

Circa

Circa secundam difficultatem, An scilicet dolor præire saltem debeat absolutionem? Communis Doctorum sententia affirmat; mihi tamen arridet sententia Mæratii, Granado, Perez, aliorumque, qui censent, satis esse, ut dolor non sit post absolutionem, etiamsi ponatur in eo ultimo instanti, in quo perficitur absolutio. Et ratio est, tum quia vere tunc absolutio cadit supra peccata cum dolore exposita; tum etiam quia voluntas suscipiendi Sacramentum reddit narrationem illam peccatorum, quod vere sit confessio, & accusatio sui dolorosa per dolorem, qui vel jam sit habitus ante confessionem, vel mox sit habendus, ita ut non consequatur absolutionem.

Neque dicas primo; Ante absolutionem, quæ est sententia judicialis, debet præire non solum confessio Rei, sed etiam notitia de dignitate, vel indignitate rei ad obtinendam remissionem; sed Reus tunc est dignus absolutionem recipere, quando dolet de peccatis confessis; ergo si ante sententiam judicialem præcedere debet notitia de confessione dolorosa, quæ reddit reum dignum remissione, consequenter ante absolutionem debet poni dolor.

Nam respondeo, concedendo, quod ante absolutionem præcedere debeat notitia de dignitate Rei ad obtinendam remissionem; Dico tamen, hanc notitiam haberi, si sciatur, quod pęnitens confiteatur peccata, & velit Sacramentum recipere; Si enim vult Sacramentum recipere, vult ponere dolorem, qui non sit post absolutionem, & consequenter etiamsi dolor non præcedat absolutionem, nihilominus ante absolutionem habetur sufficiens notitia de dignitate, seu congruitate pœnitentis ad absolutionem recipiendam.

Neque dicas secundo, dolorem esse dispositionem ad gratiam, quæ in ultimo instanti absolutionis producitur; Universim autem dispositio pręcedere debet formam; ergo & dolor absolutionem.

Nam ultima dispositio non debet præcedere tempore, sed solum natura ipsam formam; sicut de facto contritio non præcedit tempore gratiam, ad quam disponit.

VI. Quæritur quarto, quanto tempore possit dolor confessionem præire?

Respondeo, Leandr. citatum a Tambur. docere cum Hurt., & Candido, quod ad Sacramentum conficiendum satis sit dolor, qui per quodcumque longi temporis spatium Confessionem præcedat, dummodo non sit retractatus vel per actum contrarium, scilicet per complacentiam de peccato præterito, vel per quodcumque aliud peccatum mortale.

Communiter tamen Theologi docent, tamdiu dolorem posse præire confessionem, quamdiu possit virtualiter usque ad confessionem permanere, ita ut cum illa faciat unum moraliter. Dicitur autem virtualiter dolor perseverare, quando si pœnitens interrogetur, cur doluerit, possit illico respondere, se doluisse, ut confiteatur, & non retractasse dolorem, quia vult confiteri; sic pariter intentio conficiendi Sacramentum dicitur permanere virtualiter in Ministro, quando interrogatus sine nova deliberatione statim responderet, se propterea ritum illum externum adhibere, quia vult Sacramentum ministrare. In quo distinguitur voluntas, seu intentio virtualis ab habituali; Nam virtualis (quæ saltem requiritur ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & ad conferendo omnia Sacramenta) debet influere in Sacramentum; ita ut verum sit, quod ex illa intentione consequatur Sacramenti pęnitentiæ susceptio, vel collatio, cujuscumque Sacramenti: Contra vero voluntas habitualis (quæ satis est ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, &c.) non debet influere in susceptionem illorum, sed satis est, quod suscipiens aliquando eam habuerit, nec retractaverit.

Sed quoad praxim difficultas est; Quantum sit illud tempus, in quo dici possit, dolorem virtualiter perseverare, & facere unum moraliter cum confessione?

Respondet Tamburinus ex Præposito, quod per tres, vel quatuor horas; ex Lugo, quod si vesperi, imo etiam die præcedente quis doluerit, censeatur bene dispositus ad Sacramentum suscipiendum die sequenti: Et addit, quod sicut in judicio forensi potest sententia proferri supra Reum discussum, etiam post quatuor, & quinque dies, quidni etiam in judicio Sacramentali? Hoc tamen non admiserim, quia non quæcumque permittuntur in judicio forensi, permittuntur in Sacramentali, nec quæ sufficiunt ad absolvendum a censuris, (a quibus etiam invitus absolvi potest) sufficiunt ad absolutionem Sacramentalem.

VII. Quæritur quinto, quomodo revocetur dolor venialium?

Resp. difficultatem in eo esse, utrum quando pęnitens confitetur mortalia simul, & venialia, & omnia detestatur ex motivo universali offensæ Divinæ, & deinde post hunc dolorem ante absolutionem committit aliquod veniale, utrum, inquam, retractet dolorem illum, ita ut si ad confessionem sine novo dolore accedat, indispositus accedat? Et ratio difficultatis est, quia communiter docent Doctores, quod qui post detestationem mortalium committit aliud peccatum mortale, revocat exercite priorem dolorem; ergo qui committit novum veniale, videtur etiam revocare dolorem illum, quo pœnitens detestatus fuit omnia peccata, tam mortalia, quam venia-

venialia, ex motivo universali offensæ Dei.

Equidem censeo cum Lugo, Perez, Tambur., & aliis per novum veniale non revocari adæquate dolorem illum universalem; Unde qui commisit novum veniale post illum dolorem, potest sine novo dolore valide absolvi. Ratio desumitur tum ex communi praxi Confessariorum, & pœnitentium, quæ est optima legum interpres; nam sine scrupulo censetur communiter dispositus ad Sacramentum, qui post dolorem ante confessionem in aliquem actum impatientiæ, v. g., vel vanæ gloriæ incidit: tum etiam, quia quamvis detestatio sit universalis, non tamen terminatur ad omnia peccata æqualiter, sed inæqualiter, ita ut magis graviora, & mortalia peccata detestetur, quam venialia; unde quamvis detestatio peccatorum fuerit unus actus indivisibilis, non tamen indivisibiliter, & adæquate revocatur; sed per novum veniale commissum revocatur exercite dolor ille, solum inquantum dolor est venialium similium, non vero inquantum est dolor vel venialium graviorum, vel mortalium: Nihilominus sanum consilium est, ad meliorem securitatem, & facilitatem, quod pęnitens seorsim doleat de mortalibus, qui dolor procul dubio per commissionem venialium non revocatur.

VIII. Quæritur sexto; An requiratur novus dolor in nova confessione peccatorum, sive ea sint jam exposita, & absoluta, sed iterum subjiciantur clavibus; sive ea fuerint in priori confessione oblita?

Respondeo, diversimode discurrendum de peccatis oblitis, quæ immediate post absolutionem occurrunt memoriæ, & revelantur, ac de peccatis alias confessis, & absolutis. Nam peccata oblita, quæ immediate post absolutionem revelantur, non indigent novo dolore, ut iterum absolutio super iis conferatur, ut praxis fidelium ostendit. Etenim ille prior dolor videtur ad peccata etiam oblita se extendere, & facere unum moraliter. Ita communiter Doctores cum Lug., Henr., Perez, Mæratio.

Neque obstat primo, quod eadem materia proxima, videlicet idem dolor, pluribus formis Sacramentalibus substerneretur: quod non videtur licere. Nam nullum est inconveniens, quod eadem materia proxima partialis plura Sacramenta numero distincta constituat; sic in Eucharistia Corpus Christi Domini, quod est materia proxima partialis illius Sacramenti, ingreditur quodlibet Sacramentum Eucharistiæ; Et eadem satisfactio potest ad plura Sacramenta pęnitentiæ numero distincta pertinere; cum possit eadem numero pęnitentia imponi in diversis confessionibus, juxta communem sententiam.

Neque dicas secundo; non potest eadem Confessio substerni duplici absolutioni; ergo nec idem dolor.

Nam disparitatem dat de Lugo; quia hoc Sacramentum institutum est ad modum Judicii. Judicium autem continet essentialiter accusationem, testificationem, & sententiam, quæ omnia debent esse nova, ut novum judicium constituatur, cum non possit supra eundem processum proferri secunda sententia post primam validam, & perfectam. Contra vero sine novo dolore potest haberi adæquate nova forma judicialis; quia in hoc Sacramento dolor non requiritur ad formam judicialem externam, sicut requiritur confessio: ergo quamvis sine nova confessione non possit iterum proferri sententia absolutoria, potest tamen proferri sine novo dolore; dummodo prior moraliter perseveret: si enim post multum temporis confitearis peccata oblita, puto debere dolorem iterari, ut mox dicemus.

Si loquamur itaque de peccatis jam confessis, & absolutis, sicut etiam de peccatis oblitis, quæ multo post primam confessionem subjiciuntur clavibus, v. g., post decem, vel quindecim horas, quibus elapsis, non censetur amplius prior dolor moraliter perseverare, juxta sententiam Joannis Præpositi; Dico cum communi Doctorum requiri novum dolorem. Et ratio est eadem praxis fidelium, qui non audent iterum ad Sacramentum pęnitentiæ accedere, nisi repetito novo dolore.

IX. Neque dicas, in casu, quo superior non potest integram confessionem subditi audire, sed auditis tantum reservatis illum absolvit, & ad alium Sacerdotem remittit, ut reliqua peccata confiteatur, datur duplex absolutio Sacramentalis, ut cum multis docet Henr. lib. 6. cap. 15.; non tamen requiritur novus dolor; ergo universim potest idem dolor plura Sacramenta constituere.

Nam nego cum Perez, in tali casu non requiri duplicem dolorem. Adde, quæ fusius dixi in expositione quinquagesimæ nonæ thesis ab Innoc. XI. proscriptæ in casu adducto, si non detur necessitas dimidiandi confessionem, non posse superiorem sacramentaliter absolvere a solis reservatis. Et quando superior nequit integram confessionem excipere, tunc debet tollere reservationem, & remittere pęnitentem inferiori confessario, a quo sacramentaliter ab omnibus peccatis absolvatur. Et sane omnes Doctores apud eundem Henr. docent, pęnitentem absolutum a Superiore a solis reservatis debere integre confiteri inferiori, exponendo tam reservata absoluta, quam non reservata. Quare signum evidens est, quod a Superiore non fuerit sacramentaliter absolutus a reservatis; sed quod solum reservationem abstulerit: Aliter non deberet iterum exponere inferiori reservata, ut iterum absolvatur; Sicut qui absolutus est directe a peccato, verbi gratia, furti, & indirecte ab

alio

alio peccato oblito, puta blaſphemiæ, quando recordatur hujus peccati, ſatis eſt, quod illud duntaxat confiteatur, ut ab eo directe abſolvatur, quin debeat iterum exponere peccatum furti, a quo fuerat non directe abſolutus. Sed hac de re fuſius iterum agendum quæſt. 5. art. 17. quæſit. 2. Rogabis, Num opiniones iſtæ circa dolorem requiſitum in Sacramento Pœnitentiæ ſint ſolum ſpeculative loquendo probabiles poſt primam Theſim proſcriptam ab Innoc. XI. an ſint etiam practice probabiles?

Reſpondeo tam opiniones hactenus expoſitas circa dolorem, quam quas exponemus articulo ſequenti circa propoſitum in ſacramento Pœnitentiæ requiſitum, eſſe practice probabiles, quoties in praxim communiter a fidelibus timoratis deducuntur; non ſecus ac eſt opinio de ſufficientia Attritionis in hoc ſacramento. Et ratio eſt non ſolum quia theſis proſcripta fert non eſſe licitum in conferendis Sacramentis ſequi opinionem probabilem, omiſſa tutiori; dolor autem, & propoſitum non ſpectat ad collationem, ſed ad ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ; ſed etiam quia, quamvis nec eſſet licitum in Sacramentis ſuſcipiendis ſequi opinionem probabilem de eorum valore, omiſſa tutiore, ut communius docent; licitum tamen eſt ſequi opinionem moraliter certam; ſicut eſt opinio de ſufficientia Attritionis; necnon opiniones circa dolorem, & propoſitum, quæ paſſim in praxim a fidelibus deducuntur. Aliter paſſim in anguſtias animus redigeretur, & confeſſio redderetur odioſa, nec deſerviret in medicinam, ſed in carnificinam.

X. Quæritur ultimo: An poſſit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris?

Reſpondeo, probabilem eſſe utramque ſententiam oppoſitam, quas graves Theologi tuentur.

Et primo quidem probabilis eſt ſententia affirmativa Suarii, & multorum Recentiorum contra Vaſq., Medin., alioſque. Et ratio eſt, quia ſi quis habens duo peccata, v. g. furti, & homicidii, & memor ſolus furti eliciat dolorem de illo ex motivo proprio turpitudinis furti, non tamen ex motivo univerſali, & furtum confiteatur, recipiatque abſolutionem; certe in tali caſu ponuntur omnia conſtitutiva Sacramenti. Unde Sacramentum eſt validum; non tamen eſt formatum, ſed informe, hoc eſt ſine forma gratiæ Sacramentalis, quippe quæ non poteſt in tali caſu conferri pęnitenti habenti aliud peccatum mortale homicidii, de quo nullatenus doluit; cum non poſſit in præſenti ordine remitti peccatum non retractatum, nec unum mortale ſine alio. Quare ſicuti baptiſmus eſt validus, & informis, quando cum fictione, ſeu cum mortali recipitur, ita in caſu adducto Sacramentum Pęnitentiæ eſt validum, & informe ex defectu doloris cadentis ſupra utrumque peccatum commiſſum. Neque dicas primo, Trident. requirere ad validitatem Sacramenti dolorem univerſalem de omnibus peccatis; cum requirat dolorem ex motivo univerſali turpitudinis peccati, aut ex metu gehennæ, quæ motiva cum ſint univerſalia, pariunt dolorem de omnibus peccatis; ſed in caſu dicto non habetur dolor univerſalis de omnibus peccatis; ergo non habetur Sacramentum validum.

Nam communiter exiſtimatur valida confeſſio cum dolore peccati, puta furti, orta ex conſideratione turpitudinis propriæ furti, ſecundùm quod furtum eſt, non vero ſecundum quod eſt peccatum; & gratis aſſumitur, quod Trident. exigat dolorem univerſalem, ſeu ortum ex motivo univerſali turpitudinis peccati, inquantum eſt peccatum.

Neque dicas ſecundo, ad validitatem Sacramenti requiritur propoſitum non peccandi de cætero, quod ſit univerſale, requiritur enim propoſitum non committendi non ſolum peccata commiſſa, ſed nec ullum aliud amplius; ergo pariter ad valorem Sacramenti requiritur dolor univerſalis, qui ſcilicet non ſolum ſit dolor de peccatis, quæ ſunt in memoria, ſed etiam de oblitis. Unde qui ſolum dolet de furto, cujus meminit, & non de homicidio, cujus eſt oblitus, non ſolum non conficit Sacramentum formatum, ſed nec etiam validum.

Nam Dicaſtill., aliique negant antecedens; putant enim, ſatis eſſe propoſitum non committendi iterum peccata commiſſa. Verum quia communis opinio requirit propoſitum univerſale non peccandi de cetero, ut loquitur Trident. ſeſſ. 14. cap. 4., ſeu propoſitum non committendi amplius ullum peccatum, ideo conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia juxta omnes propoſitum debet magis late patere, quam dolor. Etenim dolor ad ſummum debet eſſe omnium peccatorum commiſſorum, non vero peccatorum etiam poſſibilium, ut conſtat ex Trident. docente, dolorem debere eſſe de peccato commiſſo: Contra vero propoſitum non ſolum debet eſſe non committendi iterum peccata commiſſa, ſed etiam non committendi amplius ullum mortale poſſibile; ergo ſicut poteſt dolor magis reſtringi, quam propoſitum, adeo ut dolor ſolum cadat ſupra peccata commiſſa; ita poterit magis reſtringi, adeo ut cadat ſolum ſupra peccata, quæ ſunt in memoria, non vero ſupra oblita. Trident. enim cap. 5. dicit: *Nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam ut poſt examen ea peccata confiteantur, quibus ſe Dominum mortaliter offendiſſe meminerint*. Si ergo ea peccata, quæ ſunt in memoria, ſolum

solum debemus confiteri, pariter de iis solum debemus dolere ad validitatem Sacramenti. Et sane videtur certum, quod si quis habens solum peccatum furti, de eo tantum doleat ob motivum particulare turpitudinis propriæ furti, hic Sacramentum, & ejus fructum recipiat: ergo si præter peccatum furti habeat etiam homicidium, cujus tamen sit invincibiliter oblitus, unde de eo non doleat, recipiet quidem Sacramentum, sed non ejus fructum; unde habebitur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris de homicidio.

Deinde probabilis etiam videtur sententia negativa opposita, quam sequuntur Vasq., Con., Gabriel, & alii negantes, dari posse hoc Sacramentum validum, & informe. Ratio est, quia ex Trident. sess.14.cap.4. habemus, dolorem requisitum ad hoc Sacramentum non solum esse cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud Ezech. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Cum ergo Trident. requirat ad validitatem Sacramenti odium veteris vitæ, videtur requirere dolorem, qui sit ex motivo universali, & complectatur tum peccata, quæ sunt in memoria, tum etiam oblita. Unde si quis doleat ex motivo particulari turpitudinis furti, etiamsi solum furtum commiserit, vel dicendum quod non recipiat Sacramentum, ob defectum doloris ex motivo universali turpitudinis peccati, qui videtur a Trident. requiri ad valorem Sacramenti; vel si hoc videatur durum, & contra communem sententiam, dici potest, quod recipiat Sacramentum, & gratiam quando habet solum peccatum furti, quia tunc dolendo de solo furto, vere dolet de omnibus peccatis commissis, eo quod solum furtum commiserit; quando vero, prẹter peccatum furti, habet etiam homicidium, tunc, si doleat de solo furto, non recipiat nec gratiam, nec Sacramentum; quia non habet dolorem universalem de omnibus peccatis, qui videtur a Trident. requiri ad valorem Sacramenti; Atque adeo probabiliter non datur Sacramentum pẹnitentiæ validum, & informe: Quamvis Adversarii conentur difficultatem hanc evacuare, dicendo per ly odium veteris vitẹ significari a Trident. dolorem omnium peccatorum, quæ sunt in conscientia.

Confirmatur a Vasq. quæst. 92. art. 2.; quia ex Trident. sess. 14. cap. 4. dolor, qui potest esse pars hujus Sacramenti, debet sufficienter in hoc Sacramento ad Dei gratiam impetrandam disponere, sed nisi sit dolor peccatorum etiam oblitorum, non potest disponere ad gratiam, ut patet: ergo nec potest esse pars hujus Sacramenti. Unde sequitur, quod in eo casu, in quo quis dolet de furto solum, & non de homicidio oblito, non habeat dolorem sufficientem ad validitatem Sacramenti; & consequenter dari non potest Sacramentum pẹnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris. Ex quo Vasq. disparitatem assignat, quare Sacramentum Baptismi possit esse validum, & informe, non vero Sacramentum pẹnitentiæ, quia scilicet in solo Sacramento pẹnitentiæ materia proxima, quẹ est dolor, debet esse dispositio ad gratiam; ubi e contra ablutio, quæ est materia proxima Baptismi, non debet esse dispositio ad gratiam Sacramentalem recipiendam.

Scio, Suarium huic difficultati respondere, quod per se loquendo, dolor in Sacramento pẹnitentiæ sit dispositio ad gratiam, non vero per accidens; Ut accidit, quando quis immemor homicidii commissi, dolet de solo furto ex turpitudine propria furti. Et idcirco diximus, utramque sententiam esse probabilem, quamvis probabilior mihi videatur sententia Suarii. De qua fusius locutus sum in Theologia Scholastica part. 8. disp. 4. quæst. 2. art. 3.

XI. Putant etiam aliqui primo cum Dominico Soto, Cano, Victoria, & aliis, posse dari Sacramentum pẹnitentiæ validum, & informe ex defectu materialis integritatis confessionis; dummodo talis defectus directa intentione non intendatur; quamvis vincibilis ignorantia, & mortaliter culpabilis intercedat ob defectum examinis.

Sed merito communiter rejiciuntur, præsertim a Cajet., & Navar.; quia quando culpabiliter omittitur integritas confessionis, vel hujus culpæ habetur remorsus, & memoria, quando suscipitur Sacramentum; & sic non habetur propositum non peccandi de cætero, atque adeo non habetur Sacramentum validum: Vel talis culpæ non habetur memoria, nec remorsus; & tunc si dolor peccatorum sit ex motivo universali, recipietur Sacramentum, & fructus Sacramenti, quia indirecte talis culpa oblita remittitur; si vero dolor non sit universalis, juxta sententiam Vasq., nec gratia, nec Sacramentum recipitur.

Putant alii secundo cum Cajet., & Cano, contingere Sacramentum hoc validum, & informe ex defectu doloris, quando quis non dolet, & nescit se non dolere, confitetur tamen talem indispositionem, ut salvetur integritas Confessionis.

Sed errant; quia defectus doloris est defectus partis constituentis Sacramentum; unde sicut sine aqua non est validus Baptismus, ita sine dolore pẹnitentiẹ Sacramentum non est validum.

Putant alii tertio cum Petro Soto lect. 8. de Confess., evenire posse Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris, non quidem extensive, juxta sententiam Suarii, seu qui non se

se

se extendat ad omnia peccata commissa, sed intensive, quia scilicet ponitur dolor, sed non in tanta intensione, quanta requiritur ad fructum Sacramenti.

Sed contra est, quia nulla determinata intensio doloris a Trident. requiritur ad hoc, ut in hoc Sacramento ad gratiam disponat.

Demum alii admittunt Sacramentum validum, & informe, dicendo, quod ad valorem, non ad fructum hujus Sacramenti satis sit attritio putata, vel attritio naturalis existimata supernaturalis, vel attritio supernaturalis sine firmo proposito non amplius peccandi, vel dolor de peccatis cum suo proposito, quando post dictum dolorem committitur novum peccatum, cujus deinde non habetur memoria, dum suscipitur Sacramentum: Quæ tamen omnia ex verbis Trident., & hactenus dictis facile refelluntur.

XII. Colliges ex dictis primo, quod in casu Suarii, in quo probabiliter Sacramentum pœnitentiæ est validum; & informe, qui confessus est peccatum furti, non tenetur deinde iterum confiteri peccatum furti, quando recordatur homicidii obliti, cum satisfecerit obligationi subjiciendi directe clavibus peccatum illud furti. Quod si Sacramentum pœnitentiæ non fuisset validum, juxta sententiam Vasq., certe teneretur iterum confiteri peccatum furti, quando recordatur homicidii.

Colliges secundo, per Sacramentum validum, & informe satisfieri præcepto annuæ Confessionis. Nam ab Alex. VII. solum damnatur illa propositio decima quarta, quod per confessionem voluntarie nullam satisfiat præcepto Ecclesiæ; qui autem suscepit Sacramentum pœnitentiæ validum, licet informe, non fecit Confessionem voluntarie nullam, nec sacrilegam; ergo satisfecit præcepto suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ: Sicut etiam per Sacramentum Eucharistiæ validum, & informe satisfit præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali, esto non satisfiat per communionem sacrilegam, ut ostendimus in expositione thesis 55. proscriptæ ab Innoc. XI. Quamvis enim finis hujus præcepti sit consecutio gratiæ, quæ per Sacramentum validum, & informe non obtinetur; nihilominus finis hic est extrinsecus præcepto, nec cadit sub præceptum, ut notat Perez disp. 23. sect. 5. Suar. disp. 35. sect. 4. Ledesma, uterque Soto, & alii apud eundem Suarium. Tunc autem communio esset valida, & informis, sed non sacrilega, quando quis communicaret cum aliquo mortali invincibiliter oblito, nullum habens dolorem supernaturalem neque contritionis, neque saltem attritionis de illo.

Colliges tertio, Sacramentum Pęnitentiæ validum, & informe habere effectum suum ex opere operato, statim ac tollitur fictio, seu obex illius peccati obliti; non secus ac Sacramentum Baptismi cum fictione susceptum causat fructum suum, & gratiam baptismalem, recedente fictione; In communi autem sententia recedit fictio, & tollitur obex ad gratiam, tum relate ad Sacramentum Baptismi, quam relate ad Pęnitentiam per solam attritionem, quæ cum Sacramento præterito, quod reviviscit, vim habet Contritionis.

ARTICULUS IV.

De proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

I. *Quando dolor procedit ex motivo particulari, non sufficit propositum virtuale in eo dolore inclusum.*

II. *Moraliter loquendo, dolor formalis de culpis præteritis non sejungitur a formali proposito non peccandi in posterum.*

III. *In Confessione venialium quodnam propositum requiratur?*

IV. *Triplex datur discrimen inter propositum requisitum in confessione mortalium, ac in venialium confessione.*

V. *Quænam dicatur occasio proxima peccandi, de qua vitanda tenemur habere propositum?*

VI. *Quid si vitari non possit absque gravi incommodo?*

VII. *Quonam pacto occasio de se proxima, quæ physice vitari non potest, evadere possit remota?*

VIII. *Recensentur proscriptæ theses circa proximas occasiones vitandas.*

IX. *Quandonam occasio proxima censeatur voluntaria, quando involuntaria?*

X. *Etiam occasio proxima peccandi dubia fugienda est.*

XI. *Num confessioni præter dolorem, & propositum, præmitti debeant actus Fidei, & Spei?*

XII. *De quibus mysteriis fides prærequiratur ad Sacramentum suscipiendum?*

XIII. *Non satis est Trinitatis, & Incarnationis mysteria credidisse, ita ut eorum deinde detur oblivio.*

I. QUæritur primo; Num pręter dolorem de peccato commisso requiratur propositum explicitum, & formale non peccandi de cætero; An vero satis sit propositum virtuale inclusum in ipso dolorem? Quandoquidem qui dolet de peccato commisso propter metum gehennæ, verbi gratia, virtualiter non vult amplius peccare, & effici Reus gehennę; aliter amaret, quod odio haberet.

Respondeo cum distinctione ex Con. disp. 4. n. 39.: Quan-

39. : Quando dolor peccatorum procedit ex motivo particulari turpitudinis talis peccati, tunc requiritur propositum formale, & explicitum non peccandi de cætero. Ratio est, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur propositum universale non committendi amplius ullum peccatum, nec sufficit solum propositum non committendi iterum peccata commissa, ut diximus art. super. cum communi contra Dicast., atqui propositum universale non peccandi de cætero, ut loquitur Trident., seu non committendi amplius ullum peccatum, non continetur virtualiter in dolore solius peccati commissi, orto ex motivo particulari turpitudinis talis peccati, ut patet: ergo in tali casu, præter dolorem, requiritur propositum explicitum, & formale.

Quando vero dolor procedit ex motivo universali, quia virtualiter continet propositum universale, censeo, satis esse propositum virtuale, implicitum in ipso dolore. Ita Suar. disp. 20. sect. 4. Lugo, Laym. & alii communiter contra Medin., Tolet., Bellarm.; Ratio est, tum quia cæteroqui non tres, sed quatuor essent partes constituentes materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ, scilicet dolor, propositum, confessio, & satisfactio; ubi nonnisi tres enunciantur a Tridentino: tum etiam, quia sæpissime in Scriptura remissio exhibetur, vel promittitur detestanti solum peccata præterita: tum demum, quia Trident. exigit solum attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat; Atqui sine proposito formali attritio concepta ex motivo universali voluntatem peccandi excludit, ut diximus; quia aliter homo amaret, quod odio haberet; ergo propositum formale non requiritur, quando dolor est ex motivo universali.

Neque dicas ex Bellarm. Non satis est in Sacramento pœnitentiæ solum propositum formale, in quo includatur virtualiter dolor; ergo neque satis erit solus dolor formalis, in quo virtualiter contineatur propositum.

Nam, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est primo, quia ex verbis Trident. requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludat; ergo requiritur dolor proprius, & formalis, nec satis est dolor virtualis in proposito inclusus: Præsertim quia propositum non peccandi non includit virtualiter dolorem de peccatis commissis, stare enim potest cum complacentia de illis; sicut miles post pericula militiæ potest proponere, se nunquam amplius militaturum, ita tamen ut complacentiam habeat de militia præterita: Contra vero dolor de peccatis præteritis propter motiva attritionis conceptus stare non potest cum voluntate peccandi in posterum; ergo dolor includit virtualiter propositum, non vero propositum dolorem, & ideo solus dolor sufficit, non vero solum propositum. Secunda disparitas ex Suar. est, quia Sacramentum pœnitentiæ cum ferat accusationem de peccato præterito, magis requirit detestationem illius, quam animi dispositionem ad non peccandum in posterum; ergo est major ratio, cur dolor debeat esse formalis, quam propositum.

II. Adverte tamen cum Perez, moraliter loquendo, dari non posse propositum non peccandi de cætero ex motivo supernaturali, & universali, quin detur dolor formalis peccati præteriti; Sicut nec dari potest, moraliter loquendo, dolor peccati præteriti, ex eodem motivo, sine proposito formali non peccandi de cætero, si menti occurrat dispositio de vita futura.

III. Quæritur secundo; quodnam propositum requiratur in confessione solorum venialium?

Respondeo cum Laym., & communi Doctorum, requiri saltem propositum virtuale non relabendi iterum in venialia similia illis, quæ revelantur in confessione.

Ratio est, quia ex una parte ad gratiam Sacramentalem recipiendam non requiritur carentia cujuscumque venialis; (sicut requiritur carentia cujuscunque mortalis) ergo neque requiritur dolor de omnibus venialibus commissis, & consequenter nec requiritur propositum non committendi amplius ullum veniale; (sicut requiritur propositum non committendi ullum mortale in Confessione mortalium). Ex altera parte, ut conferatur gratia in Sacramento penitentiæ, requiritur Confessio, dolor, & propositum; ergo sicut satis est confessio, & dolor de aliquo veniali, non vero de omnibus venialibus commissis; ita satis est propositum non committendi amplius venialia similia illis, de quibus est dolor; quod propositum virtualiter in ipso dolore includitur. Quare in confessione venialium satis est solus dolor formalis alicujus speciei peccati venialis, ex motivo tamen supernaturali; quia in eo dolore efficaci continetur propositum requisitum; Imo, ut advertit Lugo apud Tambur., si quis confiteatur frequentiam venialium, satis est dolor de illa, etiamsi de nullo particulari veniali habeatur dolor; & consequenter satis est propositum non relabendi in frequentiam illam, de qua est dolor.

IV. Hic autem adverte triplex discrimen traditum a Coninck inter propositum requisitum ad remissionem mortalium, & venialium. Nam primo illud debet se extendere ad omnia mortalia, nullo excepto: secus vero propositum requisitum ad remissionem venialium. Secundo, illud debet se extendere ad omnia, tum collective, tum distributive: Contra vero propositum venialium non solum potest esse propositum vitandi

illa

illa sola venialia, de quibus est dolor, sed præterea non debet esse propositum vitandi omnia venialia collective sumpta; quandoquidem sine specialissima gratia Dei, quæ non datur omnibus, vitari non possunt omnia venialia collective: Etenim aliqua venialia cum plena libertate committuntur; aliqua ex surreptione, & cum imperfecta deliberatione: Quamvis autem illorum collectionem vitare possimus, istorum tamen sine speciali privilegio non possumus longo tempore vitare: (quod Beatæ Virgini concessum fuisse, tenet Ecclesia, ut docet Trident. sess. 6. can. 23.). Hinc non possumus habere propositum efficax non committendi venialia omnia collective sumpta, seu omnia omnino, sed solum de singulis distributive sumptis, quæ vitari possunt, habere possumus propositum. Tertium discrimen est, quia tenemur habere propositum vitandi non solum mortalia, sed etiam occasiones proximas peccandi mortaliter, non vero occasiones proximas peccandi venialiter; quia sunt innumeræ, & inevitabiles; unde oporteret de mundo exire, ut loquitur Apostolus, si teneremur illas vitare: Quamvis occasiones proximas peccandi venialiter deliberate, & cum advertentia possimus, & teneamur vitare, si facile possumus, cum certum sit, quod qui amat periculum peccandi, amat ipsum peccatum.

Ex quo sequitur primo, facilius absolvendum illum, qui frequentius incidit in eadem venialia, quam qui in eadem mortalia; non solum quia non tenemur habere dolorem universalem de omnibus venialibus, quæ confitemur, sicut de mortalibus tenemur; verum etiam quia ille relabitur in eadem venialia ex occasionibus proximis, quas non tenetur vitare; hic autem si relabatur in eadem mortalia ex occasionibus proximis, cum teneatur illas vitare, si non vitet, non habet sufficiens propositum, atque adeo non est absolvendus.

Sequitur secundo, stare posse propositum vitandi omnia venialia, etiamsi quis certo sciat, se in aliquod veniale lapsurum; quia tale propositum, ut notat Suar. esset veluti conditionatum, quantum scilicet in homine fuerit; quod satis est ad confessionem; & bene cohæret cum scientia, quam habet pœnitens, quod non omnia vitabit; (alioquin qui propter pravam consuetudinem vix sperat, se non relapsurum in idem mortale, non posset absolvi; etiamsi proponeret illud vitare, quantum est ex parte sua; quod est falsum). Et ratio a priori est, quia ad confessionem sufficit propositum, quod excludat voluntatem peccandi; sed tale propositum est hujusmodi; quia scire se peccaturum, est actus intellectus, non voluntatis; ergo tale propositum sufficit ad confessionem.

V. Quæritur tertio; quænam sint occasiones proximæ peccandi mortaliter, de quibus vitandis tenemur habere propositum in confessione?

Respondeo, occasionem proximam a Doctoribus dici illam, quæ ex se multum incitat ad peccatum, & frequenter ad peccatum inducit: & ideo ista occasio dicitur proxima, quia inter ipsam, & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat. Talis est detentio concubinæ domi, habitatio viri cum fœmina, qui debeant frequenter soli versari, & alia hujusmodi. Occasio vero remota est illa, in qua homo positus non judicatur prudenter, ac moraliter lapsurus: ut est exercitium militiæ, mercaturæ, &c. Et universim omnes illæ occasiones, in quibus homines non solent semper, aut fere semper peccare.

Unde inferunt Perez, Leand. Lugo, aliique, posse absolvi adolescentes, qui versantur cum fœminis, laborando, vel conversando cum iis, quæ in eadem domo non habitant; quia licet aliquando in tali occasione mortaliter peccent consensu, tactibus, & etiam copula, ea tamen occasio censetur de se remota; quandoquidem non solent homines ex tali occasione semper, aut fere semper peccare mortaliter, & aliunde ad tollendam talem occasionem, oportet de hoc mundo exisse, ut habet Apostolus 1. ad Cor. 5 ut omni commercio mulierum liberi essemus. Non negaverim tamen, aliquam occasionem de se remotam posse esse alicui proximam, eo quod ex pravo habitu, & virtutis imbecillitate fere semper in ea labatur: Verbi gratia, frequenter versari cum fœminis laborando, potest esse alicui occasio proxima, quamvis de se sit remota, & in tali casu vitanda est ab eo, qui experitur, fere semper in tali occsiaone labi; nec est absolvendus, si illam non vitet.

VI. Quæritur quarto; Quando occasio proxima relinqui non potest absque scandalo, infamia, aut gravi detrimento spirituali, aut temporali, tenemurne illam vitare?

Respondeo, duo esse certa apud Doctores, ex quibus sequitur resolutio quæsiti. Primum est, non teneri nos ad vitandas occasiones proximas, quas vitare est moraliter impossibile, seu quæ vitari non possunt sine magna difficultate: hujusmodi enim occasione proximæ dicuntur involuntariæ, quæ potius permittuntur, quam quæruntur. Alterum est, occasiones proximas in casu adducto dici involuntarias, quia vitare illas cum scandalo, infamia, aut gravi detrimento, est moraliter impossibile, ob difficultatem in iis fugiendis, quæ superat humanam fragilitatem: Unde fit, non teneri nos ad physice vitandas.

Advertendum tamen, quod licet non teneamur illas vitare physice, tenemur tamen vitare

re

re moraliter; seu tenemur procurare, ut occasiones hujusmodi, quæ de se sunt proximæ, evadant nobis occasiones remotæ; unde permittendo illas ex una parte vitemus scandalum, infamiam, &c. & ex altera parte non versemur in periculo proximo peccandi; cum certum sit peccare eum, qui voluntarie in proximo periculo peccandi versatur, juxta illud, *Qui amat periculum, peribit in illo.*

VII. Quod si petas, Quonam pacto fiet, ut occasio de se proxima ~~nobis~~ evadat remota? Verbi gratia, filiusfamilias, qui sæpe cum sorore, vel famula peccat, nec potest moraliter, seu sine magna difficultate domo fugere, aut illas expellere, quid efficere debet, ut occasio hujusmodi proxima reddatur remota, & sic non sit ille in proximo periculo peccandi?

Respondeo, debere instruere se proposito firmissimo, necnon pœnitentiis, orationibus, frequentia Sacramentorum, aliisque cautelis se munire; sic enim occasio proxima evadit remota, & utrumque vitatur, scilicet periculum peccandi proximum simul, & scandalum, seu infamia, &c. Et sane Pontifex in cap. *Consultationi de frigidis, & maleficiatis* declaravit, duos, qui contraxerunt matrimonium invalidum propter impotentiam coeundi, posse simul cohabitare in eadem domo, ut fratrem, & sororem propter scandalum, & infamiam, cum tamen ea de se physice sit occasio proxima tactuum, & aliorum peccatorum; ergo eodem modo filiusfamilias, qui sæpe cum sorore, & famula peccat, nec potest sine gravi detrimento, aut scandalo ab earum convictu sejungi, non tenetur physice tollere hujusmodi occasiones proximas, quæ censentur involuntariæ: Tenetur tamen eas reddere sibi occasiones remotas iis mediis, quæ Confessarius, & propria conscientia judicabit: verbi gratia, nunquam in earum faciem conjiciendo oculos, nunquam cum iis colloquendo, nisi in præsentia aliorum, frequentando preces, pœnitentias, Sacramenta, & alia hujusmodi, quibus occasio illa evadat remota. Et idem dicas de eo, qui sæpissime solus in pollutionem cadit, in mendacia jurata, in cogitationes turpes, &c. *Facienti enim quod in se est, Deus non denegat gratiam suam,* ut habet celebre Theol. effatum.

Hinc fit, Confessarium, qui ex experientia, quam habet pœnitentis, quod non adhibuerit remedia ad reddendam remotam eam occasionem, quæ erat proxima, prudenter existimat, quod hic & nunc non habeat propositum firmum adhibendi ea remedia, teneri absolutionem denegare, quantumcumque dicat pœnitens, se dolere; est quippe indispositus ex carentia propositi debiti; sæpe enim indispositus ad absolutionem dicit, se esse dispositum: Quod tamen ex experientia, quam habet de illo, Confessarius debet judicare, credendo potius factis, quam dictis pœnitentis. Hinc proscripta est ab Innoc. XI. propositio 60. dicens: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Ex qua propositione damnata clare constat, quod quamvis pœnitens sit simul reus, & testis in hoc Tribunali, non proinde verbis illius, sed potius factis credendum sit. Quare, si bis, vel ter, aut ad summum (ut docent aliqui cum Leandro) quater proposuit pœnitens occasiones proximas vitare, aut rem alienam restituere, nec deinde vitavit, nec restituit, &c. absolutio differenda, quousque de vero proposito fiat certior Confessarius.

Si tamen possit prudenter Confessarius existimare, quod hic & nunc pœnitens vere habeat sufficiens propositum, quamvis possit absolutionem impertiri, poterit etiam aliquando, ut Judex, & Medicus spiritualis talis animæ, absolutionem differre, ut ab experientia certitudinem habeat majorem de tali proposito, & ut pœnitens cautius agat, & fortius proponat adhibere remedia, dum videt sibi absolutionem differri. Non nego, absolutionem differri non posse sine justa causa: Dico tamen, causam differendi esse justam, ut certificetur Confessarius de dispositione pœnitentis: Imo etiam, ut docet de Lugo, propter ejus utilitatem, & confirmationem in bono proposito: In quo casu ad contritionem est excitandus, ne forte in statu peccati mortalis interim decedat.

VIII. Sciendum denique, circa occasiones proximas ab Innoc. XI. damnatas esse hujusmodi propositiones, videlicet 61. quæ dicit: *Potest aliquando absolvi, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, & non vult omittere, quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*: Et 62. quæ dicit: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi concurrit*: Et 63. quæ habet: *Licitum est quærere directam occasionem peccandi proximam pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*: Damnata pariter est ab Alexandro VII. propositio 41. dicens: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc multum esset utilis ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Et ratio omnium est manifesta ex illo Christi Domini Matth. 16. *Quid*

prodest,

prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Et ex illo Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in gehennam: Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c.*

IX. Ex quibus deducitur, requiri propositum tollendi occasionem, quæ de se est proxima, etiamsi adsit causa utilis, aut honesta non fugiendi illam: quia in tali casu occasio proxima censetur esse voluntaria, cum facile tolli possit: Contra vero ad vitandum scandalum, & grave damnum solum physice ea permitti potest, quia tunc censetur involuntaria.

Hinc sequitur etiam, quod Confessarius, cui confessionale est occasio proxima peccandi sensualiter, teneatur abstinere ab audiendis confessionibus: Contra Chirurgus, cui est occasio proxima curatio fœminarum, si non possit aliter juxta suum statum vivere, quia talis occasio proxima censetur involuntaria, debet tantum reddere illam sibi remotam, prout explicavimus. Et idem dicas de Parocho, qui ex officio tenetur Confessiones audire; non secus ac filiusfamilias, qui non potest sejungi a sorore, vel famula, cum qua sæpe peccat. In hoc enim casu consilium esset, non præceptum peregrinari, aut domo fugere, nisi quando alio modo esset moraliter impossibile peccatum vitare, quibuscumque aliis remediis adhibitis; quandoquidem bonum est sine oculo ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam.

X. Ubi adverte, non solum fugiendam esse occasionem proximam certam, sed etiam dubiam; tum quia etiam occasio proxima dubia exponit (quamvis non adeo proxime) periculo peccandi; tum etiam, quia qui scienter facit opus, quod est dubium, an sit licitum, procul dubio peccat, nisi prius illud deponat. Ita Leand. Lopez, & alii.

XI. Quæritur demum, an teneamur cum proposito conjungere in confessione expressos actus fidei, & spei? Præsertim cum Trident. dicat, propositum conjugi debere cum spe veniæ.

Respondeo cum Leand. tract. 8. de Pœnitent. disp. 1. quæst. 48. qui pro se citat Sanch. Bonac. Filliuc. Valent. contra Hurtad. Turrian. & alios, non requiri hos actus expressos, cum nunquam fideles, nec confessarii fuerint de iis solliciti; sicut solliciti sunt de dolore. Quare vel sufficit actus fidei, & spei præteritus non retractatus, vel actus fidei, & spei imbibitus in ipso dolore. Nam qui dolet ex motivo supernaturali, cognoscere debet, atque adeo credere Deum Judicem, & remuneratorem; & qui dolet ex motivo pœnarum inferni, sperat aliquo modo beatitudinem.

XII. Dubium est; Quænam fides prærequiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ valide recipiendum?

Respondeo, damnatam esse ab Innoc. XI. propositionem 64. quæ dicit: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis.* Thomas Sanchez nixus in Symbolo D. Athanasii putat, esse necessariam necessitate medii fidem explicitam circa hæc duo mysteria Trinitatis, & Incarnationis post promulgationem Evangelii; & consequenter non posse valide hoc Sacramentum suscipi non præmissa fide horum Mysteriorum; sicut non potest valide suscipi Sacramentum Pœnitentiæ non præmisso Baptismo, nec potest homo per Baptismum aut flaminis, aut fluminis justificari, non præmissa fide supernaturali mysteriorum, quæ necessitate medii credenda sunt. Alii vero communius censent, necessitate medii esse solum necessariam fidem Dei, & Dei Remuneratoris, juxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est*; (damnatur enim ab Innoc. XI. propositio 21. dicens: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*) necessitate vero præcepti esse necessariam fidem explicitam mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis. Quare certum est, quod qui culpabiliter ea mysteria ignorat, indispositus est ad Sacramentum recipiendum: & quamvis illum pœniteat de hac ignorantia, non proinde capax est Sacramenti pœnitentiæ, donec illa mysteria cognoscat; quia debet Sacramentum recipere, cognoscendo illud esse institutum a Christo Domino Filio Dei per merita suæ passionis. Unde explicite cognoscere debet, Deum esse Trinum, & Filium Dei Incarnatum.

XIII. Damnatur etiam ab Innoc. XI. propositio 65. dicens: *Sufficit illa mysteria* (scilicet Trinitatis, & Incarnationis) *semel credidisse*: Quod duplicem sensum habet: Primo, quod non satis sit ea credidisse, si deinde eorum oblivio, & ignorantia habeatur. Secundo, quod non satis sit, ea credidisse semel in vita; sicut enim damnata fuit propositio 6. dicens: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis*; & propositio 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere*: Ita damnatur hæc propositio dicens, quod satis sit, mysteria Trinitatis, & Incarnationis semel in vita credidisse, cum debeat hujusmodi actus fidei iterari. Sed quod attinet ad theses istas, aliasque proscriptas, consule, quæ fusius explicavi in Trutina damnatarum Thesium.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Confessione Sacramentali.

Secunda pars materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ est Confessio. De hac itaque examinabimus, primo, sitne necessaria necessitate medii? Secundo, an sit necessaria necessitate præcepti Divini? Tertio, an sit etiam necessiaria necessitate præcepti Ecclesiastici? Quarto demum, quænam, & qualis sit confessio, quæ præcipitur? Rejicimus tamen ad sequentem quæstionem præcipuam Confessionis conditionem, quæ est integritas, de qua plurima occurrunt discutienda.

ARTICULUS I.

An Confessio sit necessaria necessitate medii?

I. Quidnam dicatur necessarium necessitate medii, quid vero necessitate præcepti?
II. Num confessio necessitate medii sit necessaria, saltem in voto?
III. Votum pœnitentiæ implicitum in contritione inclusum sufficit ad justificationem.
IV. Diversimode ad salutem requiritur votum Pœnitentiæ, & votum restitutionis.

I. SUppono, illud dici necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo etiam invincibiliter omisso salus obtineri non potest, ut est gratia, Baptismus sive in re, sive in voto susceptus, & in adultis fides actualis Dei Remuneratoris. Necessarium vero necessitate præcepti dicitur illud, ad quod sub mortali obligamur; Unde requiritur, ne sit obex saluti, ut est restitutio, jejunium, &c. quod proinde si inculpabiliter omitttatur, non idcirco salus æterna amittitur. Et hinc sequitur, ea, quæ sunt necessaria necessitate medii, concurrere ad salutem positive, quatenus ponunt id, quod ad salutem disponit; ea vero, quæ sunt necessaria necessitate præcepti, concurrere ad salutem negative, quia efficiunt, ne in mortale labamur, quod impedit salutem.

II. Quæritur nunc primo; Sitne Confessio Sacramentalis necessaria necessitate medii, & Quomodo?

Respondeo, de fide esse, Confessionem lapsis post Baptismum esse necessariam necessitate medii post Incarnationem, non tamen determinate in re, sed disjunctive, sive in re, sive in voto.

Prima pars probatur ex Trident. sess. 14. cap. 2., ubi hæc habentur: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium; ut nondum regeneratis ipse Baptismus;* Atqui Baptismus est necessarius necessitate medii; ergo etiam Pœnitentia. Secundo probatur ex Suar., & Dicast., quia alioquin frustranea esset potestas retinendi peccata, quam dedit Christus Dominus Sacerdotibus: Quomodo enim possent Sacerdotes peccata retinere, si posset peccator alia via se vinculis expedire?

Secunda pars constat etiam ex Trident., quod sess. 14. cap. 4. habet: *Contritionem charitate perfectam aliquando reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum actu recipiatur:* Et addit, *Reconciliationem Deo ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur; non esse ascribendam;* ergo confessionis votum inclusum in Contritione satis etiam est ad salutem; non secus ac satis est ad salutem Baptismus flaminis, seu Baptismi votum inclusum in amore Dei super omnia; atque adeo non est necessarium necessitate medii Sacramentum Pœnitentiæ determinate in re, sed indeterminate, vel in re, vel in voto susceptum,

III. Quæritur secundo; An votum Pęnitentiæ debeat esse explicitum.

Respondeo cum communi contra Canum, satis esse votum implicitum. Ratio est, quia ex Trident. ad justificationem extra Sacramentum non requiritur aliud votum, quam quod includitur in contritione. Quare, si quis post lapsum amet Deum super omnia, & de peccatis conteratur, proponatque omnia præcepta servare, justificabitur, etiamsi non occurrat menti cogitatio confessionis, atque adeo non proponat explicite confessionem peccatorum: Etenim propositum non peccandi de cætero includit implicite votum, seu propositum servandi omnia præcepta, cum autem inter præcepta sit præceptum confessionis, ideo in eo proposito non peccandi de cætero implicite votum, seu propositum confitendi includitur.

Confirmatur, quia ex D. Th. 3. part. quęst. 69. art. 4. satis est ad justificationem votum implicitum Baptismi inclusum in amore Dei super omnia. Unde qui ignorans invincibiliter Baptismum credit mysteria necessaria, & concepit affectum amoris, & contritionis sine voto explicito Baptismi justificatur; ergo etiam satis est votum implicitum Pęnitentiæ.

IV. Neque dicas, hinc sequi eodem modo requiri ad salutem votum confessionis, ac votum, v. g., restitutionis; atque adeo sicut restitutio non est necessaria necessitate medii, ita nec confessio; Vel si dicatur necessaria necessitate medii ei, qui

qui peccavit, Confessio, saltem in voto, quia requiritur contritio, quæ est votum adimplendi hoc præceptum; ita pariter ei, qui furatus est, erit necessaria necessitate medii restitutio, saltem in voto, quia requiritur contritio, quæ est votum adimplendi præceptum restitutionis.

Nam respondeo, Confessionem ei, qui peccavit, esse necessariam necessitate medii, saltem in voto, non vero restitutionem ei, qui furatus est. Ratio est, quia confessio directe, & per se influit ad justificationem, unde votum illius est votum influentis per se, & indirecte ad gratiam, & sic ad salutem; Deus enim ex sua misericordia voluit gratiam, & salutem concedere vel per confessionem, vel saltem per contritionem, inquantum est votum confessionis: Contra vero restitutio non influit per se, & directe ad justificationem, sed solum requiritur, ne impediat salutem: Unde votum restitutionis inclusum in contritione non requiritur tamquam supplementum ejus, per quod danda est salus, sicut est votum confessionis, sed requiritur solum, ne salutem impediat: Unde non dicitur necessaria necessitate medii, sed præcepti.

ARTICULUS II.

Quomodo Confessio Sacramentalis sit necessaria necessitate præcepti divini?

I. Jure divino positivo præcepta nobis est Confessio.
II. Hoc præcepto ligantur omnes, & soli Fideles post lapsum: Præceptum vero Communionis etiam Infideles ligat, ita ut etiam vi hujus præcepti debeant baptizari.
III. Quandonam obliget præceptum divinum Confessionis?
IV. Quomodo Medici monere debeant infirmum de confessione facienda?

I. DE fide est, Confessionem mortalium non solum esse a Christo Domino institutam, sed etiam ab eodem præceptam; unde jure divino obligat. Constat ex Trident. sess. 14. can. 6., ubi habetur. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, &c. Anathema sit.* Unde infertur, non jure divino naturali, sed jure divino positivo esse præceptam; tum quia ex nullo capite probari potest hoc præceptum naturale; tum etiam, quia Sacramentum pœnitentiæ non est de jure naturæ, sed ex sola divina institutione, quæ solum in novo testamento locum habet. In veteri autem testamento, quamvis fuerit lex offerendi Sacrificium pro peccato, immo & confitendi aliqua peccata ad auferendas aliquas irregularitates annexas; nunquam tamen fuit instituta, aut præcepta confessio singularum mortalium, etiam internorum in ordine ad remissionem quoad culpam.

II. Quæritur nunc primo; Quinam obligentur præcepto divino Confessionis?

Respondeo, omnes, & solos lapsos in mortale post Baptismum obligari, ut habetur ex Trident. sess. 14. cap. 5. Quare de fide est, etiam Hæreticos, & Apostatas hoc præcepto astringi: quamvis enim non sint Christifideles, sed Infideles; sunt tamen lapsi in mortale post Baptismum. Communis etiam sententia docet, infideles non baptizatos hoc præcepto non obligari ex defectu materiæ, quia scilicet non habent peccata commissa post Baptismum, quæ confiteri teneantur. Unde infero, præceptum divinum Communionis latum iis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.*, ligare omnes, etiam Infideles, qui etiam ex hoc capite tenentur baptizari, ut satisfaciant præcepto Communionis; At non tenentur baptizari, ut satisfaciant præcepto Confessionis; quia non tenentur post Baptismum ad Confessionem absolute, (sicut tenentur ad Communionem) sed solum sub conditione, quod post Baptismum peccaverint.

III. Quæritur secundo; Quo tempore præceptum divinum confessionis obliget?

Respondeo, certum esse obligare in articulo, vel probabili periculo mortis, ut communiter docent Doctores: quia aliter exponeret se peccator periculo nunquam confitendi, & adimplendi hoc præceptum. Extra articulum vero mortis præceptum hoc divinum non obligare per se censent D. Th., Scotus, aliique graves Theologi cum Dicast. disp. 7. dub. 2. quia scilicet nullum est fundamentum talis obligationis; cum possit vi contritionis peccator se Deo reconciliare. Verum communius docent cum Suario, etiam extra articulum mortis obligare, quia gravis injuria videtur irrogari tali Sacramento, si nunquam peccator eo utatur; præsertim quia de contritione ex se difficili non habetur firma securitas.

Dubium tamen est; Quandonam extra articulum mortis obliget? Alii putant, quod tempore ab Ecclesia determinando; Alii statim post peccatum commissum; Alii quoties periculum est, ne peccator peccati commissi obliviscatur. Equidem censeo juxta dicta quæst. 3. art. 1., cum de obligatione contritionis extra mortis articulum, arbitrio prudentis tempus hoc decernendum inspiciendo necessitatem, & opportunitatem, quam habet peccator illud suscipiendi.

Demum præceptum divinum Confessionis obligat per accidens, tum antequam sumatur Eucharistia; tum etiam in eventu, quo aliter superari moraliter non posset tentatio, aut reincidentia in peccatum.

IV. Sciendum hic, quod ut præcepto Confessionis in articulo mortis ab omnibus satisfiat, voluit post constitutionem Innoc. III. Pius V. anno 1566., ut juramentum exigatur a Medicis ante gradum doctoratus, quod udoconituri sint infirmos, ut confiteantur, & quod non sint illos visitaturi ultra tertium diem, nisi ipsis constet de facta confessione per fidem in scriptis. Et in hac Neapolitana Diœcesi transgressio hujus juramenti reservatur sine censura.

Advertendum tamen ex Suar., Sanch. & aliis relatis a Dian.part.3.tract.4.ref.43. primo, Medicum posse per alios fide dignos infirmum monere. Secundo, non teneri ad hanc monitionem, nisi infirmitas sit gravis, vel in principio sit morale periculum, quod fiat gravis. Tertio, non teneri monere, nec deferere infirmum si nulla sit spes, quod ille sit confessurus, & probabile mortis periculum immineat, si deferatur. Quarto, in usu jam esse, ut medicus non exigat in scriptis fidem confessionis, sed satis sit testis fide dignus: Juramentum denique servandi hanc constitutionem Pii V. non obligat, nisi ad servandam prout jam usu recepta est.

ARTICULUS III.

De præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis.

I. *Sub quibus pœnis Ecclesia Confessionem quotannis præcipiat?*

II. *Num Ecclesia ad Confessionem annuam obliget eos, qui mortaliter non deliquerunt?*

III. *Num saltem isti præsentare se debeant Parocho?*

IV. *Quomodo relate ad hanc obligationem annus computandus sit.*

V. *Qui aliquo anno Confessionem amisit, ad quid deinde teneatur?*

VI. *An teneatur prævenire, qui prævidet defuturam copiam Confessarii?*

VII. *Præcepto Ecclesiastico Confessionis obligantur etiam Hæretici, Excommunicati, Meretrices, Pueri, dummodo sint doli capaces.*

VIII. *Impuberes non incurrunt pœnas latas contra hujus præcepti transgressores.*

IX. *Pœnæ istæ quænam sint? Et an ipso facto incurrantur? An etiam ab eo, qui ficte confitetur?*

X. *Num teneamur confiteri aut per Interpretem, aut per Scripturam, si aliter non possimus?*

XI. *Quibus de causis a Confessione annua excusari possimus?*

I. Confessionem singulis annis præceptam esse ab Ecclesia definit Trident. sess. 14. cap. 5., & can. 8. contra Durand., qui putavit, esse consilium, non præceptum. Quod constat etiam, quia ejus transgressores gravibus pœnis puniuntur. Nam *Viventes arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & morientes carent Ecclesiastica sepultura*, ut habetur in cap. *Omnis utriusque sexus*: Quamvis istæ pœnæ late contra transgressores præcepti sive Confessionis, sive Communionis annuæ (ut notat Suar.disp.35.sect.8.) non incurruntur ipso facto, sed post sententiam judicis; quicquid in contrarium nonnulli putent, docentes cum Avila 2.p.cap.2. Sylv. & aliis censuram incurri ipso facto, quoties fertur per verbum Imperativi modi, quin significetur ministerium Judicis, ut ea pœna infligatur; puta si dicatur: Qui hoc fecerit, excommunicetur. In diœcesi autem Neapolitana non solum incurritur ipso facto tale Interdictum, sed etiam Archiepiscopo reservatur. Præterea per confessionem voluntarie nullam, & per communionem sacrilegam his Ecclesiasticis præceptis non satisfieri definierunt Alex. VII., & Innoc. XI. Esto satisfiat, ut diximus quæst.3.art. 3. cum communi contra Vasq. per Sacramentum pœnitentiæ, sicut etiam Eucharistiæ, validum, & informe. Demum quamvis præceptum Confessionis sit divinum, certum tamen est, relate ad circumstantiam temporis esse Ecclesiasticum: Sicut etiam certum est contra Adrian., præceptum Confessionis annuæ obligare per se, & non per accidens, (puta ratione Eucharistiæ semel in anno sumendæ) ut constat ex Trident. loc. citat. Ubi nulla Eucharistiæ fit mentio.

II. Quæritur nunc primo: An Præcepto Confessionis annuæ teneantur etiam ii, qui nullius mortalis sunt sibi conscii?

Respondeo negative cum communissima sententia contra Bonaventuram Alensem, Riccardum, & alios antiquos. Patet ex Trident.sess. 14. cap. 5., ubi docet, per Ecclesiasticum præceptum præscribi solum tempus, quo præceptum divinum de Confessione tenemur implere; Atqui præceptum divinum ex eodem Concilio non est de venialibus, sed solum de mortalibus confitendis: ergo qui caret mortali, nullatenus tenetur præcepto divino, & consequenter etiam Ecclesiastico Confessionis. Et idem communius docent Doctores cum Suar. contra Rodriq., Sanch., aliosque de eo, qui lucraturus est jubilæum, vel indulgentiam, ad quam lucrandam præscribitur Confessio, & Communio: non enim imponitur confessio, sicut imponitur eleemosyna, & Communio, scilicet tamquam opus injunctum, sed imponitur eo modo, quo præcipitur a Christo Domino, ut reconciliativa cum Deo; atque adeo qui nullius mortalis est conscius, non tenetur ad illam.

III. Utrum autem qui in Paschate non confitetur ex defectu mortalium, debeat se sistere coram Parocho, & illi dicere, se non habere conscientiam mortalium?

Affirmant D. Th. Scotus, Suar., Henr., aliique: Sed probabilius puto cum Vasq., Lug., Fagund., & aliis apud Leand., non teneri ex vi præcepti Confessionis, sed solum teneri ex vi scandali sedandi, si quod occurrat; non debet proprius Pastor cognoscere vultum suæ ovis, nisi in judicio Confessionis; ergo si cessat obligatio talis judicii, cessat pariter obligatio comparendi apud proprium Pastorem.

Sequitur ex dictis primo, quod qui præter venialia habet aliquod mortale, quod ex justa causa non tenetur in confessione aperire, neque astringatur præcepto confessionis, sed satis sit, quod contritionem Communioni præmittat.

Sequitur secundo, quod qui confessus est venialia per annum, oblitus alicujus mortalis, quando recordatur illius, teneatur ante finem anni ad confessionem; quia per confessionem venialium non satisfecit huic præcepto: Quod tamen est contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 206. qui putant satisfecisse.

Sequitur tertio, quod qui confessus est semel in anno, & deinde iterum in mortalia incidit, non teneatur iterum eo anno ad confessionem; quia præcipitur confessio mortalium semel in anno. Ita Lug., Leand., Vasq.: Quod tamen est contra Suar., & alios, qui putant præcipi singulis annis confessionem omnium mortalium, quæ eo anno commissa sunt, non vero omnium mortalium, quæ ad validam confessionem semel faciendam fateri necesse est. Unde putant teneri iterum ad confessionem eum, qui ante finem anni post primam confessionem iterum labitur in mortale, vel recordatur mortalis obliti, vel distulit deinde, sublato impedimento, confiteri mortale, quod justa de causa in prima confessione reticuit.

Ex quibus etiam sequitur, quod absolutus a reservatis indirecte in casu necessitatis propter scandalum vitandum, vel communionem urgentem a non habente potestatem in reservata, teneatur infra annum proprio Prælato iterum confiteri. Et ratio est, quia Ecclesia præcipit, ut quisque semel in anno proprio Sacerdoti confiteatur, ut habetur in cap. *Omnis utriusque sexus*. Nomine autem proprii Sacerdotis venit, qui vel ordinariam, vel delegatam potestatem habet absolvendi pęnitentem ab omnibus ejus peccatis: ergo cum absolutus indirecte a reservatis non sit confessus proprio Sacerdoti, tenetur iterum infra annum confiteri.

IV. Quæritur secundo, quomodo computandus sit annus a Januario ne ad Januarium juxta Vasq., Becan., Lug., Dian., An ab uno Paschate ad alterum, ut censent Leand., Suar., Filliuc., Laym., An vero a die ultimæ confessionis, cum Sot., Granad.; An demum cum aliis a primo peccato mortali, quod post ultimam confessionem commissum est?

Respondeo, probabilem esse sententiam Suar., quod ab uno Paschate ad alterum; quia sic solet a fidelibus communiter computari annus pro impletione hujus præcepti. Sed probabilior videtur sententia Vasq., quod a Januario ad Januarium; quia præcipitur in Cap. *Omnis utriusque sexus*, quod semel in anno, non vero semel infra annum, vel duodecimo quoque mense quisq; confiteatur; ergo cum annus computari soleat a Januario ad Januarium, probabile est, ut inquit Lug. quod qui hoc anno confessus est primo die Januarii, & anno sequenti confitetur ultimo die Decembris, huic præcepto satisfaciat; Esto videatur differre confessionem per duos annos: Per accidens tamen obligari posset in Paschate ad confessionem ratione Eucharistiæ sumendæ.

V. Quæritur tertio; An qui culpabiliter, vel inculpabiliter omisit aliquo anno confessionem mortalium, teneatur ad illam statim in initio anni sequentis, an possit illam usque ad finem sequentis anni differre?

Respondeo, aliquos cum Sylv., & D. Antonino apud Dian. part. 2. tract. 4. resol. 130. putare, obligationem hanc transacto anno finire; sicut obligatio recitationis officii elapso die cessat; Quod probabile tenet Filliuc. Communis tamen sententia cum Vasq., Suar., aliisque docet oppositum; quia universim terminus præfixus alicui operi, sive ex præcepto, sive ex voto, &c., vel præfigitur ut terminus executionis, ultra quem scilicet non differatur executio; ut si quis voveat ingressum religionis ante finem hujus anni; Vel ut terminus obligationis ultra quem scilicet nulla sit obligatio: ut cum præcipitur die festo auditio missę. Hoc autem quomodo discerni possit, explicant Suar. disp. 36., & Sanch. l. 4. Summę cap. 14., dicendo, id colligi ex materia, fine, aliisque circumstantiis voti, vel præcepti. In casu nostro terminus præfixus confessionis est terminus executionis, non obligationis; ut patet, quia præcipitur, quod saltem semel in anno quisque confiteatur, quod est dicere, quod ultra annum non differatur confessio; ergo elapso anno sine confessione tenetur peccator statim initio anni sequentis ad Confessionem: Non secus ac qui omisit restituere, quando debebat; tenetur deinde statim ad restitutionem; ita ut vel sit novum peccatum, quoties de novo, oblata opportunitate confitendi, non confitetur, ut docet Bonac., vel (ut putant Laym., Leand., Valent.,) augeat prius peccatum, & tanto magis augeat, quanto diutius differt: ut si quis per integrum diem perseveraret in mala voluntate occidendi; unde quando confitetur, satis est, si dicat tempus, quo culpabiliter omisit confiteri.

Confirmatur, tum quia finis Ecclesiæ præcipien-

cipientis confessionem annuam est tollere infrequentiam Confessionis; quia solet ea excommunicare transgredientes hoc præceptum, nec absolvere, non præmissa confessione; ergo signum est, Confessionis obligationem elapso anno non desinere: Contra vero, in articulo mortis, si quis omittat confessionem præceptam, non tenetur elapso periculo mortis quamprimum confiteri; (quicquid in contrarium sentiat Henr.) quia præceptum obligat solum pro illo periculo, ut docent communiter cum Leand. quæst.45.

Utrum autem qui initio anni satisfaciat pręcepto Confessionis pro elapso anno, eo quod anno elapso ob justam causam non potuerit confiteri, satisfaciat unica confessione pręcepto utriusque anni?

Affirmant Pal., Leand., Con., & alii; Negat vero communis Doctorum sententia cum Suar., Bonac., Becan., Sot., Martin., Navar., aliisque ex D. Th. Ratio affirmantium est; quia vere hoc anno satisfecit obligationi confitendi semel in anno. Ratio negantium est; quia per illam confessionem satisfecit pro obligatione anni precedentis, & consequenter pro obligatione anni presentis debet iterum confiteri: Sicuti si quis voveat facere eleemosynam singulis diebus, si uno die omittat illam, tenetnr die sequenti ad duas eleemosynas, & post viginti dies ad viginti.

Probabilior tamen, & juxta usum Ecclésiæ videtur sententia affirmativa; quam sequuntur etiam Hurtad., Perez, & alii; dummodo in ea confessione, quæ fit pro anno præterito, aperiantur etiam mortalia præsentis anni. Quod si nullum in ea mortale anni præsentis habeatur, & deinde incidat pęnitens hoc anno in mortale, videtur, quod debeat iterum confiteri eodem anno.

VI. Quæritur quarto; An teneatur in principio anni confiteri, qui prævidet, defuturam sibi deinde opportunitatem, aut oblitürum peccata commissa?

Respondeo, certum esse non teneri ad præveniendum, ne obliviscatur peccata commissa, ut docent communiter Doctores apud Dian. part.3.tract.4. resol. 155. contra Majorem, Medin. Marsil., Nugn., Ratio est, quia tantum obligamur confiteri peccata, quæ memoriæ occurrunt; quod si teneremur statim confiteri, quando est periculum, ne obliviscamur peccata, sequeretur, quod fideles communiter tenerentur pluries in anno confiteri; quod est contra sensum Ecclesiæ: Contra vero, si sit in fine anni defutura opportunitas confessionis, tenemur, in principio anni currentis pręvenire. Et ratio est, quia præceptum obligat pro toto anno in ea parte anni, in qua possumus. Eodem pacto discurrendum de auditione Sacri; Tenemur enim primo mane audire Sacrum, si deinde sit defutura opportunitas. Idem dicas de communione, (quæ tantum obligat per quindecim dies Paschatis) tenetur pariter die Palmarum communicare, qui deinde non posset.

Circa recitationem officii existimat Henr.lib. 4. cap. 4., & probabile putat Less., & Sanch., quod qui vespere propter febrim, vel aliud impedimentum necessarium non potest recitare vesperas, non teneatur illas recitare mane; quia horæ canonicæ sunt addictæ suo tempori determinato, & pro illo tantum tempore obligant, & solum ex privilegio permittitur illarum anticipatio. Quare si impedimentum non est voluntarium, non tenemur ad illarum recitationem;Sicut qui suscipit subdiaconatum hora tertia, non tenetur illo die ad matutinum, & primam.

Alii tamen putant probabilius, quod impeditus recitare vesperas suo tempore debeat illas recitare mane; sicut etiam recitare matutinum vesperi, qui non potuit mane; quia totus dies assignatur pro recitatione omnium horarum ejus diei, & distributio horarum non pertinet ad substantiam præcepti, sed ad quandam circumstantiam, & ad convenientiam. Quia tamen procul dubio est privilegium posse recitare ante solis occasum matutinum sequentis diei, ideo qui sequenti die non potest illud recitare, non obligatur ad præveniendum.

An autem qui nequit toto anno confiteri, teneatur prævenire in fine anni antecedentis confessionem; & eodem modo, si nequit communicare in quindecim diebus Paschatis, teneatur ante illos communicare: Azor. negat; tum quia non est ea praxis Ecclesiæ; tum etiam quia qui non potest audire Sacrum die dominico, non tenetur anticipare die Sabbati. Sed Leand., Fagund., Suar., Vasq., & alii communiter affirmant; quia obligatio Confessionis, sicut & communionis non est affixa tempori determinato, sicut est affixa obligatio audiendi Sacrum. Quare sicut non tenetur audire Sacrum die lunę, qui non potuit die dominico, ita nec tenetur prævenire die Sabbati, si habiturus est impedimentum die dominico: Contra vero sicut tenetur anno sequenti confiteri, qui non potuit confiteri intra annum; ita qui prævidet per totum annum impediendum fore, vel navigando, vel ex alio capite, tenetur pręvenire anno antecedenti confessionem mortalium post ultimam confessionem commissorum. Idem dicendum de eo, qui habens reservata prævidet, se non habiturum opportunitatem adeundi Superiorem pro absolutione; quia obligamur confiteri semel in anno proprio Sacerdoti, seu confessario habenti potestatem absolvendi omnia mortalia commissa; atque adeo habens reservata tenetur directam absolutionem procurare a Superiore.

VII. Quæ-

VII. Quæritur quinto; Quinam obligentur præcepto Confessionis Ecclesiastico?

Respondeo, omnes fideles, seu baptizatos, qui post usum rationis mortalia commiserunt, a quibus non sint directe absoluti, hoc præcepto obligari, ut constat ex Cap. *Omnis utriusque sexus*: Infideles vero, qui Baptismum non susceperunt, cum non sint subditi Ecclesiæ, non obligantur.

Summus Pontifex eo præcepto obligatur, non per vim coactivam, ita ut teneatur subire pęnas debitas transgressoribus; cum legislatores non teneantur vi coactiva suas leges servare, sed per vim directivam; cum ex vi legis naturalis teneatur caput membris se conformare ad bonum regimen, & directionem illorum, ut communiter docent Doctores in tractatu de Legibus. Ratio est, quia Princeps cum non sit sibi subditus, non potest se ipsum obligare, sed ex conditione Principis provenit, ut jus naturale dictet, Principem debere pati legem, quam ipse suis subditis imponit, *leg. 1. ff. quod quisque juris*, & *cap. Cum omnes de Constitutionibus*. Quod tamen intelligendum, si ratio legis æque in utrisque locum habeat. Unde Princeps non potest pro arbitrio se suis legibus eximere, sed tantum justa de causa; aliter peccabit. Notant etiam Doctores cum Less., & Pal., quod si Princeps sine justa causa uno, vel altero actu contra suam legem faceret, non peccaret mortaliter, si scandalum abesset; quia cum non teneatur ea lege, nisi quia debet caput suis membris se conformare, non videtur gravis deordinatio, quod, si absit scandalum, in uno, vel altero actu se suis subditis non conformet. Unde si Pontifex aliquando differret tempus ad implendam confessionem a Christo Domino præceptam, verbi gratia per annum cum dimidio, secluso scandalo, non peccaret mortaliter; At subditi, etiam secluso scandalo, tenentur legibus Superioris. Unde damnata est ab Innoc. XI. propositio 52. dicens: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Hæretici, utpote Ecclesiæ subditi, & baptizati, sine dubio obligantur ad annuam confessionem; præsertim quia tale præceptum est quoad substantiam divinum, & solum quoad circumstantiam temporis Ecclesiasticum.

Excommunicati tenentur tollere vinculum excommunicationis, ut huic præcepto satisfaciant. Ita Laym., licet multis contrarium sentiant cum Dian. part. 11. tract. 7. resol. 14.

Meretrices, & publici peccatores etiam ad Confessionem annuam tenentur; sicut hæretici. Neque obstat, quod hoc præceptum ob eorum pervicaciam sit illis in perniciem, & destructionem, non in ædificationem. Nam, ut aliquod præceptum sit rationabile, & ad ædificationem, satis est, si sit utile toti cummunitati; licet noceat alicui ob suam perversitatem. Probabile tamen est, quod nonnulli docent cum Vivald., Rodriq. & aliis apud Fagund. 2. pr. lib. 1. cap. 4. meretrices non incurrere pœnas latas contra transgressores talis præcepti; tum quia nunquam solent denunciari, etiamsi per multos annos non confiteantur, tum etiam quia earum miserrimus status ab Ecclesia permittitur ad vitanda majora damna; non diceretur autem permitti, si ab Ecclesia punirentur pœna maxima excommunicationis.

Demum pueri obligantur ad annuam confessionem, quando habent usum rationis, suntque doli, & peccati capaces; seu cum eos incipit malefacti pudere. Quod constat ex verbis citati Capitis dicentis: *Cum ad annum discretionis pervenerint*: Anni autem discretionis communiter tam in masculis, quam in fœminis incipiunt anno septimo, atque adeo multo ante pubertatem, quæ fere habetur anno 14. a masculis, & 12. a fœminis. Et sane præceptum confessionis, cum sit divinum, obligat omnes peccati mortalis capaces. Cum ergo post septennium soleant esse capaces peccati mortalis pueri, etiam post septennium obligantur ad Confessionem præceptam a Deo, & consequenter etiam ad confessionem annuam determinatam ab Ecclesia; sicut etiam tenentur audire missam, & abstinere a carnibus: Quicquid contradicant Sot., & Henr.

Neque dicas, pueros non obligari præcepto communionis post septennium; ergo neque præcepto Confessionis.

Nam Ecclesia in dicto capite excludit a Præcepto Communionis pueros per ea verba: *Nisi ex consilio Confessoris duxerit differendam*. Est autem prudenter consuetudine introductum, ut a Communione abstineant pueri, quousque sciant Eucharisticum cibum a pane distinguere, & Dominum in eo delitescentem venerari; ac plene cognoscant tanti Sacramenti dignitatem: Præsertim quia Communio non est adeo saluti necessaria, sicut confessio.

VIII. Concedo tamen, quod pœnæ contra transgressores hujus præcepti non incurrantur ab impuberibus; quia, ut communiter Doctores docent, cum Fagund. Sanch. & aliis, lex Ecclesiastica universim non punit censuris, nisi adultos, quoties non comprehendit expresse pueros; ut videntur a Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 5. comprehendi expresse, dum prohibetur illis ingressus intra septa Monasterii sub pęna excommunicationis. Immo Palud. Graff., & Bellochius volunt, pueros ante pubertatem nec subjacere reservationi casuum: Quod quamvis alii negent, verum tamen est relate ad Diœcesim Neapolitanam, ut constat ex tabella casuum exposita, in qua impuberes excipiuntur.

Si du-

Si dubium sit, An post septennium pueri habeant usum rationis? tenentur confiteri mortalia, illisque dari debet sub conditione absolutio, ut docent Perez, Ledesm. & Sanch. quia cum communiter contingat usus rationis post septennium, præsumitur rationabiliter usus rationis adesse; secus vero ante septennium; licet in articulo mortis debeat etiam illis impertiri absolutio sub conditione in dubio usus rationis. Et si certo constet de usu rationis ante septennium, certo tenentur præcepto confessionis annuæ, quamvis non in foro externo.

IX. Quæritur sexto; Quibus pœnis subjaceant transgressores hujus præcepti Ecclesiastici?

Respondeo, in cap. *Omnis utriusque sexus* duas pœnas imponi omittentibus Confessionem annuam, & Communionem, vel omittenti alterutram ex his, ut communiter Doctores docent cum Suar. videlicet in vita arceri ab ingressu Ecclesiæ, & in morte privari Ecclesiastica sepultura; quæ pœnæ, ut supra diximus numero primo, non incurruntur ipso facto, sed post sententiam judicis, juxta communiorem cum Suario; unde debet talis transgressio in judicio probari. Præter has pœnas, solent Episcopi ex consuetudine, seu per Constitutiones Synodales injungere pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam. Et quamvis Durand. putet, hujusmodi excommunicationem non incurri ipso facto, si delictum sit occultum, quod probari non possit: At communissima, & vera sententia docet oppositum. Sicut enim hæresis externa, licet occulta, quæ probari non possit in judicio, subest jurisdictioni Ecclesiæ; ita etiam transgressio hujus præcepti, quamvis occulta; cum satis sit, quod sit peccatum externum. Præterquamquod potest facile talis omissio probari: Primo, si constet, a nullo Confessario habuisse schedulam: Secuudo, si publice, & continue permaneat homo in peccato cum scandalo, ut in concubinatu, inimicitia, &c.

Majus dubium est, An incurrat hanc excommunicationem, qui ficte confitetur; siquidem in tali casu peccatum est solum internum, & Ecclesia non judicat de internis.

Negant Granad. Navar. Henriq. apud Perez. Sed communius cum Suar. & Fagund. affirmant; quia potest Ecclesia punire exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actum, qui proinde dicitur malus; exempli gratia, potest Ecclesia præcipere Sacerdoti sub pœna excommunicationis ipso facto, ut baptizet puerum in articulo mortis constitutum; in quo casu si Sacerdos faceret exterius omnia, sine tamen intentione conferendi Sacramentum Baptismi, procul dubio incurreret pœnam excommuuicationis. Idem prorsus accidit in casu nostro.

Confirmatur, quia si præcipiatur jejunium sub pœna excommunicationis ipso facto, & Petrus falso dicat, se non teneri ad jejunium propter virium imbecillitatem, & frangat jejunium, certe excommunicationem incurrit; quamvis probari non possit in foro externo malitia actus interni, quæ reddit malam actionem exteriorem, circa quam cadit prohibitio; ergo in casu nostro licet probari nequeat defectus interior in eo, qui ficte confitetur, vere potest in illum cadere pœna excommunicationis propter externam Confessionem malam ex malitia actus interni. Similiter, ut bene notavit Sanch. lib. 2. cap. 8. num. 26. si quis animo hæretico ita verba componat, vel amphibologice eis utatur, ut possit subterfugere, est verus hæreticus exterior, atque adeo censuras hæreticorum incurrit, quia illa fictio non minuit culpam, sed per accidens occultat. Hinc itaque confixa est jure merito ab Alexand. VII. thesis 14. dicens: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; cum autem tali præcepto non satisfaciat, jure merito ab Ecclesia puniri potest.

X. Quæritur ultimo; an teneamur confiteri per interpretem, si aliter non possimus?

Respondeo cum Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 36. sect. 6. neque præcepto Ecclesiastico, neque divino extra articulum mortis teneri nos ad confessionem per interpretem; secus vero in articulo mortis, si dubium sit de contritione, quod est facillimum dubitare. Quamvis satis sit in tali casu solum confiteri mortalia minoris ruboris, imo sola venialia, addendo, quod se accuset de omnibus mortalibus, ut sic saltem indirecte per Sacramentum omnia absolvantur. Ratio autem est, tum quia in Cap. *Omnis utriusque sexus* habetur hæc verba: *Teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*: Si autem per interpretem, jam non solus confiteretur: tum etiam quia præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanto onere: Præceptum vero divinum Confessionis videtur in articulo mortis, si dubium sit de contritione excusare ab integritate materiali, quando nonnisi per interpretem cum magno rubore possumus confiteri. Ita Leand. Ægidius, aliique contra nonnullos, qui censent, debere nos integre confiteri per interpretem ex præcepto divino.

Quid, si aliter non possit aliquis confiteri, quam per scripturam?

Respondeo, multos Doctores cum Dian. Valent. Filliuc. hunc deobligare; quia exponeret se periculo amittendi scriptum; & quia posset eo tanquam publico instrumento abuti Confessor ad infamiam pœnitentis. Verum communiter cum Suar. Doctores hunc obligant peccata scribere, & tradere confessario præsenti petendo absolutionem; quia periculum infamationis est

valde

valde remotum, & potest huic periculo occurri, si minus vel in una papyro scribat peccata; & in altera numerum, vel indicet in libro aliquo peccata, quæ commisit, addendo numerum illorum gestibus, &c. Quod si mutus ne per scripturam quidem possit confiteri, tenetur confiteri per signa; etiamsi confessarius per hujusmodi signum nullum peccatum in specie intelligere possit, nec alius confessor adsit, qui ea melius intelligat. An autem possit hujusmodi mutus extra tempus præcepti sic confiteri? Affirmat probabiliter Leand. quæst. 19. quia si valide potest absolvi semel in anno, ut omnes fatentur, æquum non est, ut tandiu cogatur carere gratia Sacramentali sine propria culpa.

Ex dictis habes, Pœnitentem ab hoc præcepto excusari solum, quando datur impossibilitas, vel physica, ut si nequeat haberi confessarius; vel moralis, ut si non possit confiteri sine gravi periculo infamationis, aut alterius gravis damni. Sicut enim hæc excusant ab integritate materiali confessionis, ita excusant simpliciter a confessione, quando oritur periculum ab ipsa confessione: Ubi etiam advertendum, periculum infamiæ, quod a confessione excusat, debere esse ipsi confessioni extrinsecum; etenim incommoda confessioni intrinseca non deobligant, ut quod Confessarius, qui habebat pœnitentem pro timorato, deinde habeat illum pro magno peccatore, aut quod nimium erubescat, &c. Aliter solum publici peccatores, & impudentes tenerentur confiteri.

ARTICULUS IV.

De quidditate, & conditionibus Confessionis Sacramentalis.

I. *Quid veniat nomine Confessionis, quæ præcipitur?*

II. *Num possit pœnitens confiteri exhibendo papyrum, in qua scripta sint omnia peccata commissa?*

III. *Sexdecim conditiones ab antiquis Theologis requiruntur, ut quis apte confiteatur.*

IV. *Quodnam mendacium in confessione prolatum sit mortale?*

V. *Num sit mortale, unum individuum peccati fateri pro alio ejusdem speciei?*

I. Explicatis præceptis ad confessionem pertinentibus, oportet ejus naturam, & qualitates explicare.

Quæritur itaque primo; quænam sit confessio Sacramentalis præcepta?

Respondeo, ex D. Th. & aliis communiter esse *Legitimam accusationem propriorum peccatorum coram Sacerdote habente jurisdictionem, ad illorum veniam virtute clavium obtinendam per absolutionem*. Brevius confessio definitur, *Accusatio de propriis peccatis*. Unde patet, non satis esse peccatorum narrationem, licet possit aliquis, postquam historice sua peccata narravit, de illis in confuso se accusare in ordine ad absolutionem Sacramentalem.

Ex hoc autem quod accusatio ista fieri debeat homini confessario, sequitur, quod debeat fieri signis sensibilibus, & ex consuetudine Ecclesiæ graviter obligante fieri debet voce per se loquendo; unde verificetur illud Apostoli, *Ore fit confessio ad salutem*, & ideo Florentinum vocat illam, Oris confessionem.

Dixi, juxta consuetudinem Ecclesiæ; nam, ut notat Suar. disp. 21. sect. 2. hac de re nullum extat præceptum, neque divinum, neque humanum.

Dixi etiam, per se loquendo, quia mutus, & sensibus destitutus potest etiam aliis signis confiteri.

II. Palaus putat, etiam extra necessitatem, ut facilius peccata explicentur, non esse illicitum Sacerdoti afferre scripta propria peccata; & postquam illa legerit, de illis in genere se accusare petendo absolutionem, quia talis confessio non censetur facta scripto, sed verbis. Certe si peccata scripta tu legas coram confessario, sine dubio licitum est sic ea confiteri. Quod si legat illa Confessarius, & tu tantum de illis in genere te accuses, admittit etiam fieri posse Leander disp. 5. quæst. 26. Navar. tamen, & alii communiter putant, id esse mortale: Villalob. relatus a Dian. part. 3. tract. 4. resol. 127. & Leand. in compendio disp. 6. num. 4. putat, esse veniale extra casum necessitatis. Equidem censeo cum Lug. Suar. Vasq. id tantum licitum esse ex rationabili causa, verbi gratia, quando puella præ magna verecundia ægre potest verbis sua peccata explicare; vel si ægrotus præ gutturis angore, aut ex defectu vocis, aut ob surditatem Confessarii non potest facile confiteri voce.

III. Quæritur secundo, quænam sint conditiones bonæ Confessionis?

Respondeo, sexdecim ab antiquis Theologis numerari, quæ his versibus comprehenduntur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Primo itaque debet esse simplex, hoc est, ut ea tantum explicentur, quæ pertinent ad peccati quantitatem, & qualitatem manifestandam, rejectis prolixis narrationibus, & præambulis.

Secundo, humilis, etiam in gestu, & habitu externo, puta flexo utroque genu, sine chirothecis, sine ense, nisi pœnitens sit Religiosus militaris; quamvis veniale tantum sit ea omittere ob levem irreverentiam Sacramento.

Tertio,

Tertio, Pura, scilicet ex puro, & recto fine obtinendi gratiam Sacramentalem, non ob vanam gloriam, aut ob alium finem extrinsecum malum.

Quarto, Fidelis, hoc est absque mendacio.

Quinto, Frequens, ob uberes ejus fructus.

Sexto, Nuda, hoc est non palliata coloribus obscurantibus veritatem, & peccati gravitatem.

Septimo, Discreta, primo in verbis, utendo vocabulis honestis: Deinde in modo, discernendo peccata, & explicando ut diversa, quæ sunt diversa: Demum sit discreta relate ad Confessarium, eligendo illum doctum, pium, & idoneum.

Octavo, Libens, idest spontanea; licet qui importunis precibus, vel metu mortis ad Confessionem impellitur, non frustretur fructu Sacramenti.

Nono, Verecunda, seu cum pudore de fœditate peccati, & offensa Dei. Unde monet Sylvester, non expedire, ut fœmina confiteatur cum confessario, cum quo peccavit.

Decimo, Integra, hoc est integre explicando species, & numerum peccatorum, ut fuse dicemus quæst. sequenti.

Undecimo, Secreta, seu Auricularis: licet enim non sit contra Christi institutionem, si quis publice confiteatur, id tamen raro expedit, & sine rationabili causa fieri non debet; quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, &, ut supra diximus, in Cap. *Omnis utriusque sexus* dicitur, quod teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti.

Duodecimo, Lacrymabilis, hoc est cum dolore.

Decimotertio, Fortis, seu firma in proposito, & ne timore, aut pudore aliquod peccatum taceatur.

Decimoquarto, Accusans, idest non excusans culpas.

Decimoquinto, Accelerata; hoc est non longe dilata post peccatum.

Demum, Parere parata, tum ad manifestanda ea, quæ prudens Confessarius judicaverit necessaria, tum ad exequenda ea, quæ confessarius jusserit.

IV. Quæritur hic tertio; An mentiri in confessione sit mortale?

Respondeo, multipliciter posse accidere casum. Primo enim posset quis mentiri in confessione circa aliquid nullo modo pertinens ad Confessionem: Et hoc peccatum est veniale, vel mortale, prout est ejus materia: Et circumstantia isthæc, quod mendacium dicatur in Confessione, nullo pacto reddit illud mortale: Etenim proprie loquendo, hic non mentitur in Confessione, cum non mentiatur in materia Confessionis; quia tamen est aliqua irreverentia Sacramento mentiri, dum illud suscipitur, ideo hæc irreverentia est levis, & venialis.

Secundo potest accidere, ut quis mentiatur in materia Confessionis; & hoc quinque modis: Primo, negando se fecisse aliquod veniale, quod fecit: Secundo, negando se fecisse aliquod mortale, quod fecit quidem, se non tenetur hic & nunc confiteri: Tertio, confitendo aliquod veniale, quod non fecit: Quarto, confitendo aliquod mortale, quod non fecit: Quinto, negando aliquod mortale, quod fecit, & tenetur confiteri. Qui primo, aut secundo modo mentitur, peccat tantum venialiter, ex Suar. Sot. Navar. & aliis; quia hoc mendacium nulli alteri nocet, nec est contra jus Confessarii, qui nequit exigere, ut pœnitens confiteatur venialia, aut mortalia alias confessa, & absoluta, aut quæ non tenetur confiteri, quamvis teneatur aliquando pœnitens respondere de peccatis præteritis, si ea notitia conferat ad judicium Sacramentale rite formandum, & ut melius possint vulnera pœnitentis a Confessario curari.

Si tertio modo Pœnitens confiteatur solum aliquod veniale, quod non fecit, nec aliud peccatum confiteatur, tale mendacium erit peccatum mortale; cum reddat Sacramentum nullum: Si vero cum venialibus commissis cofiteatur alia venialia non commissa, probabilius ex Suar. tale mendacium est veniale, quia Sacramentum est validum, nec forma absolutoria simpliciter falsificatur, esto falsificetur relate ad illa venialia non commissa; quod censetur a Suar. levis tautum irreverentia.

Demum, qui quarto, vel quinto modo mentitur in confessione, juxta communem Doctorum peccat mortaliter, quia decipit judicem in re gravi.

V. Dubium est, An sit grave mendacium unum numero mortale fateri pro alio ejusdem speciei; Verbi gratia, si quis occidit Petrum, & dicat, se occidisse Paulum, ut Petri occasionem celet; vel si peccavit cum Berta, & dicat peccasse cum Antonia? Aliqui cum Moya probabiliter negant esse mendacium grave, quia vere fatetur substantiam peccati, & materialiter se habet homicidium relate ad Petrum, vel Paulum; sicuti furtum decem aureorum, sive fuerit ex moneta argentea, sive aurea. Alii vero cum Vasq. Lug. Tambur. dicunt esse grave; quia in tali casu non fateretur peccatum quod fecit, sed quod non fecit.

Demum adverto, quod si quis ex ignorantia confessus sit peccatum pure putatum, & deinde deprehendat vere non esse commissum, aut si confessus sit se peccasse decies, & deinde deprehendat, bis tantum peccasse, non tenetur in nova confessione id aperire, quia, ut ait Bonac. hoc non esset se accusare, sed excusare. Et hæc satis de hac quæstione.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De integritate Confessionis.

SEorsim de hac conditione agendum, quoniam plura scitu digna ea continet. Et primo quæremus, quid sit integritas materialis, quid formalis? & quænam diligentia examinis requiratur, ut fiat integra Confessio? Secundo agemus de integritate Confessionis ex parte circumstantiarum, ubi examinabimus specialia dubia circa singulas circumstantias. Postmodum de integritate quoad numerum peccatorum. Tum de causis excusantibus ab integritate materiali. Demum quando, & quomodo repetenda sit Confessio?

ARTICULUS I.

De diligentia examinis ad integritatem confessionis requisita.

I. Quid sit confessio materialiter, quid formaliter integra?
II. Non excusat ab integritate materiali confessionis, qui culpabiliter negligit examen diligens.
III. Unde dignosci soleat, an examen fuerit diligens, necne?
IV. Quandonam repetenda confessio, quæ ex defectu examinis diligentis non fuit materialiter integra?
V. Num sint audiendi Rustici, qui sine prævio examine ad confessionem accedunt?

I. CErtum est primo, Confessionem Sacramentalem dupliciter posse esse integram, materialiter, & formaliter. Habet Confessio integritatem materialem, quando omnia peccata post Baptismum commissa, & alias non rite confessa, cum suis circumstantiis, saltem mutantibus speciem, uni eidemque confessario vero aperiuntur: Habet integritatem formalem, quando habet omnia requisita ad validitatem, & formam Sacramenti, quamvis non aperiantur in ea omnia peccata, quia justa de causa possunt aliqua reticeri: Plurimi enim casus dantur, in quibus adest justa excusatio non aperiendi uni eidemque Confessario omnia peccata, & consequenter non faciendi confessionem integram materialiter, hoc est integram quoad totam materiam remotam peccatorum, sed eam dimidiandi, confitendo aliqua uni, aliqua alteri confessario.

II. Certum est secundo, confessionem Sacramentalem debere esse, per se loquendo, materialiter integram. Quod constat, tum ex institutione hujus Sacramenti facta per modum judicii; quomodo enim posset ferri judicium de causa incognita? Tum ex definitione Trident., quod can. 5. hæc habet: *Si quis dixerit, necessarium non esse confiteri omnia, & singula mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit.* Per accidens tamen sufficit aliquando sola integritas formalis, quando quis ab integritate materiali ob justam causam excusatur. Etenim, ut bene Suar. disp. 23. cum Sacramentum hoc institutum sit in remedium hominum imbecillorum, & humana imbecillitas non toleret semper integritatem materialem, vel quia peccata memoria excidunt, vel quia destitutus sensibus non potest confessionem prosequi, vel quia damnum grave rationaliter aliquando timetur a confessione peccatorum, ideo satis est integritas etiam formalis, quamvis in solo casu necessitatis vel physicæ, vel moralis excusantis a materiali integritate.

Unde sequitur, non excusare ab integritate materiali ignorantiam, & negligentiam graviter culpabilem; quia qui tenetur omnem materiam remotam, seu omnia peccata confiteri, tenetur etiam illorum ignorantiam abigere, quantum potest. Ex quo etiam sequitur, debere præmitti examen diligens a pœnitente, ut constat ex can. citat. Trident.; Et ratio a priori ex Suar. disp. 22. sect. 11. est; quia qui præcipit finem, præcipit media necessaria ad finem; ergo cum Christus Dominus præcipiat confessionem omnium mortalium, & ad hanc, moraliter loquendo, necessarium sit diligens examen, præcipitur consequenter a Christo Domino hoc diligens examen; Unde solum ignorantia invincibilis, quæ superari non potest ab examine diligenti, excusat a materiali integritate.

III. Quæritur primo; Quanta debeat esse diligentia examinis?

Respondeo, debere ex variis circumstantiis judicari, scilicet ex capacitate pœnitentis, ex consuetudine peccandi, ex diuturnitate temporis, &c., unde non eadem omnibus mensura diligentiæ taxatur. Hoc sane certum est, levissimam diligentiam non sufficere, nec maximam exigi; imo nec esse consulendam; cum sæpe anxietatem inducat, & tædium novæ Confessionis, & aliquando etiam desperationem; Unde Sot. negat, necessarium esse, ut pęnitens peccata scribat, vel quando ea committit, vel quando ea recogitat, credens se alioqui obliturum. Quare moralis tantum, & humana diligentia requiritur, quam adhibere solent communiter homines in re gravi, quæ maxime illis cordi est; ita tamen ut Sacramentum ex diligentia examinis non reddatur nimis onerosum, & grave, ut advertit Lug. num. 590. Hinc esto verum sit, quod si quis diligentius se examinaret, adhuc plura peccata reperiret, non proinde tenetur ad hanc exquisitissimam diligentiam, sed solum ad humanam, & moralem.

Universim autem ad dignoscendum, quandonam confessio fuit graviter culpabilis ex defectu examinis, hæc regula assignari solet. Si quis examinando diligentius conscientiam reperit plura esse peccata, quorum erat oblitus, quam ea, quæ confessus est; potest sibi persuadere, quod non præmiserit examen debitum, atque adeo quod confessio illa fuerit ex defectu examinis insufficiens.

IV. Quęritur secundo; An confessio materialiter non integra ex gravi defectu examinis fit invalida, & consequenter repetenda?

Respondeo, Sot., Cajet., Dian. 2. part. tract. 17. resol. 31. docere esse validam; quia putant, in tali casu dari Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris de tali culpa, quę non advertitur. Sed communius docent, hujusmodi confessionem esse sacrilegam, invalidam & repetendam; quia pęnitens advertere solet ad negligentiam culpabilem examinis.

Equidem distinguo; Si pęnitens doleat de peccatis ex motivo universali, & non advertat ad hanc culpam, quam commisit in examine, certe suscipit Sacramentum validum, & formatum, nec est repetenda talis confessio; sed solum aperiendum est illud peccatum, quando illius recordabitur; At Sacramentum esset validum, & informe, si dolor non esset ex motivo universali. Quod si pœnitens ad talem culpam advertat, & non præmittat examen debitum, Sacramentum erit invalidum, & confessio sacrilega, ac repetenda, cum pœnitens careat voluntarie dolore debito.

V. Quæritur ultimo; An Rustici, qui sine pręvio examine ad confessionem accedunt, sint audiendi?

Respondeo, regulariter loquendo non esse audiendos; quia ex Trident. cap. 5. exigitur, ut pęnitens confiteatur, postquam diligentius se excusserit, & conscientiæ sinus omnes, & latebras exploraverit. Verum quando confessor est adeo expertus, ut sciat radicitus a Pęnitente peccata omnia eruere, & in memoriam revocare, eo saltem crasso modo, quo ipse pęnitens faceret, si suam moralem diligentiam adhiberet, possunt ex Vasq., Leand., Lug. audiri.

ARTICULUS II.

De integritate Confessionis quoad circumstantias peccati.

I. Explicandæ sunt in confessione etiam circumstantiæ morales peccatorum, quæ sunt septem celebri versiculo compræhensæ.

II. Singulæ istæ circumstantiæ seorsim exponuntur.

III. Circumstantiæ morales mutantes peccati speciem in confessione aperiendæ quænam sint?

IV. Quid si aut Pœnitens, aut Confessarius ignoret has circumstamtias discernere?

V. Num debeat semper circumstantia mutans speciem per modum circumstantiæ aperiri; An possit etiam per modum novi peccati?

VI. Probabiliter non datur obligatio aperiendi circumstantias aggravantes culpam notabiliter, si speciem non mutant.

VII. Tenetur pœnitens respondere, si de quantitate furti interrogetur a Confessario.

VIII. Nec datur obligatio confitendi circumstantias minuentes, nisi quando peccatum ratione talis circumstantiæ ad aliam speciem transferatur, aut de mortali evadat veniale.

IX. Explicatur, quando actus plurium præceptorum violativus contineat, in se plures speciei malitias in Confessione aperiendas.

I. PRæmisimus ex Trident., non solum confitenda esse omnia mortalia, sed etiam circumstantias, quæ peccati speciem mutant. Dicitur autem circumstantia id, quod accidentaliter circumstat actum humanum, qui principalem habet speciem ex suo objecto vel bono vel malo. Porro circumstantia peccati alia est physica, ut si quis occidat hominem gladio, vel fuste, vel veneno; Alia vero est circumstantia moralis, quæ scilicet in genere moris mutat speciem peccati: ut si quis occidat laicum, vel

vel clericum. Ex Trident. obligamur ad confitendas circumstantias non physicas, sed morales peccatorum; ut constat ex ratione, quam idem Trident. tradit cap. 5.; quia scilicet Confessarius est Medicus simul, & Judex, & nisi morales circumstantias peccatorum pœnitens confiteatur, non potest de gravitate peccati recte judicare, nec pœnam debitam injungere, nec aptum remedium applicare.

II. Communiter septem enumerari solent circumstantiæ, illo versiculo comprehensæ,

Quis, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*.

Circumstantia, *Quis*, statum indicat, & conditiones pœnitentis, ut si sit clericus, aut uxoratus, aut habens votum, aut habens impotentiam adimplendi præceptum.

Circumstantia, *Quid*, explicat ipsum peccatum, ejusque conditiones, videlicet quantitatem, & qualitatem; Verbi gratia, quantam rem furatus sit, & qualem, An scilicet rem Sacram? &c., si fornicatus sit, an cum conjugata, vel cum consanguinea, &c. Etenim persona, cum qua peccatur, est pars materiæ illius peccati, & ideo sub circumstantia, *Quid*, comprehenditur; sub qua etiam juxta satis communem opinionem comprehenditur effectus externus secutus ex peccato, Verbi gratia, damnificatio ex vulnere inflicto, mors ex veneno propinato; homicidium ortum ex ebrietate, &c. Licet Dian.part.1.tr.7.ref.74.cum Vasq., Suar., Lug. aliisque probabiliter putet, effectum secutum ex peccato commisso, quamvis in causa volitum, non esse in confessione explicandum, quia non est novum peccatum; Inconcussum tamen est apud Doctores, actum externum exponi debere in confessione; quamvis non addat malitiam supra actum internum, cum ea sit praxis Ecclesiæ. Quare qui inflixit alteri vulnus lethale, ex quo sequitur mors, non sufficienter exponit peccatum dicendo, se habuisse animum vulnerandi lethaliter; licet probabiliter satis sit dicere, vulneravi aliquem lethaliter, non explicando mortem deinde sequutam; Nisi forte ratione censuræ annexæ debeat explicari; Et ratio est, quia effectus externus non censetur facere unum moraliter cum actu peccaminoso, sicut actus externus; unde potest accidere, ut qui aliquem vulneravit lethaliter, doleat de peccato, & sit in gratia, quando deinde sequitur mors. Præterea actus externus si minus formaliter, est certe denominative liber ab actu interno, & ideo denominatur peccaminosus. Secus vero effectus peccati, qui quando contingit, nec formaliter, nec denominative tunc est liber.

Circumstantia *Ubi*, significat Locum, scilicet Sacrum, aut publicum, &c. *Quibus auxiliis*, appellat concausas peccati, an cum complice, an ope Dæmonis, &c. *Cur*, ostendit finem malum, ob quem peccasti. *Quomodo* appellat modum accidentalem, seu non per se conjunctum cum peccato; ut si furatus sis cum violentia, unde sit rapina, si ex consuetudine, ex conscientia erronea, ex passione, ex contemptu, cum inadvertentia, cum scandalo, &c. Ad modum etiam reducitur intensio actus, verbi gratia, odii, vel delectationis morosæ, &c. quæ licet per unicum instans duret, adhuc dicitur morosa, eo quod non transeat ad desiderium, & ad opus externum. Demum circumstantia, *Quando*, appellat tempus; verbi gratia, an die festo laboraveris, &c. significat etiam durationem actus, verbi gratia, odii, omissionis restitutionis, &c. His explicatis,

III. Quæritur primo; Quænam circumstantiæ dicantur mutare speciem?

Respondeo, tunc circumstantiam dare actui humano speciem aliquam malitiæ, quando per illam actus opponitur rectæ rationi, seu virtuti alicui obliganti sub gravi: Tunc vero circumstantia mutat speciem peccati, quando per illam actus habet novam, & specialem aversionem a recta ratione; & opponitur diversæ virtuti ab illa, cum qua prius opponebatur: Exempli gratia, Titius cognoscit non suam, hic actus habet ex circumstantia personę oppositionem cum castitate obligante sub gravi, ne quis cognoscat non suam; & ideo peccat contra castitatem: Quod si Titius cognoscat alienam, seu conjugatam, contrahit per hanc circumstantiam novam alteram speciem malitiæ; quia sic violat etiam præceptum justitiæ obligans sub gravi, cum utatur uxore aliena, invito domino; Et quamvis consentiente marito cum illa peccet, adhuc peccat contra sanctitatem status matrimonialis, & contra reverentiam debitam Sacramento, & injuriam irrogat proli, adeoque peccatum multiplicis malitiæ commisit; Unde non sufficit dicere in hoc casu, Fornicatus sum; ut constat ex thesi 50. proscripta ab Innoc. XI., sed oportet explicare circumstantiam conjugatæ, non quidem ob injuriam, quæ irrogatur marito, sed ob injuriam quæ irrogatur proli, & ipsi Sacramento, ac statui Matrimoniali. Item si Titius furetur rem sacram, talis operatio non solum opponitur virtuti justitiæ, sed etiam virtuti religionis; Et ideo non satis est dicere, furatus sum: Idem dicas, si quis occidat Sacerdotem, vel Parentes; non enim solum peccat contra justitiam, sed etiam contra religionem, occidendo Sacerdotem; & contra pietatem, occidendo Parentes.

IV. Hic tamen advertendum, quod quia apud Doctores in innumeris casibus in controversiam vertitur, num aliqua circumstantia mutet speciem peccati; idcirco rusticis has doctrinas ignorantibus expedit quod aperiant peccatum, prout est commissum, explicando illas circumstantias, quæ naturæ lumine videntur esse notabiles, re-

linquendo Confessario judicare, quale peccatum illud sit, & contra quam virtutem. Quod si ne Confessarius quidem sciat ea discernere, tunc solus confessarius peccabit, si ex crassa ignorantia id ignoret; secus vero, si inculpabiliter, vel ob perplexitatem, vel ob rei confessæ difficultatem. Pœnitens tamen abunde satisfecit suæ obligationi.

Ex dictis sequitur primo, esse in confessione explicandam circumstantiam, quæ mutat peccatum de veniali in mortale; Verbi gratia, si quis mentiatur, ut Bertam ad malum inducat; mendacium enim est contra veracitatem, & intentio inducendi ad malum Bertam est tum contra charitatem, tum etiam contra castitatem; Et si sit conjugata, est etiam contra justitiam, &c. Eodem modo, si quis furatus est rem gravem, debet id aperire, quia circumstantia illa gravis quantitatis, licet non mutet speciem peccati relate ad objectum; at mutat speciem peccati, transferendo illud de veniali in mortale. Etenim peccatum veniale, & mortale, inquantum sunt offensæ Dei, plusquam specie differunt, & solum analogice conveniunt, ex D. Th., & aliis communiter.

Sequitur secundo, quod, si quis hujusmodi circumstantias ex oblivione, aut ignorantia omiserit, teneatur illas in nova confessione aperire. Ita communiter Doctores apud Suar. disp. 22. sect. 2., non secus ac peccata in una Confessione oblita, quando memoriæ occurrunt, in alia Confessione subjicienda sunt clavibus; ut constat ex thesi XI. ab Alex. VII. confixa.

V. Rogabis tamen; Num circumstantia mutans speciem confitenda sit per modum circumstantiæ; an sufficiat illam confiteri per modum peccati? Verbi gratia, si quis furatus est rem sacram, debetne dicere, commisi furtum sacrilegum, an vero potest dicere, commisi furtum, & commisi sacrilegium? Item, si quis habens votum castitatis fornicatus est, potestne dicere, Fornicatus sum, & fregi votum in Materia gravi? Vel si furatus sit ad adulterandum, potestne dicere, furatus sum, & habui intentionem adulterandi?

Respondeo, aliquando nullatenus posse explicari circumstantiam, nisi per modum circumstantiæ; ut si quis occidat Secerdotem, vel vim inferat puellæ, &c., non potest in his casibus explicare circumstantiam, nisi per modum circumstantiæ, eo quod, si occisor Sacerdotis dicat, Commisi homicidium, & feci Sacrilegium, non explicat speciem Sacrilegii, &c. Quando vero potest explicari circumstantia per modum peccati, ut in casu adducto de eo, qui habens votum castitatis fornicatus est, putat Suar. loc. cit. cum. Sylv. quod possit confiteri, dicendo, fornicatus sum, & fregi votum in re gravi, eo quod quamvis tale peccatum sit physice unum, est tamen moraliter duplex; & sic potest proponi, quasi essent duo peccata. Usus tamen, & communis modus confitendi est contrarius, ut experientia constat; ne videlicet existimet judex, non unico, sed duplici actu utramque malitiam contractam esse. Quare in eo tantum casu id permitterem cum Tambur. quando scilicet penitens oblitus est circumstantiam mutantem speciem, quæ potest deinde explicari, non explicato peccato jam confesso: Verbi gratia, si quis furatus est ad mechandum, & solum confessus est peccatum furti, potest deinde, quando recordatur circumstantiæ, dicere, habui intentionem mœchandi; quia sic non infertur, quod duo peccata commiserit, sicuti si in eadem confessione illa divideret. Et idem dicendum de peccatis continentibus plures numero malitias; Verbi gratia, si quis uno ictu occidit duos homines, non potest in eadem confessione dicere, feci homicidium, & deinde addere, Occidi alterum hominem: Quod si in prima confessione ex oblivione, vel ignorantia dixit, Occidi unum hominem, potest in altera confessione iterum dicere, Occidi hominem, confitendo homicidium alterius hominis.

VI. Quæritur secundo; An non solum circumstantiæ mutantes speciem, sed etiam notabiliter aggravantes intra eandem speciem aperiendæ sint in confessione? V. gr. si quis commisit furtum in magna quantitate, si peccavit coram Sanctissimo exposito, si contra vehementissimam inspirationem, vel firmissimum propositum, &c.

Respondeo, pro utraque sententia esse Auctores, & rationes magni ponderis: pro parte negativa D. Th., Vasq., Lug., Paludan., & alios quamplures: pro affirmativa Suar. Con., Cajet., Victor.. Utraque proinde sententia communiter censetur esse probabilis, & quidem etiam practice; quia sententiæ istæ non spectant ad valorem Sacramenti, ita ut teneamur sequi tutiorem.

Qui negat obligationem confitendi circumstantias aggravantes, in eo nititur; quia Trident. cap. 5. docet, necessario confitendas circumstantias mutantes speciem, nulla facta mentione de circumstantiis aggravantibus; Unde ne dicamus, mutilum fuisse Trident. in re tanti momenti, dicendum, obligationem confitendi circumstantias aggravantes non esse nobis a Christo Domino impositam. Præterea, quia esset grave onus, omnes hujusmodi circumstantias aperire. Demum ratio a priori est, quia Christus Dominus præcepit tantum confessionem omnium mortalium; sed qui tantum circumstantias mutantes speciem, & numerum peccatorum explicat, confitetur omnia mortalia secundum propriam quidditatem eorum; ergo obligationi a Christo Domino impositæ satisfacit.

Qui vero asserit, esse confitendas, in eo nititur; quia propter eandem rationem, propter quam

quam Trident. docet, aperiendas esse circumstantias mutantes speciem, aperiendæ sunt etiam aggravantes; quia scilicet Sacramentum hoc institutum est per modum judicii; Judici autem non solum delictum, sed etiam delicti gravitas debet innotescere, ut possit debitam pœnam injungere, & aptam medicinam applicare.

Dico equidem primo; Sanum consilium est in praxi, etiam circumstantias aggravantes fateri, & spectata ratione ab intrinseco probabiliorem esse sententiam Suar. obligantem; Quia scilicet Confessarius ex Trident. debet recte censere, seu judicare, non solum de crimine, sed etiam de criminis gravitate; Quis autem non videat, gravius notabiliter esse, verbi gratia, furtum mille aureorum, quam unius aurei? ergo debet circumstantia illa aggravans aperiri, ut possit de illa Judex recte censere. Quamvis autem Trident. solum definiat, esse aperiendas circumstantias mutantes speciem, & de aliis præscindat, id ex eo est, ut habet Suarius, quia Trid. voluit statuere duntaxat, quæ erant omnino certa apud Theologos, & præscindere ab iis, quæ apud Theologos erant dubia, ut est obligatio confitendi circumstantias aggravantes.

Dico secundo; probabilis etiam est, & in praxi tuta sententia D. Thom. & Vasq. deobligans. Ratio est, quia communiter Doctores docent, in dubio latæ legis nullam esse obligationem servandi illam; sed in casu nostro saltem est dubium, an lata fuerit a Christo Domino ejusmodi lex confitendi circumstantias aggravantes: ergo ea non obligamur. Præsertim, quia etiam adversarii docent, intentionem, & durationem peccati, sicut etiam circumstantias minuentes non esse necessario confitendas, ergo nec universim circumstantiæ aggravantes, (quæ scilicet diversum judicium pariant, ac non notabiliter diversum) eo quod sunt intra eandem speciem, & quidditatem peccati, atque adeo non pertinent ad substantiam peccati, sed ad id, quod peccato est accidentarium.

VII. Oppones primo, longe gravius est furtum mille aureorum præ furto unius aurei, quam furtum rei Sacræ, verbi gratia, relate ad furtum rei non sacræ; aut bestialitas relate ad sodomiam; ergo si tenetur pœnitens aperire has circumstantias mutantes speciem, ut possit Judex recte censere de gravitate criminum, debet etiam aperire circumstantiam illam aggravantem.

Respondeo, nego antecedens; nam eo ipso, quod peccatum est contra diversam virtutem, eo ipso est secundum substantiam diversum, atque adeo majorem habet gravitatem peccatum, quod non adeo graviter opponitur duplici virtuti, quam peccatum, quod graviter eidem virtuti opponitur. Cæterum eo ipso, quod pœnitens dicit, se furatum esse rem gravem, statim confessarius habet jus interrogandi de quantitate furti, & pœnitens tenetur respondere, ut rite possit confessarius de gravitate peccati judicare.

Neque dicas; Si non tenetur pœnitens aperire quantitatem furti, aut aliam circumstantiam aggravantem, neque tenebitur respondere confessario interroganti de illa.

Nam universim tenetur pœnitens respondere Confessario interroganti notitiam pertinentem ad rite judicandum, & medendum: Unde damnatur ab Innoc. XI. propositio 58. docens, Non teneri pœnitentem respondere confessario interroganti consuetudinem peccati. Scio Leand. disp. 8. quæst. ultim. ex Hurtad. Granad. Navar. & aliis docere, si pœnitenti constet, nec ratione restitutionis, nec ratione cautionis in futurum indigere se directione, & consilio confessarii, non esse obligatum respondere confessario interroganti quantitatem furti. Verum quia Doctores isti eodem modo loquuntur de consuetudine peccati; idcirco utraque pariter sententia videtur rejicienda. Præterquamquod confessarius interrogare potest pœnitentem, non solum ut possit illum dirigere, ne iterum cadat, & ut restituat, &c. sed etiam ut possit pœnitentiam debitam gravitati furti injungere; ergo tenetur pœnitens juxta communem opinionem confessario interroganti de quantitate furti respondere, etiamsi non indigeat directione, & consilio confessarii

Oppones secundo: Si qui furatus est decem aureos, posset confiteri furtum grave, non explicando quantitatem furti; pariter qui uno ictu occidit decem homines posset confiteri, dicendo, commisi homicidium: Nam eodem modo in furto illo decem aureorum continentur decem furta unius aurei, ac in illa occisione decem hominum continentur decem homicidia.

Respondeo, ex infra dicendis art. 6. non satis esse in tali casu dicere, commisi homicidium, quia non explicaretur peccatum, prout est in se; sufficeret dicere tamen, uno ictu plures homines occidi, non explicando, decemne, an centum fuerint; quia licet tale peccatum decem numero malitias homicidiorum contineret; non tamen contineret decem numero peccata: Nos autem ex Trident. tenemur quidem explicare numerum peccatorum, & circumstantias specie diversas, non vero numerum malitiarum in singulis peccatis contentarum.

VIII. Quæritur tertio; An aperiendæ sint in confessione circumstantiæ minuentes?

Respondeo, si circumstantiæ minuant peccatum intra eandem speciem, probabilius est, non teneri nos ad illas explicandas in confessione. Ita ipse Suarius, qui vult, circumstantias aggravantes esse aperiendas; & communissime Doctores apud Leand. disp. 8. quæst. 5. contra Sot. Scot.

Canum,

Canum, apud Suar. disp. 22. sect. 3. Ratio est, quia confiteri circumstantias minuentes potius deservit ad excusationem, quam ad accusationem. Quod si circumstantiæ minuant peccatum transferendo illud ad aliam speciem, certe tenemur circumstantias minuentes aperire: Id autem potest quatuor modis accidere.

Primo, si quod erat mortale ex circumstantia evadat veniale, ut si blasphemaveris ex subito motu, & non plena deliberatione, & advertentia. Secundo, si actus cæteroqui malus ratione circumstantiæ non sit malus; ut si quis occidat hominem in sui justam defensionem, certe non potest in confessione dicere, Occidi hominem, non addendo hanc circumstantiam minuentem. Tertio, si peccatum, quod ex se habet plures species malitiæ, ratione circumstantiæ non habeat nisi unam; Verbi gratia, si quis occidit Sacerdotem sciens illum esse hominem, se invincibiliter ignorans esse Sacerdotem, non potest confiteri peccatum, dicendo, Occidi Sacerdotem, faciens se reum homicidii, & sacrilegii, ubi solum homicidii est reus. Quarto, si actus esset unius speciei, & ratione circumstantiæ evadat alterius speciei moralis longe levioris: Verbi gratia, si quis volens occidere equum alterius, occidat ex ignorantia invincibili hominem, non potest dicere in confessione, Occidi hominem, faciens se reum homicidii, ubi tantum est reus occisionis equi, quam intendebat. Tenetur itaque has circumstantias minuentes, utpote mutantes speciem, aperire, quia aliter deciperet Judicem in re gravi.

IX Quæritur ultimo; An quilibet actus, qui sit plurium præceptorum violatio, eo ipso plures in se malitias specie diversas contineat? Exempli gratia, fingamus primo, Antonium ex voto obligatum jejunare singulis Sabbatis, si omittat jejunare eo Sabbato, in quo incidit dies Quadragesimæ, Quatuor temporum, & Vigilia Sancti Matthiæ, satisfacit ne dicendo, semel in Quadragesima fregi jejunium? Secundo, fingamus Petrum conjugatum rem habuisse cum Berta alterius viri uxore, satisfacitne dicendo, Rem habui cum conjugata? Tertio fingamus, Titium die dominico, in quo incidit festum Sancti Matthiæ, omisisse sacrum, satisfacitne dicendo, Omisi sacrum in die festo?

Respondeo, tunc solum contrahi malitias specie diversas, in confessione aperiendas, quando actus opponitur diversis virtutibus graviter obligantibus, aut eidem virtuti modo notabiliter diverso; non vero quando opponitur pluribus præceptis. Quare Titius, qui omisit Sacrum a pluribus præceptis impositum ex eodem motivo virtutis religionis, sufficienter confitetur, dicendo, Omisi sacrum die festo, etiamsi in eundem incidat, verbi gratia, dominica, & simul festum Sancti Matthiæ: Contra vero Antonius non integre confitetur, dicendo, fregi semel jejunium in Quadragesima; quia cum ex voto etiam teneretur ad illud jejunium, omisso illius non solum est contra virtutem temperantiæ, sed etiam religionis, quæ graviter obligat ad standum promissis Deo factis: Nec integre confitetur Petrus, dicendo, Habui rem cum conjugata, non explicando se pariter esse conjugatum; quia duplicem irrogavit injuriam, alteram suæ uxori, alteram marito Bertæ, ut notat Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 15. tum etiam, quia, ut notat Lug. disp. 16. sect. 5. diversa specie est obligatio, qua quis tenetur non violare suum matrimonium, ac illa, qua tenetur procurare, ne alter violet matrimonium suum.

Hic autem adverte, quod si circumstantia aliqua opponitur quidem diversæ virtuti, sed non graviter obliganti, non est necessario aperienda in confessione, cum non sit nova malitia: Exempli gratia, juxta satis communem opinionem, si defloratio fiat cum consensu libero, & voluntario fœminæ, non tenetur pœnitens dicere, quod commiserit stuprum, sed satis est dicere, quod fornicatus sit cum soluta, quia defloratio opponitur quidem virginitati, sed non graviter obliganti, eo quod virginitas non cadat sub præceptum, sed sub consilium, ut testatur Apost. 1. ad Corinth. 7. dicens: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis.*

ARTICULUS III.

Expenduntur specialia dubia circa singulas circumstantias.

Et primo

De Circumstantia *Quis*.

I. *Circumstantia* Quis *denotat qualitates, & conditiones Pœnitentis.*
II. *Num sit explicandum, quod votum castitatis, quo ligatur Pœnitens, sit simplex, an solemne?*
III. *Votum castitatis, aut conjugium, &c. Personæ, cum qua Pœnitens contra talem virtutem peccavit, explicandum est.*
IV. *Explicandum etiam est votum castitatis ab eo, qui alios inducit ad fornicandum, aut qui morose delectatur carnaliter; necnon conjugium ab eo, qui delectatur de copula illicita.*
V. *Sponsus, & Sponsa num teneantur hanc circumstantiam explicare, si carnaliter peccent? Quid de Eunucho, aut impotente?*
VI. *Quinam gradus conjunctionis explicandus est ab Incestuoso?*

I. IN innumeris casibus ipsi Doctores dubitant: Num circumstantia aliqua sit solum aggravans, an mutet speciem, & consequen-

quenter utrum necessario aperienda sit in confessione? Longum esset omnes discutere: De iis, quæ frequentius accidunt, nonnulla explicabimus.

Diximus, circumstantiam, *Quis*, denotare qualitatem, & conditiones pœnitentis, verbi gratia, sitne conjugatus, vel clericus, &c. istæ tamen conditiones attendendæ sunt in pœnitente, quando peccavit, non quando confitetur. Quare si habuerit votum castitatis, dum fornicatus est, & non quando confitetur, tenetur hanc circumstantiam exprimere: Secus vero si votum castitatis habeat solum, dum confitetur, non vero quando fornicatus est.

II. Dubitatur; An Sacerdos confitens fornicationem teneatur dicere, se esse Sacerdotem, an satis dicere, se esse in Sacris?

Respondeo cum Lug. Sanch. aliisque, hoc sufficere, quia votum cuilibet Sacro Ordini annexum est ejusdem rationis. Imo ex Sanch. Leand. aliisque contra Fagund. Azor. Laym. votum solemne castitatis, & votum simplex ejusdem etiam sunt rationis, nec differunt quoad mutationem specificam Sacrilegii: Unde satis est, si talis Sacerdos dicat, se habere votum castitatis: Et idem dicas de Episcopo. Quinimo Perez, & Sanch. contra Lug. & Laym. tenent, ne relgiosum quidem debere aliud explicare, quam votum castitatis, non vero statum religiosum. Advertendum tamen, quod Episcopus, vel Religiosus, vel Sacerdos, qui fornicatur, vel alium occidit, &c. potest per accidens teneri ad aperiendam circumstatiam sui status ratione scandali, quia facilius scandalizantur homines ex peccatis istorum, quam aliorum.

III. Sicut autem pœnitens debet suum statum, seu votum explicare, ita pariter debet explicare statum, seu votum ejus, cum quo peccavit; verbi gratia, si peccaverit cum conjugata, cum habente votum castitatis, &c.

IV. Qui habet votum castitatis, si suo consilio, vel auxilio alios inducat ad fornicandum, ex Lug. contra Sanch. & Tambur. lib. 2. cap. 6. tenetur hanc circumstantiam fateri. Præterea habens votum castitatis, ut est Sacerdos, & Religiosus, si peccat mortaliter per delectationem morosam de copula illicita, committit Sacrilegium, juxta communem Doctorum contra Eusebium de Herrera citatum a Leand. Et conjugatus pariter per talem delectationem peccat contra fidem matrimonii, & adulterii malitiam contrahit; non secus ac si se pollueret, aut desideraret fornicationem cum alia, ut communiter docent Doctores apud Leand. contra Hurtad. apud Sanch. & proinde tenetur hanc circumstantiam explicare.

V. Sponsus, vel Sponsa non tenentur fateri hanc circumstantiam, ex Leand. Dian. aliisque, quia nondum jus est acquisitum; Sanch. tamen, & Fagund. putant, solam sponsam teneri; quia est grave dedecus sponsi, quod sua sponsa peccaverit. Veriorem tamen existimo sententiam Ægidii, & Rebelli, quod uterque teneatur, quia per sponsalia licet non acquiratur jus in re, acquiritur tamen jus ad rem; sicut verbi gratia, per promissionem equi mihi factam habeo jus non in re, sed ad rem circa equum mihi promissum; ita ut fiat mihi injuria, si equus etiam ab ipso domino occidatur. (*a*)

„ (*a*) Heic P. Vivæ ut & Laymanno impo-
„ sturam impingit P. Concina en ejus verba,
„ tom. 9. pag. 293.

„ An Sponsi & Sponsæ carnaliter se co-
„ gnoscentes, aut alii cum eisdem se commi-
„ scentes, debeant talem circumstantiam pate-
„ facere? .... Prima (sententia) negat quam
„ defendunt.... Layman, Viva, & alii....
„ quid? Equum contractu promissorio vendi-
„ disti. Petro opportuno tempore tradendum.
„ Ante traditionem eidem oculum eruis, & non
„ peccas peccato injustitiæ? Belle. Sed, ut opti-
„ me Nocetius ait cap. 90. *Veritatis Vindicatæ*,

„ Vivam & Layman defendere sententiam
„ negantem, significat apud omnes & omnibus
„ persuadet, illos adhærere sententiæ neganti
„ eam amplecti, ut propriam eam vel absolute
„ præferre sententiæ affirmanti, & hanc omni-
„ no rejicere, vel saltem præferre tanquam
„ veriorem, & probabiliorem. Hoc omnes in-
„ telligunt per illa verba defendere senten-
„ tiam negantem, ut de propria experientia
„ lectores testari possunt.

„ Atqui tantum abest, ut Viva & Layman
„ præferant affirmanti sententiam negantem,
„ ut Viva adhæreat affirmanti tanquam ve-
„ riori, & Layman tanquam probabiliori. Et
„ quidem quod festivius est propter illam eum-
„ dem similitudinem Equi, quam ab ipsis mu-
„ tatuatam contra ipsos intorquet P. Concina.

„ Audi Vivam quæst. 5. art. 3. num. 5. ubi
„ post relatas sententias, & auctores ita pergit.

„ Veriorem tamen existimo sententiam Ægi-
„ dii & Roselli, quod uterque (Sponsus &
„ Sponsa) teneatur, quia per sponsalia licet non
„ acquiratur jus in re, acquiritur tamen jus ad
„ rem, sicuti v. g. per promissionem equi mihi
„ factam habeo jus non in re sed ad rem circa
„ equum mihi promissum, ita ut fiat mihi in-
„ juria si equus etiam ab ipso domino occidatur.

„ Audi Layman lib. 5. tractatu 10. cap. 1. n.
„ 6. Ubi licet sententiam negantem fateatur
„ practice probabilem propter magnitudinem
„ auctorum eorumque rationes: tamen ex pro-
„ prio sensu ita loquitur.

„ Licet fornicatio Sponsæ cum altero viro
„ soluto adulterii crimine notari non possit....
„ Nihilominus talis fornicatio videtur conti-

„ neri

„ neri gravem injuriam adversus sponsum, quip-
„ pe cui jus saltem inchoatum, & traditione non-
„ dum completum competit ad corpus Sponsæ
„ quod per fornicationem violatur. Non secus
„ atque injuriam inferre censetur, si quis equo,
„ qui mihi ex emptionis contractu debitus &
„ nondum traditus est oculum eruat.

„ Et paulo inferius inquit *Retenta priori*
„ *sententia* (affirmante) *quæ est probabilior*.

„ Igitur Viva sententiam affirmantem am-
„ plectitur, ut veriorem, Layman amplectitur
„ ut probabiliorem: & quidem uterque pro-
„ pter illam similitudinem equi qua insurgit
„ contra ipsos cum suo illo familiarissimo quid?
„ P. Concina. Nihilominus, si ipsum audia-
„ mus, uterque defendit sententiam negantem?

„ Et deinde P. Concina, ut audietis capite
„ sequenti orat omnes, ut legant in fonte,
„ ad experiendam scilicet ejus fidem, & Go-
„ bat, & Vivam & omnes, quos in hoc ope-
„ re citat.

Communiter Doctores docent contra Filliuc. Eunuchum, frigidum, necnon impotentem debere hanc circumstantiam fateri, si fornicentur; quia peccatum est conta naturam, cum frustretur finis copulæ.

Amissionem virginitatis multi putant debere explicari, præsertim a fœminis; sed plurimi id negant; quia nemini fit injuria, & non habemus præceptum de virginitate, ut diximus art. super.

VI. Denique Tambur. ex Filliuc. & aliis (quicquid alii communius repugnent) existimat probabiliter non differre specie quemcumque incestum cum consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum: Unde putat, non esse explicandum in confessione gradum conjunctionis sanguinis: Sed verius existimo, incestum in primo gradu esse explicandum, præsertim in linea recta, in qua matrimonium juxta Perez, & alios est indispensabile, & intrinsece malum, sicut mendacium: Unde si solus filius, & mater essent in mundo superstites, non possent nubere, & potius deberet orbis perire; secus vero si frater, & soror.

ARTICULUS IV.

De Circumstantia, Quid.

I. Tum materia peccati, tum etiam sæpe quantitas, & qualitas ad hanc circumstantiam spectant.

II. Num explicanda sit circumstantia personæ, circa quam, in delectatione morosa: sicut procul dubio explicanda est in desiderio?

III. Quid de delectatione morosa circa carnis comestionem tempore prohibito? Quid de desideriis conditionatis sub conditione, qua tolleretur malitia ab objecto?

IV. Num in turpi locutione explicanda sit circumstantia objecti? Aut in jactantia circumstantia peccati, de quo quis gloriatur? Aut pariter in pravo consilio?

V. Num explicandum sit in blasphemia, si fuerit contra Deum, aut contra Beatam Virginem, aut contra Sanctos?

VI. Specie differt violatio voti, ac violatio juramenti; sed in violatione votorum, aut juramentorum non est explicanda materia circa quam.

VII. Mala, quæ quis optat proximo, quem odit, probabiliter non sunt aperienda; secus vero si ea velit inferre.

VIII. In injuriis explicandæ sunt personæ, quibus diversus honor debetur.

IX. In peccato bestialitatis non est explicanda species animalis: At in Sodomia quid explicandum?

X. Solicitans ad peccandum num debeat explicare, quod primus alium invitaverit, quando peccatum est ab utroque commissum?

I. AD hanc circumstantiam spectat, ut diximus, non solum materia peccati, seu quantitas, & qualitas illius, puta si rem magnam, aut sacram furatus sis, sed etiam persona circa quam committitur peccatum, ut si percusseris clericum, si fornicatus sis cum habente votum castitatis.

II. Dubitatur nunc specialiter de delectatione morosa, an scilicet aperienda sit circumstantia personæ circa quam habetur talis delectatio; quæ procul dubio aperienda est in confessione operis, vel desiderii, si opus istud vel fecisses, vel desiderasses. Definitur delectatio morosa ex Vasq. lib. 1. in 1. 2. disp. 109. Gabriel. & aliis, Simplex, & deliberata complacentia in re apprehensa, seu cogitata, sine intentione illam opere perficiendi. Hinc enim dicitur morosa, licet per unicum instans duret, quia non transit ad desiderium, vel ad opus, adeoque est simplex complacentia, non voluntas efficax; debet tamen esse deliberata, quia nisi habeatur plenus, & liber usus rationis, peccatum mortale non committitur.

Prima sententia est Vasq. in 1. 2. disp. 3. & 112. Reginal. Sayr. & aliorum plurimorum negantium, explicandam esse in confessione circumstantiam personæ, circa quam habetur delectatio morosa, etiamsi procul dubio explicatio sit in desiderio, & consensu. Ratio est, quia desiderium sumit speciem ab opere externo: & ideo Christus Dominus Matth. 5. dixit. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: Ubi notandum ly, mœchatus est eam; non enim dicit simpliciter mœchatum esse, sed mœchatum esse cum illa ipsa,

ipsa, quam concupierat; & consequenter desiderium ab opere externo speciem desumit: Contra vero delectatio morosa sumit suam malitiam ab oppositione, quam habet cum virtute obligante; Exempli gratia, delectatio morosa rei venereæ (nisi sit cum nupta, vel moniali, qua tali, quod raro accidit) habet oppositionem tantum cum castitate graviter obligante; ergo circumstantia personæ, circa quam, non addit novam malitiam; Quare satis est in confessione dicere, Toties morose delectatus sum de copula illicita, non explicando, an cum nupta, vel cum moniali, consanguinea, &c.; vel, Toties morose delectatus sum de occisione hominum, non explicando, an sit circa Patrem, vel Sacerdotem, vel inimicum, aut alterius conditionis; quod tamen explicandum est, si delectatio transierit in desiderium.

Ratio disparitatis a priori, quam adducit Vasq. est, quia delectatio morosa potest esse peccaminosa, etiamsi sit circa personam licitam, ut si vidua delectetur de copula cum conjuge mortuo, & sponsa cum futuro marito; Contra vero desiderium de re licita nunquam est malum; unde si sponsa desideret copulam cum futuro marito habendam post matrimonium, non peccat; ergo desiderium diversimode respicit objectum, ac delectatio morosa, desiderium enim fertur immediate in opus externum cum omnibus suis circumstantiis, secus vero delectatio morosa respicit opus externum depuratum a circumstantiis suis; & consequenter desiderium fornicandi cum nupta habet malitiam adulterii, delectatio vero morosa de copula cum nupta (nisi sit cum nupta qua tali) est peccatum duntaxat contra castitatem. Et si sponsa desideret copulam cum conjuge post matrimonium, nullum peccatum committit; si vero eadem sponsa delectetur de copula licita habenda post matrimonium, peccat contra castitatem; quia castitas non solum externas, sed internas etiam voluptates prohibet.

III. Hinc etiam est, quod si quis die veneris delectetur de comestione carnis, nisi delectetur de ea, inquantum prohibita, non peccat; Nec peccat illam desiderando desiderio conditionato, si scilicet non esset prohibita, vel si non esset dies veneris: Contra tamen peccat, si illam die veneris absoluto desiderio desideret; quia temperantia non prohibet delectationem circa comestionem carnis, & desiderium conditionatum, sed solum comestionem, & ejus desiderium absolutum pro tempore prohibito. Quia vero aliæ virtutes prohibent etiam desiderium conditionatum; ideo non solum desiderio absoluto, sed etiam conditionato peccatur, quando desiderantur res intrinsece malæ, quæ scilicet sunt prohibitæ, quia malæ, non malæ, quia prohibitæ: Ut si quis vellet Deum odisse, si non esset peccatum; vel inimicum occidere, aut in faciem Crucifixi spuere, si non esset prohibitum; Communiter enim ista desideria conditionata conjunguntur cum pravo affectu, & delectatione morosa circa rem intrinsece malam; & ideo Doctores communiter censent, hujusmodi etiam conditionata desideria esse peccaminosa.

Non negaverim, quod si conditiones tollerent omnino peccatum, & indicarent solum propensionem animi, non vero affectum absolutum, & non involverent delectationem morosam circa objectum prohibitum, desideria conditionata carerent culpa; Ut si quis diceret, si Deus daret mihi facultatem, vellem prædari; & si per impossibile liceret, fornicarer. Etenim voluntas potest sequi intellectum, qui abstrahat objectum ab omni malitia. Verum quia voluntatem comitatur facillime appetitus sensitivus, qui consequitur ad imaginationem objecti, prout est in se, sine ulla præcisione; idcirco difficillimum est, in his desideriis conditionatis sine peccato versari.

Secunda sententia docet, in delectatione morosa, explicandam esse circumstantiam personæ circa quam; non secus ac in desiderio. Ita de Lugo, & alii. Ratio est, quia non minus delectatio, quam desiderium fertur circa opus, prout est in se; atque adeo, quia copula cum nupta, verbi gratia, est diversæ speciei, ac simplex fornicatio; ideo tam desiderium, quam delectatio morosa de copula cum nupta est diversæ speciei, ac desiderium, & delectatio de simplici fornicatione.

Equidem censeo, utramque opinionem esse probabilem; primam tamen esse probabiliorem, (*a*) quia delectatio de copula, v.g. cum Berta nupta plerumque est delectatio de copula cum Berta, præscindendo a tali circumstantia, atque adeo non specificatur ab illa; Idemque dicendum puto de turpibus aspectibus, necnon de tactibus pudicis, qui fiunt animo impudico ex Tambur.: Secus vero de tactibus impudicis; Cum enim tactus sint opera externa, non secus ac ipsa copula, debet explicari in confessione conditio personæ, circa quam fiunt.

„ *Hanc opinionem*, inquit Concina Vasque-
„ zio, & Reginaldo, quem S. Franciscus Sa-
„ lesius tanti fecit, longe præstantior Theolo-
„ gus, *quam P. Viva* (post Vasquezium &
„ Reginaldum) *judicat probabiliorem*, *ego* (ter-
„ ribile dictu!) *rejicio ut laxiorem, falsam &*
„ *improbabilem*. *Sensus communis eam execra-*
„ *tur*. Infer; ergo etiam Probabiliorismus su-
„ bjectivus, qui unus haberi potest, ad laxi-
„ tatem inducit, si quæ *Probabilior* est alte-
„ ri, alteri *laxior* est opinio.

IV. Idem etiam ex Tambur. puto dicendum de locutione turpi, & de jactantia. Quare, si quis miscuit sermonem de adulterio, stupro, &c. satis est in confessione dicere, Toties turpiter locutus sum cum delectatione de ipsa turpium narratione (nisi forte delectatio fuerit de adulterio, aut stupro qua tali). Et circa jactantiam, si careat desiderio, & delectatione morosa, satis est in confessione dicere, Toties jactavi me de peccato mortali, seu gloriatus sum de objecto peccaminoso, non explicando, an de adulterio, an de occisione, sive sit Sacerdotis, sive alterius: Et ratio est, quia jactantia consistit in eo, quod offensa Dei eligatur ut medium ad captandum gloriam apud homines, quæ magna est irreverentia; Hæc autem eadem est in omnibus peccatis; sive ea commiseris, sive non: Et idem dicas, si alium laudes de peccato: In quo tamen intervenire etiam solet peccatum scandali; quia scilicet alium ad complacentiam de tali peccato inducis, & a peccati vilipendio, & abominatione audientes retrahis. Demum consilium de aliquo peccato, ex Medin. apud Leand., ejusdem rationis est, non secus ac jactantia de quocumque sit peccato. Probabiliorem tamen censeo sententiam oppositam, quæ docet consilium desumere speciem a suo objecto; quia quælibet virtus exigit, tum ne contra illam agatur, tum ne procuremus, ut alii contra illam agant.

V. Dubitatur secundo de blasphemia, an diversæ speciei sit contra Deum, contra Beatam Virginem, & contra Sanctos? Et dico cum Azor., Tambur., aliisque, probabile esse, quod specie non differant; quia omnes isti honore prosequendi sunt, non præcise ob propriam excellentiam, sed principaliter relate ad Deum, cui injuria irrogatur blasphemando illos. Unde nisi blasphemia sit hæreticalis, satis est in confessione dicere numerum blasphemiarum. Probabilior tamen est opposita sententia Suarii, Sanch., Lug. putantium, blasphemias contra Deum, Beatam Virginem, & Sanctos specie differre, & in confessione explicandas.

VI. Tertio, tam votum, quam juramentum ejusdem speciei sunt, sive fiant Deo, sive Sanctis, ex Suar., Sanch., Less. Unde satis est in confessione dicere, Votum fregi, vel falso juravi. Adverte tamen, votum specie differre a juramento; quare qui vovit jejunium, v. g., & juramento confirmavit, si non jejunet, tenetur utrumque explicare; quia est contra religionem transgressio voti, seu contra promissionem Deo factam; transgressio vero juramenti est contra obligationem, non adducendi Deum in testem in re falsa.

VII. Quarto, quando quis odit proximum, desiderando illi infamiam, mortem, paupertatem, aut aliud malum, probabile est hujusmodi mala non esse in confessione explicanda, sed satis esse, si pœnitens dicat, se toties graviter odisse proximum. Ita Leand., Lug., Val., Bon. contra Suar., & Con.. Quod si quis desideret hujusmodi mala inferre proximo, & non aliunde ea evenire, debet hoc explicare. Quare voluntas auferendi famam specie differt a voluntate auferendi vitam, ut notant Lug., Valent., & alii.

VIII. Quinto, injuriæ, & percussiones specie differunt, si fiant Patri, vel Matri, vel si fiant fratri, aut sorori, vel si fiant filiis, vel si externis. Ratio est, quia diversus honor his debetur. Et eodem modo injuria facta Principi est speciale peccatum, ut docent Lug., Tambur. & alii.

IX. Sexto, qui peccatum bestialitatis committit, non tenetur explicare speciem animalis; Qui sodomiam exercet, probabilius explicare debet fuerit ne agens, an patiens; quia agens committit etiam pollutionem. Verum Dian. part. 4. tract. 4. resol. 159., & part. 5. tract. 14. resol. 56. ex Alfonso de Leone putat, non esse hoc explicandum, sicut nec si cum mare, an cum fœmina: Explicandum tamen, si sit conjugatus, aut habens votum castitatis, aut consanguineus is, cum quo peccatur.

X. Septimo, si quis alium solicitavit, & peccatum non est secutum, debet id in confessione explicari; si tamen peccatum est consecutum, putat probabiliter de Lugo, & Tambur. contra Sanch., & Bonac., non esse explicandum, quod primus invitaveris: quia, quamvis graviter peccaveris invitando, adhuc tamen es particeps peccati illius, etiamsi non invitaveris. Probabilior tamen videtur sententia Sanchez, & Bonacinæ, quod explicandum sit.

Denique advertendum ad thesim 25. confixam ab Alex. VII., in qua dicitur. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Ostendimus quippe in explicatione hujus thesis, copulam in hoc casu spectare ad peccati individuationem, speciali modo participantem speciem peccati. Etenim contra eandem virtutem potest dari multiplex specie peccatum; sicut eidem virtuti justitiæ adversatur furtum, homicidium, detractio, & alia peccata specie diversa.

ARTICULUS V.

De aliis circumstantiis, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*.

I. Circumstantia loci Sacri explicanda in furto; in effusione sanguinis; in effusione publica seminis, ac in violatione Ecclesiasticæ immunitatis.

II. In quonam sensu furtum est sacrilegum, non solum tollendo Sacrum de Sacro, & Sacrum de

non

non Sacro, sed etiam non Sacrum de Sacro, ita ut loci Sacri circumstantia sit explicanda?

III. Quid requiritur, ut effusio sanguinis in loco Sacro sit sacrilega, & contra reverentiam loco Sacro debitam?

IV. Quid pariter, ut sit sacrilega seminis effusio in loco Sacro? Num sacrilegi sint aspectus turpes, tactus, & confabulationes similes in Ecclesia?

V. Num debeat explicari peccatum, ad quod quis pravo suo exemplo proximum induxit?

VI. Finis operis malus explicandus est; etenim qui furatur ad adulterandum, magis est adulter, quam fur.

VII. Num tactus, & oscula copulam subsequentia explicanda sint?

VIII. Quinam peccati modus novam peccati speciem trahat in confessione aperiendam?

IX. Quomodo actus moraliter interrumpantur, & tamquam nova peccata aperienda sint?

X. Num debeat aperiri, quod quis se exposuerit periculo peccandi, qui deinde peccat?

XI. Aperiendane sit in confessione consuetudo peccandi?

XII. Peccata scienter commissa non differunt specie a commissis ex ignorantia invincibili; esto propter ista non incurratur reservatio, aut censura illis annexa.

XIII. Contemptus gravis Superioris præter inobedientiam explicandus est.

XIV. Num sit speciale peccatum peccare statim post communionem? Num peccet toties quoties comedit carnes, qui vovit jejunium?

I. CIrcumstantia loci mutat speciem peccati & trahit ad Sacrilegium ratione irreverentiæ loco Sacro illatæ; Primo, si quis in loco Sacro furetur. Secundo, in effusione peccaminosa sanguinis humani; Tertio, in effusione publica, & peccaminosa seminis; Quarto, in violatione immunitatis Ecclesiæ.

II. Circa primum dico, furari in loco Sacro rem Sacram, est Sacrilegium, ex duplici titulo, ratione rei sacræ, & ratione loci Sacri. Putat tamen Fagund. cum Dian. part. 1. tract. 7. resol. 22., satis esse dicere, Commisi furtum sacrilegum, quia utrumque Sacrilegium est ejusdem speciei, & contra eandem virtutem religionis. Furari vero in loco Sacro rem profanam, v. g., crumenam a divite orante in Ecclesia, multi cum Suar., Perez, & Canonistis communiter putant esse Sacrilegium, quia Joannes Papa VIII., in cap. *Quisquis inventus*, statuit universaliter esse Sacrilegium furari non solum Sacrum de Sacro, & Sacrum de non Sacro, sed etiam rem non Sacram de loco Sacro. Verum Lug., Less., Henr. probabiliter putant non esse Sacrilegium, nisi quando res non sacra posita est in Ecclesia ratione custodiæ, vel securitatis; aut si sit Ecclesiæ commodata: De hoc enim casu videtur loqui Joannes Papa; quia in tali casu est sub speciali patrocinio, & custodia divina; At quando per accidens est in Ecclesia res non Sacra, non videtur esse Sacrilegium. Nomine autem Ecclesiæ venit sola Ecclesia, & Cœmeterium, non claustra, & habitatio Regularium, aut Oratoria, quæ facile redire possunt ad usus profanos ad nutum Dominorum; Est etiam Sacrilegium, si quis in confessione aliquid furetur, assumendo confessionem ut medium ad furtum.

III. Circa Sanguinis effusionem certum est, ea quæ causant violationem, & pollutionem Ecclesiæ, contrahere malitiam Sacrilegii ratione loci Sacri. Quare requiritur, quod effusio injuriosa Sanguinis sit magna, non modica, quia, ut notat Suar., effusio copiosum fluxum significat. Sufficit etiam homicidium factum cum peccato mortali, etiam sine sanguinis effusione, ad violandam Ecclesiam, & ad Sacrilegium. Si quis in Ecclesia degens telo alium extra Ecclesiam occidat, putat Leand., & Fagund., quod non sit sacrilegus; secus vero, si extra Ecclesiam existens alium telo intra Ecclesiam occidat, quia homicidium consumaretur in Ecclesia.

IV. Circa seminis effusionem, est Sacrilegium desiderare effusionem seminis, quæ fiat in Ecclesia, quia peccatum desiderii internum, & opus externum sunt ejusdem speciei; E contra desiderare in Ecclesia effusionem seminis, quæ fiat extra Ecclesiam, non est sacrilegium; quia non quodvis peccatum, quod in Ecclesia committitur, est Sacrilegium, nisi fit cum magna irreverentia, ut si quis meretrices publice impudice tangeret in Ecclesia, vel obscœnas comœdias repræsentaret; Copula conjugalis, ut docent Perez, Vasq., & alii, nunquam polluit Ecclesiam, nec est Sacrilegium, cum sit actus licitus; licet Sanch., Suar., aliique apud Leand. existiment, illam esse sacrilegam, nisi per longum tempus in Ecclesia conjuges detineantur, saltem per quatuor dies. Effusio seminis, vel sanguinis occulta, quamvis non polluat Ecclesiam, est tamen sacrilega, juxta Sanch., Suar., aliosque contra Vasq., Hurtad. Dubium est, An tactus impudici, aspectus, & confabulationes inhonestæ habitæ in Ecclesia sint sacrilega? Aliqui asserunt; plurimi negant. Demum potest judex a gaudentibus immunitate Ecclesiæ tollere arma ad vitanda facinora, ut docet Leand. Fagund. contra Dianam. Si judex sub dolosis verbis reum ad egrediendum ab Ecclesia decipiat, non committit Sacrilegium, ex Suar., Fagund., Navar., Leand. contra Dian., & alios.

V. Quod attinet ad circumstantiam, *Quibus auxiliis*, hæc est circumstantia mediorum,

quibus usus est peccator ad opus malum, puta, si ad occidendum patrem induxit filium, hæc circumstantia est in confessione explicanda; quia sic habetur & homicidium, & parricidium.

Dubitant Doctores, an debeat explicari species peccati, ad quod pravo exemplo proximus inducitur? Affirmant Sanch., Suar., Vasq., & alii: Sed Lug., & Navar. apud Laym. probabiliter docent, tunc debere explicari, quando directe intenditur ruina, & peccatum proximi; Quod si solum indirecte causetur ruina proximi malo exemplo, censent, non debere explicari speciem peccati; quia hoc tantum adversatur charitati.

Qui fregit jejunium comedendo carnes, probabiliter ex Granad. contra Marcant. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 56., non tenetur hanc circumstantiam explicare; quia fractio jejunii, sive fiat per esum carnium, sive per multiplicem comestionem, opponitur eidem virtuti temperantiæ.

VI. Circumstantia, *Cur*, est circumstantia finis, quem in malo opere sibi proposuit peccator; puta si furatus est ad adulterandum: Proculdubio hic finis est in confessione aperiendus: Nam juxta Philosophum, qui furatur ad adulterandum, magis est adulter, quam fur; quia furtum amatur ut medium, & adulterium ut finis; Unde fur simul est, & adulter, fur in re, adulter in voto.

Similiter contingere potest, ut peccatum ex se veniale ratione finis sit mortale, puta si quis mentiatur, ut fœminam inducat ad adulterandum; In hoc tamen casu satis est in confessione explicare animum inducendi fœminam ad adulterium, non explicato mendacio, utpote ex se tantum veniali; ut docent Sotus, Leand., & alii communiter. Eodem modo, qui furatur ad adulterandum, dicere potest, commisi furtum, & habui animum adulterandi, etiamsi non explicetur furtum ordinatum ad adulterium, ut diximus art. 2. num. 5. Et ita docent Navar., Leand., Perez, Dian. contra Sylvest., & alios.

VII. Quando quis utitur colloquiis, & tactibus obscœnis ad fornicandum, si non subsequatur fornicatio, debet fateri colloquia, & tactus eo animo exhibita; Quod si fornicatio subsequatur, satis est dicere, semel fornicatus sum: Si tamen post fornicationem subsequantur oscula, & tactus sine ordine ad secundam copulam, probabile est ex Navarro, Lug. & Tambur., satis pariter esse in confessione dicere, semel fornicatus sum, quia satis sic explicantur antecedentia, & consequentia, quæ solent eum actum comitari; Si vero in ordine ad secundam copulam fiant, certe sunt explicanda; quia committitur aliud numero peccatum.

VIII. Per circumstantiam, *Quomodo*, denotatur intentio, & duratio culpæ, contemptus, consuetudo peccati, ignorantia, &c.; verbi gratia, si quis post occisum hominem discerpsit cadaveris membra, extraxit jecur, &c., tenetur hanc circumstantiam fateri; quia supra injustitiam additur malitia feritatis, vel sevitiei. Ita communiter contra Bonac.: Furtum etiam si fiat cum violentia, novam habet speciem malitię, & dicitur Rapina; furtum enim est injuria realis; Rapina vero importat etiam injuriam personalem; Unde, si fiat rapina circa res Clerici, est etiam Sacrilegium. Est autem rapina furtum cum violentia, etiamsi violentia non per contactum corporalem, sed minis, & metu injiciatur: Si tamen, absente domino, fores effringantur, non dicitur rapina cum non fiat injuria personalis.

Per se loquendo, non est necesse explicare in confessione durationem temporis in peccato; quia est circumstantia solum aggravans; unde qui per diem habuit animum occidendi inimicum, vel per annum non habuit animum restituendi, satis est, si dicat, consensi semel in homicidium; Non restitui rem alienam: Quod si actus internus sit interruptus, circumstantia interruptionis est explicanda; quia moralis interruptio multiplicat peccata, ut dicemus art. sequenti.

IX. Quomodo autem interrumpatur moraliter actus internus: variæ sunt opiniones. Equidem censeo, interrumpi moraliter non solum per actum contrarium, sed etiam per voluntariam cessationem ab illo actu interno: ut si quis voluntarie nolit amplius cogitare de pravo aliquo objecto, & applicet se libere ad alia, & postea redeat, vere multiplicavit actum internum peccaminosum, non solum physice, sed etiam moraliter. Vasq. tamen, Nugn., aliique apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 95. putant, actum internum moraliter interrumpi etiam per cessationem ab illo involuntariam. Demum Fagund., Rebel., Navar. putant interrumpi moraliter per cessationem ab actu per aliquod tempus notabile, puta ex Fagund. per dimidiam horam. Quare ut his scrupulis occurratur, consultius est dicere tempus, quo quis in peccato perseveravit, & tacere interruptionem, quando eorum numerum assequi est difficile; ut advertit Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 5.

X. Dubium est, an qui se exponit periculo peccandi, & deinde peccat, teneatur explicare utrumque peccatum?

Respondeo negative; quia exponere se periculo est quædam voluntas peccati sequentis. Unde quando ea moraliter conjunguntur, unum peccatum faciunt, ex Lug., Sanch. Leand.:

Sicut

Sicut unum est peccatum omittere orationem tempore gravis tentationis, & tentationi succumbere; ut iidem docent contra Sanch. Et ratio est, quia ex eodem præcepto, quo quis tenetur non peccare, tenetur vitare periculum proximum peccandi, & orare, quando ad vitandum peccatum oratio est necessaria.

XI. Dubitatur etiam, An qui peccat ex consuetudine, debeat circumstantiam hanc explicare?

Respondeo, quod licet teneatur penitens respondere confessario interroganti consuetudinem peccati, cum opposita sententia sit damnata ab Innocentio XI. in thesi 58. quæ habet: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*; tamen, per se loquendo, non est aperienda hujusmodi circumstantia. Ita Suar. Lug. Perez contra Sylvest. & Sot. tum quia intantum per hos Doctores est aperienda, inquantum importat periculum morale, & occasionem proximam ad peccata sequentia; Atqui jam diximus periculum peccandi proximum non esse aperiendum, ut novum peccatum, quando peccatum subsequitur, & facit unum moraliter cum illo; ergo ex hoc capite non tenetur peccator aperire circumstantiam consuetudinis peccati; (quamvis de illa debeat se accusare, si vi illius sit in proximo periculo peccandi, quin tamen deinde tale peccatum committat). Tum etiam quia, ut Perez, & alii notant, communiter homines non advertunt ad periculum proximum relabendi propter cousuetudinem; nec facile discernunt, quando ad eum gradum devenit consuetudo, ut inducat periculum proximum. Expedit tamen, & sæpe tenetur peccator, ut advertunt Suar. & Perez, in remedium suæ conscientiæ manifestare consuetudinem peccati; nam qui sæpe incidit in peccatum, verbi gratia, mollitiei, quando vix aliud præsentius, & efficacius remedium habere potest, quam quod sæpe, imo pluries in hebdomada eidem confessario confiteatur, ut remedium hujusmodi, vel aliud simile injungatur, debet statum suæ conscientiæ; & consuetudinem peccandi aperire; Aliter peccator nolens remedium, & curationem procul dubio peccat.

Præterea, qui ex consuetudine jurat, & sine advertentia etiam pejerat, blasphemat, &c. quamvis tunc non peccet ratione inadvertentiæ, at tenetur hujusmodi consuetudinem tollere; quia est gravis irreverentia sæpe, & cum scandalo adducere Deum in testem falsi, & blasphemare, etiamsi materialiter. Quare hujusmodi consuetudo, nisi tollatur, aperienda est in confessione, ex Sanch., Lugo, Perez. Et confessarius sæpe debet absolutionem differre, donec experiatur, num pœnitens animum appulerit ad consuetudinem hanc tollendam, ut fusius diximus in expositione 60. thesis ab Innocent. XI. proscriptæ.

XII. Circa peccata commissa ex ignorantia dico cum communi, non differre specie peccata scienter commissa a commissis ex ignorantia culpabili: Unde tam qui, verbi gratia, noluit audire Sacrum die festo, quam qui noluit scire præceptum audiendi Sacrum, advertens ad debitum inquirendi, sufficienter exponit peccatum suum dicendo, Non audivi Sacrum die festo: Idque etiamsi revera non fuerit dies ille festus. Et ratio est, quia hujusmodi peccata non differunt in malitia objectiva, licet differant in modo voluntarii. Advertendum tamen, quod si sit casus reservatus, verbi gratia, omissio Sacri die festo, vel sit illi annexa excommunicatio, qui putans hodie esse diem festum non audit Sacrum, peccat quidem moraliter; quia tamen revera non est dies festus, non incurrit reservationem, aut excommunicationem; nec illam incurrit, qui omittit Sacrum die festo putans erronee, omissioni Sacri annexam esse excommunicationem, aut reservationem.

XIII. Demum contemptus Superioris, & inobedientia, quando est gravis, sunt explicanda; quia aliud peccatum est transgressio præcepti, aliud vero gravis contemptus, & indignatio in Superiorem.

XIV. Ultima circumstantia, *Quando*, denotat tempus, quo peccatur, cum aliquando possint plura præcepta concurrere respicientia diversas virtutes; & denotat etiam durationem peccati, de qua jam diximus in die festo, vel in hebdomada Sancta, aut die, quo quis Eucharistiam sumit, peccare, est circumstantia solum aggravans, non mutans speciem; secus vero die, verbi gratia, Parasceves exhibere publica spectacula; esset enim grave scandalum, & magna irreverentia irrogata tali diei. Qui tenetur ex voto jejunare, toties peccat, quoties eo die comedit carnes, ex Suar. & Azor. contra Sanch. Laym. Leand. & Dian. qui dicunt semel tantum peccare; eo quod vovens non per se voveat abstinentiam carnium, sed quatenus essentialiter includitur in jejunio, quod post primam carnium comestionem non potest amplius servari. Certum tamen est apud Doctores, quod qui comedit carnes die veneris, aut saturni, necnon diebus jejuniorum ab Ecclesia præceptorum, toties peccat, quoties illas comedit, eo quod præceptum negativum non comedendi carnes obligat semper, & ad semper tempore prohibito: Contra tamen qui bis in die jejunii comedit cibos quadragesimales, aut qui semel comedit carnes, non peccat amplius, si iterum comedat cibos quadragesimales; quia cum non possit amplius jejunare, seu unicam comestionem facere, non tenetur amplius ad jejunium.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De integritate Confessionis quoad numerum peccatorum.

I. *Quonam pacto singula peccata in confessione explicanda sunt?*

II. *Quomodo explicandus est numerus peccatorum internorum, quando nil certi, aut probabilis deprehendi potest?*

III. *Quid, si post præmissum sufficiens examen fiat confessio, ac deinde distinctior peccatorum numerus advertatur?*

IV. *Undenam desumatur unitas, vel pluralitas peccatorum?*

V. *Quomodo moraliter interrumpantur actus tum interni, tum externi?*

VI. *Num sit multiplex peccatum plures confessiones audire successive, aut plures communicare in statu peccati mortalis?*

VII. *Qui die Nativitatis Domini tres missas celebrat in mortali, tria sacrilegia committit.*

VIII. *Non peccat die jejunii, qui absoluta cœna cum animo non amplius comedendi, mutata voluntate, paulo post pergit comedere.*

IX. *Probabiliter unum numero peccatum committit, qui uno actu decem homines occidit; quamvis in eo actu decem homicidii malitiæ contineantur.*

X. *Universim ex multiplicitate numerica objectorum multiplicatur quidem numerice malitia in eodem actu, sed non multiplicatur numerus peccatorum in confessione explicandus.*

XI. *Qui ter fornicatus est, debetne explicare, num cum eadem persona, an cum tribus?*

I. EX Trident. constat, non solum species peccatorum, sed etiam singula peccata in individuo esse in confessione explicanda. Nam sess. 14. can. 7. hæc habetur: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, Anathema sit.* Et ratio est, quia in hoc Sacramento Confessarius Judex est, & Medicus; ergo debent illi manifestari non solum species, sed etiam numerus peccatorum, ut possit apte judicare, & medicinam applicare. Nam, ut idem Trident. cap. 5. dicit: *Quod ignorat medicina non curat.* Certum autem est apud omnes, non requiri de singulis mortalibus in individuo & seorsim mentionem facere in confessione, sed satis esse, omnia uniuscujusque speciei in aliquo numero confiteri; dicendo, verbi gratia, decies pejeravi; Sic enim omnia, & sigula peccata apte confitemur.

Quæritur nunc primo; Quomodo explicandus sit numerus peccatorum?

Respondeo, quando quis scit numerum certum, debet illum explicare, dicendo, verbi gratia, decies blasphemavi; nec satis est dicere, blasphemavi pluries. Quod si facta morali diligentia, non possit assequi numerum certum, sed assequatur numerum aliquem, qui plus minusve parum creditur a certo numero distare, debet hoc pacto illum confiteri, dicendo, verbi gratia, blasphemavi decies circiter, ita ut si deinde certo deprehendat duodecies, verbi gratia, blasphemasse, non teneatur iterum numerum hunc certum confiteri, ut diximus quæst. 2. art. 3. cum de peccato dubio; ubi ostendimus, quantam habet latitudinem ly circiter.

Si demum, facta morali diligentia, neque numerus certus, neque probabilis, & parum distans a certo possit deprehendi, tunc juxta communem Doctorum satis est confiteri consuetudinem peccandi, & modum frequentiæ, quantum fieri potest, per dies, vel hebdomadas, dicendo, verbi gratia, decies circiter singulis diebus, aut hebdomadis per tot menses blasphemavi. Advertit tamen Vasq. quæst. 98. art. 1. dub. 5. peccatores habituales non esse cogendos ad explicandum numerum per dies, vel hebdomadas circa actus internos, cum difficile sit eorum numerum probabilem aperire: Ac proinde si interrogentur, exponuntur periculo errandi circa numerum, vel per excessum, vel per defectum bene magnum, præsertim si sint rustici: Quare satis est, si dicant tempus, quo vixerunt eo statu, species præcipuas peccatorum, & numerum probabilem actuum externorum per dies, vel hebdomadas, quia actus externi facilius in mentem veniunt: Verbi gratia, meretrices satisfaciunt suæ obligationi, explicando non tempus solum, quo perseverarunt in tali statu, & consuetudinem peccandi, (ut quidam voluerunt) sed etiam modum frequentiæ circa actus externos; Alia enim frequentia est in magna civitate, ita ut pluries quotidie, alia in oppidulo, ita ut semel in hebdomada meretrices peccent peccato externo: Explicare etiam debent numerum certarum specierum, quæ raro occurrunt, & facile in memoriam veniunt; ut quoties cum consanguineis peccarint, vel cum habentibus votum castitatis, vel cum conjugatis, vel contra naturam, vel extra vas.

II. Circa actus vero internos satis est, si juxta sententiam Vasq. dicant species peccatorum, & tempus, quo in iis ut plurimum peccarunt; Nisi aliquando extraordinaria quædam frequentia esset explicanda.

Idem dicas de Concubinariis, qui vel domi, vel alibi habent concubinas, ad quas sæpe tanquam ad uxores accedunt: Debent enim explicare, an quotidie, an semel in hebdomada cum iis peccarint; quia actus externi facile ad certum, aut probabilem numerum reduci possunt.

ſunt. Idem dicendum de iis, qui paſſim loquuntur de turpibus cum peccato mortali; necnon de iis, qui paſſim concupiſcunt fœminas, aut pueros ſibi obvios, aut moroſe de iis delectantur. Quamvis in his peccatis, non ſecus ac in internis difficile ſit aliquando numerum probabilem invenire; unde in tali caſu ſatis etiam eſt explicare tempus, & ſpecies præcipuas peccatorum, ut advertit Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 7. ex Lug. diſp. 26. num. 575.

Idem demum dicas de iis, qui ex conſuetudine blaſphemant, detrahunt, pejerant, furantur, &c. Iſti enim explicare debent, quantum poſſunt, numerum furtorum gravium, & advertere quam reſtitutionem facere debeant.

III. Ubi bene notat Lug. & Tambur. quod ſi peracta ſic confeſſione, occurrat menti ſpecies aliqua peccati non explicata, debeat deinde in alia confeſſione explicari: Contra vero, ſi occurrat menti numerus magis diſtinctus peccatorum, non oportet iterum illum confiteri, quia ſatis explicatus eſt ſub ea confuſa explicatione, quam potuit tunc facere pœnitens. Hæc enim eſt praxis fidelium.

IV. Quæritur ſecundo; unde deſumatur unitas, vel pluralitas numerica peccatorum?

Reſpondeo, quæſtionem procedere tam de actu interno, puta de judicio temerario, delectatione moroſa, deſiderio turpi, &c. quam de actu externo imperato ab interno, puta de occiſione, detractione, blaſphemia, fornicatione, &c. De utroque ſeorſim dicendum.

V. Circa actus internos dico, multiplicari numero per interruptionem non phyſicam, ſed moralem, juxta ea, quæ diximus art. ſuper. & late explicat Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 5. ubi advertit, quod quando quis, verbi gratia, odio habuit inimicum, aut concupivit puellam pluribus actibus, dupliciter id contingere poſſit: Vel enim eodem impetu plures hujuſmodi actus brevi intervallo inter ſe diſtantes elicuit; & quia hi actus ſunt moraliter unus actus, ideo ſatis eſt in confeſſione dicere, ſemel odio habui inimicum, &c. Vel hujuſmodi actus habent talem interruptionem, ut non ab eodem impetu procedant, & quamvis ſint moraliter plures numero iſti actus, tamen quia difficile eſt aſſequi certum, aut probabilem numerum talium interruptionum; ideo ſatis eſt dicere, Per menſem, verbi gratia, vel per annum odio habui inimicum, concupivi puellam, &c. ſic enim explicantur interruptiones, quæ humano modo ſolent accidere. Advertit tamen Con. explicandum eſſe, ſi vel frequentia, vel raritas interruptionum fuerit notabilis. Hoc autem admittit Tambur. quando, verbi gratia, quis per menſem odio haberet inimicum cum interruptionibus humano modo ſolitis accidere, & deinde per annum, verbi gratia, a tali odio quieſceret; tunc enim odium illius menſis, & hoc odium præſens diſtincte eſſent explicanda.

VI. Circa actus externos dico eſſe unum moraliter: Primo, ſi eodem veluti impetu procedant, nec moraliter exiſtimentur plures; propterea, ſi quis uno impetu paſſionis pluries aliquem percutiat, pluries pejeret, aut detrahat, unum peccatum committit: Imo ſi quis Confeſſarius audiat in mortali plures confeſſiones ſucceſſive, ex Lug. diſp. 16. de Pœnit. num. 558. & Rodriq. contra quamplures, unum mortale committit. Unde ſatis eſt dicere, Audivi ſemel plures confeſſiones in ſtatu peccati mortalis. Admittunt pariter communius, quod unum mortale committatur ab eo, qui in mortali plures communicat: Imo nonnulli, quibus non adſtipulor, putant, non eſſe mortale miniſtrare Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis, quia miniſtrans Euchariſtiam non conficit Sacramentum, nec immediate gratiam confert, ſed ſolum applicat Sacramentum collativum gratiæ.

Secundo, plures actus externi ſunt unum peccatum moraliter, ſi ordinentur ad eundem finem, ut parare arma, equum conſcendere, &c. ad occidendum inimicum: Sic tactus, & oſcula præcedentia copulam. Imo etiam juxta probabilem ſententiam, ſi copulam ſequantur.

Notandum tamen hic primo, quod ſi peccator finem intentum conſequatur, ſufficienter explicat omnes actus externos prævios explicando finem intentum; Verbi gratia, copulam conſequutam: Contra tamen explicari debent actus externi poſiti ad malum finem, quando finis non obtinetur. Etenim actus externi, qui immediate pendent ab internis, ſunt in confeſſione explicandi, etiamſi non addant novam malitiam ſupra actus internos, ut omnes Doctores docent ex praxi Eccleſiæ.

Notandum ſecundo, media ad finem intentum vel eſſe indifferentia, ut parare arma ad occidendum hoſtem, vel eſſe mala ejuſdem ſpeciei cum fine, ut tactus relate ad copulam, vel eſſe mala diverſæ ſpeciei, ut conſulere magos ad adulterandum, per tertiam perſonam tentare puellam, &c. Si ſint diverſæ ſpeciei, procus dubio ſunt explicanda in Confeſſione, ſive finiſit obtentus, ſive non: Si vero ſint indifferentia, aut mala ejuſdem ſpeciei, tunc ſatis eſt explicare peccatum conſummatum: Quod ſi fini non ſit obtentus, oportet explicare ea media, ſive indifferentia, ſive mala, poſita eſſe ad finem peccaminoſum obtinendum; quia illæ actiones externæ informantur a malitia finis.

Notandum ultimo, quod ſi quis per annum, verbi gratia, meditatus eſt puellam cognoſcere, hoſtem occidere, &c. non ſolum debet peccatum conſummatum explicare, ſed præterea debet

bet

bet dicere, se per annum fuisse cum ea mala intentione: Nam cum eo anno pluries moraliter interruperit actum pravum internum, sic dicendo explicat eo modo, quo potest, numerum actuum internorum: Tunc autem satis est in dicto casu solum confiteri peccatum externum, quando procedit ab uno moraliter peccato interno, etiamsi per multum temporis duraverit talis actus internus, nullatenus moraliter interruptus.

VII. Ex dictis sequitur primo, quod si Sacerdos celebret in mortali tres missas in die Nativitatis, tria peccata committat: Contra vero, si aliquando post suam communionem communicet populum per duas horas, & deinde sumat reliquas particulas, unum peccatum committit sumendo Sacram Synaxim sacrilege, licet major distantia temporis intercedat inter communionem, quam fecit in Missa, & communionem particularum, quas sumpsit post communionem populi, quam inter unam, & alteram missam die Nativitatis. Ratio est, quia missæ die Nativitatis celebratæ non sunt actiones subordinatæ, nec faciunt unum moraliter: Contra vero communio in missa, & sumptio particularum post communionem populi.

VIII. Sequitur secundo, quod sicut die jejunii non peccat, qui comedit paulo post finem cœnæ, (etiamsi cessaverit comedere cum animo non amplius comedendi) propter unitatem moralem comestionis: Ita si quis comederit carnes, & paulo post iterum illas comedat die jejunii, unum peccatum committit, propter unitatem pariter moralem operis: Et eodem modo unum peccatum committit, qui progreditur ad occidendum inimicum, etiamsi iter arreptum pluries brevi intervallo interrumpat, & animum occidendi pluries suspendat. Non tamen si hujusmodi actus interrumpantur per actum contrarium.

IX. Quæritur ultimo; An ex pluralitate numerica objectorum multiplicetur numero malitia in eodem numero actu sive interno, sive externo; Et an ea explicanda sit in confessione? Exempli gratia, si quis uno ictu occidit decem homines, debetne confiteri, quod commiserit decem homicidia, an quod uno ictu decem occiderit? An satis est dicere, Uno ictu occidi plures homines? Et quid, si diceret, commisi homicidium? Idem quæritur, si quis unico actu desideret occidere decem, vel habere copulam cum tribus fœminis ejusdem rationis; vel si scandalum det decem personis, vel si unico furto, vel unica detractione læserit, verbi gratia, centum homines.

Respondeo, actum, quo quis occidit decem homines, continere decem malitias decem homicidiorum, juxta sententiam Vasq. quæst. 91. art. 1. dub. 47. sicut duas specie malitias continet actus, quo quis, verbi gratia, occidit Sacerdotem, alteram homicidii, alteram Sacrilegii. At juxta sententiam Suar. disp. 22. sect. 5. Lug. disp. 16. a num. 27. unica est numero malitia in actu, quo quis decem homines occidit, quia quamvis plura objecta solo numero diversa possint seorsim sumpta refundere in actus humanos malitias numero diversas; cum tamen simul sumpta ab eodem actu respiciuntur, concurrunt per modum unius objecti ad eandem numero malitiam.

Equidem ab hac quæstione speculativa præscindo, & dico cum Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 2. Perez, & Leand. apud Dian. part. 9. tract. 9. resol. 55. quod sive plures numero malitiæ in his actibus contineantur, sive una tantum, veluti magis extensa, nequaquam obligemur pluralitatem talium malitiarum in eodem actu inclusarum explicare in confessione. Ratio est, quia ex Trident. solum obligamur confiteri malitias specie diversas, & numerum peccatorum, non vero numerum malitiarum in eodem actu contentarum. Et confirmatur, quia sicuti qui furatur centum aureos, committit peccatum, quod continet malitias centum furtorum gravium unius aurei; & tamen quia est unum peccatum, & unus actus, satis est in confessione dicere, Furatus sum materiam gravem: Ita quando quis uno ictu occidit decem homines, licet hic actus contineat malitias decem homicidiorum, quia tamen est unum peccatum, & unus actus, satis est in confessione dicere, Plures uno ictu occidi, sive fuerint duo, sive decem, sive centum.

Non satis est autem dicere, Feci homicidium, quia sic non explicatur peccatum commissum, quo plures interfecti sunt. Etenim per illa verba fit sensus, quod unum tantum hominem occideris: Sicut nec bene exponitur hoc peccatum, dicendo, Commisi decem homicidia; quia fieret sensus, quod per decem diversos actus ea commiseris.

X. Idem dicendum in similibus casibus in quæsito expositis. Quare satis est in confessione dicere, Desideravi copulam cum pluribus; (modo sint ejusdem generis) Detraxi cuidam familiæ, non explicando numerum personarum; Fui occasio multis peccandi meo malo exemplo; Furatus sum a quadam communitate, &c. quando scilicet hæc peccata unico actu committuntur. Imo in materia de furto satis est dicere, Furatus sum rem alienam; quia attenditur solum, quod injuste abstuleris, non a quo abstuleris, ut docet Lug. num. 136. juxta communem praxim.

XI. Et probabile etiam est ex Dian. fornicantem cum tribus satisfacere, si dicat in confessione, Ter fornicatus sum, non explicando, num cum eadem, an cum diversis; quando non datur ratio specialis novi scandali.

ARTI-

ARTICULUS VII.

De causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.

I. Ex parte pœnitentis quænam causæ excusent a materiali integritate Confessionis?
II. Quænam vero ex parte Confessarii?
III. Num cessantibus deinde hisce causis excusantibus, teneatur pęnitens statim integre confiteri?
IV. Non requiritur in confessione contritio, quando ex causa dimidiatur.
V. Probabilius licitum est revelare complicem: quando aliter peccatum exponi non potest, sicut etiam personam, quæ est objectum proprii peccati.
VI. Qui habet reservata simul, & non reservata, non potest sine gravi causa sacramentaliter absolvi a solis reservatis a superiore, & pro aliis ad inferiorem remitti; sed potest a superiore tolli reservatio, ut integra fiat inferiori Confessio.
VII. Urgente necessitate potest hic aperiendo reservata simul, & non reservata Inferiori absolvi ab his directe, ab illis indirecte, & cum onere. Probabiliter etiam potest in hoc casu aut sola non reservata Inferiori aperire, aut cum sola contritione ad communionem accedere.
VIII. Num possit pariter habens venialia, & mortalia a simplici Sacerdote absolvi indirecte a mortalibus, si necessitas communionis urgeat, & desit Confessor.
IX. Etiamsi reservata habeant annexam excommunicationem, adhuc possunt indirecte ab inferiori absolvi, tum si urgeat necessitas communionis, tum si aliter diu pœnitens carere debet remedio confessionis.
X. Excommunicatio non tollit, quominus in hoc casu valide conferatur Sacramentum Pœnitentiæ, supplente Ecclesia jurisdictionem.

I. Discutiendum, quænam sint justæ causæ excusantes a materiali integritate, unde possimus sine culpa aliquod peccatum in confessione reticere? Certum est, eas esse plures, quarum aliæ se tenent ex parte Pœnitentis, aliæ ex parte Confessarii.

Ex parte pęnitentis Primo est Ignorantia, seu oblivio peccatorum commissorum, sive sit inculpabilis, sive tantum venialiter culpabilis, eo quod culpa venialis non impedit gratiam, adeoque nec Sacramentum propter hanc ignorantiam, quæ dicitur Ignorantia facti. Addit Suar. etiam excusare Ignorantiam probabilem juris, ratione cujus prudenter aliquis existimat posse licite omittere peccatum aliquod in confessione.

Secundo est physica impotentia, puta, quia mutus, vel balbutiens omnia peccata, & ejus circumstantias bene explicare non potest, vel quia infirmus nimis defatigatur in eadem explicatione, ut bene addunt Bonac., & Henr.

Tertio, Mortis periculum, quando scilicet periculum est, ne pęnitens inter confitendum moriatur: In quo casu monet Suar., ut det pęnitens, si possit, materiam aliquam certam, necessariam, & in individuo, ut securius Sacramentum suscipiat.

Quarto, Impotentia moralis, quæ habetur, quando prudenter ex confessione aliquorum peccatorum timetur grave aliquod damnum vel spirituałe, vel temporale, vel ipsi pęnitenti, vel proximo: Excusatur enim in hoc casu, quia, ut loquitur Bernardus, Sacramentum, quod propter charitatem introductum est, non debet contra charitatem exerceri; Unde si quis metu prudenti, & cordato timeat, ne Sacerdos peccatum revelet, aut ipsum pęnitentem, vel aliũ infamet, nec possit alium confessariũ commode adire, a quo hoc malum non timeatur, poterit peccatum, vel circumstantiam in confessione omittere; quamvis cum onere, ut mox dicemus, confitendi illud cessante tali causa: Et idem dicas, si quis vel sustentatus a Confessario, vel cohabitans cum illo timeat prudenter, quod ab eo sit odio graviter habendus, & pessime tractandus; Etenim hujusmodi mala sunt confessioni extrinseca: Non excusatur tamen, si timeat, quod æstimetur malus a Confessario, qui prius probus credebatur; quia malum hoc est confessioni intrinsecum.

Quinto, si ex confessione alicujus peccati reveletur sigillum, non tenetur pęnitens, nec potest illud confiteri; quia arctius obligat sigillum, quam integritas materialis confessionis.

II. Ex parte vero confessarii habetur excusatio materialis integritatis. Primo, si prudenter ejus mors, aut loquelæ defectus timeatur post inceptam confessionem, nec possit alius Sacerdos advocari. Secundo, si detur probabilis timor mortis ex contagio, aut ex alio capite. Tertio, si ex sua fragilitate Confessarius probabiliter timeat, ne sibi, aut etiam pęnitenti causa sit peccandi, diligentius interrogando circa speciem, & numerum peccatorum, præsertim luxuriæ.

III. Certum est autem, quod his causis deficientibus teneatur pęnitens ex vi divini præcepti in nova confessione aperire peccata omissa. Et licet Sot., Henr., & alii putent, quamprimum debere ea confiteri; communis tamen sententia docet, satis esse, si ea suo tempore confiteatur. Solum in Trident. præcipitur, quod si Sacerdos memor peccati mortalis tantum conteratur, quin possit præmittere confessionem Missæ, quam non potest sine scandalo omittere, teneatur quamprimum deinde confiteri: Et Alex. VII. damnat propositionem trigesimam nonam, qua dicebatur, per illam particulam *Quamprimum* intelli-

telligi, cum Sacerdos suo tempore confitebitur: Sicut etiam trigesimam octavam; qua dicebatur, mandatum hoc Trident. non esse præceptum, sed consilium. Quia tamen verbum hoc, *Quamprimum*, sumendum est moraliter, non physice, ideo in ejus thesis expositione dixi, nonnullos putare, satis esse, si hujusmodi Sacerdos intra triduum adeat Confessarium. Ubi etiam adverti, hanc obligationem a Trident. imponi solis Sacerdotibus sacrificantibus, non vero iis, qui duntaxat communicant.

IV. Quando vero ob justam causam peccatum aliquod in confessione reticetur, satis est de illo atteri, quin requiratur contritio; quia tale peccatum in confessione perinde se habet, ac peccatum oblitum; de peccatis autem oblitis satis est atteri, eo quod ex Trident. intelliguntur inclusa in ea confessione in ordine ad effectum remissionis; quamvis non in ordine ad tollendam obligationem illa postmodum confitendi. His explicatis, ad præcipua dubia descendo.

V. Quæritur primo, Utrum excusetur pęnitens ab integritate materiali, ne complicem manifestet: V.g., peccavit quis cum sua matre a confessario cognita, debetne circumstantiam hanc incestus explicare?

Respondeo, certum esse teneri alium Confessarium adire, si commode potest, ne proximum infamet: expectare etiam tenetur unum, vel alterum diem novum Confessarium, si forte mox est adventurus, quando non urget necessitas confessionis; quia unusquisque tenetur consulere famæ proximi, quando potest sine suo incommodo. Putant tamen aliqui cum Tamburino, posse non expectare, nec alium Confessarium adire, quando spiritualem consolationem sentit pœnitens in aperiendis suis peccatis alicui Confessario amico, vel docto, &c., etiamsi revelanda sit apud hunc persona complicis; tum quia multi Doctores cum Reginald., Navar., & aliis putant, non esse mortale manifestare defectum proximi uni, vel alteri viro prudenti; quare si detur aliqua causa manifestandi confessario amico, aut docto personam complicis, a fortiori excusabitur pœnitens etiam a veniali: Tum etiam quia fideles universim non sunt soliciti de manifestando complice in confessione; unde videntur homines in tali casu cessisse suo juri. Etenim quando quis peccat cum socio, bene scit, tale peccatum aperiendum esse confessario, & ideo videtur suo juri cedere, & contentus esse, ut manifestetur in confessione: Quamvis contraria sententia probabilior sit, & tutior.

Ad quæsitum nunc respondeo, Marsil., Bagn., Navar., Valent. apud Fagund. 2. præcepto Eccles. l.5. cap. 1. putare non posse licite complicem in confessione explicari. Ratio est, quia ex naturali, & divino jure tenemur conservare illæsam famam proximi: Et solum ex jure divino positivo tenemur ad integritatem materialem confessionis; ergo concurrentibus his juribus, illud fortius ligat, & prævalet.

Sed communior sententia Suar., Vasq., Lug., Perez putat licere; Immo addunt, non solum id licere, sed etiam debere complicem explicari, quoties aliter peccatum, aut circumstantia speciem mutans explicari non potest. Ratio est, quia si tenemur ex institutione Christi supremi Domini famæ uniuscujusque aperire peccata in confessione cum infamia propria, a fortiori tenemur cum infamia proximi, quando id opus est. Confirmatur primo, quia in judicio forensi, quoties Judici constat de delicto habente complicem, statim judex habet jus interrogandi de complice, & reus tenetur respondere; ergo pariter in judicio Sacramentali. Confirmatur secundo, quia cum Christus supremus Dominus famæ obligarit nos ad integritatem confessionis, obligavit pariter nos ad id, quod cum hac integritate connectitur; atqui cum ea connectitur non solum manifestatio criminum cum propria infamia, sed etiam aliquando cum proximi; ergo ad hoc nos obligavit, contra quam obligationem a Domino supremo famæ ortam nemo jus habet ad famam suam.

Ad rationem in contrarium respondetur, quod sicut judex in judicio forensi non præcipit aliquid contra jus naturæ, quando præcipit reo, ut revelet complicem, & quando præcipit testi, ut accusati crimen aperiat; quia ipsum jus naturæ dictat, manifestandum esse delinquentem in talibus circumstantiis: Ita in foro Sacramentali jus naturale de conservanda fama proximi cessat obligare pęnitentem; Immo dictat, maxime consentaneum esse ad reverentiam Sacramenti, & ad perfectum judicium in eo formandum, ut integre peccatum aperiatur, & sic manifestetur peccati socius, quando ad integritatem confessionis est opus. Unde fit, ut non dicantur concurrere duo illa jura, videlicet naturale de non infamando proximo, & positivum de integritate confessionis; Nam solum jus positivum de integritate confessionis obligat, & jus naturale in talibus circumstantiis non obligat non infamare proximum; sed ex reverentia debita Sacramento obligat ad integritatem confessionis, etiamsi debeat crimen proximi manifestari uni confessario.

Si tamen ex confessione venialium, vel mortalium alias confessorum deberet complex infamari graviter apud confessarium, censeo cum Lug., & Perez, debere pœnitentem a tali confessione abstinere, cum ea sit libera: Secus vero, si peccatum sit mortale, ac necessario confitendum.

Propter

Propter easdem rationes adductas ad probandam obligationem manifestandi complicem, putant Lug., Granad., Tambur., quod teneatur etiam pœnitens manifestare personam, quæ est objectum proprii peccati, si aliter non possit confiteri peccatum suum: Verbi gratia, si filius dedit venenum matri gravidæ ex pravo concubitu, tenetur manifestare matrem, quæ non est complex, sed solum objectum proprii peccati. Verum Suar., Fagund., & Perez id negant, quia in judicio solus complex, non vero objectum criminis manifestari potest. Prior tamen sententia videtur probabilior.

Addit Suar., posse pœnitentem tam intra, quam extra confessionem dare confessario notitiam complicis, etiam non necessariam integritati confessionis, vel ad petendum consilium, vel propter aliud emolumentum sive spirituale, sive temporale, aut proprium, aut complicis, aut proximi. Et Lug. advertit, accidere posse casum, in quo confessarius obliget pęnitentem ad manifestandum complicem, quando scilicet ex occultatione complicis gravissima damna imminerent; quæ pęnitens neque per se, neque per alium idoneum præcavere posset. Hic tamen casus est rarissimus; & potius confessarius debet sæpe pœnitentem monere, quando sine ulla causa complicem manifestat. Quod si pœnitens in confessione det confessario notitiam complicis, ut illum corrigat, curet notitiam hanc habere extra confessionem, ne scandalum suboriatur. (*a*)

(*a*) „ Confer ita cum sequentibus Benedicti „ XIV. Constitutionibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad Perpetuam rei memoriam.

„ UBi primum de perversa quadam, & absurda „ praxi in Sacramento Pęnitentiæ administran„ do apud nonnullos Confessarios in Portugalliæ, „ & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non si„ ne animi nostri dolore nuntium accepimus non „ levi aliquo incertoque rumore ad Nos perla„ tum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis „ innixum, ut prudentem omnino fidem de peri„ culi cum veritate, tum magnitudine facerent; „ prętermittere non potuimus, quin continuo da„ tis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum „ ac Ditionum Archiepiscopos, & Episcopos Apo„ stolicis Nostris Litteris, remedium nascenti ma„ lo quam promptissime adhiberemus. Earum ve„ ro Litterarum, die 7. mensis Julii superioris an„ ni 1745. editarum, quas præsenti huic nostrę „ Constitutioni inserendas existimamus, hic tenor „ erat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ *SUprema omnium Ecclesiarum solicitudo, & divi„ na Jesu Christi omnium Pastorum Principis, „ cujus vices plane immerentes gerimus, charitas as„ sidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbe„ cillitati Nostræ universi Dominici gregis cura sem„ per advigilantes periculis animarum, sicubi forte su„ perimpenderint per omnes Christiani Orbis Populos ac „ Nationes opportune, quantum cum Domino possumus, „ occurramus; atque iis præcipue Regnis, & locis pe„ culiari quodam Apostolicæ Nostræ charitatis studio, „ authoritatisque providentia consulamus in quibus, „ cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, „ callidus humani generi hostis nocere Fidelibus dum „ aperto bello desperat, per insidias molitur, in Ange„ lum scilicet sese lucis transfigurans, & ementita „ boni specie incautis illudens; qua ex arte non mi„ nora sæpe animarum detrimenta, quam ex aggres„ sione manifesta, esse proventura nequissimus vetera„ tor confidit. In harum autem fraudum numero „ computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, & „ Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos An„ tistites summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ „ commendatione præsidetis, & quibus pro singulari „ erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc „ Sanctam Sedem observantia meritæ debentur laudes, „ nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore „ cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad au„ res Nostras, nonnullos istarum partium Confessarios „ falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo se„ cundum scientiam longe aberrantes, perversam quan„ dam, & perniciosam praxim in audiendis Christi fi„ delium confessionibus, & in saluberrimo Penitentiæ „ Sacramento administrando, invehere atque introdu„ cere cœpisse; ut videlicet, si forte in pœnitentes inci„ dissent socium criminis habentes, ab iisdem pœniten„ tibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim „ exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non in„ ducere modo suadendo conarentur; sed, quod dete„ stabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, „ absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adi„ gerent, atque compellerent, imo etiam complicis „ ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper lo„ cum, sibi exigerent designari. Quam illi quidem „ intolerandam imprudentiam tum procurandæ com„ plicis correctionis, aliorumque bonorum colligendo„ rum specioso prætextu colorare, tum emendicatis „ quibusdam Doctorum opinionibus defendere non du„ bitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel fal„ sas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas „ male applicando, perniciem tam suis, quam pœni„ tentium animabus consciscerent; ac sese præterea „ plurium gravium damnorum, quæ inde facile con„ secutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo „ æterno Judice constituerent. Et vero jam secuta „ fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia „ compertum est: Nec fieri potuit quin ea de caussa „ & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum „ tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, „ & animorum ingens conturbatio in Populo fideli e„ xorta sint. Tristia nos hæc nuntia cum accepimus,*

,, *simul audivimus contra exitialem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquisitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque feliciter glíscenti malo compescendo, atque etiam eradicando adlaborasse. Nos autem ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud Vos obscuram, & ambiguam esse sinamus; Notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandemque a Nobis per præsentes nostras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari, tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo & necessario usu, Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; Supremi tamen officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostræ aperta significatione, & Apostolicis insuper hortationibus nostris intensius acuere, & excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus quibusque Juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinæ misericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro, ad abluendas, dealbandasque in Sanguine suo animas, amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis, & observantiæ argumenta, Apostolicam benedictionem cum uberrima cælestium charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notari publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ.*

,, *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. mensis Julii 1745. Pontificatus nostri Anno Quinto.*

Cajetanus Amatus.

,, Has porro Nos Litteras in forma Brevis tunc datas, iterum præsentibus Nostris confirmamus, & roboramus, easque ab omnibus, & singulis fideliter exacteque observari injungimus, atque præcipimus.

,, Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam speciali & individua, ad effectum ut hisce Nostris præsentibus comprehendantur, mentione & expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere, aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea, quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel authoritate suffulto, nisi a Nobis, vel a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

,, Et quia non modo cavendum est, ut, quæ sunt a Nobis in præinsertis Litteris decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint, & immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Pęnitentię administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat: idcirco omnibus & singulis Confessariis utriusque Cleri tam Sæcularis, quam Regularis, quantumvis exempti, & quacumque speciali & expressa mentione alias fortasse nominandi graviter & districte, Divini interminatione judicii; atque, in virtute sanctæ Obedientiæ, prohibemus, ne, conformiter ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare prçsumant de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis, expressiorem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.

,, Pręterea quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, & ultrices adversus reos pęnas imponendi, statuere, atque ordinare; omnesque super hoc exorituras, vel etiam jam exortas dissensiones componere, & penitus amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentam impugnantes, aut perverse interpretantes, in Officio Sanctæ Inquisitionis prædictorum Regnorum atque Ditionum severe puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas.

,, Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus ac statuimus contra Confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes: Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quæ

,, sic

,, sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

,, Itaque contra prædictos omnes & singulos Delinquentes tam Sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, & quorum specialis & nominatim mentio facienda sit, prædictorum Regnorum ac Ditionum Inquisitores, potestate a Nobis tradita, & quatenus opus sit, præsentium tenore de novo concessa, prout in caussis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex ejusmodi excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate & circumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ ac passivæ, si Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum vel ad tempus infligendo.

,, Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverint, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejusmodi Inquisitionis præfigi solitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alioquin pœnas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas, incurrant. Veruntamen ab hujusmodi onere denunciandi justis de caussis eximi volumus & exigimus personam ipsam pœnitentem dumtaxat in caussa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens, a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato; tunc enim pœnitentem hujusmodi ab obligatione eundem Confessarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit Confessarium aliquo ex superius enumeratis, & Sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum & ipse deuunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

,, Quod si Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhęsione ad praxim in sępe dicto Nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque Sancti Officii prędicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium, per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pęnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cujusque Dięcesi omnino spectabit.

,, His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut pręfertur, constitutis, ac suis unicuique Judici Ecclesiastico juribus assignatis, & distributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus & mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quę tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus: accedente insuper pręclara inclytę Lusitanę Nationis universę erga Sedem Apostolicam observantia & obedientia, nec non eximia tum istius Sanctę Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quęcumque aliter, quam pręsentibus Nostris decrevimus & constituimus, sive in Edictis pręfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Pastoralibus Litteris, vel Decretis antehac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi, seu judicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere jam, & cessare, ac, veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

,, Decernentes easdem præinsertas, nec non pręsentes nostras Litteras, & in eis contenta quęcumque, etiam ex eo quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, pręeminentię, & dignitatis existant, seu alias speciali & individua mentione & expressione digni, in pręmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prętendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque caussę, propter quas tum pręinsertæ, tum pręsentes emanaverint, sufficienter adductę, verificatę, & justificatę fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata caussa, colore, prętextu, & capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrę, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentes, easdemque pręfatas in forma Brevis Litteras, firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus & singulis pręmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, & inviolabiliter observari.

,, Sicque & non aliter in pręmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque authoritate, potestate, & præeminentia fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

,, Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Edictis quoque

,, prę-

„ prædicti Inquisitionis Officii, & quorumcumque Ordinariorum, etiam Episcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Litteris Pastoralibus, sive Decretis nec non ejusdem Officii, & quarumcumque Ecclesiarum etiam Episcopalium & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus & formis, & cum quibuscumque etiam efficacissimis & insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam Motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

„ Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujusmodi pro plene & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus.

„ Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra ubique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis, sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

„ Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis Anno Incarnationis Dominicæ 1746., Quarto Nonas Junii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

II.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„ AD eradicandum pravum zizanii semen, quod ab adversario generis humani in Agro Dominico sparsum, per Lusitaniæ primum Regiones pullulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos Confessarios, in administrando Sacramento Pœnitentiæ, perversa quædam & absurda praxis, Ecclesiasticis Regulis contraria, eidemque Sacramento injuriosa, & ad avertendos Fideles ab ipsius salutifero usu quam maxime tendens, introduci cœperat; pro imposito Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma Brevis Litteras direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, per Portugalliæ, & Algarbiorum Regna atque Ditiones constitutis, quas deinde per alias Nostras sub plumbo expeditas Litteras, nuper, quarto nimirum Nonas elapsi mensis Junii, confirmavimus & innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus & declarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, sive docentibus, irrogandas, & ad rectum adversus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis & Ditionibus servandum, opportune expedire in Domino judicavimus.

„ Earum autem Litterarum, quas ad hujusmodi erroris & abusus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat.

BENEDCTUS PAPA XIV.

Ven. Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ *SUprema omnium Ecclesiarum solicitudo, & divinæ Jesu Cristi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, Charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostræ universi Dominicis gregis cura, semper advigilantes periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino possumus occurramus: atque iis præcipue Regnis, & locis, peculiari quodam Apostolicæ nostræ Charitatis studio, authoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hostis nocere Fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in Angelum scilicet sese lucis transfigurans, & ementita boni specie incautis illudens; qua ex arte non minora sæpe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta esse proventura nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præsidetis, & quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc S. Sedem observantia meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium Confessarios fal-*

sa zeli

,, sa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secun-
,, dum scientiam longe aberrantes, perversam quan-
,, dam, & perniciosam praxim in audiendis Christi fi-
,, delium Confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ
,, Sacramento administrando invehere, atque introdu-
,, cere cœpisse; ut videlicet, si forte in pœnitentes in-
,, cidissent socium criminis habentes, ab iisdem pœni-
,, tentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim
,, exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non in-
,, ducere modo suadendo conarentur: sed, quod dete-
,, stabilius est, denunciata quoque, nisi revelarent, ab-
,, solutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent,
,, atque compellerent; imo etiam complicis ejusdem ne-
,, dum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exi-
,, gerent designari: Quam illi quidem intolerandam
,, imprudentiam, tum procurandæ complicis correctionis,
,, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu
,, colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opi-
,, nionibus defendere non dubitarent; cum revera o-
,, piniones hujusmodi vel falsas, & erroneas sequendo,
,, vel veras, & sanas male applicando, perniciem tam
,, suis, quam pœnitentium animabus consciscerent, ac
,, sese præterea plurium gravium damnorum, quæ in-
,, de facile consecutura fore prævidere debuerant, reos
,, coram Deo æterno Judice constituerent. Et vero jam
,, secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experien-
,, tia compertum est: Nec fieri potuit quin ea de caus-
,, sa & oblocutiones, & scandala, & non Ministro-
,, rum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium,
,, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli ex-
,, orta sint. Tristia Nos hæc nuntia cum accepimus,
,, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abu-
,, sum protinus justa indignatione pro munere suo com-
,, motos fuisse dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardi-
,, nales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliæ, &
,, Algerbiorum Regnis Generalem Inquisitorem, &
,, Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; at-
,, que utrumque solicite gliscenti malo compescendo,
,, atque etiam eradicando adlaborasse. Nos autem, ne
,, in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte
,, Apostolico nostro Ministerio deesse videamur, neve
,, mentem hac super re nostram apud Vos obscuram,
,, aut ambiguam esse sinamus; Notum Vobis esse vo-
,, lumus, memoratam superius praxim penitus repro-
,, bandam esse, eandemque a Nobis per præsentes nostras
,, in forma Brevis Litteras reprobari, atque damna-
,, ri tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tam fa-
,, mæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento in-
,, juriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacra-
,, mentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ
,, Sacramenti tantopere proficuo & necessario usu,
,, Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fra-
,, tres, quamquam de pastorali vestra vigilantia ni-
,, hil est, quod dubitemus; Supremi tamen officii quo-
,, que nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram
,, hac mentis nostræ aperta significatione, & Apostoli-
,, cis insuper hortationibus nostris intensius acuere, &
,, excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus,
,, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus,
,, & efficacioribus quibusque Juris remediis, quoad
,, opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis,
,, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini,
,, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini tra-
,, ditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari,
,, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinæ mi-
,, sericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem
,, ab eodem Redemptore nostro, ad abluendas, deal-
,, bandasque in Sanguine suo animas, amantissime invi-
,, tantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentia
,, luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis,
,, & observantiæ argumenta; Apostolicam benedictio-
,, nem cum uberrima cœlestium charismatum copia con-
,, junctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo im-
,, pertimur. Volumus autem, ut præsentium transum-
,, ptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus
,, Notari publici subscriptis, & sigillo Personæ in
,, Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem
,, prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus
,, adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ
,, vel ostensæ.

,, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
,, sub Annulo Piscatoris die 7. mensis Julii 1745.
,, Pontificatus nostri Anno quinto.

Cajetanus Amatus.

,, Quoniam vero nullam Pastoralis vigilantiæ
,, cautelam superfluam esse ducimus, ubi de Fide-
,, lium animarum pernicie, deque subvertenda sanæ
,, doctrinæ integritate, & recta Sacramentorum ad-
,, ministratione, periculum subesse dubitetur; neque
,, vero ignoramus, alibi quoque auditas esse pœni-
,, tentium querelas de importunis nonnullorum Con-
,, fessariorum perquisitionibus, pro investigandis
,, complicum nominibus, aliisque notitiis, juxta pra-
,, xim in præinsertis Nostris Apostolicis Litteris re-
,, latam atque damnatam; erroneas vero quorundam
,, Doctorum hac de re opiniones, vel pravas alio-
,, rum recte opinantium interpretationes & applica-
,, tiones, in eisdem Litteris enunciatas, aliquibus
,, arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas
,, præmissas Litteras, quas, utpote ad Lusitaniæ Re-
,, gnorum atque Ditionum opportunitatem accommo-
,, datas, & pro iisdem solummodo emanatas, gene-
,, ralis definitionis, & legis vim, authoritatemque
,, habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo
,, Nos, motu proprio, atque ex certa scientia, hu-
,, jus Nostræ generalis sanctionis tenore, ac de A-
,, postolicæ potestatis Nostræ plenitudine, easdem
,, præinsertas Litteras iterum confirmantes & robo-
,, rantes, decernimus & declaramus, memoratam
,, praxim in se ipsa, & ubique locorum ac tempo-
,, rum, Apostolica authoritate reprobatam atque
,, damnatam esse, & censeri debere; nec ulli li-
,, citum esse contra doctrinam in præfato Nostro
,, Brevi contentam docere, scribere, aut loqui,
,, eamque impugnare, aut perverse interpretari,
,, vel ipsi actu contraire; sub pœnis adversus tuen-
,, tes, asserentes, aut tradentes opiniones scanda-
,, losas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica
,, rejectas & condemnatas, & respective adversus
,, contrafacientes mandatis Apostolicis, & Ecclesia-
,, sticis sanctionibus, statutis atque præscriptis.

,, Decernentes easdem præinsertas, nec non præ-
,, sentes Nostras Apostolicas Litteras, nullo ex ca-
,, pite, colore, aut prætextu, de subreptionis, obre-
,, ptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis No-
,, stræ, aut alio quolibet defectu notari, impugna-
,, ri aut in controversiam vocari posse; sed semper
,, firmas, validas, & efficaces existere, & perpetuo
,, fore, atque omnes ubique Terrarum cujusvis sta-
,, tus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & digni-
,, tatis, & tam Sæculares quam quorumvis etiam
,, quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ
,, immediate subjectorum Ordinum, Institutorum,
,, Socie-

„ Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos afficere & arctare, ac suos ubique plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte & inviolabiliter observari debere.

„ Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de Latere, & Apostolicę Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque authoritate & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere: ac irritum & inane si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

„ Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, sive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis cuicumque Personæ, sive Ordini, Instituto, Societati, & Congregationi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu, & Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, in contrarium forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, & de verbo ad verbum expressis & insertis, formasque hujusmodi pro plene & exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus.

„ Ut autem eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit; volumus easdem per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, aliisque consuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi, & affixas relinqui; quæ sic publicatæ & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent: quodque earumdem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur, ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, & voluntatis, infringere, seu eidem ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1746., 4. Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

VI. Quæritur secundo, an sit justa causa dimidiandi confessionem, & excusans ab integritate materiali, quod pœnitens habens casus servatos non possit superiorem adire, ut ab iis absolvatur. Videntur quippe peccata reservata frustra aperiri confessario inferiori non habenti potestatem in illa?

Respondeo, sine justa causa non solum non licere dimidiare confessionem, revelando confessario inferiori solum non reservata, & deinde superiori reservata, (quod est omnino certum) sed nec etiam licere illam dimidiare hoc altero modo, scilicet confitendo prius superiori reservata, & deinde inferiori non reservata, ut communiter docent Doctores contra Alens. Bonavent. Navar. Cajet. Tolet. Et ratio est, quia integritas confessionis est de jure divino, nec potest absque urgenti causa in ea dispensari. Quare damnata fuit ab Innoc XI. propositio 59. dicens: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel indulgentiæ.* Ex quo colligitur, non dici urgentem causam, propter quam in casu nostro possit dimidiari confessio, magnam occupationem superioris, qui non potest commode reservata simul, & non reservata audire; sit enim pariter Parochus posset ratione suæ occupationis auditis aliquibus tantum peccatis sacramentaliter absolvere.

Dico itaque primo; Urgens, & rationabilis causa dimidiandi confessionem hoc secundo modo, (scilicet confitendo superiori solum reservata, & deinde inferiori non reservata) ex Con. & Lug. videtur esse, si superiori nullo modo vacaret audire hic & nunc confessionem integram, & pœnitens non posset diutius carere absolutione Sacramentali, vel quia urget necessitas communicandi, vel ex alio capite: & propterea requiritur, ut nullus alius confessor idoneus adsit, cui possit integre confiteri, sublata jam extra Sacramentum reservatione, vel censura a superiore; qui casus est rarissimus; ut notavimus quæst. 3. art. 3. quæs. 6. Verum tamen est, quod si superior auditis solum reservatis Sacramentaliter absolveret, quamvis peccaret, valide absolveret; directe quidem a reservatis, & indirecte ab aliis non confessis; unde non tenetur pęnitens amplius confiteri peccata, a quibus fuit directe absolutus; ut notat Suar. disp. 31. sect. 1.

Neque favet pro dimidianda hoc pacto confessione Sacramentali stylus Curiæ Romanæ, quam adducit Sylvester, qui fuit in Basilica Sancti Petri Pęnitentiarius.

Nam stylus Curiæ is fuit, ut extrasacramentaliter absolveretur pęnitens ab excommunicatione Pontifici reservata, & deinde remitteretur

tur

tur ad inferiorem pro confessione, & absolutione Sacramentali omnium omnino culparum.

VII. Dico secundo; Urgens, & rationabilis causa dimidiandi confessionem primo modo (scilicet confitendo inferiori solum non reservata, cum onere confitendi postmodum superiori reservata) est necessitas tuendi vitam, vel famam, aut vitandi scandalum, aut communicandi, vel servandi præceptum confessionis; Necnon ex Leand. disp. 5. quæst. 58., Suar., Gran., Lopez., si longo tempore differenda esset confessio, etiamsi non obliget præceptum confessionis; quia diu privari fructu hujus Sacramenti est notabile nocumentum. Ita communius Doctores apud Lug. de Euchar. disp. 14. num. 98. contra Vasq., quæst. 91. art. 3.; qui putat, non licere in his casibus confessionem dimidiare, eo quod careat inferior jurisdictione sufficienti, sed debere pęnitentem cum sola contritione ad communionem accedere, quando opus est ad vitandum scandalum.

Ratio nostræ Conclusionis est, quia talis Confessio non est invalida, ut mox constabit contra Vasq., & alios; ergo in dictis casibus potest fieri; cum præstet accedere ad communionem præmissa confessione valida solorum mortalium non reservatorum, (imo etiam, si hæc desint, solorum venialium, ut sentit Coninch de Euchar. disp. 80. num. 20.) quam simpliciter non confiteri, & cum sola contritione ad communionem accedere. Quinimmo censeo, pęnitentem ad hujusmodi confessionem teneri; quia sicut qui ex justa causa potest reticere aliquod mortale, tenetur præmittere Communioni Confessionem reliquorum mortalium; Ita qui ex defectu jurisdictionis in confessario non tenetur in casu nostro aperire peccata reservata, tenetur aperire mortalia non reservata, ut præmissa illorum Confessione ad Communionem accedat.

Adverte tamen, esse satis communem, & probabilem, imo probabiliorem sententiam apud Con. disp. 7. num. 86. docentium in casu adducto debere Pœnitentem confessario inferiore aperire reservata simul, & non reservata, cum onere confitendi deinde iterum superiori sola reservata. Et ratio Con. est, tum quia in re, quæ pendet a Christi institutione, non est a communi sententia recedendum; tum etiam, quia sic servatur integritas materialis præcepta a Christo Domino; nec videtur sufficiens ratio excusans ab hac integritate materiali, ne scilicet pęnitens subeat onus confitendi bis idem peccatum reservatum; quia non est hoc onus tanti momenti, ut possit ab integritate præcepta excusare.

Neque dicas primo cum Vasq., confessionem reservatorum simul, & non reservatorum factam inferiori non habenti potestatem in reservata non esse validam ex defectu jurisdictionis; ergo talis confessio nunquam est licita, & a fortiori nec debita.

Nam negatur antecedens; jurisdictio enim, quam habet inferior in non reservata, satis est ad valorem Sacramenti, quando in casibus adductis pœnitens reservata simul, & non reservata confitetur. Et ratio est, quia hæc eadem jurisdictio satis esset, si peccatum reservatum esset invincibiliter oblitum, vel si esset dubium, aut si esset peccatum non reservatum, sed ex justa causa omissum, ut ipsemet Vasq. concedit; ergo etiam satis est, si pœnitens reservata simul, & non reservata confiteatur. Probatur hæc consequentia, quam Vasq. negat, quia confessio reservati non minuit potestatem, & jurisdictionem in absolvente, eo modo quo nec oblivio, aut reticentia ejusdem peccati ex justa causa; ergo si peccatum reservatum valide absolvitur, licet indirecte, ab inferiore, quando est oblitum, aut ex justa causa omissum, valide etiam absolvitur, & indirecte, quando est confessum in casu adducto; quia non debet esse pejoris conditionis qui peccatum confitetur, ac qui obliviscitur, aut reticet ex justa causa.

Neque dicas secundo, ex Trident. sess. 14. cap. 7. Sacerdotem inferiorem extra mortis articulum nihil posse in casus reservatos.

Nam sicut potest inferior reservata absolvere indirecte extra mortis articulum, si sint oblita, vel ex justa causa omissa; ita si sint confessa in casu conclusionis. Quare Trident. solum negat, inferiorem posse extra mortis articulum absolvere a reservatis directe; non negat tamen indirecte; eo quod per potestatem indirectam non perturbatur ordo Ecclesiæ, & consulitur bono animarum, quia semper remanet pęnitens obligatus adire superiorem & interim gaudet remedio Sacramenti; quod facilius assequi potest, quam assequatur per contritionem, quæ pariter remittendo indirecte reservata, favet animarum bono, & non perturbat rectam Ecclesiæ gubernationem, eo quod post contritionem remanet onus adeundi superiorem pro absolutione.

Neque dicas tertio; In judicio forensi non potest judex absolvere reum a delictis in quæ non habet jurisdictionem, etiamsi habeat jurisdictionem in alia delicta ipsius Rei; ergo neque in judicio Sacramentali.

Nam negatur consequentia. Et disparitas est, quia judex forensis non habet potestatem absolvendi indirecte, sicut illam habet judex in foro Sacramentali. Etenim Confessarius absolvit conferendo gratiam incompossibilem cum quovis peccato: ergo si habet potestatem absolvendi aliquod peccatum pœnitentis, ac proinde conferendi illi gratiam Sacramentalem, debet

pariter habere potestatem absolvendi indirecte ab omnibus aliis peccatis incompossibilibus cum gratia collata.

VIII. Neque dicas quarto; Ergo pariter poterit simplex Sacerdos absolvendo directe a venialibus absolvere indirecte a mortalibus vel oblitis, vel ex justa causa omissis, vel etiam confessis in simili casu necessitatis adducto in conclusione.

Nam Suar. disp. 31. sect. 3. concedit hanc consequentiam, quando intervenit bona fides pœnitentis. Advertit tamen, non esse hoc in usu Ecclesiæ, sicut est in usu illud prius; Unde merito diximus, Con. admittere, quod habens sola venialia cum mortali reservato possit in casu necessitatis absolvi indirecte a mortali reservato a confessario inferiori, non tamen a simplici Sacerdote. Et disparitas circa hunc Ecclesiæ usum, quam adducit Suar. est; quia Confessarius inferior habens jurisdictionem in mortalia non reservata, habet id, quod est præcipuum, & quasi substantiale in hac potestate; Unde nil mirum, si posset indirecte a reservatis absolvere in casu necessitatis. Econtra simplex Sacerdos, qui solum habet jurisdictionem in venialia, & in mortalia alias confessa, habet jurisdictionem valde tenuem, & ita non est usu introductum, ut absolvat indirecte a mortalibus in casu necessitatis, sed solum quod in extrema necessitate absolvat directe ab omnibus. (*a*)

„ (*a*) Neque dicas quarto cum P. Concina T. IX. p. 341. Ex damnatione ab Innocentio XI. facta 59. propositionis, de qua num. VI. non licet dimidiare confessionem in magna solemnitate ratione magni concursus pœnitentium; ergo multo minus sola privatio fructus hujus Sacramenti caussa sufficiens erit dimidiandi confessionem. Nam distinguitur consequens; quæcumque sola privatio fructus hujus Sacramenti conc. sola *diuturna*, de qua unica loquutus est Viva, neg. conseq.

Ex dictis infertur, quod pœnitens habens reservata simul, & non reservata, primo, possit inferiori aperire solum non reservata, juxta sententiam de Lugo, omittendo reservata, si urgeat necessitas communionis, nec liceat superiorem adire: Secundo, possit juxta communem sententiam apud Con. confiteri simul reservata, & non reservata, ut ab iis directe, ab istis indirecte absolvatur: Tertio, possit juxta sententiam Vasq. solum conteri, omittendo confessionem, & sic ad communionem, verbi gratia, accedere urgente necessitate.

IX. Quæritur tertio; Utrum similiter dimidiare possit confessionem, urgente necessitate, qui habet peccata reservata, quibus annexa est excommunicatio?

Respondeo, Sylvest., Covar., & alios apud Henr. lib. 8. de Euchar. cap. 47. sect. 3. putare, excommunicatum etiam occultum non posse extra mortis articulum communicare, nec Sacramentaliter absolvi a peccatis, etiam urgente scandalo, aut infamia. Et ratio, quam adducunt, est, quia excommunicatio, tam major, quam minor privat receptione Sacramentorum.

Equidem cum Suar. disp. 32. sect. 3., & aliis, communiter existimo, quod habens mortalia non reservata, & mortalia reservata, quibus est annexa excommunicatio, urgente necessitate, v. g., communionis, si non liceat adire superiorem pro absolutione a censura, non solum possit, ut docet Vasq., cum sola contritione ad communionem accedere, sed etiam possit (quod negat Vasq. quæst. 91. art 3. putans, excommunicationem etiam invincibiliter ignoratam impedire absolutionem Sacramentalem) Sacramentaliter absolvi a peccatis, directe quidem a non reservatis, & indirecte a reservatis, quibus est annexa excommunicatio; eo prorsus modo, quo diximus de casibus reservatis non habentibus censuram. Ratio est, quia si quis potest ad vitandum scandalum licite communicare juxta communem opinionem, poterit pariter absolutionem Sacramentalem recipere; non enim videtur congruum, ut velit Ecclesia illum communicare, non præmissa confessione sacramentali, quæ ex divino præcepto præmittenda est communioni.

Adde, quod quamvis non urgeat necessitas communicandi, sed urgeat solum necessitas confitendi, vel ob vitandum scandalum, vel quia (ut diximus ex Leand. disp. 1. quæst. 58. Suar., Granad., & aliis) aliter diu carere deberet pœnitens remedio confessionis, quod censetur notabile detrimentum, possit pariter excommunicatus confiteri, vel dimidiando confessionem, juxta supradicta ex Lug. de Euchar. disp. 4. num. 98., vel integre confitendo; ita ut solum a non reservatis absolvatur directe, & indirecte a reliquis. Et ratio est, quia vere potest excommunicatus, valide absolvi a peccatis, non præmissa absolutione a censura, sive invincibiliter oblita, sive ignorata, sive etiam cognita, urgente necessitate; ergo etiam licite poterit in casu nostro absolvi. Antecedens, quod negatur a Vasq., satis clare suadetur, quia excommunicatio non reddit subjectum incapax gratiæ sanctificantis, quæ habetur per contritionem, ut est indubitatum; neque reddit subjectum incapax absolutionis Sacramentalis; alioquin qui invincibiliter est oblitus alicujus censuræ, nunquam posset in Sacramento pœnitentiæ justificari, quia nunquam posset absolutionem Sacramentalem suscipere: Quod quamvis a Vasq. admittatur, videtur tamen incredibile, & contra naturam censuræ, quæ non est incompossibilis cum gratia

justi-

justificante, & infligitur ab Ecclesia in medicinam; non esset autem medicina, sed pęna rigorosissima, si illam ignorans, etiam invincibiliter, cogeretur ab Ecclesia in perpetuum carere absolutione Sacramentali. Quare cum excommunicatus intantum non possit Sacramenta suscipere, inquantum ab Ecclesia id prohibetur, cessante hac prohibitione, vel propter ignorantiam, vel, ut in casu nostro, ratione necessitatis, consequenter valide, & licite Sacramentum pęnitentiæ in hoc casu suscipit, non secus ac Sacramentum Eucharistiæ in casu simili.

Confirmatur; quia excommunicatio non tollit, quominus Sacramentum conferatur positis omnibus constitutivis Sacramenti; sed in casu nostro ponerentur omnia constitutiva Sacramenti pęnitentiæ: ergo excommunicatus, in casu nostro, valide Sacramentum pęnitentiæ reciperet, non præmissa absolutione a censura. Minor probatur, quia si quid deesset, maxime esset jurisdictio Sacerdotis erga talem pęnitentem ligatum censura reservata; Talis autem jurisdictio non deesset; quia cum habeat confessarius jurisdictionem in non reservata, non est probabile, quod Ecclesia benignissima Mater velit tali confessario denegare in casu necessitatis jurisdictionem indirectam relate ad peccata, & censuras reservatas.

X. Neque dicas, tam requiri essentialiter ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ potestatem Ordinis in absolvente, quam potestatem jurisdictionis; sed illa deficiente, etiam invincibiliter, & ex ignorantia, non confertur Sacramentum valide, ut est indubitatum: ergo nec valide confertur Sacramentum pœnitentiæ, deficiente potestate jurisdictionis; Atqui quoties aliquis habet censuram reservatam, confessarius inferior non habet jurisdictionem erga illum; aliter censura non diceretur esse reservata; ergo censura in casu nostro, etiamsi invincibiliter ignoretur, obstat validitati Sacramenti.

Nam ex dictis nego minorem subsumptam; hoc enim interest inter potestatem ordinis, & potestatem jurisdictionis, quod illa non possit ab Ecclesia suppleri; hæc vero possit. Quare si quis non Sacerdos, vel ex opinione probabili, vel ex errore communi, & ad summum cum titulo colorato putetur Sacerdos, non per hoc valide absolvit: Contra vero, si careat jurisdictione, sed ex opinione probabili, vel ex errore communi cum titulo colorato putetur illam habere, profecto juxta communissimam opinionem valide absolvit, supplente Ecclesia defectum jurisdictionis, seu concedente Pontifice jurisdictionem, ut consulatur saluti Animarum. Idem diximus in casu nostro, quod, scilicet Ecclesia, quæ prohibet excommunicatis susceptionem Sacramentorum, & consequenter negat Sacerdotibus jurisdictionem in illos, in casu necessitatis removet hanc prohibitionem ut mater benignissima, & confert confessariis inferioribus jurisdictionem erga hujusmodi pœnitentes, ita tamen ut solum directe a non reservatis absolvantur, & a reliquis tantum indirecte; non secus ac omnes dicimus de peccatis oblitis, etiamsi reservatis, ut sic consulatur saluti Animarum.

ARTICULUS VIII.

De Confessione Moribundi.

I. Absolvi potest moribundus, etiamsi non possit speciem ullam peccati explicare; remanet tamen in illo onus iterum confitendi, si convalescat.

II. Potest etiam sub conditione absolvi, si det signa doloris, etiamsi non postulet Absolutionem.

III. Idque verum videtur, etiamsi signa sint dubia.

IV. Prudenter in tali casu præsumitur, quod ea signa ordinentur ad Confessionem.

V. Num, & quoties possit iterari similis Absolutio sub conditione, quando moribundus est sensibus destitutus?

VI. Si absolutio conferatur ex opinione probabili, quod signa illa ad Confessionem ordinentur, conferri potest absolute; secus vero conferenda est sub conditione saltem mente concepta, si de eo dubitetur.

I. QUæritur primo, quænam confessio exigi debeat a moribundo, qui physice non potest confiteri integre? sufficitne, quod dixerit, se multa peccata commisisse, ut si sensibus destituatur, possit absolvi?

Respondeo, Navarr., Sot., & alios negare; quia non explicatur sic species ulla peccati. Sed communissime affirmant cum Rituali Romano; quia habetur confessio, quæ hic & nunc haberi potest. Adde, etiam extra casum necessitatis satis esse aliquando confessionem peccati in genere, ut valide, & licite conferatur absolutio, puta quando quis recordatur, se peccasse mortaliter, & non recordatur speciem peccati, ut docet D. Th., vel si speciem peccati ex justa causa non teneatur fateri; vel si sciat, se peccasse, nesciat autem, utrum mortaliter, an venialiter; & juxta opinionem Dicast. disp. 9. dub. 9., quam supra retulimus in confessione venialium, aut mortalium alias confessorum, quæ sunt materia voluntaria, non est opus speciem peccati explicare. Esto Suar. velit, spectata praxi Ecclesiæ, debere explicari aliquam peccati speciem in confessione etiam venialium. Cum autem opinio ista Suar. spectet ad valorem Sacramenti, & sit tutior, ea profecto in praxi sequenda est.

Neque

Neque dicas, Trident. cap. 8. exigere ad judicium Sacramentale confessionem, per quam dignoscatur status pœnitentis; atqui si moribundus diceret, se multa peccata commisisse, non dignosceretur per hanc confessionem status pœnitentis: ergo talis confessio non sufficit.

Nam cum Lug. respondeo. Trident. loqui, quando absolutio directe, & totaliter confertur, non vero quando indirecte, & cum onere iterum confitendi, ubi opportunitas sese offerat, ut in casu moribundi.

Neque dicas secundo, absolutionem debere directe terminari ad aliquod peccatum in particulari.

Nam respondeo cum Suar. satis esse, si directe terminetur ad offensam Dei ut sic, ut dicere debent omnes in casu adducto, quando quis recordatur, se peccasse mortaliter, & non recordatur speciem peccati.

II. Quæritur secundo; An possit absolvi moribundus, si pectus tundat; vel dicat Miserere, &c., aut alia signa doloris ostendat, quin tamen Confessionem petat?

Respondeo, Suar., Vasq., Bonac., & alios apud Leand. quæst. 42. negare; quia hic vere non facit Confessionem Sacramentalem; sed communius cum Laym., Lug. Diana affirmant; quia signa hujusmodi pœnitentiæ data a moribundo præsumi debent directa ad absolutionem Sacramentalem: Etenim ex communiter contingentibus habetur præsumptio; Communiter autem id contingit; ergo sic præsumi debet; & ad summum tamquam in casu dubio dari potest, atque adeo debet absolutio sub conditione saltem animo retenta, si est capax, & dispositus, ut habet Henr. Quod dicendum etiam, si moribundus ea signa dederit absente confessario, aut nesciens præsentiam illius; quia præsumitur in eo articulo velle remedium optimum, quod potest habere, atque adeo petere absolutionem, si forte statim sit affuturus confessarius.

III. Confirmatur, quia ex Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8., Joanne Sancio, Dian., potest sub conditione conferri absolutio, quoties dubitatur, num signa pœnitentiæ edita a moribundo oriantur ex dolore peccatorum, an vero ex angustia, & mœrore naturali morbi: Præsertim quia communiter contingit, Christianos, etiamsi male vixerint, velle in mortis articulo absolutionem ut salventur; & ideo præsumi potest, ea signa ordinari ad absolutionem petendam; ergo a fortiori idem dicendum, quando in casu nostro non dubitatur, utrum ea signa veri doloris exhibita a moribundo ordinentur ad claves.

Ex quo patet, hoc non esse contra decretum Clem. VIII. prohibentis dare absolutionem absenti. Nam (ut omittam, quod Clemens VIII. interrogatus a Cardinali Bellarmino respoderit, se in eo decreto non comprehendisse casum moribundi, qui in absentia Confessarii petiit confessionem) certe in casu nostro vere pœnitens est præsens confessario, & vere confessionem, quam potest facere, facit præsente illo; nam, ut diximus, quamvis ea signa sint dubia, utrum sint veri doloris, & utrum sint ordinata ad claves, tamen quia præsumi debet, ea fieri a quolibet Christiano in articulo mortis ad petendam absolutionem, cum hoc communiter contingat; ideo non prohibetur hujusmodi absolutio sub conditione a decreto Clemen. VIII.; Et opinionem hanc sustinent Homobonus, Molfes., & alii apud Dian. part. 3. tract. 3. resol. 8.: Et probabilem illam censet Tambur. in Methodo Confessionis lib. 2. cap. 11. §. 1. n. 11.: Et quia ea est probabilis saltem ab extrinseco, ideo unusquisque ex charitate tenetur illam sequi, ut consulat saluti moribundi, prout docent Leand. quæst. 47., Caram.; & alii contra Dian. part. 1. tract. 6. quæst. 20.

IX. Neque dicas primo, prohiberi in nostris scholis propositionem illam quæ dicit: *moribundus, etiamsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putet præcessisse sensibilem aliquam Confessionem, absolvi potest*: sed in casibus adductis non potest Sacerdos prudenter putare, quod illa signa sensibilia sint sensibilis aliqua confessio, cum solum hoc sit possibile, non probabile: ergo in casibus adductis non potest moribundus absolvi. Quod ex eo etiam patet, quia non potest conferri Baptismus Turcæ moribundo, qui nullum signum det, quo prudenter putari possit, quod petat baptismum, etiamsi pectus tundat, &c. ergo nec Christiano dari potest in simili casu absolutio.

Nam, ut diximus, in casibus adductis prudenter putari potest, quod Christianus ea signa det in ordine ad confessionem, eo quod communiter id contingat; unde non solum est possibile, sed etiam sæpe probabile, aut saltem dubium de eo esset prudens: Contra vero in casu Turcæ moribundi; non enim contingere communiter solet, ut Turca moriens velit baptismum: ergo quamvis pectus tundat, non potest illi baptismus conferri, ne sub conditione quidem; quia non satis est, quod petitio baptismi sit possibilis, sed debet esse probabilis, aut prudenter dubia, ut possit licite cum debita reverentia baptismus conferri: quod certe haberetur in Catechumeno moribundo.

Neque dicas secundo; Rituale Romanum, & Concilia exigunt testimonium fide dignum, quod moribundus confessionem petierit, ut possit absolvi; ergo non satis est præsumere, quod signa doloris dubia, quæ dantur a moribundo,

bundo, ordinentur ad claves, atque adeo non potest absolvi.

Nam contra est; quia vita anteacta veri Christiani, etiamsi non inculpata, est sufficiens testimonium, quod iste in articulo mortis velit confessionem. Quibus adde cum Leand. quod si in articulo mortis ministrari possunt moribundo destituto sensibus Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, quia satis est ad ea recipienda, quod per Christianam vitam, quam duxit, ostenderit implicite voluntatem recipiendi ea Sacramenta in articulo mortis; quare etiam in articulo mortis non poterit eidem dari absolutio, quam implicite eodem modo petiit per Christianam vitam; cum ex Rituali adducto possit dari absolutio moribundo, de quo constat voluisse confiteri?

Neque dicas tertio, communiter contingit, ut qui repentino aliquo casu statim destituitur sensibus, nihil cogitet de Confessione, aut de altera vita; ergo cum non possit prudenter putari in tali casu, quod præcesserit aliqua sensibilis confessio, non potest absolutio conferri, etiamsi per Christianam vitam implicite absolutionem petierit pro mortis articulo.

Nam primo falsum est, quod communiter non contingat, eos, qui in extremo vitæ agone laborant, ne per modicum quidem tempus mentis compotes esse, unde absolutionem petant iis sensibilibus signis, quæ possunt tunc dare. Secundo, in extrema necessitate Sacramentum ad salutem necessarium conferri potest cum materia dubia, deficiente materia certa; Exempli gratia, potest in articulo mortis dari pueri absolutio, quando dubitatur, an habeat usum rationis, an vere peccaverit mortaliter; ergo cum dubitari pariter prudenter possit, an in extremo vitæ, qui verus fidelis fuit, etiamsi morum pessimorum, per aliquod temporis spatium mentis compos fuerit, & confessionem petierit; quare non potest illi sub conditione conferri absolutio? Cum præsertim in hac opinione sint Homobonus, Lezana, Aversa, Molfesius, Faustus, Naldus, Baldellus, & alii plurimi apud Pelliz. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 114. qui testatur Suarium doctrinam hanc & docuisse, & in praxim deduxisse, ut videre est apud Dian. part. 9. tract. 60. resol. 20. & Leand. disp. 5. quæst. 46.

V. Quod diximus de absolutione primo conferenda, dicendum pariter de absolutione iteranda eidem moribundo. Certum enim est, non posse iterari formam absolutoriam, non iterata materia proxima, seu dolore, & confessione peccatorum. Tunc itaque potest iterari moribundo absolutio, quando prudenter dubitari potest, quod dolorem, & sensibilem confessionem iterarit.

VI. Quæritur tertio, Utrum in his casibus absolutio possit dari absolute, an dari debeat sub conditione?

Respondeo, Suar. & Bonac. velle, quod sub conditione saltem mente concepta proferatur absolutio; Vasq. vero, Dian. Lug. quod absolute. Sed videtur distinguendum: Nam si absolvitur moribundus ex opinione probabili, potest dari absolute, quia ratio probabilis satis est ad prudenter operandum: Contra vero, si absolvitur sub dubio, dari debet conditionate: sicut si absolvatur puer, de quo dubitetur, an habeat usum rationis.

ARTICULUS IX.

Quando, & quomodo repetenda sit Confessio?

I. *Confessio, sive fuerit invalida ex parte Pœnitentis, sive ex parte Confessarii, repetenda est.*

II. *Num singula mortalia distincte recolenda sint, quando repetitur confessio invalida?*

III. *Quid si confessarius excommunicatione innodatus absolverit?*

IV. *Quid si absolverit a reservatis carens facultate absolvendi ab illis?*

V. *Si dubites prudenter, quod ille semidormiens aliquod mortale audierit, teneris illud repetere.*

VI. *Si certum sit, Confessarium plures Confessiones semiordormiendo audivisse, & dubites, an sic audiverit tuam, non teneris illam repetere, si non prudenter de hoc dubites.*

VII. *Si scias, Parochum pluries sine intentione debita Baptismum contulisse, quid tibi faciendum, si dubites, an tali pacto fueris baptizatus?*

I. QUæritur primo; Quando confessio sit repetenda?

Respondeo, Confessionem mortalium repetendam, quotiescumque fuit invalida. Potest autem esse invalida tum ex parte pęnitentis, tum ex parte confessarii. Ex parte pęnitentis est invalida, si desit legitimus dolor; semper autem legitimus dolor deest, quando pęnitens in ipsa confessione peccatum grave aliquod committit, puta si sciens & volens omittat integritatem materialem, ad quam tenetur; vel si omittat peccatum, cujus non recordatur ex defectu examinis graviter culpabili; si confiteatur ob finem mortaliter malum, verb. grat. ad furandum; si graviter mentiatur circa mortalia; si sponte quæsierit confessarium indoctum, vel surdastrum, vel semidormientem, qui nesciat inter mortale, & veniale discernere; Præterea si memor excommunicationis sive majoris, sive minoris malitiose illam reticeat: Etenim quamvis existimem cum communiori sententia contra Vasq. quod excommunicatio invincibiliter ignorata non impediat absolutionem a peccatis;

catis;

catis; At si consulto reticeatur sine causa excusante, procul dubio impedit Sacramentum propter peccatum, quod committitur in reticendo.

Ex parte Confessarii est invalida confessio ex defectu vel Ordinis, vel Jurisdictionis; vel si omittat absolvere: aut non habeat intentionem absolvendi; vel si non inellexit mortalia propter somnum, vel inadvertentiam; vel quia non habet sufficientem scientiam ea discernendi: Quamvis non sit necesse de omnibus posse certo discernere, num sit mortale, an veniale, ut dicemus, cum de Scientia Confessarii.

II. Quæritur secundo; Quomodo repetenda sit confessio invalida?

Respondeo primo, si confessio fuit invalida ex defectu pœnitentis, debet hic confiteri suum sacrilegium, quando defectus fuit voluntarius, & accusare se iterum de omnibus mortalibus in ea confessione confessis in confuso, dummodo eorum confusam cognitionem retineat confessarius; Aliter debet distincte iterum ea repetere, ut communiter docent Doctores contra Granad. & Dian. part. 5. tract. 14. resol. 51. qui docent, satis esse se accusare in genere de peccatis in ea confessione confessis, esto confessarius ne confuse quidem illorum recordetur. Quod si pœnitens post multum tempus recordetur alicujus defectus in confessione commissi, debet etiam repetere confessiones intermedias, & numerum sacrilegiorum, si ex verecundia, vel culpabili ignorantia omiserit in iis confiteri sacrilegium, & peccata illius confessionis defectuosæ: Si vero bona fide fecerit confessiones intermedias, non tenetur eas repetere.

Secundo, si confessio fuit invalida ex defectu confessarii, tenetur proportionali modo confessionem repetere; non debent enim repeti confessiones validæ intermediæ bona fide factæ.

Tertio, si confessarius absolvit reservata simul, & non reservata, & deinde advertit pœnitens, illum non habuisse jurisdictionem in reservata, hæc tantum debet repetere, quia respectu non reservatorum habuit jam confessarius jurisdictionem, & directe illa valide absolvit. Nam, ut constat ex regula Juris, *Utile per inutile non vitiatur.*

III. Quarto, si confessarius sit excommunicatus, & sciat suam excommunicationem, sed ex errore publico putetur non esse excommunicatus, ejus absolutio est valida; quia est probabile suppleri defectum jurisdictionis ab Ecclesia, quando error est publicus, præsertim si adsit titulus coloratus; (verbi gratia, si putetur esse Parochus, quamvis non sit) unde confessio non est repetenda; secus vero, si ex errore privato bona fide confitearis tali confessario excommunicato.

IV. Idem dicas relate ad reservata; Nam si ex errore tantum privato bona fide confitearis confessario, quem putas habere jurisdictionem in reservata, cum revera non habeat, teneris deinde iterum confiteri reservata: Contra vero, si ex opinione probabili, aut ex errore publico cum titulo colorato putetur confessarius habere jurisdictionem in reservata, etiamsi non habeat, valide absolvit a reservatis, supplente Ecclesia defectum jurisdictionis.

V. Quinto, si confessarius semidormiens peccatum mortale non audivit, (de quo vel ex levi pœnitentia, quæ injungitur, vel ex alio capite prudenter dubitari potest) tunc teneris clarius aperire peccatum tuum, ut possit de illo aptum judicium formari; si vero prudenter dubites, quod ex multis peccatis confessis aliqua tantum non plene audierit confessarius, nescias tamen, quænam ea sint, tunc non oportet repetere totam confessionem, sed satis est confiteri illa peccata in communi, dicendo verbi gratia, Scio, vel dubito, an Confessarius aliqua peccata audierit, nescio tamen, quænam fuerint: Et deinde addendo confiteri solebam eo tempore has vel illas species peccatorum: Sicut qui scit se commisisse aliquod mortale, & non recordatur, quale fuerit, tenetur solum illud in genere confiteri.

VI. Quod si scias, confessarium plurimas confessiones excipientem aliquando obdormisse, & non prudenter dubites, quod dormierit, dum audiret tuam, non teneris illam repetere; sicut, si scires Parochum, a quo baptizatus es, aliquando in ebrietate, vel sine intentione aliquos baptizasse, cum non possis nisi valde remote, ac leviter dubitare, quod in tanta baptizatorum multitudine tu fueris unus ex illis, cui non sit valide collatus baptismus, non teneris, nec poteris iterum baptismum suscipere, cum periculum de carentia baptismi supponatur valde remotum: & in tali casu si forte non esses baptizatus, satis esset ad salutem baptismus flaminis, qui habetur per actum amoris Dei super omnia, ad quem conari tenereris.

VII. Advertit tamen de Lugo, & Tambur. quod si scires, unum ex decem, vel viginti hominibus tantum non esse baptizatum, & tu esses unus ex illis decem, & viginti, tenereris baptismum suscipere sub conditione; quia in tam parva multitudine baptizatorum dubium esset prudens. Imo cum indubitatum sit, reliqua Sacramenta invalide suscipi, non suscepto prius Baptismo fluminis, si certum esset unum ex quinquaginta, aut amplius non fuisse baptizatum, omnes illos obligarem ad iterato suscipiendum baptismum sub conditione. Sufficit enim quodvis leve dubium, non tamen levissimum ad hoc Sacramentum sub conditione iterandum, ob ingentia damna, quæ ex ejus carentia proveniunt.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Satisfactione.

DIximus, materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ constitui non solum ex dolore, & confessione, sed etiam ex satisfactione. Hanc autem, prout est in executione, esse partem integralem non videtur dubium, cum possit haberi essentialiter constitutum Sacramentum antequam satisfactio ponatur. Utrum autem satisfactio, prout est in proposito, seu propositum ponendi satisfactionem sit pars essentialis? Dissentiunt Theologi: Et videtur probabile, quod sic, quia, ut infra dicemus, qui habet animum suscipiendi Sacramentum, debet habere propositum adimplendi pœnitentiam injungendam.

Supra etiam diximus quæst. 1. art. 1. ex D. Thom. satisfactionem, sive sit in proposito, sive in executione, conferre ex opere operato non solum remissionem pœnæ, sed probabiliter etiam augmentum gratiæ habitualis: Tum quia operatur, ut pars Sacramenti, cujus proprium est conferre gratiam habitualem; tum etiam quia Sacramentum pœnitentiæ institutum est non solum per modum judicii, sed etiam per modum medicinæ; ergo satisfactio, quæ, prout est a judice, causat remissionem pœnæ temporalis, prout est a medico, debet animam ægram reficere, & sic causare aliquem gradum gratiæ, a quo anima curetur, & reficiatur: Necnon conferre jus ad auxilia aliqua in ordine ad præservandum homines a peccatis, & ad peccata emendanda: Quamvis hos effectus non habeat satisfactio, si in statu peccati mortalis ponatur, ut patet; nisi tamen sublato obice, ut putat Suar. sect. 8. Con. Fagund. aliique.

Communiter Doctores censent, non esse mortale ponere satisfactionem sacramentalem in statu peccati mortalis, tum quia dubium est, An satisfactio causet ex opere operato gratiam; tum etiam quia, quamvis sit mortale ponere obicem gratiæ primo producendæ, non videtur tamen mortale ponere obicem augmento gratiæ, ut docent Ledesm. Delacrux: Utrum autem sit saltem veniale implere pœnitentiam in statu peccati mortalis? De Lugo negat; alii affirmant. Certum tamen est, per eam satisfieri obligationi; non secus ac qui ob malum finem jejunat, satisfacit obligationi jejunii, ut bene notat Vasq. quia universim non est obligatio implendi præcepta in statu gratiæ, & satisfactio adhuc in statu peccati posita habet suum effectum principalem, qui est punire hic delicta, & reddere difficiliorem relapsum, ut docet Trident. sess. 14. cap. 8.

His explicatis, Quæremus primo nonnulla, quæ pertinent ad confessarium imponentem satisfactionem, seu pœnitentiam: Secundo, quæ pertinent ad pœnitentem in ordine ad injunctam satisfactionem: Tertio de Commutatione pœnitentiæ. Et quia satisfacere possumus pro peccatis non solum solvendo pœnitentiam a Confessario injunctam, sed etiam lucrando indulgentias, ideo de his, ac de suffragiis in calce hujus tractatus, prout per tempus licebit agemus.

ARTICULUS I.

De Pœnitentia a Confessario injungenda.

I. Quibus de causis possit Confessarius aut nullam, aut levem pœnitentiam injungere?
II. Num possit pœnitentia solum sub consilio injungi?
III. Pœnitentia gravis pro venialibus imposita sub gravine, an sub levi executioni mandanda est?
IV. Injungi pro pœnitentia possunt etiam actus interni, ac opera præcepta, necnon opus pro defunctis, aut per alium ponendum.
V. Num possit post absolutionem pœnitentia imponi?

I. QUæritur primo, An teneatur semper Confessarius pœnitentiam injungere? Respondeo, per se loquendo teneri, etsi per accidens aliquando non teneatur. Probatur, quia Trident. hæc habet sess. 14. cap. 8. *Debent primo Sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere: Ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quare ex Trident. constat debere Confessarium pœnitentiam injungere. Quod probatur secundo ratione, quia satisfactio est pars Sacramenti, ut est de fide; sed Sacerdos tenetur facere, quantum est in se, ut Sacramentum non solum substantialiter, sed etiam integre fiat, nec fit integre, si deficiat satisfactio, quæ est pars integralis: ergo tenetur ex parte sua satisfactionem imponere. Tenetur autem ad id sub gravi; quandoquidem etiam in judiciis humanis defectus pœnitentiæ est gravis

dese-

defectus, quoties scilicet punitio vel esset nulla, vel valde minor delicto. Putat tamen optime de Lugo, quod sicut si pœnitens levissimam pœnitentiam non impleret, peccaret tantum venialiter; ita Confessarius solum venialiter peccaret, si pro venialibus, vel pro mortalibus sæpe confessis levissimam pœnitentiam, quam deberet injungere, non injungeret; idque propter levitatem materiæ.

Aliquando tamen per accidens non tenetur Confessarius pœnitentiam injungere. Primo, verbi gratia, si pœnitens sit morti proximus, nec ullam possit pœnitentiam implere, nec acceptare; si enim posset saltem vel tundere pectus, vel invocare Sanctissima nomina, Jesus, Maria, hoc satis esset.

Secundo, si Confessarius ex ipsamet confessione, ex materia, & signis a pœnitente exhibitis prudenter colligat, ipsum jam satisfecisse abunde pro suis peccatis, puta si quis confiteretur peccata levissima cum contritione maxima, & post graves pœnas ab ipso in satisfactionem oblatas: In his enim casibus æquitas Judicis postulat, ut qui jam adæquate satisfecit, ad ulteriorem pœnam non obligetur: Præterquamquod cessat finis satisfactionis injungendæ. Neque dicas, quod in tali casu Sacramentum careret parte integrali. Nam hoc est falsum; quia in tali casu ipsamet confessio facta cum tali dolore continet etiam satisfactionem: Etenim ipse dolor est quædam pœna peccati voluntaria, atque adeo ipse dolor continet aliqualem satisfactionem; unde Sacramentum non careret parte sua integrali: Non nego tamen, consultius esse levissimam aliquam pœnitentiam in similibus casibus injungere.

Tertio ex Fagund. & Tamb. quando scrupulosus sæpius intra horam redit ad Confessionale cum iisdem fere culpis, ut sæpe absolvatur, potest relinqui impositio novæ pœnitentiæ, quia supponitur satis imposita in præcedentibus.

Quarto, quando Confessor prævidet fore, ut pœnitens non sit executurus pœnitentiam gravem, satius est modicam injungere, indicando illi, quanto majorem in altera, & in hac vita mereatur. Etenim olim pro quovis mortali publico in foro externo saltem septennii pœna ex usu Ecclesiæ injungebatur; & in altera mortale meretur pœnam æternam. Cum autem Sacramentum pœnitentiæ debeat esse medicina, attendenda est fragilitas pœnitentis, & illæ pœnitentiæ injungi debent, quæ deserviunt ad curationem: Cæteroqui facile accidet, ut, imposita gravi pœnitentia, pœnitens vel illam non impleat, vel confessionem deinceps fugiat, vel Confessarios quærat ineptos, qui eum curare nesciant. Quare, ut bene notat de Lugo disp. 25. sect. 5. num. 60. in dubio inclinandum est in partem benigniorem, in qua minus est periculi; & suppleatur, si commode possit, defectus pœnitentiæ usu indulgentiarum, qui vel consulatur, vel imponatur. Ex D. Thom. enim in 4. disp. 17. debet esse confessor dulcis, affabilis, suavis, prudens, discretus, pius, atque benignus.

Et Suar. advertit in hoc Sacramento spectandam esse magis salutem pœnitentis, & ejus emendationem, quam satisfactionem pro culpa: Unde ex Con. & Henr. si pœnitens dicat, se non posse exequi pœnitentiam aliquam mediocrem, sed velle exequi parvam, Confessarius potest acquiescere; quia medicus solet remissius agere cum ægro, qui non potest ferre rigorem medicaminum. Et quamvis debeat illum monere de gravitate pœnæ, quam meretur, non tamen ita ut in nimiam dejectionem, & diffidentiam incidat; prout advertit Polancus. Et ratio horum omnium est; quia nisi pœnitens curetur, actum est jam de ejus salute: Contra vero, nisi satisfaciat in hac vita, poterit in altera satisfacere, & salvari: ergo emendatio potius pœnitentis attendenda est, quam satisfactio.

Quinto, quando quis lucratus est indulgentiam plenariam, poterit dimitti sine pœnitentia satisfactoria; esto non debeat dimitti sine pœnitentia medicinali, si ea indigeat. Ita Lug. Gran. & alii contra Valent. Marchant. Aversa apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 36. Et ratio est, quia per indulgentiam plenariam adæquate satisfit debito pœnæ. Unde Bonifac. VIII. ut refert Glossa apud Tambur. nolebat injungi pœnitentiam iis, qui Jubilæum anni sancti lucrabantur. Et D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. docet, esse de consilio pœnitentiam satisfactoriam implere, quando quis plenariam indulgentiam lucratur. Imo Lug. disp. 27. sect. 2. n. 24. putat, eum, qui lucratur indulgentiam plenariam non obligari ad pœnitentiam, etiamsi detur in medicinam, quia medicus non præcipit, sed suadet remedium, & solus judex præcipit pœnam. Quare si non tenetur pœnitens ratione indulgentiæ ad pęnam, quæ præcipitur, nec tenebitur ad medicinam, quæ solum suadetur; nisi forte aliquando ad illam obligetur jure naturali, ne facile relabatur. Equidem tamen censeo, pœnitentem ad implendam pœnam medicinalem omnino teneri; quia in hoc Sacramento Medicus ex potestate clavium pœnam medicinalem non suadet tantum, sed etiam præcipit, ut executioni mandetur.

II. Quæritur secundo; Num pœnitentia injungenda sit sub præcepto; an possit etiam sub consilio?

Respondeo cum Lug. Vasq. Con. & aliis contra nonnullos cum Fagund. debere universim

injungi

injungi per modum præcepti: Quamvis probabile etiam sit, posse aliquando saltem partem aliquam Pœnitentiæ injungi per modum consilii, dicendo, si vis relaxionem pęnæ ex opere operato, facias hoc, aut illud: Et probabile etiam est ex Suar., Medin., Tambur., Dian. part. 4. tract. 4. resol. 82., contra Vasq., posse aliquando pęnitentiam gravem pro peccatis gravibus imponi, obligando pęnitentem ad illam sub veniali.

III. Præterea juxta multos Auctores a Tambur. laudatos probabile est, ad pęnitentiam gravem impositam pro venialibus, vel pro mortalibus alias rite confessis de facto obligari pęnitentem tantum sub levi: sed probabilius est ex Suar., & Laym. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 136. pęnitentiam gravem universim imponi; & debere imponi sub obligatione gravi; non quidem quia cæteroqui deficeret Sacramenti pars integralis; (nam sic ne levis quidem pęnitentia omitti posset sine culpa gravi, quod nemo dixerit) sed ratio est, tum quia confessarius imponit pęnam ut judex: Sic autem semper pęnam imponit obligando, & coarctando reum: Tum etiam quia Confessarius imponit pęnam, ut puniat peccata; qui autem suadet, & non præcipit, non punit ipse, sed hortatur alium, ut ipse se puniat; Unde Trident. dicit, pęnitentiam imponi ex potestate clavium, quæ non solum est potestas solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi; atque adeo obligari debet pęnitens ad pęnitentiam.

Ex dictis infertur, quamvis ex auctoritate D. Thom. probabile sit per illa verba, quæ profert Confessarius, *Quicquid boni feceris, & mali patienter sustinueris*, elevari posse ad satisfaciendum ex opere operato omnia opera bona, & mala pęnæ tolerata a pęnitente, non excusari tamen Confessarium ab imponendis gravibus pęnitentiis pro gravibus culpis; quod bene advertit Lug. disp. 25. sect. 4.; tum quia frustra tam gravibus verbis locutum esset Trident. de impositione pęnitentiæ, si vi illorum verborum, quæ in omni fere confessione apponuntur, cessaret ea obligatio; tum etiam quia probabilius est, quod virtute clavium non eleventur opera pęnitentis ad satisfaciendum pro peccatis per illa verba deprecatoria, cum ad nihil obligent pęnitentem; Nam virtus clavium tunc elevat, cum ligat; ergo si illa verba ad nihil obligant, nec elevant.

IV. Quæritur tertio; Quænam opera pro pęnitentia injungi possint?

Respondeo, quodcumque opus bonum; quia quodcumque est de se satisfactorium.

Primo itaque imponi potest opus internum, ut docent Con., & Hurt. contra Mærat., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 24.; sufficit enim, ut opus internum fiat sensibile per externam impositionem, & acceptationem, ut possit esse pars Sacramenti sensibilis.

Secundo, opera alias præcepta; ut audire sacrum die festo, jejunare in Quadragesima, vel aliud opus præstare, ad quod ex voto, verbi gratia, pęnitens tenetur; ut communiter docent Doctores cum Suar., Laym., Vasq. contra Nugn., qui putat id esse mortale, si confessio sit de mortalibus. Ratio doctrinæ est, quia cum per hujusmodi opera satisfaciamus ex opere operantis, nulla est ratio, cur virtute clavium non possint elevari ad satisfaciendum ex opere operato. Imo cum doceat Trident. sess. 14. cap. 9. mala, quæ patimur necessario, ut paupertatem, ægritudines, &c., posse esse satisfactoria ex opere operantis, si voluntarie a Deo suscipiantur, & patienter tolerentur; hinc sequitur, posse spontaneam tolerantiam hujusmodi pęnarum injungi pro pęnitentia; Ita ut non solum satisfaciamus per actus internos, quibus patienter hujusmodi mala toleramus, sed etiam, (ut docent Suar., Lug. ex D. Th. in 4. quæst. 1. art. 4.) per illa flagella extrinsecus inflicta; cum hoc ex Trident. sit maximum divini amoris erga nos argumentum. Unde fit, ut quamvis decursu temporis pęnitens non toleret cum patientia hujusmodi flagella, (ut ægrotus, aut qui in triremibus versatur) adhuc satisfaciat per illam acceptationem hujusmodi flagellorum, quam habuit acceptando sponte pęnitentiam injunctam.

Advertendum tamen, convenientius esse, ut opera cæteroqui indebita pro pęnitentia imponantur; quia quod non habet novum gravamen, non videtur habere rationem punitionis; Imo ex Suar. disp. 38. sect. 6., quoties confessarius opus aliquod injungit, censetur, nisi aliter se explicet, injungere opus cæteroqui indebitum. Unde si quis crastina tenetur ex voto jejunare, & habuit pro pęnitentia jejunium, non satisfacit applicando jejunium crastinum. Quod si imponatur jejunium singulis sabbatis unius anni, quamvis sabbatis, verbi gratia, quatuor temporum, & quadragesimæ teneatur jejunare, in tali casu hæc, & non alia jejunia debent poni pro pęnitentia; & si ea omittantur, peccabitur ex duplici titulo in confessione aperiendo, ut notat Lug. disp. 25. num. 67.

Tertio, ex Lug., Dian. part. 3. tract. 4. resol. 54. contra Vegam, & Sanc. disp. 27. potest injungi opus pro defunctis applicandum, tam secundum impetrationem, quam secundum satisfactionem: Tum quia ipsa voluntas applicandi opus pro defunctis est satisfactiva pro pęnitente: Tum etiam quia etiamsi applicetur pro defunctis ipsa voluntas applicandi illis opus injunctum, quatenus ex opere operantis est satisfactiva, adhuc tamen remanere potest pro ipso pœnitente

tente satisfactio operum injunctorum, inquantum per Sacramentum elevatur ad satisfaciendum ex opere operato, ut docet Lug. disp.25. num. 62.

Quarto, potest imponi pro pœnitentia opus bonum per alium ponendum; v. g., ut curet poni jejunium, vel eleemosynam, vel celebrari Missam ab alio, &c.; tum quia ipsa procuratio talis operis quædam satisfactio est; tum etiam quia, ut docet Suar. disp. 8. sect. 1. contra Vasq. ipsa satisfactio per alium facta elevari potest virtute clavium, ut ex opere operato prosit pœnitenti, qui illam procurat.

Denique non debet imponi penitentia publica, ex qua suboriri possit dubitatio prudens, quod pro gravibus peccatis occultis penitenti sit imposita; quia hoc esset revelare confessionem: Potest tamen pro peccatis publicis imponi penitentia publica; præsertim ex consensu penitentis. Imo debet aliquando penitens talem penitentiam acceptare ad tollendum scandalum, quod dedit; nisi ex rationabili causa excusandus videretur.

Adverto hic, eas debere imponi penitentias, quæ potius juvent ad præservandum a peccatis futuris, quam ad satisfaciendum pro præteritis; Quamvis a Confessario, Medico simul, & Judice utrumque spectandum sit, ex Trident. sess. 14. cap. 8.; unde satius est injungere aliquas mitiores post aliquod temporis intervallum continuandas, quam asperiores statim exequendas.

V. Quæritur demum; Possitne penitentia post absolutionem injungi?

Respondeo, posse, quoties non est probabile periculum, quod eam pœnitens non sit acceptaturus, ut docet Dian. part. 5. tract. 13. resol. 36.; Consuetudo enim imponendi illam ante absolutionem non videtur obligatoria.

ARTICULUS II.

De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.

I. *Num possit pœnitens recusare pœnitentiam, ut illam in Purgatorio luat?*

II. *Quandiu possit pœnitens impositam pœnitentiam differre?*

III. *Poteritne pœnitentia executioni mandari, dum aliud præceptum impletur?*

IV. *An etiam sub mortali teneatur pœnitens exequi circumstantias pœnitentiæ impositas?*

V. *Num a substantia pœnitentiæ impositæ deobligetur pœnitens, quando est impotens ad circumstantias?*

VI. *Ad quid tenetur pœnitens, si pœnitentiæ obliviscatur?*

VII. *Num possit aliquando pœnitens per alium implere pœnitentiam impositam.*

I. QUæritur primo. Utrum penitens teneatur penitentiam acceptare, & implere, an possit velle in Purgatorio satisfacere?

Respondeo cum communi Doctorum teneri; tum quia tenetur Sacramentum ex parte sua pœnitens perficere, atque adeo satisfactionem ponere, quæ est pars Sacramenti; tum etiam quia cum possit, & debeat ex Trident. Sacerdos ligare, seu pœnitentiam sub obligationem injungere, consequenter tenetur pœnitens illam acceptare, & implere; Dummodo ea non sit irrationabilis, ut esset ingressus in religionem, vel penitentia publica, quæ nimis dura censeatur; vel longa peregrinatio infirmo, vel gravis eleemosyna facienda a paupere. Victoria, & Vasq. apud Tambur. docent, esse de fide post Trident., quod Sacerdos ad aliquam penitentiam penitentem possit obligare; & Suar. putat oppositam sententiam esse temerariam. Aliqui tamen post Trident. oppositam sententiam putant probabilem, quia non est verisimile, quod Trident. voluerit damnare opinionem, quam sequebantur gravissimi auctores, Scot., Medin., Armil., Gabriel, & alii apud Tambur. Imo Cajet. laudatus a Lug. disp. 25. num. 68. putat, non solum non esse obligationem sub mortali acceptandi penitentiam, sed nec implendi acceptatam; quia potest penitens esse paratus satisfacere in Purgatorio pro peccatis. Quicquid itaque sit de hac sententia, quæ communiter rejicitur, certum est, quod si nolens acceptare penitentiam, etiam levem, daret signum non veri doloris, non esset absolvendus; Secus non esset sine absolutione dimittendus: Præsertim si possit illi imponi lucratio alicujus indulgentiæ. Penitens autem licet possit pro libito alium adire, quando penitentia est irrationabilis, non tamen quando est intra limites prudentiæ, & Christianæ charitatis; quia est contra reverentiam Sacramento debitam illud sine rationabili causa relinquere inchoatum. Ita communiter Doctores cum Suar. disp. 38. sect. 72. Qui etiam docent, obligationem implendi penitentiam de se esse gravem; nisi vel parvitas materiæ excuset, ut si quis omittat unum Miserere, vel penitentia, licet gravis, injungatur vel pro solis venialibus, vel pro mortalibus alias confessis. Nam etiam in hoc casu probabile est, esse tantum veniale penitentiam non exequi; quamvis probabilius sit esse mortale ratione materiæ gravis ad Sacramentum spectantis.

II. Quæritur secundo; quandonam teneatur penitens exequi penitentiam impositam?

Respondeo: Si designetur a Confessario tempus, debet eo tempore impleri; quandoquidem potest tum substantia, tum circumstantia operis cadere sub præceptum. Excusatur tamen communiter penitens a mortali, si ultra tempus designatum differat illam; quia communiter præceptum Confessarii cadit potius in rem exhibendam, quam in tempus; & proinde potest

ali-

aliquando ex rationabili causa licite differri: Quacumque tamen de causa differatur; debet postea impleri. Quicquid in contrarium doceat Amicus, quia præceptum per se cadit in substantiam operis, ut diximus; in tempus vero, tanquam in circumstantiam accidentalem; & terminus designatus a Judice non est terminus finiendi obligationem, sed terminus, ultra quem non debeat differri executio.

Quod si nullum determinatum sit a Confessario tempus ad pœnitentiam exequendam, Dian. part. 1. tract. 15. resol. 53. & Fernand. putant, differri posse ad annum, sicut obligationi confitendi satisfieri potest post annum. Hæc tamen opinio jure merito videtur Tambur. nimis laxa; etenim qui vovit, se ingressurum in aliquam religionem, juxta communem Doctorum mentem, ita debet statim moraliter implere votum, ut non possit universim differre ingressum ultra sex menses; quomodo ergo in adimplenda pęnitentia poterit permitti dilatio unius anni? Quare probabilius dicendum cum Lug. disp. 29. n. 92. per se loquendo debere impleri, quamprimum commode moraliter potest, sicut obligat votum: Unde tamdiu differri potest pœnitentia, quamdiu impletio voti facti sine temporis designatione: In materia autem de voto docent communiter, probabile esse non censeri mortale dilationem, quoties dilatio non est nimia, & per dilationem non minuitur res promissa; (ut minueretur tardus ingressus in religionem) & ideo in casu nostro non fert mortale dilatio pœnitentiæ, quoties dilatio non est nimia, nec minuit rem injunctam; Sicut illam minueret, si pęnitentia esset medicinalis, vel si immineret periculum oblivionis, aut impotentiæ illam implendi.

III. An autem possit pœnitens eo tempore pęnitentiam implere, quo exequitur aliud opus de præcepto? Verbi gratia, an possit recitare rosarium injunctum, quando die festo audit Missam? Docent communiter posse, quando pęnitentia, & opus præceptum non se invicem excludunt; ut non se excludunt auditio missæ, & recitatio coronæ.

IV. Quæritur tertio; An ad circumstantias pęnitentiæ impositæ teneamur sub mortali? Verbi gratia, ad recitandam coronam ante talem imaginem, vel flexis genibus &c.?

Respondeo cum Lug. distinguendo; sicut cum Sanch. lib. 4. in Decalogum cap. 1. distingui solet in materia de voto: Vel enim res promissa, & injuncta est gravis, & circumstantia est levis; ut in casu adducto recitare coronam ante talem imaginem; & ad talem circumstantiam tenetur pęnitens sub veniali: Vel circumstantia etiam est gravis, ut aliquibus videtur coronam recitare flexis genibus; & ad illam obligatur sub mortali.

V. Hinc infertur, quid dicendum ad hoc aliud quæsitum; An liberetur pęnitens ab obligatione implendi pęnitentiam, quando impotens est ponere circumstantiam impositam; Verbi gratia, liberaturne ab obligatione recitandi coronam, si non potest illam recitare flexis genibus, prout est impositum? Responsio desumenda est ex paritate voti, & ultimate ex intentione confessarii pęnitentiam imponentis, ut docet Lugo disp. 25. num. 94. Si enim ex conjecturis habetur, Confessarium voluisse obligare ad substantiam operis, etiamsi non possit impleri circumstantia, tunc debes ponere substantiam, quam potes; secus vero non item.

VI. Quæritur quarto; si Pęnitens pęnitentiæ obliviscatur, ad quid tenetur?

Respondeo ex Tambur. & Lug. teneri duntaxat memorem confessarium consulere, si commode potest, & pęnitentia sit gravis; secus ad nihil tenetur; quia ex Vasq. nullum præceptum, dum ignoratur, obligat. Idque verum est, etiamsi culpabiliter oblitus sit pęnitentiæ; non enim tenetur iterum eadem peccata confiteri, ut aliam pęnitentiam accipiat, (ut quidam voluerunt) quamvis teneatur oblivionem culpabilem confiteri, si culpabiliter sit oblitus.

VII. Quæritur quinto; An possit pęnitens pęnitentiam injunctam per alium implere?

Respondeo, duplicem posse esse sensum quæsiti: Primo, an pęnitens possit pro suo libito pęnitentiam sibi injunctam per alium implere; & id certe non licet, ut constat ex propositione 15. damnata ab Alexand. VII. quæ habet: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*. Et ratio est, quia si pęnitenti impositum est, ut ipse jejunet, oret, eleemosynam eroget, tenetur ipse hoc præstare: Adverte tamen, ipsum censeri eleemosynam facere, etiamsi per servum faciat; secus vero si roget alium, ut ille faciat eleemosynam de suo. Secundus sensus potest esse; An id fieri posset de consensu confessarii? Et respondeo cum Suar. ex dictis affirmative: Potest enim, verbi gratia, consentire confessarius, ut pęnitens satisfaciat per jejunium, quod ab alio procuret. Et ratio est, quia præceptum hoc pendet a voluntate Confessarii, adeoque satisfit præcepto, quoties juxta voluntatem confessarii impletur: Unde fit, posse confessarium adjuvare pęnitentem in satisfaciendo, & offerre in satisfactionem propria jejunia.

Neque dicas, talem pęnitentiam per alium impletam non posse esse partem Sacramenti, & sic non esse satisfactionem Sacramentalem. Respondet enim Suar. disp. 38. sect. 9. esse aliqualiter partem Sacramenti, quatenus aliqualiter est pęnitentis; sicut enim potest quis per interpretem confiteri Sacramentaliter; ita potest Sacramen-

cramentaliter satisfacere per alium. Ex quo infertur, quod non solum ipsa procuratio jejunii alieni, sed etiam jeunium alienum probabiliter elevetur in tali casu ad præstandos suos effectus ex opere operato, ut docet Suar. contra Vasq. Monet tamen eximius Doctor, hunc modum imponendi pœnitentiam non esse in Ecclesia usitatum, nec debere sine rationabili causa a Confessario adhiberi.

ARTICULUS III.

De Commutatione Pœnitentiæ.

I. Num liceat pœnitenti impositam pœnitentiam in graviorem commutare?

II. Utrum deobligetur a pœnitentia imposita, qui plenariam indulgentiam lucratur?

III. Num possit secundus confessarius non auditis peccatis pœnitentis commutare in lucrationem indulgentiæ plenariæ pœnitentiam a primo confessario impositam?

IV. Poterit aliquando solum ratione Epichejæ pœnitens sibimet pœnitentiam commutare.

V. Idem confessarius, qui pœnitentiam imposuit, potest illum extra confessionem commutare. Alter vero confessarius nonnisi intra Confessionem: Et probabiliter cum sola confusa notitia peccatorum, pro quibus ea fuit imposita.

VI. Non solum confessor æqualis, sed etiam inferior commutare potest pœnitentiam, a superiore impositam pro reservatis.

VII. Non potest tamen simplex Sacerdos commutare pęnitentiam a confessario impositam pro mortalibus.

I. QUæritur primo; An possit ipse sibi Penitens pœnitentiam commutare in graviorem?

Respondeo negative cum communi contra Villalob. & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 53. qui putant, cessare obligationem pœnitentiæ, quoties vel per indulgentiam plenariam, vel alia via per operationes satisfactorias adæquate satisfit pro culpis confessis. Et Dian. part. 1. tract. 15. resol. 53. ex Portel. docet, probabile esse, posse pœnitentem auctoritate propria commutare sibi pœnitentiam in quodcumque aliud opus evidenter melius; sicut potest vovens sibimet sic votum commutare. Admitto equidem cum communi, cessare obligationem pęnitentiæ, quæ non sit pure medicinalis, quoties quis indulgentiam plenariam lucratur; quia cessat finis pœnitentiæ impositæ, ut fuse ostendit Lug. disp. 27. num. 32. advertens tamen in praxi non facile hanc sententiam admittendam; tum quia facile indulgentias plenarias ex variis causis non lucramur; tum pariter, quia fere semper pœnitentiæ, quæ solent imponi, sunt etiam medicinales; tum demum, ne desit meritum, quod magnum quidem est in executione pœnitentiæ, quæ virtute clavium elevatur ex opere operato ad gratiam producendam, ut supra diximus. Censeo nihilominus, non cessare obligationem pœnitentiæ per quodcumque aliud opus præstantius, quod ponatur a pœnitente; quia cum de nullo alio opere certum sit, quod omnino satisfaciat pro culpis commissis, sicut est certum de indulgentia plenaria; idcirco semper habetur obligatio obediendi præcepto confessarii. Quandoquidem illa solum operatio meritoria, quæ a confessario imponitur, elevatur virtute clavium ad satisfaciendum pro culpis ex opere operato.

Ratio ulterior doctrinæ est; quia universim subditus non potest commutare opus impositum in aliud præstantius: Verbi gratia, auditio missæ imposita die festo, & abstinentia a carnibus die veneris non potest a nobis commutari in quodcumque aliud opus præstantissimum. Nec sufficit ratihabitio superioris, ad quam Villalob. confugit; ergo cum pœnitens respectu confessarii se habeat ut subditus, non potest auctoritate propria pœnitentiam in quodcumque aliud opus commutare: Præsertim quia opus a pœnitente subrogatum non haberet rationem satisfactionis Sacramentalis.

II. Hoc autem non militat relate ad indulgentiam plenariam, ratione cujus potest deobligari pœnitens a pœnitentia satisfactoria, non tamen a medicinali, ut ostendimus in Opusc. de Jubilæo. Ratio est, tum quia confessarius intantum potest præcipere pœnitentiam, inquantum illa est necessaria ad satisfactionem; ergo cum per indulgentiam plenariam abunde satisfiat, cessat obligatio talis præcepti; ut proinde D. Th. dicat, pęnitentiam in eo qui indulgentiam lucratur, esse materiam de consilio: Tum etiam quia qui loco pęnitentiæ vult indulgentiam lucrari, non ipse sibi pęnitentiam commutat, sed Pontifex, qui concedendo indulgentiam tribuit facultatem extinguendi debitum pęnæ, quod erat fundamentum talis obligationis.

III. Et hinc sequitur, quod si potest pęnitens, a fortiori poterit alius confessarius etiam extra confessionem sic commutare pęnitentiam, seu potius ostendere pęnitenti modum, quo possit se eximere ab obligatione pęnitentiæ, quam nimis duram putat; & consequenter eximitur ille ab obligatione repetendi eadem peccata, ut in nova confessione nova pęnitentia sibi imponatur. Quod tamen solum est verum de pęnitentia satisfactoria, non de præservativa; & quia pęnitentiæ, quæ nunc solent imponi, ut notat Suar. sunt adeo leves, ut vix sufficiant ad præservationem, & curationem, idcirco perraro ad praxim isthæc doctrina deservit.

Oppo-

Oppones; Poteſt vovens commutare ſibi opus promiſſum in aliud æquale, aut melius; ergo etiam pœnitens poteſt ſibi pœnitentiam commutare ſaltem in opus præſtantius.

Reſpondeo cum Suar., nego conſequentiam, admiſſo antecedente. Diſparitas eſt primo, quia votum in ſua origine pendet a voluntate voventis; præceptum vero pœnitentiæ a voluntate confeſſarii; ergo illud poteſt a voluntate voventis commutari, hoc vero a voluntate confeſſarii. Secundo, quia materia ſubrogata voto adhuc pertinet ad religionem: Contra vero pœnitentia ſubrogata non pertinet ad obedientiam debitam confeſſario, nec ad ſatisfactionem Sacramentalem. Tertio, quia votum eſt promiſſio facta Deo de opere ipſi grato, atque adeo includit hanc conditionem, niſi exhibuero aliquid Deo gratius. Etenim, ut Juriſtæ docent, *Non infringit promiſſum, qui illud commutat in melius*, ex cap. *Pervenit de Juramento*. At res præcepta hanc tacitam conditionem non includit.

IV. Adverte tamen, poſſe aliquando pœnitentem benigne interpretari mentem confeſſarii: Verbi gratia, ſi debeat in pervigilio alicujus Sancti jejunare, nec poſſit ſine gravi detrimento, aut incommodo, tunc poterit vel jejunium differre, vel in aliud opus commutare, non quidem vi licentiæ præſumptæ, aut ratione ratihabitionis de futuro, quatenus ſi id peteretur a confeſſario, certe concederetur; cum in actibus judicialibus non ſufficiat ratihabitio de futuro, ſeu licentia conditionata, & præſumpta, ut dicemus cum de Juriſdictione Confeſſarii; ſed ratione Epichejæ, quatenus in rebus arduis benigne poſſumus aliquando voluntatem legislatoris interpretari; quod ſcilicet nolit pro tali circumſtantia rigide obligare: Quamvis in tali caſu opus ſubrogatum non elevetur ad operandum effectum ullum ex opere operato; non enim eſt pars materialis Sacramenti, cum non ſit ſatisfactio a confeſſario impoſita.

V. Quæritur ſecundo; An poſſit idem, vel alius confeſſarius pœnitentiam impoſitam commutare? Quod ſi poſſit, num intra, an extra confeſſionem? auditiſne iterum peccatis, propter quæ fuit impoſita pœnitentia, an non auditis?

Dico primo, poteſt idem confeſſarius, qui pœnitentiam impoſuit, illam commutare, etiam extra confeſſionem. Ita commmuniter Doctores. Et ratio eſt, quia ſicut poteſt illam injungere poſt abſolutionem, ut ſupra diximus; ita etiam extra confeſſionem poteſt illam commutare. Non tamen ſine cauſa, & pro libito, nec ſine conſenſu pœnitentis, ut notat Valerus; quia ſententia ſemel legitime prolata, & acceptata, tranſit in rem judicatam, quaſi per modum contractus, ut docet Lug. diſp. 25. num. 113.

Dubium eſt, intra quod tempus commutari poſſit poſt confeſſionem? Et licet varii varia: equidem cenſeo cum Sot., Suar., Lug., Tambur., etiam poſt longum tempus commutari poſſe. Sicut enim ſatisfactio, etiam poſt longum tempus poſita, integrat Sacramentum, ita pariter impoſitio, vel commutatio pęnitentiæ poteſt ad idem Sacramentum integrandum pertinere, etiamſi poſt longum tempus habeatur: Vaſq. tamen jure merito ad commutationem pœnitentiæ requirit, ut Sacerdos recordetur peccatorum confeſſorum, vel ſtatus pęnitentis: Lugo vero diſp. 25. n. 112. requirit, ut ſaltem habeat confuſam memoriam peccatorum, pro quibus fuit impoſita pęnitentia; quia hic actus eſt juriſdictionis, & judicii; & conſequenter procedere debet ex notitia cauſæ. Aliquando tamen ipſa pęnitentia commutanda dat ſufficientem notitiam cauſæ, pro qua fuit impoſita, unde poſſit commutare; & ideo quando pęnitens oblitus pęnitentiæ vult aliam ſibi imponi: quamvis probabiliter, ut diximus, ad nihil teneatur, poteſt tamen ab eodem confeſſario vere commutari pœnitentia oblita in aliam; eſto confuſam tantum habeat memoriam peccatorum: Quod ſi nullatenus peccatorum, & pœnitentiæ impoſitæ Confeſſor recordetur, adhuc poteſt illum vel ſine pęnitentia ulla dimittere, cum ad nihil teneatur; vel poteſt aliam levem injungere ad quietem pęnitentis.

Dico ſecundo; alius confeſſarius æqualis, ſi audiat eandem confeſſionem, poteſt intra forum Sacramentale pęnitentiam mutare, vel minuere. Ita communiter cum Suar. diſp. 18. ſect. 10. Ratio eſt, quia duo confeſſores æquales in hoc Sacramento ſe habent ut duo Judices, atque adeo poteſt pęnitens adire ſecundum confeſſarium, non per modum appellationis, ut opponunt adverſarii, ſed per modum novi judicii formandi: Unde ſicut poteſt ſupra eadem peccata iterum confeſſa repeti abſolutio, ita poteſt iterum proferri ſententia, & pęna alia iterum infligi, non ad derogandum priori judicio, ſed ad conſulendum pęnitenti, in cujus favorem talis repetitio conceditur.

Neque dicas, prius Sacramentum remanere mutilum, ſi pęnitentia tunc impoſita non mandetur amplius executioni.

Nam, ut bene de Lugo, nihil detrahitur priori judicio, quando ponitur executio ſententiæ per commutationem ſententiæ factæ in eodem Tribunali: ſicut non derogatur promiſſioni factæ Deo per commutationem voti. Et quamvis in judicio forenſi fiat injuria primo Judici, ſi adeatur ſecundus Judex æqualis pro iteranda ſententia, & commutanda pęna; hoc tamen non accidit in judicio Sacramentali, ut notat de Lug., quia judicium Sacramentale totaliter

liter ordinatur in bonum. Advertendum tamen cum eodem Lug. quod debeat confessarius habere intentionem commutandi priorem pœnitentiam, aliter utraque deberet poni, ut utrumque Sacramentum perficiatur.

Ex dictis sequitur, quod non possit secundus confessarius pęnitentiam commutare extra confessionem; quia commutatio penitentiæ est actus jurisdictionis, & nova penitentia, quæ imponitur, est Sacramentalis; ergo in confessione Sacramentali fieri debet commutatio a secundo confessario: Contra vero ab eodem confessario potest fieri tum commutatio, tum etiam diminutio pęnitentiæ extra confessionem; sicut etiam post absolutionem, ut diximus, potest penitentia imponi; quia totum hoc pertinet ad judicium jam inchoatum in confessione præterita. Vota etiam possunt a quolibet habente potestatem ea commutandi extra confessionem commutari. Immo etiamsi nulla præcesserit confessio: Sicut etiam extra confessionem conferri potest absolutio a censuris, quia licet hujusmodi sint actus judicii, non tamen Sacramentalis.

Dubium est, an possit etiam secundus confessarius æqualis commutare pęnitentiam intra confessionem, non auditis tamen prioribus peccatis, pro quibus illa pęnitentia fuit imposita.

1. Negant posse Suar. Con. Fagund. & Vasq. addit, oppositam sententiam nihil habere probabilitatis. Probabilem tamen esse censet Lugo, & Tamb. ex Nav. Tolet. Sa, Rodriq. aliisque, quos citat, & sequitur Dian. part. 1. tract. 15. resol. 53. tum quia ea est praxis confessariorum, tum quia gravissimum est onus repetere confessiones pro commutatione Pęnitentiæ, quæ non facile poni potest; tum demum quia intantum non posset commutari penitentia, non auditis peccatis, pro quibus fuit imposita, inquantum ferri non potest actus judicialis, incognita causa; Atqui sufficienter ad commutationem pęnitentiæ habetur cognitio confusa peccatorum, quæ colligitur tum ab ipsa penitentia, tum a statu præsenti penitentis; (sicut passim quando pęnitentia injungitur, nonnisi confusa cognitio peccatorum habetur a Confessario, quamvis penitens illa distincte recensuerit, ut notat Lug. disp. 25. num. 109.) ergo potest a secundo Confessario commutari pęnitentia, non auditis prioribus peccatis, pro quibus est imposita. Præterquamquod confessarius, cum sit Judex, & Medicus pęnitentis, potest de tota simul causa judicare, dum judicat hic & nunc expedire penitenti priorem pęnitentiam, quia difficulter illam explebit. Et ad facilitandum usum tanti Sacramenti advertit Tambur. justam esse causam commutandi pęnitentiam, non solum si dicat penitens vel non posse, vel cum difficultate posse illam exequi, sed etiam si videat, pęnitentem illam non implevisse. Et quod dicitur de pęnitentia vindicativa, dicitur etiam de medicinali, dummodo medicinalis etiam in medicinalem commutetur, prout hic & nunc expedire videbitur.

VI. Dico tertio; non solum secundus Confessarius æqualis potest pęnitentiam ab æquali confessario impositam intra confessionem commutare; sed etiam Confessarius inferior commutare potest pęnitentiam impositam pro reservatis a Confessario superiore. Ita Vasq. quæst. 9. art. 2. dub. 3. Fagund. Valent. & alii contra Suar. Filliuc. Lug. Et ratio est, quia reservatio casuum solum efficit, ut non possit peccata ab inferiori absolvi; quando autem sunt absoluta, pęnitentia pro illis imposita non est amplius reservata, ita ut non possit ab inferiore ex justa causa commutari. Quod patet paritate voti reservati: Si enim hoc commutetur ab habente potestatem in aliud opus non reservatum, hoc non evadit reservatum; Verbi gratia, si votum castitatis a Pontifice commutetur in jejunia, hæc deinde poterunt ab Episcopo commutari in aliud opus, quamvis non possit Episcopus votum castitatis commutare.

Confirmatur primo, quia peccata reservata semel absoluta a superiore poterunt iterum ab inferiore absolvi sacramentaliter; ergo etiam potest pęnitentia pro illis a superiore imposita commutari ab inferiore in eodem foro Sacramentali.

Confirmatur secundo, quia in dubio, an peccatum aliquod sit reservatum, non censetur reservatum, eo quod stat in possessione libertas, seu potestas absolvendi; & universim in dubio melior est conditio possidentis; ergo pariter, si dubitatur, an pęnitentia imposita pro reservatis sit & ipsa reservata, censendum non esse reservatam, sed posse etiam ab inferiore commutari; quia pariformiter stat in possessione libertas, seu potestas in quolibet confessario commutandi pęnitentias, donec constet de earumdem reservatione.

Neque dicas primo; Inferior non potest præceptum, & sententiam superioris commutare; ergo neque poterit commutare pęnitentiam ab eo præceptam.

Nam (ut respondet Vasq. loc. cit. num. 10.) Superiores non reservant peccata, quasi eorum potestas sit superior in absolvendo a peccatis, & in imponenda pęnitentia, sed quia limitant materiam subjectam aliis Sacerdotibus; unde ea limitatione sublata per absolutionem Superioris, inferior non proprie mutat sententiam superioris, sed commutat ex justa causa in foro Sacramentali sententiam latam ab habente æqualem potestatem. Quare concesso antecedente, nego consequentiam; cum in tali casu superior non veniat inquantum superior.

Neque

Neque dicas secundo. Finis reservationis, ut docent Trident. sess. 14. cap. 7. est, ut malorum criminum judicium, & medela reservetur superiori, & prudentiori ad populi disciplinam, quod fit per pęnitentias a Superiore impositas; Atqui si posset Confessarius inferior commutare pęnitentiam superioris, cessaret finis reservationis; ergo non potest inferior illam commutare.

Nam respondeo, finem reservationis esse, ut peccatores a gravioribus criminibus arceantur, dum sciunt, ea esse summis Sacerdotibus reservata, & ut pro iis graviora, & salubriora monita accipiant; quod spectat ad populi disciplinam: Non est autem finis reservationis, ut pęnitentia a Superiore imposita sit immutabilis.

VII. Neque dicas tertio, quod si posset Inferior commutare pęnitentiam a superiore impositam pro reservatis, posset etiam simplex Sacerdos commutare pęnitentiam impositam à Confessario pro mortalibus; cum ita se habeant mortalia absoluta a Confessario relate ad simplicem Sacerdotem, sicut se habent reservata absoluta a superiore relate ad confessarium inferiorem, qui non habet potestatem in reservata.

Nam, quamvis sequelam admittat Jo: Sancius cum Dian. part. 3. tract. 4. resol. 53. equidem cum Suar. illam nego. Et disparitas est, quia cum universim in dubio melior sit conditio possidentis, in dubio an pęnitentia imposita pro reservatis sit & ipsa reservata, dicendum, non esse reservatam, atque adeo posse ab Inferiore commutari, quia stat in possessione libertas, seu potestas commutandi in Inferiore, & dubitatur an per reservationem ea sit limitata: Contra vero in dubio an soli confessario competat potestas commutandi pęnitentiam impositam pro mortalibus, nequit simplex Sacerdos eam commutare; quia non stat in possessione potestas eam commutandi, ita ut dubitetur, an ea sit limitata per reservationem, sed est in possessione præceptum, ne simplex Sacerdos ingerat se relate ad mortalia non alias confessa, atque adeo nec relate ad pęnitentiam pro iisdem impositam.

QUÆSTIO VII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est Absolutio.

PRæcipua pars hujus Sacramenti est forma, ex Trident. sess. 14. cap. 3. utpote quæ determinationem, ac perfectionem reliquis tribuit. De ea autem primo inquirendum, Quænam sit? Deinde, quandonam absolutio dari possit sub conditione, aut differri? Tertio, expediemus reliqua ad absolutionem pertinentia.

ARTICULUS I.

Quænam sit forma absolutionis?

I. *Invalida est absolutio, nisi forma absolutoria ore proferatur.*

II. *Omnia Sacramenta voce humana conferri debent, circumscripto Matrimonio, quod sequitur naturam contractus.*

III. *Quænam verba essentialiter ad absolutionem spectent?*

IV. *Forma absolutoria non potest esse mutila; potest tamen esse æquivoca, & a circumstantiis ad sensum debitum determinari.*

V. *Nequit forma in hoc Sacramento deprecatorio modo conferri, ut in Extrema Unctione: valide tamen, sed illicite conferretur absolutio per hæc verba, Absolvatur Servus Christi.*

VI. *Quinam sit germanus sensus formæ absolutoriæ?*

VII. *Num gratia conferatur post illa verba, Absolvo te, an vero post illa alia, A peccatis tuis?*

I. QUæritur primo, An forma absolutoria debeat humana voce proferri?

Respondeo cum communi affirmative; sic enim Christus Dominus instituit, & perpetua traditio, & consuetudo Ecclesiæ demonstrat, & Concilia definiunt. Unde Clemens VIII. damnavit propositionem illam, quod scilicet possit quis per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; & Paulus V. die 14. Julii 1605. declaravit, utrumque prohiberi, videlicet tam confessionem, quam absolutionem per literas, seu internuncium. Et quamvis in aliquo casu possit dari præsenti Confessario papyrus, in qua scripta sint peccata, ostendendo signa doloris, & addendo, quod de iis pęnitens se accuset; (modo non sit mutus, cui non sit integrum voce ullam proferre, sed solum possit signa doloris ostendere). At forma absolutoria debet humana voce proferri, cum magis expressam significationem postulet forma, quam materia: Unde fit, posse mutum pęnitentem absolvi, sed Sacerdotem mutum nequaquam posse sacramentaliter absolvere.

Ubi adverte cum de Lugo, absolutionem per literas, aut internuncium collatam non solum esse illicitam, sed etiam invalidam: si enim

enim esset valida, posset licite conferri in casu extremæ necessitatis, scilicet in articulo mortis, quando aliter conferri non posset: Cum tamen Clemens VIII. dicat, in nullo casu posse talem sententiam in praxim deduci, sequitur, talem absolutionem esse invalidam.

II. Neque dicas, in Matrimonio, quod institutum est per modum contractus, non requiri verba humana; ergo neque in Sacramento pęnitentiæ, quod est institutum per modum judicii; cum in judicio etiam per literas sententia proferatur.

Nam concesso antecedente nego consequentiam. Disparitas est, quia noluit Christus Dominus hoc judicium sacramentale in omnibus esse conforme judicio forensi; etenim in hoc Tribunali idem est reus accusator, & testis, eidemque creditur, tam pro se, quam contra se; quod in forensi judicio non habetur; sic etiam differunt in casu nostro.

III. Quæritur secundo, Quænam verba pertineant ad formam absolutoriam?

Respondeo, in Rituali Pauli V. ea verba apponi adhibenda, Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, &c.& post absolutionem tum a censuris, tum a peccatis, Passio Domini nostri, &c. Verum ex consuetudine Ecclesiæ omittuntur illa, Misereatur tui, & Indulgentiam: Immo in magno concursu populi, & in brevissimis confessionibus hæc tantum verba possunt adhiberi; Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: Etenim preces illæ antecedentes, Misereatur tui, &c. necnon consequentes, Passio Domini nostri, &c. ex Trident. sess. 14. cap. 3. laudabiliter adjunguntur; unde infertur, posse sine culpa omitti.

Absolutio etiam a censuris omitti potest, ex Granad. quando nulla probabili ratione existimatur eas incurrisse pęnitentem. Quamvis omitti non debeat juxta consuetudinem Ecclesiæ, ad hoc ut si pęnitens sit immemor alicujus peccati habentis annexam censuram, prius ab illa absolvatur, ut possit Sacramentum recipere. In casu tamen necessitatis illa verba, Absolvo te a peccatis tuis, significant absolutionem censurarum simul, & peccatorum; quia sæpe nomine peccatorum veniunt etiam pęnæ debitæ peccatis, ut sunt etiam censuræ: Sicut cum dicitur in Scriptura in alio mundo remitti peccata, sensus est, remitti pęnas Purgatorii debitas peccatis.

Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est necessaria, sicut est necessaria in baptismo: Nam Christus Dominus dixit, baptizandos esse homines In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; At in institutione Sacramenti pęnitentiæ dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Unde satis est ad formam absolutoriam exprimere verba, quæ remissionem peccatorum significent.

Pronomen illud, Ego, non est essentiale, quia implicite continetur in ly Absolvo, quod juxta omnium sententiam est essentiale.

Particula illa, Te, a communi Doctorum contra aliquos Recentiores existimatur esse essentialis; quia non habetur significatio completa sine illa.

IV. Verum particula illa, A peccatis tuis, communius contra quamplures Recentiores non reputatur essentialis; quia ex circumstantiis significatio illorum verborum, Absolvo te, quæ est indeterminata, & æquivoca, determinatur ad significandam remissionem a peccatis. Ubi adverte, verbum, Absolvo, conficere propositionem mutilam, non æquivocam; hæc autem verba, Absolvo te, conficere propositionem non mutilam, sed æquivocam; Non secus ac propositio ista, Ego vidi, est mutila; hæc alia vero, Ego vidi canem, est æquivoca: Potest autem ex circumstantiis propositio æquivoca determinari ad hanc potius, quam ad aliam significationem: At non debet in Sacramentis conferendis propositio mutila ex circumstantiis compleri. Et ratio est, quia verba Sacramentalia debent ex se, & non ex circumstantiis significare id, quod causant; Unde sequitur, quod propositio, Absolvo, quæ est mutila, non sit sufficiens in Sacramento pęnitentiæ; Nec si quis dicat confessario, absolvisnę me a peccatis meis? satis est, quod ille dicat, Absolvo, vel maxime quia ista verba non significant ex se id, quod causant, videlicet remissionem peccatorum: Contra vero, satis est dicere, Absolvo te, quamvis propositio ista sit æquivoca, & a circumstantiis determinetur ad significandam absolutionem a peccatis potius, quam a censuris, aut a vinculis. Quia tamen in re gravi non est recedendum a consuetudine, nec est exponendum Sacramentum periculo frustrationis, ideo sine culpa gravi omitti non possunt illa verba, A peccatis tuis: sine culpa autem solum veniali omitti non potest ly, Ego, & ly, in nomine Patris &c. quia si hæc omittantur, receditur a consuetudine Ecclesiæ, non tamen exponitur Sacramentum periculo frustrationis.

V. Hinc habes, absolutionem non rite conferri deprecatorio modo, dicendo, absolvat te Deus, sicut confertur Sacramentum Extremæ Unctionis, dicendo, Per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, &c. Ratio est, quia Christus Dominus noluit, ut suus minister impetret absolutionem, sed voluit, quod absolvat: dixit enim, *Quorum remiseritis* &c. Quare confessarius debet absolute dicere, tanquam

Judex,

Judex, & Christi locum tenens, Ego absolvo, proferendo sententiam, non deprecando. Esset autem valida, quamvis illicita absolutio, si diceretur, Absolvatur Servus Christi, &c. sicut valide baptismum conferunt Græci, dicendo, Baptizetur servus Christi.

VI. Quæritur tertio, Quinam sit sensus horum verborum, Ego te absolvo, &c.?

Respondeo cum communi contra Gabriel. dist. 18., non esse sensum; Ego remitto tibi obligationem subjiciendi te clavibus Ecclesiæ, nec per ea significari remissionem pęnæ æternæ, aut temporalis; nec solum declarari pęnitentem absolutum, quod aliqui antiqui dixerunt; sed sensum esse; Ego confero tibi gratiam ex se remissivam peccati, seu Impendo tibi Sacramentum pęnitentiæ conferens gratiam ex se remissivam peccati. Ratio est, quia verba Sacramentorum significant practice id, quod causant; sicut causant id quod significant; Atqui verba absolutoria causant gratiam ex se remissivam peccati; ergo productionem talis gratiæ significant. Hic autem sensus verificatur etiam in eo, qui accedit ad Sacramentum cum contritione, atque adeo cum culpa jam remissa; necnon in eo, qui peccata olim confessa, & remissa confitetur iterum: Potest enim vera renovari remissio, sicut renovatur promissio, & renovantur vota, ut diximus quæst. 2. art. 5.

Dices; Dei solius est remittere peccata, juxta illud Matth. 9. *Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus?* ergo Confessarius non remittit peccata, sed solum declarat pęnitentem absolutum.

Respondeo, Deum solum remittere peccata auctoritate propria; Confessarium vero auctoritate aliena, & accepta a Deo, tamquam a principali remittente.

VII. Quæritur ultimo, Quandonam confertur gratia Sacramentalis? Num post prolationem illorum dumtaxat verborum, Absolvo te, quæ sunt essentialia, ut tenent Suar. Lug. Bonac., & alii; An vero post illa verba, A peccatis tuis, ut tenent Vasq., Henr., & alii putantes, quod quamvis illa solum verba, Absolvo te, sint essentialia, at illa alia verba, A peccatis tuis, quando apponuntur ad clarius sententiam explicandam, concurrunt ad causalitatem gratię, & ideo gratia non confertur, nisi illis prolatis.

Respondeo, utramque sententiam esse speculative probabilem; debet tamen quilibet practice, ut advertunt Valent., & Henr., habere intentionem conferendi gratiam, & absolvendi juxta intentionem Ecclesiæ, & institutionem Christi Domini: Et idem dicunt servandum in consecratione Calicis; Oportet enim habere intentionem consecrandi juxta intentionem Ecclesiæ potius, quam consecrandi statim post illa verba, Hic est calix Sanguinis mei. Et ratio in utroque casu est, quia cum sit dissidium inter Theologos, num in Sacramento Pęnitentiæ sint etiam de essentia verba illa, A peccatis tuis, & in consecratione calicis illa alia verba, Qui pro vobis, & pro multis, &c., ideo intentio ministri relate ad absolvendum, & consecrandum debet esse juxta institutionem Christi Domini, & non juxta hanc, vel illam opinionem.

ARTICULUS II.

Quandonam conferri possit absolutio sub conditione, aut differri?

I. Valida est, sed regulariter illicita absolutio sub conditione de præterito, aut de præsenti.
II. At sub conditione de futuro est invalida.
III. Cur possit Matrimonium celebrari sub conditione de futuro, quin suspendatur effectus Sacramenti? Et cur solum Matrimonium, urgente gravi metu, simulari possit?
IV. Quibus de causis possit aliquando, aut debeat absolutio differri?
V. Peccatori publico qualiter differenda sit absolutio?
VI. Num debeat Confessarius accommodare se opinioni probabili pœnitentis; quamvis ipse tali opinioni non adhæreat?

I. Quæritur primo, Possitne dari absolutio sub conditione de præterito; verbi gratia, si jam restituisti, si concubinam ejecisti, &c.; vel saltem sub conditione de præsenti, dicendo verbi gratia, si est vivus ille, quem vulnerasti, &c.; Ego te absolvo?

Respondeo, absolutionem sub conditione sive de præterito, sive de præsenti non esse invalidam, cum non suspendat actum, nec Sacramentum, nec gratiam; Vere enim Sacerdos intendit absolvere de præsenti, si res ita se habeat, uti sub conditione exprimitur. Est tamen hujusmodi absolutio illicita, nisi adsit rationabilis causa; quia usus Ecclesiæ non est sub hujusmodi conditionibus Sacramenta conficere; atque hoc exigit reverentia debita Sacramentis.

Excusat tamen aliquando necessitas, ut si dubites positive de dispositione pœnitentis, nec possis dubium deponere. Pariter si quis dubitet rationabiliter, an valide formam absolutoriam protulerit, poterit iterum illam sub conditione mentali pronuntiare; vel si dubites de sufficienti materia; ut si quis solum peccata dubia confiteatur, nec recordetur certa, quod facile in pueris accidere solet; tunc enim licite sub conditione absolutio profertur.

(*a*) Vide Benedictum XIV. de *S.D. Lib.7.c.*15.

II. Quæritur secundo; num possit absolutio con-

conferri sub conditione de futuro? verbi gratia, si cras restitues, Ego te absolvo.

Respondeo, hujusmodi absolutionem non solum esse illicitam, sed etiam invalidam; quia non potest suspendi effectus Sacramenti a ministro, posita materia, & forma ejusdem, seu posito toto Sacramento. Quare Sacerdos sic absolvens neque absolvit de præsenti, quia non est impleta conditio; neque absolvit pro tempore futuro, quia posita materia, & forma Sacramenti, suspenderetur ejus effectus, quod fieri non potest.

III. Dices: Potest Sacramentum matrimonii celebrari sub conditione de futuro, verbi gratia, si genitores consenserint, vel si Papa dispensaverit in impedimento, ut docent communiter Canonistæ, & Theologi cum Sanch. lib. 5. de matrim. disp. 8.; ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ.

Respondeo cum Perez disp. 18. sect. 8., concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio est, quia in Sacramento matrimonii celebrato sub conditione de futuro non suspenditur effectus Sacramenti, positis omnibus constitutivis illius. Etenim Sacramentum Matrimonii constituitur per contractum absolutum; contractus autem tunc evadit absolutus, quando purificatur ejus conditio; quare purificata conditione, habentur simul constitutiva Sacramenti matrimonii, & ejus effectus: At si Sacramentum pœnitentiæ conferretur sub conditione de futuro, ponerentur omnia ejus constitutiva, & suspenderetur ejus effectus, quod fieri nequit. Præterea Christus Dominus instituendo Matrimonii Sacramentum solum elevavit contractum humanum ad rationem Sacramenti, nihil immutando leges contractus; cum ergo contractus fieri possit sub conditione de futuro, sicut etiam per Procuratores, per literas, per internuncium, poterit etiam tale Sacramentum sic valide celebrari. Unde purificata conditione, (ut tenet Sanch. contra alios) statim sine novo consensu perficitur Sacramentum Matrimonii, & gratia confertur; Hoc tamen non militat in reliquis Sacramentis.

Eadem est ratio, quare liceat simulare contractum Matrimonii, urgente necessitate, non liceat tamen simulare reliqua Sacramenta; (quicquid in contrarium docuerit Jo: Sancius in Selectis quæstionibus disp. 35.). Proscripta enim est propositio 29. ab Innoc. XI. dicens: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Etenim, ut docent Lumbier, & Pal., materia Sacramenti Matrimonii est contractus legitimus, qui urgente metu gravi potest simulari juxta leges contractus, & si simuletur, non irrogatur injuria Sacramento, eo quod vere non ponatur materia Sacramenti a Christo Domino instituta, quæ est verus contractus: Contra vero, si simularentur reliqua Sacramenta, vere poneretur eorum materia, & forma a Christo Domino instituta sine intentione conficiendi Sacramentum; quod gravem irreverentiam importat. Ex quo sequitur, licitum esse simulare contractum dumtaxat, non Sacramentum Matrimonii, ut fusius explicavimus in Trutina exponendo illam thesim.

IV. Quæritur tertio; quandonam possit, vel debeat absolutio differri?

Respondeo, ad validitatem Sacramenti non obstare dilationem absolutionis post confessionem dolorosam; sicut enim in judicio forensi potest sententia proferri multo post processum compilatum, ita etiam in judicio Sacramentali: Et ob eamdem rationem, Sacramentum Matrimonii, utpote institutum ad modum contractus, valide celebratur, etiamsi unus consensus per longum tempus distet ab alio: Reliqua vero Sacramenta, ut sint valida, indigent conjunctione morali materiæ cum forma, ut patet.

Præterea licite etiam differri potest absolutio; Primo ex consensu Pœnitentis; Secundo, quando Confessarius indiget consilio, vel studio ad absolvendum; Tertio, quando dilatio necessaria est ad experiendum propositum Pœnitentis; Quarto ex Tam., & Lug. licet differre absolutionem propter majorem utilitatem, & confirmationem majorem pęnitentis in bono proposito; quia Confessarius est judex simul & medicus; quare non tenetur statim ex hoc quod sit judex, lecto processu proferre sententiam; etenim potest, & aliquando inquantum medicus etiam debet, in bonum delinquentis illam differre. Concedo tamen, quod quando pęnitens est rite dispositus, & ex dilatione absolutionis non resultat illi majus bonum, sed potius damnum, eo quod tædio affectus non facile sit rediturus, tunc Confessarius non possit absolutionem differre.

V. Quæritur quarto, An publico peccatori vere pęnitenti, puta Concubinario, Meretrici, Bandito, &c. differri debeat, aut possit absolutio?

Respondeo, Confessarium, regulariter loquendo, antequam hos absolvat, debere eorum emendationem per aliquod tempus probare: & ideo in tabella Neapolitana Casuum reservatorum habentur hæc verba: *Non absolvantur Concubinarii, nisi facta reali separatione & tori, & domus, per duos menses se continuerint, vel nisi certo, aut valde probabiliter constet, factos physice, vel moraliter impotentes ad recidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.* Eodem itaque pacto, nisi meretrix deponat habitum meretricium, & peccati locum relinquat, ita ut vivere possit sine turpi lucro, quamvis videatur hic & nunc contrita, differenda tamen est illi absolutio, regulariter loquendo, non solum ut

Con-

Confessarius certior fiat de vero dolore, sed etiam ut illa in vero proposito stabiliatur, nec facile ad vomitum redeat, cum facillime aliquando proponatur scandali, & proximæ occasionis vitatio, quæ tamen deinde difficili vitantur.

VI. Quæritur quinto; An possit pœnitenti disposito negari absolutio propter varietatem opinionum probabilium?

Respondeo cum Lug. lib. 1 Respons. mora. dub. 26., quod si diversitas opinionum se teneat ex parte Confessarii, poterit Confessarius, quam maluerit, sequi: Verbi gratia, si una opinio doceat, posse confessarium absolvere in talibus circumstantiis, altera doceat non posse; una doceat, haberi jurisdictionem a Confessario, altera non haberi, poterit profecto Confessarius, regulariter loquendo, sequi opinionem, quam maluerit, & sic, juxta opinionem negantem, poterit absolutionem negare; esto aliquando ex charitate teneatur sequi opinionem favorabilem pœnitenti, puta si pœnitens sit in mortis articulo, nec alius sit Confessarius.

Quod si diversitas opinionum se teneat ex parte pœnitentis, puta, si una opinio doceat, pœnitentem teneri ad restitutionem, ad removendam talem occasionem, ac acceptandam talem pœnitentiam; altera opinio doceat, non teneri; non potest absolutio negari, si pęnitens sequatur opinionem sibi favorabilem, dummodo probabilem; etiamsi Confessarius sit in opinione contraria. Ratio est, quia quando pœnitens est rite dispositus, & peccata manifestavit Confessario, etiamsi voluntario, habet jus ad absolutionem; Atqui quando sequitur opinionem probabilem, est rite dispositus: ergo tenetur tunc Confessarius absolutionem impertiri. (*a*)

„ (*a*) Ne terreare autem declamationibus, „ contumeliisque quibus Concina *T. IX. p.* 702. „ *seqq.* tutissimam hanc sententiam insectatur.

ARTICULUS III.

Expediuntur reliqua ad absolutionem spectantia.

I. Num sit valida absolutio a peccatis, non præmissa absolutione a censuris, quibus pęnitens est innodatus.

II. In quibus differat absolutio a peccatis ab absolutione a censuris?

III. In quanam distantia possit pęnitens absolvi: præsertim, si ante absolutionem discedat?

IV. Num possit absolvi, qui, a longe petit absolutionem?

V. Quid, si confessario innotescat, moribundum in aliqua domo clausum absolutionem postulare?

I. Quæritur primo, si Confessarius absolvat tantum a peccatis, non præmissa absolutione a censuris, pœnitens, qui indigebat absolutione a censuris, remanetne ab illis absolutus?

Respondeo, vel pœnitens culpabiliter celavit censuram, omittendo peccatum, cui ea sit annexa; vel inculpabiliter. Si primum, nec a censura, nec a peccatis absolvitur, ut patet; quia committit novum sacrilegium non suscipiendo Sacramentum: Quod etiam certum est, si quis omittat in confessione peccatum veniale, cui est annexa excommunicatio minor. Si vero inculpabiliter celavit censuram, aut quia illius est oblitus, aut quia propter imminentem mortem non potuit amplius loqui, tunc subdistinguendum: Nam si censura non excedat potestatem absolventis, per illa verba, Absolvo te a peccatis tuis, absolvitur a peccatis simul, & a censuris, (ut diximus art. 1. ex Leand. quæst. 38.) Tum quia nomine peccatorum veniunt etiam censuræ, quæ sunt vincula orta a peccatis; tum etiam quia præsumitur, quod Confessarius absolvens velit fungi apte munere suo, atque adeo velit absolvere pœnitentem a censuris simul, & a peccatis.

Quod si censura excedat facultatem absolventis, iterum distinguendum: Nam vel Confessarius absolvit bona fide a peccatis; & tunc pœnitens remanet absolutus quidem a peccatis, sed non a censuris, ut communiter tenent Doctores cum Suar. contra Vasq.; quia gratia sanctificans, per quam remittuntur peccata, non est incompossibilis cum censuris, ut patet; Nec ratione ulla evincitur, quod sit incapax Sacramenti, qui inculpabiliter cum censura ignorata ponit omnia constitutiva Sacramenti: Vel Confessarius absolveret a peccatis mala fide, & tunc peccaret Confessarius; Pęnitens vero si bona fide absolutionem reciperet, remaneret pariter absolutus a peccatis, sed non a censuris.

Quod diximus de censura, pariformiter dici debet de casibus reservatis. Etenim si pęnitens bona fide omittat casum reservatum, & hic non excedat facultatem absolventis, jam sublata est omnis reservatio; unde a quolibet Confessario potest deinde absolvi, quando memor illius peccati subjicit illud clavibus: Si vero casus reservatus excedat facultatem absolventis, remanet pœnitens absolutus a peccatis, si bona fide Sacramentum suscepit, sed cum onere comparendi apud Superiorem pro absolutione a reservato, a quo tantum indirecte est absolutus: Si demum mala fide Confessarius pęnitentem absolveret, peccaret quidem Confessarius, sed pœnitentem absolveret, directe quidem a non reservatis, indirecte vero a reservatis; & non secus ac quando pęnitens obliviscitur casus reservati, vel urgente necessitate Communionis simplici Confessario exponit reservata simul, & non reservata.

II. Hic demum adverto absolutionem a censuris differre ab absolutione a peccatis; quia illa non est sacramentalis, imo sæpe extra Sacramentum datur, nec pendet ab absolutione a peccatis, cum huic præmittatur. Præterea dari potest invito; sicut enim invitus potest a vinculis, & compedibus solvi, ita a censuris, quæ non sunt peccata, sed pœna peccati. Demum absolutio a censuris potest dari etiam scripto, nutu, & quocumque signo externo sufficienter significativo talis absolutionis; loquendo tamen de absolutione a censuris privata; nam in publica servari debent nonnulli ritus, quos videre est apud Filliuc. tom. 1. tract. 12. cap. 10. & alios.

III. Quæritur secundo; An possit Confessarius absolvere pœnitentem parum distantem, si dubitet, an illum absolverit; vel si ante absolutionem inadvertenter abierit.

Respondet Leand. disp. 2. qu. 30. Dian. part. 5. tract. 13. resol. 56. cum aliis affirmative; si alias nequeat sine incommodo, vel scandalo penitens revocari; quia scilicet ad absolutionem non requiritur contactus physicus penitentis, sed præsentia moralis illius, quæ satis habetur, si Confessarius illum videre, aut alio sensu percipere possit; nec requiritur, ut diximus quæst. 1. art. 3. quod pœnitens absolutionem audiat.

IV. Infert hinc Leand. cum aliis viris doctis a se consultis, quod si confessarius a longe videat, aut audiat moribundum petentem absolutionem, possit illum absolvere.

V. Quod si sciret, intra domum aliquam esse moribundum, qui absolutionem postulet, nec tamen illum aut videret, aut audiret, absolutionem dare non posset; quia non haberetur in tali casu præsentia moralis requisita.

QUÆSTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

EXplicatis partibus hujus Sacramenti, inquirendum, Quænam requirantur in Ministro, ut valide, & licite possit illud ministrare. Et primo agemus de Jurisdictione ordinaria, & delegata. Secundo, de Jurisdictione dubia, probabili, & in articulo mortis. Tertio, de Approbatione. Quarto, de probitate, & doctrina in Confessario requisita: Ac demum de obligatione Confessarii in ipso actu Confessionis: In sequenti deinde quæstione agemus de Casibus reservatis, ac de Jurisdictione ad illos requisita.

ARTICULUS I.

De Jurisdictione ordinaria, ac delegata Confessarii.

I. In articulo mortis, deficiente Sacerdote, laudabiliter confessio fit Laico, non tamen Sacramentalis: & dubitatur, an iste possit a Censuris tunc absolvere.

II. Jurisdictio essentialiter requisita ad absolvendum quid importat?

III. Per potestatem Ordinis Sacerdotes non fiunt judices in hoc Sacramento, sed solum eligi possunt in Judices.

IV. Quibusnam competit jurisdictio ordinaria, quibus vero delegata?

V. Regularis in una diœcesi approbatus num possit in alia diœcesi audire confessiones subditorum Episcopo, a quo fuit approbatus?

VI. Jurisdictio in venialia num competat cuivis Sacerdoti? & unde?

VII. Uuiversim illicita est, sed non invalida Confessio venialium facta simplici Sacerdoti. Huic tamen venialia confiteri possunt Religiosi Societatis Jesu ex declaratione P. Mutii Generalis; quod tamen P. Claudius dissuadet.

VIII. Quibusnam competit eligere sibi simplicem Sacerdotem in Confessarium?

IX. Qui delegatam, aut ordinariam habet jurisdictionem, potestne illa uti extra propriam diœcesim?

X. Peregrini Sacramenta Confessionis, & Communionis recipiunt, ubi commorantur. Sed quid si incidant in reservata?

XI. Limitari potest jurisdictio ad personas, ad casus, ad tempus, ad locum.

XII. Jurisdictio delegata non expirat per mortem, aut excommunicationem delegantis.

XIII. Num possit delegatus pro casu occurrenti subdelegare?

XIV. Non delegatur jurisdictio per ratihabitionem de futuro, aut de præsenti, nullo externo signo manifestata.

XV. At probabiliter delegatur, si ratihabitio de præsenti manifestetur, signo externo.

XVI. Error communis est in causa, cur ab Ecclesia jurisdictio conferatur, etiamsi desit titulus coloratus.

I. CErtum est primo, ad valorem absolutionis requiri Ordinem Sacerdotalem; ut definitur in Trid. sess. 14. cap. 6. & can. 10. ubi habetur: *Si quis dixerit, non Solos Sacerdotes esse ministros hujus Sacramenti Anathema sit.* Quare si quis non Sacerdos auderet hoc Sacramentum administrare, non solum fieret irregularis, & tanquam suspectus de hæresi esset denunciandus, verum etiam ex decreto Gregorii

XIII.

XIII. Clem. VIII. Urbani VII. si vigesimum annum complevit, tradi deberet Curiæ sæculari; ut capite plecteretur; sicut & qui auderet Missam sine presbyteratu celebrare. Unde habes, quod, quando Magister Sententiarum, & D. Thom. dicunt, confessionem in articulo mortis faciendam esse laico in absentia Sacerdotis, non loquantur de Confessione Sacramentali; sed dent consilium talis actus humiliationis, ut moribundus a laico instrui melius possit ad petendam a Deo veniam per contritionem: Quicquid sit, an laicus possit in tali casu absolvere a censuris; quod multis videtur probabile.

II. Certum est secundo, præter potestatem Ordinis requiri in Confessario ad validitatem absolutionis potestatem jurisdictionis, seu auctoritatem in alium, tanquam in subditum, relate ad ea, quæ spectant ad actum cognoscendi illius conscientiam, eamque ligandi, & solvendi. Patet hoc tum ex Florent. quod in literis Eugenii habet, *Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi delegatam vel ordinariam*; tum ex Trid. sess. 14. cap. 7. ubi ex eo, quod ad judicem spectet, ut sententiam ferat in subditos, colligit ad ferendam sentetntiam in foro Sacramentali ita esse necessariam jurisdictionem, ut sine ea invalide feratur.

III. Quare certum est apud Theologos, per illa verba Christi Domini, *Quorum remiseritis*, &c. quæ in ordinatione singulis Sacerdotibus dicuntur, non conferri potestatem jurisdictionis, sed solum potestatem Ordinis judiciariam, seu ordinatam ad exercendum judicium Sacramentale, quoties aderunt requisita, inter quæ est jurisdictio: Et consequenter per potestatem Ordinis Sacerdotes non fiunt judices, sed fiunt eligibiles in judices relate ad eos, quos Ecclesia designabit in subditos in foro Sacramentali. Non secus ac Doctor in jure canonico, vel civili per lauream doctoratus accipit aliquo modo potestatem judiciariam, non quia fit judex, sed quia per illam redditur aptus, qui in Judicem, vel Gubernatorem eligatur ab habente auctoritatem. Et ratio est manifesta, quia si vi characteris Sacerdotalis daretur omnibus Sacerdotibus jurisdictio, & superioritas, sequeretur, quod jurisdictio daretur immediate a Christo Domino; unde non posset illam Ecclesia tollere, aut limitare; sicut non potest Ecclesia tollere Sacerdotibus potestatem consecrandi, quam habent in ordinatione a Christo Domino.

Ubi sciendum, quod qui sine jurisdictione absolveret, non solum invalide absolveret, ut docet Trident. sed etiam incurreret in jure suspensionem ab officio, idest a Confessionibus audiendis, & a celebratione Missæ; quamvis ea suspensio non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, ut notat hic Tambur.

VI. Certum est tertio, Jurisdictionem esse duplicem, Ordinariam, & Delegatam. Jurisdictio ordinaria dicitur illa, quæ alicui competit ratione sui muneris, idest ratione curæ animarum, quarum est Pastor: Unde Papa, Episcopus, Abbas habent Episcopalem jurisdictionem, Parochus, Vicarius perpetuus Episcopi, Vicarius Capitularis, summus Pœnitentiarius, Cardinalis in Ecclesia sui tituli, Legatus in Provincia suæ legationis; & inter Regulares Generalis, & Provincialis, necnon Superiores locales, qui similes sunt Parochis, eo quod sint immediati Pastores, & alii similes dicuntur habere jurisdictionem ordinariam relate ad eos, quorum curam habent ex proprio officio. Et hi omnes veniunt nomine Ordinarii, & nomine proprii Sacerdotis in cap. *Omnis utriusque sexus*. Ex quo sequitur, Papam non habere Ordinarium, cum sit supremus Pastor; & Ordinarium Episcopi esse solum Papam; Parochi vero Ordinarium esse etiam Episcopum; Archiepiscopus, dum actu visitat diœcesim Episcopi suffraganei, habet jurisdictionem ordinariam absolvendi Sacramentaliter illius subditos.

Jurisdictio vero delegata, seu commissa dicitur illa, quæ convenit alicui Sacerdoti, non ratione curæ animarum, quam habeat, sed ex voluntate alterius habentis jurisdictionem ordinariam, qui legitime illam concedat. Dixi, legitime, nam si ille sit excommunicatus, vel suspensus non toleratus, non potest jurisdictionem delegare, ut notat Suar. contra Paludan. & S. Antoninum. Ratio est, quia tunc nullam in se habet jurisdictionem, atque adeo non potest illam delegare: Unde etiam fit, quod neque possit ad Confessiones approbare, ut idem Suar. notat contra Fagund. de Præceptis Eccl. lib. 7. cap. 9. num. 49. quia approbare est actus legitimus alicujus potestatis, sed non potestatis Ordinis, tum quia non omnis Sacerdos potest approbare, tum etiam quia Vicarius non sacerdos potest approbare, ac licentiam dare ad audiendas confessiones; ergo est actus potestatis jurisdictionis. Quare cum excommunicatus, & suspensus non toleratus careant jurisdictione, non poterunt approbare ad audiendas confessiones.

Certum est quarto, eos, qui habent jurisdictionem ordinariam, posse illam delegare, ut patet ex cap. *Cum Episcopus in 6.* Et ratio est, quia delegatio est unus ex actibus jurisdictionis ordinariæ. Verum tamen est, quod Parochi non possint jurisdictionem in proprias oves delegare, nisi Sacerdotibus ab Episcopo approbatis, ut constat ex Trident. sess. 23 cap. 15. de Reformatione. Quare unus Parochus potest alii Parocho jurisdictionem in proprias oves delegare, quia eo ipso ac est Parochus, censetur ab Episcopo approbatus: Superiores tamen Regula-

gulares possunt suam jurisdictionem cuilibet Sacerdoti delegare, quia Trident. exigit approbationem Episcopi solum in eo, qui auditurus est confessiones Sæcularium, etiamsi Sacerdotum, non vero in eo, qui auditurus est confessiones Regularium.

V. Utrum autem satis sit approbatio ab Episcopo cui est subditus Confessarius, an ab Episcopo loci, in quo auditur confessio, an a quocumque Epicopo? Discutit Suar. disp. 28. sect. 6. & nos ar. 3. examinabimus. Quamvis autem Clemens X. in sua Bulla anno 1670. declararit, Regularem in una diœcesi approbatum non posse audire in alia diœcesi confessiones, ne illorum quidem pœnitentium, qui subditi sunt illi Episcopo, a quo fuerat approbatus talis Regularis; id tamen intelligendum est, ut notat Platel. n. 862. quod non possit se exponere ad audiendas confessiones, non vero quod non possit privatim in alia diœcesi confessionem audire alicujus secum iter facientis, qui sit subditus illi Episcopo, a quo Regularis fuerat approbatus; in hoc enim casu valde de materiali se habet locus, qui sit in alia diœcesi. Cæterum Clemens non loquitur de omnibus confessariis, sed tantum de Regularibus; quippe qui facile ex uno loco in alium se transferunt, & jurisdictionem habent immediate a Pontifice, non ab Episcopo, sicut habent Sacerdotes sæculares. His præmissis, ad varia quæsita circa jurisdictionem descendimus, præsertim de Jurisdictione circa venialia, de jurisdictione delegata, de Jurisdictione dubia, aut probabili, ac de Jurisdictione in articulo mortis.

VI. Quæritur itaque primo; An quilibet Sacerdos habeat jurisdictionem circa venialia, aut mortalia, alias rite confessa?

Respondeo, Sotum existimare ad venialia absolvenda non requiri potestatem jurisdictionis, sed sufficere Potestatem Ordinis; Et eadem est ratio de mortalibus alias rite confessis. Paludan. vero, Canus, Capreol., & alii, quos refert, & sequitur Vasq., putat, jurisdictionem circa venialia conferri a Christo Domino in ipsa ordinatione, atque adeo unumquemque Sacerdotem habere jurisdictionem ordinariam circa venialia. Et ratio videtur esse, quia venialia non possunt ab Ecclesia reservari, cum sint materia voluntaria; ergo jurisdictio in illa non confertur ab Ecclesia, sed a Christo Domino.

Demum Suar. disp. 26. sect. 5. Lug. Con. Henr. Bonac. & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 86. probabilius docent, jurisdictionem circa venialia ex ipsa consuetudine Ecclesiæ conferri a Pontifice. Et ratio est, quia absolutio a venialibus est actus judicii, licet voluntarii; ergo requirit jurisdictionem; Atqui hæc jurisdictio non confertur a Christo Domino in ordinatione; quia non omnis Sacerdos est Pastor; ergo confertur a Papa, qui potest illam pro libito auferre, & de facto aufert ab excommunicato, & suspenso non tolerato.

VII. Verum undecumque talis jurisdictio procedat, Innoc. XI. anno 1679. voluit, ut Episcopi non permittant venialium confessionem fieri simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario, & rigorosam animadversionem ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato exequendam minitatur in contrafacientes etiam Regulares. Hæc sunt verba Pontificis id vetantis: *Non permittant* (vid. Episcopi) *ut venialium confessio fiat Sacerdoti non approbato, &c.* Unde illicita universim est talis confessio. Puto tamen cum Carden., & aliis apud Croix n. 1489., quod non sit invalida, & quod non exponeretur periculo frustrationis Sacramentum. Cum enim probabile sit, Jurisdictionem in venialia conferri Sacerdoti immediate a Christo Domino; & cum jurisdictione probabili valide conferatur Sacramentum Pœnitentiæ, ut dicemus quæsito nono; idcirco valide confertur Sacramentum a simplici Sacerdote absolvente dumtaxat a venialibus, aut a mortalibus alias absolutis. Cæterum relate ad Religiosos Societatis Jesu declaravit P. Mutius Generalis, quod quilibet Sacerdos jurisdictionem habeat in eorum venialia, ita ut possit ab illis absolvere, ut habet Croix lib. 6. part. 2. num. 1553., quamvis id P. Claudius Generalis dissuadeat. (*a*)

(*a*),, Tria objicit Concina T. 9. p. 540. seq.
,, Primum est, quod in Sacramentis conferendis
,, non licet uti opinione probabili relicta tu-
,, tiore, ubi de Sacramentorum valore agitur.
,, Secundum est, quod sæpe difficillimum est
,, discernere inter veniale & mortale, & qui-
,, libet Sacerdos, maxime Probabilista judica-
,, bit veniale, quod re ipsa est, mortale, a quo
,, etiam absolvet; quod horrendum videtur.
,, Tertium est, in rescripto Innocentii XI. ex-
,, presse comprehensos esse etiam Jesuitas.
,, Resp. Ad primum dist. antec. non licet uti
,, opinione probabili in iis quæ pertinent ad ma-
,, teriam, & formam Sacramentorum, conc. antec.
,, in iis quæ pertinent etiam ad jurisdictionem,
,, nego antec. Confer Vivam infra *quæst. VIII.*
,, *artic. II. num.* 2. & in Thesim ab Innocen-
,, tio proscriptam. Ad secundum, illud probat
,, illicitum esse, non invalidam absolutionem.
,, Ad tertium dico Jesuitas comprehensos esse
,, quod spectat ad audiendas Confessiones exter-
,, norum, non vero quod pertinet ad audien-
,, dàs suorum Religiosorum confessiones; de quo
,, solum loquitur Viva.

VIII. Quæritur secundo; Quinam habeant jurisdictionem delegatam?

Respondeo, delegari jurisdictionem vel directe Confessariis, vel indirecte, quoties scilicet datur

alicui

alicui facultas eligendi sibi Confessarium. Primo autem directe delegatur jurisdictio ad absolvendum ab omnibus peccatis, & censuris moribundum cuilibet Sacerdoti; Secundo, Mendicantibus ab Ordinario approbatis, vi propriarum Bullarum delegatur jurisdictio relate ad omnes casus, & censuras Papæ reservatas, ut communius docent, exceptis tamen casibus Bullæ Cęnæ, & sex illis intra Italiam extra Urbem a Clem. VIII. reservatis. Tertio delegatur indirecte jurisdictio, quando alicui vel ab homine, vel a jure, vel a consuetudine datur facultas eligendi sibi confessarium. Etenim ab homine habere potest facultatem eligendi sibi Confessarium quilibet fidelis a Papa, Diœcesanus ab Episcopo, Parochianus a suo Parocho, Regularis a suo Superiore: A jure eandem facultatem habent Episcopi, quatenus possunt Sacerdotem simplicem suum subditum approbare relate ad audiendas suas, & suarum ovium confessiones. Damnata autem est ab Alex. VII. thesis 16. dicens: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium Sacerdotem simplicem non approbatum*: in cujus expositione ostendimus non posse Episcopum in aliena diœcesi eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem non subditum; quicquid sit an id potuerit ante Tridentinum. Quare a fortiori Parocho, aliisque Prælatis exemptis hæc facultas non competit. Prælati tamen regulares, videlicet Generalis, Provincialis, & superiores locales possunt eligere sibi in Confessarium quemcumque Sacerdotem, nisi tamen, ut notat Suar. disp. 27. sect. 2., Prælatus inferior Confessarium habeat designatum a suo Superiore; Abbatissæ carent sine dubio hac facultate, quia non veniunt nomine Prælati, cum jurisdictionem spiritualem non habeant. Demum ex consuetudine, seu ex tacita Papæ licentia facultatem eligendi sibi Confessarium habent Cardinales, Legati a latere, Imperatores, Reges, & domestici Papæ, ut videre est apud Leand., & Lug., qui etiam docent, posse Cardinales dare familiæ suæ facultatem eligendi sibi confessarium, & Episcopos posse familiam suam eximere a Parocho.

IX. Quæritur tertio; An habens jurisdictionem delegatam, sive etiam ordinariam possit illa uti cum iisdem subditis extra propriam diœcesim?

Respondeo cum Suar. disp. 28. sect. 6., Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 34., Dian. part. 11. tract. 4. resol. 16. & aliis communius affirmative: dummodo formula delegationis non limitet ad talem locum, vel diœcesim, ut fieri solet. Et ratio est, quia sola jurisdictio contentiosa, quæ requirit strepitum judicialem, clauditur intra territorium; At jurisdictio Sacramentalis, utpote voluntaria, quæ respicit tantum forum conscientiæ, & est in personas, non in loca, potest extra territorium exerceri. Bulla Clem. X. quæ incipit, *Superna*, vetat solum, ne Regulares approbati in diœcesi A possint universim audire in diœcesi B confessiones pœnitentium ejusdem diœcesis A (nisi forte, ut notat Platelius n. 867., Regularis in diœcesi A approbatus iter faciat cum subdito ejusdem diœcesis A, eo quod in tali casu videatur de materiali se habere locus: & Bulla videtur vetare, ne id fiat permanenter, & palam cum offensione Episcoporum, non vero ne fiat transeunter; quod pariter alii autumant apud Croix lib. 6. p. 2. n. 1513.) Nec vetat hoc aliis habentibus jurisdictionem delegatam, ut jam diximus, & multo minus habentibus ordinariam. Decreta pariter Sacræ Congregationis Cardinalium tantum vetant, quod qui est approbatus in diœcesi A, audiat in diœcesi B confessiones pœnitentis, qui sit diœcesis B, non vero pœnitentis, qui sit ejusdem diœcesis A. Quamvis id vetetur in Bulla Innoc. XII. relata a Felice Potestate pag. 422. relate ad eos, qui volunt uti privilegiis Bullæ cruciatæ.

X. Circa peregrinos communis sententia fert, posse illos ex tacito Ordinariorum consensu confirmato a consuetudine Sacramentum confessionis, necnon communionis recipere a quolibet sacerdote habente vel ordinariam, vel delegatam potestatem in eo loco, in quo versantur; Idque etiam de confessione, & communione annua paschali intelligendum est, ex delegatione Eugenii IV., ut notat Cajet. V. *Absolutio* apud Suar. disp. 25. sect. 2.

Addit Laym. ex Cajet., & Henr. probabilius esse, peregrinos, cum in aliena diœcesi justa de causa confitentur, posse absolvi a peccatis in propria diœcesi reservatis: Et quidem si in illa diœcesi, in qua versantur, reservata non sunt, poterunt ab iis absolvi etiam per confessarios non habentes potestatem in reservata: Si vero in ea diœcesi, in qua versantur, sint reservata, ab Episcopo solummodo absolvi poterunt, aut ab alio habente potestatem absolvendi a reservatis; quia Reus judicandus est juxta leges, & consuetudines diœcesis, in qua versatur; Esto oppositam sententiam Suar. putet probabilem disp. 20. sect. 1. quando scilicet ea peccata reservata non sint in propria peregrinorum diœcesi. Verum Clemens X. in Bulla laudata vetuit, ne Regulares habentes jurisdictionem delegatam in diœcesi A, ubi peccatum aliquod non est reservatum, absolvant advenam a tali peccato, quod sit reservatum in sua diœcesi, si hujusmodi advena accedat ad diœcesim A in fraudem reservationis. Sed de his recurret sermo quæst. sequenti artic. 3.

XI. Quæritur quarto; An jurisdictio limitari possit ad personas, aut casus determinatos, vel ad tempus, aut locum; ita, ut verbi gratia,

tia, virorum tantum, non mulierum, horum, non illorum casuum, solum de die, vel in templo confessiones audiantur?

Respondeo, sine dubio jurisdictionem limitari posse ad arbitrium illam delegantis; etenim cum non ex institutione Christi Domini, neque ex natura rei habeatur, ut hic sit subditus illius, sequitur, quod ad arbitrium delegantis jurisdictionem, possit hic, vel ille constitui subditus, & relate ad eos casus, quos sibi placuerit. Advertendum tamen, limitationem aliquando cadere supra substantiam jurisdictionis, ut si limitetur ad confessiones virorum, non mulierum, horum, non illorum casuum; aliquando vero cadere circa modum utendi tali jurisdictione, v. g., audiendo confessiones de die, in templo, &c. In primo casu absolutio esset invalida, si extra limites impositos ferretur; In secundo vero casu esset tantum illicita, prout præceptum graviter, vel leviter obligat. Cum autem Regulares solum ab Episcopo indigeant approbatione, (eo quod jurisdictionem habeant a Pontifice) difficultas est, an possint ab Episcopo approbari limitate, si cæteroqui censeantur idonei illimitate? Certe si detur justa causa, possunt id licite Episcopi; secus vero sine justa causa, ut advertit Platelius n. 874. referens verba Clementis X. in sua Constitutione, quæ incipit, *Superna*, ubi habet: *Illos Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti sunt, absque limitatione temporis, cæterorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos: Quoad cæteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate approbare, & admittere.* Ubi adverto, quod licet Episcopus peccaret aut non approbando idoneum, aut non approbando illum illimitate, quamvis sit idoneus illimitate, non per hoc valide possit conferri absolutio ab eo, cui ea illicite denegatur, cum desit illi approbatio essentialiter ad valide absolvendum requisita, juxta ea quæ diximus in expositione thesis XIII. ab Alex. VII. proscriptæ, & dicemus in calce quæst. nonæ.

XII. Quæritur quinto; An jurisdictio delegata expiret morte delegantis?

Respondeo, communem esse sententiam, quod non expiret, si res non sit integra, seu si delegatus inceperit jam judicium; si vero res sit integra, seu si judicicium non sit inchoatum, Paludan., Sylvest., & alii docent, delegationem expirare, sive delegans moriatur, sive ab officio amoveatur, sive propter excommunicationem, vel suspensionem potestatem amittat; eo quod delegatus censeatur habere eandem jurisdictionem cum delegante; Unde quando jurisdictio per mortem, vel excommunicationem, &c. amittitur in delegante, amittitur etiam in delegato. Sed probabilius negant expirare Suar. disp. 36. sect. 3. Pal. tom. 1. tract. 3. disp. 4. Navar., & alii; quià delegatio jurisdictionis non est pensanda per regulas justitiæ, sed gratiæ; est enim gratia, tam respectu eorum, circa quos exercetur, quam respectu ipsiusmet exercentis; Quare perseverat, donec revocetur ab eo, qui succedit in administratione jurisdictionis. Hinc etiam est, quod habens ab Episcopo proprio facultatem suscipiendi Ordines Sacros ab alieno, aut vescendi ovis, & lacticiniis in Quadragesima, eo mortuo, facultatem acceptam non amittat, quia universim Gratia non expirat morte concedentis. Et quamvis in cap. *Si gratiose de Rescriptis* in 6. dicatur, quod jurisdictio concessa ad beneplacitum expiret morte concedentis; id tamen intelligendum de jurisdictione contentiosa, non de gratiosa, sicut est in casu nostro, ut docent Palud., Lug., Sa, Tambur. de Sacram. lib. 5. cap. 4. n. 40.

XIII. Quæritur sexto; An delegatus possit subdelegare jurisdictionem?

Respondeo, Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 32. n. 20. cum multis Juristis, & Theologis probabiliter docere, non solum delegatum Principis, sed etiam delegatum ad universitatem causarum posse subdelegare in casu particulari; V. g., quando committitur alicui genus aliquod causarum, sive generalissimum, sive subalternum, sive restrictum ad aliquod tempus, vel locum; Ut si committantur alicui omnes causæ, quæ hoc anno accidunt, vel in tali Territorio, potest probabiliter in casu aliquo occurrenti suam jurisdictionem delegatam subdelegare; Idque probat Sanch. tum quia delegatus ad universitatem causarum reputatur quasi Ordinarius; tum quia plura jura id permittunt. Ex qua doctrina sequitur, quod quando Episcopus concedit alicui Confessario facultatem absolvendi ab omnibus reservatis, possit hic in casu occurrenti facultatem suam subdelegare; Quod expresse docent ex Navar., Naldo, Peyrinus, Bordonus decis. 75., necnon Homobon., & alii apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 53.

XIV. Quæritur septimo; An jurisdictio delegata habeatur sufficienter per ratihabitationem de futuro, vel per voluntatem præsumptam Superioris delegantis nullo signo externo manifestatam?

Respondeo cum communi negative. Dicitur enim habere jurisdictionem per ratihabitationem Superioris de futuro ille, cui Superior jurisdictionem non concessit, sed sperat futurum, quod Superior sciens illum dedisse absolutionem, ratum habeat, & factum approbet; Et hæc ratihabitio dici solet etiam jurisdictio præsumpta de futuro. Quod autem non sufficiat, patet, quia absolutio non est valida, nisi Sacerdos habeat jurisdictionem actu, quando absolvit; cum non possit suspendi effectus Sacramenti; sed quando habetur jurisdictio hæc præsumpta de

futuro,

futuro, non adest actu jurisdictio, cum solum detur actu spes ratihabitionis, & jurisdictionis; ergo talis jurisdictio per ratihabitionem non sufficit.

Præterea jurisdictio per voluntatem Superioris præsumptam de præsenti haberetur, quando quis judicaret prudenter, quod si peteretur jurisdictio a superiore, illam concederet, vel quando de præsenti judicatur eo animo esse Superior, ut actu velit me absolvere, qui tamen animus nullo externo signo sit declaratus, ne implicite quidem.

Quod autem neque hujusmodi jurisdictio præsumpta de præsenti sufficiat, patet etiam, quia vel voluntas Superioris, quæ præsumitur concedere jurisdictionem, est solum conditionata, quatenus si peteretur jurisdictio, illam concederet, & sic jurisdictio non habetur, sed haberetur: Unde non satis est ad valorem Sacramenti; quia quod non est, sed esset, nihil operatur: Vel voluntas Superioris probabiliter creditur adesse, sed nullo externo signo sufficienter manifestatur, & est prorsus inanis; quia delegatio jurisdictionis fieri debet externo signo ad valorem judicii. Ita communiter contra Filliuc. & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 68.

Neque dicas; Ad tollendam malitiam furti in eo, qui non restituit, satis est voluntas Domini præsumpta, quod non fiat restitutio, ut multi probabiliter docent; ergo etiam ad valorem judicii Sacramentalis satis est jurisdictio habita per voluntatem Superioris præsumptam.

Nam, concesso antecedente, nego consequentiam. Et disparitas est, quia Dominus non est simpliciter invitus, quando præsumitur velle, quod non fiat restitutio, quatenus, si id pateretur, annueret, cum sit pius, verbi gratia, vel soleat debita dimittere; Atqui, quando Dominus non est invitus, cessat malitia furti in eo, qui non restituit; ergo per voluntatem Domini præsumptam, quod non fiat restitutio, tollitur malitia furti: Contra vero, ad delegationem jurisdictionis non satis est, quod præsumatur voluntas Superioris aut conditionata, aut interna, sed debet fieri humano, & sensibili modo, & signo externo conferri ad valorem judicii. Quis enim dixerit, esse legitimum Judicem illum, qui nullo externo signo constitutus sit Judex a Principe, esto Princeps voluntatem internam habeat constituendi illum Judicem? Dispar est itaque ratio, cur in primo casu sufficiat voluntas interna Domini solum præsumpta, non vero in secundo.

XV. Quod si habeatur ratihabitio de præsenti, per hoc scilicet quod signo aliquo vel evidenti, vel saltem probabili manifestetur adesse de facto in Superiore voluntas conferendi jurisdictionem, tunc probabiliter jurisdictio ista sic præsumpta, & interpretativa sufficit ad validitatem judicii: ut docent communius cum Filliuc. Busemb. Fagund. Præc. 2. lib. 7. cap. 2. Et talis ratihabitio de præsenti haberetur, quando, verbi gratia, Sacerdos, vidente, & non contradicente Episcopo, audiret confessiones, & eidem Episcopo constaret, quod illi jurisdictionem non contulerit; aut si Parochus absens alias significaverit alteri Parocho gratum sibi fore, quod suarum ovium confessiones audiat. Ratio est, quia talis ratihabitio fundatur in signis externis sufficienter indicantibus dari actu jurisdictionem, & consensum Superioris implicitum.

XVI. Quæritur octavo, an error communis satis sit, ut conferatur jurisdictio, etiam circumscripto titulo colorato?

Respondeo, jurisdictionem conferri, non solum quando errori communi adjungitur titulus coloratus, puta si existimetur aliquis communiter esse Pastor, aut habens aliunde jurisdictionem, cum tamen non habeat, vel propter censuram, vel propter alium defectum; sed etiam probabiliter si error communis non conjungatur cum titulo colorato; puta si Sacerdos non habens jurisdictionem bona, vel mala fide exponat se confessionali ad confessiones audiendas, communiter censetur confessarius approbatus. Ita Dian. part. 3. tract. 4. resol. 22. & resol. 122. ex ex Molfes. & aliis. Et ratio est, quia tam jus Civile *lege Barbarius ff. de Officio Prætoris*, quam jus Canonicum, *Cap. Ad probandum de Sententia, & re judic.* disponunt valere gesta a Judice putativo, quando communis error concurrit; idque propter bonum commune exigens talem dispositionem ad vitanda multa inconvenientia; ergo etiam Judex Sacerdotalis, si cæteroqui jurisdictione careat, quando ex errore communi putetur illam habere, propter bonum commune illam habet ab Ecclesia; dummodo tamen sit capax illius; nam, si non esset Sacerdos, verbi gratia, certe jurisdictionem ab Ecclesia habere non posset in foro Sacramentali; quia humana potestas solum tollere potest impedimentum juris humani, non vero juris divini, aut naturalis. Debet autem hic error esse probabilis, non vero supinus, aut crassus, ut advertit Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 1. num. 153. ex Sanch. & aliis; quia error supinus, & crassus in Jure æquiparatur scientiæ.

ARTICULUS II.

De Jurisdictione dubia, probabili, & in articulo mortis.

I. *Cum jurisdictione negative dubia non licet absolutionem impendere.*

II. *Licitum tamen est illam impendere cum jurisdictione probabili, supplente Ecclesia jurisdictionem, si forte desit.*

III. Habens jurisdictionem in mortalia Pœnitentis, si negative dubitet, an aliquod mortale sit reservatum, licite ab illo absolvit.

IV. Jurisdictio, quæ datur cuivis Sacerdoti pro mortis articulo, datur etiam pro periculo mortis. Et quinam dicantur in tali periculo versari?

V. Probabiliter simplici Sacerdoti confertur isthæc jurisdictio, etiam præsente Parocho.

VI. Absolutio a peccatis reservatis in mortis sive articulo, sive periculo confertur sine onere; secus vero absolutio a censuris reservatis, si tamen pœnitens sit denunciatus, & careat impedimento perpetuo adeundi Superiorem?

I. QUæritur primo; An liceat absolvere cum jurisdictione dubia, vel saltem probabili?

Respondeo cum communi, extra casum necessitatis dari non posse absolutionem ab eo, qui negative dubitat de sua jurisdictione, quia extra necessitatem nullum Sacramentum potest licite conferri cum dubio de ejus valore; ut si quis baptizaret cum aqua rosacea habens aquam naturalem; aut si quis absolveret dubitans an sit Sacerdos. Cum autem non minus ad valorem Sacramenti requiratur potestas jurisdictionis, quam potestas Ordinis, sequitur, quod non possit licite absolvere, qui negative dubitat de sua jurisdictione.

Quod si dubium negativum per rationem aliquam positivam deponatur, unde evadat dubium positivum, quæstio difficilior est, An possit licite conferri absolutio cum jurisdictione ista positive dubia, seu probabili; præsertim postquam Innoc. XI. damnavit propositionem illam, quam explicavimus quæst.3. art.6.: Etenim jurisdictio probabilis ex una parte non est certa, & ex alia parte pertinet ad valorem Sacramenti: Unde videtur exponi Sacramentum periculo frustrationis, non minus per jurisdictionem, quam per materiam, & formam Sacramentorum probabiles; atque adeo sicut non licet conficere Sacramentum cum materia probabili, omissa certa, sic videtur non licere conficere Sacramentum pœnitentiæ cum jurisdictione probabili, saltem quando potest haberi jurisdictio certa.

II. Nihilominus censeo, licitum esse absolvere cum jurisdictione probabili, ut fuse docui in expositione illius primæ thesis ab Innoc. XI. confixæ. Pro hac sententia Gobat. tract.7. n.116. numerat centum triginta Doctores; Negat tamen contra Raslerum sententiam hanc esse moraliter certam; cum multi graves Doctores illam respuant, dicentes, tunc solum ab Ecclesia suppleri defectum jurisdictionis, si abesset, quando absolutio confertur cum jurisdictione probabili, quia non potest haberi certa, secus vero, quando confertur absolutio cum jurisdictione probabili, omissa certa, quæ potest haberi; atque adeo ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum, putant, non esse licitum absolvere cum jurisdictione probabili, omissa certa.

Probatur tamen nostra conclusio primo a posteriori; tum quia non est probabile, centum triginta Doctores a Gobat relatos in re tanti momenti esse deceptos, & indiguisse censura; tum etiam quia praxis, & usus Ecclesiæ fert, ut penitentes absolvantur non solum a peccatis, sed etiam ab excommunicatione, quando probabiliter possunt absolvi; ergo universim licitum est absolvere cum jurisdictione probabili. Secunda pars hujus antecedentis patet; etenim, cum Doctores examinant; utrum hæc, vel illa excommunicatio possit absolvi a tali Confessario, non examinant, an speculative tantum loquendo, sed etiam an practice possit absolvi, & sæpe censent, posse absolvi, in quo casu absolutio confertur cum jurisdictione probabili, omissa certa, quæ posset haberi, si pœnitens remitteretur ad Superiorem, qui certam habet jurisdictionem.

Neque dicas; in tali casu non exponi Sacramentum periculo frustrationis, quia absolutio caderet supra reliqua peccata, a quibus potest Sacerdos directe absolvere; & solum indirecte caderet supra peccatum illud, in quod probabilem tantum habet jurisdictionem: At si jurisdictio absolute sit probabilis relate ad omnia peccata, exponeretur Sacramentum periculo frustrationis; & ideo non licet cum jurisdictione probabili absolvere.

Nam contra est, quia cum certum sit, quemcumque Sacerdotem habere jurisdictionem in venialia, aut mortalia alias remissa, vel a Christo Domino, vel a Papa ex consuetudine Ecclesiæ; (nam Innoc.XI. prohibuit tantum, sed non declaravit invalidam confessionem venialium factam simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, vel Ordinario) sequitur, quod saltem quando quis confitetur tali Sacerdoti habenti jurisdictionem probabilem, addendo aliquod veniale, supra quod ille habet jurisdictionem certam, non exponitur Sacramentum periculo frustrationis.

Probatur tamen secundo Conclusio a priori, quia quando jurisdictio est probabilis, eo ipso est certa, supplente Ecclesia ejus defectum, si adesset; atqui quando jurisdictio est certa, sine dubio licitum est absolvere, nec exponitur Sacramentum periculo frustrationis; ergo licitum est absolvere cum jurisdictione probabili. Probatur major, quia intantum non esset certa, inquantum graves Doctores dicunt, non suppleri defectum jurisdictionis ab Ecclesia, quando quis absolvit cum jurisdictione probabili, omissa certa; sed hoc quod ab his asseritur, est falsum; tum quia non est probabile, quod Pontifex propter bonum publicum nolit supplere defectum jurisdictionis in tali casu, in quo sic conferens absolutio-

lutio-

lutionem sequitur opinionem probabilissimam, quam plurimi, & communiter Doctores docent; tum etiam quia quando habetur error communis, Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, ut supra diximus, propter bonum commune, ne tot actus sint irriti; ergo a fortiori supplet talem defectum, quando Confessarius sequendo opinionem probabilissimam absolvit; atque adeo quando jurisdictio est probabilis, est saltem moraliter certa, quia moraliter certum videtur, quod Ecclesia Mater benignissima velit supplere illius defectum, si quis esset. Et sane quamvis non pauci Doctores antiqui apud Suar. & alios asseruerint, in Sacramento Pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, non per hoc desinit esse moraliter certum, sufficere Attritionem, spectatis verbis Tridentini, ratione, & auctoritate fere communissima in contrarium: Ergo pariter in casu nostro quamvis graves Doctores negent ab Ecclesia suppleri universim jurisdictionem, si forte desit, quando quis absolvit cum jurisdictione probabili, non desinit tamen esse moraliter certum oppositum, spectatis rationibus, & communissima auctoritate Doctorum benigne sentientium de Sancta Matre Ecclesia.

Probatur demum hæc assertio; quia sine dubio habet jurisdictionem debitam ille, qui habet jurisdictionem implicitam per ratihabitionem de præsenti signo externo manifestatam; sicut accidit, quando quis audit confessiones, vidente Prælato, a quo facile impediri potest, nec impeditur, ut supra diximus quæsito septimo: Atqui qui absolvit cum jurisdictione probabili, habet a Pontifice jurisdictionem implicitam, eo quod sciat Pontifex confessarios ut plurimum absolvere cum jurisdictione probabili juxta opinionem probabilissimam, quod facile potest prohibere, & tamen non prohibet; ergo qui habet jurisdictionem probabilem, habet a Pontifice jurisdictionem debitam; atque adeo cum jurisdictione probabili non exponitur Sacramentum periculo frustrationis, sicut exponeretur cum materia, aut forma probabili.

Hinc sequitur, ab Innoc. XI. in prima ex ejus proscriptis thesibus non esse damnatam hanc sententiam; quia debuisset apte illam damnare, si voluisset, quod non solum in iis, quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramenti, sed etiam in iis, quæ pertinent ad jurisdictionem, sequamur opinionem tutiorem, omissa probabili, ut multi viri docti censent cum Lug. contra Pisan. & Riccium exponentes illam thesim. (*a*)

„ (*a*) Ad eam propositionem dicemus de his, „ quæ Vivæ objicit Concina *T. 9. p.* 541. *seqq.* „ Ride interea illum, ut qui *T. 10. p.* 384. Vi„ væ apponat P. La-Croix aliter sentientem, „ ac Probabilistis insultet, quod propriis anti„ logiis semetipsos conficiant, perinde ac si in „ omnibus plane sententiis essent Probabiliori„ stæ sibi consentientes, aut peculiares opinio„ nes in re morali omnes a Probabilismi, aut „ etiam Probabiliorismi principio penderent.

III. Adverto demum, quod si quis certus sit de jurisdictione in aliqua mortalia pœnitentis, & dubitet negative de aliis, (ut accidit, quando quis audiens confessionem dubitat negative, an pœnitens inciderit in aliquod mortale reservatum) in tali casu, quamvis Armil. & Cordub. apud Busembaum hic dub. 4. §. ultim. & Suar. negent, posse licite absolutionem conferri: Affirmant tamen probabilius Lug. disp. 20. sect. 2. Filliuc. & alii; quia peccatum, de quo dubitatur, etiamsi negative, an sit reservatum, eo ipso non est reservatum, ut dicemus quæst. sequenti; quia scilicet in dubio melior est conditio possidentis; & in hoc casu est in possessione facultas absolvendi; (quod non accideret, si quis negative dubitaret, an habeat simpliciter jurisdictionem, tunc enim esset in possessione lex prohibens absolutionem). Et Lugo addit, quod si post absolutionem deprehendatur, vere illud fuisse reservatum, non proinde opus sit nova absolutione: Sicut dubius de voto reservato Pontifici, si ab Episcopo dispensetur, non indiget nova dispensatione, etiamsi deinde deprehendatur vere votum fuisse Pontifici reservatum. Et idem dicitur de Censura reservata: Licet, si post absolutionem censura deprehendatur fuisse reservata, teneatur pœnitens pro foro externo, non tamen pro foro conscientiæ comparere coram Superiore.

IV. Quæritur secundo; An jurisdictio, quæ delegatur cuilibet Sacerdoti ab Ecclesia in articulo mortis, delegetur etiam in periculo mortis?

Respondeo cum communi Doctorum affirmative; tum quia ex usu Ecclesiastico, pro eodem sumitur articulus, & periculum mortis, ut patet ex Cap. *Eos qui*, *de sententia excommunicationis in 6.* ubi in eodem contextu ille, qui vocatus fuerat articulus, vocatur deinde periculum mortis; tum etiam quia cæteroqui qui esset in periculo mortis, remaneret in periculo moriendi sine confessione: Est autem proprie articulus mortis, quando mors moraliter certa proxime imminet: Periculum vero dicitur, quando est probabile dubium de morte, eo quod frequenter soleat in tali casu mors accidere; ut in actuali pugna, in longa navigatione, in acuta febri, in partu difficili, in itinere latronibus infesto; vel quando quis probabiliter sibi mortem timet ab inimicis privatis per venenum, &c. Item in peste grassante, in terræmotu imminente, &c. & ex Sancio in prima die periculosæ infirmitatis, & in damnatis ad mortem; non vero in damnatis ad triremes, ut docent communiter Doctores contra Sa; quia pericu-

lum in iis non est proximum, sed remotum. Præterea ex Palao possunt absolvi, perinde ac essent in periculo mortis, qui sunt in perpetuo impedimento paupertatis, ægritudinis, servitutis, &c. Certum enim est, quod quando non potest pœnitens suum Superiorem adire, non obligatur per procuratorem, aut per literas se præsentare, nec per confessarium, qui ab eo petat privilegium absolvendi; nec tenetur vocare ad se superiorem, quia esset illum gravare.

V. Quæritur tertio; An etiam præsente Parocho, vel Sacerdote privilegiato, possit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, degradatus, hæreticus, &c. absolvere ab omnibus etiam reservatis in articulo mortis?

Respondeo, communiorem sententiam cum Suar., Vasq., Molin., & aliis negare. Primo, quia cessat finis concessionis Trident., qui est subvenire necessitati fidelium. Secundo, quia Trident. dicit, *Custoditum semper in Ecclesia fuisse, ne aliquis defectu hujus Sacramenti pereat, ut in illo articulo nulla esset reservatio*; ergo Trident. non condit novum jus, sed solum approbat consuetudinem Ecclesiæ; Atqui in Ecclesia non fuit consuetudo, ut præsente proprio Sacerdote, seu Parocho, absolvatur moribundus a simplici Sacerdote; Imo sicut nullus infirmus audet recipere ullum aliud Sacramentum ab alieno Sacerdote, præsente proprio, sic nec Sacramentum pœnitentiæ; ergo, &c.

Verum probabilis etiam est, & in praxi secura sententia affirmativa, quam docent Perez, Navar., Sa, Ledesm., & alii plurimi apud Dian. part. 1. tract. de Absolut. hæres. resolut. 5. & part. 3. tract. 4. resol. 161. tum quia verba Trident. loquuntur universaliter, & sine ulla exceptione, posse scilicet quemlibet ab omnibus peccatis per Sacerdotes absolvi; ergo etiam præsente proprio Sacerdote potest simplex Sacerdos absolvere; tum etiam, quia cum finis dictæ concessionis sit, *ne hac occasione aliquis pereat*, dicendum, ad majorem favorem, & gratiam periclitantium voluisse Trident. concedere hanc facultatem sine ulla conditione & limitatione; Accidere enim posset, vel quod moribundus moriatur, dum expectat licentiam Prælati, vel quod minori cum rubore, & majori cum facilitate confiteatur simplici Sacerdoti amico, quam Parocho; unde ubi lex non distinguit, nec limitat, nec nos limitare debemus.

Ad primam rationem in contrarium, nego cessari finem concessionis Trident., qui non est solum subvenire necessitati periclitantium quomodocumque, sed subvenire meliori modo, quo possit, atque adeo dando illis facultatem, ut libere a quovis Sacerdote absolvantur. Ad secundam, nego minorem, & transmissa minore, dico, id fieri propter condecentiam, & majorem securitatem, non ex obligatione. Ad id, quod additur, dico, non haberi utilitatem specialem in reliquis Sacramentis per hoc, quod a Porocho, vel ab aliis suscipiantur; sicut habetur in Sacramento pœnitentiæ; Potest enim moribundus cum majori facilitate confiteri simplici Sacerdoti amico, & ideo hoc illi non denegandum.

Advertendum tamen, quod moribundus sine ulla sui speciali utilitate non debeat ad administrandum hoc Sacramentum advocare Sacerdotem excommunicatum, aut hæreticum, &c., aut quem sciret esse in peccato mortali; non quia in eo non esset in tali casu jurisdictio; sed quia moribundus sine ulla sui utilitate esset causa indignæ administrationis Sacramenti, quæ fieret a tali Sacerdote.

VI. Quæritur ultimo; An absolutus in articulo mortis a peccatis, vel a censuris reservatis teneatur deinde, si convalescat, Superiorem adire pro absolutione?

Respondeo cum Lug., Suar., & aliis communiter contra Vasq. apud Lug. disp. 20. num. 207. Absolutionem a peccatis reservatis in articulo, vel periculo mortis conferri sine ullo onere. Ratio est, quia Trident. dicit in tali articulo nullam esse reservationem; & idem probabiliter dicendum in casu legitimi impedimenti perpetui adeundi Superiorem, ut infra explicabimus: Contra vero absolutio a censuris reservatis confertur cum onere comparendi se u præsentandi se Superiori, ubi cesset impedimentum, sub pœna reincidentiæ, non quidem ad absolutionem Sacramentalem aut a censuris iterum recipiendam, sed ut pœnitens obediat mandatis Superioris, & ut constet de satisfactione partis: Et ideo potest se præsentare per Procuratorem, vel per literas (excepta excommunicatione ob percussionem Clerici, quæ exigit personalem præsentationem). Quare si elapso periculo non se præsentet, ubi commode potest, relabitur in eandem excommunicationem, ut constat ex Cap. *Eos qui, de sententia excommunicationis in 6.*

Ubi adverte primo, moribundum absolvi posse solum ab iis censuris, quæ impediunt susceptionem Sacramentorum, puta ab excommunicatione, &c., non vero a suspensione ab Ordine, vel ab Officio, aut Beneficio, ut patet ex ratione a Trident. tradita, videlicet ne hac occasione aliquis pereat. Immo Mendo putat, excommunicatum posse absolvi ab excommunicatione solum in ordine ad effectum suscipiendi Sacramenta, non vero in ordine ad effectum sepulturæ, in ordine ad quem potest adhuc post mortem a judice legitimo absolvi.

Adverte secundo, in jure præcipi, ut ab eo, qui in casu necessitatis absolvitur, exigantur quæ-

quædam juramenta: Sic ab incendiario, a percussore Clericorum, ab excommunicato excommunicatione Bullæ cœnæ exigitur juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, seu servandi, quod ea occasione injunctum fuerit ab Ecclesia, seu a Superiore absolvente. Præterea ab eo, qui non potest statim satisfacere parti læsæ, exigendum est (si debitum sit pecuniarium) primo loco pignus; secundo, si pignus haberi non possit, fidejussio; ac demum, si nec fidejussio haberi possit, juramentum de satisfaciendo; & habita hac cautione vel pignoratitia, vel fidejussoria, vel juratoria, potest absolvi. Verum Dian. part. 2. tract. 16. resol. 44. cum Navar., Valero, Henr., Pelliz., Tambur., aliisque tenet, quod quando absolutio datur tantum in foro conscientiæ, satisfit per firmum propositum de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi parti læsæ, si non possit statim satisfacere; eo quod hæc juramenta, & cautiones in jure exigantur pro foro exteriori: quod ostendit praxis Confessariorum, qui non solent in casibus expressis hæc juramenta, aut cautiones exigere. Unde saltem dicendum, quod ea jura, etiamsi pro foro conscientiæ exigant juramenta, vi consuetudinis tamen non amplius obligent.

Advertendum tertio, absolutionem ab excommunicatione reservata, etiam canonis, *Si quis suadente diabolo*, tunc in articulo mortis conferendam esse cum onere se præsentandi cessante periculo, quando pœnitens est excommunicatus denunciatus, ut docet Dian. part. 3. tract. 14. resol. 93. ex Januario, & aliis; tum quia textus ille Capitis *Eos qui*, loquitur de excommunicatis denunciatis tantum, tum etiam, quia non amplius habet locum hujusmodi onus post Trident. asserens, in articulo mortis nullam esse reservationem; Quare Trident. correxit quoad hoc jus antiquum, dum oneris ab eo impositi non meminit: Quando autem quis absolvitur ab excommunicatione reservata propter impedimentum perpetuum, non debet obligari ad comparendum, cum impedimentum perpetuum cessare non possit; secus vero si absolvitur propter impedimentum temporale.

ARTICULUS III.

De Approbatione in Confessario requisita.

I. Solum ad audiendam Confessionem Secularium requiritur aut Approbatio ab Episcopo, aut Parochiale Beneficium in confessario. Potestque Parochus jurisdictionem erga suas oves delegare alteri Parocho, ac Sacerdotibus ab Episcopo proprio alibi approbatis.

II. In quo differat Approbatio a Jurisdictione?

III. Jurisdictio dari debet ab Episcopo, vel Parocho, cui est subditus pœnitens; Approbatio vero datur ab Episcopo Confessarii.

IV. Episcopus potest aliquem ad examen non admittere, non tamen potest illum non approbare, si admiserit, & sit idoneus.

V. Regulares ab Episcopo approbati, ut valide absolvant, non indigent facultate proprii Prælati.

I Trident. sess. 23. cap. 15. hæc habet: *Decernit Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.*

Sequitur hinc primo, Approbationem hanc Episcopi requiri ad validitatem Sacramenti; non secus ac requiritur potestas Ordinis, & jurisdictionis.

Sequitur secundo, non requiri hujusmodi approbationem ad audiendas confessiones Regularium, adeoque Regulares posse a quolibet simplici Sacerdote absolvi de licentia suorum Prælatorum, qui jurisdictionem conferant. Nomine autem Regularium veniunt etiam Equites S. Joannis, S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ex Joan. Sancio, & aliis apud Dian. part. 3. tract. 20. resol. 30., & Leand. disp. 11. quest. 47.; quia omnes isti sunt vere religiosi. Quamvis autem nomine Regularium veniant universim etiam Moniales; At hæ ex decreto Gregor. XV. confiteri debent Confessariis approbatis ab Episcopo.

Ubi notandum, Clem. X. in sua septima Constitutione, quæ incipit, *Superna*, tribuere facultatem, ut ii Sæculares, qui in Monasteriis, seu Collegiis Regularium degunt, & sunt familiares, ac continui commensales, absolvi possint a Prælatis eorundem Regularium, & a Confessariis eorundem Monasteriorum; quod tamen non conceditur aliis famulis, qui Monasterio inserviunt. Et in eadem Constitutione loquendo de Monialibus decernit Pontifex, quod ad audiendas Monialium confessiones requiratur specialis approbatio; Et quod approbatus ad audiendas confessiones unius Monasterii non censeatur eatenus approbatus ad audiendas confessiones alterius Monasterii. Imo confessarii extraordinarii deputati ab Episcopo ad Confessiones alicujus Monasterii pro una vice audiendas, non possunt vi talis approbationis iterum earundem Monialium Confessiones audire. Ubi notat Platelius n. 875., quod licet Pontifex loquatur de Confessariis Regularibus, id a fortiori dicendum de confessariis sæcularibus, utpote minus privilegiatis.

Sequitur tertio, Approbatione hac non indigere

re eum, qui Parochiale, seu Curarum beneficium obtinuit. Unde poterit extra diœcesim a quolibet alio Parocho advocari, ut illum adjuvet ad audiendas confessiones; non secus ac Sacerdos approbatus. Nomine autem beneficii parochialis ex Suar. disp. 39. sect. 4. venit non solum Parochus, sed etiam habens Vicariam perpetuam, & Rectoriam parochiæ; & qui habent superiora beneficia, ut Episcopi, Archiepiscopi, Abbates nonnulli habentes beneficia cum jurisdictione ordinaria in foro externo. Non comprehenduntur tamen Prælati regulares, quamvis pariter habeant curam animarum, instar Parochorum, ut communiter docent Doctores cum Suar. de Pœnit. disp. 28. sect. 8. contra Henr., Joannem Valerum apud Lug. disp. 21. num. 1., & alios cum Bossio apud Dian. part. 2. tract. 16. resol. 44., & part. 5. tract. 12. resol. 51., quia Trident. expresse voluit, Regulares subjacere examini Episcoporum, nulla facta distinctione Prælatorum; Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quamvis Dian. loc. Laudat. probabilem putet, & Bossius in praxi tutam sententiam oppositam: Equidem non astipulor: Illud est certum, quod si Parochus suum beneficium curatum dimisit, approbatione Episcopi indigeat deinde ad confessiones audiendas, quia non amplius habet, sed habuit beneficium parochiale.

Sequitur quarto ex Suar. disp. 28. sect. 5. Episcopos, & Prælatos sæculares non posse eligere sibi in Confessionem, nisi vel Parochum, vel approbatum ab Ordinario; Et ab Alex. VII. damnata est illa propositio dicens: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Sequitur quinto, non posse Parochum delegare jurisdictionem suam relate ad suos Parochianos simplici Sacerdoti, sed probabiliter posse illam delegare vel alteri Parocho, vel Sacerdoti alibi approbato ab Episcopo. Ita communius Doctores apud Lug. num. 6. contra nonnullos; & apud dian. part. 5. tract. 12. resol. 47. Ratio est, quia hoc decretum Trident. factum fuit ad tollendum parochorum abusum, qui ineptis oves suas committebant. Advertitque Fagund. de Præcep. Eccl. lib. 3. num. 48. ex Sanch., videri satis esse etiam approbationem factam ab Episcopo cum aliqua limitatione; V. g., ad viros tantum, dummodo cæteroqui sit idoneus.

Utrum autem Parochus possit Jurisdictionem erga suas oves delegare Regulari alibi approbato ab Episcopo? In exposit. thes. XVI. confixæ ab Alex. VII. dixi, non esse improbabile, quod possit, dummodo Episcopus non supponatur invitus.

II. Sequitur ultimo, Approbationem diversam esse a Jurisdictione, cum possit aliquis habere approbationem sine jurisdictione: Est enim approbatio testimonium, & judicium de sufficientia, & idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones. Quare per solam approbationem nulla jurisdictio, nec potestas confertur.

III. Quæritur nunc primo; A quonam Episcopo approbari debeat confessarius? ab Episcopo confessarii ne, an pœnitentis, an ab utroque, an ab Episcopo loci, ubi fit confessio, an a quocumque?

Respondeo cum communiori, quod ab Episcopo Confessarii. Ita Suar. disp. 28. sect. 6., Bonac., Fagund., Con., Lug. disp. 27. num. 35.: Esto alii in alia sint opinione, & varias responsiones Sacræ Congregationis super hoc adducant. Ratio est, quia approbatio est actus jurisdictionis, adeoque nequit exerceri, nisi in subditum; ergo Sacerdos approbandus est ab Episcopo, cui est subditus, vel ratione domicilii fixi, vel transeuntis, vel ratione originis, vel ratione beneficii, ut docent Hurt., & Fagund.

Hinc sequitur primo, quod jurisdictio dari debeat ab Episcopo, vel Parocho, cui est subditus pœnitens: Contra vero approbatio dari debet ab Episcopo, cui est subditus confessarius. Regulares vero, qui jurisdictionem habent a Pontifice, & indigent approbatione Episcopi tamquam requisito essentiali, approbari debent ab eo Episcopo, in cujus diœcesi versantur, juxta decretum Urbani VIII. relatum a Lug. num. 28.

Sequitur secundo, ab eodem Episcopo, cui est subditus pœnitens, posse dari approbationem Confessario non subdito, dummodo sit in diœcesi talis Episcopi; Verbi gratia, potest Episcopus Neapolitanus dare approbationem Sacerdoti Nolano relate ad confessiones audiendas Neapoli; quia Sacerdos Nolanus, dum est Neapoli, censetur subditus Episcopi Neapolitani: Non secus ac pœnitens Nolanus, dum versatur Neapoli, potest confiteri confessariis Neapolitanis, quia censetur subditus Episcopi Neapolitani.

IV. Quæritur secundo; an possit Episcopus Sacerdotem, quem judicat idoneum, non approbare?

Respondeo cum Con., & aliis communiter negative; esto possit illum ad examen non admittere, saltem si sit sæcularis. Ratio est, quia approbatio non est gratia, sed actus justitiæ post felicem successum examinis; Quare, si Episcopus illum non approbat, peccat graviter, cum sit in re gravi actus justitiæ. Potest tamen Sacerdoti approbato jurisdictionem denegare; siquidem delegatio jurisdictionis est gratia. Quia tamen, ut diximus, Jurisdictio Regularibus confer-

confertur immediate a Pontifice, ut constat ex eorum Privilegiis; ideo Regularis statim ac est ab Episcopo approbatus, habet jurisdictionem in diœcesi talis Episcopi, ita ut solum intra diœcesim illam possit confessiones audire, ex Bulla Clem. X. Quod si Episcopus injuste alicui approbationem denegaret, aut illam injuste limitaret, non eatenus hic posset valide confessiones audire; ut advertimus articulo primo, numero undecimo; & constat ex iis quæ diximus exponendo thesim XIII. ab Alex. VII. confixam, quæ habet: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, & ab eo injuste reprobato.*

V. Quæritur tertio; An Regulares indigeant approbatione, & licentia proprii Prælati, ut possint Sæcularium Confessiones audire?

Respondeo, ea non indigere ad valide conferendum hoc Sacramentum, ut communiter docent Doctores apud Dian. part. 1. tract. 11. resol. 15. contra alios relatos a Leand. quæst. 75.

„ (*a*) De approbatione Confessariorum pro „ monialibus essent aliqua addenda. Verum nihil „ de hac re intactum reliquit Benedictus XIV. „ in sua quadam Constitutione. Satis sit eam „ referre. En illam.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad Perpetuam rei memoriam.

„ PAstoralis curæ Nobis impositæ munus hanc, „ inter alias, solicitudinem a Nobis, ut pupillorum animis in afflictione, & angustia constitutis opportuna solatia, ac remedia afferre non „ negligamus, quorum ope interiorem conscientiæ „ tranquillitatem recuperare, aut conservare va„ leant, sine qua impossibile est debitam Omnipo„ tenti Deo servitutem alacri, & prompta affe„ ctione exhibere; Hujusmodi angoribus, & affli„ ctionibus, confici passim constat Religiosas Mu„ lieres in Claustris degentes, quibus certus, & u„ nicus Sacramenti Pœnitentiæ Minister a Mona„ sterii Prælato ad tres, ut minimum, annos desi„ gnari solet, cui, si aliquando, præ pudore, vel „ alia quapiam de causa, non omnes conscientiæ „ suæ recessus aperire audeant, atque ideo confes„ sionis integritati detrahere incipiant, in bara„ thrum perditionis æternæ se ipsas misere conji„ ciunt. Quod sane haud raro evenire, satis No„ bis exploratum, atque compertum est, tum ex „ iis, quæ in Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio „ tractari vidimus, dum olim in minoribus con„ stituti plurium annorum spatio munus Doctoris „ in Decretis in eodem Officio sustinuimus; tum „ etiam ex iis, quæ in Episcopalis Anconitanæ „ primum, deinde in Metropolitanæ Bononiensis „ Ecclesiæ regimine frequenti usu cognovimus; „ tum demum ex his, quæ sæpius ad nos in Petri „ Cathedra octavum jam annum, Dei miseratione „ residentes deferri contingit, sive ex parte diver„ sarum hujusmodi Monialium, quæ animarum „ suarum angustias paternis oculis Nostris identi„ dem subjicere coguntur, sive ex parte Ven. Fratr. „ Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis „ earumdem Monialium in suis Diœcesibus existen„ tium calamitates, ex præallegata causa ortas, „ aut viva voce, aut per litteras non semel re„ præsentarunt, ac super ea re Apostolicæ provi„ dentiæ opem postularunt. Hinc est, quod Nos „ earum specialibus indigentiis per hanc nostram „ perpetuo valituram Constitutionem opportune „ prospicere volentes; non quidem intendimus con„ sultissimam illam, & veteris disciplinæ auctori„ tate roboratam legem tollere aut abrogare, qua „ generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro sin„ gulis Monialium Monasteriis unus dumtaxat Con„ fessarius deputetur, qui Sacramentales Confessio„ nes universæ earum Communitatis excipiat, ne„ que liceat unicuique Moniali peculiarem Confes„ sarium pro libito sibi deligere; sed hoc dumta„ xat Nobis propositum est constituere, ut si quan„ do generalis hujusmodi legis rigor, in peculiari„ bus casibus, non sine animarum detrimento, aut „ periculo servari posse videatur; in promptu sit „ opportunę dispensationis & indulgentię remedia „ occurrentibus necessitatibus admovere.

„ Sane jamdudum S. Thomas Aquinas Schola„ rum Princeps Ecclesiæque Doctor, *in Supplemen*„ *to tertiæ partis, q. 8. art. 4. ad sextum*, sive *in* „ *quartum Sententiarum*, ex quo commentario de„ sumptum est hujusmodi *Supplementum*, hoc Su„ perioribus monitum dedit, & subditis suis, qui„ bus certum, & unicum Confessarium designare „ solent, haud difficulter licentiam concedant con„ fitendi peccata sua alteri Sacerdoti; propte„ rea quod multi infirmi, & imbecilles animo re„ periuntur, qui potius eligerent sine Sacramentali „ expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa pec„ cata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato „ aperire. Jam vero Sacrosancti Conc. Trid. Patres „ hanc legem districte sanxerunt, *sess.* 25. *cap.* 10. „ *de Regul.* ut Episcopi aliique Monasteriorum „ Prelati, subjectis sibi Monialibus Confessarium „ extraordinarium duabus, aut tribus vicibus in „ singulos annos exhibere debeant; per hæc verba: „ *Præter ordinarium autem Confessorem, alius ex*„ *traordinarius ab Episcopo, aut aliis Superioribus,* „ *bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Con*„ *fessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de cau„ sa præscriptum fuit, quam quia satis constabat „ nonnullas aliquando Moniales esse, quæ nulla „ ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum „ suum ordinario Confessario confiteantur, adeo „ ut necesse omnino sit alterius Confessarii copiam „ ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis „ integre, rite, atque utiliter confiteri possint. Id „ ipsum probe animadvertit Magnus Ecclesiæ Dei „ Sacerdos S. Carolus Borromæus, qui prædicti Conc. „ Trident. absolutionem ope sua plurimum juvit, „ ejusque executionem, & observantiam in sua Me„ diolanensi Civitate, & Provincia non sine im„ mensis laboribus, & curis invexit; is enim hac „ de re decrevit: *Superiores ex Decreto Sacri Tridenti*„ *ni Concilii, quotannis idoneum Confessorem extra*„ *ordinarium Monialibus sibi subjectis exhibeant*, „ *cui curent, ut universæ confiteantur, ut quæ hu*„ *jusmodi indigent medicina propter aliquem occul*„ *tum animæ morbum, neque ipsæ eam postulare,* „ *aut accipere ab usitato Confessore unquam auderent,* „ *liberius mederi suis malis possint, ac Diaboli la*„ *queos evadere, una cum reliquis Confessario novo* „ *sua peccata confitendo*, uti legere est *in Actis Ec*-

„ *cle*-

„ *clesiæ Mediolanen. impress. anno* 1599 *pag.* 53. *in* „ *editione autem Lugdunensi tom.* 1. *pag.* 46.

„ Porro quicumque Conciliaris Decreti sensus penitus introspexerit, non modo salutarem illius „ providentiam facile agnoscet, sed & circumspectam ejusdem æquitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo injungitur, ut duabus, „ tribusve vicibus infra annum Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant, *bis, aut ter in* „ *anno offeratur;* Hujusmodi autem Confessarius jubetur earum omnium Confessiones excipere quotquot eidem confiteri velint. *Qui omnes Confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus, & singulis Monialibus præcipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud „ enim requiritur ab omnibus in Monasterio, tam „ scilicet a Superiorissa, ceterisque Monialibus Professis, atque Novitiis quam a Secularibus, quæ „ vel educationis causa, vel alio titulo in eodem „ Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulæ se „ sistant, sive ad Sacramentalem confessionem apud „ ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra Sacramentalem confessionem ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne si Moniales aliquæ extraordinarium Confessarium adirent, aliæ autem „ coram ipso non comparerent, suspiciones, atque „ oblocutiones excitarentur, & illæ quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad „ extraordinarii opem confugere coactæ essent; aliæ „ vero ab hujusmodi necessitatibus, & causis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam san. mem. „ Prædecessor Noster Clemens Papa XI. Edicto suo „ (quod est XV. *in secunda parte ipsius Bullarii*) „ inviolabiliter servari mandavit, eamdem omnium „ Diœcesum consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac „ in re addendum superest, nisi, ut Vener. Fratres „ Nostros Ecclesiarum Antistites enixe hortemur, „ ut quamvis Tridentina Synodus de solis Claustralibus Monialibus in præmisso Decreto loquatur, „ nihilominus eamdem disciplinæ formam observent, „ tam cum aliis Monialibus, quæ licet Clausuræ legibus minime astrictæ sint, in communitate tamen „ vivunt, quam cum aliarum quarumcumque Mulierum, aut Puellarum Cœtibus, seu Conservatoriis, quoties tam illæ, quam istæ, unicum Ordinarium Pœnitentiæ Ministrum a Superioribus designatum habeant. Quæcumque enim circa Moniales in rigorosa Clausura viventes cavenda sunt, „ eadem in aliis quibuscumque Mulieribus, sive „ Regularibus, sive Sæcularibus in Communitate, „ aut Collegio degentibus, locum habere possunt; „ ideoque pari providentia, iisdem remediis arceri, „ aut emendari debent. Et nos quidem, quum hanc „ consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis, aut ter in anno singulis tam Monialium non Claustralium Communitatibus, quam „ piis aliarum Puellarum, & Mulierum Cœtibus, „ & Communitatibus in Nostra Civitate, & Diœcesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat edictum Nostrum num. 56. inter Pastorales Institutiones italico primum sermone a Nobis vulgatas, denique in latinum conversas) omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem nos inde evidenter „ collegisse.

„ Quum vero super relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullæ quæstiones alias excitatæ, eodemque jampridem per opportuna Sedis Apostolicæ Decreta definitæ fuerint, operæ pretium ducimus hujusmodi definitiones ab omnibus ad quos „ spectat omnino tenendas, atque servandas, his „ Nostris Apostolicis litteris complecti, & auctoritatis quoque nostræ robore communitas, in prædictorum omnium notitiam deducere. Et primo „ quæsitum fuit ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confessorem Monialibus deputare, „ atque offerre: Sed facilis fuit responsio, quam „ Nos quoque Decreto Nostro ratam habemus; hujusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet Confessarii Ordinarii electio, & deputatio; ideoque Episcopus, „ sive Ordinarius loci, qui Monialibus sibi subjectis „ Confessarium Ordinarium dare consuevit, idem „ Confessarium extraordinarium bis aut ter in anno ad normam Tridentinæ Sanctionis, eisdem offerre tenetur; Prælatus vero Regularis, ad quem „ pertinet Ordinarium Confessarium subditis sibi „ Monialibus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare & constituere; ipse etiam „ eisdem extraordinarium Confessarium in vim præfati Decreti, & juxta easdem Constitutiones, „ duobus, aut tribus per annum temporibus exhibere potest, ac debet. Quæ tamen ideo *regulariter* obtinere diximus; quia si Episcopus aliquis „ (quod Deus avertat) adeo hac in re negligens esset, „ ut Monialibus suis, bis, terve in anno extraordinarii Confessarii copiam facere prætermitteret: „ obtendens, ut moris est, nullam hac de re Monialibus ipsis sollicitudinem, aut curam esse; tunc „ volumus Dil. Fil. Nostrum S. R. E. Cardinalem „ modernum, & pro tempore existentem majorem „ Pœnitentiarum, statim ac pro parte Monialium „ hujusmodi requisitus fuerit, Ordinarii Pastoris „ negligentiam supplere debere, earumque Monasterio extraordinarium Confessarium ex eorum „ tamen numero, qui ad excipiendas Moniales „ Confessiones ab ipso ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis; & opportunis facultatibus concedere, & deputare. Quod si Prælatus Regularis eamdem Concilii legem de Confessore extraordinario bis, aut ter in anno Monialibus sibi subjectis exhibendo similiter implere „ neglexerit, tunc locus fiet Decreto Congregationis S. R. E. Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem, & executionem auctoritate Apostolica „ deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad „ quæstionem ab Episcopo Vercellensi propositam „ *die* 23. *Augusti anni* 1631. rescripsit, ut infra: „ *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi, an* „ *deputatio Confessarii extraordinarii Monialium Regularibus subjectarum spectet ad Ordinarium loci: Sacra Congregatio censuit ad Episcopum non* „ *pertinere, nisi in casu negligentiæ eorumdem Regularium*, ut videre licet *Decretor. lib.* 14. *pag.* „ 493. Nec aliter Respondit quæstionibus ab Episcopis Belgii exhibitis *die* 6. *Aprilis anni* 1647. ut „ legitur *Decret. lib.* 18. *pag.* 32. Quæ quidem rescripta, & Decreta Nos etiam præsentium tenore, „ & Apostolica auctoritate in omnibus, & per omnia „ approbamus, & confirmamus.

„ Quum autem Tridentina Synodus de universa „ quidem Monialium Communitate, ut supra decreverit, sed nihil de singulis Monialibus statuerit,

„ rit, ut patet legenti Textum citati capitis X. „ utque etiam jam usque ab anno 1585. judicatum „ fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii „ Interpretum, qui subsequens rescriptum quod ex„ tat *Decr. lib.* 4. *pag.* 90. *Sacra &c. censuit, extra„ ordinarium Confessorem offerrendum non alicui Mo„ niali singulariter, sed omnibus Monialibus univer„ se, ut omnium Confessiones audire debeat; in arbi„ trio tamen cujusque Monialis esse, ut Confessario ex„ traordinario velit confiteri;* Hinc ortum habuit alte„ rum controversiæ, seu dubitationis caput; an sci„ licet, ubi jam universę Communitati bis, terve „ intra annum Confessarii extraordinarii copia fa„ cta est, & nihilominus aliqua Monialis Confessarium „ peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an, „ inquam, hujusmodi petitioni sit indulgendum. Id „ autem primo loco quęsitum fuit, proposito casu „ Monialis graviter ęgrotantis quę in mortis peri„ culo pro spirituali consolatione postulet alium „ Sacerdotem, qui tunc non sit ordinarius Mona„ sterii Confessor, suprema sibi Ecclesiasticę pietatis „ officia, & Pęnitentię Sacramentum ministrare. „ Huic annuendum facile esse, prædicta Congrega„ tio pluries judicavit, ut videre est ipsius *Decr. lib.* „ 18. *pag.* 322. *a tergo* sub *die* 6. *Aprilis anni* 1647. „ & eodem libro *pag.* 586. *die* 22. *Februarii anni* „ 1649. quæ pariter Decreta a nobis præsentium tenore „ approbantur, & confirmantur; ut scilicet Episco„ pi subjectis sibi Monialibus in gravi infirmitate „ constitutis, & id expetentibus, peculiarem Confes„ sarium concedere debeant; iidemque etiam idi„ psum præstent erga Moniales Regularibus Prælatis „ subjectas, quum aliqua ex illis a suo Superiore Regu„ lari hujusmodi gratiam impetrare non potuerit. „ In hoc autem casu nihil statuitur de Cardinali „ Majore Pœnitentario non ideo, quia nequeat is „ pro singulis Monialibus idem facere, quod supra „ diximus eumdem pro toto Monasterio facere pos„ se; sed quia tunc, ob temporis angustias, inter„ clusa præsumitur via recurrendi ad ipsius Officium. „ Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus, & „ modus suppetat; ad eum pertinebit eadem prorsus „ ratione, peculiaribus supplicantium necessitatibus „ providere, qua dictum est superius, universæ Re„ ligiosæ communitati ab ipso consulendum esse.

„ Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam „ Monialibus, quæ nec corpore infirmæ, nec morti „ proximæ, Ordinario tamen ministro confiteri ob„ firmate recusant. Istarum quoque animi debilitas „ commiseranda est, & sublevanda: adeoque, ubi „ earum reluctantia superari nequeat, Confessarius „ extra ordinem deputandus est, qui earum Confes„ siones peculiariter excipiat. Id vero circa Moniales „ Episcopo, sive Ordinario loci subjectas ab ipso Or„ dinario præstari debet. Quod autem ad illas perti„ net, quæ Regulari regimini subsunt, ad Regularem „ Prælatum pertinet, servatis servandis, peculiarem „ ipsis destinare Confessarium ex approbatis ab Ordi„ nario ad Confessiones Monialium; vel si Sacerdos „ ille, cui ejusmodi Monialis confiteri cupit pro illis „ non sit approbatus cum ipso Ordinario agendum e„ rit, ut pro excipienda saltem illius Monialis Con„ fessione, & pro tot vicibus quot expedire judicabi„ tur, eumdem approbet. Sin autem contingat (ne„ que id adeo rarum est) ut Regularis Superior ad „ concedendum hujusmodi Confessarium extraordi„ narium Moniali communem Confessarium recusan„ ti nullo pacto adduci possit; jam huic casui provisum „ est per Decretum anno 1573. a prædicta Congrega„ tione Concilii editum, & a fel. recor. Gregorio Papa „ XIII. tunc Apostolicum Thronum obtinente appro„ batum, & confirmatum, quod nunc iterum Con„ firmationis Nostræ auctoritate roboramus. Decreti „ verba relata *lib.* 1. *Decretorum ipsius Congregationis* „ *pag.* 66. *a tergo*, hæc sunt: *Monialis per aliquod tem„ pus noluit confiteri Confessariis Regularibus. Dubita„ tum fuit, an Episcopus Regiensis posset dare dictæ „ Moniali Confessorem alterius Ordinis Regularem, vel „ Sæcularem, cui illa semel, vel pluries confiteatur „ peccata sua, & a quo absolvi possit. Sanctissimus Do„ minus Noster etiam ex Sententia Congregationis Con„ cilii, declaravit, dictum caput decimum ita esse in„ telligendum, ut etiam possit Episcopus concedere „ Confessarium alterius Ordinis, vel sæcularem.* Præ„ terea nihil obstat quominus ipsa Monialis recur„ sum habeat ad Cardinalem majorem Pœnitentia„ rium, a quo ipsi providendum erit, ut supra di„ ctum est, per deputationem Confessarii ex appro„ batis ad Moniales, apud quem illa confiteatur.

„ Quæsitum denique fuit de Monialibus illis, quę „ neque ægrotant, neque recusant Ordinarium Pœ„ nitentię ministrum a Monasterii Pręlato pro universa „ Communitate deputatum; verum pro majori animi „ sua quiete, atque ulteriori in via Dei progressum fa„ cultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad „ excipiendas Monialium Confessiones jam approbato. „ Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus „ accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut Regulari„ bus Monialium Superioribus agere debuerimus. „ Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, „ qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, „ quod quum Moniali postulanti libera fuisset facultas „ confitendi extraordinario Sacerdoti, qui universæ „ Communitati non semel eo anno jam datus fuerat „ tunc opportebat eam conscientię suę consuluisse: „ Quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi im„ putaret, neque pergeret Superiori molestiam affer„ re, ut peculiarem Confessarium, extra ordinem „ ipsi concederet. Nobis autem objicientibus, Mo„ nialem hujusmodi ad Apostolicæ Pœnitentiariæ „ Officium facile recursum habituram, ibique „ haud ægre impetraturam id, quod ab ipsis Superio„ ribus ei denegatum fuisset, iterum constanter re„ spondebant extraordinarium hujusmodi Confessa„ rium post impletam ab ipsis erga universum Mo„ nasterium Tridentini Concilii legem, ab alio qui„ dem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

„ At vero neque tunc Nobis arridebat, neque pro„ fecto nunc Nobis placet rigida isthæc agendi ratio; „ Persuasum enim habebamus, adeoque habemus, „ non solum integræ Communitati, sed singulis etiam „ Monialibus indulgendum esse in iis rebus, quæ ju„ ste, & rationabiliter petuntur, maxime, quum il„ læ ad earum conscientiæ quietem, & securitatem „ conferre dignoscuntur. Neque sane hujusmodi po„ stulationes, aut temere exaudiri, aut sine causa re„ jici debere censemus, sed inquirendum in primis es„ se de qualitatibus tum Monialis, quæ Confessarium „ extra ordinem petit, tum Confessarii, qui ab ea re„ quiritur; ut utriusque diligenter inspectis, deliberari „ possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si „ enim Monialis ex una parte nullum det adversę suspi„ cionis locum, ex altera vero Confessarius non mo„ do legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam „ commune probitatis testimonium pro se habeat, „ nullo modo probare possumus tam firmum hujus„ modi Prælatorum in renuendo propositum; nec in„ telligimus, cur post Confessarium extraordinarium inte-

,, integre Communitati juxta legem Conc.Trid. oblatum, nullam omnino Monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem Confessarium, cujus consilio, & opera justis fortasse de causis indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille animarum Rector S. Franciscus Salesius, cujus doctrinæ summam ex illius operibus, tum editis, tum manu scriptis, collectam bon.mem. Jo: Petrus le Camus Episcopus Bellocensis justo volumine complexus est, cui titulum fecit *Spiritus S. Francisci Salesii*. In hujus compendio quo ex Gallico in Italicum sermonem converso Venetiis anno 1745. pro quarta vice Typis editum est, parte 17.c.6. aperte legitur, quod, cum Beatus Episcopus non ita intelligeret præmissum Conc. Trid. Decretum, ut vetitum existimaret, Confessarium extraordinarium, pluribus etiam, quam tribus vicibus in anno, Religiosæ Communitati offerre, quæ quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert *Diana in editione coordinata tom. 7. tract. 1. res.* 348. non solum solebat suis Monialibus Visitationis Beatæ Mariæ virginis quater in anno, videlicet in singulis Hebdomadis Quatuor Temporum Confessarium extraordinarium deputare; verum etiam earum respective superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quæ non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, Confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo præberent. Nec aliter se gerere consuevit Ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus. Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Joannes Clericatus in *Tract. de Pœnit. dec.* 41. *n.* 7. & Patrum Tridentinorum Decretum quoad omnia Monialium Monasteria in sua Civitate, & Diœcesi existentia quotannis re ipsa exequebatur, & nihilominus exorari se patiebatur a Monialibus quæ aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se Confessarium expeterent. Hujusmodi regulis, & exemplis nostram quoque agendi rationem in Spirituali Monialium regimine conformare curavimus; maximumque utilitatis, & quietis fructum nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Ven. Fratr. Ecclesiarum Antistites, atque Dilectos Filios quarumcumque Religiosarum Mulierum Rectores hortamur in Domino, & enixe monemus, ut eamdem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, & non adeo difficiles se præbeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando expetentibus; quin potius nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum justis precibus obsecundare studeant; illud cogitantes quod etsi liberum sit cuilibet Moniali Cardinalem majorem Pœnitentiarum adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat. Et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quæ in Officio Pœnitentiariæ Apostolicæ fiunt ab omni vel minima pecuniæ solutione inviolabiliter sint immunes; non omnibus tamen Monialibus facile est invenire, qui earum negotia in urbe procurare velit, & possit.

,, Jam vero postrema superest quæstio, nimirum de qualitatibus Confessarii extraordinarii, qui vel pro universa Monialium Communitate vel pro aliqua Moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in hujusmodi Sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur, quas quidem dotes in eo, qui ad hujusmodi munus adhibetur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab Ordinario loci specialiter pro Monialibus approbatus esse debeat, quum hujusmodi approbatio ex Apostolicarum Constitutionum lege omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis Confessariis, qui Monialibus, etiam Regularibus subjectis, ab earum respective superioribus deputantur, sed etiam in iis, qui a Cardinali majori Pœnitentiario conceduntur etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quæ est 95. in Tom. 1. Bullarii Nostri, ubi paragrapho 54. eidem conceditur, ut, vacante Sede, *Monialibus Confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili caussa petierint pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones eligendos.* Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet e Clero Sæculari, an vero e Regulari eligendus sit hujusmodi Confessarius; tum inter Regulares an assumi possit ex quolibet alias permissio, an vero semper deputari debeat ex ipso Ordine Prælati Regularis ad quem Monasterii regimen spectat.

,, Sane pro monialibus Episcopo immediate subjectis regula est, ut Ordinarius earum Confessor sit Sacerdos Sæcularis; Extraordinarium vero ex Ordinibus Regularibus sæpissime assumi apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat; deficiente forsan per singulas Diœceses presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem Prælati Monialibus sibi subjectis Confessarium ordinarium designant e suo ipsorum Ordine: extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt juxta Decretum a supradicta Congregatione editum *die* 26. *Septembris anni* 1595. ac relatum in *lib.*8.*Decret.p.*149.*a tergo*, ubi sic legitur *Sacra &c. respondit, Superiores Regulares teneri offerre Confessarium extraordinarium ejusdem Ordinis, alterius vero Ordinis posse quidem, sed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus ullum Sacerdotem sæcularem, aut diversi Ordinis Regularem, vidimus a Regulari Prælato Monialibus sibi subjectis extraordinarium Confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut in casu negligentiæ Superioris Regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio Confessarii extraordinari, etiam pro Monialibus Regularium regimini subjectis, nulla ipse lege tenentur ad hujusmodi Confessarium eligendum ex eo Ordine, cujus est Monasterii Prælatus; sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum Presbyterum Secularem, aut alterius Ordinis Regularem ad audiendas earum Monialium Confessiones deputare.

,, At quum superioribus annis Apostolicæ Sedi expositum fuisset pluribus de causis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quam plane necessarium videri, ut Monialium monasteria Regularium regimini subjecta semel saltem in anno Confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut e Seculari

Clero

„ Clero Presbyterum haberent ; hujus rei examen, „ jubente fel. record. Prædecessore Nostro Innocentio „ Papa XIII. assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S.R.E. Cardinalibus composita, cui Nos tunc in minoribus constituti in Secretarii munere operam præstabamus; „ quæque per annum, & ultra, singulis Hebdomadis „ cogebatur, ad discutienda, & definienda complura Ecclesiasticarum quæstionum capita, quæ deinde „ inserta sunt in Apostolicis litteris ab eodem Innocentio Prædecessore editis die 13. Maji 1723. quarum „ initium est *Apostolici ministerii*, quæ etiam a san. „ mem. Predecessore quoque Nostro Benedicto Papa „ XIII. in forma specifica confirmatæ fuerunt per alias „ similes litteras datas die 23. Septembris anni 1724.

„ Cum autem negotia, quæ in ea Congregatione „ tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, „ sed de restituenda potissimum Trid. Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis regionibus, „ ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur; necessarium minime judicatum fuit, aliquem velut in judicium vocare ad deducenda jura, si quæ sibi adversus illa, quæ decernenda viderentur competere forsan putaret. Sed nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem dissertationes, unicuique ex præfatis Cardinalibus exhibendas elucubrare; ad demonstranda „ videlicet fundamenta illius disciplinæ, quæ in usum „ revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, „ quum in eadem Congregatione ut præfertur, in „ deliberatione venit, an decernendum foret, ut Regulares Monasteriorum Prælati, una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confessarium „ Monialibus sibi subjectis in annos singulos exhibere debent, aliquem Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur, utque ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis locorum Ordinariis eorum defectum supplere, & emendare.

„ Verum quum Regularibus innotuisset, a prædicta Congregatione conditum esse Decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minime „ astringi volebant ad hujusmodi annuam deputationem Confessorum extraordinariorum e Clero „ Sæculari, vel ex aliis Ordinibus; nonnullarum „ Religionum procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujusmodi „ Decreto obstare putabant; cumque id facile impetrassent, ac suam totiusque Cœtus Regularium „ causam per eximios illius temporis in Romana „ Curia Advocatos defendi curassent; Sed nihilominus prædicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset; placuit præfato prædecessori Innocentio, antequam Decretum hujusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium Sententias audire. Itaque exclusis illis omnibus qui ex ipsis Pontificis deputatione in præcedentibus sessionibus per annum integrum negotia discusserant; aliisque advocatis Cardinalibus, „ quibus exhiberi secreto fecerat conscriptarum allegationum exempla; Nobis etiam adesse jussis, „ qui rationum momenta a priori Congregatione „ præ oculis habita, si opus esset, exponere possemus novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quæstio diligenter ac mature discussa fuit; „ ac demum ipse Pontifex de ipsius Congregationis „ Consilio, & assensu, super hac re decrevit, ut „ sequitur. *Cumque ex eodem Concilio Tridentino „ Confessor extraordinarius bis aut ter in anno offeri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat, si imposterum Superiores Regulares, quoad „ Monasteria ipsis subjecta, toties prædictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel „ si etiam ex proprio eorum Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus „ elegerint Sacerdotem aut Sæcularem aut Regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his „ casibus Episcopi pro sui arbitrio, & conscientia „ deputationem hujusmodi facere possint, nec illa „ quovis titulo, aut prætextu, a Superioribus Regularibus valeat impediri.* Perscriptum sane fuit „ hujusmodi Decretum ea occasione, qua agebatur „ de restituenda in certis quibusdam Regionibus „ Ecclesiastica disciplina ad formam Conc. Trid. „ verum ipsius Decreti vigor ad eas dumtaxat Regiones minime restrictus fuit; quum & animarum pericula, quæ ex perpetua Confessorum ejusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monasteriis Regularium regimini subjectis locum habere possit; & quæcumque adversus Decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus „ Ordinum statutis, & ex Constitutionibus Monialium Regularibus subjectarum fuerint desumpta. „ Cumque judicatum fuerit, ea omnia nequaquam „ obstare, quominus ita decerneretur; sequitur, „ ut, quamvis eidem Decreto causam dederint peculiarium quarumdam regionum necessitates Apostolicæ Sedi eo tempore expositæ, illud tamen „ generale sit, & universos per Orbem Regulares „ Monasteriorum Monialium prælatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus prædecessor Benedictus XIII. Innocentii litteras in forma „ specifica confirmarit, Nobis constat illius mentem fuisse, ut hujusmodi Decretum universalis, „ & inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus, ne ulla apud aliquos supersit dubitatio, Nos ipsi præsentium litterarum vigore, ac „ motu proprio, & certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ipsum relatum Innocentii prædecessoris Decretum, statutum, mandatum, atque præceptum ad omnia per Orbem ubique existentia, & Regularium regimini subjecta „ Monialium Monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes, & ampliantes; decernimus, „ atque statuimus, ut singulis annis incipiendo a „ proximo millesimo septingentesimo quadragesimo „ nono a Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monasteriorum Prælati teneantur bis, aut „ ter in anno Confessarium extraordinarium universis Monialibus in iis degentibus offerre; si vero ipsi forsan hujusmodi Confessarii extraordinarii deputationes inter præscripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint; itaut „ præfatæ Moniales semel saltem in anno Confessarium extraordinarium e Clero Sæculari, aut ex „ alio Ordine Regulari non habeant, ad Episcopos „ Diœcesanos, omni appellatione remota, devolvatur jus supplendi eorumdem Prælatorum defectum (si nempe pensatis rerum circumstantiis, „ ita expediens esse judicaverint) per deputationem Confessarii extraordinarii, quem tam in uno, „ quam in altero casu, aut e Clero Sæculari, aut „ ex alio Regulari Ordine pro ipsorum arbitrio deligere possint, & valeant.

 „ Quo

,, Quo circa dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali ,, moderno nostro, & pro tempore existenti Romani ,, Pontificis in Urbe ejusque Districtu Vicario in Spiri- ,, tualibus Generali, earumdem præsentium tenore ,, committimus, & mandamus, ut hęc Nostra Decreta, ,, atque statuta, tum in omnibus ejusdem Almæ Urbis ,, Monasteriis, quæ Regularium regimini subsunt, ,, quam in aliis quibusque Regularium, aut Sæcularium ,, Mulierum, aut Puellarum domibus, seu collegiis, ,, atque conservatoriis, quibus unicus Ordinarius Con- ,, fessor a Superioribus deputari solet in omnibus, & per ,, omnia juxta earumdem litterarum præscriptum, ex- ,, actissime observari, & adimpleri faciat; ne forte au- ,, diri contingat, quod cum magna animi Nostri mole- ,, stia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas ,, Constitutiones Romæ quidem ferri, & publicari, ,, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

,, Eamdem porro curam, & solicitudinem injungi- ,, mus, & demandamus Ven. Fratr. Patriarchis, Prima- ,, tibus, Archiepiscopis, & Episcopis per omnes uni- ,, versi Orbis Ecclesias constitutis, quibus ut satis per- ,, spectum putamus voluntatis Nostrę studium, tam in ,, eorum rationabilibus querelis, justissimisque petitio- ,, nibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irre- ,, psisse judicaverint eliminandis, idque non ex inge- ,, nio Nostro quidquam statuendo, nec peregrinas no- ,, vitates inducendo, sed veteres, ut plurimum leges, ,, & regulas, vigili prædecessorum Nostrorum provi- ,, dentia jam pridem constitutas, in pristinum, debi- ,, tumque vigorem, & usum revocando; Ita eosdem ,, meminisse volumus, proprium zeli Pastoris Officium ,, non in eo situm esse, ut adversus ea, quæ contra le- ,, ges fiunt, inutiliter deplorando, declament; sed ut ,, illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis re- ,, mediis in eum finem jam præstitutis, implorato et- ,, tiam Apostolicæ Sedis auxilio, ubi impedimentum ,, aliquod eorum auctoritati, & legum executioni affer- ,, ri contingat, omnesque diligentias, & curas, quas ,, corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in ,, irritum cedere videant.

,, Quoniam vero tam in superius allegato Clemen- ,, tis XI. Edicto, quam in Synodalibus plurium Epi- ,, scoporum Constitutionibus statutum esse conspici- ,, mus, ut quo tempore extraordinarius Confessor a- ,, licui Communitati deputatus ministerio suo fungi- ,, tur, Ordinarius Confessor nullum ipsi impedimen- ,, tum afferre audeat, multoque minus præsumat per ,, id temporis alicujus Monialis, sive Superiorissæ, ,, sive Novitiæ, sive Conversæ, neque demum alte- ,, rius cujuscumque personæ intra septa Monasterii, ,, aut piæ Domus commorantis Sacramentalem Con- ,, fessionem audire: Nos id quoque approbatione No- ,, stra roborantes, & confirmantes, statuimus, & man- ,, damus, ut Episcopi quidem, si de Monasteriis, aut ,, Domibus eorum regimini subjectis agatur, Regu- ,, lares autem Superiores, quod ad illas Commu- ,, nitates attinet, quibus ipsi præsunt, pro hujus- ,, modi legis implemento advigilent, & contrave- ,, nientes meritis pœnis coerceant, & afficiant.

,, Ac demum quibuscumque Confessariis extraordi- ,, nariis, qui vel alicui Communitati generaliter, vel ,, peculiariter alicui personę in Monasterio degenti, ,, concessi, ac deputati fuerint, districte inhibemus, ,, sub pœnis adversus accedentes ad Monasteria Mo- ,, nialium, & cum ipsis conversantes, prędertim Re- ,, gulares a Prędecessoribus Nostris quandocumque sta- ,, tutis (quas etiam pręsentium vigore confirmamus, ,, & innovamus) ne, postquam suum officium imple- ,, verint, ad idem Monasterium ulterius accedere, ,, aut illius generis commercium intra ipsum quo- ,, modocumque continuare, & fovere, etiam sub ,, spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu, & co- ,, lore, audeant, aut præsumant.

,, Decernentes, ipsas præsentes litteras, atque o- ,, mnia, & singula in eis statuta, etiamsi quicumque ,, in iisdem interesse habentes, seu habere prætenden- ,, tes, ad id vocati, & auditi non fuerint, nec præ- ,, missis consenserint, aut alterius cujuscumque ge- ,, neris defectus forsan adversus eas objiciatur, sem- ,, per, & perpetuo valida, & efficacia esse, & fore, ,, & ab omnibus ad quos spectat, atque in futurum ,, spectabit, inviolabiliter etiam perpetuo observari. ,, Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque ,, Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum ,, Palatii Auditores, & S.R.E. Cardinalium Congre- ,, gationes ordinarias, atque peculiariter deputatas, ,, aliosque Cardinales etiam de Latere Legatos, ac ,, Vice-Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, judi- ,, cari, & definiri debere; sublata eis, & eorum cui- ,, libet, aliter judicandi, definiendi, & interpretan- ,, di facultate, & auctoritate; atque irritum, & ina- ,, ne decernentes quidquid secus a quoquam scien- ,, ter vel ignoranter contigerit attentari.

,, Non obstantibus quibuscumque etiam Apostolicis ,, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodali- ,, bus Conciliis editis generalibus, vel specialibus ,, Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non qua- ,, rumcumque Ecclesiarum, & Ordinum Regula- ,, rium, seu Congregationum, aut Societatum, & In- ,, stitutorum, etiam S. Joannis Jerosolymitani, alio- ,, rumque Militarium Ordinum, seu Monasteriorum ,, Virorum, aut Monialium, aliarumque piarum Do- ,, muum, etiam juramento, confirmatione Aposto- ,, lica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, ,, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabili- ,, bus; Privilegiis quoque, exemptionibus, & Indul- ,, tis, etiam in corpore juris clausis aut litteris Apo- ,, stolicis, cuilibet præmissorum, sub quibuscumque ,, verborum tenoribus, & formis, etiam hic de ne- ,, cessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausu- ,, lis, & decretis etiam irritantibus in genere, vel ,, in specie, & derogatoriis, quomodolibet in con- ,, trarium concessis, ac pluries confirmatis, appro- ,, batis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, ,, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, ,, illis alias in suo robore permansuris, de Apostoli- ,, cæ potestatis plenitudine derogamus, ceterisque ,, contrariis quibuscumque.

,, Volumus demum, ut earumdem præsentium ,, transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu ,, alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo per- ,, sonæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, ,, eadem prorsus fides, tam in judicio quam extra il- ,, lud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsenti- ,, bus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

,, Nulli ergo omnino hominum liceat paginam ,, hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, in- ,, novationis, voluntatis, mandati, statuti, decre- ,, ti, & declarationis infringere, vel ei ausu teme- ,, rario contraire. Si quis autem hoc attentare ,, præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ,, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se ,, noverit incursurum.

,, Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ,, anno Incarnationis Dominicę 1748. nonis Augusti, ,, Pontificatus Nostri anno octavo.

A R-

ARTICULUS IV.

De Prudentia, Probitate, & Scientia in confessario requisita.

I. Minister hujus Sacramenti debet in statu gratiæ illud administrare, nisi urgens necessitas id non permittat.

II. Prudentia pariter in eo requiritur propria Judicis, ac Medici spiritualis; ac scientia consentanea.

III. Quænam præcipue scienda sunt a Confessario ad licite absolvendum?

IV. Quid, si dubitet, an præditus sit scientia debita?

V. Qui advertit, Confessarium esse insufficientem ad ferendum judicium Sacramentale super peccatis expositis, debet confessionem apud doctiorem repetere.

VI. Debet Confessarius saltem scire dubitare, ita ut possit in rebus difficilioribus Auctores, vel doctos consulere.

I. AD licite administrandum hoc Sacramentum, in Ministro requiri Probitatem, Prudentiam, & Scientiam, indubitatum est. Circa Probitatem satis est, ut sit in statu gratiæ, quando illud administrat; Unde conscius peccati mortalis, necnon dubius de illo debet vel contritionem vel attritionem cum confessione præmittere, antequam absolvat; Nisi tamen urgeat necessitas absolvendi moribundum, quæ non det locum contritioni.

II. Circa Prudentiam, requiritur, ut possit boni Judicis, & Medici spiritualis munere fungi; cum utrumque munus illi incumbat. Circa Scientiam requiritur, ad validitatem sententiæ ferendæ, ut sciat peccatum, de quo ferenda est sententia, sub ratione peccati, & modum, quo possit juxta Christi institutionem in hoc Sacramento remitti; unde fit, ut scire debeat formam absolutionis, intentionem debitam, & qualitatem dispositionis requisitæ in pœnitente, ut possit illum absolvere.

III. Quæritur autem primo; quænam Scientia requiratur, non solum ad validam, sed etiam ad licitam hujus Sacramenti administrationem?

Respondeo cum communi apud Suar., Lug. & alios, requiri eam doctrinam quæ satis sit ad ferendum prudens judicium in hoc Sacramento, seu ne feratur sententia, incognita causa, & ideo confessarius scire debet primo, quæ sint peccata mortalia, quæ venialia; Secundo, quænam sint reservata, & quænam habeant censuram annexam; Tertio, quæ circumstantiæ mutent speciem in peccatis, quæ passim occurrunt; Quarto, quando pœnitens obligetur ad restitutionem; quinto, requisita in pœnitente, ut possit absolvi; Sexto, remedia peccatis opportuna.

Notant tamen communiter Doctores apud Perez; Primo, satis esse, ut confessarius intelligat ea, quæ frequentius accidunt, & de aliis sciat dubitare, ut possit in casu occurrenti vel alios, vel libros consulere; secundo, non eandem scientiam requiri in omnibus confessariis; Nam minor scientia sufficit ad audiendas confessiones puerorum, & rusticorum; quam mercatorum, & Judicum, qui casus habent difficiles; Ac proinde in Oppidis aliquibus permittuntur Parochi, & Confessarii indocti, & rudes; quia præstat hos præficere, quam Oppidum carere illis, quibus cæteroqui careret propter exiguum stipendium, &c.

IV. Ex dictis sequitur, peccare eum, qui extra casum necessitatis exponit se ad confessiones audiendas sine doctrina sufficienti. Quod si de ea dubitet, potest deponere dubium, remittendo se judicio Superioris, ut notat Vasq., Lug. ex Navar., Et eos, qui ab Ordinario examinantur non leviter, & ab examinatoribus citra passionem approbantur, posse dubium omne, ac timorem deponere, & se confessionibus audiendis exponere.

Sequitur etiam, peccare graviter eum, qui aut tolerat, cum non debeat, aut approbat ad confessiones audiendas Sacerdotes indoctos, & insufficientes; nisi quando pœnitens ejus doctrinæ sit, qui possit inscitiam confessarii supplere.

V. Sequitur demum, quod sicut qui advertit, confessarium non percipere peccati sui gravitatem, debet illum monere, & specificare peccatum suum: ita qui advertit, confessarium non esse aptum ad judicium Sacramentale ferendum super peccatis, quæ confitetur, tenetur confessionem repetere apud doctiorem.

VI. Quæritur secundo; An necessaria sit in confessario tanta scientia, ut possit statim discernere mortalia a venialibus, & dubia, quæ proponi possunt, resolvere?

Respondeo cum communi apud Suarez disp. 28. sect. 2. negative; Etenim rarissimi sunt, qui præstare id possint. Quare satis est in rebus difficilioribus scire dubitare, & posse dubia resolvere, consulendo aut libros, aut alios, aut pœnitentem ipsum.

ARTICULUS V.

De Obligationibus Confessarii in ipsa Sacramenti administratione.

I. Quomodo Confessarius interrogare sæpe debeat Pœnitentem?

II. Quid faciat confessarius, si advertat, peccatum aliquod a pœnitente in confessione omitti sive invincibiliter, sive ex erubescientia?

III. De quibus debeat Confessarius Pœnitentem instruere?

IV. Quan-

IV. Quandonam teneatur ignorantiam Pœnitentis Confessarius amovere?

V. Quid si Confessarius dubitet, an sit profutura Pœnitenti notitia veritatis?

VI. Num possit aliquando Confessarius ad peccatum materiale pœnitentem obligare, puta, ad reddendum debitum conjugi putatæ?

VII. Quandonam Confessarius monere debet pœnitentem, ut Sanctæ Inquisitioni denunciet Confessarium, a quo solicitata fuit?

VIII. Quænam excusent a denunciatione facienda?

IX. Num teneatur Confessarius aliquando onera pœnitentis subire.

X. Quid faciat Confessarius, si erravit in absolvendo sive circa valorem Sacramenti, sive circa damnum tertii, sive circa materialem integritatem Confessionis?

XI. Quandonam obligatur Confessarius audire Confessiones Pœnitentium?

EX eo, quod Confessarius Judex sit, & Medicus, sequitur, debere pœnitentem interrogare, docere, corrigere, & disponere ad absolutionem, ac illum audire; Et si quando Confessarius erravit, corrigere debet errorem suum.

I. Quæritur itaque primo; An, & quomodo teneatur confessarius pœnitentem interrogare?

Respondeo cum communi apud Suarez disp. 32. sect. 3., quod si prudenter judicet confessarius, pœnitentem esse integre confessum, non teneatur illum interrogare; si tamen judicet aliquam circumstantiam omittere, nec satis explicare, vel ex ignorantia, vel ex culpabili oblivione, vel ex verecundia, tenetur suis interrogationibus defectum integritatis supplere, & pœnitentem juvare tum circa ea, quæ dicit, tum circa ea, quæ tacet. Ratio est, tum quia hoc exigit munus Medici, & Judicis; Tum etiam, quia in cap. *Omnis utriusque sexus* hæc habentur: *Sit Sacerdos discretus, & cautus more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias.*

Hic autem adverte, quod quando confessarius prudenter judicat, pœnitentem in examinanda sua conscientia diligentiam sufficientem, & moralem adhibuisse, non tenetur illum amplius interrogare; quia ad integritatem confessionis primo loco tenetur pœnitens, & deinde in ejus defectum confessarius; Unde, si pœnitens suæ obligationi in examinanda sua conscientia satisfecit, ad nihil amplius tenetur confessarius. Præterea confessarius in interrogationibus accommodare se debet capacitati pœnitentis, nec interrogationes instituere, quæ odiosum, & grave reddant hoc Sacramentum; Et ideo inter alias causas excusantes ab integritate materiali confessionis, ea est in casu nostro, ne nimiis interrogationibus confessarii supra captum pœnitenti odiosa, & gravis reddatur confessio, & ne nimiis interrogationibus, præsertim in materia luxuriæ, mens pœnitentis, & confessarii turbetur.

II. Quod si sciat confessarius, peccatum aliud ex oblivione inculpabili a pœnitente omitti; quamvis aliqui putent, non debere illum de tali peccato interrogare, quia confessio est formaliter integra: At communis Doctorum sententia docet, quod debeat interrogare, quia confessarius, utpote Judex, debet facere, quantum in se est, ut confessio sit non solum formaliter, sed etiam materialiter integra; quod constat ex verbis cap. laudati. Si tamen pœnitens interrogatus de aliquo peccato neget se illud fecisse; regulariter loquendo credendum est illi, quod scilicet vel non fecerit, vel si fecit, jam illud sit alias confessus, vel ex errore invincibili putet se non teneri ad illud hic & nunc confitendum. Quod si prudenter judicet confessarius pœnitentem negare ex erubescentia, quam superare nolit, atque adeo ex malitia, docet Suar. disp. 32. sect. 3., & Lug. disp. 22. sect. 2., absolvendum non esse, cum sit indispositus.

Neque dicas, in judicio debere judicem judicare secundum allegata, & approbata, non vero juxta privatam scientiam; Et in judicio Sacramentali credendum esse pœnitenti, sive pro se, sive contra se loquatur. Non hoc est verum, quando aliunde non constat confessario, pœnitentem esse indispositum, ut alibi ostendimus ex propositione 60. damnata ab Innoc. XI.

III. Quæritur secundo; An teneatur confessarius pœnitentem instruere, & de quibus?

Respondeo, debere confessarium, quando dubitat prudenter, an pœnitens sciat, quæ necessario scire debet ad Sacramentum hoc recipiendum, præsertim si puer, vel rusticus sit, illum instruere ante absolutionem. Scire autem ille debet, non solum dari Deum remuneratorem; sed etiam mysteria Incarnationis, & Trinitatis, ita ut iis culpabiliter ignoratis, incapax sit Sacramenti, ut constat ex 64. thesi confixa ab Innoc. XI. Scire etiam debet, quæ efficere debeat ad recipiendum cum fructu hoc Sacramentum, scilicet præmittere confessioni examen, dolere ex motivo supernaturali, cum proposito non peccandi, &c.: Debet etiam crasso saltem modo Symbolum scire, & Orationem Dominicam, necnon præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, non quidem memoriter, sed ita ut possit interrogationibus circa illa apte respondere. Quod si hæc nesciat, putat Barbosa cum aliis absolvi non posse; sed probabilius absolvi potest, dummodo de culpabili negligentia doleat, & proponat ea statim addiscere saltem a Parochis, qui proprias oves, sicut parentes filios, instruere tenentur, sive per se, sive per alios.

IV.

IV. Quæritur tertio; An teneatur confessarius ignorantiam pœnitentis amovere sive ea sit facti, sive juris, circa aliquod peccatum?

Respondeo, ex Lug. disp. 23. sect. 2. Sanch. Suar. Tambur. lib. 3. cap. 4. §. 1. & aliis, quod si ignorantia sit graviter culpabilis, teneatur confessarius illam amovere; quia aliter pœnitens est indispositus. Quod si sit inculpabilis, regula generalis est, quod sit consulendum bono pœnitentis. Quare si speratur, quod pœnitens advertens, verbi gratia, matrimonium esse invalidum, aut contractum, quem putat justum, esse injustum, &c. sublaturus sit ea peccata materialia, tenetur confessarius ignorantiam detegere propter bonum pœnitentis, ne sic contra legem Dei peccet etiam materialiter: Quod si non speretur profectus, sed potius timeatur, quod peccatum materiale deinceps sit futurum peccatum formale; Verbi gratia, si sciens matrimonium esse invalidum, non facile tunc abstineret a cognoscenda illa, quam conjugem putabat, in tali casu ignorantia non est amovenda, juxta illud August. in Cap. *Si quis autem de Pœnitentia* dist. 7. cap. 5. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, nec te terrerem.* Idemque docet Tambur. ex Pelliz. quando quis bona fide est in occasione proxima, nec speratur emendatio; vel quando quis bona fide non restituit alienum. Etenim revelatio veritatis noceret pœnitenti, si deinde cum culpa formali remaneret in occasione proxima, aut retineret alienum: Nec hoc prodesset ei, cui alienum restituendum est, quia supponimus non dari spem, quod restituatur, si bona fide illi tollatur.

Quod si confessarius a pœnitente de iis interrogetur ad sedandos conscientiæ scrupulos, procul dubio tenetur confessarius veritatem aperire, ne suo silentio errorem approbet. Advertendum tamen, quod veritatem aperire debet solum quantum satis est ad interrogationem, quando, si ulterius procedatur, non speratur profectus pœnitentis: Verbi gratia, si Petrus roget, an matrimonium contractum post votum simplex castitatis sit validum, & an possit, ac teneatur reddere debitum; respondere debet, quod sit validum, & quod teneatur reddere, tacendo tamen obligationem non petendi debitum, si non speratur fore, ut ille a petendo abstineat. (*a*)

„ (*a*) Si Concinæ credimus *T. 9. p. 696.* ex hac „ doctrina nihilminus sequitur, quam *universum Evangelium everti, & susdesque principia Evangelicæ Prædicationis everti.* At pudet cavillos, & declamationes ineptissimas „ pseudo-Theologi istius non modo refellere, „ sed exscribere. Confer potius Zuccherium „ in *Decisionibus Patavinis* an. 1707. *p.* 100. *seq.*

V. Quod si confessarius dubitet, an admonitio sit profutura, tunc comparet utilitatem, quæ speratur, cum damno, quod timetur, & juxta illud, quod videtur præponderare, prosequatur. Ita Filliuc. tract. 28. num. 135. Lug. a num. 21.

VI. Rogabis hic: Si Berta, quæ contraxit matrimonium invalide, putet invincibiliter verum esse suum matrimonium, & accuset se in confessione, quod debitum negarit Titio putato conjugi, debetne confessarius dicere, quod debitum reddat?

Respondeo cum Sanch. Lug. & aliis communiter, quod si confessarius aperiendo invaliditem matrimonii non speret moraliter profectum pœnitentis, sed potius timeat ejus ruinam, dicere possit, quod teneatur reddere debitum; quia vere tenetur reddere, quousque putat Titium esse suum conjugem: Unde ista materialis fornicatio esset formaliter actus conjugalis.

Advertendum tamen, non facile judicandum pœnitentem non esse satisfacturum suæ obligationi post notitiam veritatis, nec profuturam esse confessarii admonitionem. Quare universim tenetur confessarius monere pœnitentem, primo de obligatione, quam habet, restituendi famam, aut rem alienam; secundo de obligatione corrigendi fraterne proximum; tertio, tollendi occasiones proximas: quarto, adeundi Superiorem pro reservatis; quinto, denunciandi eos, quos debet, Sanctæ Inquisitioni, vel alteri Tribunali: Ex constitutione enim Gregorii XV. tenentur confessarii monere pœnitentes, quos noverint ab aliis solicitatos esse in actu Sacramentalis confessionis de obligatione eos denunciandi Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis; sicut etiam suspectos de hæresi tenetur quilibet denunciare.

VII. Quæritur quarto; Quam obligationem habeant confessarii monendi pœnitentes, ut Sanctæ Inquisitioni denuncient confessarium solicitantem & sub quibus pœnis?

Respondeo, Gregorium XV. post Pium IV. & Paulum V. statuisse per hæc verba: *Quod Sacerdotes ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel procurare tentaverint, aut cum iis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquisitionis deferantur.* Deinde adduntur gravissimæ pœnæ confessariis solicitantibus infligendæ, ac intimatur confessariis præceptum monendi pœnitentes de hac obligatione denunciandi, & præcipitur illis, ut non absolvant pœnitentem, antequam denunciet;

ciet; Quod tamen intelligendum, dummodo possit pœnitens intra breve tempus denunciare. In Edicto pariter pœnitentibus præcipitur, ut ante sex dies post solicitationem denuncient: Hic tamen non est terminus obligationis, sed executionis, ut patet.

Adverte hic primo, Pontificem loqui solum de solicitatione ad turpia, non vero ad quodcumque aliud crimen.

Secundo, si confessarius tradat pœnitenti chartam solicitationis domi legendam, etiam est denunciandus, ut definit Alex. VII. proscribendo sextam Thesim, quicquid prius in contrarium dixerint Pal. & Hurt.

Tertio, non esse ex vi hujus Bullæ denunciandum laicum fingentem se confessarium, & solicitantem; quia Bulla loquitur de Sacerdotibus; ut notat Dian. part. 1. tract. 4. resol. 16. Imo neque Sacerdotem non habentem jurisdictionem, ut notat Leand. ex Hurt. quia Bulla loquitur de Sacerdotibus confessariis: Neque est denunciandus interpres confessionis, nec mandans confessario, ut solicitet pęnitentem. Verum, ut notat Hurt. quamvis isti non sint denunciandi ex vi hujus Bullæ, sunt tamen denunciandi ex vi Edicti Inquisitionis, tanquam suspecti de fide, cum abutantur Sacramentis.

Quarto, neque esse denunciandum confessarium, qui dixit fęminæ, ut se tali hora ad confessionem audiendam domi vocaret, & deinde domi citra ullam simulationem confessionis inhonestos sermones haberet. Ita communiter contra Fagund. & Sancium; quia prætextus confessionis, de quo loquitur Bulla, debet esse proximus, non remotus a loco, & statu confessionis. Utrum autem denunciandus sit, qui sedens in confessionario, & loquens cum fęmina stante, aut sedente juxta illud, illam solicitet? Negat Leand. quæst. 30. cum Fagund. Palao, Sousa, Lezana, Freitas, & aliis apud Dian. part. 4. tract. 5. resol. 38. quia Bulla requirit simulationem confessionis, quæ tunc habetur, quando pęnitens flexis genibus, vel aliter apparet aliis, quod confiteatur. At dicendum verius cum Peyrino, & Diana loco laudato esse denunciandum, ex quodam decreto Sanctæ Congregationis 1614. in quo ad hunc denunciandum non requirit, quod simuletur confessio, prout videtur requiri a Bulla Greg. XV.

Ubi notandum, quod si fęmina non facile possit Inquisitorem adire ad denunciandum, confessarius monere illam potest, ut suo Parocho extra confessionem referat obligationem, quam habet, denunciandi solicitantem, ut ipse videat, quomodo denunciatio fieri possit. Dixi, extra confessionem, quia nullatenus tenetur in denunciatione aperire ullum peccatum proprium, sed solum peccatum solicitantis.

VIII. Quinto, Pęnitentem excusari a denunciando Confessario solicitante, primo juxta nonnullos, si ipse prius solicitaverit, & Confessarius consenserit, ut docet Leand. cum aliis: Sed opposita sententia tenenda est, quia confessarius vere deliquit: Secundo, si Confessarius sit jam emendatus, nisi aliter præcipiatur. Ita probabiliter Leand. Pal. & alii; quia finis denunciationis est emendatio; Censetur autem Confessarius solicitans jam emendatus, si per triennium bene vixerit, juxta Sancium, Riccium, & alios plures; vel si ad Sacramentum pęnitentiæ accessit post solicitationem, juxta Filliuc. vel si consecutus sit jubilæum, juxta Genuens. vel juxta Dian. si mulier solicitata ter, vel quater ad eundem rediens, nullum in eo libidinosum animum, nec signa turpia repetit: Hæc tamen non videntur sufficere, nisi ex aliis etiam adjunctis constet de emendatione. Tertio, si Confessarius sit mortuus. Quarto, si Confessarius ab aliis accusatus, & convictus jam abjuravit. Quinto, si habeat pęnitens impotentiam physicam, vel moralem denunciandi; puta, si denunciando timeat prudenter aliquod grave damnum vitæ, vel famæ, vel bonorum sibi, vel suis consanguineis usque ad quartum gradum. Sexto, quando datur materiæ parvitas, puta, si Confessarius tantum laudavit fęminæ pulchritudinem, aut alio levi verbo, seu signo, seu facto indicavit amorem lascivum. Ita Pal. Portel. Hurt. Et ratio est, quia cum pęna solicitantium sit gravis, culpa etiam in hoc genere debet esse gravis. In dubio tamen de materiæ hujus parvitate, debet attendi ad qualitatem fęminæ: nam quod non est indicium solicitationis respectu fęminæ nobilis, esset tale respectu mulierculæ, quæ facilius acquiescit; ut si donaret illi aliquod pretiosum, &c.

Ultimo advertendum, quod a denunciatione facienda non excuset vel prætextus correctionis fraternæ præmittendæ, ut declaravit Alex. VII. in constitutione incipiente, *Licet*: vel consensus præstitus solicitationi ab ipsa penitente, ut supra diximus contra Leand.; quia scilicet ipsa per hoc, quod solicitet, non dicitur complex criminis Confessarii, nec exponitur periculo infamationis, eo quod tali Confessario a pęnitente ipsa accusato nulla fides in hoc habeatur: Vel quod a Confessario pęnitens multa beneficia receperit, unde videatur esse ingrata, si illum accuset, ut putat Joannes Sancius. Nam Sacra Congregatio voluit hoc deleri ab operibus Sancii. Demum confixa est ab Alex. VII. thesis illa septima dicens: *Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi*. Et ratio est, qia opus denuncian-

nunciandi non imponitur à Confessario, sed a Pontifice. Quare Confessarius solum tenetur de hac obligatione pœnitentem solicitatum monere, (quamvis non teneatur illum monere adversum se, si ipse solicitaverit). Quapropter si non moneat, metuens sibi grave damnum ex denunciatione, non proinde eximitur pœnitens ab onere denunciandi, ut patet. (a)

„ (a) Conferri isthæc velim cum sapientissimis duabus Benedicti XIV. Constitutionibus. Illas heic reddo.

SS. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis san. mem.

GREGORII PAPÆ XV.

Contra Sacerdotes eorum Pœnitentes in Confessionibus Sacramentalibus ad turpia solicitantes.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

„ Sacramentum Pœnitentię, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati omne studium, & Pastoralem solicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est Divina benignitate perfugium, per Dęmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; Et quod in salutem, & curationem Animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorundam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

„ Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. Prędecessore Nostro per suas litteras in forma Brevium sub datum Romę apud S. Mariam Majorem die 30. Augusti 1622. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos ad turpia, & inhonesta solicitantes; Et deinceps successivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura subinde a Congregatione Vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hęreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die 11. mensis Februarii anno Domini 1661. prodierunt Decreta, & a rec. mem. Alexandro Pp. VII. pariter Prędecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctę Romanę Universalis Inquisitionis die 24. Septemb. 1665. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandę, damnatę, & prohibitę fuerunt, Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra pręfatas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apostolica Authoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicę firmitatis robur adjicimus; Atque etiam, quatenus opus sit denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani in suis respective Diœcesibus, ut diligenter omnique humano respectu postposito inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia solicitare, vel procurare, sive verbis, sive signis, siva nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint; Et quo in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prędecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesię Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in pręfata Constitutione tributam procedendi cum Testibus etiam singularibus dummodo pręsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

„ Meminerint pręterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti teneri se ac obligari suos Pęnitentes, quos noverint, fuisse ab aliis, ut supra, solicitatos sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prędictis Personam, quę solicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut solicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive solicitationi Pęnitens consenserit, sive consensum minime pręstiterit, vel longum tempus post ipsam solicitationem jam effluxerit, aut solicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pęnitentibus, quos noverit jam ab alio solicitatos, Sacramentalem

,, absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

,, Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna caussa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo invitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ authoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelestе procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, authoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitę, & excepto mortis articulo absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus perpetuo careat.

,, Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & Sac. Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum comtemptum, & Ecclesiæ injuriam longe summovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidem Dæmonis potius, quam Dei Ministri loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac Nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis baratrum nefarie submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostra Potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi Præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque authoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus; Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatos existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & Plenarii, nec non quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter, & espresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

,, Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentes, quam futuri pro tempore existentes in approbatione Confessariorum tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc Nostram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei; Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque ęterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi; Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpa Cœlum claudatur, ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi Filii egentes, & saucii, ad cœlestem patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

,, Ut autem præsentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo

,, ali-

„ alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides, tam in judicio, „ quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis „ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel „ ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat paginam „ hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, „ mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu „ temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis „ Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum „ ejus se noverit incursurum.

„ Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem „ anno Incarnationis Dominicę 1741. Cal. Junii, „ Pontificatus Nostri anno primo.

Declaratio super Constitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*. Anno 1741. edita.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

„ Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura illibataque penitus „ administratione versari debere probe intelligentes, „ non modo & assiduis hortationibus, & justa, ubi „ res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur, „ quantum cum Domino possumus, providere studemus, verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam „ partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis „ laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prętermittimus. „ Sane cum Nos alias per quandam nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pęnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicę 1741. 1. Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno primo editam omnibus & singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus interdiximus, & prohibuimus, ne aliquis eorum, extra casum extremę „ necessitatis; nimirum ut ipsius mortis articulo, & „ deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui „ Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personę complicis in peccato turpi „ atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere auderet; Itaut absolutio, „ si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino „ esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessaria ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adepta privatus existeret, & alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus „ pro plene & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos „ subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ „ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam „ exortas fuisse accepimus, quarum resolutionem „ privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata in sensus a mente Nostra alienos „ forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur: Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu „ proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicę potestatis plenitudine memoratam Constitutionem Nostram cum „ omnibus & singulis in ea contentis tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque „ integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad „ quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus. Præterea habita super his „ cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo „ Prænestino Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinalis Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Majori, ac „ dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicę Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, „ deliberatione, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem „ Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, „ quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem „ confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque „ culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire „ possit, ita interdici re ipsa & prohiberi prædicto modo tunc audire & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere „ ac absolutionem impertire: Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quę vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos „ ad audiendam constitutę in dicto articulo personę „ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua „ exoritura infamia, vel scandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, „ ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde „ in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi „ Sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsa „ coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis „ adversus prędictam nostram Constitutionem inobedientię, latisque in ea pœnis obnoxium, si prędictę infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse „ confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se „ graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, „ antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque illius infamia, vel „ scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore „ memoratę Nostræ Constitutionis declaramus; & „ nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus. Quod si idem Sacerdos aut „ quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus „ ingesserit, aut ubi infamię, vel scandali periculum „ timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda „ sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personę in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut pręfertur, constitutę Sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem „ largiri nulla, sicut pręmittitur, necessaria caussa „ cogente pręsumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti „ Pœnitentiæ valorem requisitę non defuerint: Non „ intendimus autem pro formidando mortis articulo „ eidem Sacerdoti quantumvis indigno necessariam juris-

„ jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario Legis pęnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctę Sedi reservatam incurrat, prout, illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus & singulis illis, quę in præfata nostra Constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem pręsentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in Ecclesiastica dignitate constitutę munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud ubique locorum habeatur, quę haberetur ipsis pręsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Februari 1745. Pontificatus Nostri Anno quinto.

„ Præterea Benedictus XIV. Decretum edidit anno 1745. ejusmodi.

Feria V. Die 5. Augusti 1745.

„ IN generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto Divina Providentia Papa XIV. Et Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

„ Sanctissimus Dominus Noster solicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pęnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem a Christo Domino institutis in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod imposterum Sacerdotes tam Sęculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendę, vel in actu Sacramentalis Confessionis sive illius occasione, aut pętextu, ad turpia sollicitantes vel Sacrificio Missę abutentes ad sortilegia, pręter pœnas a Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad pręfati Sacrificii celebrationem; Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Prępositis, ad hoc ut de illo, sicuti & de pręcdictis, aliisque summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali Decreto supremæ Inquisitionis diei 15. Decembris 1633. semel saltem in anno, idest Feria sexta post Octavam Assumptionis Beatę Mariæ Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu suos subditos ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant.

„ Cave tamen putes, absolutionem impertitam complici mulieri in carnali peccato esse Casum S.Officii. Nam Cardinalis Ruffus Decanus sacri Collegii Benedicti XIV. jussu 26. Septembris a. 1744. encyclicam ad omnes Episcopos, ac fidei Quæsitores epistolam scripsit, monens, hujusmodi absolutionem casum non esse S. Officii, nec denunciationes in ejusmodi materia esse acceptandas. Laudensis Episcopus in sua Synodo Laudensi VII. excusa anno 1756. exemplum edidit harum litterarum ad se perscriptarum p. 144.

IX. Quæritur quinto; An teneatur Confessarius subire aliquando onus pœnitentis, sive denunciandi aliquem, sive restituendi, sive corrigendi proximum, sive adeundi Superiorem pro absolutione a reservatis?

Respondeo, universim non teneri, ut docet Suar. disp. 34. sect. 4., Tambu. cap. 9. §. 4., Sanch., & alii: Imo nec expedire, nisi quando obligat ipsa charitas, ut fiat id, ad quod tenetur pęnitens, qui non possit id per alium præstare, quam per ipsum Confessarium, a quo sine magno incommodo præstari possit; ut si debeat proximus corrigi, vel malum imminens Reipublicæ revelari. Quare si pœnitens non possit restituere famam, aut alienum æs, nec per se, nec per alium, qui velit tale onus subire, excusatur a restitutione hic & nunc facienda; Nec tenetur Confessarius hoc onus acceptare, nisi restitutio fieri debeat graviter indigenti, ut idem Tambur. docet, ex Sanch., Suar., Palao. Nec tenetur Confessarius denunciare aliquem loco pęnitentis, qui sine gravi incommodo id præstare non potest; nisi quando, ut diximus, bonum publicum periclitetur. Nec demum tenetur adire Superiorem pro absolutione a reservatis. Et ratio est, quia in gravi periculo mortis, & in impedimento perpetuo pęnitentis casus non est reservatus; Quando vero impedimentum est temporale, ut si urgeat necessitas communionis, aut ponendi se in statu gratiæ, nec possit pęnitens hic & nunc Superiorem adire, potest absolvi a reservatis indirecte, quin teneatur pęnitens Superiorem adire per procuratorem, aut per literas, aut per ipsum Confessarium; poterit tamen hic aliquando ea charitate id facere, ut consulat bono pęnitentis, quem videt ægre ferre onus, quod habet.

X. Quæritur sexto; Quid facere debeat Confessarius, si in absolvendo erravit?

Respondeo, ex Lug. disp. 22. sect. 3., tripliciter posse errorem contingere; Primo circa valorem Sacramenti: ut si absolvit sine jurisdictione, sine intentione, aut sine dispositione pęnitentis; secundo circa ea, quæ sunt in damnum

num tertii; ut deobligando aliquem a restitutione, vel obligando eum, qui non tenetur restituere; Tertio, circa ea, quæ neque pertinent ad valorem Sacramenti, neque sunt in damnum tertii; ut si omisit interrogare speciem, aut numerum peccati, aut reliquit pœnitentem in occasione proxima, &c. Rursus hujusmodi errores dupliciter committi possunt à Confessario, vel bona fide, seu sine culpa saltem gravi, vel mala fide, seu scienter, & cum gravi culpa. His præsuppositis,

Dico primo; errores primi generis tenetur Confessarius corrigere, etiam cum gravi incommodo, & rubore, admonendo de eo pœnitentem ignarum, sic exposcente damno tertii a se illato; si tamen mala fide talem errorem commisit. Quod si bona fide, tunc vel pœnitens est in gravi periculo, ne amplius confiteatur, vel non; Si primum, tenetur Confessarius cum incommodo, & rubore errorem corrigere, ne pœnitens sine Sacramento decedat; si secundum, ad nihil tenebitur, quia pœnitens in altera confessione absolvetur indirecte ab iis peccatis non legitime obsolutis. Quare propter incommodum, & ruborem, quem subiret Confessarius, excusatur ab obligatione admonendi pœnitentem, ut satisfaciat legi Dei de subdendis omnibus peccatis directe clavibus; si tamen error fuit circa absolutionem a censuris, hæc conferri potest absenti.

Ubi adverte, quod petenda prius sit venia a pœnitente, antequam cum illo Confessarius loquatur de tali errore; quam si neget, non tenebitur Confessarius illum monere, quia frangeret sigillum, ut docet cum communi Dian. part. 5. tract. 11. resol. 18. contra Suar. disp. 33. sect. 5., & Filliuc.: Quod si pœnitens redeat ad confessionem, tunc libere potest Confessarius cum illo loqui de priori defectu, etiamsi bona fide commisso; quia perficit, quæ jam inchoata remanserant in alia confessione; Immo ex Lug. loc. citat. n. 77. debet; quia non adest rubor, nec incommodum, quod excuset Confessarium a procuranda integritate illius confessionis.

Dico secundo; Errores cum damno tertii, si mala fide Confessarius commisit, (vel positive deobligando a restitutione eum, qui tenetur restituere, vel positive obligando ad restitutionem, qui non tenetur) debet emendare, monendo pœnitentem, etiam cum gravi incommodo; Et in defectum pœnitentis, qui vel non possit moneri, vel non possit amplius restituere, tenetur Confessarius resarcire de proprio; quia actione sua injusta fuit causa talis damni. Si vero tantum mala fide omisit obligare ad restitutionem, quem debebat obligare, peccavit tantum contra charitatem; unde non tenetur restituere de proprio in defectum pœnitentis; quia Confessarius ex proprio munere non tenetur procurare bonum temporale aliorum, sed bonum spirituale pœnitentis.

Quod si hujusmodi errores bona fide commisit, Lug. putat, ex charitate teneri ad monendum pœnitentem cum aliquo incommodo, quamvis non cum tanto, quanto si mala fide processisset. Alii addunt teneri aliquo modo etiam ex justitia, ita ut si non faciat, teneatur ad restitutionem; sicuti si quis inculpabiliter incendit domum Petri, tenetur ex justitia ignem extinguere, si possit sine magno incommodo, quamvis alius, qui non incendit, teneatur solum ex charitate.

Dico tertio; Errores tertii generis, si bona fide committantur (v. g., non obligando pœnitentem exprimere numerum peccatorum) Confessarius non tenetur corrigere, sed Deo commendet: quia judicium est finitum, & tantum materialiter pœnitens non observat legem de integritate Confessionis; non tenetur autem Confessarius cum gravi incommodo procurare, ne pœnitens materialiter transgrediatur legem Dei: sicuti si videam aliquem die festo laborantem, eo quod putet, diem illum esse feriatum, non teneor illum monere cum gravi incommodo: Censetur autem grave incommodum Confessarii dicere cum rubore pœnitenti, se errasse, dum non monuit illum de sua obligatione manifestandi numerum peccatorum; Si vero bona fide non solum non obligavit, sed positive deobligavit pœnitentem, Filliuc. docet, non teneri illum monere; quia id fieri non potest sine gravi incommodo, & rubore; Lug. ait, raro ad id teneri; quia raro fieri potest sine gravi incommodo; Quod si bona fide vel non obligavit, vel deobligavit pœnitentem relinquere occasionem proximam, tenetur ex lege charitatis monere cum aliquo incommodo, ut scandalum vitet, sicuti etiam si ex taciturnitate Confessarii sequatur aliquod malum publicum; V. gr., si Parochus invincibiliter erret circa bonos mores, putando, verbi gratia, fornicationem esse licitam, quod in malum publicum verteretur. Si tamen mala fide hujusmodi errores committantur, procul dubio tenetur Confessarius diligentiam moralem adhibere, ut pœnitentem admoneat, ex Lug. num. 43.; quia in tali casu censetur confessarius esse causa moralis transgressionis divinæ legis, esto materialis tantum sit in pœnitente ea transgressio.

XI. Quæritur ultimo; Quinam Confessarii teneantur Confessiones audire, & quando?

Respondeo, aliquos, teneri ex justitia, & ex officio, ut Parochus; alios vero ex charitate, ut alii, qui non sunt pastores proprii.

Dubium itaque est primo; quandonam Parochus teneatur suis subditis administrare Sacramentum pœnitentiæ?

Respondeo, Medin., & Sylvest. V. *confessio*, existimare, tunc solum ad id teneri Parochum, quando

uando subditus tenetur confiteri, videlicet semel in anno; quia per hoc sufficienter satisfacit necessitatibus subditi, atque adeo muneri suo. Verum communis sententia cum Vasq. Suar. Azor. & aliis apud Lug. disp. 22. sect. 1. docet, Parochum teneri frequentius audire subditos, si confiteri velint: Non enim satisfacit officio Pastoris spiritualis, si solum in extremis necessitatibus provideat ovibus suis. Præterquamquod jus habent fideles ad Sacramentum penitentiæ recipiendum juxta Christi Domini institutionem, quæ non solum fuit, ut in extremis necessitatibus sibi subveniant, sed etiam, ut alias in peccatum lapsi Deo reconcilientur, & usu Sacramentorum suum spiritualem profectum procurent; proinde tenentur Pastores proprii pluries in anno illud administrare ovibus suis, si petatur.

Quoties autem in anno teneatur Parochus? non potest certa mensura assignari: attendendum enim est tum necessitati penitentis, qui quando post commissum mortale recurrit ad medicum, non est regulariter rejiciendus; tum etiam ad fructum, quem ex confessione percipit penitens; si enim videat Parochus, quod frequens confiteatur sine ulla emendatione, potest etiam a tam frequenti Confessione repellere; tum demum ad gravamen ipsius Parochi; præsertim si tantam ovium multitudinem habeat, ut teneatur alias deserere, uni liberalius serviturus: Unde si in tali casu aliquando subditum repellat, non propterea damnandus erit peccati mortalis; Nec si semel, aut iterum neget, aut differat audire confessionem ob levitatem materiæ; quicquid in contrarium sentiat Bonac. dummodo dilatio non sit nimia, neque gravis alia causa urgeat, verbi gratia, gravis tentatio penitentis, occasio Jubilæi, longum iter aggrediendum, &c. Ubi adverte non semper teneri Parochum per se ipsum subditos audire; satisfacit enim suo muneri, si de alio apto Confessario iis provideat, nisi ex speciali aliqua ratione debeat ipse illos audire. Ita Lug. loc. cit. cum aliis.

Dubium est secundo, An Confessarii, qui non sunt proprii Pastores, sed voluntarii, in extrema solummodo, an etiam in gravi necessitate teneantur aliorum Confessiones audire?

Respondeo, peccatorem esse in extrema necessitate Confessionis, quando ignorat actum contritionis, aut non potest illum amplius elicere; esse vero in gravi necessitate, quando difficulter potest actum contritionis elicere, & confessionem petit. Certe in extrema necessitate tenetur quilibet Confessarius ex charitate, & Parochus etiam ex justitia, cum periculo vitæ, si opus sit, confessionem audire. Ita communiter Doctores apud Lug. loc. cit. ex illo Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animam pro fratribus ponere.*

In gravi vero necessitate tenentur quidem Pastor, ut docent communiter Doctores apud eundem Lug. sed probabiliter non tenetur alii Confessarii cum periculo vitæ, quia cum proximus meus possit se sine meo auxilio a periculo liberare, non teneor illi cum tanto meo incommodo subvenire. Excipitur tamen ex Lug. necessitas gravis totius communitatis, verbi gratia, peste grassante; tum quia in tali necessitate vix accidit, quod nullus sit in necessitate extrema; tum etiam, quia bonum commune præferri debet bono privato.

QUÆSTIO IX.

De Casibus reservatis.

QUatuor hic discutienda: Primo, quinam possit reservare peccata? Secundo, quænam peccata possint reservari? Tertio, quinam subjaceant reservationi? Quarto, quinam possit absolvere a reservatis, & quomodo?

ARTICULUS I.

Quinam possint reservare Casus?

I. In quibusnam resideat potestas reservandi casus? Superiores regulares qualiter possint illos reservare?

II. Parochus etiam potest reservare casus; Sicut Episcopus relate ad Parochos.

III. Reservato peccato, cui est annexa censura, tam peccatum, quam censura immediate reservantur; & simul deinde tollitur utrumque: Qui vero ratione ignorantiæ invincibilis censuræ, illam non incurrit, nec incurrit reservationem peccati; idque etiam in casibus Episcopalibus.

IV. Reservatio casuum Episcopalium synodalium cessat, si non exprimantur in Tabella.

V. Episcopo mortuo, vel amoto, cessat reservatio casuum Episcopalium; non vero synodalium.

VI. Valida, & illicita est reservatio casuum facta ab Episcopo sine rationabili causa. Sednum etiam relate ad Parochos?

VII. Non potest Prælatus Regularis sine consensu Capituli aliquid graviter prohibere sub pæna excommunicationis sibi reservatæ.

I. NOmine casuum veniunt & peccata, & censuræ: Esse autem in Ecclesia Dei potestatem reservandi peccata, & censuras, certum est ex Trid. sess. 14. cap. 2. ubi ex natura, & condi-

conditione judicii, quæ huic Sacramento competit, & ex usu Ecclesiæ id probatur, ac definitur, In eadem Ecclesia semper custoditum fuisse, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.

Primo itaque residet hæc potestas in Pontifice relate ad universam Ecclesiam. Secundo in Episcopis relate ad suas diœceses; ut patet ex eodem Trident. quod sess. 14. can. 11. hæc habet: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque adeo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, Anathema sit*. Tertio, habent eandem potestatem Prælati Regulares; eo modo tamen, quo Clem. VIII. præscripsit, videlicet cum moderatione, & tantum in Capitulis generalibus, & provincialibus. Quarto, habent illam omnes ii, qui habent jurisdictionem ordinariam respectu eorum, quibus delegare possunt jurisdictionem; nam cum delegati accipiant jurisdictionem ab habente jurisdictionem ordinariam, possunt illam accipere cum aliqua limitatione, videlicet relate ad aliqua tantum peccata; Unde reliqua remanent reservata.

II. Hinc sequitur ex Suar. disp. 29. sect. 1. Parochos etiam posse casus reservare, cum & ipsi habeant jurisdictionem ordinariam, quam delegare possunt aliis Parochis, & Sacerdotibus a suo Episcopo approbatis. Verum idem Suar. advertit, id non esse in usu; quia universim coadjutores, qui assumuntur a Parochis, quibus delegari potest ab iis jurisdictio, non sunt minus idonei, quam ipsi parochi: Possunt tamen Episcopi reservare Parochis aliquos casus, quia Parochi sunt ab Episcopis dependentes, non secus ac Episcopi a Pontifice.

Sicut autem omnes habentes jurisdictionem ordinariam possunt reservare peccata sibi, ita pariter possunt reservare illa alteri, Verbi gratia, ita ut in tali casu pœnitens nequeat nisi vel a se ipso Episcopo, vel a Decano, aut Penitentiario absolvi. Ratio est clara, quia possunt ad libitum delegare jurisdictionem eo modo, quo sibi placuerit: Et de facto Pontifex multos casus reservat Episcopis; & in Trident. sess. 14. cap. 6o. nonnulli casus reservantur Episcopo, nonnulli Vicario per Episcopum designato.

III. Quæritur nunc primo; Num quando Superior, sive sit Pontifex, sive Episcopus, sive alius reservat sibi peccatum, cui est annexa censura, utrumque sibi reservet, peccatum, & censuram, an solum peccatum, vel solam censuram?

Respondeo, Durandum asserere censuras tantum, non peccata reservari. Verum communissima apud Perez disp. 46. sect. 5. cum Suar. disp. 29. sect. 2. Lug. disp. 20. num. 26. Con. disp. 8. num. 23. Sanch. lib. 2. num. 8. docet, utrumque reservari, ut constat ex verbis decretorum Pontificum, & ex interpretum sensu. Unde sequitur primo, quod Superior dans facultatem absolvendi a censura aliqua reservata det pariter facultatem absolvendi ab illo peccato: Et dans facultatem absolvendi a peccato reservato det pariter facultatem absolvendi a Censura illi annexa; quia utramque simul reservationem solent ponere, & utramque simul tollere.

Sequitur præterea, quod ignorantia, quæ excusat ab incurrenda censura, excuset pariter ab incurrenda reservatione talis peccati, cui illa censura annectitur, ut notat Fagund. 2. præcepto Ecclesiæ cap. 1. Lug. Leand. disp. 12. quæst. 16. Mendo in Epitome V. *Reservatio*, Sanch. loc. cit. & alii: Idque verum est tam de casibus Papalibus, quam de Episcopalibus: Esto neget id de Episcopalibus Merol. t. 1. disp. 1. cap. 2. eo quod soleant Episcopi reservare peccata sine censura, quod non solent Pontifices.

IV. Quæritur secundo; An præter casus expositos in Tabella ab Episcopis sint etiam reservati Episcopis Casus Synodales?

Respondeo cum Comitolo lib. 1. respons. moral. quæst. 25. Pasqual. centur. 2. quæst. 165. contra Bordon. cessare reservationem casuum synodalium, quando exponuntur ab Episcopis casus reservati in tabella. Ratio est, quia ex pluribus legibus civilibus, & Canonicis habetur, quod non expressum habeatur pro omisso; ergo cum Episcopus non exprimat in tabella casus synodales, sicut posset, videtur illos negligere, ac non reservare.

V. Quæritur tertio; An mortuo, vel amoto Episcopo, cesset reservatio casuum ab ipso facta?

Respondeo, casuum synodalium reservationem per mortem Episcopi non cessare, ut docet Pasqual. centur. 4. quæst. 345. quia statutum synodale, cum sit lex, non expirat morte ullius: Contra tamen cessat reservatio facta ab Episcopo per mortem Episcopi; quia universim personalia sequuntur personam, eaque extincta, extinguuntur: & ideo etiam quæ sunt mere beneplacita extinguuntur morte concedentis, (in foro tamen contentioso) ut diximus qu. 8. art. 1. ex cap. *Gratiose de Rescriptis* in 6. Et ita docet Dian. part. 6. tract. miscellan. resol. 42. cum Sanch. Fagund. contra Præposit. Imo addo cum Pasqual. quæst. 296. contra Dian. & Fagund. mortuo, vel amoto Episcopo, posse a non habente facultatem in reservata absolvi non solum eum, qui post mortem Episcopi reservantis incurrit in casum reservatum; sed etiam eum qui Episcopo vivente in casum reservatum incurrerat. Ratio est, quia potestas jurisdictionis non respicit peccata, quando committuntur, sed

quan-

quando subjiciuntur clavibus. Ubi adverte ex Cyspedes apud Pelliz. tr. 6. cap. 2. n. 59. reservationem casuum Synodalium esse a jure, Episcopalium vero esse ab homine; & ideo hæc tantum morte Episcopi reservantis expirat, non vero illa. Esto enim Episcopus exponendo in tabella aliquos duntaxat ex reservatis Synodalibus censeatur consentire, ut relate ad reliquos nulla sit reservatio; mortuo tamen Episcopo lex synodalis non cessat obligare, quippe quæ lata est per potestatem collatam a Christo Domino, qui non moritur.

VI. Quæritur quarto; An reservatio alicujus casus facta ab Episcopo absque legitima, & rationabili causa sit valida?

Respondeo cum Perez disp. 46. sect. 2., certum esse primo, quod talis reservatio sit illicita. Etenim cum reservatio sit odiosa, tam Confessariis, quibus minuit potestatem, quam pœnitentibus, quibus est molesta, non potest fieri sine rationabili causa. Certum est secundo, quod valide possit Episcopus quoslibet casus reservare illi, cui jurisdictionem delegat; cum enim pro libito illam deleget, potest etiam pro libito illam limitare. Dubium est solum, An relate ad Parochos habentes jurisdictionem ordinariam in suos subditos valide reservet Episcopus sine legitima causa casus aliquos? Vasq. quæst. 91. art. 3. dub. 4. cum Sot., & aliis putat, quod invalide; tum quia Trident. docet, posse Episcopos reservare in ædificationem, non in destructionem; tum etiam, quia cum jure divino Parochi habeant jurisdictionem, non potest illa a jure humano sine causa valide restringi. Verum Suar. disp. 9. sect. 4. censet, quod valide, propter subordinationem, ac dependentiam, quam habent Parochi ab Episcopo. Lug. demum disp. 20. sect. 3. cum Perez probabilius putat, tunc solum esse invalidam hujusmodi reservationem, quando notabiliter impediret, vel diminueret Parochis jurisdictionem necessariam ad suum munus exequendum. Etenim sicut non potest Episcopus amovere Parochum a suo officio sine justa causa, nempe propter ineptitudinem; ita nec potest ab eo tollere, aut notabiliter diminuere necessariam jurisdictionem.

VII. Quæritur ultimo; An possint Prælati Regulares sine consensu Capituli aliquid graviter prohibere sub excommunicatione sibi reservata?

Respondent affirmative Suar. disp. 29. sect. 4., Villalob., Tamburinus, & alii apud Perez, & Dian. part. 2. tract. 2. resol. 49., quia a Clem. VIII. solum prohibetur, ne peccata sibi reservent Prælati Regulares sine consensu Capituli; ergo possunt reservare censuras, quamvis per accidens sic etiam reservent peccata. Sed communiter Doctores tenent oppositum cum Perez, Dian., Lug., Sanch.; tum quia sic frustraretur finis prohibitionis Clementis; tum etiam, quia extat decretum Sacræ Congregationis relatum a Lug. num. 47. declarans, non posse illos censuras hujusmodi sibi reservare.

ARTICULUS II.

Quænam peccata cadant sub reservationem?

I. *Non constat inter Doctores, num possint reservari venialia, ac mortalia alias remissa. Peccata vero pure interna non solent reservari.*

II. *Quando casus reservatur, peccatum externum debet esse consummatum, & de se grave; Unde percussio Clerici si sit simpliciter levis, quamvis cum culpa gravi, non est reservata; Est solum reservata Episcopo percussio, quæ sit levis comparata cum enormi.*

III. *Casus reservatus, effectu secuto, non incurritur ab eo, qui confitetur, antequam effectus sequatur.*

IV. *In dubio, an peccatum fuerit mortale, seu an includatur in lege reservante, reservatio non incurritur; Quod si in tali dubio quis sit absolutus, non debet iterum a Superiore absolvi, si deinde deprehendat casum esse reservatum.*

V. *Quid si idem peccatum cum censura a diversis superioribus reservetur?*

VI. *Episcopis peccata nonnulla reservantur jure communi; Alia ex consuetudine; Alia vero per statuta Episcopalia.*

VII. *Quid requiritur, ut casus Papalis dicatur occultus, & idcirco Episcopo reservatus? Et quid de occultis Bullæ Cœnæ?*

VIII. *Quinam dicantur perpetuo impediti adire Pontificem, ut eatenus possint a Casibus Papalibus per Episcopum absolvi sine onere?*

IX. *Num sicut impeditus adire Pontificem potest absolvi ab Episcopo; ita impeditus adire Episcopum possit ab Inferiore absolvi?*

X. *Probabiliter impeditis adire Pontificem non imponitur ab Episcopo onus adeundi illum, cessante impedimento temporali, nisi casus sit reservatus cum censura: Quid si ab inferiore detur absolutio? In articulo mortis onus hoc imponitur solum, si excommunicatus sit denunciatus.*

I. Certum est primo, peccata venialia, necnon mortalia alias legitime confessa de facto non reservari; quicquid sit, Utrum de possibili reservari possent? in quo variant Doctores. Etenim qui dicunt, jurisdictionem in venialia haberi a Christo Domino, asserunt cohærenter non posse ab Ecclesia reservari; qui vero asserunt, jurisdictionem haberi a Pontifice, dicunt posse quidem reservari; sed inutiliter, cum possint aliis mediis tolli venialia;

venialia; Et idem dicas de mortalibus remissis, & legitime confessis.

Certum est secundo, non reservari de facto mortalia pure interna; quamvis juxta communem sententiam Suar. Vasq. & aliorum reservari possint: Sicut de facto reservat Pontifex sibi dispensationem aliquorum votorum, etiamsi mere mentalium.

II. Certum est tertio, quod quando reservatur actus externus, requiratur actus externus consummatus, & qui in toto rigore vocabuli sit talis: Unde reservata sodomia, verbi gratia, requiritur & commixtio duorum ejusdem sexus, & seminatio intra vas; quia reservatio habet rationem pęnæ, & ideo odiosa est, & stricte interpretanda. Hinc si reservaretur scriptio epistolæ de obscęnis ad Moniales, si quis talem epistolam scribat, & mittat, sed ea ad Moniales non perveniat, non incurrit in reservationem.

Certum est quarto, quod quando reservatur actus internus, qui prodeat in externum, verbi gratia, peccatum contra castitatem, tum actus externus debeat de se esse gravis, ut docent Suar. Lug. & alii apud Leand. disp. 12. quæst. 9. contra Turrian. Unde qui ex intentione mortaliter peccaminosa contra castitatem diceret alicui aliquod verbum turpe ex se leve, vel aliam actionem externam ex se levem exerceret circa illum, puta tangendo ejus vestes, vel suspirando, &c. non incurreret reservationem; quia cum reservatio cadat circa actum externum, hic de se debet esse graviter malus, nec satis est, quod graviter malus sit actus internus; Ecclesia enim non judicat de internis. Hinc etiam fit, quod, reservato homicidio, non sit reservata percussio facta animo occidendi; & reservata percussione, non est reservata percussio levis facta cum intentione mortali: Et idem dicas de excommunicatione, quæ incurritur per actionem externam de se levem, etiamsi factam cum mortali intentione: Quare non incurrit excommunicationem, qui leviter percutit Clericum, aut qui reservato furto, parvam materiam furatur, licet cum intentione graviter peccaminosa: Percussio autem levis, quæ est Episcopo reservata, ut mox diemus, non est percussio Clerici simpliciter levis, sed ea, quæ est solum levis comparata cum enormi, & simul est graviter peccaminosa.

III. Certum est quinto, quod quando reservatur casus, effectu secuto, verbi gratia homicidium, procuratio abortus, &c. si quis propinet venenum, vel vulneret, ita ut ex tali veneno, seu vulnere sequatur deinde mors, vel abortus, & interim pęnitens confiteatur ante effectum secutum, casus non est reservatus, ut docent Dian. Lug. & alii communiter. Utrum autem secuto effectu indigeat nova Superioris absolutione? Affirmat Lug. disp. 16. num. 253. sed communiter negant, quia fuit jam directe absolutus pęnitens a tali casu: Et idem dicas, si casui sit annexa excommunicatio: Etenim sublata culpa, & curato morbo per confessionem ante effectum secutum, non potest incurri pęna medicinalis, sicut est excommunicatio, quando deinde sequatur effectus, ut docent Avil. Filliuc. Hurt. Mend. num. 41.

IV. Quæritur nunc primo; An peccatum sit reservatum, quando dubium est de ipsius reservatione; vel quia dubium est, an sit commissum, vel quia dubium, an fuerit mortale, vel quia dubium, an includatur in lege reservante?

Respondeo negative cum Lug. disp. 20. sect. 3. Suar. de censuris disp. 40. sect. 6. Leand. quæst. 11. & aliis communiter contra Armil. Cordub. apud Lugo. Ratio est, quia reservatio, utpote odiosa, non debet ampliari ad peccatum dubium, sed restringi ad certum; nisi forte ipse reservans expresse vellet etiam peccatum dubium reservare, ut olim exprimebatur in casibus Bullæ Cęnæ ante decretum moderatorium Clem. VIII. Et in Extravag. *Perlectis* exprimitur reservari Papæ percussionem Clerici in dubio, an sit gravis, non quidem quando dubitatur, an peccatum internum fuerit grave; quia in tali casu multi docent, nec esse necessario confitendum, sed quando supposito peccato interno gravi dubitatur, an percussio etiam fuerit gravis; ut docent communius contra Bordonum apud Dianam p. 9. tract. 4. res. 46. ubi pro benigniori sententia laudat etiam Sanch. lib. p. cap. 10. n. 74. docentem in dubio, num percussio sit gravis, an levis, censendam esse levem, ne privetur Episcopus facultate absolvendi ab illa. Quare solum quando percussio sine ullo dubio est levis comparata cum enormi, non est reservata Pontifici, sed Episcopo, ut si quis Clericum pugno, pede, vel lapide, aut ligno non relinquente vestigium percutiat; (attenta tamen gravitate injuriæ, non violentiæ). Immo ex Dian. part. 9. tract. 4. resol. 29. si percutiatur pugno Sacerdos in facie, ita ut aliquæ guttæ sanguinis effluant, adhuc percussio dicitur levis relate ad enormem, & Episcopo reservata: Quod si percussio sit ex se simpliciter levis, non vero levis comparata cum enormi, tunc nulla reservatio, nec excommunicatio incurritur, etiamsi fiat cum intentione mortali, ut diximus num. 2. Quæ dicta sunt de reservatione, militant circa excommunicationem, irregularitatem, & quamlibet aliam pęnam: In dubio enim peccati nulla istarum pęnarum incurritur, nisi exprimatur: Ideo autem irregularitas etiam in dubio homicidii incurritur, quia etiam in eo casu dubio exprimit legislator debere illam incurri, dummodo culpa fuerit certe mortalis.

Neque dicas, quod in dubiis tutior pars sit eligenda; ergo recurri debet ad superiorem pro absolutione a reservato dubio, ut securior sit absolutio. Nam hoc est consilium, non præceptum, ut recte notat Suar. cum Navar., Sot., Sylvest., & aliis; Absolutio enim sic data ab inferiore habet sufficientem securitatem, cum sit moraliter certa.

Infertur hinc primo, posse Inferiorem absolvere a reservatis dubiis, sive dubium sit juris; v. g., cum dubitatur, sitne a jure reservatum aliquod mortale certe commissum, sive dubium sit facti, v. gr. cum dubitatur, an revera commiseris peccatum certo reservatum, puta, an quando protuleris hæresim externam, etiam interius credideris, & protuleris animo eam asserendi; nam hoc totum requiritur, ut hæresis externa sit reservata. Ratio illationis est, quia in dubiis melior est conditio possidentis. Debet quidem confessarius dubium examinare, ne exponat Sacramentum periculo frustrationis; Verum examinato dubio, si adhuc hæreat, potest absolvere; quia dubium, quod remanet, tollit a peccato reservationem, si qua esset; ut infra dicemus de ignorantia reservationis, quæ eodem modo tollit a peccato reservationem.

Infertur secundo, quod qui in casu dubii absolutus est ab inferiore a peccato, vel a censura, si deinde deprehendat certo peccatum illud esse reservatum, non tenetur Superiorem adire. Ita Lug., Bardi disp. *6.* cap. 11. punct. 4. §. *6.*, quia jam ab eo peccato absolutus fuit directe ab habente tunc potestatem: Sicuti dubius de voto Castitatis, si dispensetur ab Episcopo, & deinde deprehendat votum Castitatis fuisse certum, non tenetur Pontificem adire pro dispensatione, ex Sanch. lib. 4. cap. 44. Lug. disp. 20. sect. 2.

V. Quæritur secundo; An possit idem peccatum a pluribus Superioribus reservari, ita ut sublata una reservatione remaneat altera?

Respondeo, vel reservatio fit cum censura, verbi gratia, cum excommunicatione annexa, vel non: Si primum, reservatio unica est, etiamsi fiat pluries ab eodem superiore. Quod si fiat a diversis, verbi gratia, prius ab uno Episcopo, deinde ab alio, vel a Pontifice, tunc reservatio, & excommunicatio est multiplex, ita ut una sublata remaneat altera, ut ostendit Suar. disp. 31. sect. 4. si vero reservatio fiat sine censura, sive fiat ab eodem Superiore pluries, sive prius ab uno Episcopo, deinde a Successore, tunc unica est reservatio, & per unam facultatem absolvendi tollitur: Quod si fiat a diversis Superioribus, videlicet ab Episcopo, & a Papa, si prius fiat ab Episcopo, & deinde a Papa, tunc accedente reservatione Pontificis, cessat Episcopalis, ut notat Lug. n. 151 cum non habeat tunc Episcopus facultatem absolvendi, adeoque nec sibi reservandi; Quod si prius fiat a Papa, deinde ab Episcopo, propter eandem rationem reservatio Episcopalis est nulla, ut docet Suar. disp. 31.

VI. Quæritur tertio; Quænam peccata sint de facto Episcopis reservata?

Respondeo, tripliciter posse peccata Episcopis reservari. Primo, per statuta Episcoporum, sive synodalia, sive extra-synodalia. Secundo, per consuetudinem. Tertio jure communi. Quæ primo, aut secundo modo reservantur, recenseri non possunt, quia dependent a voluntate uniuscujusque Episcopi, & a consuetudine cujusvis diœcesis. Universim vero solent sibi Episcopi reservare homicidium voluntarium, crimen incendiarii, Pollutionem Ecclesiæ, Perjurium in judicio, Adulterium publicum, Falsificationem literarum, & his similia, quæ discutit Tambur. in tractatu de Pęnitentia cap. *6.* loquens de casibus Panormi reservatis. Quæ vero jure communi Episcopis reservantur, sunt, præter nonnullas dispensationes irregularitatum, & votorum, Primo, levis percussio Clerici, & gravis, si fiat a fœmina. Secundo, procuratio abortus fętus animati, effectu secuto. Tertio, communicatio in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo, & alia hujusmodi, quæ notat Tolet. lib. 1. Instructionis Sacerdotis cap. 19., ac demum omnes casus Papæ reservati, si sint occulti. Et iidem etiam publici in casu legitimi impedimenti sive perpetui, sive temporalis possunt jure communi ab Episcopis absolvi, cum onere tamen, quod cessante impedimento temporali, ad Papam se præsentent; ut habetur in cap. *de cætero de sentent. excommunicationis*. At in articulo mortis non solum Episcopi, sed quilibet Sacerdos poterit ab omnibus casibus Papalibus absolvere, cum ex Tridentino in eo articulo, seu etiam periculo cesset omnis reservatio.

VII. Circa hæc notandum primo, Crimen illud dici occultum, quod opponitur publico, ut exponit Suar. disp. 30. sect. 2.; publicum autem dicitur, quod notum est fere omnibus oppidi, vel viciniæ, vel communitatis, vel publice diffamatum, vel deductum in forum contentiosum, dummodo ob defectum probationis non sit ab eo Reus absolutus: Unde quamvis aliquando crimen notum sit aliquibus, adhuc potest dici occultum, quousque Reus non laborat publica infamia, ut docet Navar. in Manual. cap. 27. num. 254. Quod si delictum sit in aliquo loco publicum, non vero in eo, in quo petitur absolutio, Sanch. Dian. & alii putant, posse etiam ab Episcopo absolvi; Negat tamen Suar. quia quod alicubi publicum est, simpliciter est publi-

publicum; præterquamquod facile etiam ad alia loca defertur, & publicatur.

Notandum secundo, multos Doctores cum Tolet. apud Suar. loc. citat. negare, multos alios cum Navar., Lug. disp. 20. sect. 5. asserere, quod per Bullam Cœnæ revocata sit ab Episcopis hæc facultas absolvendi ab hæresi occulta, necnon ab aliis occultis casibus in ea Bulla contentis: quia in calce Bullæ dicitur Episcopus non posse ab iis casibus absolvere, non obstantibus quibuscumque: Quamvis utraque sententia suos habeat Patronos; quia quando dicit Bulla, Episcopos non posse ab iis absolvere, *non obstantibus quibuscumque*, intelligi potest, quod loquatur de iis casibus, quando sunt publici, non quando sunt occulti; Suar. tamen censet, tutiorem esse sententiam Navar. Quod præsertim verum est, postquam confixa est thesis illa tertia ab Alex. VII. quam mox referemus.

Notandum tertio, facultatem hanc Episcoporum, quam habent ratione officii, & idcirco ordinariam Episcopi, esse cuilibet delegabilem; Unde sequitur, quod Confessarius, cui Episcopus dat facultatem absolvendi a Casibus sibi reservatis, possit etiam absolvere ab omnibus casibus reservatis Papæ, dummodo sint vel occulti, vel cum legitimo impedimento adeundi Pontificem, eo modo quo potest Episcopus; excepta tamen hæresi externa, quæ unice ab Episcopo absolvi potest, quando est occulta, juxta Trident. sess. 24. cap. 6. & ab Alex. VII. damnata est propositio 4. dicens: *Etiam Prælatos regulares posse ab ea absolvere in foro conscientiæ*. Damnata nihilominus etiam est ab eodem Pontifice propositio 3. dicens: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt &c. in Concistorio Sacræ Congregationis Cardinalium visa, & tolerata est*.. Ubi nonnemo putat non damnari ~~hanc~~ sententiam, sed solum damnari, quod ea visa, & tolerata sit a Sacra Congregatione. Equidem cum Moya dicendum probabilius censeo, etiam sententiam illam damnari; quia nisi sententia esset falsa, Alex. VII. non fuisset adeo solicitus de mendacio illo, quod ea sententia a Sacra Congregatione visa, & tolerata sit. Quare quamvis prius probabile esset, ex auctoritate Navar., Lug., & aliorum Doctorum, quod Episcopi possent ab hæresi occulta, & ab occultis omnibus Bullæ Cœnæ absolvere, nunc tamen non videtur amplius ea sententia eadem probabilitate pollere, ut ostendimus in Trutina Theologica thesium damnatarum.

VIII. Notandum ultimo, onus comparendi coram Pontifice, cessante impedimento, non debere imponi ab Episcopo ei, qui absolvitur, quando impedimentum adeundi Pontificem est perpetuum; quia frustra imponeretur. Dicuntur autem habere perpetuum impedimentum in jure Mulieres propter sexus fragilitatem, pueri ante pubertatem, Regulares, filiifamilias, Senes, videlicet septuagenarii, vel sexagenarii, immo per aliquos Doctores etiam quinquagenarii, Servi, idest Mancipia, Pauperes, Infirmi, carceribus perpetuo detenti, vel ad triremes damnati, vel in Insulas relegati, Captivi apud Turcas; Necnon qui arripere iter non possunt sine gravi detrimento, vel temporali, vel spirituali, vel proprio, vel suorum, videlicet uxoris, familiæ, &c. Ad hoc tamen ut isti dicantur perpetuo impediri, debent tali impedimento laborare solum per decennium, aut etiam (ex Tambur. in decalogum) per quinquennium. Aliter dicerentur laborare impedimento temporaneo, & non perpetuo.

IX. Dubium est magni ponderis; An sicut in impedimento temporaneo, & non perpetuo adeundi Pontificem potest Episcopus absolvere a casibus Papæ reservatis cum onere comparendi, cessante impedimento, sub pęna reincidentiæ; ita pariter, quando pęnitens habet impedimentum adeundi Episcopum, possit quilibet Confessarius absolvere cum onere comparendi apud Episcopum, cessante impedimento, sub eadem pęna reincidentiæ?

Respondeo, plurimos Doctores cum Suar. disp. 20. sect. 2., Lug., Becan., & aliis communius negare, quia illud tantum exprimitur in jure; nec valet arguere a pari in lege positiva. Verum affirmant Perez disp. 50. sect. ultim., necnon Boss., Celestin., Hurt., & Granad. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 58., & Dicastil. apud eundem Dian. part. 11. tract. 8. resol. 49. Ratio est, quia cum timeri possit in tali casu probabile periculum animæ propter dilationem pęnitentiæ: & cum aliquando etiam urgeat necessitas communionis, & non sit facilis contritio, cæteroqui prærequisita, videtur verisimile, quod noluerit Pontifex tollere remedium confessionis pęnitentibus impeditis adire Episcopum, quod iterum explicabimus in de Censuris quæst. 2. art. 7.

Quare habens reservata vel Papæ, vel Episcopo, apud quos non patet aditus, & volens se reconciliare cum Deo, vel propter necessitatem communionis, vel ne diu sit in statu peccati mortalis, tripliciter potest se gerere: Vel primo, præmittendo communioni solam contritionem, perinde quasi non haberet copiam Confessarii; etenim juxta primam communiorem laudatam opinionem Confessarius non potest absolvere a reservatis Episcopo, vel Papæ in casu impedimenti. Vel secundo, potest confiteri Confessario non reservata, omittendo reservata; cum non habeat Confessarius potestatem in illa, ut docent Sot., Cordub., Pal., Dian. part. 2. tract. 4. resol. 104.: Vel tertio, sequendo secundam hanc opinionem,

potest reservata simul, & non reservata confiteri, ita ut ab his directe, ab illis indirecte absolvatur, ut communius Doctores docent cum Laym. de Sacramento Pęnit. cap. 12., Navar., Sot., & aliis. Immo ad id teneri docet Laym. ex D. Th. ut possit confessarius integre cognoscere statum pęnitentis.

X. Addo hic probabilem esse sententiam Lug. disp. 20. n. 223. quod onus comparendi Papæ, cessante impedimento temporali, tunc imponi debeat ab Episcopo pęnitenti, quando hic ab eo absolvitur a censura reservata, non vero quando ab eodem absolvitur a peccato Papæ reservato sine censura; quod perraro accidit. Ratio, quam affert de Lug. est, tum quia in jure tale onus imponitur solum pęnitenti, qui ratione impedimenti absolvitur a censura: tum etiam, quia tale onus imponi debet sub pęna reincidentiæ; quæ pęna solum cadere potest supra censuram, non supra peccatum, ut patet; tum demum, quia aliter qui fuit absolutus directe a peccato, teneretur iterum illud subjicere clavibus, quod videtur durum. Utrum autem qui propter impedimentum temporale absolvitur a casibus sine censura reservatis a confessario, eo quod pęnitens non possit adire Episcopum, juxta dicta numero præcedenti, tunc pariter possit confessarius ab iis absolvere sine onere, extra mortis articulum? Disputat Suarius disp. 30. de Pęnit. sect. 3. & Lugo disp. 20. sect. 10. n. 224., & neuter audet id asserere; cum communissime rejiciatur. Qua de re fusius dixi in Trutina exponendo tertiam thesim ab Alex. VII. confixam num. 7.

Dices. Ideo Episcopus potest a casibus Papalibus absolvere sine onere, si non sit illis annexa censura, quia aliter qui fuit absolutus ab iis directe ab Episcopo, teneretur iterum subjicere clavibus idem peccatum, quod est inconveniens; atqui hoc etiam sequeretur, si in casu impedimenti temporalis absolutus a confessario a casibus Episcopalibus sine censura teneretur adire Episcopum, ut iterum absolvatur cessante tali impedimento; ergo in utroque casu dari potest absolutio sine onere.

Respondeo negando minorem. Nam ideo Episcopus in casu impedimenti temporalis directe absolvit a casibus Papalibus, quia hoc illi a jure conceditur, tum in Cap. *de cætero de sententia excommunicationis*, tum alibi. Unde cum absolvatur pœnitens directe a casibus Papalibus, non debet iterum adire Pontificem, cessante impedimento, ut absolvatur; sed si peccato est annexa censura, absolvitur cum onere sistendi se coram Pontifice, non ut absolvatur iterum a peccato, sed ut stet ejus mandatis propter censuram incursam, aliter in eandem censuram incidit. At quando confessarius ratione impedimenti temporalis absolvit a casibus reservatis, tunc non absolvit directe, cum nulli bi talis facultas illi tribuatur, sed absolvit indirecte, non secus ac indirecte absolvit a peccatis oblitis; & ideo, cessante impedimento, datur onus adeundi Superiorem pro absolutione directa. Quod si Sacerdos absolvat moribundum a reservatis, tunc ideo absolvit directe, & sine onere, (nisi forte censura sit denuntiata, ut satisfiat foro externo) quia ex Tridentino pro illo articulo confertur cuilibet Sacerdoti facultas absolvendi a quibuscumque peccatis, & censuris: Hæc enim habentur sess. 14. Concilii laudati cap. 7.: *Pie admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.*

ARTICULUS III.

De iis, qui subjacent reservationi.

I. Impuberes probabiliter reservationi, & excommunicationi non subjacent, nisi exprimantur.
II. Probabiliter etiam ignorantes reservationem pœnalem illam non incurrunt.
III. Ignorantia reservationis est solum in causa, cur reservatio non incurratur; sicut dicitur de ignorantia excommunicationis, aut si de reservatione dubitetur.
IV. Num peregrini absolvi possint a reservatis suæ patriæ, si non sint simul reservata in diœcesi, in qua versantur?
V. Num peccata reservata in diœcesi absolvi possint a quolibet confessario, si fuerint commissa in Monasterio exempto?

I. CErtum est, reservationi universim subjacere omnes subditos reservantis; nisi specialiter aliqui exciperentur, ut de facto Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus fęminas excipit a reservatis luxuriæ, & pueros, ac puellas omnes ante 14. annum ab omnibus reservatis. Dubium tamen est, An universim impuberes, peregrini, & reservationem ignorantes reservationi subjaceant?

Quæritur itaque primo, an peccata impuberum possint reservari?

Respondeo, Palud., Belloch. apud Dian. part. 1. tract. 1. Miscel. resol. 1. negare, quia minor ætas excusat pueros in foro exteriori a pœna extraordinaria; Unde diximus quæst. 4. art. 3., impuberes transgredientes præceptum confessionis annuæ non incurrere in foro exteriori pęnas latas in transgressores; nec excommunicationem ullam, nisi forte exprimerentur.

Sed Perez disp. 45. sect. 3. Lug., Homob., & alii distinguunt duplex genus reservationis, alterum pęnalis, alterum medicinalis, ex

Sanch.

Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 32., & dicunt huic reservationi medicinali, non illi pœnali impuberes subjacere. Reservatio autem dicitur Medicinalis, quando imponitur ut remedium, seu quando est veluti lex determinans casus, in quibus recurri debeat ad Superiorem pro meliori remedio applicando; Hoc enim expedit ad bonam Ecclesiæ gubernationem; & in tali casu sicut impuberes subjacent aliis Ecclesiæ legibus, verbi gratia, abstinentiæ a carnibus, confessionis annuæ, &c., ita pariter subjacent reservationi. Dicitur vero reservatio esse pęnalis, quando est quædam pęna imposita in lege in odium, & vindictam peccati; ut fecit Sixtus V. contra male promotos ad ordines; & in tali casu non subjacent impuberes reservationi; sicut nec subjacent juxta communiorem opinionem ulli excommunicationi, vel alteri pœnæ Ecclesiasticæ.

Equidem tamen censeo, probabile esse, quod nunquam impuberes reservationi subjaceant; sicuti nunquam subjacent excommunicationi, nisi exprimantur; cum eadem sit ratio de reservatione, ac de excommunicatione, ut mox dicemus.

II. Quæritur secundo; An ignorantes reservationem illam incurrant? Et idem quæritur de non advertentibus ad illam, dum actu peccant?

Respondeo, convenire communiter Doctores, quod censura ignorata non incurratur, sicuti nec incurritur, si ad illam non advertatur, dum committitur peccatum, cui annexa est censura; siquidem inadvertentia actualis, seu oblivio æquiparatur ignorantiæ invincibili, & inculpabili. Ratio autem, quare non incurratur censura ignorata, est, quia censura est pœna spiritualis medicinalis, quæ applicari debet peccatori ægroto, ut possit illum curare; Applicatur autem unice per cognitionem, & consequenter qui illam ignorat, non incurrit, ex Cap. *Ut animarum*, nisi ignorantia sit crassa, aut supina, prout suo loco dicemus. Dubium tamen est, an idem dicendum sit de reservatione?

Prima sententia docet, illam incurri ab ignorante; Ita Homob. de Cas. reserv., Merol., & alii. Secunda sententia negat; Ita Quintanad. tract. 3. singulari 11. dicens, per hæc verba, *Ignorantia reservationis, sive juris, sive facti, etiamsi culpabilis, seu vincibilis excusat a reservatione*. Ita etiam Adamus Burghaber cent. 3. casuum selectorum casu 31., & alii apud Dian. part. 10. tract. 14. resol. 63., qui opinionem hanc satis probabilem existimat. Tertia sententia distinguit cum Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 32. Pal. tract. 2. disput. 1. punct. 17., Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 6. cap. 1., Perez, Fagund., & aliis, qui docent, ut modo diximus de impuberibus, reservationem, quæ sit lex pęnalis facta in odium, & vindictam peccati, non incurri ab ignorante illam; secus vero reservationem, quæ sit lex medicinalis facta ob bonum commune Ecclesiæ & rectam ejus gubernationem, quæ exigit, ut graviora crimina a Superioribus, & a Prælatis cognoscantur. Demum magis ad rem Joseph de Januario resp. 1. distinguit duplicem reservationem, alteram legalem, quæ fit per legem universalem, aut per statutum synodale, ut plerumque fit; alteram vero personalem, quæ scilicet fit a persona Superioris per modum præcepti, præcipiendo confessariis, ne a tali vel tali peccato absolvant; quod raro accidit; Nam peccata, quæ reservantur ab Episcopis in tabella, prius reservata sunt per statutum synodale: Docet deinde Joseph de Januario, primam reservationem non incurri ab ignorante, quia habet rationem pœnæ medicinalis, non secus ac censura, & respicit directe pœnitentes; secundam vero incurri, quia directe respicit confessarios, quamvis in ordine ad Pœnitentes.

Equidem censeo in praxi sequendam primam opinionem; sed probabilem etiam esse secundam, prout limitatur a Josepho de Januario apud Dian. part. 10. tract. 14. resol. 63., ita ut tunc solum reservatio incurratur ab ignorante illam, quando delegans jurisdictionem delegat cum aliqua limitatione, præcipiendo, ne delegatus a tali, vel tali crimine absolvat, quod raro habetur.

Probatur, quia omnis reservatio habet rationem pęnæ medicinalis, si fiat per legem universalem, & est odiosa, tam confessario, cujus jurisdictionem restringit; quam pœnitentibus, qui coguntur Superiorem adire pro absolutione: Atqui pœna spiritualis medicinalis ex communi Doctorum sententia apud Sanch. lib. 1. Moralium cap. 8. non incurritur ab ignorante illam, (ut diximus de censura, quæ universim ignorata non incurritur) ergo nec reservatio; Etenim tam excommunicatio reservata, quam reservatio peccati est restrictio jurisdictionis in absolvente; utraque est pœna in delinquente, & est pœna medicinalis præservativa a gravioribus delictis, spectans ad rectam Ecclesiæ gubernationem; ergo tam excommunicatio, quam reservatio ignorata non incurruntur.

Confirmatur primo; quia nulla medicina potest ægrotum sanare, nisi illi applicetur; atqui lex reservationis, & excommunicationis sunt medicinæ præservantes a gravioribus delictis, & applicantur hominibus per cognitionem illarum; ergo nisi innotescant, non habent rationem medicinæ, & sic non debent incurri.

Confirmatur secundo, quia intantum lex reservationis, & excommunicationis spectat ad rectam Ecclesiæ gubernationem, inquantum talis pęna deterret reum a gravioribus criminibus; atqui

qui nisi innotescat, non potest deterrere; ergo ignorata non debet incurri.

Dices primo: Dispar est ratio de excommunicatione, ac de reservatione; Illa præservat præcise inquantum est pœna privans Sacramentis, &c. Hæc vero præservat, non solum ratione pœnæ, sed etiam quia dum pœnitens adire debet Superiorem, potest ab eo graviora, & salubriora monita habere, quam ab inferiore; ergo quamvis excommunicatio ignorata non incurratur, non tamen reservatio.

Respondeo, tam legem excommunicationis, quam reservationis respicere & bonum publicum, & pœnam delinquentis, quamvis diversimode utrumque respiciant; quia tamen conveniunt in hoc, quod utraque sit pœna medicinalis, conveniunt pariter in eo, quod ab ignorantibus non incurrantur; quippe qui dum peccant peccato, cui sit annexa vel censura, vel reservatio, non sunt prævaricatores talis legis positivæ, quam ignorant, & idcirco non sunt rei talis pœnæ. Adde, quod etiam in excommunicatione reservata habeatur hoc, quod per recursum ad Superiorem possit delinquens habere salubriora monita ab illo, quam ab inferiore, & tamen etiam excommunicatio reservata, si ignoretur, non incurritur; ergo inter excommunicationem, & reservationem nulla disparitas.

III. Dices secundo; Reservatio est limitatio jurisdictionis in confessario, seu ablatio jurisdictionis relate ad tale peccatum; atqui ignorantia pœnitentis non potest conferre confessario jurisdictionem, quam non habet; ergo ignorantia reservationis non impedit reservationem.

Confirmatur, quia simplex Sacerdos non potest valide absolvere a mortalibus; etiamsi bona fide pœnitens ad illum accedat. Et ratio est, quia simplex Sacerdos non habet jurisdictionem in mortalia; Atqui neque Confessarius inferior habet jurisdictionem in mortalia reservata; ergo neque poterit valide ab illis absolvere, per hoc quod pœnitens bona fide illi confiteatur ignorans reservationem, seu restrictionem jurisdictionis.

Confirmatur secundo; quia ignorantia reservationis, si sit in Confessario, non facit, ut valide absolvat; ergo neque si sit in pœnitente. Et ratio a priori est, quia reservatio fit ad rectam Ecclesiæ gubernationem, quæ exposcit, ut graviora crimina a Superioribus tantum cognoscantur; ergo sive illam sciant, sive nesciant pœnitentes, non possunt valide absolvi a reservatis, nisi ab habentibus potestatem in illa.

Respondeo, hoc argumentum, quod est Achilles Adversariorum, æque militare contra excommunicationem reservatam, & contra peccatum in dubio reservationis; quare sicut excommunicatio etiam reservata, eo ipso quod est ignorata, non incurritur, & ideo cessat caput, unde per legem, qua reservatur excommunicatio, limitatur in Confessario jurisdictio relate ad illam; & sicuti cessat limitatio jurisdictionis relate ad peccata reservata, quando dubium est de reservatione; ita pariter quando ignoratur reservatio. Limitatio itaque jurisdictionis est quidem circa peccata reservata; verum quia accedente ignorantia reservationis, peccatum non est amplius reservatum, ideo non accedente tali ignorantia, sicut etiam accedente dubio reservationis, non habetur jurisdictio restricta, & limitata in Confessario.

Ad primam, & secundam confirmationem facilis est responsio, si advertatur, nos non asserere, quod ignorantia reservationis, quæ sit in pœnitente conferat Confessario jurisdictionem relate ad peccata reservata; sed solum asserimus, quod ignorantia reservationis, quæ sit in pœnitente, impediat, quominus per legem reservationis restringatur in confessario jurisdictio relate ad illa peccata; eo prorsus modo quo impediunt limitationem jurisdictionis tam dubium reservationis, quam ignorantia excommunicationis reservatæ; siquidem pœna medicinalis non incurritur ab ignorante illam. Unde fit, quod si ignorantia reservationis solum sit in confessario, non per hoc Confessarius valide absolvit a reservatis, neque simplex Sacerdos potest valide absolvere a mortalibus, etiamsi bona fide pœnitens ad illum accedat, quia simplex Sacerdos nullo pacto habet jurisdictionem in mortalia. Contra vero Confessarius inferior habet jurisdictionem in reservata, restrictam quidem per reservationem, sed non quoties datur caput impediens restrictionem talis jurisdictionis.

Quare a primo ad ultimum, nec reservationem, neque excommunicationem incurrunt, qui illas ignorant; & quia communiter Doctores inadvertentiam actualem, & oblivionem æquiparant ignorantiæ invincibili, & inculpabili, inde fit, quod non advertens ad pœnam sive reservationis, sive censuræ, illam non incurrat, non secus ac si ignoraret; Unde Sanch. lib. 4. c. 22. docet, quod si quis, verbi gratia, in pœnam perjurii vovisset jejunare, quoties mentitur; si deinde mentiatur advertens ad votum non mentiendi, non vero ad pœnam impositam jejunandi, peccaret quidem, sed non tenetur jejunare, ex hoc scilicet principio, quod pœna extraordinaria, & medicinalis non incurratur ab eo, qui illam ignorat, aut non advertit ad illam. (*a*)

„ (*a*) Ridiculis de more declamationibus hanc
„ Vivæ doctrinam impugnat Concina *T. 9. p.*
„ 564. Mihi tamen, ut ingenue fatear, non
„ placet hæc Vivæ sententia, contra quam vi-
„ de quæ faciant apud Zuccherium in *Deci-*
„ *sionibus Patavinis* an. 1707. *pag.* 152.

IV. Quæ-

IV. Quæritur ultimo; Num peregrini subjaceant reservationi Episcopi propria, quando extra ejus diœcesim versantur; an vero Episcopi loci, ubi obiter degunt sine animo permanendi, & sine fixo domicilio; An vero utriusque, an neutrius? Quod est quærere, a quibusnam reservatis possint hospites, & peregrini absolvi; a reservatisne in propria diœcesi, an vero in aliena, an a neutris, an ab utrisque?

Respondeo, Pellizar. tract. 16. cap. 2. num. 93. Sancium in selectis disp. 54. Sayr. lib. 3. cap. 4. Less. lib. 4. cap. 2. num. 49. docere, Peregrinos, qui non habitant alicubi animo permanendi per majorem partem anni, (quod requiritur, ut dicantur ibi habere quasi domicilium) neque teneri legibus patriæ ubi non sunt, neque legibus loci, ubi sunt peregrini. Quare si casus aliquis sit reservatus ab Episcopis, tam in patria, quam in loco, ubi degit peregrinus, non incurritur talis reservatio a peregrino. Hæc tamen opinio communiter non admittitur, quia etiamsi verum sit, peregrinum neque legibus patriæ, neque legibus loci teneri, adhuc reservatio, cum sit restrictio jurisdictionis in Confessario, potest a peregrino incurri.

Equidem plura circa hoc dubium ex Laym. annotavi quæst. 8. art. 1. Iterum hic adverto, Clem. X. prohibuisse regularibus, (& eadem est ratio in tali casu de Confessariis sæcularibus) ne absolvant peregrinos a reservatis loci, in quo fit confessio, nec a reservatis in patria ipsius peregrini, quando isti in fraudem reservationis adeunt eam diœcesim, in qua casus non sunt reservati, hoc est quando id faciunt ad vitandum judicium proprii Pastoris, ut advertit Platel. num. 909. Et ratio ex Suar. disp. 25. sect. 2. num. 9. est, quia peregrini solum ex tacita concessione suorum Pastorum confiteri possunt extra propriam diœcesim; hæc autem tacita concessio non præsumitur, quando in fraudem, seu ad vitandum judicium proprii Pastoris, atque adeo mala fide vult aliquis confiteri extra propriam diœcesim, ubi peccatum a se commissum non est reservatum: Quod si non fiat in fraudem, seu hoc animo, sed bona fide, absolvi poterit, quia hic utitur jure suo. Etenim est probabilis sententia Suar. disp. 30. sect. 1. Lug. disp. 20. num. 71. Leand. quæst. 26. & Dian. part. 4. tract. 4. resol. 109. existimantium, universim posse peregrinum absolvi a casibus reservatis suæ patriæ, dummodo non sint reservati in ea diœcesi, in qua fit Confessio; quia judicandus est pœnitens juxta leges ejus diœcesis, in qua versatur. Et est pariter probabilis sententia Soti, & Fagund. lib. 8. secundi præcepti Ecclesiastici cap. 8. num. 20. docentium, posse peregrinum absolvi a reservatis, quæ sint tantum reservata in ea diœcesi, in qua confitetur, & non in sua patria; quia reus judicandus est juxta leges superioris sui.

V. Immo Dian. part. 10. tract. 14. resol. 7. docet, quod si diœcesanus ipse committat peccatum extra propriam diœcesim, ubi non est reservatum, possit deinde absolvi in propria diœcesi, in qua est reservatum; quia commisit peccatum in loco, ubi nulla habetur reservatio, adeoque non commisit peccatum reservatum. Addit ulterius idem Dian. part. 10. tract. 14. resol. 7. ex Baucio, Bordon. Bonac. quod si quis committat peccatum ab Episcopo reservatum intra aliquod Monasterium exemptum, neque incurrat reservationem, non secus ac si extra diœcesim illud committeret. Quod tamen non admiserim, quia monasterium solum quoad monachos est exemptum a jurisdictione Episcopi, non vero quoad locum; unde peccans in Monasterio peccat intra diœcesim Episcopo subjectam, etiam relate ad talem locum, atque adeo reservationem incurrit; & ita communius docent cum Suar. Con. Pal. apud eundem Dian.

Quod communiter Doctores docent, est, Peregrinos absolvi non posse a peccatis reservatis in utraque diœcesi, videlicet & patriæ, & loci, ubi fit confessio, nisi ab habente facultatem in reservata: Sicut etiam communius docent cum Fagund. loc. cit. contra nonnullos, quod peregrinus, sive habeat reservata in propria, sive in aliena diœcesi, possit absolvi a quocunque Sacerdote habente facultatem ab Episcopo suo in reservata; tum quia hoc fert consuetudo; tum etiam quia sicut ex consuetudine, & ex tacito consensu Episcoporum quilibet confessor potest absolvere peregrinos; ita pariter quilibet habens facultatem in reservata ab Episcopo suo potest absolvere peregrinos etiam a peccatis alteri Episcopo reservatis.

ARTICULUS IV.

Quinam possint absolvere a reservatis, & quomodo?

I. Num jurisdictio ordinaria in reservata competat Pœnitentiario Cathedralis, aut Parocho?
II. Quinam possint eligere sibi Confessarium, per quem a reservatis absolvantur?
III. Nequit Superior sacramentaliter absolvere a solis reservatis.
IV. Qui confitetur Superiori, & oblivifcitur alicujus reservati, potest deinde ab hoc absolvi a quocumque Confessario.
V. Si quis jubilæi tempore invalide confitetur, poteritne deinde pariter absolvi a reservatis?
VI. Quandonam tenetur Superior facultatem concedere subdito, ut a reservatis absolvatur?
VII. Quandonam possit Regularis, petita, & non obtenta facultate, a reservatis absolvi?

VIII.

VIII. Num possit directe a reservatis absolvi pœnitens, si injuste facultas a Superiore denegetur?
IX. Quomodo Confessarius hanc facultatem petere debeat, ut possit ea pro se ipso uti?
X. Si petatur facultas absolvendi Titium a reservatis pro hac vice, poteritne hic absolvi a reservatis commissis post licentiam obtentam?

I. Certum est primo, posse a reservatis directe absolvere tam qui ordinariam, quam qui delegatam habet jurisdictionem in reservata.

Certum est secundo, habere ordinariam jurisdictionem in reservata tum qui ea reservavit, (non enim posset ea sibi reservare, nisi posset absolvere); tum etiam qui in hoc Sacramentali foro est reservanti jurisdictione Superior; (dummodo qui absolvit, sit Sacerdos; nam si non sit Sacerdos, poterit quidem reservare peccata alteri, sed non sibi; unde non poterit per se ipsum absolvere, sed per alium Sacerdotem, cui facultatem concedat). Hinc fit, quod peccata reservata Episcopo possint non solum ab Episcopo, sed etiam a Pontifice absolvi; & quæ reservantur Superiori locali religionis, possunt etiam a Provinciali, & a Generali absolvi; quia in hoc foro dicuntur esse Superiores iis, quibus reservantur: At Archiepiscopus non potest absolvere a reservatis Episcopo suffraganeo; nisi forte quando illius diœcesim visitat, quia Archiepiscopus, licet sit dignitate superior Episcopo, non est tamen Superior in hoc foro, cum non habeat immediatam jurisdictionem in diœcesi suffraganei, quando actu illam non visitat.

Certum est tertio, habere jurisdictionem ordinariam in casus Episcopo reservatos tam Vicarium Generalem, quia constituit cum Episcopo unum Tribunal; quam Vicarium Capitularem, quia Capitulum sede vacante succedit Episcopo. De Pœnitentiario Cathedralis communius negant Doctores apud Dian. part. 9. tract. 9. resol. 11. Negant etiam Doctores de Parocho, ut videre est apud Suar. disp. 29. & Lug. disp. 21. num. 3. siquidem Episcopi possunt ex concessione Pontificis reservare sibi peccata, & sic Parochorum potestatem limitare. Circa reservata vero in Religionibus Prælati locales habent ordinariam jurisdictionem in illa, quamvis Parochis comparentur.

II. Certum est quarto, delegatam jurisdictionem in reservata habere tam illum, cui ea conceditur directe, quam eum, cui conceditur indirecte ab habente jurisdictionem ordinariam. Delegatur autem directe, quando ab Ordinario immediate committitur alicui Sacerdoti talis jurisdictio: Indirecte vero conceditur Sacerdoti jurisdictio in reservata, quando ab habente potestatem in reservata conceditur alicui pœnitenti facultas eligendi sibi Confessarium, a quo a reservatis absolvatur; tunc enim si pœnitens eligat Cajum Sacerdotem, conceditur indirecte Cajo talis facultas. Potestas autem eligendi sibi confessarium haberi potest vel ab homine, vel a consuetudine, vel a jure. Pontifex habet potestatem eligendi sibi quemcumque Sacerdotem in confessarium, cui statim post electionem tribuitur jurisdictio, vel a Christo domino immediate, ut multi docent, vel ab ipsomet Pontifice, ut putat Lug. disp. 15. num. 23. sicut Respublica eligendo sibi superiorem, tribuit illi jurisdictionem in seipsam. Præterea etiam Episcopi in sua diœcesi possunt quemcumque Sacerdotem in confessarium eligere, a quo absolvantur, etiam ab iis reservatis, a quibus potest ipsemet Episcopus alios absolvere; ut constat ex cap. ult. *de Pœnitentiis, & remissionibus*: Extra suam diœcesim vero nonnisi suum subditum approbare potest, ut ipse a non reservatis in ea diœcesi absolvatur: Advertitque Suar. disp. 27. sect. 2. Prælatos regulares posse pariter confessarium sibi eligere, tam subditum, quam non subditum; non tamen qui eos absolvat a reservatis in Religione, a quibus ipsi possunt alios absolvere; quando tamen in religione juxta constitutiones a Pontifice approbatas designatur illis a Superiore Confessarius pro reservatis, si quando in ea incidant; ut late etiam ostendit Lug. disp. 20. sect. 5. Abbatissæ non veniunt in hoc privilegio nomine Prælati; unde non possunt sibi Confessarium eligere. Dubitatur, Utrum hac in re veniat nomine Prælati Vicarius Generalis Episcopi, & Parochus? Aliqui enim affirmant, alii negant apud Leand. disp. 11. quæst. 29. & 34. ubi recenset omnes illos, qui ex consuetudine, seu ex tacita licentia Papæ possunt sibi confessarium eligere, videlicet Cardinales, Legatos a latere, Imperatores, Reges, Domesticos Pontificis, & alios: Ubi etiam addit posse Cardinales dare facultatem suæ familiæ eligendi sibi Confessarium, & Episcopos eximere familiam suam a Parocho. Equidem tamen in expositione thesis XVI. ab Alexand. VII. confixæ docui quod sicut potest Episcopus simplicem Sacerdotem ad audiendas suarum ovium confessiones approbare, (& quidem etiam extra suam diœcesim, si sit suus subditus) & sic illum eligere sibi in confessarium; ita pariter idem possit Vicarius Capitularis, & Vicarius Episcopi Generalis. Contra vero Parochus sicut nequit simplicem Sacerdotem approbare ad audiendas confessiones suarum ovium, ita nec potest eundem sibi in confessarium eligere: Nec potest Episcopus extra suam diœcesim eligere sibi simplicem Sacerdotem in confessarium, si non sit suus subditus.

III. Quæ-

III. Quæritur nunc primo; An possit Superior, auditis solis reservatis, absolvere pœnitentem sacramentaliter, illumque confessario inferiori remittere pro absolutione a reliquis mortalibus?

Respondeo cum fere communi negative, nisi urgente gravissima necessitate. Ratio est, quia de jure divino requiritur integritas materialis confessionis, & confessio dimidiari non potest sine gravissima necessitate; quando scilicet indiget pœnitens Sacramentali confessione, nec potest integre confiteri; aliter debet Superior sublata solum reservatione, aut collata absolutione a solis censuris reservatis, remittere pœnitentem ad inferiorem, ut ab omnibus simul peccatis sacramentaliter absolvatur.

IV. Quæritur secundo; An confitens habenti potestatem in reservata, si obliviscatur alicujus reservati, possit deinde a tali reservato absolvi directe per alium confessarium, qui non habet potestatem in reservata?

Respondeo cum communi affirmative; ut videre est apud Suar. disp. 31. sect. 4., Lug. disp. 20. sect. 7. Ratio est, quia confessarius intendit absolvere pœnitentem, & uti sua jurisdictione in illum quantum potest: ergo cum possit ab illo tollere reservationem peccati obliti, de facto illam tollit; Nec hoc esset subdelegare alteri jurisdictionem in reservata, sed simpliciter tollere reservationem peccati obliti in foro Sacramentali. Ita Perez disp. 49. sect.4., Con. disp.8. dub.12. n.91. Qui etiam cum Cajet.. Suar., & aliis putant, reservationem peccati obliti tolli etiam per confessionem invalidam, non tamen sacrilegam, factam sive cum habente potestatem ordinariam, sive cum habente potestatem delegatam in reservata; Quod accidit, quando confessio est invalida, vel ex defectu doloris invincibiliter ignorato, vel ex alio simili capite, non vero quando est invalida ex defectu materialis integritatis, aut quando ex alio capite est sacrilega. Ratio hujus doctrinæ est eadem, quia scilicet absolvens intendit, quantum potest, favere pœnitenti. Addit Con., in tali casu haberi finem intentum a reservante, quod scilicet se sistat pœnitens vel coram Superiore, vel coram delegato ab ipso, ut possit melius in viam salutis dirigi: Quod tamen non accideret, si confessio esset invalida ex defectu materialis integritatis vincibiliter ignorato, ita ut non exponatur peccatum reservatum.

V. Rogabis; An pariter qui tempore Jubilæi fecit confessionem invalidam, non tamen sacrilegam, possit deinde, a quovis confessario absolvi a reservatis?

Respondet Comitol. ex Cajet., Armil., Silvest., & aliis apud Dian. part.1. tract. 11. resol. 18. affirmative, dummodo in tali confessione invalida confessus sit peccata reservata; quia sic, ut modo diximus, satisfecit legi Ecclesiasticæ reservationis, adeundo Confessarium habentem potestatem in reservata; quamvis non satisfecerit legi divinæ confessionis, cum confessio fuerit nulla. Alii Doctores apud eundem Dian. cum Suar., Henr. verius putant, quod si facultas in reservata detur in ordine ad lucrandas indulgentias, vel jubilæum, cum vere non lucretur jubilæum, qui facit confessionem invalidam, nec gaudet beneficio ullo Jubilæi. Unde tenetur adire Superiorem pro absolutione a reservatis: Si vero facultas in reservata detur vel ratione alicujus festivitatis, vel ex alio capite, & non in ordine ad lucrandas indulgentias, vel jubilæum, tunc putant probabilem opinionem Comitoli.

Rogabis ulterius: An qui confessus est cum animo lucrandi jubilæum, & deinde mutat animum, nec vult alia opera adimplere, si in ea confessione inculpabiliter omisit aliquod reservatum, possit deinde a quopiam ab illo absolvi?

Respondet Vasq. quæst. 81. num. 40. negative; quia facultas eligendi sibi Confessarium pro reservatis est alligata intentioni lucrandi jubilæum; ergo, ea cessante, cessat pariter talis facultas. Sed verius affirmant Sanch., Portel. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 145. Ratio est, quia per talem confessionem validam factam animo lucrandi jubilæum vere pœnitens præsentavit se Confessario habenti tunc facultatem absolvendi a reservatis; ergo cum vere absolutionem contulerit confessarius, animo favendi illi, quantum potest, non solum absolvit illum directe a peccatis confessis, & indirecte a reservatis oblitis, sed etiam abstulit omnem reservationem; unde solum remanet obligatio in pœnitente confitendi deinde, quando recordatur peccata oblita cuicumque confessario. Præscindimus hic, An, si iste talis virtute jubilæi absolvatur directe ab aliquo reservato, peccet deinde mortaliter, ut docet Suar., mutando animum, & non ponendo alia opera ad assecutionem jubilæi. Etenim videtur deficere in re gravi, ad quam se obligavit, veluti ex pacto, acceptando beneficium absolutionis. Verum solum venialiter peccare docent Lug., San., Henr. & alii apud Dian. part. 3. tr.4. resol. 145., & part. 5. tract. 12. resol. 42.; quia non deficit in pacto utili promissario, sed utili ipsi pœnitenti. (*a*)

„(*a*) Quis credent? P. Concina T.9.p.574. quærit
„ *Qui directe absolvitur reservato tempore Jubilæi, deinde post absolutionem mutat animum,*
„ *& omittit ea opera implere quæ præscripta sunt*
„ *ad Jubilæum lucrandum peccat ne mortaliter?*
„ Tum ait: *Affirmat Suarez leaudatus a P. Viva*
„ *quia deficit in re gravi ad quam se obligavit.*
„ *Sed P. Viva de more amplectitur oppositam*
„ *opinionem laxam, quam defendunt Lugo, Sanchez, Henriquez, & alii.* Vivæ textum legimus.
„ Merito igitur jure ait P. Noceti Ver. Vind. c.93.

,, Oro P. Concinam, ut legat in fonte, & Gormaz, & Gobat, & Layman, & Vivam, & omnes quos in hoc opere citat. P. Viva apertissime & disertissime profitetur se præscindere ab hac quæstione. En ejus verba quæst. 9. art. 4. n. 9.

,, Præscindimus hic, an si iste talis virtute Jubilæi absolvatur directe ab aliquo reservato, peccet deinde mortaliter, ut docet Suarez, mutando animum, & non ponendo alia opera, ad assecutionem Jubilæi. Etenim videtur deficere in re gravi, ad quam se obligavit veluti ex pacto, acceptando beneficium absolutionis. Verum solum venialiter peccare docent, Lugo, Sanchez, Henriquez & alii apud Dianam p. 9. tract. 2. Resolut. 42. quia non deficit in pacto utili Promissario, sed utili ipsi pœnitenti.

,, Posita vero hac tam manifesta protestatione, qua fide scribit P. Concina, P. Viva de more oppositam opinionem laxam amplectitur? Saltem imposturam convicio non cumulasset.

Ex dictis sequitur, quod si quis lucratus sit jubilæum absque confessione, (eo quod nullius peccati mortalis fuerit memor; quod fieri posse multi probabiliter opinantur) si deinde recordetur aliquod reservatum, potest a quopiam absolvi. Ita Lug. disp. 20. num. 102.; quia per talem consecutionem jubilæi jam acquisivit sibi auctoritatem eligendi sibi confessarium, a quo absolvatur a reservatis. Sic etiam sentiunt Sanctarel., & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 150. Dissentiunt tamen Suar., Sanch. & alii, qui putant, reservationem non tolli per lucrationem jubilæi, sed per absolutionem datam ei, qui habet animum lucrandi jubilæum; quia tamen in casu nostro absolutio non fuit data, ideo non fuit sublata reservatio.

Rogabis demum, si tempore jubilæi prorogetur justis de causis alicui indisposito absolutio, puta, per duas alias hebdomadas, & die lunæ post hebdomadas jubilæi incidat in novum reservatum, poteritne virtute jubilæi etiam ab hoc reservato absolvi?

Respondent aliqui apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 149., posse. Negat tamen Lug. disp. 20. num. 134., quia quamvis prorogetur jurisdictio, non tamen prorogatur relate ad alias causas, seu relate ad alia peccata commissa post tempus jubilæi. Certum tamen est, etiam post jubilæum posse pœnitentem absolvi virtute jubilæi a reservatis oblitis ante jubilæum commissis.

VI. Quæritur tertio; An Superior teneatur concedere facultatem petenti, ut ab alio possit a reservatis absolvi, sive id per se, sive per alium petat?

Respondeo cum Perez disp. 50. sect. 3. Lug. disp. 30. sect. 10., Con. disp. 8. dub. 14., & aliis, aliquando teneri, aliquando non: Tenetur quidem concedere non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, & ut suo officio Pastoris, & Medici spiritualis satisfaciat, quando, si neget talem facultatem, timetur grave damnum pœnitentis; dummodo tamen ex concessione facultatis non sequatur aliud majus damnum, vel respectu ejusdem, vel respectu communitatis. Ratio est, quia Medicus tenetur adhibere remedia opportuna, ne ægrotus pereat. Non tenetur vero facultatem concedere, quando facilitas concedendi cederet in damnum pœnitentis, vel communitatis. In dubio autem, num confessio cedat in bonum, an in damnum, Superior inclinare debet in partem benigniorem. Etenim, ut habet D. Th. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. illi, qui sunt nimis soliciti, ut conscientiam subditorum per confessiones sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis. Expedit proinde aliquando, ut facultatem hanc Superior communicet Confessario prudenti, ac docto; cui potest illam etiam ita communicare, ut imponat pœnitenti onus sistendi deinde se apud ipsum Superiorem, ut docet Suar. disp. 30. sect. 5. Laym., & alii communiter; licet id perraro expediat; Non tamen videtur posse, aut saltem debere imponi præceptum pœnitenti, ut iterum Sacramentaliter confiteatur Superiori, ut docet Perez disp. 50. sect. 4.

VII. Quæritur quarto; An facultas hæc a Superiore petita, & non obtenta habeatur pro concessa?

Respondeo; si juste a Superiore negetur, sine dubio non habetur pro concessa. Quamvis Clem. VIII. pro Regularibus declararit, ut notat Lug. disp. 20. n. 40., quod si Superior instante confessario ordinario negaverit facultatem absolvendi a casu reservato, & confessarius judicet debere concedi, possit hic pro ea vice absolvere pœnitentem Regularem, etiamsi a Superiore licentiam non habeat; Ubi notatur, quod ly *pro ea vice*, intelligatur toties, quoties id acciderit. Imo Quintanadv. Singul. 11., & alii apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 226., & part. 9. tract. 3. resol. 15. putant, idem posse fieri, si viro religioso, pio, docto, & prudenti, licet non ex designatis confessariis domus, negat Superior ejusmodi facultatem: Quin etiam ex Pelliz. apud Dian. loc. citat. & apud Busemb. lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 4. n. 5. id pariter verum est, si pœnitens ipse petat hanc facultatem, judicans prudenter, & non ex passione hallucinante, quod sibi debeat concedi, & tamen negetur. Et Suar. lib. 4. de Relig. cap. 19. num. 7. notat, Fratribus Minoribus privilegium concessum esse, ut possint semel sine licentia Superioris eligere confessarium sui Ordinis, a quo

a quo

a quo de omnibus reservatis, & censuris absolvantur; quinimmo dispensentur in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria.

Quod si Superior injuste facultatem neget, distinguendum est; nam vel pœnitens ex rubore non vult adire Superiorem; vel ex alia necessitate, sive physica, sive morali; Si primum, quamvis Superior aliquando peccet illam negando, communior tamen sententia docet, non posse pœnitentem valide absolvi: In secundo casu potest indirecte tantum absolvi a reservatis cum onere sistendi se coram Superiore, cessante impedimento, quando urget vel necessitas Communionis, vel dilatio nimia confessionis, ut alias diximus.

VIII. Aliqui apud Dian. part. 3. tr. 4. resol. 79., Henr. lib. 6. cap. 3. docent, posse pœnitentem quemcumque etiam directe a reservatis absolvi, quando injuste negatur a Superiore facultas, ut ab aliis absolvatur; Tum quia in tali casu habetur licentia præsumpta Superioris majoris, puta Pontificis; tum etiam quia ex cap. *Licet de Regular.*, consensus debitus, & injuste negatus valet, quantum concessus; ergo quando Superior debet ex officio Medici spiritualis etiam ex justitia concedere hanc facultatem, ne sequatur in pœnitente majus damnum, tunc facultas injuste negata habetur pro concessa. Sed non est recedendum a doctrina Suar. loc. cit., quod hic in tali casu solum indirecte possit absolvi urgente necessitate; cum ratihabitio de futuro non sufficiat ad jurisdictionem confessario conferendam; nec sit universim verum, quod facultas petita, & injuste negata valeat, quantum concessa, sed in iis duntaxat casibus id est verum, in quibus in jure id exprimitur, ut quando vult Religiosus in arctiorem Religionem transire; prout exprimitur in laud. cap. *Licet.*

Rogabis hic, num si injuste negetur ab Episcopo approbatio ad audiendas Confessiones, ita Episcopus peccet, ut tamen Sacerdos, saltem regularis, possit confessiones audire?

Respondeo, hujusmodi Sacerdotem, etiam regularem, nec licite, nec valide posse Sacramentum administrare, ut diximus qu. 8. ar. p. num. 11. Et ratio est, quia Trident. requirit approbationem ad validitatem absolutionis. Quare Alex. VII. damnavit propositionem 13., quæ habet: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Et quamvis Benedictus XI. concesserit Dominicanis, & Franciscanis, atque adeo omnibus, qui cum iis communicant in privilegiis, quod possint confessiones audire, si electis a propriis Prælatis recusent Episcopi licentiam dare: huic tamen privilegio derogatum est a Trident., quicquid in contrarium docuerit Perez dis. 42. sect. 10.

Rogabis ulterius; An, si revocetur alicui confessario approbatio sine rationabili causa, adhuc possit Confessiones audire?

Respondeo, approbationem, & jurisdictionem datam ad beneplacitum revocari posse ex rationabili causa, & sine causa rationabili illicite revocari. Præterea putant Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 1. Bossius de Jubilæo sect. 6. cap. 2., Pasqualig., & alii, quod si approbatio data simpliciter, & absolute revocaretur sine rationabili causa pertinente ad scientiam, vel mores, non solum illicita, sed etiam invalida esset revocatio. Ratio est, quia cum talis revocatio sit sententia Judicis injusta, non videtur posse auferre confessario jus, quod habebat ex approbatione prius facta. Ex eo autem quod juxta thesim proscriptam Alex. VII. non conferatur jurisdictio illi, qui injuste est reprobatus, non sequitur quod jurisdictio tollatur per sententiam Judicis injustam. Plus enim requiritur ad tollendam Jurisdictionem, quæ juste possidetur, quam ad illam non conferendam; sicut plus requiritur ad furandum, quam ad non restituendum; unde in gravi necessitate, in qua licitum est non restituere, non licet furari.

IX. Quæritur quinto; An confessarius uti possit pro se ipso facultate obtenta ad absolvendum a reservatis; ita ut possit ab iis a suo confessario absolvi?

Resdondet affirmative Alphonsus de Leone apud Lug. disp. 20. sect. 8.; Sed Lug. melius respondet, hoc pendere ex verbis, quibus facultas petitur, & conceditur. Si enim Titius Sacerdos dicat Superiori, Unus ex tuis subditis petit facultatem, ut a suo confessario a reservatis absolvatur, & Superior respondeat, Placet, sine dubio poterit pro seipso hac facultate uti; Quod si dixerit Superiori, Rogo te, ut des mihi facultatem absolvendi a reservatis unum ex subditis tuis, non poterit certe ea uti pro seipso, cum non possit ipse seipsum absolvere.

X. Quæritur ultimo; An facultas concessa ad absolvendum aliquem a reservatis pro hac vice, extendatur ad absolvendum illum etiam a reservatis commissis post facultatem obtentam?

Respondent affirmative Bonac., Præposit., Dian. part. 4. tract. 4. resol. 109. Sed Azorius negat. Verius videtur dicendum cum Lug. loc. cit., hoc etiam pendere ex modo concessionis; Si enim conceditur, ut pro una vice possit pœnitens eligere sibi confessarium, a quo a reservatis absolvatur, procul dubio poterit absolvi etiam a reservatis commissis post concessionem; secus vero si conceditur facultas absolvendi pro hac vice Titium a reservatis commissis.

Brevitas, quam prosequimur, non patitur, ut de casibus reservatis in particulari quæstionem instituamus. Qui de iis aliquid scire cupit, consulat Tamburinum, non quidem in Methodo expeditæ Confessionis, sed in Tractatu de Sacramentis, lib. 5. de Pęnitentia, ubi abunde disputat de casibus reservatis Archiepiscopo in tabella Diæcesis Panormitanæ, (qui plerumque affines sunt iis, qui in aliis diçcesibus solent in tabella Episcopo reservari) necnon de reservatis in particulari pro Religiosis universim, & in specie de reservatis in Societate Jesu.

QUÆSTIO X.

De Sigillo Confessionis.

Quærendum primo: Quænam sit obligatio hujus Sigilli? Secundum, quænam ejus materia; Tertio, quos obliget? Quarto, num possit aliquando confessarius uti secreto in confessione habito?

ARTICULUS I.

De obligatione Sigilli Sacramentalis.

I. Ex omni, & sola confessione Sacramentali oritur obligatio hujus sigilli.

II. Si quis ad Confessarium accedit, sed non animo confitendi Sacramentaliter, non inducitur isthæc obligatio; Sicut neque quando error est juris, non facti.

III. Etiam confessio, quæ per accidens non ordinatur ad absolutionem, trahit obligationem sigilli.

IV. Sigilli violator tria peccata committit, contra justitiam, contra fidelitatem, & contra reverentiam Sacramento debitam, ratione cujus non datur in eo materiæ parvitas.

V. Orbe universo periclitante sigillum frangi non potest.

VI. Quænam sint pœnæ impositæ adversus Violatorem Sigilli?

I. Dicitur sigillum confessionis obligatio non revelandi, quæ in confessione audita sunt.

Quæritur primo; Ex quanam confessione talis obligatio oriatur?

Respondeo, ex omni, & sola confessione Sacramentali. Dicitur autem confessio Sacramentalis, quam pœnitens bona fide facit ei, quem putat esse Sacerdotem, ad absolutionem recipiendam; etiamsi deinde absolutionem non recipiat, vel ob suam indispositionem, vel ex defectu potestatis in audiente, vel ob aliam caussam. Ita Con., Henr., Suar. disp. 33., & alii communiter.

Quare obligat sigillum primo, si Titius confiteatur Cajo fingenti se esse Sacerdotem. Secundo si idem confiteatur Antonio Sacerdoti, a quo non absolvatur, vel quia non vult proximam occasionem peccandi vitare, vel quia non ecessit cum debito dolore, & examine ad Sacramentum recipiendum; vel quia habet reservatum, a quo non potest ab Antonio absolvi, vel quia non vult illum absolvere quaçumque de causa.

II. Contra vero Sigillum hoc non obligat, Primo, si Tritius ad confessionem accedat, non animo se accusandi, sed animo confessorem pervertendi, vel illum liberius injuriandi. Secundo, si Titius velit aliquid secreto teneri ab Antonio, dicatque illud revelare sub sigillo confessionis, & hac de causa flexis genibus præmittat, confiteor; In hoc enim casu, licet Antonius ad sigillum naturale obligetur, seu ad servandum secretum juxta obligationem ortam a jure naturæ; non obligabitur tamen ad Sigillum Sacramentale; cum communicatio secreti non ordinetur ad Sacramentum recipiendum. Ita communiter Doctores apud Laym. Tertio, si Titius confiteatur Laico, quem scit esse laicum, putans laicum etiam ad sigillum Sacramentale teneri. Cajus laicus tenetur quidem ad secretum naturale, non vero ad Sacramentale; quia error hic pęnitentis, cum sit error juris, non refundit in laicum ullam obligationem; supponitur enim omnibus notum, confessionem non esse faciendam laico.

Neque dicas; Confessio facta laico, quem pęnitens putabat Sacerdotem, obligat ad sigillum; quia ex intentione pœnitentis ea confessio est Sacramentalis; ergo etiam confessio facta laico, quem pœnitens scit esse laicum, si pariter sit Sacramentalis, ex intentione pœnitentis, obligat ad sigillum.

Nam cum Suar. disp. 33., concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu habetur tantum error facti; in secundo error juris; In primo casu error pœnitentis cum sit circa factum, (videlicet, an revera Cajus sit Sacerdos) quod non tenetur pęnitens scire, deceptio est invincibilis, & ideo urget secretum confessionis; In secundo casu error est circa jus, (videlicet, an laicus possit absolvere) cum autem teneatur pęnitens scire, solum Sacerdotem posse absolvere, talis error, quia soli pęnitenti imputatur, non debet ullam obligationem inducere in laicum.

III. Ro-

III. Rogabis; An obliget ſigillum confeſſionis, quando Titius accedit abſque propoſito recipiendi abſolutionem, eo quod ſciat, ſe non habere propoſitum emendationis, & ſine illo non poſſe abſolvi?

Reſpondeo cum Suar. ſect. 2. Cajet., D. Th., & aliis communiter affirmative; quia hujuſmodi eſſet confeſſio inchoata, dummodo non fiat per jocum: Et idem dicas de eo, qui malitioſe faceret confeſſionem non integram materialiter, ſciens novum Sacrilegium committere, dummodo illam faciat; vel ut pareat aliquo modo præcepto Eccleſiæ, vel ut curetur, & conſulat animæ ſuæ.

Neque dicas, in tali caſu confeſſionem non ordinari ad abſolutionem; ergo non inducere obligationem ſigilli.

Nam diſtinguo antecedens; non ordinatur per ſe, concedo, per accidens, nego antecedens, & conſequentiam. Eſt enim accuſatio ex natura ſua ordinata ad abſolutionem; inquantum illa eadem confeſſio accedente propoſito emendationis, eſſet ſufficiens ad abſolutionem recipiendam; Quod non habetur in confeſſione facta per jocum.

IV. Quæritur ſecundo; unde oriatur obligatio hujus ſigilli?

Reſpondeo, oriri tum ex juſtitia, qua tenemur proximi peccata non revelare, ne illum infamemus; tum ex fidelitate; Etenim ex quodam veluti pacto inito inter audientem, & confitentem, tenetur Confeſſarius ſecretum non revelare; tum demum ex ipſa præcipue inſtitutione hujus Sacramenti; Unde iſtam obligationem inductam eſſe jure divino, non humano, tenent communiter Doctores apud Vaſq. quæſt. 93. art. 4.; Et colligitur tum ex traditione, & praxi Eccleſiæ; tum etiam quia obligatio tacendi etiam cum periculo totius Reipublicæ ſuperat facultatem legis humanæ.

Ex dictis ſequitur, Violatorem ſigilli tria peccata committere; Primum contra juſtitiam; Secundum contra fidelitatem; Tertium contra reverentiam debitam Sacramento. Hoc tertium ſemper erit mortale Sacrilegium, quia materia ſigilli parvitatem non habet, ex omnium fere ſententia apud Dian. part. 5. tract. 5. reſol. 8.: contra juſtitiam, & contra fidelitatem ſunt venialia, quando infamia, vel infidelitas eſt in re levi; Quod ſi ſint in re gravi, ſunt etiam mortalia, cum obligatione reſtitutionis famæ, & damni ſecuti.

V. Quæritur tertio; Quanta ſit ſigilli obligatio?

Reſpondeo, eſſe tantam, ut in nullo prorſus caſu, ſive publico, ſive privato, ſive Confeſſarii, ſive ipſius pœnitentis, liceat audita in confeſſione revelare, niſi ex ejuſdem pęnitentis expreſſo, liberoque conſenſu; qui ſcilicet non dolo, non minis, nec metu reverentiali extorqueatur. Unde fit, ut ſi periclitante Republica, & Orbe univerſo, a Judice ipſo de peccato per confeſſionem cognito interrogeris, poſſis cum juramento negare, te illud audiviſſe; cum pœnitens non tibi, ſed miniſtro Chriſti illud dixerit; Atque adeo hoc ipſum jurare potes, Te ſine ulla reſtrictione mentali id aſſerere. Ita communiter Doctores apud Lug. n. 73. fuſe cum Suar. diſp. 33. ſect. 2., & Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 43. contra Gabriel., & Altiſiodoren., qui videntur dicere, poſſe Confeſſarium, ne ſit perjurus, confeſſionem revelare.

Quod ſi aliquando putetur pergratum fore pęnitenti, ſigillum reſerare, non proinde id licet ſine expreſſo ejus conſenſu; quia adhuc confeſſio redderetur odioſa fidelibus, ſi liceret interpretari in hoc mentem pęnitentis; Unde non ceſſat in tali caſu finis legis. Verum tamen eſt, quod ſi pęnitens incipiat poſt confeſſionem loqui de dictis in confeſſione, tunc facultatem expreſſo facto concederet, quod æquipollet actuali confeſſioni; Unde poſſet Confeſſarius proſequi ſermonem; quia pęnitentem incipere, eſt expreſſa conceſſio facta Confeſſario proſequendi. Poteſt etiam Confeſſarius ſtatim poſt abſolutionem de auditis in confeſſione loqui cum pęnitente; quia tunc moraliter judicatur durare eadem confeſſio. Imo Malder., Lug., & Præpoſit. apud Tambur. cap. 8. putant, in aliis confeſſionibus etiam licere; tum quia hujuſmodi loquutio eſſet intra forum Sacramentale; tum etiam quia ea eſt praxis Confeſſariorum etiam timoratorum, dum adeſt rationabilis cauſa; V. gr., quando pęnitens in ſecunda confeſſione aliquatenus tangit ea, de quibus ſe accuſavit in prima.

VI. Quæritur ultimo; Quibuſnam pœnis ſubjaceat violator ſigilli?

Reſpondeo, ipſo facto nullam pęnam incurri. Nam in Cap. *Omnes utriuſque ſexus* dicitur, debere violator ſigilli deponi a Sacerdotio, & in arctum Monaſterium detrudi; quæ pœnæ nonniſi poſt ſententiam Judicis incurruntur; Judex autem Eccleſiaſticus, non ſæcularis de hoc crimine judicare debet: Et Inquiſitores tunc ſolum de hoc delicto cognoſcunt, quando quis violaret ſigillum cum errore circa fidem, v. gr., putans id ſibi licere, aut aliter de Sacramento ſentiens; ſecus vero procedere non poſſunt, ut docent communiter cum Molfeſ.; cum non ſint ſuſpecti de fide, qui ſigillum violant. Præterea in Cap. *Sacerdos de Pœnit.* diſp. 6. dicitur, quod fractor ſigilli cogatur ad perpetuo, & ignominioſe peregrinandum: Hæc autem pęna in cap. dicto *Omnis utriuſque ſexus* commutata eſt in detruſionem in arctum Monaſterium; quæ tamen pęna ſolum de-

creta

creta est in Sacerdotem violatorem sigilli, non vero in alios, videlicet in interpretes, &c. isti enim si sigillum violarent, pęna extraordinaria pro qualitate delicti puniendi essent. Demum putavit Majol. propter hoc delictum irregularitatem incurri, sed negat Suar. disp. 32. sect. 8.

ARTICULUS II.

De Materia Sigilli Sacramentalis.

I. *Sub sigillum cadunt quæcumque in confessione audiuntur, ita ut odiosam redderent confessionem, si revelarentur.*

II. *Num etiam virtutes pœnitentis, aut revelationes, & alia hujusmodi sub sigillum cadant?*

III. *Etiam peccata complicis, & quæ sunt objectum proprii peccati, cadunt sub sigillum; Probabiliter tamen hæc de consensu pœnitentis aliquando revelari possunt.*

IV. *Cadit pariter sub sigillum id, de quo dubitas, an in confessione audieris; & quod pœnitens confitetur, putando esse peccatum.*

V. *Num cadant sub sigillum defectus pœnitentis, qui videntur potius, quam audiuntur in confessione?*

VI. *Quomodo se gerat Confessarius, si interrogetur, an absolverit publicam aliquam meretricem? & an possit dare illi schedulam Confessionis?*

VII. *Quandonam sigillum violat, qui de auditis in confessione loquitur nullam personam nominando?*

I. Est materia hujus sigilli quodcumque teneri debet secretum, ne confessio reddatur odiosa. Et primo materia hujus sigilli sunt omnia mortalia, tam in genere, quam in specie.

Secundo etiam venialia in specie. Unde non potest sine violatione sigilli Confessarius dicere, quod pœnitens confessus sit, verbi gratia, verba otiosa. Potest tamen dicere, quod confessus sit venialia in genere, quia non esset hoc revelare ullum secretum, sed esset dicere, quod ille Sacramentum pœnitentiæ receperit, in quo aliquod veniale ad minimum absolvi debet. Ita communiter cum Suar. disp. 33. sect. 3. Secus vero si diceret, quod confessus sit peccata venialia gravia, aut plene deliberata; sicuti ettiam sigillum violatur, si reveletur pœnitentia gravis imposita. Est autem pœnitentia gravis ex Dian. part. 5. tract. 11. resol. 31. Corona Beatæ Virginis, non vero unum Miserere. Violatur etiam sigillum, si Confessarius dicat, Titium confessum esse sibi venialia, quando ex hoc modo loquendi devenitur in suspicionem, quod alii pęnitentes confessi sint mortalia; sicut etiam quando Titius ægre fert ab aliis sciri, quod suum Confessarium deseruerit, &c.

Tertio cadunt sub sigillum peccata publica audita in confessione; unde de homine damnato ad supplicium propter publica homicidia, & furta non potest Confessarius dicere, quod ea cum dolore sibi confessus sit: Cæterum si Confessarius ea abunde novit, potest de iis loqui, & ea notitia extra Sacramentum uti, dummodo nullum pariat scandalum, nec notitia sacramentali juvetur ad loquendum; ut communiter docent cum D. Thom. quæst. 11. art. 5. Quare si Parochus statuit Titium publicum usurarium, aut concubinarium arcere a communione, etiamsi Titius ad hoc cavendum illi confiteatur, potest Parochus, prosequi, & illum a communione arcere, quia nullum adesset scandalum, cum supponatur esse publicus usurarius, aut concubinarius. Ita Laym. cap. 14. num. 3. Alens. & alii.

Quarto circumstantiæ tam mutantes, quam non mutantes speciem, & ea omnia, quæ, quamvis ex se non sint peccata, dicuntur tamen in confessione præcise ad magis declaranda peccata.

Idem dicas de iis, quæ, quamvis ex se non sint peccata, in confessione tamen a pœnitente dicuntur ut necessaria, vel utilia ad explicandum suum peccatum, etiamsi utilia non sint. Etenim cum pœnitens sæpe nesciat discernere, quęnam sint necessaria ad proprium peccatum explicandum, redderetur odiosa confessio, si posset confessarius revelare, quæ inutiliter dicta sunt a pœnitente putante, quod debeat ea exponere. Quare si pęnitens dicat, verbi gratia, se esse conjugatum, Gubernatorem Civitatis, divitem, &c. quæ supponuntur omnibus nota, non censetur gravari, si confessarius ea revelet, quamvis per accidens ea lateant confessarium; secus vero, si dicat se esse spurium, & irregularem ex defectu lenitatis, &c.

II. Hinc infertur, quid dicendum, An sub sigillum cadant virtutes, revelationes, aliæque gratiæ in confessione manifestatæ? Respondendum, eas cadere sub sigillum, si manifestentur ad melius declarandum aliquod pęccatum, puta ingratitudinis, inconstantiæ, &c. quia sunt, saltem in obliquo, materia confessionis: secus vero si dicantur ad manifestandum confessario statum conscientiæ, ut ab eo melius dirigi possit; quia tunc cum non sint materia confessionis, pertinent solum ad sigillum naturale, non Sacramentale. Ita Dian. part. 5. tract. 11. resol. 30. & Lug. loc. cit. contra Sa, Navar. Henr. Bonac. apud eundem Lug. qui dicunt, non esse materiam sigilli, cum non sint peccata.

III. Quinto, sub sigillum cadunt peccata complicis, quæ sine expressa licentia pęnitentis revelari non possunt; sicut nec objectum proprii peccati, verbi gratia, si filius confiteatur dedisse venenum matri gravidæ ex pravo concubi-

cubitu; quamvis enim mater non sit complex peccati filii, non potest tamen revelari peccatum matris, quod est objectum peccati filii. Immo Vasq. quæst. 93. art. 4. dub. 5. putat, non posse pęnitentem dare licentiam confessario revelandi peccata complicis, quæ in confessione dicuntur, quia quamvis pęnitens possit cedere juri suo, non potest tamen cedere juri Sacramenti, quod postulat secretum etiam peccatorum complicis. Verum quia Sacramentum postulat secretum duntaxat in favorem pęnitentis; ideo Suar. cum aliis communiter probabilius docet, posse a pęnitente dari facultatem confessario revelandi peccatum complicis; præsertim cum possit illud confessario extra confessionem aperire. Imo aliquando ex charitate tenetur; si scilicet complex sit monendus, & corrigendus ad vitandum publicum malum, quamvis raro accidat talis casus, ut non possit alia aptiori via his malis occurri: Sicut rarissime etiam accidit, ut teneatur pęnitens dare confessario facultatem revelandi propria peccata; sicuti si Parochus confiteatur, se nunquam habuisse intentionem baptizandi parvulos, tenetur dare facultatem aperiendi hoc peccatum, quantum satis est ad vitandum publicum hoc gravissimum damnum; nec hoc esset contra jus Sacramenti postulantis secretum; quia in his casibus pęnitens loqueretur extra confessionem.

IV. Demum cadit sub sigillum peccatum, de quo dubitas, an audieris in confessione; quia ne molesta sit confessio, præsumendum est pro sigillo, quamvis videatur possessio stare pro libertate loquendi. Ita Bonac. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. Suar. disp. 33. sect. 4. Et idem dicas de iis, quæ non sunt vera peccata, sed confitentur a pęnitente, putando, quod sint peccata, ut docet Lug. loc. cit.

V. Quæritur tamen primo; An peccata, & defectus, qui videntur, & cognoscuntur potius, quam audiantur in confessione, cadant sub sigillum? Verbi gratia, si percipiatur ex modo loquendi pęnitens esse blæsus, rudis, scrupulosus, morosus, impertinentiis confessarium molestare; imo si ipsum confessarium objurget, &c.?

Respondet Lug. disp. 23. sect. 3. cum Navar. negative; & doctrinam hanc communem vocat Dian. part. 5. tract. 11. resol. 50. Consilium tamen dat cum Con. confessariis, ut ab iis abstineant. Ratio ex Lug. est, quia hæc videt, & percipit potius confessarius, quam audit. Unde sicut quæ ex se patent, non dicuntur vi confessionis percipi; ita nec cadunt sub sigillum. Verum Granad. Tambur. & alii docent cadere sub sigillum; quia istorum manifestatio odiosam reddit confessionem. Equidem censeo, quod etiam Tambur. permittit, licitum esse manifestare, quod pęnitens, verbi gratia, sit blæsus, aut indoctus, quando hi defectus sunt passim obvii, & per accidens confessarium latent, ut supra dixeram: licitum pariter est manifestare contumelias, & blasphemias contra confessarium prolatas a pęnitente in confessione; quia hæc non sunt confessio peccatorum, nec pertinent ad confessionem.

VI. Quæritur secundo; An sigillum frangat, qui diceret, se non absolvisse meretricem illam publicam?

Respondeo, sine dubio frangere: Quia tamen, si diceret, eam absolvisse, scandalum etiam pareret, idcirco in his casibus, si interrogetur confessarius, debet duntaxat dicere, se functum esse officio suo. Nam si dicat, pęnitentem non confessum esse peccata etiam publice nota; ostendit, illum esse sacrilegum, quatenus non manifestat in confessione sua peccata; sin dicat, illa confessum esse, revelat confessionem: Unde abstinere debet ab omni alia responsione, & generalibus verbis dicere, Statim oblivisci omnia, quæ in confessione audit; Aliquando tamen expedit pęnitentem laudare, ne ipsa taciturnitas indicium det de peccatis confessis.

Hinc solvitur dubium illud, An meretrici, verbi gratia, petenti schedulam confessionis ea danda sit a confessario; quia cæteroqui ostenderet, illam non absolvisse?

Respondeo cum de Lug. disp. 13. num. 87. non debere confessarium schedulam illi dare; quia cum vere non sit confessa, ne inchoate quidem, non meretur, quod confessarius det schedulam confessionis: Et quamvis hinc inferatur ab aliis, quod absolutio sit illi denegata, hoc tamen non habetur ex ulla actione confessarii, nec ex omissione indebita: Unde non censetur confessarius frangere sigillum. Ita etiam Bonac. apud Tambur. contra Con. Fagund. Dian. part. 5. tract. 11. resol. 22. qui putant debere dari confessionis testimonium petentibus, ne reveletur eorum indispositio; quia confessarius tantum testaretur confessionem factam a pęnitente, non vero absolutionem, quæ non est data.

VII. Quæritur tertio; An frangat sigillum, qui loquitur de auditis in confessione, nullam personam notando?

Respondeo, ab his collocutionibus esse abstinendum; quia periculum sæpe est, ne sinistre de aliquo, vel de aliqua communitate sentiatur, & aliquando adest scandalum: Quod si utrumque absit, non est contra sigillum; cum enim ab omnibus sciatur, quod in magna Republica sint peccata cujusvis generis, non frangit sigillum, nec reddit odiosam confessionem, qui diceret, verbi gratia, aliquando audivisse in confessio-

fessione, qui se de adulterio accusaret: Quod si de aliqua communitate, vel de Religioso aliquo cœtu id revelaretur, certe frangeretur sigillum, & redderetur odiosa confessio, quia quilibet est pars magna parvæ communitatis?

ARTICULUS III.

Quosnam obliget Sigillum?

I. Omnes, ad quos quomodocumque pervenit notitia confessionis Sacramentalis, hoc sigillo ligantur.

II. Num etiam ille, cui confessarius de licentia Pœnitentis peccatum revelavit?

III. Num pariter is, qui chartam reperit, in qua est scripta confessio?

IV. An teneatur Superior ad sigillum, quando ab eo petitur extra confessionem facultas, ut possit quis a reservatis absolvi?

V. Quid de Consiliario, a quo petitur consilium in ordine ad confessionem?

I. Certum est, præter Confessarium, obligari ad sigillum omnes alios, ad quos Sacramentalis Confessionis notitia mediate, vel immediate, juste, vel injuste pervenit: Hoc enim spectat ad reverentiam Sacramento debitam, ut docent communiter Doctores apud Laym. cap. 74. num. 16. Quare obligatur Primo Interpretes: Secundo adstantes, si casu, vel de industria (quod sine gravi peccato non fit) confitentis peccata audierint: Tertio laicus, qui pro Sacerdote habetur: Quarto omnes, quibus aliquod sacrilege revelatum est; unde de hoc inter se colloqui non possunt.

II. Quæritur tamen primo; An teneatur ad sigillum is, cui Confessarius non sacrilege, sed de licentia pęnitentis aliquod peccatum revelavit?

Respondeo, Navar. Adrian. & alios affirmare. Negat vero cum aliis Con. disp. 3. dub. 3. quia Confessarius in tali casu gerit vices pęnitentis: Quare sicut si pęnitens manifestet Titio extra confessionem peccatum, Titius non tenetur ad sigillum; ita nec si a Confessario manifestetur Titio peccatum de licentia pęnitentis.

Censeo equidem, quod si Confessarius manifestet Titio peccata de licentia pęnitentis ob causas ad confessionem spectantes, puta ad remedium, vel consilium, teneatur ad sigillum Titius, quia talis notitia reductive est sacramentalis: Secus vero si manifestet ob causas ad confessionem non pertinentes.

III. Quæritur secundo; An qui reperit chartam, in qua scripta sunt peccata in confessione dicenda, teneatur ad sigillum?

Respondent affirmative Fagund. Dian. Navar. apud Lug. disp. 23. sect. 2. quia ibi habetur confessio inchoata. Negant probabilius Suar. Henr. & idem Lug. quia sigillum oritur solum ex confessione; talis autem scriptura non est confessio, sed materia confessionis præparata, ut facilius fiat confessio. Advertit tamen Lug. in aliquibus casibus sine dubio inspectorem chartæ obligari ad sigillum: Primo, si quis legeret epistolam, qua quis petit a Superiore facultatem, ut possit ab inferiore absolvi ab aliquo reservato, teneretur ad sigillum; non secus ac qui audiret subditum petentem a Superiore hanc facultatem. Secundo, si mutus, verbi gratia, per scripturam præsenti Sacerdoti confiteretur, & hanc Titius casu legeret, teneretur hic ad sigillum, quia cum talis scriptura substituatur voci pœnitentis, est vera confessio. Imo probabile est per eundem Lug. quod si quis chartam inveniat in confessionario, teneatur pariter ad sigillum, quia talis charta videtur esse confessio ibi manens.

IV. Quæritur tertio; An teneatur ad sigillum Superior, ad quem vel subditus ipse, vel Confessarius nomine subditi recurrit pro facultate necessaria ad absolutionem a reservatis?

Respondeo, Con. Henr. Vasq. Pal. negare; quia præsumitur pœnitens velle ab obligatione sigilli evocare, quæ vult extra confessionem tractare cum Superiore. Sed probabilius affirmant Lugo sect. 3. Suar. sect. 4. Dian. part. 5. tract. 11. resol. 12. quia talis notitia vel formaliter, vel reductive est Sacramentalis. Nam si facultas petitur ab ipsomet subdito, eo ipso petitur ut necessaria ad absolutionem Sacramentalem: Si vero petitur a Confessario nomine pœnitentis, petitur ex notitia habita per confessionem saltem inchoatam, & consequenter in utroque casu pertinet talis notitia a Superiore habita ad confessionem sacramentalem. Hic autem Dian. & Suar. advertunt, quod confessarius petens a Superiore veniam absolvendi aliquem a reservatis nullo pacto debeat explicare personam pęnitentis, nec ita explicare casum, ut Superior venire possit in notitiam pęnitentis: Nec Superior potest curiose inquirere cum periculo veniendi in notitiam illius.

V. Ex data doctrina sequitur juxta Suar. Dian. & alios, quod etiam teneatur ad sigillum is, a quo de licentia pęnitentis petitur consilium: Quamvis Vasq. Mærat. Hurt. & alii apud Dian. resol. 11. putent, tantum teneri secreto naturali: Addo, Medin. Fagund. & Dian. resol. 44. putare, etiam ad sigillum teneri consiliarium, a quo ante confessionem petitur consilum in ordine ad confessionem faciendam, sive cum illo eodem, sive cum alio. Suar. tamen, Henr. & alii putant, hunc teneri solum ad sigillum naturale; quia ab illo, tanquam amico, non tanquam confessario consilium petitur, etiamsi in ordine ad confessionem faciendam.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?

I. Usum talis notitiæ in ordine ad externam gubernationem olim vetuit Clem. VIII.; & prius Nostris vetuerat P. Claudius; ac demum Innoc. XI. thesim hac de re loquentem damnavit.
II. Quinam usus notitiæ ex confessione acquisitæ sit licitus?
III. Illicitus est universim usus ille, qui reddit confessionem odiosam, atque adeo est cum gravamine pœnitentis.
IV. Quid si mors immineat Confessario, nisi tali notitia utatur cum aliquali suspicione, quod ex confessione ea sit acquisita?
V. Explicatur triplex genus actionum, quas potest Confessarius exercere vi notitiæ habitæ in confessione cum gravamine pœnitentis.
VI. Illicitæ sunt actiones, quæ inferunt pœnitenti gravamen quodcumque, esto multo majus levamen ex iis habeat.
VII. Confessarius vocatus ad confessionem audiendam ab eo, a quo in præterita confessione scandalum passus est, num possit renuere?
VIII. Num possit Confessarius loqui cum pœnitente aliquando de auditis in confessione ad corrigendum aliquem errorem in ea commissum, petita, & non obtenta ab illo facultate loquendi?

I. CLem. VIII. in motu proprio anno 1594. præcipit tam Superioribus regularibus, quam Confessarius, qui postea ad Superioratus gradum fuerint promoti, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Idem his verbis præceperat Nostris Claudius Aquaviva anno 1590. dicens: *Tametsi non desint Doctores, qui sentiant, salvo Sacramentalis confessionis sigillo, justis de causis licere nonnunquam Confessario (cum id fieri potest sine ulla revelatæ confessionis suspicione) uti extra confessionem notitia in confessione habita; Nostros tamen eam doctrinam sequi non judicamus: Unde ita prorsus in omnibus casibus Nostri se gerant, ac si in Confessione nihil pœnitus audivissent.* Demum Innoc. XI. anno 1682. damnavit propositionem illam, quæ dicebat: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta, revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* His præmissis

II. Certum est, omnem omnino usum notitiæ ex confessione acquisitæ neque jure naturali, neque divino positivo, neque Ecclesiastico prohiberi. Quandoquidem possum ex notitia per confessionem habita moveri ad orandum Deum pro pęnitente, ad gratias Deo agendas pro sua misericordia erga illum, & erga me, ad mihi præcavendum circa aliquod periculum sive animi, sive corporis, ad opem aliis ferendam, ne in idem periculum labantur; & sic in aliis rebus, in quibus nulla habetur suspicio revelandi confessionem neque directe, neque indirecte, & nullum infertur gravamen pęnitentibus. Dubium proinde est, An possim ea notitia uti, quando sine revelatione Confessionis possum vel mihi consulere, v. g., non bibendo Calicem, in quo scio ex confessione mihi paratum esse venenum, si alii suspicentur, id ex confessione mihi fuisse notum; Vel consulere bono ipsius pęnitentis, v. g., non dando illi Parochiam, vel suffragium ad illud munus, quo illum esse vel indignum, vel abusurum scio ex iis, quæ mihi in confessione aperuit; vel in aliis similibus casibus.

Nonnulli apud Th. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 16. quæst. 1. docuerunt; Primo posse Prælatum amovere ab officio Titium, quem ex confessione cognovit non recte fungi officio suo, quando nemo præter ipsum Titium suspicatur, amotionem hanc ab officio fieri dependenter a notitia confessionis. Secundo, Confessarium posse negare Titio suffragium secretum ad Prælaturam, si ex confessione sciat, illum esse indignum. Tertio, Parochum posse negare Eucharistiam occulte illam petenti, si ex confessione noscat, esse in statu peccati mortalis; necnon negare assistentiam alicui Matrimonio, quando ex confessione cognovit contrahi cum impedimento dirimente; Et Episcopum negare Ordines Sacros ei, quem ex confessione cognovit irregularem. Ratio doctrinæ est, quia in his casibu non revelaretur secretum confessionis; Nam solus ille, qui ea peccata confessus est, posset suspicari sibi ob peccata commissa, hoc, vel illud negari; Atqui respectu ipsius res in confessione dictæ non sunt secretæ, cum ipsemet eas dixerit, ergo sine revelatione secreti, &, violatione sigilli tales actiones exerceri posunt.

III. Verum nullatenus licere hujusmodi actiones, docent communiter Doctores cum eodem Sanch. loc. citat., & constat ex prohitionibus adductis. Ratio est, quia non solum revelatio secreti est prohibita, sed etiam quodcumque redderet confessionem odiosam; Atqui si scirent homines, hujusmodi opiniones esse probabiles, eo ipso redderetur odiosa confessio, & multi dimidiatam eam facerent, si nossent, periculum hujusmodi sibi imminere ex integritate confessionis; ergo hujusmodi opiniones non sunt ullo pacto sequendæ.

Confirmatur, quia sigillum confessionis non solum obligat ad non revelandum aliis crimen pęnitentis, sed etiam ad non objiciendum illi,

aut exprobrandum verbo, aut facto suum peccatum. Quæ autem major exprobratio, quam amovere illum tamquam indignum ab officio, negare suffragium, aut Ordines Sacros, aut assistentiam debitam matrimonio, &c.? Quare illæ solum actiones ortæ ex notitia Sacramentali sunt permissæ, quæ nullum ex se gravamen afferunt pęnitenti; quæ vero gravamen afferunt, non permittuntur: Hinc si ex confessione sciam, verbi gratia, Sortem, cui soleo confiteri, esse Sacerdotem fictum, & gravaretur, si non amplius illi confiterer, debeo apparenter illi confiteri, & confessionem meam veram alteri facere, ut docet Lug. num. 105.: Esto Sanch. loc. citat., Granad., Fagund. putent, in tali casu non esse rationabiliter invitum Sortem, si quæsito colore non amplius illi confiterer; Et eodem modo non esse rationabiliter invitum famulum, si Dominus sciens ex confessione esse furacem, non dat illi amplius pecuniam expendendam citra periculum revelationis confessionis; cui tamen sententiæ non subscribo.

IV. Pariter, si ex confessione Sortis sciam, parari mihi insidias, & in Calice, verbi gratia, propinari venenum, puto cum Lug. num. 100., Suar. sect. 3., & aliis communiter, non posse me sine licentia Sortis omittere Sacrum, quando ex omissione Sacri socii criminis suspicarentur peccatum a Sorte confessum. Contrarium tamen tenet Perez disp. 44. sect. 13.; quia Sacerdos faciendo id ex alio prætextu, nullo modo revelaret confessionem; Unde posset fugere, etiamsi ex fuga deberet ipse pęnitens occidi; cum nemo teneatur exponere periculo propriam vitam, ut salvet alienam. Sed neque huic sententiæ subscribo; Imo puto, non solum esse cavendam suspicionem probabilem peccati in confessione auditi, ut docent Scot., & Medin. apud Lug. num. 106., sed etiam cavendam esse omnem omnino suspicionem, etiamsi non sit probabilis, ut docent Tabien., & Lug. Ratio est, quia sicut possunt Carthusiani obligare se ad abstinendum a carnibus, etiam cum evidenti discrimine vitæ; & sicuti in nullo casu permittitur fornicatio, pollutio, &c.; ita pariter cum periculo vitæ possumus in reverentiam Sacramenti obligari, & de facto a Christo Domino obligamur ad abstinendum ab iis omnibus, quæ odiosam reddunt confessionem. Addit Lug. num. 116., quod si quis audiendo confessionem Sortis exponat se periculo peccandi, debet potius confessionem Sortis audire, & sperare, quod non sit lapsurus in peccatum, quam nolle confessionem audire, quando sic illi exprobraret peccata præterita in confessione audita: Sicuti qui non potest periculum peccandi evadere, nisi mentiendo, debet abstinere a mendacio, & sperare, quod in eo periculo non sit lapsurus.

V. Ad majorem doctrinæ claritatem adnotandum cum Tambur. lib. 5. cap. 6., triplicis generis esse actiones pœnitenti ingratas, quas Confessarius ex vi notitiæ habitæ in confessione posset exercere.

Primo, aliquæ versantur circa personam ipsam pęnitentis, & spectant ad justitiam commutativam; ut negare illi debita, illum punire, parare illi insidias, ut in delicto audito in confessione deprehendatur, tollere illi jus acquisitum, &c.

Secundo, aliæ actiones versantur pariter circa personam pœnitentis, sed spectant ad justitiam distributivam, vel ad misericordiam, aut aliam virtutem; ut negare illi suffragium, aut eleemosynam, aut Sacramenta, quæ aliter non esses negaturus, tollere illi officium amovibile, expellere e domo famulum, qui confessus est sua furta, aut ostendere illi vultum severiorem, minusque grate cum eodem loqui, non colloqui cum excommunicato vitando, &c.

Tertio demum, aliæ actiones non exercentur circa personam pęnitentis immediate, sed contra illam pariter recurrunt; ut custodire res vigilantius, claudere fores, aut arcas alia clavi, ne iterum furtum patiaris, aut ne domo egrediatur subditus, nolle egredi domo ad Sacrum faciendum, quia in confessione audisti paratas tibi insidias, & alia hujusmodi, quibus pęnitens impeditur, ne iterum peccet absque ullo extrinseco suo incommodo. His explicatis

Certum est, primi generis actiones nunquam licere, in quo omnes Doctores conveniunt; Addentes, quod si judicium aliquod sit institutum contra Reum, & inveniatur, notitiam aliquam, etsi levissimam, ortum habuisse a confessione, tunc omnes actus sint nulli, & irritandi.

Circa actiones secundi, & tertii generis, licere docent ad triginta quinque Auctores apud Th. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 16. num. 4., inter quos D. Th., Scot., Sot., Suar., & alii; quia nimirum in iis casibus supponitur, quod solus pœnitens advertat, ea fieri a Confessario propter peccata in confessione audita; non est autem revelare confessionem, nec aperire secretum, quando nulli alteri communicatur: Ex alia parte pœnitens non habet jus absolutum ad eas actiones; unde non fit illi injuria, nec frangitur sigillum, si eæ negentur.

Verum ipse Sanch. putat, actiones secundi, & tertii generis nullatenus licere, ne sic in odium fidelium incidat confessio; Sicut enim non licet colloqui cum pœnitente de peccatis in confessione auditis; ita nec licet eas actiones exercere, quibus pœnitens confundatur: unde confessarius eodem modo debet se gerere cum pęnitente, ac si nihil ab eo audisset, nullam actionem illi ingratam exercendo.

Demum Tambur. ex Con. disp. 9. dub. 4., & Pal. punct. 19. §. 3. distinguunt inter actiones secundi,

cundi, & tertii generis; ac putant, actiones secundi generis non licere, actiones vero tertii generis licere, quia illæ redderent confessionem odiosam, non istæ; Et pœnitens rationabiliter est invitus circa illas, non circa istas.

VI. Equidem censeo, actiones secundi generis non licere; quia vim habent punitionis, aut reprehensionis; unde retardaretur a confessione pęnitens, si illæ licerent: Actiones etiam tertii generis nec licere dicendum est, quando aliquo modo ex iis pœnitens gravaretur, vel veluti indirecte deprehenderetur; si enim vigilantior esset Superior, verbi gratia, circa observantiam regularum, quando ex confessione noscit aliquam illarum occulte violari, certe gravaretur subditus. Et quamvis hoc ferat majus bonum subditi; at non proinde licet, ut constat ex ea propositione damnata ab Innoc. XI., quam fuse in Trutina exposuimus in Append. §. 7. quæ aperte habet: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Quare si Sortes confiteatur propositum occidendi aliquem, non potest Confessarius efficere, ne sequatur homicidium, quod Sortes in carcere includatur propter debitum pecuniarium verbi gratia, aut ex alio capite; quia quamvis multo majus sit gravamen Sortis, quod committat homicidium, & pęnam ejus subeat, quam sit gravamen, quod haberet ex carcere propter ęs alienum; At hoc prohibetur ab Inn. XI., uti scilicet scientia habita in confessione, cum gravamine pœnitentis, etiamsi talis usus deserviat ad vitandum majus ejus gravamen.

Quare bene docet Pisan. in Clypeo Gedeonis, quod aliquando actiones tertii generis inferant gravamen, aliquando levamen pœnitenti; proinde illæ non licent, istæ licent: Verbi gratia, si ex confessione sciam, Sortem habere Bertam concubinam, & alio prætextu efficiam sine ulla indirecta revelatione confessionis, ut careat opportunitate adeundi Bertam, hic usus est in levamen, non in gravamen pœnitentis, quia nullum honestum solatium potest habere ex consortio cum Berta: Quod si efficiam, ut Sortes non solum careat opportunitate adeundi Bertam, sed etiam egrediendi domo, ut solebat, ad honestam recreationem captandam, & eatenus ne possit Bertam adire, certe subiret aliquod gravamen Sortes, quamvis ad præcavendum peccatum cum Berta, quod est gravamen majus; & proinde nullo pacto licet.

VII. Quæritur nunc primo; An Confessarius, cui pęnitens minatus est mortem, nisi ipsum absolvat, si iterum vocetur ad audiendam confessionem, possit renuere sine fractione sigilli?

Respondeo cum Perez sect. 13. posse; quia minæ illæ non fuerunt materia confessionis, sed peccatum ibi commissum; Unde sicut posset fugere Confessarius, quando pęnitens vult illum occidere; ita quando timet, ne iterum mortem sibi minetur, potest illum nolle audire.

Hinc infertur cum Lug. num. 116., quod possit pariter Confessarius vocatus ad audiendam confessionem illius, a quo scandalum est passus, salvo sigillo non ire; quia vel scandalum oritur a malitia pęnitentis, vel a fragilitate ipsius Confessarii; Si primum, jam tale scandalum, seu provocatio ad malum non esset materia confessionis, sed peccatum patratum in confessione; si secundum, jam nullum peccatum pęnitentis revelatur.

VIII. Quæritur secundo; An Confessarius, qui erravit in absolutione, vel absolvendo verbi gratia ab excommunicatione, a qua non poterat, vel non injungendo restitutionem, ad quam pęnitens tenebatur, &c., possit petita a pęnitente, & non obtenta facultate loquendi de auditis in confessione, adhuc prosequi, & illum advertere?

Respondeo, Suar. disp. 33. sect. 5. cum Filliuc. cap. 11. quæst. 5. affirmare; Sed communis sententia negat apud Dian. part. 5. tract. 11. resol. 18., & part. 1. tract. 1. Miscellan. resol. 12. & apud Perez sect. 14. Ratio nonnullorum est, quia in tali casu Confessarius non loqueretur extra confessionem, sed perficeret, & suppleret eam, quæ inchoata, & imperfecta remanserat. Hæc tamen ratio communiter rejicitur, quia sic posset Confessarius per totam vitam objurgare, & monere pœnitentem de peccatis in confessione auditis, si non reprehendit tunc satis pro merito delictorum; quod tamen nemo dixerit. Adde, quod si non loqueretur in tali casu Confessarius extra confessionem, nulla esset ratio, quare deberet prius veniam loquendi petere a pœnitente. Quare cum judicium vere sit finitum post absolutionem, dicendum, quod nullo pacto possit Confessarius de auditis in confessione loqui cum pęnitente, facultate ab ipso non obtenta; Nisi forte, ut alias diximus, immediate post absolutionem esset aliquid addendum; (quia tunc censetur moraliter perseverare idem judicium) Vel in sequentibus confessionibus recurreret sermo de auditis in confessione; tunc enim, juxta praxim Confessariorum timoratorum, & opinionem plurium Doctorum, etiam licet de auditis in prima confessione iterum loqui.

Quando autem teneatur Confessarius facultatem a pęnitente petere loquendi de auditis in confessione, ad corrigendum errorem aliquem in ea commissum, sive spectantem ad valorem Sacramenti, sive spectantem ad damnum tertii, sive ad aliud quodcumque, puta si non explicavit pœnitens numerum, aut speciem peccati, aut si non fuit monitus ad relinquendam occasionem peccati, sive quid simile, abunde discussimus quæst. 8. art. 5. num. 10., sive error irrepserit bona, sive mala fide.

QUÆSTIO IX.

De Indulgentiis.

OCcasione satisfactionis Sacramentalis in tractatu de Pœnitentia consuevere quamplures de Indulgentiis agere, vi quarum possumus pro culpis nostris abunde satisfacere. Equidem plurima de iis dixi in Opusculo de Jubilæo, præsertim anni Sancti; non omittam hic de iisdem nonnulla primoribus labris delibare; inquirendo primo, Quid, & quotuplex sit Indulgentia; secundo effectus Indulgentiarum; tertio, quinam possit Indulgentias concedere; quarto, qualis causa requiratur ad legitimam Indulgentiarum concessionem; ultimo, qualis dispositio requiratur in eo, qui lucraturus est Indulgentias.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Indulgentia?

I. *Quomodo thesaurus Ecclesiæ per indulgentias distribuatur.*
II. *De Indulgentia Totali, & Partiali; necnon de Personali, & Locali, & Reali.*
III. *Ad Localem Indulgentiam lucrandam quid requiritur?*
IV. *Num possimus eadem die pro defunctis pluries plenariam Indulgentiam lucrari?*
V. *Num diruta Ecclesia cesset Indulgentia eidem annexa?*
VI. *Num requiratur physicus in Ecclesiam ingressus ad localem Indulgentiam lucrandam?*

I. QUæritur primo, quomodo definiatur Indulgentia?

Respondeo, communiter ex Suar. disp. 49. sect. 4. definiri, quod sit *Actus quidam spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum*. Clarius definitur a Clem. VI. in Extravag. *Unigenitus* de pęnitentiis, & remissionibus, quod sit *Pœnæ temporalis Deo debitæ remissio extra Sacramentum, per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum*.

Ut altius hæc definitio percipiatur, sciendum est, Christum Dominum, utpote omnium Redemptorem, infinitam satisfactionem obtulisse Deo Patri pro peccatis sive mortalibus, sive venialibus totius Mundi; ac præterea satisfactionibus Christi Domini, quæ ex se sunt infiniti valoris, superaddi satisfactiones, seu opera satisfactoria Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, ex quibus omnibus constituitur Ecclesiæ thesaurus.

Hic autem thesaurus, qui ex solis Christi Domini meritis est simpliciter infinitus, & simpliciter inexhauribilis, ut prosit hominibus, & pro eorum peccatis actu, & realiter satisfaciat, debet iis applicari; divitiæ enim ditare non possunt pauperem, nisi per appropriationem illi moraliter applicentur; sicut nec pharmacum curat ægrotum, nisi physice illi applicetur. Quare applicatio Thesauri Ecclesiæ vel fit per specialem Christi Domini voluntatem; sicut quando dixit Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata tua*, & Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*; vel per usum Sacramentorum, & præsertim Baptismi, in quo non solum quoad culpam, sed etiam quoad pęnam peccatum omne remittitur; vel per voluntatem summi Pontificis, utpote Christi Vicarii, cui Christus Dominus sui Thesauri dispensationem commendavit, quando dixit, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*; cum autem reatus pęnæ sit aliquod vinculum impediens ingressum in Patriam, est in potestate Pontificis a Christo servatore ad hoc delegati, illud solvere per dispensationem thesauri, quem suæ curæ, ac potestati commisit.

II. Quæritur secundo, quotuplex sit Indulgentia.

Respondeo, dividi primo in Totalem, & Partialem, ut habetur in dicta Extrav. *Unigenitus*, ubi Clem. VI. docet, *Thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ applicandam*. Per totalem, quæ & plenaria dicitur, remittitur tota pęna, quæ esset in Purgatorio luenda; per partialem vero solum pars pęnæ.

Neque dicas, quod si per totalem, seu plenariam tota pęna remitteretur, non posset dari Indulgentia plenior, seu largior, & plenissima; atqui in Sacris Canonibus ea reperitur: Siquidem in Extravag. Bonifac. VIII. *Antiquorum* de *pœnitentiis, & remissionibus* dicitur: *Non solum plenam, largiorem, imo plenissimam omnium tuorum concedunt veniam peccatorum*; ergo Indulgentia totalis, seu plenaria non remittit totam pęnam.

Respondeo enim cum Suar. disp. 50. sect. 4., Sot., & aliis communiter, Indulgentiam plenariam, plenam, largiorem, plenissimam non differre inter se quoad rem, seu effectum proprium Indulgentiæ; cum quælibet totam pęnam remittat; addi tamen aliquando a Pontifice illa verba, *largiorem, immo plenissimam* solum ad uberiorem explicationem suæ dispensationis, & ad magis exaggerandam gratiam, quam concedit.

Partia-

Partialis indulgentia pęnam illam remittit, quæ in ejus concessione exprimitur; aliquando enim indeterminate proportionaliter ad culpas; ut quando remittitur tertia pars pęnæ pro peccatis debitæ; aliquando vero determinate, ut quando conceditur indulgentia septem annorum, seu unius quadragenæ; per quam concessionem sensus est, remitti pęnam illum, quæ remitteretur per pęnitentiam septem annorum, vel unius quadragenæ, seu quadragesimæ ab Ecclesia, ut olim fiebat, impositam, & a pęnitente completam, ut docent Sot., Palud., & alii communiter apud Suar. disp. 50. sect. 5.

Dividitur secundo Indulgentia in Personalem, Localem, & Realem. Personalis est, quæ Personæ conceditur, ut si Pontifex concedat Cajo Indulgentiam, quoties communicat, ubicumque sit. Localis est, quæ addicitur loco; ut si concedatur Indulgentia visitanti Ecclesiam Cathedralem. Realis est, quæ affigitur alicui rei, puta Cruci, Imagini, Rosario, &c.; quæ ab iis acquiritur, qui coram tali imagine, vel per tale Rosarium has, vel illas orationes impositas ad Deum fundunt.

III. Dubium est primo circa localem Indulgentiam; Num quando conceditur Indulgentia visitantibus aliquam Ecclesiam, satis sit illam ingredi, an vero requiratur pium aliquod opus, & quale.

Respondeo, in visitatione Ecclesiæ illud pium opus debere poni, quod in concessione indulgentiæ præscribitur; Quod si nullum præscribatur, nunc visitanda est Ecclesia pie, & religiose, atque adeo orando ibi aliquantisper, sive mentaliter, sive vocaliter; cum visitanda sit Ecclesia, quæ a Christo Domino dicitur esse domus orationis.

IV. Dubium est secundo; An si pluries Ecclesia visitetur, possit pluries acquiri plenaria indulgentia tali Ecclesiæ concessa?

Respondeo cum Suar. disp. 17. sect. 1. & aliis communiter, distinguendum esse; vel enim conceditur indulgentia indefinite visitantibus Ecclesiam, vel definite quoad tempus, v. g. in die talis festi; Si primo modo concedatur, potest pluries in eodem die acquiri; secus vero, si secundo modo. Ratio est, quia quando indulgentia conceditur indefinite, non est verisimile concedi pro una tantum vice tota vita. Neque possumus rationabiliter illam limitare ad semel in anno, aut etiam in hebdomada; quare intelligi potest solum limitata ad semel in die, quæ determinatio habetur, tum ex communi usu, & consuetudine, tum ex decreto Innoc. XI. Quamvis Navar., & Laym. cap. 3. cum aliis docuerint, posse etiam pluries in die acquiri, si pluries devote, ac pie visitetur. Quod si indulgentia concessa sit definite quoad tempus pro una tantum vice, unicuique concessa censetur, ut docet Suar. loc. citato. Notandum tamen, quod in Opusculo de Jubilæo quæst. 6. art. ult. fusius prosecutus sum, videlicet probabile esse, quod possumus Indulgentiam plenariam eodem die pluries lucrari, si illam pro variis defunctis applicemus; quin id adversetur decreto Innoc. XI., tum quia in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur revocatæ Indulgentiæ applicabiles pro defunctis, nisi id exprimatur, cum revocatio Indulgentiaum sit odiosa, atque adeo restringenda; tum tiam quia sic stat fixum decretum Innoc. XI., quod nemo pluries eodem die plenariam Indulgentiam lucretur, si illam pluries non pro se, sed pro variis defunctis acquirat.

V. Dubium est tertio; an diruta Ecclesia, pereat indulgentia, quæ visitantibus illam fuerat concessa?

Respondeo, cum eodem Suar., quod si paulatim diruatur, & paulatim reficiatur, Indulgentia perseveret; Sicut pariter perseverat talis Ecclesiæ consecratio; quia semper Ecclesia est eadem moraliter, quamvis nihil antiquæ Ecclesiæ remaneat; secus vero, si tota simul destruatur, & reædificetur. Et idem dicas proportionaliter, si alicui Rosario indulgentia affigatur.

VI. Dubium est quarto; An satis sit extra Ecclesiam preces fundere ad lucrandam indulgantiam, quando quis non potest præ turba illam ingredi?

Respondeo affirmative cum Suar. disp. 52. sect. 1. Laym. cap. 3. Et ratio est, quia in tali casu censetur homo moraliter Ecclesiam ingredi: Sicut communiter docent Doctores satisfieri præcepto audiendi Missam ab eo, qui ita est extra Ecclesiam, ut faciat unum moraliter cum aliis, qui intra Ecclesiam Missam audiunt.

Dividitur ultimo Indulgentia in perpetuam, & temporalem; illa perseverat, donec revocetur; ista ad tempus determinatum conceditur; unde eo finito cessat.

ARTICULUS II.

De Effectibus Indulgentiæ.

I. Num per Indulgentiam culpa venialis aliquando remittatur?

II. An qui lucratur Indulgentias, possit, per illas eximi tum ab injunctis pœnitentiis, tum etiam ab aliis pœnis in Purgatorio luendis?

III. Quid si in Bulla exprimatur Indulgentias concedi pro pœnis injunctis?

IV. Circa Pontificis concessionem non possunt Indulgentiæ nobis concessæ pro defunctis applicari.

V. Quid requiritur; ut Indulgentiæ defunctis prosint?

VI. Etiam peccator potest Indulgentiam pro defunctis lucrari.

VII. Num Indulgentiæ defunctis applicatæ prosint illis infallibiliter?

I. Di-

I. Diximus Indulgentiarum effectum esse remissionem vel totalem, vel partialem pœnæ temporalis pro peccatis luendæ in Purgatorio.

Quæritur nunc primo; An per Indulgentias peccatum aliquod remittatur?

Respondeo, certum esse, nullum mortale quoad culpam remitti per Indulgentias; etenim ex Trident. sess. 14. cap. 4. Justificatio impii post Baptismum fieri non potest sine contritione, aut saltem attritione conjuncta cum Sacramento. De venialibus est pariter quasi certum, quia non remittitur in hac vita culpa venialis sine infusione gratiæ, quæ per Indulgentiam non confertur, ut communiter docent, & constat ex indulgentiæ definitione.

II. Quæritur secundo; An per Indulgentias possit quis liberari non solum a penitentiis satisfactoriis sibi injunctis in Confessione Sacramentali, sed etiam ab omnibus aliis in Purgatorio luendis?

Respondeo cum communi affirmative; ad hoc enim institutæ sunt Indulgentiæ, ut per illas pena tam in hoc, quam in alio Mundo debita condonetur: Et quidem quod per Indulgentias condonentur penæ satisfactoriæ injunctæ pro hac vita, constat ex usu primitivæ Ecclesiæ, quæ per Indulgentias remittebat penas injunctas penitentibus; Verbi gratia, per Indulgentias septem annorum penas, quæ septennio erant tolerandæ. Quod etiam aliæ penæ pro peccatis debitæ per Indulgentias tollantur, patet etiam, quia cæteroqui Indulgentia plenaria non tolleret omnem omnino penam debitam. Ex quo etiam sequeretur, non posse Pontificem solvere omne vinculum impediens ingressum ad Patriam; quod adversatur dicto illi Christi Domini, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* Quare per Indulgentiam plenariam omnis omnino debita pena remittitur, per alias vero Indulgentias pars penæ illi correspondens. Esto incertum sit, quod cuique Indulgentiæ correspondeat. Quod si Indulgentia excedat debitum, excessus ille remanet in Ecclesiæ thesauro; Vel si indulgentiæ sint ex iis, quæ possint applicari defunctis, illis applicantur juxta lucrantis intentionem, & divinam acceptationem.

III. Dubium est; An possit quis per Indulgentias liberari ab aliis penis debitis, etiam quando in Bulla conceduntur expresse Indulgentiæ *de pœnis injunctis*.

Respondeo, cum Con. disp. 12. de Sacram. dub. 3. & Suar. disp. 50. sect. 3. & aliis communiter affirmative. Ratio est, tum quia in cap. *Ex parte* 17. *De decimis* habetur: *Ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur*; quæ regula locum habet in iis, quæ sunt ejusdem rationis, & per se ad idem privilegium, seu potestatem pertinent; tum etiam quia clausula illa *de injunctis pœnis* apponitur ad augendam, non ad limitandam concessionem: Sicut, verbi gratia, quando in facultate absolvendi sacramentaliter additur clausula *a reservatis*, per illam procul dubio intelligitur pariter concessa facultas absolvendi a non reservatis, ob regulam traditam. Unde fit, quod si penitens compleverit jam penitentiam sibi a Confessario injunctam, adhuc per talem indulgentiam liberatur a reatu, si quem habet, alterius penæ secundum mensuram illius indulgentiæ. An autem per Indulgentiam plenariam cesset obligatio penæ a Confessario impositæ, seu obligatio satisfactionis Sacramentalis, etiam quando pena est medicinalis, dummodo penitens adhibeat aliud remedium, si est opus, ad non recidendum? Examinavimus supra in quæst. sexta de satisfactione, articulo tertio.

IV. Quæritur tertio; An Indulgentias, quas acquirimus, possimus applicare pro defunctis?

Respondeo cum Con. & aliis communiter, non posse nos propria auctoritate applicare illas pro defunctis; posse vero, si ita a Pontifice concedantur. Ratio est, quia, ut dicemus art. sequente, solus Pontifex potest pro defunctis Indulgentias concedere, idque non per modum absolutionis, quia in defunctos jurisdictionem non habet, sed per modum solutionis, seu suffragii, hoc est per exhibitionem pretii sufficientis ex thesauro Ecclesiæ in satisfactionem pro peccatis illorum.

V. Dubium tamen est primo, quid requiratur, ut Indulgentiæ, quæ defunctis applicantur, illis prosint?

Respondeo, requiri primo, ut opus injunctum ea intentione fiat, ut Indulgentiæ acquirantur defunctis; non enim aut sibi, aut alteri quisquam Indulgentiam acquirit nisi id velit. Secundo, ut Deus satisfactiones hujusmodi pro defunctis exhibitas velit pro illis acceptare.

VI. Dubium est secundo, num ad acquirendas Indulgentias pro defunctis satis sit duntaxat habere intentionem, quod iis prosint; an vero requiratur etiam, quod opus præscriptum sit satisfactorium, & offeratur in satisfactionem pro ipsis?

Respondeo ex Con. dub. 7. sufficere primum; imo nec esse necesse, ut opus injunctum sit de se satisfactorium; eo quod opus illud sit solum quædam conditio, qua posita, Pontifex sua concessione applicat Indulgentias huic, vel illi, exhibendo videlicet Deo de thesauro Ecclesiæ Satisfactiones Christi Domini, & SS. ita ut relate ad vivos a reatu penarum absolvat, relate vero ad defunctos mere offerat Deo solutionem pro penis luendis. Ubi sequitur

quod

quod possit quis Indulgentias lucrari pro defunctis, etiamsi opus injunctum ponat in statu peccati mortalis, cum non debeat tale opus, ut diximus, esse de se satisfactorium, sed sufficiat, quod sit utile ad finem intentum, quam utilitatem habet, etiamsi fiat a peccatore; Econtra, ut homo lucretur Indulgentias pro se, debet ultimum opus injunctum ponere in gratia, ut patet; quia poena non tollitur, non sublata culpa.

VII. Dubium est tertio; An Indulgentiæ pro defunctis concessæ infallibiliter illis prosint, si illis applicentur?

Respondent aliqui cum Sot. Navar. Valent. Suar. Con. apud Dian. part. 9. tract. 2. resol. 3. & apud Laym. cap. 7. affirmative; quia Christus Dominus thesaurum suarum satisfactionum reliquit Pastori Ecclesiæ dispensandum æque pro vivis, ac pro defunctis. Probabilior tamen est sententia negativa Bonav. Ricard. Cajet. Henr. & aliorum; Siquidem neque ex ullo Scripturæ loco, neque ex ulla certa traditione constat, Christum Supremum Judicem obligasse se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro libertate defunctorum. Etenim promissio illa, *Quicquid solveris super terram*, ad vivos tantum refertur; cum judiciaria potestas, quæ illis verbis traditur, in defunctos exerceri non possit. Quare Indulgentiæ non applicantur pro defunctis per modum absolutionis, sed per modum suffragii, supplicando Deum, ut satisfactiones pro illis exhibitas misericorditer acceptare dignetur.

Confirmatur hoc ex usu Ecclesiæ, quæ etiam post applicatam alicui indulgentiam plenariam per sacrificium in altari privilegiato oblatum, alia, & alia offert Sacrificia; ut constat ex Anniversariis; ergo signum est, quod quamvis ex divina misericordia speretur, tales oblationes, & indulgentias habituras esse effectum suum, non tamen hoc pro certo, & infallibili habeatur. Hinc probabilis redditur doctrina Henr. & Rodriq. apud Laym. quod Deus longe facilius acceptet oblationes, & suffragia oblata pro iis defunctis, qui in hac vita magis pro suis peccatis satisfacere, & indulgentias lucrari, & pro defunctis orare studuerunt.

Neque dicas, hinc sequi, neque esse certum, quod indulgentiæ applicari, & prodesse possint defunctis ex concessione Pontificis. Nam appositum constat ex praxi Ecclesiæ; idque tradit Leo X. in Epistola ad Lutherum apud Cajetan. pag. 39. 48. art. 5. Si enim quivis privatus applicare potest satisfactiones suas pro defunctis, quidni etiam Pontifex applicare pro iisdem poterit satisfactiones Christi, & SS. Et sane omnes Catholici communiter censent, Communionem Sanctorum, quam in Symbolo profitentur, in eo consistere, quod unius satisfactio pro altero oblata ei prosit; etenim cum simus membra unius corporis, actiones unius censentur quodammodo alterius: Quare sicut possum pro alio restituere æs alienum; sic etiam possum pro aliis satisfacere, tam apud homines, quam apud Deum; esto requiratur, ut offensus benigne velit in satisfactionem acceptare oblationes non ab ipso delinquente, sed ab aliis pro ipso oblatas: Quod si possum pro defunctis offerre satisfactiones proprias, potero pariter pro iisdem ex Pontificis concessione offerre satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum, quas per indulgentias mihi applicarem; & sic per indulgentias satisfacere pro defunctis; unde certum, ac de fide est, Indulgentias pro defunctis applicari posse, ac illis prodesse; quamvis, ut illis prosint, requiratur benigna Dei acceptatio: Et quia ad hanc Deus non se obligavit, idcirco non semper Indulgentiæ pro defunctis applicatæ prosunt illis infallibiliter.

ARTICULUS III.

Quisnam possit Indulgentias concedere?

I. Detur discrimen inter Indulgentias, quas Pontifex largitur vivis, & eas, quas concedit pro defunctis.

II. Potestas clavium latius patet, quam potestas Jurisdictionis.

III. Nequeunt Episcopi citra Pontificis concessionem Indulgentias elargiri.

IV. Possunt vivis, utpote subditis, potestate ordinaria nonnullas Indulgentias concedere, non tamen applicabiles pro defunctis.

V. Nequeunt Abbates, aut Parochi Indulgentias ullatenus concedere, nisi ex speciali concessione.

I. QUæritur primo; Utrum Pontifex possit tam pro vivis, quam pro defunctis Indulgentias concedere?

Respondeo, e dictis facultatem hanc concessam esse a Christo Domino immediate Summo Pontifici, cui dixit, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c.* unde non solum potest per Sacramentorum collationem tollere culpas, sed etiam per Indulgentiarum collationem tollere pœnas, & sic aperire cuilibet Regnum Cœlorum. Ita Doctores communiter.

Illud autem, ut diximus, est discrimen inter Indulgentias, quas concedere potest vivis, & eas, quas potest concedere defunctis ex Bellarm. lib. 1. cap. 1. & Con. contra Suar. disp. 49. sect. 4. quod respectu vivorum concessio Indulgentiarum sit actus jurisdictionis, continens absolutionem a pœnis; respectu vero mortuorum non habeatur absolutio, sed mera solutio pro pœnis ab iisdem debitis. Ratio est, quia Pontifex

tifex solum erga vivos jurisdictionem habet, & sic potest illos juridice absolvere: erga mortuos vero jurisdictionem non habet; unde tantum potest illis dispensare merita Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, & sic applicare de illis solutionem pro pœnis debitis a defunctis, & illos a Purgatorio liberare: Et hoc est conferre, seu applicare Indulgentias defunctis per modum Suffragii.

Neque dicas primo, etiam per indulgentias concessas pro vivis solvi sufficiens pretium de thesauro Ecclesiæ: ut constat ex Extrav. *Unigenitus* De *pœnitentiis*, *& remissionibus*; ergo in hoc non differunt indulgentiæ pro vivis, & pro defunctis.

Nam quamvis non differant in hoc, quod tam indulgentia pro vivis, quam pro defunctis solvat sufficiens pretium de thesauro Ecclesiæ, differunt tamen in eo, quod indulgentia pro vivis sit absolutio juridica facta a legitimo Judice, infallibiliter obtinens effectum suum, positis requisitis. Contra vero indulgentia pro defunctis est mera exhibitio sufficientis pretii, quam acceptare est omnino in arbitrio creditoris: Etenim creditor in pœnis personalibus non semper tenetur pro unius offensa alterius satisfactionem accipere.

II. Neque dicas secundo, concessionem indulgentiarum, sive pro vivis, sive pro defunctis, esse actum potestatis clavium; ergo utraque est actus jurisdictionis; ergo utraque fert absolutionem juridicam.

Nam concesso antecedente, negatur utraque consequentia. Potestas enim clavium est potestas aperiendi, & claudendi cœlum; cum igitur cœlum aperiri possit tam per actus jurisdictionis, videlicet per juridicam absolutionem, quam per alios actus, videlicet exhibendo Deo de thesauro Ecclesiæ sufficiens pretium ad liberandos a pœnis debitis defunctos; sequitur, quod concessio indulgentiarum pro defunctis sit quidem ex potestate clavium, sed non actus jurisdictionis: Unde latius patet potestas clavium, quam jurisdictionis; cum illa etiam ad defunctos extendatur, non vero ista.

III. Quæritur secundo; An etiam Episcopus possit Indulgentias concedere?

Respondeo cum Suar. disp. 49. sect. 1. ex D. Thom. Sylvest. & aliis communiter, posse Episcopos Indulgentias concedere non jure divino, sed solum ex concessione Summi Pontificis. Ratio est, quia in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. potestas concedendi Indulgentias est ita restricta Episcopis, ut nonnisi unius anni Indulgentiam in die dedicationis Ecclesiæ, & ob aliam justam causam 40. tantum dierum Indulgentias concedere possint; quod si hujusmodi potestas esset de jure divino, profecto non posset adeo restringi a Concilio.

IV. Ubi adverte primo, potestatem hanc Episcoporum concedendi indulgentias, quamvis sit ex concessione Pontificis, esse tamen ordinariam; cum illis competat ratione proprii officii. Secundo si ultra limites suæ potestatis indulgentias concedant, esse nullas quoad excessum, ex cap. *Nostro de pœnis & remis.* Tertio nullam omnino indulgentiam concedi posse ab Episcopis respectu mortuorum; ut communiter docent cum Suar. disp. 55. sect. 2. Ratio est, quia solum conceditur Episcopis, ut possint indulgentias suis subditis elargiri, ex cap. *Quod autem de pœnit. & remis.* Mortui autem non sunt subditi Episcopo. Ex quo patet, thesaurum Ecclesiæ applicandum per modum suffragii pro defunctis soli Pontifici esse commissum.

V. Demum certum est, neque Abbates, neque Parochos, neque alios, qui Episcopi non sunt, habere a Jure potestatem concedendi indulgentias: Quare solum ex concessione speciali possunt illas concedere, ut notat Bellarm. ex cap. *Accedentibus de excessibus Prælatorum*.

ARTICULUS IV.

Quænam causa requiratur ad legitimam Indulgentiarum concessionem?

I. Nequit sine justa causa Pontifex Indulgentias elargiri.
II. Quænam reputetur causa justa, & sufficiens ad eas elargiendas?
III. Causa hujus justa non est a subditis pensitanda, sed a concedente Indulgentias.
IV. Opus injunctum quam proportionem habere debeat cum fine intento?
V. Concedi potest Indulgentia, quin ullum opus præscribatur ad eam lucrandam.
VI. Qui tepide opus injunctum peragunt, non plenarie indulgentiam lucrantur.

I. DOcent communiter Doctores, Indulgentiam absque legitima causa concessam esse nullam: Et ratio est, quia per Indulgentiarum concessionem dispensatur Ecclesiæ thesaurus; cujus Pontifex non est Dominus, sed merus dispensator; Qui autem est dispensator rerum sui Domini, si absque rationabili causa illas dispenset, nulliter dispensat. Præterea dispensator non potest sine justa causa remittere credita sui Domini; sed Pontifex largiendo indulgentias remittit credita Domini; quia pœnarum in Purgatorio luendarum, quæ per Indulgentias remittuntur, peccator est debitor, & Deus creditor; ergo non possunt sine justa causa valide concedi Indulgentiæ.

II. Quæritur tamen primo; Quænam sit justa, & rationabilis causa ad Indulgentias concedendas.

Respon-

Respondeo cum Bonac. Navar. Ricc. aliisque communiter apud Bellarm. lib. 1. cap. 12. illam reputari justam, ac rationabilem causam, quæ pia, & Deo grata sit, & proportionem aliquam habeat cum Indulgentia, quæ conceditur. Quare duo requiruntur: Primum, ut Indulgentia concedatur ad pium aliquem finem, cujus consecutio æstimetur Deo magis gloriosa, quam pęnitentia, quæ per Indulgentiam relaxatur; Verbi gratia, ad deprimendos hostes Ecclesiæ, ad gratias Deo agendas pro victoria e Paganis reportata, ad cultum Dei Sanctorumque promovendum. Secundum est, ut opus injunctum ad indulgentiam lucrandam proportionem habeat cum fine intento, seu utile, & aptum sit ad finem consequendum; Verbi gratia, preces ad Deum fusæ, confessio, communio, jejunia, eleemosynæ dicuntur opera apta ad assequendam depressionem hostium fidei, &c.

III. Docet autem Bellarm. loc. cit. non a subditis, sed a concedente Indulgentiam examinandam esse causam illius, ac proportionem operis cum fine intento; atque adeo quamcumque ob causam, etiamsi levissima videatur, concedat Pontifex Indulgentias, istæ magno in pretio haberi debent a fidelibus, ut in hoc ipso maxime se opponant Hæreticis, qui Indulgentias etiam ob gravissimas causas concessas parvipendunt, ac contemnunt.

Advertit etiam Con. disp. 12. dub. 6. n. 33., quod quando conceditur aliqua Indulgentia vel omnibus fidelibus, vel magnæ alicui communitati, proportio operis cum fine intento non debeat attendi ex efficacia cujusque operis seorsim sumpti, puta, jejunii, aut eleemosynæ factæ a Titio; sed ab eodem prout conjuncto cum aliis operibus aliorum fidelium.

IV. Quæritur secundo; an ad habendam prædictam proportionem requiratur, ut opus injunctum sit per se sufficiens pro remissione pęnarum, quæ per Indulgentiæ lucrationem remittuntur?

Respondeo negative. Et ratio est manifesta, quia in tali casu Indulgentia non esset indulgentia; quæ ex ipsa nominis etymologia fert remissionem cum liberalitate conjunctam.

V. Quæritur ultimo; An posset aliquando Pontifex concedere Indulgentiam, nullum opus injungendo ad ejus assecutionem? V. gr., an possit Titio decedenti in gratia concedere Indulgentiam in articulo mortis?

Respondeo ex Suar. disp. 52. sect. 4., Con. disp. 12. dub. 6. affirmative. Et ratio est, quia fieri potest, ut etiam in tali casu habeatur justissima causa, v. g. ob merita Titii erga Ecclesiam, & alia opera jam præstita, & ut alii ad eum imitandum spe talis concessionis excitentur.

Neque dicas, in tali casu non haberi proportionem operis præscripti cum fine intento, cum nullum opus præscribatur.

Nam ut concessio Indulgentiæ sit justa & valida, non est necesse, ut præscribatur opus, sed satis est, ut concedatur propter opus proportionatum, sive tale opus antecedat, sive consequatur ipsam concessionem; In casu autem nostro opus præcederet concessionem Indulgentiæ, quæ datur intuitu meritorum Titii erga Ecclesiam. Ratio hujus doctrinæ est, quia dispensatio censetur esse fidelis, & justa, non solum si credita Domini remittantur ob bona opera injuncta, sed etiam ob opera bona ante præstita.

VI. Notandum denique, aliquando ex defectu proportionis prædictæ accidere, ut quamvis ex justissima causa concedatur Indulgentia plenaria omnibus, qui tale opus peregerint, non tamen illam omnes plenarie consequantur. Nam qui maximas pro peccatis pęnas debent, si tepide opus injunctum peragant, periculum est, ne ab indulgentia plenarie consequenda deficiant, ut habetur in Extrav. 1. Bonif. VII. *de pœnit. & remiss.* apud Connink n. 34., & ex S. Bonav. in 4. dist. 20. part. 2. art. 7. quæst. 6., ubi ait; Homines plus, vel minus participare de Indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam accedunt.

Neque dicas, satis esse, ut opera omnium sint proportionata ad finem, ut Indulgentia possit acquiri.

Nam contra est, quia satis tantum est, ut possint Indulgentiæ concedi, quando opera omnium sunt proportionata ad finem; non vero satis hoc est, ut possint singulis in particulari applicari, nisi devote peragant opera injuncta.

ARTICULUS V.

De dispositione ad Indulgentiam lucrandam requisita.

I. *Plura requiruntur in eo, qui Indulgentiam est lucraturus.*

II. *Ultimum ex operibus injunctis debet poni in statu gratiæ, etiamsi alia posita fuerint in statu peccati mortalis.*

III. *Si quis pro alio indulgentiam lucretur, debet esse in statu gratiæ, non is, qui ponit opera injuncta, sed is, cui indulgentia applicatur.*

IV. *Probabiliter non requiritur confessio Sacramentalis, sed sufficit contritio perfecta ad Indulgentiam lucrandam.*

V. *Si Indulgentia conferatur contritis, & confessis, sufficit contritio imperfecta, seu attritio ad illam lucrandam.*

I. PRimo requiritur in eo, qui lucraturus est Indulgentias, ut sit baptizatus; dispensatio enim thesauri Ecclesiastici fieri non potest, nisi in filios Ecclesiæ.

Secundo, ut sit subditus illius, qui indulgentiam concedit; Unde Indulgentiæ ab Episcopis concessæ nonnisi a propriis subditis acquiri possunt. Docet tamen Laym. cap. 4. num. 2. ex Palud., concedi posse ab Episcopo, v. gr. Nea-

Neapolitano suis subditis facultatem, ut Indulgentias ab Episcopo Nolano concessas lucrentur. Hinc si Episcopus Nolanus concedat quadragenam, vel unius anni Indulgentiam subditis suis visitantibus Ecclesiam A in festo Dedicationis, vel Patroni talis Ecclesiæ, potest Episcopus Neapolitanus facultatem dare suis subditis, ut illam ipsi etiam lucrentur.

Tertio, ut non sit excommunicatus excommunicatione majori, quia hæc privat hominem participatione bonorum spiritualium communium.

II. Quarto, ut saltem quando ponitur ultimum ex operibus injunctis, homo sit in statu gratiæ. Ratio ex D. Th., & Theologis communiter est, quia remissio pœnæ temporalis supponit remissionem culpæ; non enim remittitur pœna inimicis, sed amicis. Dixi, saltem quando ponitur ultimum opus; nam Cajet., Sot., & alii apud Bellarm. lib. 1. cap. 12. putant necesse esse, ut omnia opera injuncta fiant in statu gratiæ; quia scilicet opera peccatoris, utpote mortua, sunt inutilia ad finem intentum, videlicet ad placandum Deum, ejusque beneficia impetranda; Deus quippe peccatores ad se non revertentes non audit. Verum quamvis hæc sententia sit tutior, & ideo consultum sit, ut qui Indulgentiam est lucraturus, prius vel contritione perfecta, vel confessione Sacramentali sua peccata curet eluere: Nihilominus probabiliorem censet Suar. disp. 53. sect. 4., Con. dub. 7. n. 39. sententiam Paludani, Antonini, & aliorum apud eundem Bellarm. putantium, satis esse, ut in statu gratiæ ponatur ultimum opus injunctum. Quod probant ex usu Ecclesiæ; nam in Jubilæis jejunia præscripta, visitationes Ecclesiæ, &c. plerumque præmittuntur Confessioni, & tamen probabile est, ante confessionem quamplurimos non justificari.

Ad rationem in contrarium negatur, opus peccatoris, etiamsi mortuum, in casu nostro esse inutile ad finem; valet enim ad excitandam populi devotionem, ad diligentiorem præparationem ad Sacramentum confessionis, & communionis, necnon ad placandam divinam vindictam: quamvis enim Deus peccatores obstinatos non audiat; audit tamen sæpe volentes converti; cæteroqui frustra clamarent, *Converte nos Deus salutaris noster*.

III. Ex dictis sequitur quod si concedatur in Bulla, ut possit aliquis pro alio indulgentiam acquirere, (quod fieri posse videtur certum Con.; sicut enim potest indulgentia acquiri pro defunctis, ita & pro aliis vivis) debeat esse in statu gratiæ is, cui indulgentia applicatur; non vero is, qui opus præscriptum ponit, ut alius indulgentiam assequatur.

Quinto demum requiritur, ut indulgentiam lucraturus nullum opus injunctum prætermittat; unde si inculpabiliter, sive ex ignorantia, sive ex impotentia aliquid omittat, indulgentiam non consequetur; ut communiter Doctores docent ex D. Th. apud Bellarm. lib. 1. cap. 13. Et ratio est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Quod si in Indulgentia concedatur, ut possit a Confessario opus injunctum commutari ex justa causa, tunc certe poterit quis lucrari indulgentiam ponendo opus a Confessario subrogatum. Hinc sequitur, quod si quis ponat mediam partem operum injunctorum, non proinde mediam partem indulgentiarum lucretur, ut ex communi Theologorum docet Con. dub. 7. num. 36.; nisi hoc ipsum in concessione exprimatur. Ratio est eadem, quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

IV. Quæritur primo; An quando in Bulla conceditur indulgentia pœnitentibus vere contritis, & confessis, requiratur, præter contritionem perfectam, confessio Sacramentalis ad indulgentiam lucrandam?

Respondeo cum Suar. disp. 52. sect. 3. n. 13 probabilem esse sententiam negativam; quia confessio non videtur requiri tanquam opus injunctum, sed tanquam conditio requisita ad tollendum obicem, seu ad dispositionem debitam indulgentiæ: Et quamvis indulgentia dicatur concedi contritis, & confessis, videtur ibi sermo esse de contritione imperfecta, seu de attritione, quæ simul cum confessione disponit peccatorem ad indulgentiam lucrandam. Verum tutior est sententia affirmativa Sylv., Cajet., & aliorum cum Con. n. 33., quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

V. Quæritur secundo; An ad lucrandam indulgentiam satis sit attritio simul cum confessione; an vero requiratur cum confessione contritio, cum in Bulla dicatur, concedi vere contritis, & confessis?

Respondeo, satis esse contritionem imperfectam, seu attritionem simul cum Sacramento; quia illa contritio requiritur ad indulgentiam lucrandam, quæ requiritur ad valorem Sacramenti; sed ad valorem Sacramenti satis est contritio imperfecta, seu attritio; ergo etiam ad indulgentiam lucrandam. Non negaverim tamen, securiorem esse opinionem oppositam, quæ perfectam contritionem requirit: Illa tamen opinio videtur probabilissima; sicut probabilissimũ videtur, confessionē requiri in iis dumtaxat, qui conscientiam habent peccati mortalis, ut Con. docet n. 38. Sit autē hic hujus annui pensi (Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

SY-

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Pœnitentia habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. pag.

De essentia, Institutione, & Fructu Sacramenti Pęnitentiæ.

ARTICULUS I. *ibid.*

De Essentia hujus Sacramenti.

I. Sacramentum pœnitentiæ metaphysice consideratum quid sit? II. Quid importet consideratum phisice? III. Quænam Sacramenti hujus pars significet, & causet gratiam? IV. Quomodo actus pœnitentiæ gratiam remissivam peccati significare, & efficere possint? V. Contritio, quamvis insensibilis de se, adhuc potest constituere Sacramentum sensibile; Et quid de Intentione Ministri? VI. Quomodo satisfactio ad Sacramenti hujus constitutionem pertineat? VII. Num Satisfactio significet gratiam peccati remissivam, an solius pœnæ remissionem?

ARTICULUS II. 4

De Institutione hujus Sacramenti.

I. Instituit Christus Dominus hoc Sacramentum pro solis Fidelibus. II. Quandonam illud instituerit? III. Num potestas in Corpus Christi verum includat potestatem in Corpus Christi mysticum, ita ut habens potestatem consecrandi habeat etiam potestatem absolvendi? IV. Institutum fuit hoc Sacramentum ad modum judicii; & quare? V. Licet Sacerdos mutus non possit absolvere, pœnitens tamen mutus, ac surdus absolvi potest. VI. In quo sensu dicatur Confessarius posse peccatorem ligare, & peccata retinere? VII. In quo differat a Sacramento Pœnitentiæ Baptismus?

ARTICULUS III. 6

De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

I Recensentur septem hujus Sacramenti effectus. II. Cur non possit in hoc Sacramento unum mortale sine alio remitti; possit vero venialia remitti divisibiliter? III. Multis aliis viis venialia remitti possunt; præsertim per Sacramentalia. IV. Quænam pœna in hoc Sacramento remittatur, remissa culpa? V. Num omnia merita præterita per remissionem culpę revivi scant? VI. Num etiam demerita vi Pœnitentiæ deleta per subsequens peccatum redeant?

QUÆSTIO II. 9

De materia remota Sacramenti Pœnitentię.

ARTICULUS I. *ib.*

De peccato fictionis in instanti Baptismi commisso.

I. Quid sit peccatum fictionis? II. Non deletur per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum fictionis in Baptismo commissum ab eo, qui noluit baptizari. III. Quid si peccatum fictionis habeatur per indebitam Baptismi susceptionem? In quo casu imprimitur character baptismalis, sed originale non deletur. IV. Quomodo Baptismus ficte susceptus revivi scere possit?

ARTICULUS II. 11

De Peccato dubio.

I. Multifariam contingere potest peccatum esse dubium. II. Probabiliter non tenetur subjicere clavibus peccatum, qui positive dubitat, an illud commiserit, per hoc quod probabile sit illud non esse commissum. III. Sicut etiam qui pariter positive dubitat, an peccatum certo commissum confessus sit. IV. Cur per solutionem positive dubiam non satisfiat debito ex justitia; per confessionem vero positive dubiam fiat satis obligationi confitendi peccatum? V. Num etiam id verum sit in mortis articulo? VI. Communiter olim docebant, peccata negative dubia subjicienda esse clavibus. VII. Sed plurimi probabiliter oppositum docent. VIII. In quonam sensu Doctores antiqui sumebant peccatum negative dubium; quod censebant clavibus subjiciendum esse? IX. Certus de peccato commisso, & negative dubius, an illud confessus sit, tenetur illud confiteri. X. Num peccatum negative dubium sit materia sufficiens confessionis, quando illud non est commissum?

ARTICULUS III. 16

De peccato, quod fuit expositum ut dubium, & deinde deprehenditur certum.

I. Negant plures Doctores peccatum expositum in confessione ut dubium debere iterum subjici clavibus, si deprehendatur ut certum. II. Sicut qui confitetur decies circiter peccasse si deprehendat peccasse undecies, non debet iterum confiteri peccatum undecimum. III. In praxi tamen opposita sententia videtur amplectenda. IV. Diversum quippe formatur judicium de peccato dubio, ac de certo. V. Plura notantur pro scrupulosis circa peccata dubia. VI. Qui fatetur decies circiter peccasse,

per ly circiter universim quinam numerus denotetur.

ARTICULUS IV. 19

De Peccato pure putato.

I. Quamvis peccatum pure putatum sit materia necessaria Confessionis; dubitatur tamen, an sit materia sufficiens, ut gratia conferatur. II. Multis arridet sententia negativa. III Sed benignior affirmativa est valde probabilis. IV. Hinc plura ad praxim deducuntur. Cum eadem sit ratio de peccato pure putato, ac de peccato dubio, si revera non fuerit commissum, ideo in confessione prȩter peccata dubia, addendum est aliquod certum.

ARTICULUS V. 21

De Peccatis alias confessis.

I. Videntur peccata rite confessa, & absoluta non esse amplius materia sufficiens Confessionis. II. Sed communissime oppositum docent. III. Quomodo forma absolutoria in hoc casu non sit falsa? IV. Num possit peccata isthæc esse materia necessaria, vel ex voto pœnitentis, vel ex statu Superioris? V. Num possit Ecclesia præcipere Confessionem de venialibus? VI. Quandonam Pœnitens teneatur respondere, si a confessario interrogetur de peccatis alias confessis? VII. Utrum possint reticere aliqua peccata alias confessa, qui dicit confessario velle generalem confessionem instituere? VIII. Utrum in generali confessione explicari debeat, quænam sint mortalia post ultimam confessionem commissa?

ARTICULUS VI. 23

De Peccatis Venialibus.

I. Venialia sunt materia sufficiens, licet non necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. II. Quomodo possint remitti in hoc Sacramento, quamvis non possint retineri? III. Non satis est, peccata venialia in genere explicare, nulla explicata specie peccatorum, nisi in casu necessitatis. IV. Imperfectiones, quæ non pertingunt ad veniale, laudabilititer exponuntur, sed non sunt materia sufficiens hujus Sacramenti.

QUÆSTIO III. 24

De prima parte materiæ proximȩ hujus Sacramenti, quæ est dolor.

ARTICULUS I. ib.

De Contritione perfecta.

I. Perfecta contritio quid sit? II. Num debeat contritio amorem Dei includere, ut justificet? III. An possit justificare contritio concepta ex alio motivo a Charitate, dummodo aliquod Attributum divinum attingat immediate? IV. Num justificet amor Dei super omnia, includens solum virtualiter dolorem peccatorum? V. Num contritio justificans debeat esse dolor singulorum peccatorum in individuo. VI. An peccator post peccatum commissum debeat statim conteri? VII. Quandiu possit peccator citra novam culpam contritionem differre? VIII. Num teneatur ad contritionem, antequam annus elabatur qui toto anno non habuit copiam Confessarii?

ARTICULUS II. 30

De Attritione Supernaturali.

I. Quodnam debeat esse motivum Attritionis supernaturalis? II. Num possit esse Supernaturalis attritio, si moveatur ex motivo pœnarum temporalium? III. Num sufficiat in Sacramento Attritio naturalis, vel quæ sit putata supernaturalis? IV. Quomodo possit dici actus honestus Attritio, quæ sit detestatio culpæ ex motivo pœnarum? V. Qui odit culpam propter pœnam, nonne magis odit pȩnam, quam culpam? VI. Num attritio ex motivo gehennæ sit peccati detestatio super omnia? VII. Certumne sit Attritionem cum Sacramento pœnitentiæ justificare? VIII. Utrum in articulo mortis Confessioni præmitti debeat Contritio? IX Ex eo, quod in Sacramentis conferendis non liceat sequi opinionem probabilem de eorum valore, omissa tutiore, non sequitur debere confessioni præmitti contritionem. Nec sequitur quod non possit conferri absolutio cum jurisdictione solum probabili. X. Quonam pacto dicatur homo in Sacramento ex Attrito fieri Contritus?

ARTICULUS III. 36

De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

I. Non sufficit in Sacramento dolor virtualis inclusus aut in amore Dei aut in proposito non peccandi de cȩtero. II. Nec sufficit in confessione venialium mera non complacentia de illis cum animo suscipiendi Sacramentum. III. Non est tamen mortale non dolere de singulis venialibus quȩ subjiciuntur clavibus. IV. Num dolor debeat aut confessionem, aut saltem absolutionem præire; Num dolor elici debeat ex intentione suscipiendi Sacramentum? VI. Quamdiu possit dolor confessionem prȩire? VII. Qualiter dolor de venialibus revocetur? VIII. Num possit sine novo dolore absolutio iterari? IX. Nequit Superior, auditis solis reservatis, Sacramentaliter absolvere. X. Probabilius videtur quod dari possit Pœnitentiæ Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris illimitati. XI. Non tamen ex variis aliis capitibus olim admissis ab Auctoribus. XII. Ex quibus omnibus plura inferuntur.

ARTICULUS IV. 43

De proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

I. Quando dolor procedit ex motivo particulari, non sufficit propositum virtuale in eo dolore inclusum. II. Moraliter loquendo dolor formalis de culpis præteritis non sejungitur a formali proposito non peccandi in posterum. III. In Confessione venialium quodnam propositum requiritur? IV. Triplex datur discrimen inter propositum requisitum in confessione mortalium, ac in venialium confessione. V. Quænam dicatur occasio proxima peccandi, de qua vitanda tenemur habere propositum? VI. Quid si vitari non possit absque gravi incommodo? VII. Quonam

pacto occaſio de ſe proxima, quæ phyſice vitari non poteſt, evadere poſſit remota? viii. Recenſentur proſcriptæ theſes circa proximas occaſiones vitandas. ix. Quandonam occaſio proxima cenſetur voluntaria, quando involuntaria? x. Etiam occaſio proxima peccandi dubia fugienda eſt. xi. Num confeſſioni prꝫter dolorem, & propoſitum, præmitti debeant actus Fidei, & Spei? xii. De quibus myſteriis fides prærequiratur ad Sacramentum ſuſcipiendum? xiii. Non ſatis eſt Trinitatis, & Incarnationis myſteria crediſſe, ita ut eorum deinde detur oblivio.

QUÆSTIO IV. 48

De Confeſſione Sacramentali.

ARTICULUS I. *ibid.*

An confeſſio ſit neceſſaria neceſſitate medii?

i. Quidnam dicatur neceſſarium neceſſitate medii, quid vero neceſſitate præcepti? ii. Num Confeſſio neceſſitate medii ſit neceſſaria, ſaltem in voto? iii. Votum pęnitentiæ implicitum in contritione incluſum ſufficit ad juſtificationem. iv. Diverſimode ad ſalutem requiritur votum Pœnitentię, & votum reſtitutionis.

ARTICULUS II. 49

Quomodo Confeſſio Sacramentalis ſit neceſſaria neceſſitate pręcepti divini?

i. Jure divino poſitivo pręcepta nobis eſt Confeſſio. ii. Hoc præcepto ligantur omnes, & ſoli Fideles poſt lapſum: præceptum vero Communionis etiam Infideles ligat, ita ut etiam vi hujus pręcepti debeant baptizari. iii. Quandonam obliget pręceptum divinum Confeſſionis. iv. Quomodo Medici monere debeant infirmum de confeſſione facienda?

ARTICULUS III. 50

De pręcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis.

i. Sub quibus pęnis Eccleſia confeſſionem quotannis præcipiat? Num Eccleſia ad Confeſſionem annuam obliget eos qui mortaliter non delinquerunt? iii. Num ſaltem iſti præſentare ſe debeant Parocho? iv. Quomodo relate ad hanc obligationem annus computandus ſit? Qui aliquo anno Confeſſionem omiſit, ad quid deinde teneatur? vi. An teneatur prævenire, qui prævidet defuturam copiam Confeſſarii? vii. præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis obligantur etiam Heretici, Excommunicati, Meretrices, Pueri, dummodo ſint doli capaces. viii. Impuberes non incurrunt pęnas latas contra hujus præcepti trangreſſores. ix. Pęnę iſtæ quænam ſint? Et an ipſo facto incurrantur? An etiam ab eo, qui ficte confitetur? x. Num teneamur confiteri aut per Interpretem, aut per Scripturam, ſi aliter non poſſimus? xi. Quibus de cauſis a Confeſſione annua excuſari poſſimus?

ARTICULUS IV. 55

De quidditate, & conditionibus Confeſſionis Sacramentalis.

i. Quid veniat nomine Confeſſionis, quæ præcipitur? ii. Num poſſit pœnitens confiteri exhibendo papyrum, in qua ſcripta ſint omnia peccata commiſſa? iii. Sexdecim conditiones ab antiquis Theologis requiruntur, ut quis apte confiteatur. iv. Quodnam mendacium in confeſſione prolatum ſit mortale? v. Num ſit mortale, unum individuum peccati fateri pro alio ejuſdem ſpeciei?

QUÆSTIO V. 57

De integritate Confeſſionis.

ARTICULUS I. *ib.*

De diligentia examinis ad integritatem confeſſionis requiſita.

i. Quid ſit confeſſio materialiter, quid formaliter integra? ii. Non excuſatur ab integritate materiali confeſſionis, qui culpabiliter negligit examen diligens. iii. Unde dignoſci ſoleat, an examen fuerit diligens, necne? iv. Quandonam repetenda confeſſio, quæ ex defectu examinis diligentis non fuit materialiter integra? v. Num ſint audiendi Ruſtici, qui ſine previo examine ad confeſſionem accedunt?

ARTICULUS II. 58

De Integritate Confeſſionis quoad circumſtantias peccati.

i. Explicandæ ſunt in confeſſione etiam circumſtantiæ morales peccatorum, quæ ſunt ſeptem celebri verſiculo comprehenſæ. ii. Singulæ iſtæ circumſtantiæ ſeorſim exponuntur. iii. Circumſtantiæ morales mutantes peccati ſpeciem in confeſſione aperiendæ quænam ſint. iv. Quid ſi aut Pœnitens, aut Confeſſarius ignoret has circumſtantias diſcernere? v. Num debeat ſemper circumſtantia mutans ſpeciem per modum circumſtantiæ aperiri? An poſſit etiam per modum novi peccati? vi. Probabiliter non datur obligatio aperiendi circumſtantias aggravantes culpam notabiliter, ſi ſpeciem non mutant. vii. Tenetur Pœnitens reſpondere, ſi de quantitate furti interrogetur a Confeſſario. viii. Nec datur obligatio confitendi circumſtantias minuentes, niſi quando peccatum ratione talis circumſtantiæ ad aliam ſpeciem transferatur, aut de mortali evadat veniale. ix. Explicatur, quando actus plurium præceptorum violativus contineat in ſe plures ſpecie malitias in Confeſſione aperiendas.

ARTICULUS III. 62

Expenduntur ſpecialia dubia circa ſingulas circumſtantias.

Et primo

De Circumſtantia Quis.

i. Circumſtantia *Quis* denotat qualitates, & conditio-

ditiones Pœnitentis. II. Num sit explicandum; quod votum castitatis, quo ligatur Pœnitens, sit simplex, an solemne? III. Votum castitatis, aut conjugium, &c. personæ, cum qua Pœnitens contra talem virtutem peccavit, explicandum est. IV. Explicandum etiam est votum castitatis ab eo, qui alios inducit ad fornicandum, aut qui morose delectatur carnaliter; necnon conjugium ab eo, qui delectatur de copula illicita. V. Sponsus, & Sponsa num teneantur hanc circumstantiam explicare, si carnaliter peccent? Quid de Eunucho, aut impotente? VI. Quinam gradus conjunctionis explicandus est ab incestuoso?

ARTICULUS IV. 64

De Circumstantia, Quid.

I. Tum materia peccati, tum etiam sæpe quantitas, & qualitas ad hanc circumstantiam spectant. II. Num explicanda sit circumstantia personæ, circa quam, in delectatione morosa; sicut procul dubio explicanda est in desiderio? III. Quid de delectatione morosa circa carnis comestionem tempore prohibito? Quid de desideriis conditionatis sub conditione, qua tolleretur malitia ab objecto? IV. Num in turpi locutione explicanda sit circumstantia objecti? Aut in jactantia circumstantia peccati, de quo quis gloriatur? Aut pariter in pravo consilio? V. Num explicandum sit in blasphemia, si fuerit contra Deum, aut contra Beatam Virginem, aut contra Sanctos? VI. Specie differt violatio voti, ac violatio juramenti; sed in violatione votorum, aut juramentorum non est explicanda materia circa quam. VII. Mala, quæ quis optat proximo, quem odit, probabiliter non sunt aperienda, secus vero, si ea velit inferre. VIII. In injuriis explicandæ unt personæ, quibus diversus honor debetur. IX. In peccato bestialitatis non est explicanda species animalis; At in Sodomia quid explicandum? X. Solicitans ad peccandum num debeat explicare, quod primus alium invitaverit, quando peccatum est ab utroque commissum?

ARTICULUS V. 66

De aliis circumstantiis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

I. Circumstantia loci Sacri explicanda in furto; in effusione sanguinis; in effusione publica seminis; ac in violatione Ecclesiasticæ immunitatis. II. In quonam sensu furtum est sacrilegum, non solum tollendo Sacrum de Sacro, & Sacrum de non Sacro, sed etiam non Sacrum de Sacro, ita ut loci Sacri circumstantia sit explicanda? III. Quid requiritur, ut effusio sanguinis in loco Sacro sit sacrilega, & contra reverentiam loco Sacro debitam? IV. Quid pariter, ut sit sacrilega seminis effusio in loco Sacro? Num sacrilegi sint aspectus turpes, tactus, & confabulationes similes in Ecclesia? V. Num debeat explicari peccatum, ad quod quis pravo suo exemplo proximum induxit? VI. Finis operis malus explicandus est; etenim qui furatur ad adulterandum, magis est adulter, quam fur. VII. Num tactus, & oscula copulam subsequentia explicanda sint? VIII. Quinam peccati modus novam peccati speciem trahat in confessione aperiendam? IX. Quomodo actus moraliter interrumpantur, & tamquam nova peccata aperienda sint? X. Num debeat aperiri, quod quis se exposuerit periculo peccandi, qui deinde peccat? XI Aperiendane sit in confessione consuetudo peccandi? XII. Peccata scienter commissa non differunt specie a commissis ex ignorantia invincibili; esto propter ista non incurratur reservatio, aut censura illis annexa. XIII. Contemptus gravis Superioris præter inobedientiam explicandus est. XIV. Num sit speciale peccatum peccare statim post communionem? Num peccet toties, quoties comedit carnes, qui vovit jejunium?

ARTICULUS VI. 70

De integritate Confessionis quoad numerum peccatorum.

I. Quonam pacto singula peccata in confessione explicanda sunt? II. Quomodo explicandus est numerus peccatorum internorum; quando nil certi, aut probabilis deprehendi potest; III. Quid, si post præmissum sufficiens examen fiat confessio, ac deinde distinctior peccatorum numerus advertatur? IV. Undenam desumatur unitas, vel pluralitas peccatorum? V. Quomodo moraliter interrumpantur actus tum interni tum externi? VI. Num sit multiplex peccatum plures confessiones audire successive, aut plures communicare in statu peccati mortalis? VII. Qui die Nativitatis Domini tres missas celebrat in mortali, tria sacrilegia committit. VIII. Non peccat die jejunii, qui absoluta cœna cum animo non amplius comedendi, mutata voluntate, paulo post pergit comedere. IX. Probabiliter unum numero peccatum committit, qui uno actu decem homines occidit; quamvis in eo actu decem homicidii malitiæ contineantur. X. Universim ex multiplicitate numerica objectorum multiplicatur quidem numerice malitia in eodem actu, sed non multiplicatur numerus peccatorum in confessione explicandus. XI. Qui ter fornicatus est, debetne explicare, num cum eadem persona, an cum tribus?

ARTICULUS VII.

De causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.

I. Ex parte pœnitentis quænam causę excusent a materiali integritate Confessionis? II. Quęnam vero ex parte Confessarii? III. Num cessantibus deinde hisce causis excusantibus, teneatur pœnitens statim integre confiteri? IV. Non requiritur in confessione contritio, quando ex causa dimidiatur. V. Probabilius licitum est revelare complicem, quando aliter peccatum exponi non potest: sicut etiam personam, quæ est objectum proprii peccati. VI. Qui habet reservata simul, & non reservata, non potest sine gravi causa sacramentaliter absolvi a solis reservatis a superiore; & pro aliis ad inferiorem remitti; sed potest a superiore tolli reservatio, ut integra fiat inferiori Confessio. VII. Urgente necessitate potest hic aperiendo reservata simul, & non reservata Inferiori absolvi ab his directe, ab illis indirecte, & cum onere; Probabiliter etiam potest in hoc casu aut sola non reservata Inferiori aperire, aut cum sola contritione ad communionem accedere. VIII. Num possit pariter habens venialia, & mortalia a simplici Sacerdo-

cerdote absolvi indirecte a mortalibus, si necessitas communionis urgeat, & desit Confessor. IX. Etiamsi reservata habeant annexam excommunicationem, adhuc possunt indirecte ab inferiori absolvi, tum si urgeat necessitas communionis, tum si aliter diu pœnitens carere deberet remedio confessionis. X. Excommunicatio non tollit, quominus in hoc casu valide conferatur Sacramentum Pœnitentiæ, supplente Ecclesia jurisdictionem.

ARTICULUS VIII. 83

De Confessione Moribundi.

I. Absolvi potest moribundus, etiamsi non possit speciem ullam peccati explicare; remanet tamen in illo onus iterum confitendi, si convalescat. II. Potest etiam sub conditione absolvi, si det signa doloris, etiamsi non postulet Absolutionem. III Idque verum videtur, etiamsi signa sint dubia. IV. Prudenter in tali casu præsumitur, quod ea signa ordinentur ad Confessionem. V. Num, & quoties possit iterari similis Absolutio sub conditione, quando moribundus est sensibus destitutus? VI. Si absolutio conferatur ex opinione probabili, quod signa illa ad Confessionem ordinentur, conferri potest absolute; secus vero conferenda est sub conditione saltem mente concepta, si de eo dubitetur.

ARTICULUS IX. 85

Quando, & quomodo repetenda sit Confessio.

I. Confessio, sive fuerit invalida ex parte Pœnitentis, sive ex parte Confessarii, repetenda est. II. Num singula mortalia distincte recolenda sint, quando repetitur confessio invalida? III. Quid si confessarius excommunicatione innodatus absolverit? IV. Quid si absolverit a reservatis carens facultate absolvendi ab illis? V. Si dubites prudenter, quod ille semidormiens aliquod mortale audierit, teneris illud repetere. VI. Si certum sit, Confessarium plures Confessiones semidormiendo audivisse, & dubites, an sic audiverit tuam, non teneris illam repetere, si non prudenter de hoc dubites. VII. Si scias, Parochum pluries sine intentione debita Baptismum contulisse, quid tibi faciendum, si dubites, an tali pacto fueris baptizatus?

QUÆSTIO VI. 87

De Satisfactione.

ARTICULUS I. *ibid.*

De Pœnitentia a Confessario injungenda.

I. Quibus de causis possit Confessarius aut nullam, aut levem pœnitentiam injungere? II. Num possit pœnitentia solum sub consilio injungi? III. Pœnitentia gravis pro venialibus imposita sub gravi ne, an sub levi executioni mandanda est? IV. Injungi pro pœnitentia possunt etiam actus interni, ac opera præcepta, necnon opus pro defunctis, aut per alium ponendum. V. Num possit post absolutionem Pœnitentia imponi?

ARTICULUS II. 90

De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.

I. Num possit pœnitens recusare pœnitentiam, ut illam in Purgatorio luat? II. Quamdiu possit pęnitens impositam pęnitentiam differre? III. Poteritne pœnitentia executioni mandari, dum aliud præceptum impletur? IV. An etiam sub mortali teneatur pœnitens exequi circumstantias pœnitentiæ impositas? V. Num a substantia pęnitentiæ impositæ deobligetur pęnitens quando est impotens ad circumstantias? VI. Ad quid tenetur pęnitens si pęnitentiæ obliviscatur? VII. Num posit aliquando pęnitens per alium implere penitentiam impositam?

ARTICULUS III. 92

De Commutatione Pęnitentiæ.

I. Num liceat pęnitenti impositam pęnitentiam in graviorem commutare? II. Utrum deobligetur a pęnitentia imposita, qui plenariam indulgentiam lucratur? III. Num posit secundus confessarius non auditis peccatis penitentis commutare in lucrationem indulgentiæ plenariæ pęnitentiam a primo confessario impositam? IV. Poterit aliquando solum ratione Epichejæ pęnitens sibimet pęnitentiam commutare. V. Idem confessarius, qui pœnitentiam imposuit, potest illam extra confessionem commutare. Alter vero confessarius non nisi intra Confessionem: Et probabiliter cum sola confusa notitia peccatorum, pro quibus ea fuit imposita. VI. Non solum confessor æqualis, sed etiam inferior commutare potest pęnitentiam a superiore impositam pro reservatis, VII. Non potest tamen simplex Sacerdos commutare pęnitentiam a confessario impositam pro mortalibus.

QUÆSTIO VII. 95

De Forma Sacramenti Pęnitentiæ, quæ est Absolutio.

ARTICULUS I. ib.

Quænam sit forma absolutionis?

I. Invalida est absolutio, nisi forma absolutoria ore proferatur. II. Omnia Sacramenta voce humana conferri debent, circumscripto Matrimonio, quod sequitur naturam contractus. III. Quęnam verba essentialiter ad absolutionem spectent? IV. Forma absolutoria non potest esse mutila; potest tamen esse æquivoca, & a circumstantiis ad sensum debitum determinari. V. Nequit forma in hoc Sacramento deprecatorio modo conferri, ut in Extrema Unctione: valide tamen, sed illicite conferretur absolutio per hæc verba, Absolvatur Servus Christi. VI. Quinam sit germanus sensus formæ absolutoriæ? VII. Num gratia conferatur post illa verba, Absolvo te, an vero post illa alia, A peccatis tuis?

ARTICULUS II. 97

Quandonam conferri possit absolutio sub conditione, aut differri?

I. Valida est, sed regulariter illicita absolutio sub conditione de præterito, aut de præsenti. II. At sub conditione de futuro est invalida. III. Cur possit Matrimonium celebrari sub conditione de futuro, quin suspendatur effectus Sacramenti? Et cur solum Matrimonium, urgente gravi metu, simulari possit

sit

sit? iv. Quibus de causis possit aliquando, aut debeat absolutio differri? v. Peccatori publico qualiter differenda sit absolutio? vi. Num debeat Confessarius accommodare se opinioni probabili pœnitentis; quamvis ipse tali opinioni non adhæreat?

ARTICULUS III. 99

Expediuntur reliqua ad absolutionem spectantia.

i. Num sit valida absolutio a peccatis, non præmissa absolutione a censuris, quibus Penitens est innodatus. ii. In quibus differat absolutio a peccatis ab absolutione a censuris? iii. In quanam distantia possit penitens absolvi; præsertim, si ante absolutionem discedat? iv. Num possit absolvi, qui a longe petit absolutionem? v. Quid, si confessario innotescat, moribundum in aliqua domo clausum absolutionem postulare?

QUÆSTIO VIII. 100

De Ministro Sacramenti Penitentiæ.

ARTICULUS I. ib.

De Jurisdictione ordinaria, ac delegata Confessarii.

i. In articulo mortis, deficiente Sacerdote, laudabiliter confessio fit Laico, non tamen Sacramentalis; & dubitatur an iste possit a Censuris tunc absolvere. ii. Jurisdictio essentialiter requisita absolvendum quid importat? iii. Per potestatem Ordinis Sacerdotes non fiunt judices in hoc Sacramento, sed solum eligi possunt in Judices. iv. Quibusnam competit jurisdictio Ordinaria, quibus vero delegata? v. Regularis in una diecesi approbatus num possit in alia diecesi audire confessiones subditorum Episcopo, a quo fuit approbatus? vi. Jurisdictio in venialia num competat cuivis Sacerdoti? Et unde? vii. Universim illicita est, sed non invalida Confessio venialium facta simplici Sacerdoti. Huic tamen venialia confiteri possunt Religiosi Societatis Jesu ex declaratione P. Mutii Generalis; quod tamen P. Claudius dissuadet. viii. Quibusnam competit eligere sibi simplicem Sacerdotem in Confessarium? ix. Qui delegatam, aut ordinariam habet jurisdictionem, potestne illa uti extra propriam diecesim? x. Peregrini Sacramenta Confessionis, & Communionis recipiunt, ubi commorantur. Sed quid si incidant in reservata? xi. Limitari potest jurisdictio ad personas, ad casus, ad tempus, ad locum. xii. Jurisdictio delegata non expirat per mortem, aut excommunicationem delegantis. xiii. Num possit delegatus pro casu occurrenti subdelegare? xiv. Non delegatur jurisdictio per ratihabitionem de futuro, aut de præsenti, nullo externo signo manifestata. xv. At probabiliter delegatur, si ratihabitio de præsenti manifestetur signo externo. xvi. Error communis est in causa, cur ab Ecclesia jurisdictio conferatur etiamsi desit titulus coloratus.

ARTICULUS II. 105

De Jurisdictione dubia, probabili, & in articulo mortis.

i. Cum jurisdictione negative dubia non licet absolutionem impendere. ii. Licitum tamen est illam impendere cum jurisdictione probabili, supplente Ecclesia jurisdictionem, si forte desit. iii. Habens jurisdictionem in mortalia penitentis, si negative dubitet, an aliquod mortale sit reservatum, licite ab illo absolvit. iv. Jurisdictio, quæ datur cuivis Sacerdoti pro mortis articulo, datur etiam pro periculo mortis. Et quinam dicantur, in tali periculo versari? v. Probabiliter simplici Sacerdoti confertur jurisdictio, etiam præsente Parocho. vi. Absotutio a peccatis reservatis in mortis sive articulo, sive periculo confertur sine onere; secus vero absolutio a censuris reservatis; si tamen penitens sit denunciatus; & careat impedimento perpetuo adeundi Superiorem.

ARTICULUS III. 109

De Approbatione in Confessario requisita.

i. Solum ad audiendum Confessionem Secularium requiritur aut Approbatio ab Episcopo, aut Parochiale Beneficium in Confessario. Potestne Parochus jurisdictionem erga suas oves delegare alteri Parocho, ac Sacerdotibus ab Episcopo proprio alibi approbatis. ii. In quo differat Approbatio a Jurisdictione? iii. Jurisdictio dari debet ab Episcopo, vel Parocho, cui est subditus pœnitens; Approbatio vero datur ab Episcopo Confessarii. iv. Episcopus potest aliquem ad examen non admittere, non tamen potest illum non approbare, si admiserit, & sit idoneus. v. Regulares ab Episcopo approbati, ut valide absolvant, non indigent facultate proprii Prelati.

ARTICULUS IV. 117

De Prudentia, Probitate, & Scientia in Confessario requisita.

i. Minister hujus Sacramenti debet in statu gratiæ illud administrare, nisi urgens necessitas id non permittat. ii. Prudentia pariter in eo requiritur propria Judicis, ac Medici Spiritualis; Ac scientia consentanea. iii. Quenam præcipue scienda sunt a Confessario ad licite absolvendum? iv. Quid, si dubitet, an preditus sit scientia debita? v. Qui advertit, Confessarium esse insufficientem ad ferendum judicium Sacramentale super peccatis expositis, debet confessionem apud doctiorem repetere. vi. Debet Confessarium saltem scire dubitare, ita ut possit in rebus difficilioribus Auctores, vel doctos consulere.

ARTICULUS V. 117

De Obligationibus Confessarii in ipsa Sacramenti administratione.

i. Quomodo Confessarius interrogare sæpe debeat Pœnitentem? ii. Quid faciat confessarius, si advertat, peccatum aliquod a penitente in confessione omitti sive invincibiliter, sive ex erubescentia? iii. De quibus debeat Confessarius Pœnitentem instruere? iv. Quandonam teneatur ignorantiam Pœnitentis Confessarius amovere? v. Quid si Confessarius dubitet, an sit profutura Pœnitenti Notitia veritatis? vi. Num possit aliquando Confessarius ad peccatum materiale penitentem obligare, puta, ad reddendum debitum conjugi putatæ? vii. Quandonam Confessarius monere debet penitentem, ut Sanctæ

Inquisitioni denunciet Confessarium, a quo sollicitata fuit. VIII. Quænam excusent a denunciatione facienda? IX. Num teneatur Confessarius aliquando onera pęnitentis subire? X. Quid faciat Confessarius, si erravit in absolvendo sive circa valorem Sacramenti, sive circa damnum tertii, sive circa materialem integritatem Confessionis? XI. Quandonam obligatur Confessarius audire Confessiones Pœnitentium?

QUÆSTIO IX. 126

De casibus reservatis.

ARTICULUS I. ib.

Quinam possint reservare Casus?

I. In quibusnam resideat potestas reservandi casus? Superiores Regulares qualiter possint illos reservare? II. Parochus etiam potest reservare casus; Sicut Episcopus relate ad Parochos, III. Reservato peccato, cui est annexa censura, tam peccatum, quam censura immediate reservantur; & simul deinde tollitur utrumque; Qui vero ratione ignorantiæ invincibilis censuræ, illam non incurrit, nec incurrit reservationem peccati; idque etiam in casibus Episcopalibus. IV. Reservatio casuum Episcopalium synodalium cessat, si non exprimantur in Tabella. V. Episcopo mortuo, vel amoto, cessat reservatio casuum Episcopalium, non vero synodalium. VI. Valida, & illicita est reservatio casuum facta ab Episcopo sine rationabili causa. Sed num etiam relate ad Parochos? VII. Non potest Prelatus Regularis sine consensu Capituli aliquid graviter prohibere sub pęna excommunicationis sibi reservatæ.

ARTICULUS II. 128

Quænam peccata cadant sub reservationem?

I. Non constat inter Doctores, num possint reservari venialia, ac mortalia alias remissa. Peccata vero pure interna non solent reservari. II. Quando casus reservatur, peccatum externum debet esse consummatum, & de se grave; Unde percussio Clerici si sit simpliciter levis, quamvis cum culpa gravi, non est reservata; Est solum reservata Episcopo percussio, quæ sit levis comparata cum enormi. III. Casus reservatus, effectu secuto, non incurritur ab eo qui confitetur, antequam effectus sequatur. IV. In dubio, an peccatum fuerit mortale, seu an includatur in lege reservante, reservatio non incurritur; Quod si in tali dubio quis sit absolutus, non debet iterum a Superiore absolvi, si deinde deprehendat casum esse reservatum. V. Quid si idem peccatum cum censura a diversis superioribus reservetur? VI. Episcopis peccata nonnulla reservantur jure communi; Alia ex consuetudine; Alia vero per statuta Episcopalia. VII. Quid requiritur, ut casus Papalis dicatur occultus, & idcirco Episcopo reservatus? Et quid de occultis Bullæ Cęnæ? VIII. Quinam dicantur perpetuo impediti adire Pontificem, ut eatenus possint a Casibus Papalibus per Episcopum absolvi sine onere? IX. Num sicut impeditus adire Pontificem potest absolvi ab Episcopo; ita impeditus adire Episcopum possit ab Inferiore absolvi? X. Probabiliter impeditis adire Pontificem non imponitur ab Episcopo onus adeundi illum cessante impedimento temporali, nisi casus sit reservatus cum censura: Quid si ab inferiore detur absolutio? In articulo mortis onus hoc imponitur solum, si excommunicatus sit denunciatus.

ARTICULUS III. 132

De iis, qui subjacent reservationi.

I. Impuberes probabiliter reservationi, & excommunicationi non subjacent, nisi exprimantur. II. Probabiliter etiam ignorantes reservationem pęnalem illam non incurrunt. III. Ignorantia reservationis est solum in causa, cur reservatio non incurratur; sicut dicitur de ignorantia excommunicationis, aut si de reservatione dubitetur. IV. Num peregrini absolvi possint a reservatis suæ patriæ, si non sint simul reservata in dięcesi, in qua versantur? V. Num peccata reservata in dięcesi absolvi possint a quolibet confessario, si fuerint commissa in Monasterio exempto?

ARTICULUS IV. 135

Quinam possint absolvere a reservatis, & quomodo?

I. Num jurisdictio ordinaria in reservata competat Pęnitentiario Cathedralis, aut Parocho? II. Quinam possint eligere sibi Confessarium, per quem a reservatis absolvantur? III. Nequit Superior Sacramentaliter absolvere a solis reservatis. IV. Qui confitetur Superiori, & obliviscitur alicujus reservati, potest deinde ab hoc absolvi a quocumque Confessario. V. Si quis Jubilæi tempore invalide confitetur, poteritne deinde pariter absolvi a reservatis? VI. Quandonam tenetur Superior facultatem concedere subdito, ut a reservatis absolvatur? VII. Quandonam possit Regularis, petita, & non obtenta facultate a reservatis absolvi? VIII. Num possit directe a reservatis absolvi pœnitens, si injuste facultas a Superiore denegetur? IX. Quomodo Confessarius hanc facultatem petere debeat, ut possit ea pro se ipso uti? X. Si petatur facultas absolvendi Titium a reservatis pro hac vice, poteritne hic absolvi a reservatis commissis post licentiam obtentam?

QUÆSTIO X. 140

De Sigillo Confessionis.

ARTICULUS I. *ibid.*

De Obligatione Sigilli Sacramentalis.

I. Ex omni, & sola confessione Sacramentali oritur obligatio hujus sigilli. II. Si quis ad Confessarium accedit, sed non animo confitendi Sacramentaliter, non inducitur isthæc obligatio; Sicut neque quando error est juris, non facti. III. Etiam confessio, quæ per accidens non ordinatur ad absolutionem, trahit obligationem sigilli. IV. Sigilli violator

lator tria peccata committit, contra justitiam, contra fidelitatem, & contra reverentiam Sacramento debitam, ratione cujus non datur in eo materiæ parvitas. v. Orbe universo periclitante sigillum frangi non potest. vi. Quænam sint pœnæ impositæ adversus violatorem Sigilli?

ARTICULUS II. 142

De Materia Sigilli Sacramentalis.

i. Sub Sigillum cadunt quæcumque in confessione audiuntur, ita ut odiosam redderent confessionem, si revelarentur. ii. Num etiam virtutes pœnitentis, aut revelationes, & alia hujusmodi sub sigillum cadant? iii. Etiam peccata complicis, & quæ sunt objectum proprii peccati, cadunt sub sigillum? Probabiliter tamen hęc de consensu pœnitentis aliquando revelari possunt. iv. Cadit pariter sub sigillum id, de quo dubitas, an in confessione audieris; & quod pęnitens confitetur, putando esse peccatum. v. Num cadant sub sigillum defectus pęnitentis, qui videntur potius quam audiuntur in confessione? vi. Quomodo se gerat Confessarius, si interrogetur, an absolverit publicam aliquam meretricem? & an possit dare illi schedulam Confessionis? vii. Quandonam sigillum violat; qui de auditis in confessione loquitur nullam personam nominando?

ARTICULUS III. 144

Quosnam obliget Sigillum?

i. Omnes, ad quos quomodocumque pervenit notitia confessionis Sacramentalis, hoc sigillo ligantur. ii. Num etiam ille, cui confessarius de licentia Pęnitentis peccatum revelavit? iii. Num pariter is, qui chartam reperit, in qua est scripta confessio? iv. An teneatur Superior ad sigillum, quando ab eo petitur extra confessionem facultas, ut possit quis a reservatis absolvi? v. Quid de Consiliario, a quo petitur consilium in ordine ad confessionem?

ARTICULUS IV. 145

An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?

i. Usum talis notitiæ in ordine ad externam gubernationem olim vetuit Clem. VIII.; & prius Nostris vetuerat P. Claudius; ac demum Innoc. XI. thesim hac de re loquentem damnavit. ii. Quinam usus notitiæ ex confessione acquisitæ sit licitus? iii. Illicitus est universim usus ille, qui reddit confessionem odiosam, atque adeo est cum gravamine pęnitentis. iv. Quid si mors immineat Confessario, nisi tali notitia utatur cum aliquali suspicione, quod ex confessione ea sit acquisita? v. Explicatur triplex genus actionum, quas potest Confessarius exercere vi notitiæ habitæ in confessione cum gravamine pęnitentis. vi. Illicitæ sunt actiones, quæ inferunt pęnitenti gravamen quodcumque; esto multo majus levamen ex iis habeat. vii. Confessarius vocatus ad confessionem audiendam ab eo, a quo in præterita confessione scandalum passus est, num possit renuere? viii. Num possit Confessarius loqui cum pœnitente aliquando de auditis in confessione ad corrigendum aliquem errorem in ea commissum, petita, & non obtenta ab illo facultate loquendi?

QUÆSTIO XI. 148

De Indulgentiis.

ARTICULUS I. ib.

Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

i. Quomodo thesaurus Ecclesiæ per Indulgentias distribuatur. ii. De Indulgentia Totali, & Partiali; necnon de Personali, Locali, & Reali. iii. Ad Localem Indulgentiam lucrandam quid requiritur? iv. Num possimus eadem die pro defunctis pluries plenariam Indulgentiam lucrari? v. Num diruta Ecclesia cesset Indulgentia eidem annexa? vi. Num requiratur physicus in Ecclesiam ingressus ad localem Indulgentiam lucrandam?

ARTICULUS II. 149

De Effectibus Indulgentiæ.

i. Num per Indulgentiam culpa venialis aliquando remittatur? ii. An qui lucratur Indulgentias, possit per illas eximi tum ab injunctis pœnitentiis, tum etiam ab aliis pœnis in Purgatorio luendis? iii. Quid si in Bulla exprimatur, Indulgentias concedi pro pęnis injunctis? iv. Citra Pontificis concessionem non possunt Indulgentię nobis concessæ pro defunctis applicari. v. Quid requiritur, ut Indulgentiæ defunctis prosint? vi. Etiam peccator potest Indulgentiam pro defunctis lucrari. vii. Num Indulgentiæ defunctis applicatæ prosint illis infallibiliter?

ARTICULUS III. 151

Quisnam possit Indulgentias concedere.

i. Datur discrimen inter Indulgentias, quas Pontifex largitur vivis, & eas, quas concedit pro defunctis. ii. Potestas clavium latius patet, quam potestas Jurisdictionis. iii Nequeunt Episcopi citra Pontificis concessionem Indulgentias elargiri. iv. Possunt vivis, utpote subditis, potestate ordinaria nonnullas Indulgentias concedere, non tamen applicabiles pro defunctis. v. Nequeunt Abbates, aut Parochi Indulgentias ullatenus concedere, nisi ex speciali concessione.

A R-

ARTICULUS IV. 152

Quænam cauſa requiratur ad legitimam Indulgentiarum conceſſionem?

I. Nequit ſine juſta cauſa Pontifex Indulgentias elargiri. II. Quænam reputetur cauſa juſta, & ſufficiens ad eas elargiendas? III. Cauſa hujus juſta non eſt a ſubditis penſitanda, ſed a concedente indulgentiam. IV. Opus injunctum quam proportionem habere debeat cum fine intento? V. Concedi poteſt Indulgentia, quin ullum opus præſcribatur ad eam lucrandam. VI. Qui tepide opus injunctum peragunt, non plenarie indulgentiam lucrantur.

ARTICULUS V. 153

De diſpoſitione ad Indulgentiam lucrandam requiſita.

I. Plura requiruntur in eo, qui Indulgentiam eſt lucraturus. II. Ultimum ex operibus injunctis debet poni in ſtatu gratiæ, etiamſi alia poſita fuerint in ſtatu peccati mortalis. III. Si quis pro alio indulgentiam lucretur, debet eſſe in ſtatu gratiæ, non is, qui ponit opera injuncta, ſed is cui indulgentia applicatur. IV. Probabiliter non requiritur confeſſio Sacramentalis; ſed ſufficit contritio perfecta, ad Indulgentiam lucrandam. V. Si indulgentia conferatur contritis, & confeſſis, ſufficit contritio imperfecta, ſeu attritio ad illam lucrandam.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quę in hoc Morali Opuſculo de Pęnitentia continentur.

Primus numerus Quæſtionem; Alter Articulum; Tertius numerum marginalem denotat.

A

Abſolvere num poſſit Neo-Presbyter ſtatim accepta poteſtate duntaxat conſecrandi. 1. 2. 3
Abſolvere quinam poſſit a reſervatis. V. Reſervata remittere.
Abſolutio non conſtituit adæquate Sacramentum Pęnitentiæ. 1. 1. 3. Nequit a Muto nutibus ſine verbis conferri. 1. 2. 5
Abſolutio a Cenſuris in multis differt ab abſolutione a peccatis. 7. 3. 2. Hæc in quanam diſtantia a pœnitente poſſit conferri? 7. 3. 4.
Abſolutio a peccatis, non præmiſſa cenſurarum abſolutione, quid operetur in pęnitente? 7. 3. 1
Abſolutio ſub conditione de præterito, aut de præſenti ſecundum ſe eſt valida, ſed illicita. 7. 2. 1 Quandonam liceat ſub conditione de præſenti? Ibid. Sub conditione tamen de futuro eſt invalida. 7. 2. 2. Quare non eſt pariter invalidum Sacramentum Matrimonii ſub tali conditione. 7. 2. 3.
Abſolutio quandonam poteſt, aut debet differri? 7. 2. 4. Quamdiu differri debeat publico peccatori? 7. 2. 5. Quid ſi detur opinionum varietas, ſive ex parte Confeſſarii, ſive ex parte pœnitentis? 7. 2. 6
Abſolutionis forma. V. Forma abſolutionis.
Actuum interruptio moralis, quæ peccata multiplicat, quomodo habeatur? 5. 5. 9
Actus interni pravi diu repetiti quomodo explicandi ſunt in Confeſſione? 5. 6. 2.
Actus externi pravi per denominationem ab internis in Confeſſione ex praxi Eccleſiæ explicandi. 5. 6 5
Actus, quo quis plura præcepta tranſgreditur, quandonam continet plures ſpecie malitias in confeſſione explicandas? 5. 2. 9
Amor Dei perfectiſſimus ad Sacramentum pœnitentiæ conſtituendum non ſufficit, niſi dolorem formalem de peccatis includat. 3. 3. 1.
Amor Dei virtualis incluſus in contritione num ſatis ſit ad juſtificandum impium extra Sacramentum. 3. 1. 2. Et num ſit ſatis ad hanc juſtificationem amor Dei formalis includens virtualiter contritionem? 4. 1. 4
Approbatio ad audiendas confeſſiones poteſt Sacerdoti conferri a Vicario Epiſcopi, qui non ſit Sacerdos. 8. 1. 4. A quonam Epiſcopo ea concedi poſſit? 8. 1. 5.
Approbatio facta ab Epiſcopo relate ad Confeſſiones ſæcularium pertinet ad validitatem Sacramenti. 8. 3. 1. Poſſunt tamen familiares, & continui commenſales Monaſteriorum ab eorundem Monaſteriorum Prælatis, & Confeſſariis abſolvi. ibid. Parochi, & omnes alii Beneficium curatum habentes non indigent hac approbatione; Indigent tamen illa Prælati Regulares. ibid. Sicut etiam Parochus, qui beneficium Parochiale dimiſit. ibid.
Approbatio in quonam diſcriminetur a juriſdictione? 8. 3. 2. Fieri debet approbatio ad Epiſcopo, cui Sacerdos ſaltem ratione loci eſt ſubditus; juriſdictio vero datur ab Epiſcopo, vel Parocho, cui eſt ſubditus pœnitens. 8. 3. 3. Regulares approbari debent ab Epiſcopo, in cujus diœceſi verſantur. ibid. Approbatio injuſte denegata non habetur pro conceſſa. 9. 4. 8. Revocatio autem approbationis abſolute, & illimitate conceſſæ, ſi fiat ſine rationabili cauſa ad confeſſionem pertinente, num ſit invalida? ibid.
Attritio in quo differat a contritione? 3. 1. 1
Attritionis ſupernaturalis motiva quænam ſint? 3. 2. 1. Num ea moveri poſſit ex metu pęnarum temporalium a Deo vindice inſligendarum? 3. 2. 2 Attritio putata ſupernaturalis ad Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum non ſufficit. 3. 2. 3. Quomodo ſit actus honeſtus attritio concepta ex metu gehennæ? 3. 2. 4. Attritio ex motivo pœnarum num ſit dolor de peccato ſuper omnia? 3. 2. 6. An ſaltem ſit deteſtatio peccati ſuper omnia attritio concepta ex motivo turpitudinis peccati? ibid.
Attritionem ſupernaturalem cum Sacramento Pœnitentiæ juſtificare num ſit moraliter certum, an duntaxat probabile? 3. 2. 7. Num attritio licite adhibeatur in Sacramento, omiſſa contritione tutiore? 3. 2. 8. Num etiam in articulo mortis ſufficiat attritio ad Sacramentum ſuſcipiendum? ibid. Num pariter quando ex juſta cauſa peccatum aliquod reticetur? 5. 7. 4. Debetne attritio aliqualem Dei amorem formalem includere? ibid. Attritio in quonam ſenſu evadit in Sacramento Contritio? 3. 2. 10

B

Baptiſmi Sacramento cur omnem pœnæ reatum deleat? 1. 2. 4. In multis differt a Sacramento Pœnitentiæ. 1. 2. 7
Baptiſmine, an Pœnitentiæ Sacramento deleri poteſt peccatum fictionis in inſtanti Baptiſmi commiſſum? 2. 1. 3
Baptizatus ſi dubitet, an ſit valide baptizatus, eo quod Parochus, a quo ſuſcepit Baptiſmum, aliquando in ebrietate, & ſine intentione debita baptizarit, quid teneatur facere? 5. 9. 6
Beneficiarius curatus non poteſt eatenus ſibi Sacerdotem non approbatum eligere ſibi in Confeſſarium. 8. 1. 8
Blaſphemiæ contra Deum, contra B. Virginem, & contra Sanctos num ſpecie differant. 5. 4. 5
Bonum majus quomodo poſſit honeſte ad bonum minus ordinari? 3. 2. 4
Bullæ Cœnæ caſus occulti num poſſint ab Epiſcopo abſolvi? 9. 2. 7

C

Cenfurarum abfolutione non præmiffa ad abfolutionem a peccatis, num pœnitens remaneat abfolutus? 7. 3. 1
Character imprimitur, fed originale non deletur per Baptifmum ficte fufceptum. 2. 1. 3
Circumftantiæ mutantes peccati fpeciem in confesfione aperiendæ. 5. 2. 1. Num poffint explicari per modum novi peccati? 5. 2. 5. Quid de circumftantiis aggravantibus? 5. 2. 6. Si de iftis Confeffarius interroget, tenetur pœnitens refpondere. 5. 2. 7
Circumftantia, Quis, denotat pœnitentis qualitates, quæ explicandæ funt, fi peccatum ad novam fpeciem transferant. 5. 3. 1. Conjugatus peccans cum conjugata utriufque conjugium debet explicare. 5. 2. 9. Sacerdos religiofus fatifne explicat peccatum contra caftitatem, dicendo, quod fit in facris, aut quod habeat votum caftitatis? 5. 3. 2 Quid fi perfona, cum qua peccat, habeat pariter votum caftitatis? 5. 3. 3. Num circumftantia fponfi, vel fponfæ explicanda fit? 5. 3. 5. Quid de gradibus in Inceftu? ibid.
Circumftantia, Quid, denotat peccati materiam; dubium tamen eft, an fit explicanda perfonæ qualitas, de qua quis morofe delectatur? 5. 4. 2. In defiderio pravo procul dubio ea explicanda eft. ibid. Quid dicendum de locutione turpi, aut de jactantia? Quid de confilio pravo? 4. 4. 4. Quid de blafphemiis, de Votis, Juramentis, Odio proximi, de Jejuniis, de Sodomia; de beftialitate, & fimilibus? ibid.
Circumftantia, Ubi, quandonam mutat fpeciem peccati? 5. 5. 1. Quandonam furtum eft facrilegum, fi res non facra de loco facro tollatur? 5. 5. 2. Quænam fanguinis, aut feminis effufio in Ecclefia fit facrilega? 5. 5. 3. Quid de tactibus, afpectibus, aut verbis impudicis in Ecclefia? ibid.
Circumftantia, Quibus auxiliis, denotat media ad peccandum adhibita. 5. 5. 5. Num debeat explicari fpecies peccati, ad quod proximus pravo exemplo inducitur? ibid. Num fi quis jejunium fregerit per carnium comeftionem? ibid.
Circumftantia, Cur, exprimit motivum finale. 5. 5. 6. Quid fi tactus impudici poft primam copulam non ordinentur ad fecundam? 5. 5. 7
Circumftantia, Quomodo, fignificat modum peccandi, qui poteft fpeciem diverfam in peccatum refundere. 5. 5. 8. Interruptio moralis actuum eft explicanda. ibid. Quomodo actus interrumpatur? 5. 5. 9. Confuetudo peccandi num debeat explicari? 5. 5. 11. Non differunt fpecie peccata fcienter commiffa a commiffis ex ignorantia culpabili; efto hæc non trahant pœnas illis annexas. 5. 5. 12. Qui cum contemptu gravi Superioris non obedit, debet id explicare. 5. 5. 13
Circumftantiæ, Quando, denotat peccati tempus. Quid fi quis peccet die fefto ftatim poft communionem? 5. 5. 14. Quid fi quis pluries carnes comedat diebus vetitis? ibid.
Clerici percuffio, fi fit levis non fimpliciter, fed comparata cum enormi, refervatur Epifcopo; fin dubitetur, an fit gravis, probabilius eft refervata Papæ. 9. 2. 4. Quandonam cenfetur effe levis? ib.
Complex peccati num fit in confeffione manifeftandus, ne mutiletur confeffio? 5. 7. 5.
Confeffarii fcientia, prudentia, ac probitas qualis effe debeat? 8. 4. 1.
Confeffarius debet prudentibus interrogationibus pœnitentem adjuvare. 8. 5. 1. Illumque inftruere 8. 5. 3. Quandonam debet illum in fua ignorantia invincibili relinquere? 8. 5. 4. Quid fi Berta accufet fe, quod conjugi putato debitum negarit, & interroget num ad id teneatur? 8. 5. 6. Quandonam tenetur monere pœnitentem, ut alium confeffarium folicitantem denunciet? 8. 5. 7 Quandonam tenetur onera pœnitentis fubire, five denunciandi, five reftituendi, five proximum corrigendi? 8. 5. 9.
Confeffarius, data varietate opinionum probabilium, quam illarum tenetur fequi? 7. 2. 6
Confeffarius quinam, quando, & quomodo poffit pœnitentiam commutare? 6. 3. 6
Confeffarius quandonam tenetur confeffiones audire. 8. 5. 11
Confeffarius, qui erravit aut circa valorem Sacramenti, aut circa reftitutionem a pœnitente faciendam, aut non interrogando fpeciem, aut numerum peccatorum, quomodo debeat errores corrigere? 8. 5. 10
Confeffio valida, & informis, dummodo non fit facrilega; ficut etiam communio informis, & non facrilega, probabiliter fufficiunt ad fatisfaciendum præcepto Ecclefiæ de confeffione annua, & communione Pafchali. 3. 3. 12
Confeffio venialium in genere, non explicando ullam fpeciem illorum, num liceat? 2. 6. 3.
Confeffio, ac contritio num prærequirantur ad indulgentiam lucrandam, fi ea concedatur contritis, & confeffis? 8. 5. 4
Confeffio quando fit repetenda. V. Repetere confeffionem.
Confeffio quandonam poffit dimidiari? V. Dimidiare Confeffionem.
Confeffio præcepta quænam fit? 4. 3. 1. Num poffit fieri per fcripturam extra neceffitatem? 4. 3. 2. Quænam fint ejus conditiones? 4. 3. 3. Num fit mortale in confeffione mentiri? 4. 3. 4
Confeffio Sacramentalis nequit a Superiore dimidiari? ita ut folum abfolvat a refervatis. 3. 3. 9
Confeffio quonam pacto dicatur neceffitate medii neceffaria? 4. 1. 2. Eft pariter neceffaria neceffitate præcepti divini. 4. 2. 1. Quos, & pro quando obliget hoc præceptum? 4. 2. 2. Ecclefiafticum præceptum de confeffione annua refpicit circumftantiam temporis. 4. 3. 1. Hoc præcepto non obligantur, qui carent lethali culpa. 4. 2. 2. Num faltem hic teneatur fiftere fe coram Parocho? 4. 2. 3. Abfolutus indirecte a refervatis tenetur eo anno iterum confiteri habenti poteftatem in refervata, ut ab his directe abfolvatur. ibid. Annus in hoc cafu quomodo fit computandus? 4. 2. 4. Qui huic præcepto non fatisfecit hoc anno, tenetur ftatim anno infequenti confiteri. 4. 2. 5. Num teneatur prævenire, qui prævidet defuturam copiam Confeffarii? 4. 2. 6. Quinam obligentur præcepto Ecclefiaftico Confeffionis? 4. 2. 7. Sub quibus pœnis? Et quinam his pœnis eximuntur, quamvis præceptum violent? 4. 2. 9. Num teneatur per interpretem, aut per fcripturam confiteri, qui non poteft aliter. 4. 2. 10
Confeffionem generalem inftituens num teneatur omnia peccata rite abfoluta exponere? 2. 5. 7. Num teneatur diftinguere peccata nondum confesfa ab aliis præteritis? 2. 5. 8.
Confeffionis integritas. V. Integritas.
Confiliarius, a quo confilium petitur in ordine ad confeffionem, num teneatur ad figillum? 10. 3. 5
Confilium pravum num fpeciem defumat a fuo objecto? 5. 4. 4
Confuetudo peccandi num, & quando debeat in con-

confessione explicari? 5. 5. 11
Consuetudo quandonam est obligatoria? 2. 2. 6
Contemptus Superioris quando est explicandus? 5. 5.13
Contritio in quo differat ab Attritione? 3. 1. 1. Num debeat Dei amorem includere, ut possit extra Sacramentum justificare? 3. 1. 2. Num possit ex alio divino attributo a Bonitate distincto concipi, ut sit apta ad justificandum? 3. 1. 3. Num sufficiat contritio virtualiter dumtaxat inclusa in Dei amore super omnia? 3. 1. 4. Num ea sit statim post peccatum ponenda? 3. 1. 7. Quandonam peccator ad contritionem obligatur? 3 1. 7. Num teneatur ante finem anni conteri, si nequeat eo anno confiteri? 3. 1. 8.

D

Delectatio morosa diversimode in objectum fertur, ac desiderium. 5. 4. 2. Num in delectatione morosa explicanda sit qualitas personæ circa quam. ibid. Quid de desideriis, sub conditione tollente omnino dissonantiam? ibid.
Delegata jurisdictio non habetur per ratihabitionem de futuro, seu per voluntatem præsumptam Superioris nullo externo signo manifestatam. 8. 1. 14. Sufficit tamen ad illam delegandam ratihabitio de præsenti, signo aliquo vel evidenti, vel saltem probabili manifestata. ibid.
Delegatam habens jurisdictionem (sive etiam ordinariam) ad confessiones audiendas, num possit ea cum iisdem subditis uti ubilibet? 7. 1. 9. Delegata hæc jurisdictio num expiret, mortuo, aut amoto delegante. 8. 1. 12
Delegatus num possit universim jurisdictionem subdelegare pro casu occurrenti? 8. 1. 13
Denunciari quandonam debet a pœnitente Confessarius solicitans. 8. 5. 7
Detestatio culpæ propter metum pœnæ quomodo sit honesta, si per talem actum magis odio habetur pœna, quam culpa? 3. 2. 5
Dimidiare confessionem licite potest pœnitens variis de causis. 5. 7. 1. Mala, quæ timentur, debent esse confessioni extrinseca, ut ab integritate materiali excusent. ibid. Num debeant statim in alia Confessione exponi peccata justis de causis omissa? 5. 7. 4. Num sufficiat attritio de peccato, quod ex causa in confessione omittitur. ibid. Num sit sufficiens causa dimidiandi confessionem, ne complex reveletur, aut persona, quæ est objectum proprii peccati? 5. 7. 5. Quænam universim est causa sufficiens dimidiandi confessionem? 5. 7. 7. Qui habet reservata, nec potest Superiorem adire, urgente necessitate communicandi, tripliciter potest se gerere. 5. 7. 8. Etiamsi reservato sit annexa excommunicatio. 5. 7. 9
Dolor de peccatis ad justificationem requisitus num debeat esse de singulis seorsim. 3. 1. 5. Num satis sit, quod sit ex motivo formali universali limitate attacto relate ad aliqua tantum objecta materialia? ibid.
Dolor formalis requiritur in sacramento etiam in confessione venialium, quin sufficiat non complacentia de illis. 3. 3. 2. Num requiratur dolor de omnibus venialibus, quæ clavibus subjiciuntur? 3. 3. 3. Dolor in Sacramento num debeat confessionem, aut absolutionem antecedere? 3. 3. 4. Num dolor elici debeat ex intentione suscipiendi Sacramentum, ut illud constituat? 3. 3. 5. Quanto tempore dolor possit confessionem antecedere? 3. 3 6. Dolor venialium quomodo revocetur? 3. 3. 7. Num in nova confessione novus dolor requiratur? 3. 3. 8.
Dubitans, an aliquid in Confessione audierit, ad sigillum tenetur. 10. 4. 2.
Dubitans negative, num peccatum aliquod sit reservatum, eo ipso probabilius potest illud absolvere, aut ab illo absolvi, perinde ac si non esset reservatum. 8. 2. 3. Et si deinde deprehendatur vere fuisse reservatum, non indiget nova absolutione. ibid.

E

Ecclesia per quam sanguinis, aut seminis effusionem polluitur? 5. 5. 3.
Ecclesia num puniat suis pœnis delictum internum, quod in exteriorem actum redundat? 4. 2. 9.
Episcopi possunt absolvere a casibus Papalibus, tam si sint occulti, quam in casu legitimi impedimenti adeundi Romam, cum onere tamen, si impedimentum sit temporale. 9. 2. 6. Quodnam crimen dicitur occultum? 9. 2. 7. Num possint Episcopi absolvere a delicto Papali, si in sua diœcesi est occultum, alibi vero est publicum? ibid. Num possit Episcopus absolvere ab occultis Bullæ cœnæ? ibid. Quinam dicantur laborare impedimento perpetuo adeundi Pontificem, ut a Papalibus sine onere absolvantur? 9. 2. 8. num possit quilibet Confessarius absolvere a Papalibus, si pœnitens sit etiam impeditus adire Episcopum. 9. 2. 9.
Episcopus num possit Indulgentias concedere? 11. 3. 3.
Episcopus potest ad examen Sacerdotem non admittere, eo tamen admisso, si judicatur idoneus, non potest illi approbationem denegare. 8. 3. 4.
Episcopus solum subditum suum approbare potest in aliena diœcesi ad audiendas suas, & suarum ovium confessiones. 8. 1. 8.
Error communis an conferat jurisdictionem, etiam sine titulo colorato? 8. 1. 16.
Errores a Confessario commissi quomodo sint corrigendi? 8. 5. 10. Quid si pœnitens neget illi facultatem loquendi de auditis in confessione? ibid.
Excommunicatio annexa peccato reservato non impedit, quominus in casu necessitatis possit pœnitens ab eo indirecte absolvi ab Inferiore. 5. 7. 9. Excommunicatio ignorata non invalidat Sacramentum Pœnitentiæ, nec illud invalidat in casu necessitatis. ibid.
Excommunicatio non incurritur universim, si ignoretur; sicut nec si ad illam non advertatur. 9. 3. 2. Num idem dicendum sit de reservatione? ibid.
Excommunicati obligantur præcepto annuæ confessionis. 4. 2. 7.
Excommunicatus vitandus sicut privatur jurisdictione ordinaria, quam forte haberet; ita nequit jurisdictionem delegare, aut ad audiendas confessiones Sacerdotes approbare. 8. 1. 4.

F

Fidei, & spei actus num requirantur in singulis confessionibus? 3. 4. 11. Quorum mysteriorum fides prærequiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ? 3. 4. 12. Mysteria Trinitatis, & Incarnationis non satis est semel in vita credidisse; nec satis ita credidisse, ut eorum detur oblivio. ibid.
Forma absolutoria debet humanis vocibus proferri. 7. 1. 1. Esto possis matrimonium sine vocibus licite contrahi. 7. 1. 2. Quænam sint verba essentialia hujus

hujus formæ? 7. 1. 3. Potest hæc forma esse æquivoca, & ex circumstantiis determinari; at nequit esse mutila. 7. 1. 4. Invalida est absolutio, si ejus forma sit deprecatoria, instar fomæ Extremæ Unctionis. 7. 1. 5. Quinam sit sensus formæ absolutoriæ? 7. 1. 6. Quandonam confertur vi formæ gratia Sacramentalis? 7. 1. 7.

Furtum num sit sacrilegum, si res non sacra de loco sacro tollatur? 5. 5. 2.

G

GRatia sacramentalis quandonam confertur in Sacramento Pœnitentiæ? Num post illa verba, Te Absolvo? Et quando Calix consecratur; Num post illa verba, hic est calix sanguinis mei? 7. 1. 7.

H

HÆretici præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis obligantur. 4. 2. 7

Horas qui nequit suo tempore recitare, num teneatur prævenire? 4. 2. 6.

I

JActantiæ peccatum quomodo aperiendum in confessione? 5. 4. 4.

Jejunium non frangit, qui paulo post finem cœnæ pergit comedere, etiamsi prius decreverit cessare a comedendo. 5. 6. 8. Num pluries peccet, qui eo die pluries carnes comedit. 5. 5. 14

Ignorantia reservationis num ab illa excuset? 9. 3. 2. Si ignoretur censura, universim illa non incurritur, sicut nec si ad illam non advertatur. 9. 3. 2.

Impeditus adire Superiorem, ut absolvatur a reservatis, non tenetur per literas, aut per Confessarium petere facultatem, ut absolvatur. 8. 2. 4. Quodnam dicitur impedimentum hoc esse perpetuum? 9. 2. 8. An sicut potest Episcopus absolvere impeditum adire Pontificem, ita quilibet Confessarius possit absolvere impeditum adire Episcopum? 9. 2. 9. Impedimento temporali laborans absolvitur sine onere in articulo mortis, si peccato reservato non sit annexa censura. 9. 2. 10. Etiam absolutio a censuris tunc temporis confertur sine onere, nisi pœnitens sit denunciatus. ibid. Num possit extra mortis articulum absolutio a reservatis sine censura conferri sine onere pœnitentis, qui impedimento temporali laborat, quin possit superiorem adire? 9. 2. 9.

Imperfectiones dumtaxat in confessione exponere num liceat? 2. 6. 4.

Impuberes non incurrunt pœnas latas contra transgredientes præceptum annuæ confessionis. 4. 2. 8.

Impuberes probabiliter nec reservationi, nec excommunicationi subjacent, nisi exprimantur. 9. 3. 2.

Indulgentiam plenariam lucratus num sit immunis a pœnitentia satisfactoria? 6. 3. 2.

Indulgentia quid sit? 11. 1. 1. Quomodo thesaurus Ecclesiæ per indulgentas applicetur? ibid. Quotuplex est indulgentia? 11. 1. 2. Indulgentia plenaria localis num posit pluries eodem die acquiri, saltem pro defunctis? 11. 1 4. Per Indulgentias nulla culpa venialis remittitur. 11. 2. 1. Sine speciali concessione Indulgentiæ non possunt pro defunctis applicari. 11. 2. 4. Quid requiritur, ut illis prosint? 11. 2. 5. Num prosint illis infallibiliter? 11. 2. 7. Indulgentiæ respectu vivorum continent absolutionem pro pœnis, at respectu mortuorum continent solutionem. 11. 3. 1. Num possit Episcopus Indulgentias concedere? 11. 3. 3. Causa rationabilis requiritur, ut valide indulgentiæ concedantur. 11. 4. 1. Quænam dicatur causa rationabilis? 8. 4. 2. Potest Pontifex Indulgentias concedere, nullum opus injungendo. 8. 4. 5. Data sufficienti causa concedendi indulgentiam omnibus, non eatenus singuli illam plenarie consequuntur. 8. 4. 6. Quænam dispositio requiratur ad Indulgentiam lucrandam? 8. 5. 1. Debet esse in statu gratiæ is, pro quo Indulgentia obtinetur, non vero qui illam pro alio lucratur. 8. 5. 3. Quando Indulgentia conceditur contritis, & confessis, num satis sit Attritio cum confessione, aut sola contritio? 11. 5. 4

Intentio ministri num constituat Sacramentum? 1. 1. 3.

Injuriæ quandonam specie differant? 5. 4. 8

Inquisitores non cognoscunt de violatione sigilli Sacramentalis, si non violetur illud cum errore aliquo circa fidem. 10. 1. 6

Integritas confessionis alia formalis, alia materialis. 5. 1. 1. Per se loquendo confessio debet esse materialiter integra. 5. 1. 2. Hinc requiritur diligens examen, ibid. Quanta debeat esse examinis diligentia? 5. 1. 3. Num sit invalida confessio, diligens examen non præeat? 5. 1. 4. Num rustici, qui sine prævio diligenti examine ad confessionem accedunt, sint audiendi? 5. 1. 5. Ad Confessionis integritatem spectat explicare numerum peccatorum, & circumstantias mutantes speciem. 5. 2. 1. Septem celebres circumstantiæ explicantur. 5. 2. 2. Quænam circumstantiæ dicantur speciem mutare? 5. 2. 3. Quid si dubitetur, an speciem mutent? 5. 2. 4. Num possit circumstantia mutans speciem aperiri tamquam novum peccatum, & non per modum circumstantiæ? 5. 2. 5. Num etiam explicandæ circumstantiæ notabiliter aggravantes? 5. 2. 6. Si de iis pœnitens a confessario interrogetur, tenetur respondere. 5. 2. 7. Quid de circumstantiis minuentibus? 5. 2. 8. Qui eodem actu plura præcepta transgreditur, non semper plura specie peccata committit. 5. 2. 9.

Integritas materialis confessionis est de jure divino. 5. 6. 1. Quomodo singula peccata explicanda sint? ibid. Quid de actibus internis pravis diu repetitis? 5. 6. 2. Unde desumatur peccatorum pluralitas? 5. 2. 5 Num ex pluralitate numerica objectorum multiplicentur peccata numerice? 5. 6. 9. Quicum tribus diversis fornicatus est, num debeat id explicare? 5. 6. 11.

Integritas materialis quibus de causis possit omitti? V. *dimidiare confessionem*.

Juramenti transgressio specie differt a violatione voti. 5. 4. 6.

Juramentum medicorum de non visitandis ægrotis ultra tertium diem nisi constet in scriptis de confessione ab iis facta quomodo obliget? 4. 2. 4.

Jurisdictio essentialiter in Sacerdote requiritur, ut possit a peccatis absolvere. 8. 1. 2. Quibusnam competat jurisdictio ordinaria, & quibus delegata? 8. 1. 4. Num simplici Sacerdoti competat jurisdictio in venialia? 8. 1. 6. Episcopi nequeunt permittere, ut fiat Sacerdoti venialium confessio. 8. 1. 7. Licitum tamen est Religiosis Societatis Jesu confiteri venialia cuilibet Sacerdoti. ibid. Jurisdictionis limitatio quandonam cadat circa substantiam, quando vero circa modum ea utendi? 8. 1. 11. Jurisdictio delegata num expiret mortuo, aut amoto delegante? 8. 1. 12. Num possit

fit subdelegari pro casu occurrente? 8. 1. 13. Num habeatur jurisdictio delegata per ratihabitionem de futuro, aut per voluntatem Superioris præsumptam? 8. 1. 14. Num etiam error communis sine titulo colorato satis sit, ut jurisdictio conferatur. 8. 1. 16.

Jurisdictio dubia non sufficit, ut licite absolutio impendatur. 8. 2. 1. Sufficit tamen jurisdictio probabilis. 8. 2. 2. Sicut sufficit implicita cum ratihabitione de præsenti. ibid. Jurisdictionem in articulo, ac in periculo mortis habet quilibet Sacerdos, & probabiliter etiam præsente Parocho potest uti hac jurisdictione. 8. 2. 5. In quo differat jurisdictio ab Approbatione? 8. 3. 2

Jurisdictio probabiliter duntaxat obtenta sufficit ad licite conferendum Sacramentum Pœnitentiæ. 3. 2. 9.

L

Laicus num possit, deficiente Sacerdote, aut Clerico, absolvere moribundum a censuris? 8. 1. 1. Ad sigillum Sacramentale obligatur, si habitus pro confessario audiret confessionem. 10. 3. 1.

Locutiones turpes quomodo sint in confessione explicandæ? 5. 4. 4

M

Materia sufficiens confessionis num sint solæ imperfectiones carentes veniali culpa? 2. 6. 4

Matrimonii Sacramentum non requirit humanas voces, ut suscipiatur; Sacramentum vero Pœnitentiæ requirit, ut humanis vocibus absolutio proferatur. 7. 1. 2. Valide contrahitur matrimonium sub conditione de futuro; non tamen valide sic confertur absolutio Sacramentalis. 7. 2. 3. Simulari potest aliquando contractus matrimonialis, urgente metu gravi; qui tamen non potest reddere licitam administrationem simulatam aliorum Sacramentorum. ibid.

Medici jurant, se non visitaturos infirmos ultra tertium diem, nisi constet, quod susceperint Sacramentum Pœnitentiæ. 4. 2. 4.

Mentiri in confessione num sit mortale? 4. 3. 4. Num sit grave mendacium unum numero peccatum pro alio confiteri? 4. 3. 5.

Meretrices probabiliter non incurrunt pœnas latas contra præceptum annuæ confessionis. 4. 2. 7.

Mutus quonam pacto confiteri possit, aut debeat. 4. 2. 10.

Merita per peccatum mortificata quomodo per pœnitentiam reviviscant? 1. 3. 5. Num reviviscant ex natura rei, an ex divina liberalitate? ibid. Et cur demerita per pœnitentiam deleta per subsequens peccatum redeant? 1. 3. 6

Metus gravis non reddit licitam administrationem Sacramentorum simulatam; quamvis liceat ob metum gravem simulare contractum matrimonialem. 7. 2. 3

Moribundus absolvi potest, etiamsi nullam speciem peccati possit explicare. 5. 8. 1. Quando dubitatur num signa doloris procedant ex angustia morbi, an ex desiderio confessionis, potest absolvi sub conditione. 5. 8. 3. Si vero probabile sit, quod signa illa ordinentur ad claves, potest tunc absolute absolvi. 5. 8. 6. Potest iterari absolutio, quando prudenter creditur, quod moribundus dolorem iterarit in ordine ad novam absolutionem. 1. 8. 5.

Moribundus a censuris reservatis absolvitur sine ullo onere se præsentandi coram Superiore, si convalescat, si non sit denunciatus. 8. 2. 6., & 9. 2. 10. Et solum pro foro externo exigitur ab illo cautio pignoratitia, aut fidejussoria, aut juratoria. ibid. Extra articulum mortis, qui propter impedimentum temporale absolvitur ab Inferiore a peccatis, quibus non est annexa censura, num possit sine onere absolvi tam ab Episcopo, quam ab alio Confessario? 9. 2. 10

Mortis articulus, & mortis periculum æquiparantur in jure Ecclesiastico; Potest proinde quilibet Sacerdos absolvere constitutum in periculo mortis. 8. 2. 4. Quinam dicantur esse in periculo mortis? ibid.

N

Notitia ex confessione acquisita num, & quando possimus uti? V. Sigillum. Quænam actiones pœnitentem gravantes exerceri non possint a confessario ex vi notitiæ habitæ in confessione? 10. 4. 5. Thesis hac in re prohibita ab Innoc. XI. exponitur. 10. 4. 6

O

Occasiones proximæ vitandæ quænam sint? 3. 4. 5 Si vitari physice non possint sine magna difficultate, ad quid tenetur pœnitens? 3. 4. 6. Quomodo occasiones proximæ reddi possint remotæ; 3. 4. 7. Recensentur theses a Pontificibus proscriptæ circa occasiones proximas. 3. 4. 8.

Occultum crimen quodnam dicitur; quodnam vero publicum, & notorium? 9. 2. 7.

Onus, quod imponitur adeundi deinde Superiorem, quando pœnitens absolvitur a reservatis propter impedimentum temporale, intelligitur, quando ab Episcopo absolvitur a censuris Papæ reservatis, non vero a casibus eidem reservatis sine censura. 9. 2. 10. In articulo autem mortis ne pro censuris quidem ullis reservatis hoc onus a confessario imponitur, si pœnitens non sit denunciatus. 8. 2. 6.

Opinionum varietas ubi detur, debetne confessarius sequi illam, quæ magis favet pœnitenti? 7. 2. 6

Ordo Presbyteratus non fert potestatem jurisdictionis, nec reddit Sacerdotes judices, sed solum eligibiles in Judices in foro Sacramentali. 8. 1. 3

P

Parochus jurisdictionem suam erga suas oves in ordine ad Confessiones audiendas delegare potest aliis Parochis; necnon Sacerdotibus alibi ab Episcopo approbatis. 8. 3. 1., & 8. 1. 4. Num etiam Regularibus a proprio Episcopo alibi approbatis? ibid.

Peccata olim confessa, & absoluta num sint materia sufficiens confessionis? 2. 5. 1. Num possint etiam esse materia necessaria ex præcepto, statuto, aut voto? 2. 5. 4

Peccata commissa ex ignorantia culpabili non differunt specie a commissis scienter; quamvis ea non trahant pœnas istis annexas. 5. 5. 12

Peccator num teneatur statim post peccatum conteri? 3. 1. 6. Quandonam tenetur per se extra mortis articulum conteri? 3. 1. 7. Num teneatur quotannis conteri, si nequeat confiteri? 3. 1. 8

Peccatorum malitiæ probabiliter, at non ipsa peccata, numerice multiplicantur ex multiplicitate numerica objectorum. 5. 6. 9

Peccatorum unitas, aut pluralitas numerica unde desumatur? 5. 6. 4
Peccatum originale, & peccata ante baptismum commissa, quando per baptismum ficte susceptum non delentur, quomodo per pœnitentiam deleantur? 2. 1. 3
Peccatum pure putatum num sit materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ? 2. 4. 1 Idem quæritur de peccato dubio, si vere non sit commissum. 2. 4. 3. Qui peccatum dubium confitetur, num teneatut addere aliquod certum? 2. 4. 5
Peccatum sive positive, sive negative dubium num sit clavibus subjiciendum. 2. 2. 1. Praxis confitendi peccata dubia num denotet obligationem. 2. 2. 8. Qui negative dubitat, an peccatum certo commissum fuerit mortale, probabiliter non tenetur illud confiteri, secus vero qui negative dubitat, an mortale certo commissum clavibus subjecerit. 2. 2. 9. Peccatum expositum ut dubium, si deprehendatur ut certum, num sit iterum in confessione exponendum? 2. 3. 1.
Peierans sæpe ex inadvertentia tenetur sub mortali hanc consuetudinem tollere. 5. 5. 12
Peregrini probabiliter absolvi possunt a casibus, qui non sunt tam in propria, quam in ea diœcesi, in qua versantur, reservati. 8. 5. 10
Peregrini absolvi non possunt a peccatis, quæ tam in propria diœcesi, quam in ea, in qua versantur, sunt reservata. 9. 3. 5. Quid si in alterutra tantum sint reservata? ibid.
Periculo peccandi qui se exposuit, num debeat id explicare, si peccatum subsequutum est. 5. 5. 10
Pœnæ adversus violatorem sigilli Sacramentalis quænam sint? 10. 1. 6
Pœnæ non Sacerdotis celebrantis Missam, aut audientis confessiones quænam sint? 8. 1. 1. Et quænam sint pœnæ Sacerdotis audientis confessionem sine jurisdictione. 8. 1. 3
Pœnæ latæ contra omittentes annuam confessionem quænam sint. 4. 2. 9. Num eas incurrat qui ficte confitetur? ibid.
Pœnitens num teneatur respondere confessario interroganti de peccato rite absoluto? 2. 5. 6
Pœnitentiæ Sacramenti definitio. 1. 1. 1. Ejusdem physica essentia. 1. 1. 2: Num etiam pars materialis hujus Sacramenti significet, & causet gratiam, an vero sola absolutio? Et an constituatur etiam per intentionem Ministri? 1. 1. 3. Quandonam fuerit a Christo Domino institutum? 1. 2. 2. Cur institutum sit per modum judicii? 1. 2. 4
Pœnitentiæ Sacramenti multiplices fructus recensentur. 1. 3. 1. Per pœnitentiam merita mortificata reviviscunt; licet demerita semel deleta non redeant. 1. 3. 6
Pœnitentia num semper a confessario sit injungenda? 6. 1. 1. Num peccet mortaliter confessarius, si nullam pro venialibus pœnitentiam injungeret? ibid. Si dubitatur, an pœnitens sit executurus pœnitentiam gravem debitam, magis habenda est cura de salute, & emendatione pœnitentis, quam de satisfactione injungenda. ibid. Possitne injungi pœnitentia solum per modum consilii. 6. 1. 2. Num pœnitentia gravis pro venialibus imposita implenda sit sub gravi? ibid. Probabilius non elevantur virtute clavium omnia bona opera pœnitentis per illa verba, Quicquid boni feceris, &c. 6. 1. 3. Num possit injungi opus internum, aut alias præceptum, aut tolerantia ægritudinum, aut opus pro defunctis? 6. 1. 4
Pœnitentiam num teneatur pœnitens semper acceptare, & implere? 6. 2. 1. Num sit veniale illam diu differre? 6. 2. 2. Quandonam pœnitens liberatur ab onere pœnitentiæ quoad substantiam, si non possit illam exequi quoad circumstantiam? 6. 2. 5. Quid si illius obliviscatur? 6. 2. 6. Num possit per alium illam implere? 6. 2. 7
Pœnitentiam num possit pœnitens ipse sibi commutare in graviorem? 6. 3. 1. Num in plenariam indulgentiam? 6. 3. 2. Quandonam ratione Epichejæ licite commutatur? 6. 3. 5. Confessarius, qui pœnitentiam imposuit, potest illam etiam extra confessionem commutare. 6. 3. 6. At alius confessarius æqualis nonnisi intra forum Sacramentale, habita confusa cognitione peccatorum, ibid. Etiam id licitum est confessario inferiori relate ad pœnitentiam a Superiore impositam pro reservatis. 6. 3. 7. At sacerdos simplex nequit pœnitentiam pro mortalibus impositam commutare. ibid.
Pontifex quomodo legibus Ecclesiasticis obligetur. 4. 2. 7.
Præcepta Ecclesiastica in re gravi obligant sub gravi, etiam secluso contemptu, aut scandalo. 4. 2. 7
Præceptum, quod nequit totaliter impleri, quandonam obliget ad ponendam partem, quæ poni possit? 3. 1. 8
Propositum in confessioue requisitnm num debeat esse universale, scilicet non peccandi de cætero. 3. 3. 10. Num debeat esse explicitum, & formale. 3. 4. 1. Moraliter loquendo propositum formale a dolore non sejungitur. 3. 4. 2. Propositnm in confessione venialium requisitum quodnam sit. 3. 4. 3 Triplex datur discrimen inter propositum requisitum in confessione venialium, & requisitum in confessione mortalium. 3. 4. 4
Propositum in confessione requiritur, non solum non peccandi in posterum; sed etiam vitandi occasiones de se proximas, etiamsi detur causa utilis, & honesta non fugiendi illas. 3. 4. 9. Nec solum occasiones proximas certas, sed etiam dubias. 3. 4. 10
Pueri quandonam obligentur præcepto confessionis, & communionis. 4. 2. 8. Pœnas contra transgressores latas non incurrunt ante pubertatem. ibid. Num incurrant casuum reservationem? ibid.

R

Reatu culpæ remisso, non semper remittitur reatus pœnæ temporalis. 1. 3. 4
Regulares Prælati jurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum cuivis Sacerdoti possunt delegare. 8. 1. 4
Regulares absolvere non possunt a reservatis in alia diœcesi, si pœnitentes accedant in fraudem reservationis. 9. 3. 4. Secus vero si bona fide accedant. ibid. Regulares a proprio Episcopo approbati num possint audire confessiones in aliena diœcesi, ubi Parochus jurisdictionem illis concedit relate ad proprias oves? 8. 3. 1
Regularis ab Episcopo approbatus sine licentia proprii Prælati illicite, sed non invalide absolvit. 8. 3. 5
Regularis in una diœcesi approbatus non potest se exponere ad audiendas confessiones in alia diœcesi, potest tamen privatim audire confessionem alicujus iter secum facientis, qui sit subditus Episcopo, a quo fuerat ipse approbatus. 8. 1. 5
Repetere confessionem oportet, quoties ea fuit invalida, & de culpis mortalibus, 5. 9. 1. Potest esse multipliciter invalida, tum ex parte pœnitentis tum ex parte confessarii. ibid. Quonam pacto ea sit repetenda? 5. 9. 2. Quid si pœnitens dubitet pruzdenter,

denter, quod confessarius audiendo suam confessionem obdormierit? 5. 9. 6
Reservare casus quinam valeat? 9. 1. 1. Quando reservatur casus cum censura, utrumque reservatur. 9. 1. 3. Mortuo Episcopo, cessat reservatio casuum Episcopalium, non synodalium. 9. 1. 5. Num sit invalida reservatio, si fiat sine causa? 9. 1. 6. Probabilius nequeunt Prælati regulares sine Capituli consensu aliquid vetare sub excommunicatione sibi reservata. 4. 1. 7
Reservata sunt Episcopo alia ex propriis statutis, alia ex consuetudine, alia jure communi. 9. 2. 6 reservata Pontifici sicut possunt ab Episcopo absolvi in casu impedimenti, num etiam possint a quovis confessario absolvi, si detur etiam impedimentum adeundi Episcopum? 9. 2. 9. Quando propter impedimentum temporale Inferior absolvit a reservatis, num solum imponat onus adeundi Superiorem cessante impedimento, quando absolvit a peccatis, quibus est annexa censura? 9. 2. 10. Moribundus etiam a censuris absolvitur sine onere, nisi sit denuntiatus. ibid.
Reservata remittere quinam possit? 9. 4. 1. Nequit Superior, auditis solis reservatis, sacramentaliter absolvere pœnitentem. 9. 4. 3. Absolutus a Superiore, si deinde alicujus reservati recordetur, potest absolvi ab Inferiore. 9. 4. 4. Similiter si quis tempore Jubilæi confessus, oblitus sit alicujus reservati. 9. 4. 5. Quid si confessio fuerit non quidem sacrilega, sed invalida? ibid. Num peccet mortaliter, qui absolutus a reservatis tempore Jubilæi omittit ponere reliqua opera injuncta? ibid. Quandonam superior tenetur facultatem concederet, ut subditus a reservatis absolvatur? 9. 4. 6. Facultas hæc petita a Superiore, & non obtenta quandonam habetur pro concessa? 9. 4. 8. Facultas obtenta ad absolvendum aliquem a reservatis num se extendat ad absolvendum illum etiam a reservatis commissis post obtentam facultatem? 9. 4. 10. Num possit confessarius pro se ipso uti facultate, quam obtinet a Superiore, ut aliquis ejus subditus a reservatis absolvatur? 9. 4. 9
Reservari quænam peccata possint? Num venialia? Num peccata interna? Num peccata, quæ actu interno non sint consummata, aut non sint gravia? 9. 3. 1. Quænam percussio levis Clerici sit Episcopo reservata? 9. 2. 2. Si reservetur casus, effectu secuto, & pœnitens, antequam sequatur effectus, confiteatur Inferiori, non tenetur, secuto effectu, Superiorem adire. 9. 2. 3. Peccatum dubie commissum, aut dubie mortale, aut dubie reservatum non censetur reservatum. 9. 2. 4. Sed confessor, antequam absolvat, debet dubium examinare. ibid. Si peccatum dubie reservatum absolutum sit ab Inferiore, non requiritur nova absolutio a Superiore, si deinde deprehendatur certo reservatum, ibid. Si peccatum a pluribus Superioribus reservetur, num sublata una reservatione, tollatur & alia? 9. 2. 5.
Reservationi quinam subjaceant? 9. 3. 1. Impuberes probabiliter nec reservationi, nec excommunicationi subjacent, nisi exprimantur. 9. 3. 1. Ignorantes reservationem num illam incurrant? 9. 3. 2. Peregrini absolvi nequeunt a peccatis, quæ tam in propria diœcesi, quam in ea, ubi versantur, sunt reservata. 9. 3. 5. Quid si in alterutra tantum diœcesi sint reservata? ibid. Num peccatum commissum, ubi non est reservatum, absolvi deinde possit in ea diœcesi, in qua est reservatum? aut e converso? ibid.
Reservationem casuum num incurrant pueri ante pubertatem? 4. 2. 8
Reservatum peccatum, de cujus reservatione dubitatur negative, probabilius non est reservatum. 8. 2. 3. Quod si deinde deprehendatur fuisse certo reservatum, non indiget nova absolutione. ibid.

S.

Sacerdos in quonam sensu dicitur posse ligare, & peccata retinere? 1. 2. 6.
Sacerdos quicumque potest in articulo mortis moribundum absolvere, etiam præsente Parocho. 3. 2. 9.
Sacerdos ter celebrans die Nativitatis Domini in mortali tria peccata committit. At non peccat bis, si in eadem Missa post diuturnam populi communionem sumat particulas, quæ supersunt. 5. 6. 7.
Sacerdotem simplicem absolvere indirecte a mortalibus, si urgeat in pœnitente necessitas communionis, non est in usu, sicut est in usu, quod Inferior absolvat indirecte a reservatis. 5. 7. 8. Nequit pariter Sacerdos simplex pœnitentiam pro mortalibus impositam commutare, esto possit inferior communitare in foro Sacramentali pœnitentiam a Superiore pro reservatis impositam. 6. 3. 7. Sacerdos simplex num habeat jurisdictionem in venialia, ac in mortalia alias remissa? 8. 1. 6. Nequeunt Episcopi permittere, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti 8. 1. 7 Ea tamen, si fiat, non est invalida ib.
Sacramentalia quænam sint, & quomodo per illa remittantur venialia? 1. 3. 3
Sanguinis effusio in Ecclesia debet esse non modica, ut Ecclesiam polluat; hæc autem etiam per homicidium sine sanguinis effusione polluitur. 5. 5. 3. Quid si in Ecclesia existens alium extra Ecclesiam telo confodiat? ibid.
Satisfactio est solum pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ. 1. 1. 6
Scientia in confessario requisita quænam sit? 8. 4. 3. Peccat, qui sine debita scientia hoc munus exercet. 8. 4. 3.
Scrupulis variis occurritur circa onus confitendi peccata dubia, aut repetendi confessiones. 2. 3. 5
Societatis Jesu Sacerdotes a quolibet simplici Sacerdote absolvi possunt a venialibus ex declaratione Generalis; esto id dissuadeatur. 8. 1. 7
Sodomiæ peccatum quomodo in confessione explicandum? 5. 4. 9
Solicitans ad malum, quod cum alio committit, debetne explicare, quod primus invitaverit? 5. 4. 10.
Solicitans confessarius quandonam debeat denuntiari? 8. 5. 7.
Superior nequit Sacramentaliter absolvere a solis reservatis, & non a reliquis. 3. 3. 9
Superior quandonam tenetur communicare confessario docto facultatem absolvendi subditum a reservatis? 9. 4. 6. In dubio, num concessio talis facultatis cedat in bonum, an in damnum, inclinare debet Superior in partem benigniorem. ibid. Quandonam facultas hæc petita & non obtenta habetur pro concessa? 9. 4. 7
Sigilli Sacramentalis obligatio ex quanam confessione oriatur? 10. 1. 1. Si confessio facta sit per errorem Laico, sigillum obligat, si error sit facti, non si sit juris. 10. 1. 2. Obligat hoc sigillum ex justitia, ex fidelitate, & ex institutione hujus Sacramenti. 10. 1. 4. Periclitante Orbe universo, non licet sigillum hoc violare, sine libera, & expressa Pœnitentis licentia. 10. 1. 5. Potest tamen in se-

in secunda confessione loqui confessarius de auditis in prima, si materia sequentis confessionis tangat materiam præcedentis. ibid. Pœnæ adversus violatorem sigilli quænam sint? 10. 1. 6. Inquisitores non cognoscunt de hoc delicto, nisi committatur cum errore circa fidem. ibid.

Sigilli hujus materia est quodcumque, si revelaretur, redderet confessionem odiosam. 10. 2. 1. Etiam cadit sub sigillum quodcumque dicitur a pœnitente, tamquam utile ad explicandum peccatum, si ejus revelatio gravem redderet confessionem. ibid. Etiam virtutes sub sigillum cadunt, si ad explicandum peccatum, puta ingratitudinis, aperiantur. 10. 2. 2. Pariter peccata complicis, & eorum, qui sunt proprii peccati objectum. 10. 2. 3. Necnon id, de quo dubitas, an audieris in confessione. 10. 2. 5. Num etiam imperfectiones, quæ videntur potius quam audiantur in confessione? 10. 2. 5. Frangit sigillum, qui de publica meretrice diceret, se illam absolvisse. 10. 2. 6. Num possit dari confessionis schedula meretrici, quæ non absolvitur. ibid.

Sigillo confessionis obligantur omnes, ad quos quomodocumque notitia confessionis Sacramentalis pervenit; ut Interpres, Astantes, laicus, qui pro confessario haberetur. 10. 3. 1. Num etiam ille, cui confessarius de licentia pœnitentis peccatum aliquod revelavit, puta ad consilium petendum? 10. 3. 2. Num etiam qui reperit chartam, in qua scripta sunt peccata in ordine ad confessionem? 10. 3. 3. Num Superior, a quo extra confessionem facultas petitur ad absolvendum aliquem a reservatis? 10. 3. 4.

Sigillum quandonam frangitur ob usum notitiæ in confessione habitæ? 10. 4. 1. In quibus casibus abstinendum ab usu talis notitiæ, etiamsi confessio non reveletur? ibid. Non solum tenemur audita in confessione non revelare, sed etiam non uti eorum notitia cum gravamine pœnitentis, reddendo confessionem odiosam. 11. 4. 3. Quænam actiones ex vi notitiæ in confessione acquisitæ a confessario exerceri non possunt, eo quod sint in gravamen pœnitentis? 10. 4. 6. Num possit confessarius, qui erravit in absolvendo, petita, & non obtenta licentia a pœnitente, loqui de auditis in confessione ad errorem corrigendum? 10. 4. 8. Siquis sciat ex notitia Sacramentali venenum appositum esse in Calice, teneturne illud deglutire, ne det aliquam suspicionem, quod id ex confessione sibi innotuerit. 10. 4. 4

Solicitans ad peccandum num debeat explicare, quod primus alium induxerit, quando ab utroque peccatum commissum est. 5. 3. 10

V

Venialia in Sacramento Pœnitentiæ non semper omnia remittuntur. 1. 3. 2. Quibus aliis viis possunt venialia extra Sacramentum remitti? 1. 3. 3. Quando post mortem reatus culpæ venialis aliquando remittatur? ibid.

Venialium confessio num possit a Superiore imponi? 2. 5. 5. Eorumdem confessio in genere, nulla venialium specie explicata, num liceat? 2. 6. 3. Num in confessione venialium requiratur dolor, quin satis sit eorundem non complacentia? 3. 3. 2. Et an requiratur dolor omnium, quæ exponuntur? 3. 3. 3.

Venialium confessio simplici Sacerdoti non fit invalide; sed Episcopi permittere non possunt, ut Sacerdotes simplices audiant venialium confessionem. 8. 1. 5.

Venialium confessio quodnam propositum requirit? 3. 4. 5.

Venialium dolor quomodo revocetur? 3. 3. 7.

Vicarius non Sacerdos potest Sacerdotes ad audiendas Confessiones approbare. 7. 1. 4.

Voluntas præsumpta Domini, quod res sibi surripiatur, sufficit ad declinandum furtum: At voluntas præsumpta Superioris, quod conferret jurisdictionem, si peteretur, non satis est ad legitimandum actum judicialem. 8. 1. 9.

Voti transgresio specie differt a transgresione juramenti; sed votum erga Deum, aut erga B. Virginem, vel erga Sanctos non differunt specie, sicut nec juramenta. 5. 4. 6.

Votum pœnale non obligat ad pœnam, si transgressor voti ad illam non adverterit? 9. 3. 3.

Votum pœnitentiæ quonam pacto includitur in contritione? 4. 1. 8

F I N I S.

R. P. DOMINICI VIVÆ
SOCIETATIS JESU
OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.
TOMUS QUINTUS
COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat

DE SACRAMENTIS, & CENSURIS,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus suis Auditoribus traditum in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis.

PARS SEPTIMA
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
Qui in hoc Theologico-Morali Opusculo
DE MATRIMONII SACRAMENTO
Continentur.

QUÆSTIO I.

De Sponsalibus universim. 1

ART. I. *De promissione constitutiva Sponsalium.* 2
II. *De Promissione ficta Sponsorum.* 5
III. *De Promissione mere interna nubendi facta sive homini, sive Deo per votum.* 7
IV. *De Verbis, & aliis signis, & modis, quibus Sponsalia contrahuntur.* 10
V. *Quinam possint Sponsalia contrahere?* 11
VI. *De Obligatione, quæ consurgit ex Sponsalibus.* 14
VII. *De Sponsalium Effectibus.* 19

QUÆSTIO II.

De Causis dissolventibus Sponsalia. 21

ART. I. *De mutuo consensu, & de Reclamatione dissolventibus Sponsalia.* 22
II. *De Crimine dissolvente Sponsalia.* 23
III. *De Fuga, seu longa absentia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapso.* 24
IV. *De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto castitatis, aut Religionis.* 25
V. *Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora?* 27
VI. *De Morbo, aut simili vitio dissolvente Sponsalia.* 28
VII. *De Affinitate, seu impedimento juris superveniente: Ac de Voce publica, seu fama de impedimento.* 29
VIII. *Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia. Et quinam metus?* 30
IX. *Quænam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolvenda Sponsalia?* 33

QUÆSTIO III.

De Matrimonio secundum se, ejusque institutione, & indissolubilitate. 34

ART. I. *Quid sit matrimonium, inquantum contractus, & inquantum est Sacramentum?* ibid.
II. *De Institutione Matrimonii.* 40
III. *De Unitate, & Indissolubilitate Matrimonii.* 43

QUÆSTIO IV.

De consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis. 49

ART. I. *De Consensu matrimoniali simulato.* ibid.
II. *De Signis externis expressivis consensus matrimonialis.* 50
III. *De Consensu coacto.* 53
IV. *De Consensu simpliciter clandestino.* 57

V. De

V. *De Consensu clandestino secundum quid.* 68
VI. *De Consensu conditionato.* 70

QUÆSTIO V.

De Impedimentis Matrimonii. 75

ART. I. *De Matrimonii Impedimentis in genere. Quinam possit ea statuere?* ibid.
II. *De Impedimentis dirimentibus in specie: ac Primo de Errore.* 77
III. *De Impedimento conditionis servilis.* 82
IV. *De Impedimento Voti.* 83
V. *De Impedimento Ordinis.* 84
VI. *De Impedimento Cognationis.* 86
VII. *De Impedimento Affinitatis.* 90
VIII. *De Impedimento Criminis, & Raptus.* 91
IX. *De Impedimento disparitatis Cultus.* 92
X. *De reliquis Impedimentis dirimentibus, præsertim Publicæ Honestatis, & Impotentiæ.* 94
XI. *De Impedimentis impedientibus.* 97

QUÆSTIO VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus. 99

ART. I. *Quinam possit in matrimonii impedimentis dispensare?* ibid.
II. *De Causis ad dispensationem requisitis.* 103
III. *De Dispensatione surreptitia, & nulla.* 105

QUÆSTIO VII.

De Usu, ac Debito conjugali. 112

ART. I. *Qua ratione actus conjugalis sit licitus?* ibid.
II. *De Obligatione actus conjugalis.* 117
III. *De iis, quæ impediunt usum matrimonii.* 120
IV. *Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant Conjugibus?* 124

QUÆSTIO VIII.

De Divortio. 127

ART. I. *De Divortio ex mutuo consensu.* ibid.
II. *De Divortio ob causam adulterii.* 128
III. *De aliis Causis faciendi divortium ad tempus.* 130

CUR-

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

DE

MATRIMONII SACRAMENTO.

PARS SEPTIMA

PROOEMIUM.

Postremum inter Sacramenta locum obtinet Matrimonium, non quod efficacitate, aut dignitate sit aliis inferius, cum uberem in conjuges gratiam derivet; sed forte quia reliqua ad solam animorum consecrationem instituta sunt, hoc vero ad ipsam hominum propagationem, & ad sanctificationem animorum simul, & corporum. Est tamen praecipuum Christianae fidei Mysteriorum symbolum, ac repraesentatio; ut propterea ab Apostolo ad Ephes. 5. dicatur: *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia.* In primis enim signum est castissimi foederis, & unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Oseas Propheta dixit; eique veluti nomine coelestia Charismata, atque ipsum donorum, ac bonorum omnium Auctorem Spiritum Sanctum largitur: Est etiam symbolum mystici illius Conjugii, quo Christus Dominus Ecclesiam sanguine suo mundatam, ac divinis dotibus gloriosam sibi sponsam conjunxit: Significat insuper unionem, qua Verbum naturam humanam indissolubili vinculo sibi copulavit: Ac demum Tertull. lib. 1. de Monogam. cap. 1. dixit, Matrimonium Divinae Trinitatis, & Unitatis adumbrationem esse: Sicut enim in Deo Unitas est in multiplicitate Personarum; sic quodammodo in Matrimonio sua unitas, & multiplicitas habetur. Genes. enim 2. dicitur: *Erunt duo in carne una.*

Annus integer Tractatui de Matrimonio in nostris Scholis addicitur, quippe, quod in usu fidelium frequentissimum, & uberrimis scatet doctrinis, quae facem praeferunt animo per aspera, & lubrica ambulanti, ne turpissime labatur.

Nos octo quaestionibus materiam universam complectemur, agentes in prima de Sponsalibus universim, quippe quae viam sternunt ad Matrimonium. In secunda seorsim discutiemus causas, ob quas possint Sponsalia dissolvi. In tertia agemus de Matrimonio secundum se, ejusque Institutione, Unitate, & Indissolubilitate. In quarta de causa efficiente Matrimonii, videlicet de consensu, praesertim ficto, coacto, clandestino, & conditionato. In quinta de Impedimentis Matrimonii. In sexta de Dispensationibus. In septima de Usu, & debito conjugali, ubi plurima ad sextum praeceptum spectantia enodabimus. In ultima demum de Divortio.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sponſalibus univerſim.

EXplicabimus primo, Quomodo Sponſalia conſtituantur? Secundo, Ad quid obliget ficta Sponſorum promiſſio? Tertio, Ad quid obliget promiſſio ſolum interna, ac votum nubendi? Quarto, de Verbis, ac illis ſignis, quibus Sponſalia contrahuntur. Quinto, Quinam poſſint illa contrahere? Sexto, Quænam ex iis obligatio conſurgat? Denique diſcutiemus de eorum effectibus: In ſequenti autem quæſtione agemus ſeorſim de cauſis, ob quas poſſunt ſponſalia diſſolvi: De ſponſalibus vero conditionatis dicemus quæſtione quarta agentes de Matrimonio celebrato cum conſenſu conditionato.

ARTICULUS I.

De Promiſſione Conſtitutiva Sponſalium.

I. Quid ſint Sponſalia?
II. Quanam remiſſione conſtituantur?
III. Si promiſſio ſit indeliberata, non obligat; ſicut nec votum; Nec poteſt obligare ſub levi promiſſio Sponſalium.
IV. Nec obligat promiſſio iſthæc non acceptata.
V. Debet pariter ſigno ſenſibili manifeſtari. Sed quando taciturnitas ſufficit in repromittente?
VI. Sponſalia neque ſunt Sacramentum, neque Sacramentale.
VII. Ad valorem Sponſalium ſatis eſt intentio deliberata virtualis, non vero habitualis.
VIII. Requiritur ad eorundem valorem voluntas ſe obligandi ex juſtitia ad Matrimonium ineundum, ſed non voluntas illud exequendi.

I. SPonſalia dicuntur ex Ulpiano a ſpondendo; ſignificant enim ſtricte ſumpta mutuam ſponſionem, ſeu promiſſionem futuri Matrimonii: Significant etiam munera, quæ ſibi mutuo ſponſi tradunt: in quo ſenſu ſervi Saulis dixerunt Davidi 1. Regum 18. *Non habet Rex Sponſalia neceſſe*; hoc eſt non indiget muneribus, quæ dentur filiæ ſuæ a Genero; Ac demum ſignificant ipſum Matrimonium ratum, non conſummatum; in quo ſenſu Beatiſſima Virgo dicitur Sponſa Joſeph: Matth.enim 1.habetur: *Cum eſſet deſponſata Maria Joſeph*. Univerſim tamen qui Matrimonium ratum contraxerunt, communiter dici ſolent Sponſi de præſenti, cum ſolum ſpondeant uſum Matrimonii; qui vero matrimonium nondum contraxerunt, ſed ſolum promiſerunt, dicuntur Sponſi de futuro, & abſolute ſponſi; ſpondent enim ipſum matrimonium; ſeu potius dicuntur iſti promiſſi relate ad matrimonium; illi vero dicuntur promiſſi relate ad uſum, ſeu ad effectum matrimonii.

II. Quæritur nunc primo; Quænam ſit definitio propria ſponſalium? & quanam promiſſione conſtituantur?

Reſpondeo, optime definiri, quod ſint *Mutua promiſſio futuri Matrimonii*. Dicitur, *Promiſſio*, cum non ſufficiat mera voluntas, & propoſitum nubendi, niſi accedat promiſſio, quæ inducat obligationem de juſtitia ad contrahendum. Dicitur, *Mutua*, quia ſponſalia habet vim contractus oneroſi, qui parem utrinque obligationem inducat. Quare ſicuti non conſiſtit matrimonium ſine mutua, ſeu reciproca traditione dominii in corpora: ita nec conſiſtunt ſponſalia ſine mutua promiſſione matrimonii. Dicitur demum, *Futuri matrimonii*; Sicut enim per hoc quod ſponſalia ſint mutua Promiſſio, conveniunt cum reliquis contractibus, ita per hoc quod habeant pro objecto immediato promiſſionis futurum matrimonium, a reliquis contractibus differunt; & ſic in definitione habetur verum genus, & differentia. Quod ſi Titius, & Berta ſibi invicem ſponſalia promitterent, efficerent quidem contractum obligatorium, non tamen ſponſalia; quia matrimonium non eſt objectum immediatum talis promiſſionis, ſed mediatum: Nam ſicut aliud eſt rem promittere, aliud vero promittere promiſſionem rei, Verbi gratia, aliud eſt vovere caſtitatem, aliud vero vovere ſe facturum votum caſtitatis; ita aliud eſt promittere matrimonium, aliud vero promittere promiſſionem matrimonii, ſeu ſponſalia.

Ex dictis ſequitur, tres conditiones eſſentialiter requiri ad valorem ſponſalium. Prima eſt, ut habeatur promiſſio voluntaria, & deliberata; Secunda, quod ſit mutua, & acceptata; Tertia, quod ſit ſigno ſenſibili expreſſa.

III. Requiritur itaque primo promiſſio voluntaria; quia ſponſalia inducunt obligationem, & vis obligandi habetur a voluntate. Debet etiam eſſe deliberata, quia cum ſponſalia obligent ſub mortali, requiritur tanta deliberatio, quanta ſufficit ad peccatum mortale; Unde fit, quod promiſſio facta animo ſimulato non obliget vi promiſſionis, quamvis poſſit aliquando ratione damni illati obligare, ut dicemus art. 3. Neque obligat promiſſio ex animo facta ab eo, qui ignorabat ex promiſſione ſequi obligationem; aut ab eo, qui nolebat ſe obligare; qui enim non babet animum ſe obligandi, non obligatur; cum promiſſio ſit veluti lex privata, quam ſibimet imponit promittens; & obligat juxta intentio-

tentionem Legislatoris seu promittentis. Verum tamen est ex Sanch. lib. 1. disp. 9. & aliis, quod non requiratur in promittente expressa voluntas se obligandi, sed sufficiat tacita, & implicita; quia qui vult antecedens, censetur etiam velle consequens, quod naturaliter sequitur ex antecedente; ergo qui vult promittere, sciens naturam promissionis, vult etiam se obligare, cum obligatio naturaliter sequitur ex promissione; ut dicitur etiam de voto. Præterea sicut votum sine sufficienti deliberatione emissum non obligat, ne sub levi quidem; ita promissio hæc, si sit indeliberata, ut notat Perez sect. 3. & Con. dub. 2. Et ratio est, quia obligatio ex justitia in materia gravi semper obligat sub mortali, nunquam sub veniali, ut communius docent cum Less. cap. 4. obligatio autem orta ex promissione rigorosa sponsalium est obligatio justitiæ, & in materia gravi; ergo non potest obligare sub levi, si cum semiplena advertentia fiat talis promissio: sicuti non obligatur ad restitutionem ullam, ne sub levi quidem, qui graviter damnificavit ex semiplena deliberatione; (quamvis sub levi ad restitutionem teneatur, qui leviter damnificavit cum plena deliberatione) ut docent communius apud eundem Lessium, & alios. Et ratio est, quia onus restitutionis in materia gravi est grave; quod si damnum non oriatur ex culpa gravi, non potest parere onus grave, ut illud compensetur, eo quod pœna gravis culpæ non gravi non sit consentanea; ergo qui cum levi culpa ex semiplena deliberatione graviter damnificat, nullatenus ad ullam restitutionem obligatur.

IV. Requiritur secundo, quod promissio sit mutua, & acceptata; nam promissio regulariter non obligat, nisi acceptetur; habet enim hanc tacitam conditionem; videlicet, si alter illam acceptet; ut notat Sanch. lib. 9. disp. 5. Reginald. Perez, aliique: Solum in aliquibus casibus, in quibus aliter lex disponit, promissio non acceptata obligat, verbi gratia, si quid promittatur infanti, ex lege *Jubemus*, *Cod. de Emancipatione liberorum*; tunc enim jus positivum supplet defectum acceptationis; Sic etiam si promissio fiat Civitati, aut Ecclesiæ, vel ad causas pias, ut notat Less. cap. 18. num. 36.

V. Tertio requiritur, quod sit signo sensibili manifestata. Etenim promissio fit homini, qui non potest illam acceptare, & illius obligationem acquirere, nisi aliquo signo externo sibi manifestetur; in quo differt a voto, quod cum sit promissio facta Deo, qui intuetur cor, non debet exterius manifestari. Ex quo fit, quod si Titius promittat matrimonium Bertæ, & hæc taceat, non fiant sponsalia, quamvis Berta interius consentiat; quia promissio Bertæ secundum se non manifestatur per taciturnitatem.

Neque dicas; *In cap. finali*, *De desponsat. impuberum*, habetur: Valida esse sponsalia contracta a parentibus pro filiis puberibus, vel impuberibus, si isti consentiant, & non contradicant; ergo taciturnitas satis est ad sponsalia celebranda.

Nam respondeo, in tali casu satis esse taciturnitatem propter speciale jus positivum, quod illam accipit pro consensu. Imo Con. dub. 3. & Bonac. contra Sanch. putant ex laud. cap. colligi, etiam valida esse sponsalia a parentibus celebrata pro filiis absentibus, si isti, ubi hoc audierint, non contradicant. Notandum tamen, quod licet hoc sit verum, quando Pater, vel Mater, vel alius habens curam filiorum contrahit pro illis, non est tamen verum, si alius, qui curam filiorum non habet, pro illis contrahat. Et ratio est, quia in illo tantum casu jus accipit taciturnitatem pro consensu; At in hoc alio casu militat regula illa juris in 6. *Qui tacet*, *neque consentire*, *neque dissentire videtur*. Est quidem alia regula juris in 6. dicens: *Qui tacet*, *consentire videtur*: Sed hujus regulæ sensus est, quod tacens consentire videatur in eo, quod est in sui favorem, non vero in eo, quod est in sui præjudicium, & in ordine ad obligationem contrahendam.

VI. Rogabis: Sintne sponsalia Sacramentum, aut Sacramentale?

Respondeo, neque esse Sacramentum, nec ullum ex Sacramentalibus. Etenim non sunt signum efficax gratiæ a Christo institutum, (quod requiritur ad rationem Sacramenti novæ legis) sicut est matrimonium. Neque sunt instituta ab Ecclesia, tanquam cæremonia sacra ad impetrandum a Deo aliquem effectum; quod requiritur ad Sacramentale.

Neque obstat, quod D. Th. in 4. dist. 24. quæst. 2. dicat, Sponsalia esse Sacramentalia quædam matrimonii; sicut est exorcismus relate ad baptismum. Nam D. Th. tantum vult innuere, quod eodem modo sponsalia præcedant matrimonium, sicut exorcismus baptismum; non vero, quod sicut exorcismus est cæremonia sacra facta ab Ecclesia cum quibusdam orationibus, & ritibus ante baptismum instituta, ita similiter sponsalia: hæc enim solum approbantur ab Ecclesia; eo modo quo approbantur etiam in jure civili, & jure gentium tanquam contractus quidam naturalis prævius ad matrimonium.

VII. Quæritur secundo; Utrum ad valide celebranda sponsalia satis sit animus internus cum deliberatione, seu intentione deliberata virtuali, aut habituali promittendi matrimonium; an requiratur actualis deliberatio, & advertentia?

Ad quæsiti dilucidationem sciendum, quod advertentia, & deliberatio, seu intentio deliberata actualis, seu formalis dicatur illa, quam actu homo habet, quando fit opus; Virtualis vero dicitur, quæ fundatur in actuali, & manet in virtute illius, ita ut licet actualis deliberatio non existat, quando fit opus, censeatur tamen moraliter perseverare, & in opus influere: Hæc solet haberi in conficiendis Sacramentis; etenim intentio deliberata actualis sæpe non habetur, quando Sacramentum conficitur; quia tamen ab ea movetur homo ad operandum, dicitur cum intentione virtuali confici Sacramentum. Quare in casu nostro, si quis deliberavit promittere matrimonium Bertæ, & postea, quando promittit, distrahitur ab illa actuali deliberatione, & cogitatione, dicitur cum virtuali deliberatione promittere. Deliberatio demum habitualis dicitur, quæ nullatenus influit in opus, sed habetur in voluntate per modum habitus; sicut enim habitus non influit in actum, nisi quando determinatur a voluntate; ita qui habet deliberationem habitualem, non influit in actum; quamvis influeret, si ad illum adverteret. Inquiritur nunc, quænam ex his deliberationibus requiratur ad valide contrahenda Sponsalia?

Dico primo cum communissima contra Hurtad. disp. 1. diff. 9. Ad valorem contractus sponsalitii sufficere deliberationem, ac intentionem promittendi Matrimonium virtualem: Sicut eadem pariter deliberatio sufficit ad valorem matrimonii, necnon ad valide vovendum, & ad valorem aliorum contractuum. Ratio est, quia hic est modus agendi in hominibus, nec requiritur in contractibus humanis modus operandi exquisitissimus, videlicet cum deliberatione actuali; hic enim modus est præter humanam conditionem. Quare Donationes, Testamenta, Professio religiosa, &c. censentur valida præcise per hoc, quod ex præcedenti deliberatione moraliter perseverante fiant. Et ratio a priori est, quia in tali casu habetur formalis voluntas contrahendi sponsalia, orta ex deliberatione actuali moraliter perseverante.

Dico secundo; Ad valorem sponsalium non sufficit deliberatio, ac intentio promittendi Matrimonium habitualis; Sicut nec sufficit habitualis intentio relate ad conficienda Sacramenta. Ratio est, quia per talem deliberationem, seu intentionem actio non censetur esse humana; cum non procedat ab ulla deliberatione influente in ipsam.

Neque dicas primo; satis est intentio habitualis ad applicandum alicui Sacrificium; Nam si hodie applico Sacrificium crastinum pro Petro, quamvis hæc voluntas non sit causa, ut cras sacrificem, tamen si non revocatur, satis est, ut fructus Sacrificii prosit Petro; ergo etiam habitualis voluntas satis est ad valorem sponsalium, & Sacramentorum.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia applicatio Sacrificii est quædam donatio, & dispensatio fructus illius; ad donationem autem satis est voluntas habitualis; nam si ego nunc donem, verbi gratia, Titio domum sub conditione, quod crastina die veniat ea domus in meam potestatem, purificata conditione, statim domus evadit Titii sine ulla alia mea voluntate: ita accidit, quando applicatur alteri Sacrificium: At nec contractus, nec confectio Sacramenti habentur ab actione humana, si non procedant a deliberatione saltem virtuali: Esto ad suscipiendum aliquod Sacramentum, puta, Extremæ unctionis, satis sit intentio habitualis, & interpretativa, quia scilicet ad recipiendum minus requiritur, quam ad agendum.

Neque dicas secundo: Aliquando conjuges dormiunt, quando per Procuratorem celebratur contractus sponsalitius, aut matrimonialis; ergo ad valorem istorum satis est voluntas habitualis.

Nam negatur consequentia; in casu enim adducto Sponsi, aut Conjuges non habent meram intentionem contrahendi habitualem, sed virtualem; quia voluntas ipsorum præterita, & non revocata est causa, ut hic & nunc Procuratores ipsorum nomine contrahant, & sic intentio contrahentium virtualiter perseverat, & influit in contractum per voluntatem procuratorum.

VIII. Quæritur tertio; An ad valorem sponsalium spectet non solum voluntas promittendi, & se obligandi ad Matrimonium, sed etiam voluntas exequendi, seu ponendi matrimonium, quod promittitur.

Respondeo, & dico primo, Ad contractum sponsalium essentialiter requiri non solum voluntatem promittendi, sed etiam voluntatem se obligandi, ut habeatur vera promissio distincta a mero proposito, ut ostendunt Less. & Con. apud Martinum Perez: Quare si quis haberet animum promittendi, & non se obligandi, ignorando, quod ex natura promissionis sequatur obligatio, vere sponsalia non cotraheret; Sicut qui vellet emere, & nollet se obligare ad pretium solvendum, non celebraret contractum emptionis; Quia tamen ad naturam contractus sequitur obligatio, idcirco qui naturam contractus cognoscit, & non vult se obligare, vere non vult contrahere, quamvis oretenus dicat id velle; cum impossibile sit habere duas voluntates oppositas contrahendi, & non se obligandi.

Hic autem adverte, per promissionem sponsalium non conferri alteri solum jus ex fideli-

tate

tate, sed etiam ex justitia; ut docent communiter cum Vasq. & Perez contra Hurt. Ratio est, quia quoties contractus est mutuus, & onerosus, obligatio, & jus, quod ex eo oritur, est justitiæ, quæ respicit æqualitatem, & recompensationem rei æquivalentis; quod non respicitur a fidelitate: Si tamen promissio non esset mutua, tunc ex sola fidelitate consurgeret obligatio, dummodo promittatur matrimonium independenter a repromissione; Aliter obligatio est nulla, quia non obligat promissio facta sub conditione, quæ non purificatur: Quod si quis dubitet, an promiserit matrimonium cum animo se obligandi independenter a repromissione alterius, judicandum est, quod promiserit dependenter ab illa, seu sub conditione, quod alter pariter repromittat matrimonium. Ratio est, quia præsumitur, promisisse juxta naturam sponsalium, quæ ferunt promissionem utriusque contrahentis.

Dico secundo; ad valorem sponsalium non est necessaria voluntas exequendi, seu ponendi matrimonium, quod promittitur. Ita communiter cum Sanch. Filliuc. & aliis apud Perez contra Valent. Ratio est, quia ad valorem Sponsalium solum requiritur promissio, & voluntas se obligandi; hæc autem stare potest cum proposito non exequendi id, quod promittitur: Sicuti cum voto castitatis stare potest mala intentio fornicandi: & cum voluntate donandi, verbi gratia librum, stare potest voluntas illum comburendi. Ratio a priori est, quia per promissionem datur jus ad rem; potest autem dari jus ad rem, quin detur res ipsa, imo cum voluntate prava non dandi illam.

Neque dicas cum D. Th. 2.2. quæst. 88. art. 1. ad votum requiri propositum faciendi, cum promissio ex tali proposito procedat. Nam D. Th. loquitur de voto, & promissione, ut licite, & honeste, non vero ut solum valide fiant.

ARTICULUS II.

De Promissione ficta Sponsalium.

I. Promissio ficta non sufficit ad valorem sponsalium. Ea tamen in foro externo parit obligationem, non quidem naturalem, sed civilem.

II. Ficte promittens ad quid tenetur in foro conscientiæ?

III. Quid, si ficte promittens Virginem defloravit sub spe matrimoniali? Quod si quis consanguineam defloravit vere promittendo absolute matrimonium, num teneatur dispensationem petere, & stare promissis?

IV. Num possit pecunia damnum compensare hujusmodi deflorator, si sit notabiliter dignior? At quid si ea fuerit corrupta, & non disparis conditionis?

V. An possit ficte promittens negare coram Judice promissionem, quando non tenetur vi illius ad matrimonium.

VI. Si quis notabiliter dignior ficte matrimonium promittit Bertæ, sed cum juramento, num illam teneatur ducere ratione juramenti?

VII. Quid, si tale juramentum non confirmet, sed solum comitetur promissionem?

VIII. Et quid, si tam promissio sit ficta, quam juramentum?

I. Diximus, promissionem fictam, seu exterius factam sine animo promittendi, aut se obligandi, non sufficere ad valorem sponsalium, cum vere non pariat obligationem. Etenim obligatio sponsalium provenit ex sola voluntate promittendi. Certum tamen est, quod promissio ista ficta in foro externo aliquam pariat obligationem, non naturalem, sed civilem, videlicet non ortam a natura, sed a Republica, & a Principe humano.

II. Quæritur propterea primo, Ad quid teneatur in foro conscientiæ, qui ficte matrimonium promisit?

Respondeo, & dico; Qui ficte promittit matrimonium fœminæ non repromittenti, peccat quidem venialiter mentiendo, sed secluso damno, quod sequitur, ne sub veniali quidem tenetur eam ducere. Ita Sanch. disp. 10. Ledesm. Perez contra Vasq. Ratio est, quia neque tenetur ratione promissionis, cum fuerit ficta; neque ratione injuriæ; non enim habetur in casu nostro contractus onerosus, unde inferatur alteri injuria: Neque tenetur ratione damni, cum supponamus, nullum inde sequi damnum; ergo quamvis peccaverit venialiter mentiendo ficte promittens alteri non repromittenti, non per hoc tenetur, ne sub veniali quidem, stare promissis, utpote fictis.

Dico secundo; Ficte promittens matrimonium alteri repromittenti peccat graviter contra justitiam. Ita communiter. Ratio est, quia in quolibet contractu utrinque oneroso lex justitiæ præscribit, ut uterque serio contrahat; Aliter altera pars graviter deciperetur; eique gravis injuria fieret, dum dolo induceretur ad se obligandum; quod certe non faceret, si sciret alterum ficte promittere. Si tamen ex urgenti causa quis ficte promitteret, verbi gratia, ad vitandum scandalum, vel ob metum mortis, &c. tunc sane non peccaret graviter sic mentiendo, imo nec venialiter, si uteretur æquivocatione.

Dico tertio; Ficte promittens matrimonium, alteri repromittenti non solum peccat mortaliter contra justitiam, sed etiam tenetur contrahere matrimonium; nec satis est damnum illatum alia via resarcire. Ita communiter cum Ledesm. contra Molin. & Perez disp. 2. sect. 2. Ratio

tio est, quia quamvis non teneatur contrahere matrimonium ratione promissionis, utpote ficta, tenetur tamen ratione injuriæ irrogatæ; etenim cum violaverit justitiam ficto consensu, tenetur ponere verum consensum, & veram promissionem matrimonii, ut injustitiam auferat. Nec satis est pecunia, v.gratia, satisfacere; quia non satisfieret in eadem specie debiti; Sicuti enim qui furatus est, v. gr., equum, tenetur illum, si potest, restituere, ex *leg.* 2. *ff. si certum petatur*, nec satisfacit compensando pecuniis damnum illatum; ita qui peccavit contra justitiam non ponendo veram promissionem matrimonii, tenetur ex justitia illam ponere; qua posita, tenetur deinde etiam ex justitia contrahere matrimonium promissum.

Neque dicas cum Perez, quod licet peccaverit contra justitiam in intentione, non tamen in exequutione, cum nullum supponatur damnum irrogasse. Nam contra est, quia maximum damnum est, quod una pars tantum (videlicet quæ vere promisit) obligetur ad matrimonium, ad arbitrium alterius, altera vero pars, quæ ficte promisit, ad matrimonium non obligetur.

III. Infertur ex dictis primo, quod qui ficte matrimonium promisit, & sub ea spe defloravit Virginem, teneatur eam ducere; nec satis sit, quod damno deflorationis satisfaciat constituendo dotem. Ita Sanch. disp. 10. contra Perez, & Bonac. Ratio est, quia justitia commutativa exigit non solum, ut reddatur æquale, sed idem numero ex justitia debitum.

Infertur secundo ex Sanch. loc. citat. idem dicendum, quamvis promissio non fuerit mutua, sed vir promittat matrimonium Bertæ, si consentiat in deflorationem, & ipsa consentiat. Hic enim est perfectus contractus utrinque onerosus; nam Virgo consentit in deflorationem, ut tu obligeris absolute ad matrimonium; in omnibus autem contractibus utrinque onerosis, in quibus intervenit, facio, ut facias, vel do, ut des, quilibet tenetur ex justitia ponere verum consensum. Dubitatur acriter,: Num teneatur petere dispensationem, & ad Matrimonium obligetur, qui consanguineam, aut aliter impeditam defloravit sub spe Matrimonii illud promittens absolute, nulla facta mentione de petenda dispensatione.

Respondeo, Sanchez apud Croix lib. 3.part. 2. num. 317. cum aliis negare; quia cum talis promissio matrimonii absolute facta sit de re illicita, non obligat; unde satis est in tali casu, quod damnum deflorationis aliter compensetur. At Lugo disp. 12. de Just. num. 54. verius docet, quod teneatur; quia prommittens matrimonium implicite obligat se ad tollenda impedimenta: Sicuti si Religiosus promittat alteri decem, implicite obligat se ad petendam licentiam a suo Prælato.

IV. Quæritur secundo; Utrum quando vir est notabiliter dignior, si ficte promisit matrimonium Bertæ, & sub ea spe illam defloravit, teneatur eam ducere, an possit pecunia satisfacere?

Respondeo cum eodem Sanch., non teneri ad illam ducendam. Ratio est, quia vel Berta cognoverat excessum dignitatis viri, vel non; Si cognoverat, jam ipsa voluit decipi; Credere enim debebat virum adeo disparem ficte promissurum; Si vero non noverat, neque tenetur ducere, sed satisfacit dando justum pretium. Ratio est, quia neque tenetur ratione promissionis, ut patet, cum fuerit ficta; neque ratione injustitiæ, seu injuriæ illatæ, non ponendo consensum obligatorium, quia justitia obligat tantum ad ponendum æquale, & non superexcedens; in casu autem nostro consensus obligatorius fœminæ, & consensus viri notabiliter dignioris non sunt consensus æquales; pluris enim æstimatur consensus viri notabiliter dignioris, ut patet: ergo talis vir non tenetur ex justitia ponere verum consensum: Sicuti ficte promittens meretrici valde superfluum in sui corporis pretium, injustus quidem est decipiendo, non tamen ex justitia tenetur habere consensum reddendi nisi æquale: Quare potest deflorator in casu nostro satisfacere pecuniis pro damno illato.

Hinc infert probabiliter Sanch. contra Palud., & Cordub., & alios apud Croix n. 70., quod ficte promittens matrimonium fœminæ corruptæ, quamvis sit paris conditionis cum illa, & hæc sub ea spe tradiderit corpus, non teneatur illam ducere, sed possit alia via injuriam compensare; quia illam ducere est longe majus, & superexcedens, quam sit copula, quam offert fœmina corrupta; Nisi tamen talis fœmina esset bonæ famæ, infamiamque contraheret ex copula, ob quam non posset alteri æqualis conditionis nubere, tunc enim teneretur illam ducere.

Sed probabiliorem censeo cum Croix sententiam Palud., & aliorum, quod teneatur illam ducere; cum nec detur disparitas inter contrahentes, nec fraus ex parte fœminæ intercesserit. Et quamvis copula ab ea oblata sit longe minus, quam illam ducere; at ea non solum obtulit copulam, sed etiam obligavit se ad matrimonium ad arbitrium viri: ergo pariter debet vir ex justitia se obligare ad illam ducendam, ut habeatur in contractu æqualitas.

V. Dubitatur hic, An quando ficte promittens non tenetur ad matrimoninm, possit rogatus a Judice negare promissionem?

Respondet Sanch., & Croix de sponsalibus num. 66.,

num. *66.*, quod possit; ne si fateatur promissionem, (cum defectum intentionis probare nequeat) ad matrimonium cogatur. Ratio autem, cur id possit, est, quia responsio isthæc in tali casu non esset restrictio pure mentalis, & consequenter nec mendacium, sed esset ad mentem interrogantis: Judex enim interrogat, num promiserit, ita ut teneatur eam ducere; Quare si neget promisisse, non mentitur. Hinc Navar. apud eundem Sanch. dicit, quod rogatus a Judice num protulerit ea verba, Accipio te in meam, possit juramento negare, quod ea dixerit, si ficte ea protulit; Et Cov. cum aliis docet, quod interrogatus a Judice, num revera acceperit nummos, quos revera non debet restituere, possit jurare, se non recepisse; quia non recepit, ita ut teneatur tunc solvere. Sylvest. etiam V. *Mendacium* quæst. ultim. dicit, Clericum rogatum a custodibus, num aliqua portet, ob quæ ad gabellam solvendam compellatur, posse juramento negare, intelligendo se nihil portare, ita ut gabellam debeat. Additque Sanch., non solum posse negari promissionem datam, quando est certa causa non implendi illam, sed etiam quando est probabilis judicio prudentum; potest enim jurare, se non promisisse, ita ut teneatur, quia innixus opinioni probabili potest tuta conscientia se non obligatum existimare. Equidem tamen in expositione thesis 26. proscriptæ ab Innoc. XI. loquendo de restrictione non pure mentali, ac de æquivocatione, admittendam censui in similibus casibus, data causa sufficienti, restrictionem non pure mentalem; ita scilicet ut responsio ad mentem interrogantis vera sit, quamvis circumscriptis circumstantiis videatur falsa: Addidi tamen, longe majorem causam requiri ob reverentiam Numini debitam, ut hujusce formæ restrictionibus non pure mentalibus juramentum superaddatur.

VI. Quæritur tertio; An quando vir est notabiliter dignior, & ficte promittit fœminæ matrimonium juramento firmante promissionem, teneatur saltem ratione juramenti illam ducere, si sub ea spe defloravit?

Respondeo, Sot., Cajet., & alios affirmare: Sicuti enim qui ficte promittit solvere usuras, & jurat, tenetur solvere, non ratione promissionis, sed vi juramenti, ut omnes fatentur; Ita in casu nostro. Et ratio a priori videtur esse, quia juramentum obligat, etiamsi non cadat in promissionem, sed in simplicem assertionem faciendi aliquid.

Verum Perez disp. 3. sect. 5., Sanch. lib. 1. disp. 5., & alii docent oppositum; quia quoties promissio non obligat, nec obligat juramentum in illa promissione fundatum. Quod patet in casu ab omnibus admisso: Si quis enim promittat alteri sub juramento matrimonium, & alter repudiet promissionem semel acceptatam, certe promittens, cum non teneatur amplius ad matrimonium ratione promissionis repudiatæ, nec tenetur ratione juramenti confirmantis promissionem. Et ratio a priori est, quia quando principalis obligatio non subsistit, corruit etiam obligatio accessoria, ex Regula *Cum principalis ff. de Regulis juris*: etenim oblato fundamento corruit id, quod in eo fundatur; atqui in casu nostro juramentum fundatur in promissione, & per juramentum tantum asseritur ponendum id, ad quod vi promissionis ille tenetur; ergo quando obligatio orta a promissione est nulla pariter nulla erit obligatio juramenti confirmantis promissionem.

VII. Ad id, quod objicitur, respondeo, juramentum solvendi usuras non confirmare promissionem, sed illam comitari; & idcirco obligat: Nam qui id jurat, non jurat ponere solutionem usurarum, ad quam vi promissionis obligatur, sed simpliciter jurat solvere usuras; ergo ad solutionem obligatur, non vi promissionis, sed juramenti: At in casu nostro, qui promissionem matrimonii confirmat juramento, tantum jurat ponere matrimonium, ad quod vi promissionis obligatur; ergo si vi promissionis non obligatur ad matrimonium, nec vi juramenti obligabitur. Si tamen juramentum non esset confirmans promissionem, sed illam comitans, ut est juramentum solvendi usuras, concedo quidem, quod independenter a promissione obligaret: Regulariter tamen in sponsalibus juramentum solet promissionem confirmare; & idcirco communiter docent, quod si quis promittat alteri matrimonium sub juramento, illo repudiante promissionem semel acceptatam, nec promissio, nec juramentum obliget.

VIII. Quod si non solum promissio, sed etiam juramentum sit fictum, seu præstitum sine animo jurandi; (quamvis id non liceat ex propositione 25. damnata ab Innoc. XI.) illud ex motivo religionis non obligat, ut communiter etiam Doctores docent; cum non sit verum juramentum; Quicquid sit, An aliquando obligaret ex justitia, quia contrahentes ex justitia tenentur parem obligationem subire; unde si quis vere juraret matrimonium cum æquali contrahere, & alter ficte tantum juraret sine ulla causa excusante, certe ad matrimonium non ex religione, sed ex justitia teneretur.

ARTICULUS III.
De Promissione mere interna nubendi facta sive homini, sive Deo per Votum.

I. Promissio matrimonii facta homini, si sit mere interna, non obligat.

I. Po-

II. In quo differat propositum a promissione mere interna?
III. Votum nubendi solum per accidens potest esse obligatorium.
IV. Quandonam obligat votum nubendi ad vitandum periculum incontinentiæ?
V. Quid si quis voveat causa pietatis ducere Bertam pauperem? Num in tali casu voveantur duo per modum plurium, an per modum unius?
VI. Votum nubendi sine animo consummandi utrinque emissum, per se loquendo, est irritum.
VII. Nequit utrinque emitti votum nubendi, præcise ad finem recipiendi gratiam propriam Sacramenti matrimonii sine animo consummandi.

I. POtest quis promittere alteri actu mere interno matrimonium, in quo casu licet certum sit non contrahi sponsalia, dubium tamen est, an aliqua ex tali promissione consurgat obligatio, ut ea distinguatur a mero proposito? Dubium etiam hic est, an promissio matrimonii facta non homini, sed Deo, hoc est votum nubendi cum Berta, sit validum, & obligatorium? Videtur enim non esse de meliori bono.

Quæritur itaque primo; An promissio mere interna facta homini ullam obligationem inducat?

Respondeo, neque jure civili, neque naturali illam obligationem inducere: non jure civili, ut omnes concedunt; quia jus civile exigit acceptationem, ut promissio obliget: Neque jure naturali, ut communius docent cum Perez contra Molin. tom. 2. disp. 260. Ratio est, primo quia promissio consistit in locutione, seu affirmatione, qua quis alteri suam fidem offert, ut constat ex communi usu, & intelligentia; hoc autem non habetur in promissione mere interna; Secundo, quia communior sententia cum Sanch., & Less. docet, promissionem, ut obliget, debere esse acceptatam, idque provenire non solum ex jure civili, ut diximus, sed etiam naturali; Tum quia obligatio inter homines, quæ habetur ex promissione, non nascitur nisi mutuo duorum consensu; Tum etiam, quia adhuc promissio facta Deo non obligat, si ab ipso non acceptetur, ut si sit de rebus indifferentibus, nedum malis; Tum demum a priori, quia cum promissio fiat in favorem promissarii, includit tacitam illam conditionem, si scilicet acceptatur; beneficia enim non conferuntur invitis. Verum quidem est, quod promissiones factæ Civitati, vel ad causas pias non requirant acceptationem, ut obligent; quia hoc jure civili statutum est, ex *leg. 3. ff. De pollicitationibus*; in favorem enim Civitatis, & causæ piæ decernitur, ut non possit ad libitum revocari talis promissio ante acceptationem; sed decernitur etiam, ut promittens in tali casu non teneatur solvere, antequam petatur a promissario: Ex quo fit, ut nulla promissio obliget aut ante acceptationem, aut saltem ante petitionem,

II. Dices; si promissio matrimonii mere interna facta homini jure naturali non obligaret, sequeretur, quod non distingueretur a proposito nubendi; sequela non admittitur: ergo nec id, unde sequitur.

Respondeo, nego sequelam; etenim promissio interna habet obligationem radicaliter, & inchoative, seu in actu primo; ita ut si innotescat, & acceptetur, formaliter, & perfecte obliget; secus vero propositum. Ex quo fit, ut talis promissio, nec si juramento firmetur, obliget, ex dictis articulo superiore: Secus vero si fiat votum nubendi, ut mox dicemus. Etenim votum est promissio facta Deo; Juramentum vero est adductio Dei in testem veritatis assertæ; in casu autem nostro asseritur, quod fiat matrimonium, ad quod vi promissionis interne factæ homini obligamur; ergo cum non teneamur ad matrimonium vi talis promissionis; nec tenemur vi juramenti illam non comitantis, sed confirmantis.

III. Quæritur secundo; Utrum obliget votum, seu promissio facta Deo nubendi?

Respondeo, & dico primo, per se loquendo non obligare; cum tale votum non sit de meliori bono. Trident. enim sess. 14. Can. 10. definit, meliorem esse statum Virginitatis, & Cœlibatus, quam matrimonii. In hoc autem differt promissio facta Deo a facta homini; quod hæc respiciat bonum, & commodum promissarii; illa vero non solum respiciat, quod est in se bonum, & honestum, ita ut res indifferens non sit materia voti, sed etiam quod non est impeditivum majoris boni; matrimonium autem est impeditivum Virginitatis, quæ est majus bonum; ergo matrimonium non est materia voti. Dixi tamen, per se loquendo; nam per accidens matrimonium ratione circumstantiarum potest esse majus bonum, & sic votum de illo obligaret: Verbi gratia, si ex matrimonio sequeretur maxima Reipublicæ utilitas, Principum concordia, magna conversio infidelium, &c. Eodem modo, si fœmina deflorata fuit sub promissione matrimonii, ita ut deflorans teneatur ex præcepto justitiæ eam ducere; Etenim in tali casu votum castitatis non acceptaretur a Deo, & vovens matrimonium supponeretur impeditus a præcepto justitiæ suscipere statum altiorem cœlibatus.

IV. Dico secundo: Votum ducendi uxorem ad vitandum periculum incontinentiæ obligat, dummodo ad vitandam incontinentiam tale votum non solum sit utile, sed sit utilius, quam cœlibatus. Ita Perez disp. 3. sect. 3. ex Suar. Ratio est, quia in tali casu *Melius est nubere quam uri* ut dicitur 1. ad Corinth. 5., offerturque

Deo

Deo victoria incontinentiæ perfectior, quam haberi possit per Cœlibatum.

V. Dico tertio; Votum nubendi cum determinata persona factum causa pietatis, verbi gratia, cum paupere, vel cum meretrice, vel cum deflorata ab alio, ut liberetur, ab egestate, a peccato, ab infamia, est simpliciter invalidum; nisi fiat conditionate, videlicet, si ducturus sum uxorem, non aliam ducam. Ita Sanch. lib. 1. disp. 4. Perez, & alii contra Henr. Filliuc. Suar. tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 9. Ratio est, quia quamvis illud votum sit pium, at est impeditivum majoris boni, & altioris status perfectionis, qualis est cœlibatus, & status religiosus. Et sane quoties actus bonus est adeo tenuis, ut ejus carentia sit moraliter melior, tunc nequit esse materia voti, cum votum debeat esse de bono meliori; actus autem nubendi, etiam causa pietatis, non est bonum melius, quam sit ejus carentia, seu cœlibatus, qui magis abstrahit hominem a sæcularibus curis, & voluptatibus carnis, ex 1. ad Corinth. 7. Ergo non est materia voti. Nisi tamen, ut diximus, votum fuerit conditionatum, videlicet, si ducturus sum uxorem, voveo non aliam ducturum, quam hanc; tale enim votum procul dubio est validum. Quod si dubitetur, num votum emissum sit conditionatum, an absolutum? dicendum est, fuisse absolutum, ut magis faveamus libertati, quæ est in possessione; sic enim nullatenus obligat, cum sit invalidum.

Neque dicas cum Suar. contra Sanch. Votum nubendi cum determinata persona factum causa pietatis, etiamsi sit absolutum, obligare, saltem quoad partem materiæ, perinde ac si esset conditionatum, ita scilicet ut quamvis vovens non teneatur nubere, teneatur tamen, si velit nubere, non aliam ducere, quam personam illam determinatam.

Nam contra est, quia si votum non fuit condionatum, sed absolutum, omni ex parte est irritum; & tunc obligaret ad partem materiæ, quando vovens duo voveret, & uxorem ducere, & ducere pauperem; in hoc enim casu prior pars non esset materia voti, unde non teneretur nubere; esset tamen materia voti secunda pars, unde ex suppositione, quod vellet nubere, teneretur ducere pauperem. At in casu nostro votum respicit indivisim matrimonium cum tali persona; ergo simpliciter non obligat: Sicuti si quis voveat peregrinationem Lauretanam, ædificare templum, &c. si sit impotens ponere totum, quod vovit, liber est etiam a ponenda parte, quam potest. Et idem dicas, si per modum unius voveat recitare coronam, officium defunctorum, &c.: Secus vero, quando plura per modum plurium voventur, ut jejunare per totam Quadragesimam, recitare Horas Canonicas, &c. cum enim Ecclesia ad hæc obliget per modum rei dividuæ, qui ea vovit, censetur imposuisse sibi obligationem similem illi, quam ponit Ecclesia suis præceptis; unde si non potest totam Quadragesimam jejunare, tenetur ad partem, quam potest.

Urgebis cum eodem Suar. ex Regula juris 37. in 6. *Utile non debet per inutile vitiari*: Ergo licet tale votum sit inutile, & non obliget quoad ducendam uxorem, est utile tamen, & obligat quoad ducendam illam pauperem in casu, quod vovens velit uxorem ducere.

Respondeo, Regulam illam intelligendam esse, quando potest utile ab inutili separari ex ipsa natura rei, & ex modo promittendi; quando autem quis vovet connubium cum paupere, vel cum meretrice, non est separabile connubium ab ipso opere pio ex modo promittendi; cum promittatur utrumque per modum unius, & non per modum plurium separabilium.

VI. Dico ultimo; Votum nubendi sine animo consummandi per se loquendo est irritum, etiamsi utrinque habeatur talis animus. Ita Suar. Sanch. Perez sect. 4. contra Sot. Ratio est, quia quamvis tale votum non irroget alteri injuriam, cum fiat ex utraque parte; neque impediat castitatem, cum possit vovens ingredi Religionem: impedit tamen statum cœlibatus simplicis, qui est melior, quam status matrimonii, quamvis cum animo non consummandi; Ac præterea constituit hominem in gravi periculo manendi in statu conjugali petendo a voto dispensationem; unde difficiliorem redderet viam perfectionis; Atqui non solum opponitur meliori bono id, quod excludit perfectionem, sed etiam quod reddit illam difficiliorem; ergo votum de matrimonio solum quoad vinculum, seu de matrimonio rato non est de meliori bono, atque adeo invalidum.

VII. Dixi tamen, per se loquendo; aliquando enim ratione circumstantiarum est validum; ut si homo teneatur matrimonium contrahere propter bonum commune, & pacem alicujus Regni, vel ad legitimandos filios ex concubina genitos, vel ratione nocumenti facti, si aliter satisfieri nequeat, nisi nubendo; vel demum si interveniat specialis revelatio divina, qualem interfuisse Matrimonio B. Virginis cum S. Joseph, communiter Scholastici docent; in his enim casibus votum non est impeditivum status perfectioris, videlicet cœlibatus, sed supponitur, quod homo aliunde sit impeditus, ut non possit in statu cœlibatus vivere.

Dices; Quilibet habet jus ante matrimonii consummationem ingrediendi Religionem, invita parte, necnon manendi in sæculo, si uterque conjux conveniat de non consummando; quod de S. Henrico, & Gunegunda, ac de aliis legitur: Ergo vovere matrimonium ad finem

duntaxat suscipiendi tale Sacramentum, ejusque gratiam sine animo consummandi, non videtur illicitum.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam; nam si quis post matrimonium voveat non consummare, sed Religionem ingredi, nulli facit injuriam, sed utitur jure suo; & consulit saluti animæ suæ, quod majus bonum est, quam sit damnum, quod patitur pars relicta: Contra vero, si ante matrimonium voveat, illo Sacramento suscepto, non consummare, irrogat injuriam alteri parti, quæ si sciret talem animum, procul dubio matrimonium non contraheret, ne se exponeret infamiæ, dum a viro statim relinquitur; Neque potest utraque pars ad id convenire, ut gratiam talis Sacramenti suscipiant, quia matrimonii Sacramentum non est institutum ad talem finem, ut solum propter gratiam, quam confert, suscipiatur, sed ad procreationem prolis, & remedium concupiscentiæ; Ergo eo fine principali cessante, non expedit illud suscipere; sed augmentum gratiæ per alia Sacramenta, & pia opera comparandum.

ARTICULUS IV.

De Verbis, & aliis signis, & modis, quibus sponsalia contrahuntur.

I. Quænam signa externa spectent ad valorem sponsalium?

II. Quid si dubitetur, an signa externa exprimant consensum in sponsalia, an in matrimonium? Absolutumne, an conditionatum?

III. Quid si Titius uni ex pluribus sororibus indeterminate matrimonium promittat, & promissio ab omnibus acceptetur?

IV. Quandonam taciturnitas sit sufficiens signum constitutivum sponsalium?

V. Sex modis sponsalia valide contrahuntur.

I. CUM sponsalia more humano contrahi debeant, atque adeo eorum promissio debeat signo externo manifestari, inquirendum: Quibus verbis, aut aliis signis exprimi debeat, ac soleat isthæc promissio?

Quæritur itaque primo; Quænam signa sensibilia requirantur ad valorem sponsalium?

Respondeo, requiri, & sufficere omnia illa signa, quæ hic & nunc, spectatis omnibus circumstantiis, satis exprimunt parti internum consensum; quin requirantur verba ulla determinata. Quare si partes conveniant aut invicem, aut ex consuetudine loci recepta, ut manuum constrictio, verbi gratia, signum sit interni consensus, sufficienter per tale signum constituerentur sponsalia. Et de facto apud quosdam Indos, teste Con., contrahuntur sponsalia per hæc verba: Ego te sepeliam, si supervixero.

II. Si tamen signa externa sint dubia, semper ita interpretanda sunt, ut minimam obligationem inducant. Quare si certum sit, quod aliqua verba internum consensum exprimant, dubium vero sit, num significent consensum in sponsalia, an in matrimonium? ut si dicatur, Accipio te in uxorem in crastinum, dicendum, quod sponsalia, non autem matrimonium constituant; ut quantum fieri potest, faveamus libertati possidenti: Quamvis revera Con., Hurtad., & alii Contra Victor., & Sanch. velint, quod hujusmodi verba matrimonium potius significent, quam sponsalia; quia sensus illorum videtur esse, Volo nunc, ut crastina die sis mea uxor; ita ut non promittatur matrimonium, sed tradatur corpus pro crastina die.

Dubium etiam est, An hæc verba, non aliam præter te ducam, sufficiant ad sponsalia? Negat Sanch., Con., Henr. contra Palud, & plures Canonistas. Ratio est, quia sensus illorum verborum est conditionatus, videlicet, si uxorem ducam, nonnisi te ducam. Verum si hujusmodi propositiones exceptivæ respiciant tempus præsens, aut præteritum, videntur esse absolutæ; si vero respiciant tempus futurum, videntur esse conditionatæ. Hinc si dicatur, nullus Apostolorum, præter Judam, tradidit Dominum, vel, nonnisi Petrus currit, videtur absolute significari, quod Judas Dominum tradiderit; vel quod Petrus currat, & nemo alius præter Petrum. Hinc verba ista, Nullam aliam volo in uxorem præter te, videntur sufficere ad matrimonium, quia habent significationem absolutam; cum sensus sit, Te, & non aliam volo in uxorem: Contra vero hæc verba, nullam aliam ducam præter te, non videntur sufficere ad sponsalia; quia habent significationem conditionatam, denotando, quod, si uxorem sim ducturus, nonnisi Te ducam. Ratio disparitatis ex Perez disp. 4. sect. 4. est, quia propositio exceptiva, quando respicit tempus præsens, vel præteritum, significat objectum determinate: Contra vero quando respicit tempus futurum: Unde qui vovet, nullam aliam Religionem se ingressurum, præterquam Capucinorum, non videtur absolute obligandus ad ingressum ad illam Religionem, sed solum conditionate, si scilicet velit esse religiosus.

Cæterum circa signa dubia relate ad sponsalia in foro interno standum est intentioni contrahentium, cum ab ea pendeat valor illorum; in foro autem externo standum est signorum significationi, juxta circumstantias, & loci consuetudinem.

III. Quæritur secundo; An ex verbis disjunctivis consurgant sponsalia; ut si Titius dicat pluribus fœminis; Ducam aliquam ex vobis, quam elegero, & illæ repromittant?

Re-

Respondeo, in tali casu, non haberi in rigore sponsalia, quæ cum ordinentur ad matrimonium, debent respicere personam determinatam, sicut respicit matrimonium. Præterea debet ex sponsalibus consurgere impedimentum publicæ honestatis; quod certe non consurgeret in casu nostro, si scilicet Titius pluribus sororibus matrimonium promittat disjunctive. Dico tamen, quod Titius teneretur ex vi contractus initi unam illarum eligere, & ducere. Quod si cum una haberet copulam, censendum, illam elegisse, nisi aliud exprimat; ut notat Rebel., Con., quia non præsumitur illa aliter concedere usum sui corporis, nisi sub spe futuri matrimonii.

IV. Quæritur tertio; An aliquando taciturnitas, tamquam signum externum consensus interni, sponsalia constituat?

Respondeo affirmative, ut diximus articulo primo, numero quinto. Et primo quidem aliqui pro aliis tacentibus ex istorum mandato sponsalia contrahunt, ut patet: Si enim sponsalia contrahi possunt per Procuratorem, & Internuncium, pariter contrahi possunt ab aliis de mandato principalium. Secundo; quando parentes contrahunt pro filiis præsentibus, horum taciturnitas habetur pro signo externo consensus interni, ex cap. unico *de Desponsatione impuberum in 6.* Et quod dicitur de parentibus, probabiliter ex Perez, Con., Bonac. contra Sanch. & Rebel extenditur ad Tutores, Curatores, & alios, qui loco parentum curam habent pupillorum, aut minorum; Nam in his casibus Pupilli, & minores scientes, quid agatur, & non contradicentes, cum facile possint, consentire videntur. Ratio autem, quare Bonif. VIII. in laud. cap. solum meminerit Parentum, non vero Tutorum, & Curatorum, est, quia Parentes regulariter pro cura, & solicitudine filiorum sunt, & de illis copulandis frequentius agunt. Alii autem nonnisi in defectum Parentum.

Oppones: Taciturnitas filii, pro quo spondet Pater, provenire potest ex metu reverentiali erga Patrem; ergo non est signum consensus interni.

Respondeo, nego consequentiam; nam etiam verba affirmantia proferri possunt ex metu reverentiali, nec proinde sequitur, quod non sint signa consensus interni: Si tamen filius ex metu reverentiali aut taceat, aut expresse annuat sine interiori consensu, procul dubio in foro interno sponsalia sunt invalida, & solum sunt valida pro foro externo: Si vero ex metu reverentiali aut taceat, aut annuat cum consensu interno, sponsalia sunt etiam pro foro interno valida, ut dicemus quæst. seq. art. 8., & quæst. 4. art. 2. Etenim metus reverentialis cadens in constantem virum irritat solum contractum matrimonialem, alios vero contractus non reddit irritos, sed irritandos.

V. Quæritur quarto; Quot modis sponsalia contrahantur?

Respondeo, sex modis posse valide contrahi, ut constat ex hactenus dictis. Primo quidem publice coram Parocho, & testibus, ut matrimonium. Secundo privatim, & clandestine, solis consciis contrahentibus; Etenim solum matrimonium clandestinum a Trident. invalidatur, ut declaravit Sacra Congregatio apud Rebel. lib. 4. sect. 3., & communiter Doctores docent contra nonnullos apud Sanch. lib. 1. disp. 12. Tertio, per verba: Verbi gratia, Promitto tibi matrimonium. Quarto, per varia signa, verbi gratia, per subarrhationem, seu per annuli donationem, & receptionem, ubi ex consuetudine loci hæc sunt signa sponsalium. Aut si post tractatum inter amicos de matrimonio inter Titium, & Bertam, Titius mittat Bertæ pecuniam, vel jocalia, & illa acceptet; Aut si vir apprehendens fœminæ manum dicit, Do tibi fidem de matrimonio contrahendo, & illa manum non retrahat. Quinto, per Parentes, Tutores, Curatores, qui pro liberis, pupillis, minoribus, etiam absentibus, contrahunt, ipsis scientibus, & non contradicentibus. Sexto, per Procuratorem, seu internuncium, aut per literas.

ARTICULUS V.

Quinam possint Sponsalia contrahere.

I. Jure Canonico ad valorem sponsalium requiritur saltem septennium.

II. Ultima dies temporis requisiti ad sponsalia, ad Matrimonium, ad Testamentum sufficit, si sit incœpta; ad Professionem vero debet esse completa.

III. Sponsalia invalida ex defectu ætatis non ratificantur sine notitia nullitatis.

IV. Si malitia suppleat ætatem, probabiliter valida sunt sponsalia ante septennium. At quid pro foro externo?

V. Num possint Parentes, aut Tutores contrahere sponsalia pro filiis, aut pupillis ante septennium?

VI. Habens votum castitatis, si promisit fœminæ matrimonium sub conditione copulæ, ad quid tenetur post copulam obtentam?

VII. Num sint valida sponsalia inter notabiliter inequales?

VIII. Cur offerens pretium excessivum pro re, quam emit, non teneatur solvere, nisi pretium justum; Nobilis vero offerens prodige matrimonium plebejo, teneatur stare promissis?

I. HActenus explicavimus rationem formalem essentialiter requisitam ad sponsalia perficienda, agendum nunc de habilitate perso-

ſonarum contrahentium, inquirendo, Quænam ætas in illis requiratur? Et quænam impedimenta contractum invalident, inſpecto ſtatu, & conditione contrahentium?

Quæritur itaque primo; Quænam ætas requiratur in contrahentibus ſponſalia?

Reſpondeo, jure naturæ requiri, ut contrahentes habeant uſum rationis, jure vero canonico, ut habeant ſaltem ſeptennium, quando ſolet perfectus uſus rationis regulariter advenire.

II. dubium eſt primo; An valida ſint ſponſalia; ſi paulo ante ſeptennium celebrentur, verbi gratia, octo, vel decem dies ante; cum in jure parum, & nihil æquiparentur; & ex Ariſtot. 1. phyſicor., quod parum diſtat, nihil diſtare videatur.

Reſpondeo cum Sanch., Con., & aliis communiter contra Sot., & Henr., eſſe invalida, niſi malitia ſuppleat ætatem, (ut mox dicemus) ſeu niſi perfectus uſus rationis ante ſeptennium habeatur. Ratio eſt, quia terminus a Jure præſcriptus conſiſtit in indiviſibili, nec in tali caſu parum reputatur pro nihilo: Unde profeſſio religioſa ante decimum ſextum annum eſt invalida; Et idem dicas de anno Novitiatus. Sanch. tamen docet, ſufficere, quod ultima dies ſeptennii ſit incepta, & nondum completa, & hoc favore matrimonii. Etenim non minus eſt favorabile matrimonium, quam teſtamentum; ſed ad teſtamentum, in quo requiruntur quatuordecim anni completi, ſufficit, ſi ultima dies ſit incepta, ex leg. *Qua ætate de Teſtamentis*: Ergo etiam ſufficit ad matrimonium, & ſponſalia: Non tamen in profeſſione religioſa, aut in anno novitiatus, quem a momento ad momentum vult computari Trident. ſeſſ. 15. cap. 15. Et diſparitas eſt, quia ſponſalia, Teſtamentum, & Matrimonium ſunt magis favorabilia, quam Profeſſio religioſa; cum natura magis ad illa, quam ad hanc inclinet.

III. Adverte tamen, quod ſponſalia ex defectu ætatis, vel uſus rationis invalida poſſint poſtea fieri valida, ſi expreſſe, vel tacite a ſponſis ratificentur, poſtquam noverint, quod fuerint nulla; Nam ſi id neſciant, non revalidantur per ratificationem; ſicut nec Profeſſio religioſa, aut votum; Ratificatio enim procederet ex errore; & non præſumitur voluntas ſe obligandi abſolute in ratificante, ſed conditionate, ſi ſcilicet antea fuerint invalida ſponſalia contracta; Niſi tamen expreſſe velit ſe obligare, etiamſi priora ſponſalia fuiſſent nulla. Ratificantur autem ſponſalia, vel conſentiendo de novo, vel ſimul habitando, aut more ſponſorum oſculando, vel mittendo munera.

IV. Dubium eſt ſecundo; An valida ſint ſponſalia ante ſeptennium celebrata, ſi malitia ſuppleat ætatem, ſeu ſi uſus rationis perfectus ante ſeptennium habeatur.

Reſpondeo cum Sanch. diſp. 16., Rebel., Laym., & aliis communius ex D. Th. affirmative contra Hurtad. diſp. 1. diff. 4., & alios. Ratio eſt, quia validum eſt matrimonium ante ætatem præſcriptam contractum, ſi malitia ſuppleat ætatem, hoc eſt ſi potentia generandi, quam jus requirit ad valorem matrimonii, habeatur in viro ante decimum quartum, & in fœmina ante duodecimum annum, ut habetur in *Cap. de Illis*, *&* *in cap. ult. de deſponſatione impuberum in 6.*; atqui ſponſalia præcedunt matrimonium, ut via ad terminum, & ut diſpoſitio ad formam; ergo quamvis in jure ſolum definiatur, quod matrimonium ante præſcriptam ætatem ſit validum, ſi malitia ſuppleat ætatem; idem tamen etiam dicendum de ſponſalibus.

Confirmatur; nam ideo jus præſcribit ſeptennium ad valorem ſponſalium, quia requirit in contrahentibus plenum uſum rationis, qui tali tempore ſolet haberi; ergo ſi par uſus rationis in aliquo vel naturaliter, vel ſupernaturaliter habeatur ante ſeptennium, valida erunt pariter ejus ſponſalia: Sicut ex oppoſito erunt invalida, ſi poſt ſeptennium aliquis adhuc careret uſu rationis; quamvis, adveniente deinde uſu rationis, poſſent illa expreſſe, vel tacite ratificari, & ſic fieri valida, ut notavimus.

Neque dicas primo cum Hurt. Ubi ætas præſcribitur a jure, præveniri nequit, ut conſtat in profeſſione religioſa, quæ invalida eſt ante ætatem præſcriptam, etiamſi eadem plena deliberatio habeatur in aliquo ante decimum ſextum annum, ac ſoleat in aliis poſt decimum ſextum haberi; Ergo etiam in caſu noſtro.

Nam diſtinguo antecedens. Quando jus præſcribens certum tempus nihil excipit, ut in caſu adducto profeſſionis, concedo; quando vero ju expreſſe, vel tacite excipit, nego antecedens & conſequentiam. Cum enim in jure præſcribente ætatem matrimonii, & ſponſalium expreſſe definiatur, matrimonium eſſe validum ante ætatem præſcriptam, ſi malitia ſuppleat ætatem, conſequenter idem implicite definit in ſponſalibus. Præterquamquod ex ipſo jure indicante finem legis hoc manifeſte colligitur; etenim attendendus potius eſt finis, qui eſt anima legis, quam verba, ex *Cap. penult. de Reg. juris in 6.*, Adde, quod ſi matrimonium, cum ſit indiſſolubile, eſt validum, quando malitia ſupplet ætatem, a fortiori ſponſalia inter impuberes, quæ ſunt diſſolubilia, per hoc ſcilicet, quod alter, pubertatem adeptus, reclamet.

Neque dicas ſecundo; Idem judicandum eſt in foro interno, ac in externo; atqui in foro externo cenſentur invalida ſponſalia ante ſeptennium contracta, etiamſi malitia ſuppleat ætatem; ergo etiam in foro interno.

Nam

Nam distinguo majorem. Quando forum exterius nititur in falsa præsumptione, ut in casu nostro, nego majorem, quando non nititur in falsa præsumptione; concedo majorem, minorem, & nego consequentiam; præsumptio enim cessat, & cedit veritati, quando constat adesse usum rationis.

V. Dubium est tertio; An possint parentes, aut tutores contrahere sponsalia pro filiis, aut pupillis, qui nondum ad septennium pervenerunt?

Respondeo, posse ex gravi necessitate; ut constat ex cap. *Infantes de Desponsat. impuberum in 6.*, quamvis debeant deinde ratificari expresso consensu a filiis, quando ad usum rationis pervenerint, qui tamen consensus in foro externo præsumitur adesse, si filii taceant, & non contradicant, cum septennium compleverint.

VI. Porro quod attinet ad impedimenta contrahentium sponsalia, indubitatum est, debere illos carere omni impedimento perpetuo ad matrimonium non solum dirimente, sed etiam impediente; ut est votum simplex castitatis. Et ratio est, quia nemo potest se obligare ad matrimonium, quod licite contrahere non potest; nulla enim promissio rei illicitæ obligat: Si tamen impedimentum esset tantum temporale, licita sunt sponsalia; ut inter impuberes. Quod si quis habens impedimentum perpetuum promittat matrimonium sub conditione, quod obtineatur dispensatio, valida est promissio; sed donec impleatur conditio, non habet vim sponsalium; cum hæc constituantur per promissionem absolutam. Adverto demum, dici impeditos ad valide contrahenda sponsalia, qui sunt cœci simul, ac surdi, & muti, ut notat Sanch. disp. 8. num. 30., quia qui omnibus his defectibus laborant, nequeunt scire naturam, & finem contractus, ac modum contrahendi.

Quæritur nunc secundo; Si habens votum castitatis, vel non nubendi, vel Religionis, &c. (quod impedit matrimonium, & consequenter reddit irrita sponsalia) promittat fœminæ honestæ matrimonium sub conditione copulæ, & hæc obtineatur, teneturne ille servare votum, an vero eam ducere?

Respondeo, Sanch. lib. 1. disp. 45. Vasq. & alios existimare, quod teneatur illam ducere, quia obligatio justitiæ fortior est, quam obligatio voti; cum nemo possit retinere, vel usurpare alienum, ut satisfaciat voto: Unde si Petrus, verbi gratia, voveat dare eleemosynam, & postea alteri inferat damnum, nec possit utrique obligationi satisfacere, tenetur damnum compensare, & non dare eleemosynam, quamvis prius sub voto promissam. Basilius tamen Pontius docet, in tali casu debere virum petere dispensationem voti, si aliter non possit damnum compensare. Demum Perez disp. 5. sect. 1. putat, debere simpliciter matrimonium contrahere, quando non potest alia via compensare damnum illatum; Nec teneri petere dispensationem; quia votum simpliciter in tali casu non obligaret quoad redditionem debiti, sed solum quoad petitionem, & quod mortua uxore votum absolute servetur. Addit tamen Perez, quod si possit damnum illatum fœminæ alia via compensari, puta constituendo illi dotem, &c. possit in tali casu vir ad libitum vel servare votum, vel illam ducere: Potest quidem servare votum contra sententiam Sanch., & Vasq., eo quod non teneatur eam ducere, nec ratione damni illati, cum possit huic alia via satisfacere, nec ratione promissionis, utpote rei illicitæ, posito quod habebat votum castitatis: Ex alia parte potest ad libitum illam ducere, quia votum illud non amplius obligat. Et ratio est, quia universim votum non obligat, quando res promissa fit notabiliter gravior, & durior, quam erat tempore, quo fuit factum votum; non enim habuit tunc intentionem se obligandi ad rem illam, nisi prout erat; & si prævidisset, eam evasuram longe duriorem, non emisisset votum; atqui in casu nostro castitas promissa facta est notabiliter gravior; nam si servaretur castitas, deberet cum magno impendio pecuniæ constitui dos fœminæ corruptæ; ad quod non se obligasset vovens, si id prævidisset; ergo non tenetur votum servare, & cum magno incommodo, seu jactura rerum temporalium constituere illi dotem, sed potest illam ducere.

Neque dicas cum Hurt. disp. 1. diff. 21., tunc votum non obligare, quando res promissa evadit durior notabiliter, sed involuntarie; in casu autem nostro per culpam voluntariam castitas promissa evadit notabiliter gravior, ferens secum dispendium rerum temporalium in constituendo dotem; ergo in casu nostro votum obligat.

Nam Suar. lib. 4. de Voto cap. 19. docet, universim verum esse, quod votum non obliget, quando materia voti est adeo mutata, ut si a principio sic extitisset, homo non vovisset, sive cum culpa, sive sine culpa voventis accidat talis mutatio. Etenim culpa solum relinquit onus pœnitendi, nec efficit, ut homo teneatur ad id, quod moraliter servare non potest. Quare si gravis difficultas in re promissa adimens potentiam moralem voventis ad eam ponendam oriatur voluntarie ex propria culpa, sive oriatur involuntarie, semper tollit obligationem servandi votum.

VII. Quæritur tertio; An notabilis disparitas inter contrahentes sit impedimentum ad valorem sponsalium?

Respondeo, si contrahentes nesciant notabilem hanc status, et conditionis disparitatem, con-

contractum esse irritum; ut est certum: Si vero sint conscii, censeo cum Sanch., Molin., & aliis apud Perez, & Dianam part. 9. tract. 7. resol. 71., sponsalia esse valida, nisi magnum scandalum ex iis oriatur. Probatur tum ex praxi Ecclesiæ cogentis servare fidem talium sponsalium; tum quia quando contrahens est sui juris, & videt disparitatem, & excessum, & tamen contrahit, censetur liberaliter donare excessum illum.

Confirmatur, quia prodiga promissio, quamvis non vacet culpa, si tamen est acceptata, obligat. Et ratio est, quia ipsa largitio prodiga (quæ est executio promissionis) tunc solum est actus illicitus, quando qui prodige largitur, non est obligatus ad talem largitionem; at postquam ad illam vel promissione, vel juramento se obligavit, est adimpletio debiti jam contracti, & consequenter est actus honestus fidelitatis, aut justitiæ, vel Religionis: Ergo pariter in casu nostro, quamvis peccaverit puella nobilis prodige promittendo matrimonium plebejo contra voluntatem parentum; at si non sequatur grave scandalum, tenetur ad matrimonium promissum. Multa enim cum culpa, & imprudenter promittuntur, quæ deinde executioni mandanda sunt, ut constat ex communi omnium sententia in casu, quo quis promittat alteri pretium propter malum patrandum, verbi gratia, propter homicidium, vel fornicationem; certe talis promissio est illicita, utpote provocans ad malum; at post peccatum patratum obligat in conscientia, quia tunc adimpletio promissionis est licita, & actus honestus fidelitatis. Quare sicuti dare pretium sicario pro homicidio patrando est actus illicitus, si non præcesserit promissio illicita; est vero actus licitus, & debitus, si præcessit illicita promissio, & executio homicidii; ita pariter in casu nostro matrimonium inter notabiliter dispares cum offensione parentum est actus illicitus, si promissio illicita non præcesserit; secus vero, si ea præcessit; unde fit, hujusmodi sponsalia illicita quidem esse, sed valida.

Dixi tamen, nisi magnum scandalum suboriatur, seu timor probabilis pessimi exitus, & odii capitalis inter contrahentes, aut inter consanguineos. Et ratio est, quia virtus justitiæ non obligat ad actum peccaminosum; atqui actus peccaminosus est contrahere matrimonium cum magno scandalo, quando scilicet notabiliter læditur charitas proximi, & cognatorum amicitia dissolvitur: ergo sponsalia in tali casu non obligant ex justitia ad contrahendum matrimonium, atque adeo sunt irrita.

VIII. Oppones: Qui prodige promittit meretrici pro usu corporis magnum pretium, non tenetur stare promissis, ut docet Sot. lib. 4. de Just. quæst. 7. Salon., & alii; ergo neque puella nobilis prodige promittens matrimonium plebejo.

Confirmatur, quia, quando in contractu est notabilis inæqualitas pretii, nemo obligatur ad illud solvendum: si enim offeram pro pretio unius panis centum aureos, non teneor solvere, nisi justum pretium; Ergo neque tenetur ad matrimonium cum plebejo puella nobilis, quamvis illud promiserit.

Respondeo, nego utriusque argumenti consequentias. Disparitas est, quia in utroque casu nemo censetur liberaliter donare excessum, cum velit solum in pretium offerre id, quod offert; quod si vellet liberaliter dare, etsi peccaret, offerendo prodige, non tamen peccaret adimplendo promissum, sed ad illud, ut diximus, teneretur: At in casu nostro matrimonium, quod promittitur prodige, cum non offeratur in pretium, censetur liberaliter offerri, donando excessum; ergo quamvis peccet puella nobilis prodige promittendo matrimonium plebejo, tenetur tamen stare promissis.

ARTICULUS VI.

De Obligatione, quæ consurgit ex Sponsalibus.

I. Sponsalia obligant ad abstinendum a Sacris Ordinibus, non tamen ab ingressu in Religionem. Qui tamen post illa Sacros Ordines suscepit, tenetur damnum reparare.

II. Num possint Sponsalia presse dicta contrahi cum mutua obligatione sub levi?

III. Num vovens, aut jurans possit sub levi se obligare in quacumque materia?

IV. Juramentum de patrando peccato levi num sit culpa gravis?

V. Num promissio matrimonii gratuita ex sola fidelitate obliget sub gravi?

VI. In quo differat obligatio ex justitia ab obligatione gravi ex fidelitate?

VII. Num Sponsi, si fornicentur, aperire debeant in confessione, quod Sponsalia contraxerint, quatenus injuriam alteri sponso irrogarint?

VIII. An possit in contractu Sponsalium apponi pœna luenda a resiliente?

IX. Sponsus jurans se soluturum pœnam, si resiliat, num vi juramenti ad illam teneatur, si juste resiliat?

X. Num licite in Sponsalibus arrhæ apponantur?

XI. Possitne Sponsalibus addi pactum habitandi in aliquo determinato loco?

I. Certum est primo, Sponsalia directe obligare ad matrimonium contrahendum, nisi rationabilis causa excuset; ac proinde obligant ad abstinendum ab omnibus iis, quæ ma-

matrimonium impediunt, puta a susceptione Ordinis Sacri; non tamen ab ingressu Religionis, quod a jure conceditur.

Certum est secundo, obligationi Sponsalium, quam diximus esse ex justitia, non posse pecunia, aut alia via satisfieri, quam per matrimonium; cum numeretur inter obligationes faciendi, quæ tum jure naturali, tum positivo dicuntur obligationes præcisæ, quibus scilicet non potest promissor, invito promissario, per pretium satisfacere. Unde fit, ut qui post prima Sponsalia cum Berta, contraxit secunda cum Teresia, interponendo in secundis jusjurandum, non solum peccarit, sed etiam teneatur ad servanda prima Sponsalia; Juramentum enim præstitum in secundis non potest esse vinculum iniquitatis. Quod si post Sponsalia contracta suscipiat quis Ordines Sacros, vel matrimonium cum alia contrahat, peccat quidem, sed cum non possit amplius Sponsalia servare, tunc tenetur pretio, vel alia via satisfacere.

Certum est tertio, quod si præfigatur dies matrimonio contrahendo, ille servandus sit, nisi postea aliter conveniant; Si vero nullus dies præfigatur, debent nuptiæ contrahi data proxima occasione, ex regula 14. *ff. de Regulis juris*, ubi dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; cum hæc videatur esse intentio bona fide contrahentium. Quod si pars sponte dilationem concedat, potest differri: Præsumitur autem dilationem concedere, si, cum facile possit, non urget impletionem promissionis; Sicuti creditor potens facile debitum petere, & non petens censetur dilationi consentire: Secus accidit, si ob metum, vel oblivionem, vel ob desperationem profectus, cessaret promissa, vel debitum exigere. Discutienda nunc sunt aliqua de intrinseca obligatione Sponsalium; quæ scilicet oritur ab ipsa eorum natura: Alia etiam de extrinseca obligatione conventionali; quæ scilicet oritur ex speciali pacto inter contrahentes.

II. Quæritur itaque primo; An possint Sponsalia obligare tantum sub veniali ex intentione contrahentium nolentium invicem obligare se sub gravi?

Respondeo, tres esse Sententias. Prima Sanch. lib. 2. disp. 9. affirmat; Sicut enim votum potest ex voventis intentione obligare tantum sub levi, ita etiam mutua promissio matrimonii; siquidem promissio est quædam lex, quam sibimet promittens, vel vovens imponit; atque adeo pendet ejus obligatio a promittentis, tamquam a Legislatoris intentione, qui potest etiam in materia gravi obligare sub levi.

Secunda sententia communior cum Vasq., Suar., Con., Perez disp. 6. sect. 3. negat; quia omnis obligatio ex justitia in materia gravi est obligatio sub gravi; sed obligatio Sponsalium est ex justitia commutativa, cum habeatur ex mutuo contractu oneroso, Do, ut des; & est in materia gravi; ergo obligatio Sponsalium semper est sub gravi.

Tertia sententia Hurt. disp. 1. difficult. 6. docet, regulariter Sponsalia obligare sub gravi ob rationem secundæ sententiæ: Si tamen velint contrahentes obligare se ex fidelitate, videlicet promittendo invicem matrimonium, sed liberaliter, & gratis, non vero cum onere, ut alter repromittat, in tali casu Sponsalia obligare tantum sub levi. Ratio est, quia fidelitas universim (ut fert communior opinio) obligat tantum sub levi; Nam fidelitas obligat ad conformanda facta dictis, non secus ac veracitas obligat ad conformanda dicta menti; sed veracitas obligat universim sub levi: ergo etiam fidelitas. Verum tamen est, Less. de justitia cap. 18., Navar., Sot., & alios existimare, quamcumque promissionem rei gravis serio factam, sive Deo, sive etiam homini obligare sub mortali: Sicut ex omni juramento consurgit obligatio sub gravi, quin possit jurans obligari tantum sub levi.

Equidem existimo cum Perez, esse quidem in potestate promittentis, vel voventis obligare se circa rem gravem tantum sub veniali, quando obligatio pendet præcise a privata hominum voluntate; Verbi gratia, potest quis vovere jejunium, obligando se ad illud sub levi, sicut potest legislator obligare ad jejunium sub levi: Contra vero non esse sub potestate promittentis, vel voventis, obligare se circa rem gravem sub veniali, quando talis promissio, seu Votum ex Ecclesiæ constitutione, vel ex lege Reipublicæ, vel ex consuetudine obligat sub mortali: Exempli gratia, non potest quis emittere vota solemnia Religionis cum intentione obligandi se ad illa sub veniali: cum ex Ecclesiæ constitutione talia vota obligent sub mortali: Nec potest quis matrimonium contrahere obligando se tantum sub veniali ad vinculum illud indissolubile, & ad prolis propagationem, & bonam educationem; cum ex Ecclesiæ institutione, & ex consuetudine talis obligatio sit gravis: Hoc etiam accidit in Sponsalibus, quæ pariter ex Ecclesiæ institutione, & ex consuetudine obligant sub gravi; nam cum ex iis oriatur impedimentum dirimens publicæ honestatis, quod obligat sub mortali, ne matrimonium contrahatur a Sponso cum sorore Sponsæ, aut a Sponsa cum fratre Sponsi, signum est, quod ipsa sponsalia ex Ecclesiæ institutione obligant sub mortali; & consequenter non est in potestate contrahentium Sponsalia, quod obligent se ad matrimonium sub levi. Unde etiam fit contra tertiam sententiam Hurt., non posse con-

contrahi sponsalia rigorose dicta cum intentione obligandi se tantum ex fidelitate; siquidem ex institutione Ecclesiæ, & ex consuetudine obligant ex justitia.

III. Circa juramentum tamen diversa est ratio, ac de voto, & promissione; nam juramentum hoc, verbi gratia, quod est promissorium, Testor Deum me tibi hoc daturum, tria significat: Primo, me habere voluntatem dandi: Secundo, velle me ad id obligare: Tertio, me daturum. Conveniunt Doctores, quod peccet mortaliter mentiendo, & adhibendo Deum in testem falsi, qui aut de facto non habet voluntatem dandi, aut non habet voluntatem obligandi se ad dandum. Dubitatur solum: An dicatur assertive illud tertium? quod scilicet sim daturus, ita ut si postea non dem, mentitus sim adhibendo Deum in testem falsi, atque adeo peccarim mortaliter, quantumcumque sit parva res illa danda: Sicut procul dubio peccat mortaliter, qui rem levissimam falso juratus asserit. Quare nonnulli Doctores docent, promissionem juratam rei parvæ obligare sub mortali: Alii vero communius docent, obligare tantum sub levi, eo quod illud tertium, quod scilicet sim daturus, non dicatur assertive, sed tantum ad illud dandum velit jurans se obligare, non secus ac vovens. Unde ex parvitate materiæ excusatur a mortali, tam qui rem parvam promisit homini cum juramento, quam qui rem parvam vovit Deo.

Censeo equidem cum Con. disp. 22. dub. 7. juramentum promissioni additum adhiberi solum ad vocandum Deum in testem præsentis voluntatis, qua promittens intendit se obligare ad ponendam rem promissam, & velle Deum ultorem perfidiæ, si fidem datam fallat; ut sic reverentia Numinis, & timor ultionis moveat illum ad promissa implenda: Non vocatur autem Deus in testem illius tertiæ veritatis quod scilicet promittens sit promissa impleturus: Unde in re levi non implens promissa jurata excusatur a mortali, cum non sit magna Dei irreverentia; non secus ac qui in re levi non implet votum.

Ex dictis sequitur primo, quod non implens quæcumque promisit juratus, non sit proprie mendax, sed perfidus; & intantum vulgo dici solet, quod mentitus sit, quatenus suo facto veluti ostendit se perfide jurasse sine animo implendi promissa. Ratio doctrinæ est, quia si jurans diceret assertive, quot sit daturus, vocando Deum in testem, sequeretur, quod peccaret mortaliter, etiam quando juraret se facturum rem aliquam indifferentem, (verbi gratia, se mansurum domi) si illam non poneret, quia faceret Deum testem falsi; cum tamen omnes doceant, neminem ex juramento obligari ad rem indifferentem: Et idem dicas, si juraret, se facturum peccatum aliquod veniale, ad quod certe ex juramento non obligatur.

Sequitur secundo, tam in voto, quam in promissione jurata requiri intentionem se obligandi, ad hoc ut in foro conscientiæ consurgat obligatio: Sicuti autem vovens rem levem non obligatur ad illam sub gravi, quia non censetur Deus promissarius graviter invitus, si ea non ponatur; ita pariter jurans, se facturum rem levem, neque obligatur sub gravi, quia non censetur pariter gravis irreverentia Dei, si non ponatur res parvi momenti, ad quam ponendam jurans se obligavit vocando Deum in testem suæ voluntatis, quam habebat, se ad id obligandi.

IV. Dubium etiam est apud Doctores; An juramentum promissorium de faciendo peccato levi, puta de mentiendo, sit peccatum leve, an grave? Turrian. docet, esse grave, & oppositam sententiam esse improbabilem; quia gravis irreverentia Deo irrogatur, dum per juramentum adducitur ut fidejussor peccati faciendi. Tanner. tamen, Sanch. Azor. & alii communius apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 360. docent, probabile esse, quod sit tantum veniale, eo quod ratione parvitatis materiæ irreverentia non censeatur gravis: Et idem docent de voto faciendi peccatum leve. Utrum autem sit pariter irreverentia levis, & culpa solum venialis juramentum superaddere mendacio levi jocoso, aut officioso, sine animo tamen jurandi, sed solum oretenus jurando? Suar. lib. 3. de juramento cap. 17. num. 4. dicit non invenisse id ab aliis disputatum. Alicui videri posset, quod ob levitatem materiæ tale juramentum externum non esset culpa mortalis; ut habet ibidem Suarius num. 9. sed Verricelli docet esse mortale, ut fusius diximus in Trutina exponendo thesim 25. ab Innoc. XI. confixam, quæ habet: *Cum causa licitum sit jurare sine animo jurandi, sive res est levis, sive gravis.*

V. Quæritur secundo; An sponsalia acceptata gratuita, quamvis non sint rigorose sponsalia, obligent tamen sub mortali? Et universim quæritur, An promissio rei gravis facta Deo, vel homini obliget sub mortali ex sola fidelitate per se loquendo? Esto per accidens aliquando graviter obliget: Verbi gratia, si promisisti alicui centum, & ille fidens tuis promissis non quæsivit ea aliunde, & idcirco grave damnum subit, si non impleas promissa; aut si promisisti Matrimonium Bertæ, quæ eatenus omisit alium conjugem quærere; unde hic & nunc cum gravi incommodo Sponsum non reperit.

Respondeo cum distinctione: Si promittens vult se obligare ad rem gravem promissam tantum ex quadam honestate confirmandi facta factis, obligatur tantum sub veniali; quia in tali casu non habetur vera promissio conferens ullum

jus

jus promissario, sed veluti quoddam propositum. At vero obligatur sub mortali, si promittens vult rem gravem vere promittere, conferendo promissario jus ad illam; non quidem jus strictum justitiæ, quod consurgit ex contractu oneroso dantis, ut detur; sed jus minus strictum consurgens ex contractu non oneroso, sed gratuito dantis, quamvis nihil in compensationem detur: Ratione enim talis juris injuria fit promissario, si non detur res promissa, quam vere dicit sibi deberi, ita ut possit illam exigere, & condonare, & possit etiam in foro externo agere ad illam habendam, si accedat stipulatio, ex qua præsumitur, promissionem factam esse cum plena deliberatione.

VI. In hoc autem differt obligatio sub mortali ex justitia ab obligatione gravi ex fidelitate, ut notat Less. cap. 18. dub. 8., quod obligatus ex justitia non solum obligetur ad damnum emergens, sed etiam ad lucrum cessans, si non satisfaciat. Contra vero obligatus ex fidelitate, nisi ad id expresse se obliget. Præterea obligatio ex justitia dat jus in re, ita ut creditor, ubicumque illam reperit, possit sibi accipere: Contra tamen obligatio ex fidelitate dat solum jus ad rem; unde si promittens illam, verbi gratia, vendiderit, non possit Promissarius rem illam sibi accipere, sed solum habeat jus contra promittentem, ut det sibi aliquid æquivalens. Ita communiter cum Con. disp. 22. dub. 6., Sanch. lib. 1. disp. 5., Suar., Navar. contra Cajet., Molin., Rebel., & alios apud Dianam part. 4. tract. 4. resol. 122.; qui putant promissionem nudam, & gratuitam obligare tantum sub veniali.

Ex dictis sequitur, Votum in re gravi universim obligare sub mortali; & in eo tantum casu posse obligare sub veniali, quando non tam habetur promissio facta Deo, quam propositum faciendi aliquid, ad quod non ex fidelitate, sed ex quadam honestate velit expresse homo se obligare; Nam si esset vera promissio, conferret Deo jus, & consequenter, si non adimpleretur promissio, gravis injuria irrogaretur Deo, unde esset peccatum mortale.

VII. Quæritur tertio; An sponsalia obligent ad abstinendum a fornicatione, ne specialis malitia contrahatur aperienda in Confessione?

Respondeo, certum esse, fornicationem Sponsi non esse adulterium, hoc enim est alieni tori violatio; Sponsi autem torum non habent; eorumque filii, quamvis non sint legitimi, sunt tamen naturales, & non spurii; Siquidem solum impedimentum dirimens matrimonium inter parentes facit filios spurios. Utrum autem fornicatio Sponsi, præter peccatum luxuriæ contra castitatem, contineat etiam peccatum injustitiæ contra jus, quod habet Sponsa, non quidem in corpus, sed ad corpus Sponsi? Dubium est apud Doctores.

Prima sententia negat cum Henr., Mærat., & aliis apud Perez; quia talis fornicatio est usus corporis, quod adhuc non est alienum; per Sponsalia enim habetur tantum jus ad acquirendum dominium in corpus alterius, quod jus non violatur per fornicationem: Sicuti qui post votum ingrediendi Religionem ante ingressum fornicatur, non violat jus Religionis: quia per tale votum promittitur tantum professio, non secus ac per Sponsalia promittitur matrimonium.

Secunda sententia affirmat cum Rebello, Con., & aliis, quia talis est injuria, quæ alteri sponso per fornicationem irrogatur, ut per illam licite possit dissolvere Sponsalia: sicuti autem sola injuria gravis potest esse sufficiens ad dissolvendam amicitiam, ita a fortiori ad dissolvenda Sponsalia.

Tertia sententia distinguit cum Molin., & Sanch. lib. 1. disp. 2., concedit quidem contineri malitiam luxuriæ, & injustitiæ in fornicatione Sponsæ; negat vero in fornicatione Sponsi. Disparitas est, quia solum Sponsa per fornicationem redditur longe vilior in æstimatione hominum, ut nemo honestus velit illam amplius in conjugem; unde gravis injuria irrogatur Sponso.

Quarta demum sententia cum Perez aliter distinguit; Negat enim, continere injustitiam, si fornicatio sive sponsi, sive sponsæ sit occulta, per quam nullo pacto redduntur inepti ad matrimonium; Siquidem per sponsalia tantum obligantur invicem, ut non reddantur inepti ad matrimonium, quod promittunt. Sicuti qui vovet Religionem, tantum obligatur ad non reddendum se ineptum ad illam; & quia per fornicationem non redditur ineptus, ideo fornicatio habentis votum Religionis non continet injustitiam: Contra vero si fornicatio sit publica, utpote inurens notam, & reddens sponsos ineptos ad matrimonium promissum, continet malitiam injustitiæ aperiendæ in Confessione. Hæc sententia videtur probabilior.

VIII. Porro, quia solent aliquando Sponsi convenire de pœna solvenda ab eo, qui a Sponsalibus resiliret; necnon de redendis arrhis, aut de habitando in loco determinato; ideo de hac obligatione, quæ ratione, conventionis consurgit in Sponsalibus, hic pariter agendum.

Quæritur itaque quarto; An possit in contractu Sponsalium apponi pœna aliqua pecuniaria solvenda a resiliente?

Respondeo cum communiori, posse apponi pœnam solvendam a resiliente injuste, non vero a resiliente juste.

Prima pars, quam docent Suar., Mol., Con. contra Dicast. dub. 26. & alios apud Sanch. disp. 30. num. 3., probatur; quia nullo jure id pro-

prohibetur. Prohibent quidem Jura, quod non apponatur pœna ſolvenda a reſiliente juſte, ne lædatur libertas matrimonii; At in caſu noſtro non læderetur libertas matrimonii, cum nemo liber ſit ad injuſte reſiliendum a contractu Sponſalium: ergo jura non adverſantur noſtræ doctrinæ. Præſertim quia poteſt ferri excommunicatio major contra injuſte reſilientem abſque læſione libertatis matrimonii.

Secunda pars conſtat ex cap. *Gemma de Sponſalibus*, & *ex leg. Titio*, *de Verborum obligationibus*, ubi dicuntur hujuſmodi ſtipulationes non obligare, quia matrimonia debent eſſe libera. Immo decernitur, quod contractui Sponſalium non ſolum non adjiciatur pęna ſolvenda a Sponſis, ſed nec a parentibus, propinquis, amicis; ſolum itaque apponi poſſet ab extraneis non impedientibus libertatem matrimonii: Si tamen a Sponſis apponeretur, puto, quod ſolum venialiter peccarent; quia cum non detur deinde obligatio ſolvendi talem pęnam, non tolleretur libertas matrimonii.

Dubium eſt primo; An ſi juramento confirmarent Sponſi contractum hunc de pęna ſolvenda a reſiliente juſte, obligarentur deinde illam ſolvere ex vi juramenti?

Putat Con. dub. 5. cum Leſſ., quod obligarentur. Nam ſicuti qui juravit ſolvere pecuniam creditam perditam ludo prohibito, teneretur illam ſolvere vi juramenti, quamvis lege civili ſolvere non teneatur; ita pariter in caſu noſtro. Ratio a priori eſt, quia quoties aliquid prohibetur, primario in bonum privatum, ſecundario in bonum publicum, poteſt quis juramento ad id obligari, ſi non ſit intrinſece malum, ex Sanch. lib. 1. diſp. 32.; Nec ſolutio pęnæ in tali caſu eſſet approbatio contractus prohibiti; ſicuti neque qui ſolvit ſicario promiſſa, cenſetur approbare promiſſionem illicitam.

Verum probabilius negat Sanch. loc. citat., quia Juramentum non obligat ad rem illicitam, & prohibitam; culpa enim ſaltem venialis eſt ſolvere talem pęnam, tamquam debitam; cum hoc cedat in præjudicium libertatis, & boni publici: Ad eum modum quo ſi Clericus juraret ſiſtere ſe Judici ſæculari, non teneretur vi juramenti; quia hoc cederet in præjudicium ſtatus Clericalis.

Confirmatur, quia ſi Nepotes jurent dividere inter ſe hæreditatem, mortuo Avo, juramentum non obligat; irritatur enim tale pactum etiam juratum a legibus, ne detur anſa captandæ mortis Avo; ut videre eſt apud Tambur. lib. 3. Decalogi cap. 3. §. 5.: ergo juramentum de ſolvenda pęna appoſita contractui Sponſalium non obligat, ne tollatur libertas matrimonii; facile enim fieret matrimonium invite, ne ſolvatur pœna debita ex juramento: hoc tamen non accidit in jurante ſolvere pecuniam creditam perditam ludo prohibitio, & ideo vi juramenti tenetur illam ſolvere.

Dubitatur ſecundo; Utrum quando non obligatus ex contractu ſolvere pęnam, aut pecuniam, adhuc vellet eam ſolvere aut libere, aut vi juramenti, tunc recipiens teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo cum communi, quod non teneatur, niſi juridice ad reſtitutionem compellatur. Ratio eſt, quia jure naturæ talis contractus valet, & ſolum leges civiles tollunt obligationem ſolvendi; Et idcirco qui pecuniam creditam ludo prohibitio perdit, non tenetur ſolvere, ſed recipiens non tenetur reſtituere, niſi a Judice compellatur. Ex quo fit, quod qui ſine obligatione ſolvit, non poſſit ante ſententiam Judicis per occultam compenſationem pecuniam illam accipere, ut notat Tambur. lib. 8. Decalogi tract. 2. cap. 9., Perez diſp. 7. ſect. 1.

Demum notandum cum Con., quod ſolum pęna rigoroſe dicta ſolvenda a reſiliente juſte non poſſit adjici contractui Sponſalium, poſſit tamen lucrum aliquod deperdi a reſiliente: V. gr., ſi quis donet centum Titio, dummodo Bertæ nubat, ſi Titius a Sponſalibus cum Berta juſte reſilit, non acquirit illa centum.

X. Quæritur quinto; An arrhæ licite apponantur in Sponſalibus?

Ante reſponſionem adverto, nomine Arrhæ venire aliquando donationem, quam Vir facit Uxori in dotis præmium; aliquando vero donationem propter nuptias: At in quæſito præſenti nomine Arrhæ venit arrha Sponſalitia, quæ eſt quoddam pignus contractus initi, quod alter contrahentium dat alteri in aſſecurationem; ita ut illud amittat. ſi ipſe injuſte reſiliat a contractu; vel ſibi reſtituatur ſimul cum valore ejuſdem, ſi alter injuſte reſiliat; ſi vero contractus compleatur, redeat tale pignus ei, qui dedit: Sicut etiam redire debet, ſi juſte alter a contractu reſiliat. Porro ut habeat nomen arrhæ, & non pœnæ conventionalis, debet de facto tradi ante completum contractum, nec ſatis eſt ipſum promittere.

Porro differt Arrha a Sponſalitia largitate; hæc enim eſt donum, quod datur ſub conditione, quo matrimonium ſequatur, & dici etiam ſolet Jocalium donatio ante nuptias, Donum Sponſalitium, Dotalitium, Mundus muliebris. Hoc donum redit ad largientem, ſi ex juſta cauſa matrimonium non ſequatur. Si tamen Sponſa oſculum, vel copulam paſſa fuerit, illius doni mediam partem acquirit, etiamſi juſta cauſa detur non contrahendi matrimonium; Poſt conſummationem vero matrimonii Sponſa acquirit ejus doni dominium; ſicut etiamſi ſi ſine juſta cauſa Sponſus reſiliat. His explicatis,

Reſpon-

Respondeo ad quæsitum, Arrhas posse valide ab utroque contrahente constitui. Ratio est, quia sicut possunt contractui Sponsalium apponi pœnæ solvendæ ab injuste resiliente, ut modo diximus; ita possunt apponi arrhæ, quæ confirmant potius, quam minuunt libertatem matrimonii; siquidem solum injuste resiliens illas amittit: Unde fit, ut in quacumque quantitate possint constitui; quamvis in jure civili Castellæ statutum sit, quod non excedant decimam partem bonorum dantis illas. Potest etiam conveniri, ut qui arrham recipit, si injuste resiliat, reddat non solum arrham, sed etiam duplum, aut triplum ejus valorem, non amplius; qui vero illam dat, nisi injuste resiliat, tantum illam amittat: At qui sic contrahit, habere debet vigesimum quintum annum expletum, ut videre est apud Perez, & Con.

XI. Quæritur ultimo; An possit Sponsalibus adjici pactum habitandi in aliquo determinato loco, vel aliud simile?

Respondeo cum communi affirmative: V. g., potest Sponsa promittere matrimonium cum pacto, ne cogatur a sua domo, vel Civitate discedere; vel cum pacto, ne in aliquam unquam Civitatem accedant, ubi sunt, verbi gratia, occisores alicujus consanguinei. Ratio est, quia nullo jure hæc pacta irritantur, nec prohibentur; ergo valida, & licita sunt: Si tamen nova causa superveniat mutandi, verbi gratia, domicilium, tunc etiamsi pactum sit juramento firmatum, non obligat, & mulier tenebitur sequi virum, ut communiter docent cum Sanch. disp. 4.

ARTICULUS VII.

D Sponsalium Effectibus.

I. Impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus ortum quid ferat?

II. Non oritur nunc post Tridentinum ex Sponsalibus invalidis, neque ex incertis, neque ex conditionatis.

III. Qualiter illud ex matrimonio rato oriatur? Et an, si matrimonium sit invalidum ex defectu consensus?

IV. Si Sponsalia mutuo dissensu dissolvantur, adhuc remanet hoc impedimentum.

V. Matrimonium clandestinum probabilius habet vim Sponsalium post Tridentinum, & ideo parit hoc impedimentum.

VI. Sponsis permittuntur tactus non impudici, & oscula, dummodo absit periculum consensus in delectationem veneream de copula futura.

VII. Tactus non impudici, & oscula eodem modo sunt vetita solutis, ac viduis. Solum permittuntur Sponsis citra periculum consensus in delectationem libidinosam, in signum mutui amoris. Conjugibus non vetatur sub gravi delectatio carnalis in absentia alterius conjugis citra periculum pollutionis.

I. Effectus Sponsalium alter est intrinsecus, & ex ipsa Sponsalium natura resultans; alter extrinsecus, resultans vi juris Ecclesiastici. Quod attinet ad priorem effectum, cum aliud non sit, quam ipsa obligatio gravis ad matrimonium ineundum, nihil est superaddendum ad ea, quæ hac de re diximus articulo superiore. Posterior autem effectus est triplex. Primus est impedimentum publicæ honestatis. Alter est, sponsalia transire in matrimonium per copulam, ubi non viget Tridentinum. Tertius denique, licita esse Sponsis de futuro oscula, amplexus, & tactus non impudicos. De singulis hic agendum.

Dicitur autem impedimentum publicæ honestatis oriri ex Sponsalibus, (sicut etiam ex matrimonio rato) quia ex iis valide celebratis propter publicam honestatem, & decentiam oritur impedimentum dirimens matrimonium cum consanguineis alterius Sponsi in primo gradu tantum, jure novo Trident. sect. 22. cap. 3.; quamvis olim jure antiquo extendebatur ad quartum gradum: Nunc itaque Titius contrahens Sponsalia cum Berta non potest valide matrimonium contrahere cum sorore, filia, aut matre Bertæ, propter impedimentum publicæ honestatis.

II. Ex quibus fit primo, non oriri tale impedimentum ex Sponsalibus celebratis a Titio, dum erat infidelis; cum hoc impedimentum sit Ecclesiasticum, & infideles non sint subditi Ecclesiæ.

Secundo, non oriri ex Sponsalibus invalidis; quamvis jure antiquo oriretur etiam ex invalidis, dummodo non invalidis ex defectu consensus.

Tertio, nec ex Sponsalibus celebratis cum persona incerta, ex Cap. *unico de Sponsalibus*; cum ea sint Sponsalia rigorose dicta.

Quarto, neque ex Sponsalibus conditionatis, nisi purificata conditione, quando evadunt absoluta, & certa, ut constat ex laud. cap. Quare si Titius contrahat cum Berta sub conditione de futuro, & ante purificationem conditionis contrahat cum sorore Bertæ nova Sponsalia, hæc posteriora Sponsalia non obligant, quia debet expectari eventus illius conditionis; si tamen ante eventum conditionis contraheretur matrimonium cum sorore Bertæ, illicitum esset, sed validum; quia priora Sponsalia, utpote conditionata, non pepererunt impedimentum publicæ honestatis.

Quinto demum sequitur, quod si Titius post Sponsalia cum Berta cognoscat sororem Bertæ, cum neutra possit valide matrimonium contrahere ante dispensationem; Non quidem cum Berta, propter impedimentum affinitatis;

Neque cum sorore Bertæ, propter impedimentum publicæ honestatis.

III. Præterea sciendum, hoc impedimentum publicæ honestatis oriri etiam ex matrimonio rato, ex cap. *Ad Audientiam de sponsalibus*; cum hoc tamen discrimine, quod Sponsalia inter Titium, & Bertam celebrata dirimant matrimonium cum eorum consanguineis solum in primo grado; Matrimonium vero ratum dirimat usque ad quartum gradum. Præterea ex Sponsalibus *quacumque ratione invalidis* non oritur hoc impedimentum, ut habet Trident. sess. 2. cap.3.; Oritur tamen ex matrimonio rato, etiam invalido, dummodo non invalido ex defectu consensus, ut communiter docent cum Bonac. quæst. 3. punct. 11. contra Navar., & Sà, ut dicemus quæst. 5. art. ult.; Etenim jus novum Tridentini solum abstulit hoc impedimentum a Sponsalibus invalidis, etiam ex defectu consensus, non a matrimonio rato sic invalido. Utrum autem Sponsalia exterius rite celebrata, sed invalida ex defectu consensus, saltem pro foro externo pariant impedimentum publicæ honestatis? Negant communius cum Dicast. disp. 7. dub.29. contra Sanh. disp. 68. n. 13., qui putat, hoc impedimentum oriri etiam pro foro interno ex Sponsalibus invalidis ex defectu consensus, necnon invalidis ex quocumque alio impedimento occulto; quia quamvis Tridentinum dixerit, non oriri ex Sponsalibus quacumque ratione invalidis, videtur interpretandum, quod loquatur de Sponsalibus pro foro externo invalidis.

IV. Quæritur nunc primo; An hoc impedimentum sit perpetuum, ita ut nec per mortem alterius Sponsi, nec per dissolutionem sponsalium quomodocumque factam tollatur?

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 7. disp. 68., & aliis communiter ex cap. *Si quis despon-saverit* 27. *quæst.* 2. contra Rebel., & Hurt. disp. 21., & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 222.; qui putant cessare hoc impedimentum, quando mutuo consensu dissolvuntur Sponsalia. Ratio doctrinæ est, quia finis Ecclesiæ decernentis tale impedimentum est decentia, & honestas, quæ militant tam post mortem alterius Sponsi, quam post dissolutionem Sponsalium; sive dissolvantur per causam legitimam, sive mutuo consensu.

Neque dicas cum Hurt., Sponsalia mutuo consensu dissoluta ex declaratione Congregationis Cardinalium censentur invalida. Atqui Sponsalia invalida ex Tridentino non pariunt hoc impedimentum: ergo nec Sponsalia mutuo consensu dissoluta.

Nam sensus Congregationis est, quod illa non amplius obligent; non vero quod non fuerint initio valida: Si ergo fuerunt initio valida, & ex Sponsalibus validis tale impedimentum gignitur, jam habetur ex iis tale impedimentum, quamvis non amplius obligent: Sicut nec obligant post mortem alterius sponsi, & tamen impedimentum remanet. Quibus adde cum Bonac. loc. cit. dari de hoc novam declarationem Cardinalium.

V. Quæritur secundo; An matrimonium clandestinum inter puberes, ubi est receptum Tridentinum, æquipolleat sponsalibus, ita ut ex eo consurgat impedimentum publicæ honestatis?

Respondeo, Sanch. lib. 1. disp. 20., & Hurt. negare; Tum quia Tridentinum irritat talem contractum, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum; tum etiam, quia contractus per verba de præsenti nullam continet promissionem de futuro, ne implicite quidem: atqui matrimonium clandestinum est contractus per verba de præsenti: ergo non continet promissionem matrimonii de futuro; atque adeo non æquipollet Sponsalibus, quæ per talem promissionem constituuntur.

Affirmant tamen verius Con. disp. 21. dub.4., Henr., Ledesm., tum ex declaratione Congregationis Cardinalium; tum etiam quia dum puberes contrahunt matrimonium clandestinum, intendunt dare sibi invicem omne jus, & dominium in mutua corpora ad usum matrimonii; atque adeo non solum jus proximum, quod datur per matrimonium, sed etiam jus remotum, quod datur per sponsalia; ergo cum non possit dare jus propinquum propter legem Tridentini irritantem contractum, dant solum jus remotum, atque adeo contrahunt Sponsalia.

Ad primam rationem in contrarium adductam respondetur, Tridentinum irritare talem contractum, inquantum est matrimonium, non inquantum est sponsalia; nec reddit personas inhabiles ad sic contrahenda Sponsalia, sed matrimonium. Ad secundam negatur propter rationem adductam, quod contractus per verba de præsenti non contineat implicite promissionem de futuro, per quam sponsalia constituuntur.

Ex dictis sequitur, etiam per matrimonium celebratum inter impuberes haberi vim sponsalium, atque adeo ex eo gigni impedimentum publicæ honestatis, quod etiam concedit Sanch.; quia saltem interpretatione juris, si non ex natura rei, præsumitur, eos voluisse se obligare eo modo, quo poterant, atque adeo voluisse contrahere sponsalia, cum non possint contrahere matrimonium secundum Canones Ecclesiæ.

Porro ubi non est receptum Tridentinum, quod irritat matrimonium clandestinum, Sponsalia per copulam inter Sponsos secutam transeunt in matrimonium, ex *cap. Qui. De Sponsalibus*, eo quod Ecclesia præsumat affectu maritali, & non fornicario copulari; atque adeo animo matrimonium contrahendi.

VI. Quæ-

VI. Quæritur ultimo; An licita sint oscula, amplexus, & tactus non impudici sponsis?

Respondeo, Sanch. lib.9. disp. 46. cum Cajet. Navar. Tolet. Fagund. Bonac. Salas, Valent. & aliis apud Dian. part.2. tract. 17. resol. 6. & part. 4. tract. 4. resol.131. docere probabile esse, quod tactus non impudici inter Sponsos excusentur a culpa mortali, etiamsi intendatur delectatio sensitiva, & carnalis, quæ ex illis oritur, dummodo absit periculum copulæ, aut consensus in illam, aut pollutionis. Ratio est, quia sicut matrimonium cohonestat copulam; ita Sponsalia, quæ sunt quædam via, & initium matrimonii, & inchoatio traditionis corporum cohonestant ea, quæ sunt quasi via, & inchoatio copulæ. Præsertim quia sic magis fovetur amor in ordine ad matrimonium.

Suar. tamen, Rebel. Hurt. disp. 10. difficult. 10. cum Perez, & aliis communius, & probabilius docent, esse mortale, si carnalis, & libidinosa voluptas intendatur, quæ scilicet sentitur in carne, cum commotione spirituum vitalium incitantium ad pollutionem, & dici solet delectatio sensitiva, & carnalis: Secus vero si oscula fiant in signum benevolentiæ secundum consuetudinem Patriæ, ad fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium; ita ut, si ob talem finem fiant, licita sint, etiamsi adsit periculum pollutionis, dummodo absit periculum consensus in delectationem veneream. Etenim finis intentus est honestas, ne sponsi appareant inurbani; & pollutio, si forte sequitur, est præter intentionem. Ratio autem, cur juxta communiorem sententiam sint peccata mortalia, non solum tactus impudici, (de quibus nemo dubitat) sed etiam non impudici habiti a Sponsis propter delectationem sensualem, seu libidinosam, est, quia talis delectatio instituta est a natura in ordine ad copulam; ergo cum sponsis non sit licita copula, nec permittitur delectatio per se ad illam ordinata.

Confirmatur primo, quia non aliunde delectatio morosa de copula præterita in Vidua est illicita, nisi quia illa commotio carnis ex delectatione causata est quædam copula inchoata, quæ viduis est illicita, licet fuerit olim licita; atqui etiam sponsis est illicita copula, licet deinde sit futura licita: ergo sponsis etiam est illicita talis delectatio morosa. Quamvis autem contractus sponsalium sit quoddam veluti matrimonium inchoatum, non per hoc sequitur, quod sit licita talis delectatio, quæ est copula inchoata. Ratio est, quia qui non est perfecte Dominus alicujus rei, non potest illa re uti, ne imperfecte quidem; Verbi gratia, ille, cui promissa est donatio, vel venditio vineæ, non potest tali vinea uti, ne imperfecte quidem, quousque donetur, aut vendatur; quia per promissionem donationis non habetur dominium perfecte, sed tantum inchoative. Hoc autem accidit in casu nostro; nam per sponsalia habetur solum inchoative jus ad corpus alterius, & ad copulam: ergo non est licitus usus illius, ne inchoative quidem, & consequenter carnalis delectatio sponsis est illicita.

Confirmatur secundo, quia sponsis de futuro conditionato (videlicet iis, qui contrahunt sponsalia sub conditione, verbi gratia, quod Pater consentiat, quod Papa dispenset, &c.) non sunt licita hujusmodi oscula, & delectationes, ex Sanch. lib. 5. disp. 5. & tamen illa sponsalia sunt etiam via, quamvis magis remota, ad matrimonium: ergo neque licita sunt sponsis de futuro absoluto; quamvis hujusmodi sponsalia sint via proximior ad matrimonium.

VII. Ex dictis sequitur, eodem modo oscula, & tactus non impudicos esse peccatum aut veniale, aut mortale in sponsis, ac in solutis, & in viduis: Et solum sponsis ea permitti ad honestum finem, verbi gratia, ad excusandam inurbanitatem; Conjugibus tamen sunt etiam licita ad delectationem carnalem, quæ sit via ad copulam ipsis licitam; Quod si delectatio carnalis habeatur in absentia alterius conjugis, citra periculum pollutionis, esse dumtaxat peccatum veniale; quia continet quandam inordinationem, & nimium affectum circa res hujusmodi, nec potest haberi hic & nunc finis, ad quem talis delectatio natura sua ordinatur, nempe copula, ob absentiam conjugis, ut notat Con. disp. 34. dub. 11. De quibus omnibus etiam infra quæstione septima, articulo quinto sermo redibit.

QUÆSTIO II.

De Causis dissolventibus Sponsalia.

Possunt licite dissolvi Sponsalia pluribus de causis, quæ his versiculis continentur.

Dissensus, *Crimen*, *Fuga*, *Tempus*, & *Ordo*, *Secunda*,
Morbus, & *Affinis*, *Vox publica*, *Cumque reclamant*.

Primo itaque dissolvit Sponsalia *Dissensus*, seu mutuus consensus puberum, sicut dissolvit quemlibet alium contractum dissolubilem.

Secundo *Crimen*, seu delictum atrox commissum ab altero sponso dissolvit Sponsalia ex parte innocentis; Verbi gratia, furtum grave, homicidium, vel aliud, quod grave damnum, aut infamiam pariat: Nec solum fornicatio alterius Sponsi post Sponsalia, sive

Corpo-

Corporalis, sive Spiritualis, (idest hæresis ?) sed etiam fornicatio Sponsæ, ante Sponsalia, quæ a Sponso sit ignorata, necnon si Sponsa permittat, se ab alio impudice tangi, osculari, &c. similiter sponsalia dissolvit.

Tertio *Fuga*, seu Discessus in longinquum, & longa absentia alterius Sponsi; censetur enim hic per fugam suo juri renunciare.

Quarto *Tempus*, hoc est lapsus temporis præfixi Sponsalibus implendis; liberatur enim ab obligatione is, per quem non stetit, ut contractus impleatur.

Quinto *Ordo*, seu susceptio Ordinis Sacri, vel ingressus alterius in Religionem, aut Votum eam ingrediendi: Imo etiam votum simplex Castitatis, ut docent Suar. Azor. & alii, cum hoc sit de meliori bono. Contrarium tamen docent Filliuc. Sanch. Coninch. eo quod Deus non acceptet rem alteri promissam, & in alterius præjudicium. Unde in foro externo sic vovens compellitur vel fidem servare, vel ingredi Religionem. Certum tamen est, quod per tale votum datur alteri parti jus ad rescindenda sponsalia, eo quod vovens censeatur juri suo renunciare.

Sexto *Secunda*, hoc est contrahere sponsalia, aut matrimonium cum alia sponsa, dat justam causam alteri rescindendi sponsalia, quamvis ille teneatur servare prima sponsalia, antequam ineat matrimonium cum altera, & post initum matrimonium, eo soluto, tenetur illa implere, ut docet Pont. contra Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 209.

Septimo *Morbus*, videlicet, si superveniat alteri morbus contagiosus, ut lepra, paralysis, morbus gallicus, aut alia notabilis mutatio; Necnon si de novo ea detegantur, quæ si a principio cognita fuissent a sponsalibus deterruissent; ut est alterius sævitia, aut morum asperitas, gravis infamia: Sicut etiam justus timor, ne ex matrimonio scandala, aut gravia odia nascantur inter consanguineos. Pariter, si graviter deformetur alter sponsus, ita ut reddatur ineptus ad suum opificium, & ad familiam sustentandam, vel si amittat oculum, nasum, &c. præsertim sponsa: Item magna debita, vel grave periculum morbi, fortunarum, famæ, paupertatis, &c. Similiter si sponsa dotem promissam dare non possit, aut sponsus incipiat vagari cum sponsæ incommodo.

Octavo *Affinis*, hoc est, si alter sponsus copulam habeat cum consanguinea alterius in primo, aut secundo gradu; unde oriatur impedimentum dirimens Affinitatis; quamvis teneatur delinquens petere dispensationem.

Nono *Vox publica*, de impedimento scilicet dirimente, quamvis revera nullum adsit impedimentum; idque ad vitandum scandalum.

Ultimo *Quando reclamat*, hoc est quando sponsalia facta sunt inter impuberes, & alter pubertatem adeptus reclamat, seu dissentit. Quibus adde ignorantiam, metum, & dolum aliquando sufficientem dare causam dissolvendi sponsalia, ut mox examinabimus.

ARTICULUS I.

De Mutuo Consensu, & de Reclamatione dissolventibus Sponsalia.

I. *Sponsalia Puberum mutuo consensu dissolvuntur, etiamsi sint jurata intuitu pietatis.*

II. *Impuberum Sponsalia dissolvuntur, si eorum alter, statim ac ad pubertatem pervenerit, reclamet: Et quidem pro foro externo intra triduum, & coram Judice, aut testibus.*

III. *Probabilius impuberes reclamare possunt cum ad pubertatem deveniunt, etiamsi Sponsalia juramento confirmarint.*

IV. *Impubescentes tamen, qui juramento confirmarunt Sponsalia, censuris cogendi sunt ad matrimonium contrahendum.*

V. *Quamvis Impuberes possint deinde reclamare, non per hoc sequitur, quod inanis fuerit contractus, & juramentum ante pubertatem.*

I. QUæritur primo; An possint licite sponsalia Puberum, etiam jurata, mutuo consensu dissolvi.

Respondeo cum communi affirmative; sicut potest quilibet alius contractus mutuo consensu, & partium remissione dissolvi. Nam ex Cap. 1. *de Regulis juris*: Res omnis per quascumque causas nascitur, per eascem dissolvitur, si dissolubilis est. Quod si alter tantum contrahentium in sponsalium dissolutionem consentiat, quamvis non dissolvat sponsalia, nec eximatur sua obligatione, tamen dat jus alteri ad resiliendum.

Quod si sponsalia sint jurata principaliter in amorem Dei, seu per modum voti, (ut contingit, quando quis intuitu pietatis contrahit sponsalia jurata cum paupercula) etiam in tali casu mutuo consensu licite dissolvuntur ex Less. Con. Sanch. Tum quia juramentum censetur factum sub ea conditione, quod is, in cujus favorem fit, velit acceptare, & nolit cedere juri suo: Tum etiam, quia juramentum illud promissorium Deus non acceptat; nisi in gratiam partis,

cui fit: ergo, parte nolente, Deus jurantem non obligat. Debet tamen pars remittere libere; cum talis remissio sit quædam donatio debiti, quæ debet esse libera. Quare, si metu incusso extorqueatur, non sufficit ad dissolvenda sponsalia. Secus vero si ob timorem parentum, vel viri asperitatem pars remittat; quia talis metus, cum non sit incussus ad extorquendam remissionem, non tollit libertatem sufficientem ad ejus validitatem.

Confirmatur ex Perez; quia ideo Pater potest irritare vota omnia etiam personalia impuberum, & vota realia puberum minorum, quia potest tollere materiam, quæ illi subjecta est, qua sublata cessat obligatio voti: ergo cum possit etiam fœmina, in cujus favorem facta est promissio jurata, tollere materiam, nimirum remittendo promissionem in sui favorem factam, poterit pariter relaxare juramentum.

Demum quod non solum valide, sed etiam licite possint sponsalia jurata mutuo consensu dissolvi, docet D. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 5. dicens, non semper esse levitatis retractare, quæ prius firmata sunt, quia incertæ sunt providentiæ nostræ. Quare illicite dissolverentur, si solum ex levitate, & inconstantia, vel ex aliqua rixa, non vero si rationabili de causa id fieret, cum nullo jure prohibeatur.

II. Quæritur secundo: Utrum etiam Impuberum Sponsalia mutuo consensu ante pubertatem dissolvi possint, an vero expectare debeant tempus pubertatis, ut possint reclamare?

Respondeo, certum esse, quod mutuo consensu non dissolvantur, quamdiu impuberes sunt; ut constat ex cap. *de illis* 7. *de Desponsatione Impuberum*: Ubi id statuitur, ne Impuberes levitate ducti iterum iterumque sponsalia contrahant, & dissolvant: Quando vero ad ætatem nubilem, seu pubertatis sponsus devenit, potest reclamare, & sponsalia dissolvere, ut in eodem capite statuitur in favorem ætatis fragilis: Solum autem pro foro externo requiritur, ut reclamatio fiat coram Judice, vel coram idoneis testibus statim, videlicet intra triduum, ut notat Sanch. lib. 1. disp. 51. *ex lege finali Codice de Judiciis*: alias, si in mora fuerit, censebitur tacite sponsalia confirmare: In foro tamen conscientiæ debet quidem reclamatio fieri statim; Verum si quis perveniens ad pubertatem oblitus sit sponsalium, vel ignoret ad pubertatem pervenisse, potest semper, quandocumque memor erit, reclamare.

III. Difficultas est, An, si Impuberes sponsalia juramento confirment, possint, parte invita, reclamare, quando ad pubertatem deveniunt? Negant Sanch. loc. cit. & Hurt. quia in Cap. *ex Literis* 10. *de Sponsalibus*, *& Matrimoniis*, statuitur, Impubescentes, qui sponsalia contraxerunt, & juramento confirmarunt, cogendos esse censuris ad matrimonium contrahendum. Sed probabilius affirmant Palud. Pont. Perez disp. 9. sect. 2. Quod etiam Sanch. judicat esse probabile. Ratio est, quia juramentum additum contractui sortitur leges contractus, *ex lege finali, Codice de non numerata pecunia*: Sed sponsalia impuberum includunt talem conditionem; ut cum ad pubertatem devenerint, possint resilire: ergo etiam juramentum illis additum.

IV. Ad rationem pro contraria sententia respondetur, in citato textu sermonem esse non de Impuberibus, sed de Impubescentibus, seu de iis, qui pubertati sunt proximi, quando malitia supplet ætatem, inter quos, perinde ac inter puberes, validum est matrimonium.

V. Dices: Si impuberes, quando ad pubertatem deveniunt, possunt ad libitum resilire, etiam parte invita; ergo tam contractus, quam juramentum fuit vanum.

Respondeo, non fuisse vanum, quia ex tali contractu obligantur ad non contrahenda sponsalia cum aliis ante pubertatem, & ex juramento fortius ad id obligantur. Præterea deserviunt, ut adveniente pubertate, non sit opus novo contractu, ut sponsalia præcedentia robur suum obtineant. Demum ex iis oritur impedimentum publicæ honestatis, quamvis possint ad libitum dissolvi tempore pubertatis.

ARTICULUS II.

De Crimine dissolvente Sponsalia.

I. Etiam Sponsi, nedum Sponsæ fornicatio dat jus ad resiliendum a sponsalibus.

II. Sponsus resilire potest, etiamsi sponsa turpiter se tangi permiserit, aut si deprehendatur ante sponsalia fornicata fuisse. Quandonam sponsa similiter resilire poterit?

III. Quid, si uterque post sponsalia fornicationem commiserit?

IV. Si sponsus conscius fornicationis sponsæ ad illam accedit, amittit jus ad resiliendum.

V. Nec solum pro foro externo, sed etiam pro interno.

I. QUæritur primo; An fornicatio etiam si sponsi det jus sponsæ ad resiliendum a sponsalibus.

Respondeo affirmative cum communi. Etenim Sanch. disp. 55. fatetur, nullum reperisse Doctorem de hoc dubitantem, quav is alii alia ratione ducantur. Ratio nostra est hæc: fornisponsa potest rescindere sponsalia propter Ideo cationem sponsi, quia sponsi fornicatio movet merito sponsæ rationabilem suspicionem, se minus præ altera amari, & post matrimonium esse posthabendam, cum videat sponsum in fervore

sui

sui primi amoris alienis amoribus irretitum; quod valde durum est sponsæ. Præterea periculum sæpe est, quod nascatur proles communibus sumptibus alenda: Demum quia in cap. *Quemadmodum* 5. *de Jurejurando* Innoc. III. comparat sponsalia cum matrimonio in libertate dimittendi alterum sponsum propter fornicationem. Quare sicut æque uterque conjux potest alterum dimittere quoad torum propter fornicationem; ita æque uterque sponsus ex mente Pontificis potest dimittere alterum propter fornicationem; cum uterque eodem modo reddatur suspectus de fide in posterum servanda. Propterea in juramento præstito ratione sponsalium subintelligitur tacite conditio: Nisi alter contra regulam desponsationis operetur; ut colligitur ex textu laudato.

II. Docent tamen Sanch. Henr. & alii contra Armil. & Tabien. quod sponsus possit etiam resilire, si sponsa invita compellatur ad fornicandum, aut si permittat se turpiter tangi, aut si fornicatio illius præcedens sponsalia deprehendatur post sponsalia, aut si vidua putata honesta post sponsalia deprehendatur fuisse inhonesta. Et ratio est, quia probro habetur ducere talem sponsam; Si tamen ea accidant sponso, Con. & Sanch. lib. 1. disp. 25. negant posse sponsam resilire, cum id non sit dedecus sponsæ; excipe tamen, nisi sponsus deprehendatur frequenter lapsus cum diversis, & infamibus mulieribus; quia ex hoc redderetur ipse infamis, & possent ab eo similia post conjugium timeri: excipe etiam, si ex fornicatione sponsi haberentur filii; quia hoc etiam notabiliter difficilem redderet statum matrimonii.

III. Quæritur secundo; An possit uterque sponsus sponsalia rescindere, si uterque post sponsalia fornicationem commisit?

Respondeo, Sanch. Henr. & Con. putare, quod in tali casu solus sponsus possit resilire, quia fornicatio sponsæ est multo turpior, vilior, & periculosior. Verum probabilius Bonac. & Palud. docent, quod neuter possit resilire. Ratio est, quia Innoc. III. ut diximus, comparat sponsalia cum matrimonio in libertate dimittendi sponsam: Ergo sicuti si uterque conjux adulteretur, neuter potest ab altero quoad torum separari, quamvis ignominiosius sit adulterium fœminæ, quam viri; ita pariter si uterque sponsus fornicetur, neuter poterit sponsalia dirimere, quamvis fornicatio sponsæ sit turpior. Et ratio a priori est, quia cum utraque fornicatio det æque alteri jus sufficiens ad resiliendum, idcirco utroque fornicante, delicta utriusque quantum ad hunc effectum paria sunt; & consequenter dari potest mutua, & justa compensatio.

IV. Quæritur tertio; An sponsus habens jus ad dissolvenda sponsalia propter sponsæ fornicationem, amittat tale jus, si ad illam accedat?

Respondeo cum communi, quod si non erat conscius fornicationis, quando accessit ad sponsam, tale jus non amittat; secus vero si erat conscius. Ratio est, quia sicuti maritus conscius adulterii uxoris, si ad illam accedat, amittit jus petendi divortium; ita Sponsus amittit jus resiliendi a spnsalibus; siquidem in hoc, ut diximus, maritus, & Sponsus æquiparantur.

V. Perez tamen censet, quod si Sponsus accedat ad Sponsam post fornicationem, vel maritus ad uxorem adulteram sine animo renunciandi suo juri, illud non amittat in foro conscientiæ, etiamsi amittat pro foro externo, eo quod censeatur per copulam confirmare Sponsalia; sed communiter impugnantur, quia copula in tali casu de se est manifestativa animi renunciantis proprio juri; cum autem talis contractus sit onerosus, & Sponsa faciens copiam sui corporis bona fide procedat, habet jus, ne decipiatur; unde non licet Sponso non habere animum confirmandi contractum sponsalitium: Ad eum modum, quo ficte promittens alicui matrimonium, si ab ea copulam obtineat, obligatur eam ducere, ac si serio id promisisset: Et eodem pacto maritus conscius adulterii conjugis, si ad illam accedat, censetur renunciare juri suo; unde non potest amplius petere divortium.

ARTICULUS III.

De Fuga, seu longa absentia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapso.

I. Potest Sponsa resilire a Sponsalibus, si Sponsus discesserit, nec sit spes, quod brevi sit rediturus.

II. Jus civile obligans Sponsam ad expectandum per biennium, si Sponsus sit intra Provinciam, & per triennium, si sit extra illam, non obligat Christifideles. Et quare?

III. Bifariam potest in Sponsalibus præfigi terminus ad matrimonium contrahendum. Si ita præfigatur, ut post elapsum terminum cesset obligatio, eo elapso, poterunt statim Sponsalia dissolvi; secus vero si obligatio non cesset, dummodo mora non sit diuturna.

IV. Ut tamen possint Sponsalia dissolvi ratione moræ, debet moneri qui est in tali mora, ut intra præfixum tempus matrimonium contrahat sub interminatione rescindendi Sponsalia.

I. QUæritur primo; An quando Sponsus absque Sponsæ consensu discedit in partes remotas animo redeundi, habeat Sponsa jus ad resiliendum a Sponsalibus, si non sit spes celeris reditus?

Respondeo, certum esse, quod, si reditus sponsi

sponsi sit difficilis, habeat Sponsa jus ad resiliendum a Sponsalibus; quia in tali casu & Sponsus censetur suo juri renunciare, & res promissa censetur notabiliter mutata; unde cessat obligatio Sponsalium: Si vero regressus non est difficilis, sed non est spes, quod brevi Sponsus sit rediturus, multi cum Sylvest., Covar., & aliis apud Sanch. disp.54. docent, teneri Sponsam expectare, non solum si ob causam necessariam Sponsus discesserit, *Ex lege ff. de Sponsalibus*; sed etiam si ob causam voluntariam, dummodo justam: Præsertim quia jus civile præscribit, ut sponsus, qui extra Provinciam est, expectetur a Sponsa per tres annos; & si in Provincia sit, expectetur per biennium, *lib. 2. de Repudiis*; hæc autem lex civilis videtur servanda, cum a jure canonico non sit abrogata; Nam in *cap. cum de illis 5. de Sponsal., & Matrimon.* Jus canonicum solum statuit, ut liberum sit Sponsæ a Sponsalibus resilire, quando Sponsus ad partes remotas se transfert, videlicet, ut notat Abbas, mutando domicilium, & animo non redeundi.

Verum Sanch., Hurt., Bonac. quæst. 1. punct. 6., Perez, & alii communiter docent, quod Sponsa possit licite resilire, si non sit spes proximi reditus. Ratio est, quia eo ipso quod Sponsus voluntarie tam longe recedit, & absque spe celeris reditus, censetur juri suo renunciasse, & notabiliter fregisse fidem: Nec putandum est, Sponsam se obligasse ad tam diuturne expectandum; cum hoc sit illi nimis grave, & onerosum.

II. Addit Hurt., quod dispositio juris civilis expectandi biennium, si Sponsus sit intra Provinciam, & triennium, si sit extra illam, non habeat locum in Sponsalibus baptizatorum, atque adeo eos non obliget. Ratio est, quia contractus Sponsalium inter baptizatos habet pro objecto, & materia contractum matrimonii elevatum a Christo Domino ad rationem Sacramenti; atque adeo ejus materia est spiritualis, non subdita juri civili; quod tunc solum in his casibus obligat, quando per jus canonicum approbatur, non vero quando non reprobatur. Quare cum dispositio juris civilis adducta per jus canonicum non approbetur, poterit Sponsa, non expectato biennio, aut triennio, statim resilire; sive causa discessus fuerit voluntaria, sive etiam necessaria, ut docet Perez sect. 9. contra Bonac., qui putat, legitime impedito tempus non currere, ex *lege prima de Annuali Exceptione*.

III. Quæritur secundo; An liceat statim a Sponsalibus resilire, quandocumque elapsum est tempus in Sponsalibus præfixum ad contrahendum matrimonium?

Respondeo, dupliciter posse talem terminum præfigi. Primo ita ut ante illum non sit obligatio contrahendi matrimonium, & post illum statim obligatio consurgat; ut si promittatur matrimonium post annum. Secundo, ita ut ante illum sit obligatio contrahendi matrimonium, & post illum obligatio cesset; ut si promittatur matrimonium contrahendum ante finem anni. In secundo casu per lapsum temporis præfixi dissolvuntur sponsalia etiam jurata: In primo vero casu non dissolvuntur; atque adeo tenetur uterque matrimonium contrahere, statim ac commode fieri potest. Si tamen unius mora tanta est, ut juxta prudentis arbitrium censeatur, vel illum Sponsalibus renunciasse, aut peccasse mortaliter contra fidem datam, vel alterum non se obligasse cum tanta mora, in tali casu qui est innoxius, habet jus ad Sponsalia dissolvenda: Frangenti enim fidem non tenetur fidem servare, *ex lege si convenerit 14. ff. pro Socio*.

IV. Est autem necesse, ut is, qui in mora fuit, moneatur, idque sub interminatione resiliendi, nisi intra certum tempus stet promissis, quia aliter non satis constat, eum esse in mora culpabiliter: potest enim habere justum impedimentum, aut forte cogitare partem aliam in mora consentire, dum non urget.

Quod si Sponsalia nullo præfixo termino iis adimplendis sint contracta, neuter tenetur statim adimplere, sed solum quando alter requirit, si commode potest. Etenim hoc generale est cuilibet debito absque diei præfixione, quod debitor solum teneatur solvere, quando est requisitus a creditore, nisi forte ob verecundiam, vel ob metum, aut impotentiam, vel oblivionem non petat. Et ratio est, quia quando creditor novit debitum; & potest commode illud petere, si non petit, censetur dilationi consentire. Ita Sanch. disp. 25., Perez, Guttier., Bonac. quæst. 5. punct. 6.

ARTICULUS IV.

De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto Castitatis, aut Religionis.

I. *Sponsalia dissolvuntur per Professionem Religiosam ac per Vota simplicia in Religione approbata, puta in Societate Jesu.*

II. *Invita parte, possunt Sponsi Religionem ingredi, & quidem etiam post matrimonium ratum; si tamen id fiat bona fide.*

III. *Votum etiam castitatis dirimit Sponsalia subsequentia. Et susceptio Ordinis Sacri dirimit etiam Sponsalia præcedentia.*

IV. *Probabilius dissolvi possunt Sponsalia, statim ac quis Novitiatum ingreditur.*

V. *Qui juramento confirmavit Sponsalia, poterit Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio.*

VI. Nequit tamen Religionem ingredi, qui post Sponsalia obtinuit a Sponsa copulam sub spe matrimonii.

VII. Votum profitendi in Religione dirimit Sponsalia etiam præcedentia. At votum ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel votum castitatis solum Sponsalia subsequentia dirimit.

VIII. Quod si vota isthæc emittantur post sponsalia, alter remanet liber; sed vovens probabilius remanet ligatus a Sponsalibus.

I. PRimo, certum est, Sponsalia dissolvi per professionem in Religione approbata; Sicut etiam matrimonium ratum, ex *cap.* 2. *de Conversione Conjugatorum*.

Secundo, certum est, & per vota simplicia facta in Religione approbata, V. g. in Societate Jesu, dissolvi sponsalia, ut ex Bullis Pontificiis constat. Et ratio est, quia per ea vota homo constituitur vere Religiosus, & sic inhabilis ad contrahendum matrimonium. Quod si matrimonium sit contractum, per ea vota non dissolvitur, & consequenter tenetur ad illud, nisi professionem faciat, antequam consummet; Etenim matrimonium ratum duntaxat per professionem disolvitur, ex Cap. *Verum de Conversione conjugatorum*.

II. Tertio, certum est, posse Sponsos, invita parte, Religionem ingredi, & illam vovere. Non est tamen licitum per se loquendo matrimonium contrahere cum animo ingrediendi Religionem, antequam illud consummetur, ut docet Sanch. disp. 43. cum aliis contra nonnullos. Et ratio est, quia Ecclesia dum concedit bimestre ad deliberandum de statu eligendo, non concedit hoc, ut fiat in præjudicium tertii; sed bona fide.

Quarto, Sponsalia dissolvi per hoc, quod alter Sponsus voveat Religionem; Etenim status matrimonialis post tale votum redditur absolute illicitus.

III. Quinto, Votum castitatis dirimere Sponsalia subsequentia; etenim illicitus pariter inter eos est status matrimonialis; Et quia talis status ratione voti est illicitus, pariter videtur regulariter illicitus contractus matrimonialis, quia incommodus, & periculosus. Utrum autem votum castitatis dirimat etiam Sponsalia præcedentia, sicut dirimit votum Religionis? dicemus inferius.

Ultimo, certum est, Susceptionem Ordinis Sacri, non vero Ordinum minorum, dirimere tam Sponsalia subsequentia, quam antecedentia, ex *cap.* 1., *&* 2. *de Clericis Conjugatis*. Et ratio est, quia suscipiens Ordines Sacros redditur incapax matrimonii contrahendi.

IV. Quæritur nunc primo, An dissolvantur Sponsalia per solum ingressum in Religionem, non expectata professione?

Respondeo, multos cum Palud. Vera-Crux, & aliis negare; quia qui Religionem ingreditur, non cedit juri suo, sed vult experiri in novitiatu, an sibi expediat profiteri, vel nubere. Sanch. tamen lib. 1. disp. 41., Marat., Tolet. affirmant, ex parte utriusque Sponsalia dirimi. Ratio est, quia sicuti se habent Sponsalia ad matrimonium, ita novitiatus ad professionem; sed professio dissolvit matrimonium ratum: ergo novitiatus, seu ingressus in Religionem dissolvit Sponsalia ex parte utriusque. Tertia sententia communior, & probabilior est Con., Rebel., Perez, Henr. docentium, dissolvi Sponsalia ex parte manentis in Sæculo, non ex parte ingredientis Religionem. Ratio est, quia nullo jure dissolvuntur Sponsalia per ingressum in Religionem. Quamvis enim per professionem dissolvatur matrimonium ratum, non per hoc valet inferre, quod per novitiatum dissolvantur Sponsalia; quia argumentum a pari in iis, quæ pendent a jure positivo, non concludit; & consequenter Sponsalia non dissolvuntur ex parte ingredientis Religionem: Contra vero qui remansit in seculo, non tenetur stare Sponsalibus; eo quod in re promissa facta sit notabilis mutatio per ingressum alterius in Religionem; etenim dedecori ducitur nubere cum eo, qui fuit Monachus.

V. Dubium est, An si Sponsalia sint jurata, possit alter Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio? Sanch. loc. cit. cum communi docet, vi juramenti non obligari ad contrahendum matrimonium ante ingressum in Religionem, ex ratione sæpius repetita, quod juramentum additum contractui sequitur naturam, & conditiones contractus; quia accessorium sequitur suum principale, *ex Capite Quemadmodum de Jurejurando*. Sed Sponsalitius contractus per se loquendo non obligat ad contrahendum matrimonium ante ingressum in Religionem: Ergo nec juramentum confirmans talem contractum.

Neque dicas, Alexandrum III. *in cap. Commissum de Sponsalibus* respondisse, quod tutius sit, religione juramenti servata, prius contrahere matrimonium, & postea ad Religionem migrare ante consummationem. Nam varii ad hoc varia. Equidem cum Suar. dico, Pontificem locutum esse eo, qui nondum firmo animo statuerat ingredi Religionem, & interim labebatur tempus biennii, intra quod promiserat matrimonium contrahere.

VI. Dubium etiam est, An possit Religionem ingredi, qui contraxit Sponsalia, & sub spe matrimonii a Virgine, vel honesta Vidua copulam obtinuit? Communiter cum Sanch., Less., Con. negant, etiamsi ille voverit ingredi Religionem; quia magis prævalet obligatio orta in tali casu ex justitia, quam obligatio orta ex voto. Emissio enim voti, & ejusdem

adim-

adimpletio est actus liberalitatis; non possumus autem esse liberales aut Deo, aut hominibus cum injuria alterius: Exempli gratia, non possumus dare eleemosynam, quam voveramus, si dando eleemosynam non possimus satisfacere debito ex justitia: ergo cum in casu nostro ex justitia ille tenetur ad matrimonium, non potest ingredi Religionem, quamvis illam voverit.

VII. Quæritur secundo; An votum ingrediendi Religionem, vel castitatis, vel suscipiendi Ordines Sacros dirimat Sponsalia, sicut dirimit votum profitendi in Religione?

Respondeo, & dico primo, votum ingrediendi Religionem, necnon votum castitatis, & suscipiendi Ordines Sacros, si antecedat Sponsalia, illa, etiamsi jurata, dirimit; non secus ac votum profitendi in Religione, *ex cap. Rursus, Qui Clerici*. Ratio est, quia promissio Sponsalium post illud votum est promissio de re illicita, & idcirco non obligat.

VIII. Dico secundo; si quis voveat castitatem post Sponsalia, alter remanet liber a Sponsalibus præcedentibus. Ratio est, quia in re promissa habetur mutatio notabilis; grave enim onus est contrahere matrimonium cum eo, qui non potest petere debitum. Verum ipse vovens probabilius manet ligatus Sponsalibus, ut docent Sanch. Hurt., Con. contra Suar., Vasq. Pontium. Ratio est, quia Deus non acceptat promissionem rei jam alteri promissæ, & ab eo acceptatæ: V. gr., si promisisti dare centum Petro, & ille acceptavit, non poteris vovere dare illa pauperibus, nec tale votum acceptatur a Deo: ergo si per Sponsalia promisisti corpus alteri, non poteris illud ipsum Deo vovere.

Neque dicas, in Sponsalibus subintelligi illam conditionem, videlicet, nisi perfectiorem statum elegero. Nam hoc est falsum: si enim ea subintelligeretur conditio, quilibet licite posset post Sponsalia non nubere, quia status cælibatus est perfectior. Quare in Sponsalibus illa tantum conditio subintelligitur, Nisi professionem religiosam elegero; quia hoc in jure decretum est.

Neque dicas secundo; Promissum non infringit, qui illud commutat in melius, ex cap. *Pervenit de Jurejurando*; atqui melius est castitatem servare, quam nubere; ergo qui promisit nuptias, & deinde vovet castitatem, non infringit promissum, si servat votum. Nam sensus textus adducti est, non infringi promissum, si illud commutetur in id, quod sit melius eidem promissario. Dat exemplum Glossa: Si jurasti ire ultra mare peregrinationis causa, & hoc omisso, religionem ingredis, non frangis juramentum: Contra tamen, si promisisti centum Petro, & ille acceptavit, non potes ea dare pauperibus; quia quamvis sit melius dare centum pauperibus, quam Petro; at non est melius ipsi Petro promissario.

Quod diximus de voto simplici castitatis, dicendum etiam est de voto suscipiendi Ordines Sacros, & de voto ingrediendi Religionem; Si enim tale votum præcedat Sponsalia, illa dirimit, ut diximus; quia per Sponsalia promitteretur res illicita. Quod si tale votum consequatur Sponsalia, illa non dissolvit ex parte voventis.

Neque dicas: Votum profitendi in Religione emissum post Sponsalia illa dirimit ex parte utriusque; ergo etiam votum suscipiendi Ordines Sacros: Siquidem tam in professione religiosa, quam in susceptione Ordinis Sacri emittitur votum castitatis solemne dirimens matrimonium, quod contraheretur. Negatur enim consequentia. Et disparitas est, quia prius votum est de re licita, & obligat, cum in jure permittatur post Sponsalia profiteri in Religione: At secundum votum est de re illicita, atque adeo non obligat; cum in jure non permittatur post Sponsalia suscipere Ordines Sacros.

ARTICULUS V.

Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora?

I. Sponsalia posteriora, cum sint irrita, non pariunt impedimentum publicæ honestatis; Sed dant alteri Sponso jus ad resiliendum.

II. Qui post Sponsalia cum Berta contrahit matrimonium cum Teresia, hac mortua, probabilius tenetur illam ducere.

III. Qui post priora Sponsalia cum Berta contraxit posteriora cum Teresia, a qua ignara priorum Sponsalium obtinuit etiam copulam, videtur teneri ducere Bertam, & damnum Teresiæ alia via compensare.

IV. Sed probabilius tenetur ducere Teresiam, quæ damnum passa est, & sui corporis usum tradidit.

I. Certum est primo, quod si Titius post Sponsalia cum Berta contrahat matrimonium cum Teresia, dirimantur præcedentia Sponsalia; cum impossibile sit contrahere cum Berta novum matrimonium.

Certum est secundo, per secunda sponsalia, etiamsi jurata, non dissolvi priora; Etenim secunda sunt de re illicita, & ideo nullius momenti, & invalida; ita ut non pariant impedimentum publicæ honestatis, ex *cap. Unico de Sponsalibus, & matrimoniis in 6.*

Certum est tertio, sponsum contrahentem secunda sponsalia dare sponsæ sufficientem causam, ut licite a sponsalibus resiliat, cum ipse prior fidem fregerit.

II. Quæritur nunc primo; An sponsus, qui cum secunda fœmina contraxit matrimonium,

ea mortua, teneatur ducere primam cum qua prius ſponſalia contraxerat?

Reſpondeo, Sanch. lib. 1. diſp. 48., Henr., Palud. negare, etiamſi priora ſponſalia fuerint jurata. Primo, quia per matrimonium ſubſequens extinguitur obligatio priorum ſponſalium; obligatio autem ſemel extincta non reviviſcit, ex, *cap. Quævis de Conſecratione*. Secundo, quia quando ſecunda obligatio fortior ſupervenit priori, extinguit omnino illam, ſi ſint ejuſdem rationis: Exempli gratia, profeſſio facta in Religione laxiori extinguit votum Religionis ſtrictioris; quia profeſſio eſt vinculum fortius, quam votum, (ſicut vinculum matrimonii eſt fortius vinculo ſponſalium) & ſunt ejuſdem rationis.

Verum Con., Hurt., Perez, & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 209. probabilius affirmant; tum quia videtur iniquum, quod quis per injuriam tollat alteri jus ſuum, ſeque ab ejus obligatione eximat; quod accideret in caſu noſtro: Tum etiam quia obligatio ſemel contracta per impedimentum ſuperveniens ſopitur, non extinguitur; ut patet in eo, qui poſt votum Religionis nupſit; tenetur enim, mortua uxore, Religionem ingredi.

Neque dicas cum Sanch. in hoc caſu obligationes voti, & matrimonii eſſe diverſæ rationis: contra vero in caſu noſtro obligationes ſponſalium, & matrimonii eſſe ejuſdem rationis. Nam doctrina data eſt univerſim vera, etiam quando obligationes ſunt ejuſdem rationis, ut patet; quia ſi ego equum vendidi Petro, ac deinde illum eundem vendidi, & tradidi Titio, ſopitur, non extinguitur illa prior obligatio; Nm ſi hæc ſecunda venditio diſſolvatur, & Titius reſtituat mihi equum, teneor illum tradere Petro propter obligationem contractam in prima venditione.

Ad primum itaque argumentum Thomæ Sanch. reſpondetur, obligationem priorum ſponſalium non extingui per matrimonium ſubſequens, ſed ſopiri. Ad ſecundum reſpondetur, idcirco profeſſionem in Religione laxiori extinguere votum religionis ſtrictioris, quia hoc ex particulari juris conſtitutione ſtatutum eſt ad pacem monaſteriorum, & profitentium: Quare non debet trahi ad ſimile; præſertim quando agitur de præjudicio juris alieni.

III. Quæritur ſecundo; An priora ſponſalia diſſolvantur per poſteriora, ſi ſequatur copula cum ſecunda fœmina omnino ignara priorum ſponſalium?

Reſpondeo, certum eſſe, quod ante Trident. priora ſponſalia diſſolvebantur; quia ſecunda per copulam tranſibant in matrimonium: nunc vero poſt Trident. Sanch., Hurt., & alii docent, debere ducere priorem ſponſam in caſu adducto, etiamſi ſecunda ſit ignara, nedum ſi ſit conſcia priorum ſponſalium; Etenim ſecunda ſponſalia non poſſunt prioribus derogare. Et ratio a priori videtur eſſe, quia non tenetur ducere ſecundam; neque ratione promiſſionis, quippe quæ fuit de re illicita; neque ratione damni illati, quia huic damno ſatisfieri poteſt conſtitutione dotis, aut alia via.

IV. Alii tamen cum Con. dub. 4. verius docent, debere ducere ſecundam, cum qua habuit copulam. Primo, quia ex *lege Quoties Codice de rei vindicatione*, res uni vendita, & deinde alteri vendita, & tradita huic debetur; atqui in ſecundis ſponſalibus, quamvis non traditum ſit dominium corporum, traditus tamen eſt uſus per copulam; ergo quamvis ſecunda ſponſalia non obligent ratione promiſſionis, obligant tamen ratione talis promiſſionis. Secundo, quia ſicuti qui poſt votum religionis obtinuit copulam ab aliqua honeſta fœmina ſub ſpe matrimonii, tenetur illam ducere; & non poteſt ingredi religionem, ut diximus quæſt. 1. art. 1. ita in caſu noſtro: Non enim magis obligat vinculum priorum ſponſalium, quamvis ſit vinculum juſtitiæ, quam vinculum voti, ut docet Suar. lib. 4. de Voto cap. 3. Quod ex eo patet, quia gravius peccat, qui in eadem materia peccat contra votum, quam qui peccat contra juſtitiam; Verbi gratia, gravius eſt peccatum religioſi proprietarii, quam ſit peccatum furis. Tertio, quia quando duo contendunt, alter de lucro acquirendo, alter vero de damno vitando, huic potius favendum: atqui ſecunda fœmina niſi nubat, damnum patitur, prior vero lucrum non acquirit: ergo illi favendum, poſito quod priorum ſponſalium non fuerit conſcia, & bona fide ſe obligarit ad matrimonium, offerendo etiam uſum corporis.

Ad rationem itaque in contrarium reſpondetur, debere ſponſum ducere ſecundam, non præciſe ratione promiſſionis, ſed ex eo, quod ex parte tradita ſit res promiſſa, cum traditus ſit per copulam uſus corporum; quamvis non dominium, quod traditur per matrimonium.

ARTICULUS VI.

De Morbo, aut ſimili vitio diſſolvente Sponſalia.

I. *Cauſa ſufficiens ad Sponſalia etiam jurata diſſolvenda eſt notabilis morbus, aut deformitas, vel quid ſimile ſuperveniens, aut ſi de novo deprehendatur.*

II. *Quid ſi uterque Sponſus in paupertatem incidat.*

III. *Diſſolvi poſſunt Sponſalia etiam jurata, ſi quid de novo accidat, quod ſi ab initio exiſteret, Sponſalia impediret.*

IV. Hinc

IV. Hinc qui spe futuri matrimonii copulam extorquet a Berta, non tenetur illam ducere, superveniente notabili mutatione.

I. CErtum est, quod non solum morbus, sed etiam quælibet alia notabilis mutatio superveniens sponsalibus sufficiat ad illa etiam jurata dissolvenda. Ratio est, quia promissio, & juramentum non obligant ultra intentionem promittentis, & jurantis; hic autem non censetur habere intentionem promittendi, facta notabili rerum mutatione, quæ scilicet præcognita merito communiter averteret homines prudentes talis conditionis a contrahendis sponsalibus.

Hinc sequitur primo, Sponsum non teneri ad matrimonium, si post sponsalia alter incidit in lepram, amisit nasum, aut notabiliter deformis factus est. Secundo, si superveniat notabilis alterius asperitas, & sævitia. Tertio, si post sponsalia morum mutatio facta sit, ita ut appareat alter valde deditus vitiis, aut si damnatus sit alicujus turpis criminis, puta furti. Quarto, si superveniant, aut timeantur graves inimicitiæ inter consanguineos ratione matrimonii. Quinto, si parentes renuant dare dotem promissam.

II. Similiter si notabilis paupertas alteri superveniat: Imo si uterque incidat in paupertatem, puto cum Rebel. contra Bonac. quod possit etiam uterque resilire, quia onus futuri matrimonii redditur longe difficilius. Si tamen alteri post sponsalia superveniant plurimæ divitiæ, existimo etiam cum Hurt. contra Sanchez, & Bonac. quod possit pariter resilire; cum hæc sit etiam notabilis mutatio, qua prævisa is non contraxisset; Esto verum sit, quod non sit deceptus in conditione alterius.

III. Demum sufficiens caput ad dissolvenda sponsalia, etiam jurata, est quodcumque notabile accidat, quod in principio existens impediret ea contrahi, ut communiter docent. Et ratio ulterior est, quia contractus sponsalitius non est perfectus, sed inchoatus, factus non pro re accepta, sed pro re accipienda, & quæ non accipitur, si dissolvatur contractus; unde tacite in contractu sponsalitio subintelligitur, quod si superveniat notabilis mutatio, ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, resilire possit is, cui id accidit. Quibus adde, ex *leg. Obligatione generali ff. de pignore*, quod in generali, seu simplici obligatione non contineantur ea, de quibus verosimiliter non est cogitatum: Et *cap. Veniens 16. de jurejurando* notat Glossa, quod juramentum non extendatur ad illa, de quibus non est cogitatum.

IV. Ex quibus sequitur, quod si sponsus copulam extorqueat sub spe futuri matrimonii, & deinde notabilis mutatio superveniat, tunc satis sit damnum illatum compensare; quia promissio in iis sponsalibus censetur pariter facta sub ea implicita conditione, quod notabilis mutatio non accidat.

ARTICULUS VII.

De Affinitate, seu Impedimento Juris superveniente; Ac de Voce publica, seu fama de Impedimento.

I. Sponsalia dissolvuntur per quodcumque impedimentum dirimens, quod superveniat.

II. Qui culpa sua fuit causa talis impedimenti, puta affinitatis, tenetur ad matrimonium, si alter innocens obtineat dispensationem.

III. Imo qui fuit causa impedimenti tenetur ipse dispensationem petere; præsertim si advertit, quod culpa sua impedimentum contrahatur.

IV. Fama certa de impedimento dirimente satis est ad sponsalia dissolvenda, etiam jurata; non secus ac testimonium unius fide digni; Quod tamen non sufficit ad dissolvendum matrimonium.

V. Præter famam requiritur Persona gravis, non quæ deponat impedimentum, sed quæ denunciet famam.

VI. Solus rumor (qui habetur per hoc, quod minor pars viciniæ impedimentum acclamet) non satis est ad dissolvenda Sponsalia.

I. INdubitatum est, irritare Sponsalia præcedentia quodlibet superveniens impedimentum dirimens matrimonium; ut est susceptio Ordinis Sacri, Impotentia, Affinitas, quæ contrahitur per hoc, quod sponsus habeat copulam cum consanguinea sponsæ in primo, aut secundo gradu, vel e contra. Ratio est, quia posito eo impedimento, matrimonium promissum contrahi non potest absque dispensatione.

II. Notandum tamen, quod qui fuit causa talis impedimenti ex suo peccato non debeat ullum commodum reportare; unde quantum est ex se, tenetur ad matrimonium obtenta ab altero dispensatione.

Quæritur nunc, An Sponsus, qui post Sponsalia contraxit impedimentum affinitatis, teneatur impetrare dispensationem, parte id exigente?

III. Respondeo, Sanch. disp. 56. Con. Bonac. docere, quod teneatur, si absque notabili incommodo illam potest obtinere. Ratio est, quia sponsa habens jus ad matrimonium habet jus, ne injuste impediatur; ergo sponsus injuste impediens tenetur ex justitia tollere impedimentum obtinendo dispensationem; Si tamen possit absque notabili incommodo, quia ex vi sponsalium non censetur sponsus se obligasse ad procurandum matrimonium per media ardua, & difficilia.

Putat tamen Hurt. disp. 2. difficult. 12. quod non teneatur sponsus petere dispensationem, si quando dedit causam impedimento, peccando cum consanguinea sponsæ, non advertit contrahi impedimentum. Ratio est, quia tunc non damnificavit libere, & qui non damnificat libere, non tenetur ad satisfaciendum; cum in tali casu damnum computetur tanquam fortuitum, ut docent Doctores in materia de Restitutione: Sicuti si Clericus, verbi gratia, in venatione prohibita occidat hominem, quem putat esse feram, non tenetur ad restitutionem; idque etiamsi eo animo occidat feram, ut adhuc si sciret eam esse hominem, vellet occidere, ut notat Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 26. Quamvis multi, & graves Auctores apud eundem sint in sententia opposita.

IV. Præterea Vox publica, seu Fama dicitur, quando habetur acclamatio, seu opinio majoris partis viciniæ: Dicitur vero Rumor, quando minor pars viciniæ acclamat, etiamsi sit quarta, vel tertia pars illius. Hoc posito, certum est primo *ex cap. Super eo 2. de Consanguinitate*, famam de aliquo impedimento dirimente matrimonium dissolvere sponsalia: Verbi gratia, si fama sit, quod sponsus habuerit rem cum sorore sponsæ. Id quippe in jure decretum est ad scandalum vitandum. Verum, ut fama hæc possit dissolvere sponsalia, debet esse certa; ita ut extingui non possit clarioribus probationibus. Ratio hujus est, quia quamvis ad dissolvendum matrimonium jam contractum non satis sit unus testis, qui deponat de impedimento dirimente; (unde relate ad hunc effectum dici solet: Vox unius, Vox nullius), nihilominus ad dissolvenda spousalia, seu ad impediendum matrimonium contrahendum satis est testimonium juratum unius fide digni, qui de impedimento deponat, *ex cap. Super eo 2. de Testibus, & Attestationibus*; atqui fama certa æquipollet Testimonio unius: ergo, illa interveniente de aliquo impedimento, dissolvuntur sponsalia.

Quod si quæras, quare testimonium unius sufficiat ad dissolvenda Sponsalia, non vero ad dissolvendum matrimonium?

Respondent communiter Doctores; quia in primo casu agitur de delicto vitando, ne scilicet sponsi habentes impedimentum contra Ecclesiæ prohibitionem contrahant matrimonium, & peccent: Contra vero in secundo casu agitur de delicto probando, & de magno præjudicio tertii: unde jura duos saltem testes in hoc casu requirunt.

V. Certum est secundo, famam impedimenti dissolvere sponsalia etiam jurata; cum juramentum sequatur naturam, & leges contractus.

Neque dicas cum Palud. quod requiratur & fama, & personæ gravis testimonium ad dirimenda Sponsalia jurata, *ex cap. Cum in tua de Sponsalibus*: ergo sola fama non sufficit. Nam in eo textu persona gravis non requiritur, ut deponat impedimentum, sed ut denunciet famam; unde sola fama sufficit.

VI. Certum est ultimo, solum rumorem de impedimento non sufficere ad sponsalia dirimenda, ut communiter docent contra Antoninum, & Præposit. Ratio est, quia ex uno capite nullus habetur textus canonicus asserens, rumorem hunc sufficere ad impediendum matrimonium; & ex alio capite regula generalis est, quod possint omnes contrahere, qui non reperiuntur prohibiti, ex *cap. Cum apud sedem de Sponsal. & matrim.* ubi Glossa ait: *Id, quod non prohibetur, concessum videtur.*

ARTICULUS VIII.

Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia; Et quinam metus?

I. *Causæ, quæ sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, si superveniant, satis sunt ad ea dissolvenda, si præcesserint, & invincibiliter fuerint ignoratæ.*

II. *Aliter discurrendum de dolo dante causam contractui, ac de incidente in contractum. Aliter etiam si ab altero ex contrahentibus adhibeatur, ac si a tertia persona.*

III. *Sponsalium contractus per dolum celebratus probabilius non est irritus, sed solum irritandus ad arbitrium decepti; ut proindè pariat impedimentum publicæ honestatis.*

IV. *Ideo Votum ex errore emissum est irritum, quia est promissio gratuita; ac sponsalia ferunt promissionem onerosam; & ideò non sunt irrita, sed irritanda, si per dolum celebrentur.*

V. *Qui per dolum contraxit eo animo, ut licet dolum cognovisset, adhuc ea sponsalia contraxisset, nequit resilire.*

VI. *Num contrahentes sponsalia teneantur occulta vitia aperire, quibus deprehensis, Sponsalia non celebrarentur?*

VII. *Defectus, qui notabiliter nocent vitæ sociali conjugum, aperiendi sunt a sponsis; alii vero non sunt aperiendi, nisi de iis interrogentur contrahentes sponsalia. Nec licitum est positive dicto, vel facto simulare oppositum.*

VIII. *Metus levis non irritat sponsalia; sicut nec metus gravis juste incussus; nec metus injuste incussus, sed non ad extorquenda sponsalia.*

IX. *Probabilius sunt solum irritanda ad arbitrum metum passi, non vero irrita sponsalia celebrata per metum injuste incussum ad ea extorquenda.*

X. *Hinc, si sint jurata, datur obligatio contrahendi matrimonium ratione juramenti; nisi obtineat dispensatio.*

I. QUod attinet ad ignorantiam, seu errorem, certum est apud Doctores, illas causas,

causas, quæ satis sunt ad dissolvenda sponsalia, si superveniant, (ut est lepra, paralysis, &c.) satis etiam esse, si præcedant, & invincibiliter ignorentur. Ratio est, tum quia sponsi non censentur voluisse se obligare ad matrimonium, cognita tali causa, ut supra diximus; tum etiam quia sponsalia dissolvi possunt, si superveniat notabilis mutatio: ergo etiam dissolvi possunt, si notabilis mutatio per errorem, aut ignorantiam prius non fuit cognita, & deinde cognoscatur; etenim in Jure esse, & de novo apparere, Non esse, & Non apparere paria sunt, *leg.* 77. *de Contrahenda Emptione*: Tum demum quia sicut vitium occultatum satis est ad dissolvendam venditionem, & quemlibet alium contractum dissolubilem, ita etiam contractum sponsalium.

II. Porro circa dolum notandum est, aliquando dolum dare causam contractui, aliquando incidere in contractum. Dat dolus causam contractui, quando, si præcognitus fuisset, impedisset contractum. Incidit vero in contractum, quando, si cognitus fuisset, non impedisset illum, quamvis non eodem pretio, conditione, &c. contractus factus esset. Notandum etiam, dolum aliquando adhiberi ab altero contrahente, aliquando vero a tertia persona. His explicatis,

III. Quæritur primo, Utrum contractus sponsalium ipso jure irritus sit, ita ut non pariat impedimentum publicæ honestatis, an vero sit solum irritandus, quando præcessit error, seu ignorantia eorum, quæ satis sunt ad dissolvenda sponsalia? Præsertim si dolus dedit causam contractui; verbi gratia, si Berta corrupta, aut paupercula, aut laborans lepra simulavit se virginem, aut divitem, seu sanam.

Respondeo, Sanch. lib. 1. disp. 64. & alios apud Bonac. punct. 9. docere, quod si dolus dederit causam contractui, & adhibitus sit ab altero contrahente fraudulenter, contractus Sponsalium ipso jure sit irritus. Ratio est, quia quilibet contractus bonæ fidei celebratus per dolum dantem ipsi causam, & adhibitum ab altero contrahente est irritus ipso jure, *ex leg. Et eleganter* 7. *ff. de dolo*.

Sed communius Doctores docent cum Con. dub. 9. & Perez, contractum Sponsalium celebratum per dolum sive dantem causam contractui, sive incidentem in contractum, neque esse irritum jure naturæ, neque jure civili; Non jure naturæ; quia quando error non versatur circa substantiam, (hoc est circa personam in contractu Sponsalium) sed circa circumstantias contractus, jure naturæ contractus est validus; ut patet in contractu matrimoniali. Neque jure civili talis contractus est irritus; ut fuse probat Less. de Justitia cap. 17. dub. 1. Quare solum pro arbitrio ejus, qui deceptus est, irritari potest duplici titulo, & ratione injuriæ ortæ ex dolo, & ratione defectus consensus orti ex ignorantia: Nec ad irritandum talem contractum requiritur sententia Judicis, si res sit clara; secus vero si sit dubia.

IV. Neque dicas: Votum ex errore emissum nullum est; Verbi gratia, si quis voveat peregrinationem Lauretanam, existimans Lauretum esse propinquum: ergo etiam Sponsalia ex errore contracta erunt nulla.

Nam, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia votum est promissio gratuita, quæ vitiatur errore illo: At Sponsalia sunt contractus onerosus; unde satis est, quod possint irritari.

Ex dictis sequitur, quod decipiens in sententia nostra cogi possit a decepto ad matrimonium; Quod tamen in sententia opposita Sanch. docentis contractum Sponsalium in eo casu esse irritum, non sequitur.

V. Quæritur secundo, An qui celebravit Sponsalia per dolum incidentem in contractum, si ita erat affectus erga Bertam, ut etiamsi dolum cognovisset, Sponsalia contraxisset, possit deinde, cognito dolo, resilire? Vebi gratia, si Titius contraxit cum Berta deflorata, quam putabat virginem, eo animo, ut etiamsi id sciret, cum ea contraheret, potest ne resilire, quando eam deprehendit defloratam?

Respondeo cum Bonac. Sanch. disp. 65. & aliis negative. Ratio est, quia tale vitium non censetur esse contra voluntatem promittentis, cum absolute promiserit, & adhuc promisisset, tali vitio cognito. Si tamen dubitet, an, eo vitio cognito, promisisset, tunc inspicienda est gravitas vitii; cum enim homines nolint promittere, interveniente notabili mutatione, & cognito gravi vitio, (verbi gratia, si deprehendatur pauper, aut deflorata, quæ putabatur dives, & virgo), idcirco præsumendum est ex communiter contingentibus, quod Titius, cognito tali vitio, non promisisset.

VI. Quæritur tertio, An habens vitium occultum possit licite contrahere Sponsalia cum eo, quem certo scit nullo modo contracturum, si vitium illud aperiretur?

Respondeo, quæstionem hanc pendere ab illa, An venditor teneatur emptori aperire occulta vitia rei vendendæ? Circa quam docet primo Less. cap. 21. dub. 11., quod quando emptor interrogat venditorem de aliquo vitio rei vendendæ, teneatur venditor ex justitia aperire illa vitia, quæ sunt contraria usui, propter quem res emitur. Docet secundo, idem dicendum, si emptor non interroget, sed solum significet rem illam ad aliquem certum usum petere, quia simpliciter petit vendi sibi rem tali usui accommodatam; verbi gratia, equum ad itinerandum.

Docet tertio, quod quando venditor celat vitia, quæ non reddunt rem notabiliter minus utilem usui, propter quem expetitur, non peccet contra justitiam ea celando; quia nimis durum esset obligare homines, ut tam minuta vitia aperiant. Docet quarto, quod quando emptor fidens proprio judicio deligit sibi rem emendam, venditor non ex justitia, sed solum ex charitate teneatur aperire vitia rei, quæ reddunt illam notabiliter minus utilem ad usum, ad quem expetitur: Quod si ad talem usum vitia illa sint noxia, tenetur ea ex justitia aperire.

Notandum præterea, defectus dantes justam causam resiliendi a Sponsalibus esse duplicis generis. Aliqui enim reddunt nuptias notabiliter minus expetibiles, non tamen noxias alteri parti, ut si mulier sit corrupta, pauper, ignobilis, deformis, moribus improbis, &c. Alii vero defectus reddunt nuptias alteri parti noxias, & perniciosas, ut si quis laboret morbo gallico, lepra, &c. His annotatis

VII. Dico primo cum Con., Perez, Sanch. lib. *6.* disp. 27. Non tenetur pars aperire defectus primi generis alteri parti volenti secum Sponsalia contrahere. Ratio est, quia nemo tenetur se infamare, & suos defectus proclamare, quamdiu non nocent aliis; isti autem defectus non nocent ad vitam socialem, & ad generationem, & honestam educationem prolis, ad quem usum expetitur matrimonium: ergo non sunt aperiendi, nisi de iis pars interrogetur. Quare si alter decipiatur, sibi imputet, quod fidens suo judicio non melius de re tota exquisierit.

Dico secundo: Patiens hujusmodi defectus primi generis non potest alterum vana spe ad nuptias suas allicere, simulando positive contrarium vel dicto, vel facto. Ratio est, quia esset fraus manifesta, ut si quis fingeret se divitem, nobilem, &c. Dixi, simulando positive; nam licitum est defectus istos tegere ad bonam famam conservandam: Immo si fœmina petatur, num ab ullo fuerit cognita, potest hujusmodi defectum dissimulare, alia respondendo, cum non teneatur famam suam prodigere.

Dico tertio: Patiens defectum secundi generis non potest cum illius ignaro contrahere Sponsalia, nec postea urgere, ut contractum impleat, nisi iste similes defectus pateretur. Ratio est, quia gravem injuriam illi, & damnum irrogaret.

VIII. Quæritur quarto: Utrum metus cadens in constantem virum injuste incussus ad extorquenda Sponsalia reddat ea irrita, ita ut non pariant impedimentum publicæ honestatis; an solum irritanda?

Respondeo, prænotando, metum alium dici gravem, & probabilem, seu cadentem in constantem virum; ut est timor mortis, gravis percussionis, infamiæ, carceris longi, amissionis status, aut copiæ ingentis divitiarum, & similium: Immo satis est, ut hujusmodi mala immineant personis valde conjunctis, videlicet consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum, ut notat Perez: Alium vero dici metum levem, improbabilem, seu cadentem in virum inconstantem, qui scilicet non movet virum constantem ad faciendum id, propter quod incutitur. Hoc posito

Certum est primo, metum levem, quomodocumque incutiatur, non irritare Sponsalia; Sicut non irritat matrimonium, aut Votum. Ratio est, quia in jure metus levis non habetur ratio. Docet tamen probabiliter Sanch., posse propria auctoritate irritare Sponsalia eum, qui injuste passus est metum levem a comparte: Nam cum hæc teneatur relaxare fidem tali metu extortam, poterit ipsemet vim patiens in conscientia resumere fidem a se datam; idque etiamsi Sponsalia fuerint jurata; dummodo juramenti relaxationem obtineat.

Certum est secundo, metum gravem juste incussum non reddere Sponsalia nulla; Verbi gratia, si Judex Sicario dicat; Nisi despondeas Bertæ, ad suspendium, vel ad triremes te condemnabo propter assassinium commissum: Immo metum hujusmodi nec invalidare matrimonium, docent Doctores cum Sanch. lib. 4. disp. 12., quia talis metus incutitur potius a proprio delicto, & solum a Judice traditur modus evadendi pœnam, si scilicet matrimonium celebret. Est tamen opinio ithæc contra Bonac. quæst. 3. punct. 8., qui docet, matrimonium hujusmodi esse irritum; quia contractus matrimonialis propter ejus indissolubilitatem, & propter reverentiam Sacramenti requirit perfectam libertatem, quæ a tali metu videtur impediri.

Certum est tertio, metum gravem injuste incussum, non tamen ad extorquenda Sponsalia, sed ad alium finem, non irritare Sponsalia; Sicut nec si a causa extrinseca non libera incutiatur; ut si quis ex metu naufragii, aut inimicitiarum Sponsalia contrahat. Ratio est, quia Sponsalia in tali eventu a propria voluntate eliguntur, nec injuriam ullam continent Et idem dicitur de contractu matrimoniali. Quare validum est tum jure naturali, tum positivo matrimonium, quod celebraret cum filia Judicis is, qui videt se a Judice injuste damnandum, nisi nubat; dummodo tamen non sit damnandus injuste, ut extorqueatur matrimonium, sed solum appareat aperiri viam ad declinandam injuriam per matrimonium. Ita Perez, & Sanch. loc. citat.

Certum est quarto, metum gravem injuste incussum ad extorquendum matrimonium reddere illud nullum, sive jure naturali, ut censent Mærat, Molin., Rebell., sive saltem solo

jure

jure Ecclesiastico, ut Sanch., Con. Hurt. apud Perez disput. 17. sect. 11.

IX. Difficultas solum remanet; Num metus gravis injuste incussus ad extorquenda Sponsalia reddat etiam irritum, an solum irritandum contractum Sponsalium? Sanch. docet, esse ipso jure irritum, ex cap. *Ex litteris de desponsat. impuberum*; ac proinde docet, quod, si hujusmodi meticulosa Sponsalia sint juramento firmata, non indigeant relaxatione juramenti ad ea non servanda; quia quando jus resistit contractui, estque contractus contra bonos mores, Juramentum confirmans talem contractum non obligat, ex Regula 58. de Regulis juris in 6.: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*.

Equidem censeo contra Sanch. cum Hurt., Con., Henr., Sponsalia hujusmodi nullo jure esse irrita; posse tamen personam coactam ad promittendum ab iis resilire propria auctoritate. Probatur, quia neque sunt irrita jure Ecclesiastico; nam in *Cap. ex literis* citato a Sanch. sermo est de puella, quæ omnino invita contraxerat; Neque sunt irrita jure naturali: Nam ad valorem cujuscumque contractus ex justitia obligantis jure naturali duo requiruntur, & Voluntarium, & Titulus; in casu autem nostro habetur Voluntarium, quamvis admixtum involuntario, ut patet in eo, qui ad vitandam mortem, quam Tyrannus minatur, nisi adulteretur, committit adulterium: hic enim vere peccat, eo quod talis metus non tollat libertatem. Præterea in casu nostro habetur Titulus; quia datur jus ad corpus unius pro jure ad corpus alterius; cum enim uterque habeat dominium in suum corpus, potest uterque promittere illud in matrimonium pro repromissione alterius.

X. Ex dictis sequitur contra Sanc., quod qui ex metu gravi injuste incusso ad extorquenda sponsalia promittit matrimonium cum juramento, obligatur ad matrimonium ratione juramenti; non secus ac qui promittit cum juramento solvere pecuniam latroni ad vitandam mortem, tenetur ratione juramenti. Et ratio est, quia juramentum obligat, quando licite impleri potest, ex *Cap. Debitores*, & ex *Cap. ult. de Jurejurando*: Propterea indiget relaxatione juramenti, si velit Sponsalia isthæc meticulosa dissolvere.

ARTICULUS IX.

Quænam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolvenda Sponsalia.

I. *Pro foro interno sufficit solida probabilitas, quod detur causa sufficiens ad Sponsalia dissolvenda.*

II. *At pro foro externo requiritur vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de impedimento dirimente, ut ratione talis impedimenti sponsalia dissolvantur. Si vero causa, quæ allegatur ad resiliendum, non sit impedimentum dirimens, sed verbi gratia, fornicatio Sponsæ, requiruntur duo testes.*

III. *Ad servanda Sponsalia cogere potest Judex Ecclesiasticus; necnon etiam Judex Sæcularis: dummodo ex invitis nuptiis gravia scandala non oriantur.*

IV. *Solus Pontifex potest ex gravi causa in Sponsalibus dispensare.*

I. Quæritur primo; Qualis probatio sufficiat tam pro foro interno, quam pro externo ad dissolvenda Sponsalia?

Respondeo cum Con. dub. 11., & aliis communiter pro foro interno quamlibet probationem moraliter certam sufficere; quia in moralibus ad operandum exigi nequit major certitudo. Notat autem Sanch. lib. 1. disp. 69. ad certitudinem hanc moralem habendam non requiri, ut nulla sit opinio contraria, sed satis esse, ut juxta opinionem vere probabilem detur causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia: Nam in moralibus ad operandum hæc dicitur certitudo, cum satis sit, ut quis tuto operetur, amplecti opinionem probabilem. Quare si, verbi gratia, vir doctus (qui opinionem probabilem faciat) asserat dari causam sufficientem ad sponsalia dissolvenda, aut si testis fide dignus omni exceptione major de certa scientia testetur, verbi gratia, sponsæ fornicationem, & nulla suspicio mendacii subsit, procul dubio potest Sponsus a Sponsalibus resilire, nixus sive opinione probabili viri docti, sive certitudine morali talis testis. Quod tamen intelligendum, nisi ex dissolutione Sponsalium scandalum sequatur; si enim scandalum sequeretur, ad Judicem recurrendum est. Quod si causa sit occulta, ne infametur alter apud Judicem, monendus ille erit privatim, ut a petendo matrimonio desistat, & sic infamiam devitet. Quod si desistere nolit, aut nihil per admonitionem speretur, res tota poterit ad Tribunal Judicis deferri: Quilibet enim potest vitia occulta alterius detegere in propriam defensionem; Sicut possumus latronem occultum denunciare ad vitandum damnum proximi. Eodem modo, quando causa est dubia, nemo potest propria auctoritate Sponsalia dissolvere, sed ad Judicem recurrendum est.

II. Pro foro autem externo, ut Judex dissolvat Sponsalia ob impedimentum aliquod matrimonii, sufficit vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de tali impedimento, ut supra diximus; cum enim agatur de peccato vitando, quod Sponsi committerent, si cum tali impedimento matrimonium contraherent, satis est unus testis juratus. Quod si causa, quæ ad sponsalium dissolutionem allegatur, non sit aliquod

impedimentum dirimens matrimonium, sed sit id, quod alteri dat jus ad resiliendum, ut est, verbi gratia, fornicatio Sponsæ, tunc non satis est unus testis juratus, sed requiruntur duo testes omni exceptione majores, ut notant Sanch., & Con. Sicut etiam duo testes requiruntur ad dissolvendum matrimonium contractum, seu ad declarandum matrimonium contractum fuisse nullum ob impedimentum dirimens. Ratio disparitatis est, quia in primo casu agitur tantum de peccato vitando; at in his casibus agitur de peccato probando, & de præjudicio tertii, ad quod duo saltem testes requiruntur, ut in communi ordine judiciorum.

III. Quæritur secundo; Quinam Judex cogere possit sponsum renuentem ad servandam fidem sponsalium datam?

Respondeo, Ecclesiastico Judici id competere, ut communiter docent; quia ad Judicem Ecclesiasticum spectat cognoscere, & judicare de Sacramento matrimonii, ad quod tendit contractus sponsalium. Potest etiam Judex sęcularis cogere sponsum ad sponsalia etiam jurata servanda, ut docent etiam communiter Doctores cum Sanch. dis. 29.; quia universim Judex sęcularis cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiamsi juramento illi firmati sint; ergo etiam ad servanda sponsalia jurata; quod pariter ex usu, & praxi constat.

Notandum tamen, quod non sit cogendus injuste resiliens ad sponsalia implenda, quando Judex arbitratur ex invitis nuptiis gravia mala, & scandala timeri, qualia sunt perpetuæ rixæ, desertio uxoris, vel quod coactus ficte contrahat. Ita communiter apud Perez ex *cap. Ex li eris de sponsalibus*: ubi dicitur, Renuens esse censura compellendus, *nisi rationabilis causa obstiterit.*

IV. Notat etiam Sanch. lib. 1. disp. 61., solum Papam, tamquam supremum spiritualem Judicem, posse in sponsalibus ex gravi causa dispensare, non vero Episcopum; eo quod per sponsalia jus tertio acquisitum sit: Qua de causa negant communiter Doctores, quod possit Episcopus relaxare juramentum in præjudicium tertii. Atque hæc de sponsalibus.

QUÆSTIO III.
De Matrimonio secundum se, ejusque Institutione, Indissolubilitate, & Unitate.

Matrimonium dictum est, ut ait Glossa, a Matre, quia mulier nubit, ut mater fiat, & est quasi Matris munium, seu munus, cum per illud imponatur fœminæ munus generandæ, & educandæ prolis. Potius a matre appellatur, quam a Patre, quia illa certior est in generatione; unde etiam proles ex matre contrahit conditionem servi, vel liberi. Alii Matrimonium interpretantur, quasi matrem muniens, quia uxor per matrimonium acquirit virum, a quo defendatur, & muniatur.

Matrimonium alio nomine appellari solet connubium, Conjugium, Nuptiæ. Dicitur connubium, & Nuptiæ a nubendo, vel velando, aut quia mulier ex antiquissima consuetudine velo, quasi nube operiebatur, ut se viro inferiorem, & subditam ostenderet; aut quia ob novam cæremoniam Ecclesiæ velamine quodam teguntur conjuges, quando ab Ecclesia benedictionem accipiunt. Dicitur vero Conjugium, quia est conjunctio duorum, qui sub eodem jugo societatis perpetuo copulantur, ita ut efficiantur una caro. Examinabimus hic primo, Quid sit matrimonium, inquantum est contractus, & inquantum est Sacramentum: Secundo ejus institutionem. Tertio indissolubilitatem, & unitatem.

ARTICULUS I.
Quid sit Matrimonium, inquantum contractus, & inquantum est Sacramentum?

I. *Matrimonium, inquantum est contractus, est causa efficiens matrimonii sumpti pro vinculo indissolubili, seu pro mutuo jure conjugum.*

II. *Matrimonium formaliter sumptum non est mutuus consensus conjugum, sed est vinculum, quod ex eo causatur.*

III. *Potest hujusmodi vinculum dari divinitus sine consensu conjugum.*

IV. *Non est Sacramentum Matrimonium sumptum formaliter pro vinculo, sed sumptum causaliter pro contractu.*

V. *Si conjuges Religionem ingrediantur, remanet vinculum, seu dominium mutuum in corpora, sed impeditum.*

VI. *Beatissimæ Virginis cum D. Josepho Matrimonium qua ratione consistere poterat cum utriusque voto Virginitatis?*

VII. *Quænam sit Matrimonii definitio?*

VIII. *Quodnam Matrimonium de facto sit Sacramentum? Ecclesia materiam, & formam hujus Sacramenti a Christo Domino institutam immutare non potest: Solum mutare potest leges contractus.*

IX. *Inter Baptizatos consistere nequit Matrimonium, quin sit Sacramentum. At quid si velint contrahere, non tamen Sacramentum suscipere?*

X. *Matrimonium per Procuratorem celebratum est verum Sacramentum, quod a Principali, non a Procuratore suscipitur. Illud tamen*

tamen laudabiliter in præsentia conjugum renovatur.

XI. *Sacramentum Matrimonii qua ratione dicatur unum numero in duobus; & an illud sit in solo Baptizato, quando hic contrahit cum Infideli?*

XII. *Si duo conjuges Infideles baptizantur, ratificando contractum matrimonialem, suscipiunt Sacramentum matrimonii, quin debeant ipsum coram Parocho, & Testibus ratificare.*

XIII. *Hujus Sacramenti Minister non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. Materia vero, & forma non sunt corpora conjugum, sed materia est utriusque consensus, qui, quatenus importat mutuam corporum traditionem, habet rationem materiæ, quatenus vero importat mutuam acceptationem, habet rationem formæ.*

I. QUæritur primo; Quotupliciter sumatur Matrimonium?

Respondeo, matrimonium dupliciter sumi; Primo pro ipso contractu, quo sponsi tradunt sibi mutuo corporis dominium: Secundo pro ipso vinculo, seu mutuo jure, & dominio corporum, quod ex tali contractu inter conjuges nascitur. Matrimonium primo modo sumptum, seu inquantum est contractus, est causa matrimonii sumpti secundo modo, seu inquantum est vinculum; ut constat ex Florent. in Epistolis Eugenii; ubi dicitur: *Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Unde fit, quod contractus matrimonii causet vinculum; etenim ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir: similiter etiam & Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* In hac itaque mutua potestate, seu dominio habetur vinculum causatum a contractu matrimoniali.

II. Quæritur secundo; In quonam consistat essentia matrimonii?

Respondeo, Matrimonium formaliter sumptum non consistere in contractu, sed in dicto vinculo, seu mutuo dominio corporum, cui respondet mutua obligatio reddendi debitum. Sicuti enim in professione Religiosa contractus causat vinculum, seu statum Religiosi permanentem, per quem aliquis constituitur formaliter Religiosus; Et sicuti Electio, verbi gratia, Pontificis, aut Imperatoris causat potestatem permanentem Electi erga subditos, in qua formaliter consistit dignitas Pontificia, aut Imperatoria: ita pariter contractus matrimonialis causat vinculum illud, seu mutuum jus in corpora, in quo formaliter consistit matrimonium.

III. Hinc sequitur, quod sine consensu conjugum, & sine contractu possit divinitus dari verum matrimonium; si scilicet Deus daret Petro, & Bertæ mutuum jus in corpora: Sicuti potest Deus Pontificem constituere sine ulla electione Cardinalium, dando alicui immediate potestatem Pontificiam, ut notant Con., Henr. Perez disp. 14. sect. 6. contra Sanch., & alios.

IV. Oppones primo; Matrimonium est Sacramentum, atque adeo signum sensibile, & physicum; ergo non potest constitui per dictum vinculum, quod est aliquid morale.

Respondeo cum Perez disp. 30. sect. 1., matrimonium formaliter sumptum non esse Sacramentum, sed solum causaliter sumptum matrimonium esse Sacramentum constitutum per consensum mutuum exterius expressum, qui a Florent. dicitur esse causa efficiens matrimonii. Ratio est primo, quia inter Sacramenta novæ legis sola Eucharistia est Sacramentum permanens juxta omnes Theologos; Matrimonium autem formaliter sumptum, cum sit quid indissolubile, est pariter permanens: ergo Matrimonium formaliter sumptum non est Sacramentum, & consequenter solum Matrimonium causaliter sumptum est Sacramentum transiens. Secundo, quia ex Florentino in literis Eugenii, omne Sacramentum est institutum, ut suo usu ex opere operato suo modo sanctificet; atqui usus matrimonii sumpti pro vinculo, idest usus conjugii, non sanctificat ex opere operato, sed solum sanctificat usus matrimonii sumpti pro contractu; dum enim conjuges contrahunt, suscipiunt gratiam Sacramentalem matrimonii; ergo solum matrimonium sumptum causaliter pro contractu est Sacramentum.

V. Oppones secundo: Potest contingere, quod, perseverante matrimonio, non perseveret in utroque conjuge obligatio reddendi debitum; ergo falsum est, quod matrimonium consistat in illo vinculo, seu mutuo dominio corporum, & ei correspondente obligatione. Antecedens patet, quia si conjuges mutuo consensu profiteantur in Religione, perseverat quidem matrimonium, sed non tenentur, nec possunt licite reddere debitum.

Respondeo cum Con. negando consequentiam. In casu enim in argumento adducto cum perseveret matrimonium, perseverat etiam vinculum, seu dominium mutuum corporum, quamvis impeditum, ita ut non valeat exire in actum: Sicuti si quis omnem operam sui mancipii alteri elocasset, perseveraret dominium erga mancipium, sed dominium esset impeditum; unde non posset Dominus, invito Conductore, aliquod opus servo imperare, nec ille teneretur obedire. Præterea sicut in Societate Jesu cum voto simplici paupertatis post biennium emisso stat verum dominium bonorum, impedito eorum usu in perpetuum per tale votum; ita in casu adducto Conjuges habent verum dominium mutuum corporum, impedito tamen usu conjugali in perpetuum per vota religio-

ligionis. Quod ex eo constat, quia si Pontifex dispensaret in votis Religionis, sine novo contractu, illi remanerent conjuges, ut prius: Unde fit, quod si absque dispensatione in votis copularentur inter se, talis copula non esset fornicaria, (quia non esset accessus ad non suam) sed solum esset sacrilega.

VI. Ex quibus aperte colligitur, Matrimonium Beatissimæ Virginis fuisse verum, & legitimum matrimonium ratum, ita ut Angelus dicere potuerit Josepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; quamvis communiter Doctores cum August. lib. de Virginit. cap. 4. doceant, Beatissimam Virginem ante Annunciationem emisisse votum virginitatis; unde dixit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, non possum cognoscere virum propter votum. Et forte etiam D. Joseph idem votum emiserat, ut multi censent. Uterque itaque consensit in matrimonium cum contractu subinserto obligandi se ad non petendum debitum, & sub conditione servandę virginitatis; Unde habuerunt solum obligationem radicalem ad copulam, quæ obligatio, seu vinculum matrimonium constituit, & stare potuit cum voto virginitatis, & cum odio positivo copulæ; non enim ad illam proxime obligabantur, nisi in eventu, quod Deus dispensaret in voto emisso, & ipsi sponte contractum illum subinsertum rescinderent.

Neque dicas: Matrimonium, ut notat Less., non consistit in mutuo dominio conjugum; cum conjuges non sint invicem servi, sed in jure utendi corpore conjugis solum in ordine ad opus conjugii: ergo si matrimonium Beatæ Virginis contractum fuit sub conditione, ut neuter utatur corpore alterius, per tale matrimonium uterque habuit jus, ne sibi tamquam debitus petatur usus corporis: ergo neuter habebat jus ad usum corporis alterius; unde non habebatur verum matrimonium consistens in tali jure.

Nam, ut diximus, neuter habebat jus proximum, sed uterque habebat jus radicale, & remotum, in quo consistit essentia matrimonii. Quod ex eo patet; quia vi talis matrimonii neuter conjux poterat cum altero nubere, & si cum altero commisceretur, adulterium committeret. Quod dici non posset, si matrimonium esset nullum; aut si matrimonium non consisteret in solo mutuo dominio radicali corporum. Id autem hoc exemplo illustratur; Si tu des domum Titio sub conditione, quod non violet votum, quod habet non habitandi in illa, certe Titius est dominus domus, quamvis non habeat jus proximum habitandi in illa; unde si habitaret, violando votum, peccaret tum contra votum, tum etiam contra justitiam; quia tamen posita dispensatione talis voti, vere haberet jus proximum habitandi in ea domo, eo quod in tali casu non habitaret cum violatione voti, idcirco ante dispensationem voti habebat solum jus remotum habitandi in ea; quod satis erat, ut diceretur dominus domus, possetque illam alienare, vendere, donare, & ad omnes alios usus de ea disponere. Idem dicas in casu nostro; etenim tam Beata Virgo, quam D. Joseph dederunt invicem dominium corporum sub conditione servandi votum de non usu; unde uterque habuit dominium radicale in corpus alterius, in quo consistit matrimonium.

Gratian. apud Less. docet, Beatam Virginem consensisse in obligationem ad reddendum debitum, petente D. Josepho; sed quia ex Divina revelatione sciebat D. Josephum nunquam petiturum, idcirco castissima Virgo voti sui secura, volente, ac præcipiente Deo, consensit in conjugium, & in obligationem illam. Hæc tamen sententia communiter rejicitur, quia quoties aliquid est prohibitum, tam peccat, qui illud ponit, quam qui consentit in obligationem ad ponendum illud; etiamsi certo sciat, quod nunquam sit futura occasio illud ponendi: Exempli gratia, tam peccat qui occidit hostem, quam qui vult se obligare ad illum occidendum, si occurrat, quamvis certe, & ex revelatione sciat hostem nunquam esse occursurum. Alii alias vias inierunt ad conciliandum verum matrimonium Beatissimę Virginis cum voto castitatis, de quibus fusius diximus in Cursu Theolog. disp. 2. de Justitia, & Jure quæst. 2.; ubi ostendimus, posse dominium rei plenum, ac perfectum separari ab usufructu perpetuo: satis sit hic aliquid innuisse in obsequium Magnæ matris.

VII. Quæritur tertio, Quomodo definiatur matrimonium?

Respondeo, matrimonium sumptum pro contractu (in quo sensu apud fideles est etiam Sacramentum) bene posse definiri, quod sit *Legitimus, & indissolubilis contractus inter virum, & fœminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas*. Dicitur, *Contractus legitimus*, quia celebrari debet juxta leges suas. Dicitur, *Indissolubilis*, quia non potest dissolvi, ut cæteri contractus per consensum mutuum contrahentium, ut infra ostendemus. Dicitur, *Inter virum & fœminam*, hoc est inter unum, & unam, repugnante polygamia ex institutione Christi Domini. Et quamvis in lege veteri potuisset idem vir habere plures uxores, non tamen eadem fœmina habere poterat plures maritos; quia proles esset incerta, & nemo maritorum teneretur illam educare. Dicitur demum, *Quo mutua corporum potestas traditur, & acceptatur*; ut ostendatur forma hujus contractus, & hujus Sacramenti, quo gratia sanctificans fidelibus confertur.

Ex hoc contractu oritur obligatio servandi

tria

tria bona matrimonii, videlicet bonum Prolis, Fidei, & Sacramenti: Datur enim obligatio ſervandi bonum prolis, ſeu non vitandi prolem poſitive medio illicito, verbi gratia ſumendo potionem ſterilitatis; aut emittendo ſemen extra vas. Datur etiam obligatio ſervandi fidem, ſeu fidelitatem, hoc eſt non adulterandi. Datur demum obligatio ſervandi perpetuitatem, & indiſſolubilitatem Sacramenti, niſi alter ingrediatur religionem ante conſummationem.

VIII. Quæritur quarto: Quodnam matrimonium eſt Sacramentum?

Reſpondeo, & dico primo; Matrimonium ſumptum pro vinculo, uon eſt, nec fuit unquam Sacramentum; cum non ſit ſignum ſenſibile, nec ſuo uſu gratiam conferat. Neque dicas, a Patribus tale vinculum vocari Sacramentum: Nam vocatur Sacramentum late ſumptum, quatenus ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, non vero quatenus eſt ſignum ſenſibile efficax gratiæ ſanctificantis.

Dico ſecundo; Ante legem gratiæ matrimonium non erat Sacramentum antiquæ legis. Ita communiter Catholici. Trident. enim ſeſſ. 7. aperte docet eſſe Sacramentum proprium legis novæ. Quare in lege veteri non fuit inſtitutum ad conferendam aliquam ſanctificationem, ſicut conferebant alia Sacramenta, ſed inſtitutum fuit in officium naturæ ad legitimam generis humani propagationem; Unde Adami conjugium dicitur Sacramentum late ſumptum, quatenus ſignificabat Chriſti cum Eccleſia conjunctionem.

Dico tertio; Sacramentum ſumptum pro contractu maritali eſt verum, & proprium Sacramentum novæ legis. Ita Trid. ſeſſ. 24.

Neque dicas primo cum hæreticis: Multi conjuges Chriſtiani pejus vivunt, quam conjuges Infideles: ergo falſum eſt, quod matrimonium Chriſtianorum ſit Sacramentum conferens gratiam. Nam contra eſt, quia ſic etiam probaretur, quod nec Baptiſmus ſit Sacramentum, eo quod multi baptizati pejus vivant, quam non baptizati. Quare Sacramenta dant gratiam bene diſpoſitis, ut poſſint bene vivere, non tamen ad id cogunt.

Neque dicas ſecundo: Unum Sacramentum non pugnat cum alio; ſed matrimonium pugnat cum Sacerdotio; ergo matrimonium non eſt Sacramentum.

Reſpondeo enim, Sacramenta hæc non pugnare ratione ſui, cum poſſit conjugatus, uxore conſentiente, ordinari: ſed pugnat tantum ratione ſtatus, quem inducunt; Etenim Sacerdotes vacare debent Deo uſquequaque: At ex Apoſt. 1. ad Corint. 7. *qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

Neque dicas tertio: Matrimonium poteſt contrahi cum pacto, quod certum pretium ſolvatur: ergo matrimonium non eſt Sacramentum, aliter eſſet ſimonia accipere pretium pro illo.

Nam reſpondeo, pretium poſſe accipi non pro Sacramento, ſed pro matrimonio, inquantum contractus civilis eſt, ad ſuſtinenda onera Matrimonii; Sicuti pro calice conſecrato poteſt accipi pecunia, non ratione conſecrationis, ſed ratione materiæ.

Neque dicas quarto; Si matrimonium eſſet Sacramentum, Eccleſia nihil circa illud poſſet immutare, ſed immutavit; nam fecit aliquos inhabiles ad contrahendum, inſtituendo impedimenta dirimentia, & ſtatuit matrimonium clandeſtinum eſſe invalidum; ergo non eſt Sacramentum.

Nam communiter Doctores reſpondent, Eccleſiam non poſſe immutare materiam, & formam Sacramentorum a Chriſto Domino inſtitutam; unde non poteſt efficere quin per legitimum contractum conſtituatur Sacramentum matrimonii. Poteſt tamen Eccleſia immutare leges contractus, ut de facto fecit, ſtatuendo, contractum matrimonii clandeſtinum non eſſe legitimum: ex quo ſequitur, quod non ſit Sacramentum: Sicuti enim ſi Reſpublica ſtatueret, quod non verbum, Baptizo, ſed verbum, Amo, ſignificaret ablutionem, forma Sacramenti Baptiſmi non eſſet, Ego, te baptizo, ſed eſſet, Ego te amo; nec per hoc fieret, quod Reſpublica immutaret formam Sacramenti Baptiſmi inſtitutam a Chriſto Domino, quæ conſiſtit in verbis ſignificantibus ablutionem: Ita in caſu noſtro.

IX. Quæritur quinto; An poſſit inter baptizatos celebrari matrimonium ſine Sacramento.

Reſpondeo negative. Ita Sanc. lib. 2. diſput. 10., Con. diſp. 24. contra Vaſq., Rebel. Hurt. diſp. 3. diff. 19. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus omnem contractum matrimonialem inter baptizatos elevavit ad rationem Sacramenti: cum Florent., & Trid. abſolute definiant contractum matrimonialem fidelium eſſe Sacramentum, nulla facta exceptione. Unde fit, quod qui abſolute vellet contrahere matrimonium, & ſimul abſolute nollet ſuſcipere Sacramentum, vere matrimonium non contraheret; quia ſine voluntate ſuſcipiendi Sacramentum nequit Sacramentum ſuſcipi, & conſequenter nec matrimonium contrahitur. Quod ſi quis abſolute vellet contrahere matrimonium, ſed nollet ſuſcipere Sacramentum eo quod putaret, ſeparari poſſe contractum matrimonialem a Sacramento; in tali caſu & matrimonium contraheret, & Sacramentum ſuſciperet, eo quod nolitio ſuſcipiendi Sacramentum ſit conditionata, & inefficax; volitio vero contrahendi matrimonium ſit abſoluta, & efficax. Quod fuſe explicavimus in de Sacrament. in genere artic. 4. numer.

9. ubi

9. ubi de intentionibus contrariis in Ministro Sacramentorum.

Opponès cum Perez disp. 19. sect. 10. Etiam ablutio cum sua forma constituit Sacramentum baptismi, nulla facta exceptione, & tamen si sine intentione suscipiendi baptismum adultus abluitur, ita abluitur, ut non suscipiat Sacramentum; ergo etiam in casu nostro, si fiat contractus sine intentione suscipiendi Sacramentum, vere contractus celebratur, cum nihil illi desit, & tamen non suscipitur Sacramentum.

Respondeo negando, quod in tali casu contractus sit validus: etenim sublata intentione suscipiendi Sacramentum, tollitur consequenter intentio faciendi contractum, cum hic ex institutione Christi debeat esse Sacramentum; Unde fit, ut matrimonium sit nullum, sive absit intentio faciendi contractum, sive absit intentio suscipiendi Sacramentum.

X. Ex dictis sequitur contra Canum, Victor., Cajet., & alios apud eundem Perez, matrimonium per Procuratorem, aut per literas contractum esse verum Sacramentum, quod tamen a principalibus contrahentibus, non a Procuratore suscipitur. Ratio est manifesta, quia omnis contractus matrimonialis baptizatorum ex institutione Christi est Sacramentum; sed matrimonium per Procuratorem, sive per literas, aut internuncium celebratum est verus, & legitimus contractus; ergo est etiam Sacramentum: Unde sequitur, quod contrahentes principales sub mortali teneantur curare, ut sint in gratia, dum Procuratores eorum nomine contrahunt, ne sacrilege Sacramentum suscipiant. Et quamvis tunc forte dormiant, adhuc dormientes suscipere possunt Sacramentum, quod ante petierunt; ut certum est de Sacramento Extremæ unctionis, quod etiam a dormientibus, & lethargo oppressis suscipi potest. Nec refert, quod Sacramentum constare debeat rebus, & verbis. Nam, ut dicemus quæst. 4. art. 1., ad Sacramentum matrimonii constituendum satis sunt signa sensibilia expressiva interni consensus; hæc autem signa sufficienter per Procuratores, tamquam per instrumenta principalium possunt exprimi in hoc Sacramento, utpote instituto per modum contractus.

Neque dicas primo. Reliqua Sacramenta non possunt conferri inter absentes; ergo neque Sacramentum matrimonii; atque adeo, quando per Procuratorem celebratur, non est Sacramentum.

Nego enim consequentiam. Disparitas est, quia solum matrimonii Sacramentum institutum est per modum contractus, qui licite celebratur inter absentes per Procuratorem. Neque hinc fit, quod Sacramentum Pœnitentiæ institutum per modum judicii possit etiam absenti conferri. Nam Christus Dominus voluit in hoc Sacramento præsentiam Rei; non enim per formulam, Absolvo te, significari potest, & demonstrari nisi homo præsens.

Neque dicas secundo: Si matrimonium per Procuratorem celebratum esset Sacramentum, non daretur ratio, quare deinde contractus renovaretur in præsentia contrahentium; esset enim repetitio Sacramenti sacrilega; sed renovatur; ergo non est Sacramentum. Negatur enim sequela. Nam cum quilibet contractus ex natura sua sit renovabilis, & Sacramentum matrimonii sequatur leges contractus; hinc renovari potest non quidem Sacramentum, sed contractus. Et laudabiliter renovatur in præsentia contrahentium matrimonium per Procuratorem celebratum, tum ad tollendos scrupulos; tum etiam, ut suppleantur solemnitates omissæ; tum demum, ut si forte fuerit invalidus prior contractus ex defectu consensus, fiat validus per secundum, & Sacramentum recipiatur: Quod tamen fieri non potest in reliquis Sacramentis non institutis per modum contractus, ut notat Sanch. apud Bonac. quæst. 2. punct. 5. Potest quidem circa eadem peccata remissa Sacramentum pœnitentiæ renovari, ut diximus in de Pœnitentia, & constat ex usu fidelium; non potest tamen Sacramentum matrimonii, renovato contractu, renovari; cum sit relate ad eundem conjugem irreiterabile; sicut in eodem morbo irreiterabilis est Extrema unctio ex institutione Christi Domini.

XI. Quæritur sexto; Utrum Sacramentum matrimonii sit unum numero in utroque conjuge, an vero duplex?

Respondeo, esse unum numero. Ratio est, quia ipse contractus est elevatus ad rationem Sacramenti; sed contractus est unus numero inter duos: ergo etiam Sacramentum. Nec mirum esse debet, quod unum accidens morale sit in duobus; Nam una numero potestas eligendi Pontificem, verbi gratia, est in toto Collegio Cardinalium.

Ex hac doctrina, quæ communiter admittitur, infert Sanch. lib. 2. disp. 8., Con., & Perez, quod si Christianus ex dispensatione Pontificis contrahat matrimonium cum non baptizata, neuter Sacramentum recipiat; cum enim altera pars sit incapax Sacramenti, & hoc Sacramentum non possit esse nisi unum numero in duobus, videtur sequi, quod neuter Sacramentum recipiat. sed magis arridet opinio Bonac. quæst. 2 punct. 2., qui cum Sot., & Vasq. docet, quod Sacramentum matrimonii in eo sensu dicatur unum numero in duobus, in quo sensu omnes ordines dicuntur esse unum numero Sacramentum, videlicet unum adæquatum; Sicut etiam species panis, & vini sunt unum numero adæquatum Sacramentum Eucharistiæ.

ristiæ. Ex quo fit, quod, si contrahat matrimonium baptizatus cum non baptizata, possit solus baptizatus suscipere Sacramentum. Et sane videtur benignitati Christi Domini consonum, quod ita Sacramentum hoc instituerit, ut noluerit privare talem baptizatum gratia hujus Sacramenti; quamvis potuisset aliter illud instituere; ita ut neuter in hoc casu Sacramentum susciperet.

Neque hinc sequitur, quod si duo fideles contrahant matrimonium, & alter intendat suscipere Sacramentum, alter vero non, ille tantum Sacramentum suscipiat. Nam, ut notat Con., in hoc alio casu neuter suscipit Sacramentum, quia non habetur contractus constitutivus Sacramenti. Etenim, ut supra diximus, fidelis, qui absolute non vult suscipere hoc Sacramentum, absolute non vult contrahere; contractus autem non habetur, quando alter non vult contrahere, atque adeo nec Sacramentum.

XII. Quæritur septimo; An si duo conjuges infideles, uterque, vel alteruter baptizetur, quando deinde per signa externa ratificant contractum matrimonialem, tunc suscipiant Sacramentum matrimonii?

Respondeo affirmative. Consonum enim est benignitati Christi Domini, quod ita hoc Sacramentum instituerit, ut ad illud constituendum satis sit quilibet contractus matrimonialis inter baptizatos, sive talis contractus primo ponatur post baptismum, sive contractus primo positus ante baptismum deinde post baptismum renovetur: Aliter conjuges infideles ad Baptismum reducti deberent semper carere gratia hujus Sacramenti. Ita Bonac., Bellarm., Henr. contra Perez, Con., Ledesm.. Verum Sanch. putat, matrimonium istorum tunc effici Sacramentum, quando suscipiunt Baptismum, etiamsi per signa externa non renovent priorem contractum matrimonialem: quia sicut per baptismum fit indissolubile matrimonium Infidelium, ita fit Sacrament.

Notandum hic ex Bonac., quod conjuges infideles, quando suscipiunt baptismum, non debeant consensum matrimonialem renovare coram Parocho, & testibus, ut matrimonium fiat Sacramentum. Ratio est, quia Trid. requirit assistentiam Parochi, & testium ad valide contrahendum matrimonium; cum autem in casu nostro supponatur jam valide contractum fuisse matrimonium ante Baptismum, ut renovatio talis consensus evadat Sacramentum, non est opus, ut fiat coram Parocho, & testibus.

XIII. Quæritur ultimo; Quænam sit materia, forma, & minister hujus Sacramenti?

Respondeo, quod attinet ad ministrum, putasse Canum lib. 9. cap. 5., quod iste sit Sacerdos dicens: Ego vos conjungo in matrimonium; ita ut hæc verba sint etiam forma talis Sacramenti. Sed communiter tamquam improbabilis rejicitur hæc sententia. Nam Trident. sess. 24. expresse docet, etiam matrimonia clandestina sine Sacerdote celebrata fuisse olim vera, ac rata matrimonia, atque adeo habuisse rationem Sacramenti; siquidem juxta locutionem ejusdem Trident., & juxta sensum Ecclesiæ, idem est, matrimonium esse ratum, ac esse Sacramentum. Quare Sacerdos non requiritur ad Sacramentum ministrandum, sed ad certam cæremoniam Ecclesiæ; nec conjuges per Sacerdotem, sed per mutuum consensum conjunguntur: Unde verba illa, Ego vos conjungo, idem sonant, ac Ego vos declaro conjunctos. Quod ex eo etiam patet; quia in communissima sententia, quando matrimonium est invalidum ex aliquo impedimento dirimente, vel ex defectu consensus, ut fiat validum, satis est, si tollatur impedimentum, ac suppleantur defectus renovato consensu, etiamsi tunc non assistat Parochus; quod fieri non posset, si Minister Sacramenti esset Sacerdos, cum sine Ministro Sacramentum conferri non possit.

Nec requiritur Sacerdos, ut Sacramentum conferatur a Persona Sacra. Nam sicut Baptismus etiam a laico, & infideli potest valide conferri; ita potest etiam a persona non sacra conferri Sacramentum Matrimonii. Certum itaque est, ipsos contrahentes baptizatos esse Ministros hujus Sacramenti. Ratio est, quia hoc Sacramentum ex institutione Christi non distinguitur a contractu; ergo si contrahentes ponunt constitutiva contractus, ponunt etiam constitutiva Sacramenti, atque adeo sunt Ministri.

Hinc multi recte cum Hurt. Pont., Perez inferunt, quod contrahentes matrimonium in mortali duplex peccatum committant, alterum, inquantum indigne ministrant, alterum, inquantum indigne suscipiunt Sacramentum. Quod tamen non admittit Sanch. lib. 2. disp. 2., & alii putantes, solum Ministrum consecratum peccare mortaliter ministrando indigne Sacramentum; ut est Sacerdos absolvens. Sed immerito: quilibet enim Minister Sacramentorum, sive consecratus, sive non consecratus debet ex præcepto naturali conformari cum Deo auctore Sacramentorum, ac Sanctificationis, necnon cum ipsa Sacramentorum sanctitate, debetque sancte sancta tractare. Concedo autem, quod Sacerdos non peccet mortaliter, si cum peccato mortali assistat matrimonio, cum ipse nec ministret, nec recipiat Sacramentum.

Quod attinet ad materiam, & formam hujus Sacramenti; neque placet primo sententia adducta Cani putantis, verba contrahentium esse materiam, & verba Sacerdotis esse formam: neque secundo Navar., & Sylv. apud Con., quod internus consensus contrahentium sit materia, & verba sint forma. Nam materia Sacramen-

mentorum non potest esse adæquate insensibilis; quandoquidem ex illa simul cum forma constitui debet signum sensibile adæquatum. Neque tertio Majoris, quod verba sint materia, & internus consensus forma, propter eandem rationem. Neque quarto Victor., & Vega, quod verba ab uno prius prolata sint materia, & verba alterius sint forma. Nam si simul ea proferrentur, non daretur materia, & forma. Neque demum Sot., & Covar., quod corpora contrahentium sint materia, & verba sint forma. Nam Sacramentum matrimonii esset quid permanens, sicut Sacramentum Eucharistiæ. Adde quod contractus matrimonii non distinguitur a Sacramento, posita institutione Christi Domini; contractus autem non constituitur per corpora, sicuti nec emptio equi, exempli gratia, constituitur per equum emptum, sed per mutuum consensum, qui pariat obligationem; ergo nec Sacramentum constituitur per corpora. Quare corpora conjugum in hoc Sacramento sunt solum materia, circa quam, & remota, non proxima; sicut peccata in Sacramento Pœnitentiæ sunt materia remota, non proxima.

Dicendum itaque cum Suar., Sanch., Rebel., Con., & aliis communiter, hujus Sacramenti materiam esse utrisque conjugis consensum signis externis expressum, prout significantem mutuam corporum traditionem; formam vero esse eundem consensum, prout significantem mutuam corporum acceptationem. Ratio est, quia omnis promissio, vel traditio, donec acceptetur, est ex se inefficax, & indeterminata, ut rata potius sit, quam irrita; per acceptationem vero determinatur ad esse ratam, & fit efficax ad producendam obligationem: ergo in contractu matrimoniali traditio habet rationem determinabilis, seu materiæ; acceptio vero dominii in corpora habet rationem determinativi, seu formæ.

ARTICULUS II.

De Institutione Matrimonii.

I. *Ex lege positiva divina videtur institutum Matrimonium, inquantum est contractus.*

II. *Præceptum nubendi videtur esse naturale, & obligare omnes vage, hoc est singulos urgente necessitate.*

III. *Quem finem intendere debent contrahentes, ut valide, ac licite contrahant?*

IV. *Quamvis licite intendi possit per matrimonium remedium concupiscentiæ, & propter fines extrinsecos honestos celebrari; illicitum tamen est præcise propter delectationem carnalem velle nubere.*

V. *Sicut non est licitum, nec vacat veniali culpa opus conjugii ob solam voluptatem exercere; ita pariter est illicitum præcise propter eandem velle nubere.*

VI. *Ex traditione Apostolica habetur, quod Christus Dominus matrimonium ad rationem Sacramenti elevaverit.*

VII. *Probabilius hoc Sacramentum a Christo Domino post resurrectionem institutum fuit.*

I. AGendum primo de institutione matrimonii, quatenus contractus est; Deinde quatenus est Sacramentum; inquirendo quisnam illud instituerit? Quando? Et quem ad finem?

Quæritur itaque primo, A quonam fuerit institutum matrimonium in ratione contractus, & quando?

Respondeo, certum omnino esse, quod Deus fuerit matrimonii institutor; quamvis dubium sit, num fuerit ejus Institutor, inquantum est Auctor naturæ, an vero ex positiva aliqua ordinatione? Equidem censeo cum Suar., Con., Perez, & aliis contra Hurt. disp. 4., Deum per veram, ac propriam legem instituisse matrimonium; ejus vero unitatem, & indissolubilitatem esse quidem naturæ humanæ consonam; non tamen ita ut non potuerit in iis Deus dispensare. Ratio est, quia antiqui Patres licite contraxerunt unus cum pluribus uxoribus; & Hebræis licitum fuit repudium; ergo non ex lege naturali indispensabili institutus fuit contractus matrimonialis inter unum, & unam indissolubilis, prout explicabimus articulo sequenti. Quamvis autem negari non possit, quod natura humana inclinans ad sui propagationem, & perpetuitatem in sua specie, cum non possit in individuo, inclinet pariter ad matrimonium; quia tamen homo inquantum rationalis inclinat etiam ad virginitatem, & cœlibatum, qui sunt actus virtutis præstantissimæ, ideo speciali ratione, & lege positiva instituendum erat matrimonium, & forte obligandus erat Adam ad illud, necnon communitas hominum, ne genus humanum extingueretur.

Dubium etiam est; an jus naturæ obliget communitatem ad matrimonium?

Respondeo, Con. docere, nullum esse, nec fuisse præceptum, aut jus naturę obligans ad matrimonium. Probat primo, quia si hoc esset, talis obligatio esset in singulis. Secundo, quia si in Adamo, & in nobis fuisset obligatio naturalis propagandi genus humanum, deberet dari pariter obligatio naturalis servandi virginitatem; nam ideo dicimus dari obligationem naturalem ad matrimonium, quia natura inclinat ad illud, atqui multo magis natura inclinat ad virginitatem quæ magis conducit ad finem ultimum hominis, ut patet ex 1. ad Corinth. 7. ubi dicitur: *Qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*: ergo.

II. Ve-

II. Verum communiter docent cum D. Th. Vasq. Sanch. lib. 2. disp. 3. præceptum nubendi esse naturale, & obligare omnes vage, hoc est singulos, urgente necessitate. Ratio est, quia si datur præceptum naturale de cibo sumendo, ne pereat individuum humanum, a fortiori dari debet præceptum naturale de matrimonio, ne pereat species humana. Hinc fit, Protoparentes ex lege naturali obligatos fuisse ad matrimonium, & præcepto Dei positivo; non secus ac ad præcepta Decalogi utroque jure tenemur, naturali, & positivo.

Ad primam rationem Con. respondetur, quod obligatio hæc non sit in singulis hominibus, sed in omnibus vage; ita ut singuli tunc obligentur, quando adest necessitas; isthæc enim obligatio satis est, ne species humana pereat. Ad secundam dico, quod urgente necessitate natura magis inclinat ad matrimonium, quod est bonum commune, quam ad virginitatem, quæ est bonum, & commodum particulare. Virginitas autem semper est materia consilii, non præcepti; quia licet magis conducat ad ultimum finem hominis, habet tamen suam arduitatem propriam talis virtutis, ad quam Deus noluit nos obligare.

Circa tempus, quo matrimonium institutum fuit, communiter Doctores cum Sanch. lib. 2. disp. 4. docent, matrimonium institutum simul, ac præceptum fuisse a Deo jure positivo, quando dixit nostris Protoparentibus Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete Terram*: Sicut similibus verbis instituit simul, & præcepit Christus Dominus Sacramentum Eucharistiæ, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Nonnulli tamen cum Con. docent, institutum a Deo fuisse matrimonium, quando immisit soporem in Adam, & ex ejus latere Evam formavit; tunc enim videtur Deus revelasse naturam, & finem matrimonii Adamo, siquidem expergefactus dixit: *Propter quod relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una*, scilicet per copulam conjugalem, ut explicatur in Cap. *Debitum* de Bigamis.

III. Quæretur secundo; Quem finem intendere debeant contrahentes matrimonium, ut valide, & licite illud contrahant?

Respondeo, & dico primo; Ut valide matrimonium contrahatur, necessario contrahentes intendere, seu velle debent translationem dominii corporum ad usum conjugalem, & se ad illum obligare obligatione radicali, ut diximus art. sup. Præterea ad validitatem matrimonii requiritur, ut contrahentes non habeant intentionem se obligandi contra tria illa bona matrimonii, scilicet Prolis, Fidei, & Sacramenti; quare invalidum est matrimonium, si contrahant cum pacto, & obligatione aut vitandi positive prolem, sumendo pharmacum sterilitatis, vel emittendi semen extra vas, quod est contra bonum prolis; aut cum pacto non servandi fidem conjugalem, seu adulterandi, quod est contra bonum fidei; aut demum cum pacto, & obligatione dissolvendi in aliquo casu matrimonium, quod est contra bonum Sacramenti: (hoc tertium tamen intelligendum est de matrimonio baptizatorum, quod ratione Sacramenti habet indissolubilitatem). Quod si quis vellet obligare se, verbi gratia, ad fidem conjugi servandam, & simul vellet etiam post matrimonium adulterari, hoc in pactum non deducendo, valide contraheret matrimonium: Potest enim stare, quod quis velit obligari ad aliquid faciendum, & simul nolit illud facere; sicut potest quis vovere castitatem, & simul velle violare votum.

IV. Dico secundo; Licite matrimonium contrahitur, non solum si per illud intendatur generatio prolis, quod est certum, cum hic sit finis præcipuus matrimonii; sed etiam si præcise intendatur remedium concupiscentiæ; esto etiam ex honesto fine optetur generationem non sequi. Ita Hurt. Con. Perez contra Sanch. Sot. Ratio est, quia talis finis honestus est, & proprius talis contractus; quamvis solum secundario ad eum finem natura sua ordinetur matrimonium. Hinc Apost. 1. ad Corinth. 7. dicit: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum*; significans hoc unico fine licitum esse matrimonium contrahere. Et sane, si ad vitandam fornicationem in altero conjuge, concedunt omnes, licitum esse contrahere cum illo matrimonium, a fortiori licitum est ad vitandam fornicationem in se ipso.

Neque dicas cum Sanch. esse aliquam inordinationem, quamvis levem, ordinare matrimonium unice ad finem illius secundarium, quando potest ordinari ad finem primarium. Nam contra est, quia si juvenis sterilis, sicut etiam senex, ut concedunt omnes, possunt inire matrimonium unice in remedium concupiscentiæ; quare non etiam juvenis fœcundus? Etenim si ratio exigeret, ut in matrimonio intendatur finis ejus principalis, qui est prolis generatio, tam esset illicitum sterili, quam fœcundo matrimonium inire, intendendo unice remedium concupiscentiæ.

Dico tertio; Licitum etiam est inire matrimonium ob alios fines extrinsecos, dummodo honestos; verbi gratia propter pacem, divitias, nobilitatem, vel ob motivum tuendæ, seu restaurandæ salutis. Ita Doctores citati contra Angel. Navar. Covar. & alios apud Con. disp. 24. dub. 2. Ratio est, quia in hoc nulla ap-

paret inordinatio. Aliter ſenes, qui nec poſſunt generare, nec patiuntur ſtimulos carnis, licite non poſſent contrahere matrimonium; cum per illud nec intendant prolis generationem, qui eſt finis intrinſecus primarius, nec remedium concupiſcentiæ, qui eſt finis matrimonii intrinſecus ſecundarius. Quare ſolum propter fines illos extrinſecos licitum eſt iis nubere.

Neque dicas, inordinationem aliquam eſſe, ordinare Sacramentum ad fines temporales extraneos.

Nam primo non ordinatur matrimonium ad tales fines, inquantum Sacramentum eſt, ſed inquantum eſt contractus. Secundo, ut notat Hurt. qui ordinat Sacramentum ad hos fines extrinſecos, non irrogat injuriam Sacramento, dummodo poſitive non excludat finem recipiendi gratiam, quem nemo excludit; Sicuti non irrogat injuriam Sacrificio Miſſæ, qui illud ordinat ad obtinendam ſalutem, vel ſtipendium, dummodo non excludat poſitive finem illius primarium, qui eſt cultus divinus.

Dico ultimo: Illicitum eſt contrahere matrimonium præciſe ob capiendam delectationem carnalem. Ita Con. diſp. 25. ſect. 2. & alii communiter. Ratio eſt clara: nam (quicquid aliqui prius ſenſerint apud Sanch. lib. 9. diſp. 11.) nunc damnata eſt propoſitio 9. ab Innoc. XI. dicens: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni pœnitus caret culpa, ac defectu veniali*: ergo ſi illicitum eſt uti matrimonio ad hunc finem, illicitum pariter eſt ad hunc finem matrimonium contrahere. Verum quidem eſt, quod docet Sanch. loc. cit. delectationem actui conjugali annexam non eſſe de ſe malam, nec eſſe peccatum ullum velle illa frui, quando non procuratur nimius exceſſus voluptatis; ſicuti nec eſt peccatum velle frui delectatione, quam in ciborum eſu appoſuit natura; niſi pariter exceſſus procuraretur. Nihilominus etiam verum eſt, quod Sanch. ibidem cum innumeris Auctoribus docet, eſſe culpam venialem exercere actum conjugii præciſe ad capiendam voluptatem tali actui annexam: Quod patet primo ex doctrina Auguſt. qui cap. 6. de bono conjugali hæc habet: *Conjugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam, concupiſcentiæ vero ſatiandæ, tamen cum conjuge, venialem*. Secundo, quia bonum delectabile, quod eſt naturæ ſenſitivæ conſonum, non poteſt recte eſſe finis operationis humanæ, ſed ſolum bonum honeſtum, quod eſt conforme naturæ rationali. Tertio, quia abuſus rei eſt, quærere actum propter delectationem illi adjunctam, cum delectatio ſit propter ipſum actum, non vero actus propter delectationem illi adhærentem. Demum, quia delectatio annexa operi conjugali mentem abſorbet, nec liberam illam relinquit, ut ſe in Deum convertat. Quod quia pariter habetur in comeſtione ad ſatietatem, non vero in comeſtione temperata, ideo pariter illicitum eſt comedere ad ſatietatem præciſe ob delectationem inde capiendam, ut conſtat ex propoſ. 8. damnata ab Innoc. XI. quæ habet: *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*.

Neque dicas, ex Philoſopho, 10. Ethic. 8. talis eſt delectatio, quale opus, de quo eſt: ſed opus conjugii eſt honeſtum, & licitum: ergo etiam delectatio ex tali opere percepta; atque adeo intendi poteſt opus conjugii præciſe ob delectationem.

Nam reſpondeo, axioma Philoſophi eſſe verum, quando delectatio debite quæritur, non ut finis actus, ſed tanquam actui adjuncta, ut notat Sanch. loc. cit.

Hinc infertur, quod ſicuti opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum eſt illicitum, & inhoneſtum, non vero ſi exerceatur vel ob prolis generationem, vel ad remedium concupiſcentiæ, vel ad ſatisfaciendum conjugi petenti, vel ad conſervandum amorem cum conjuge, quamvis ſimul acceptetur delectatio illi annexa, dummodo non procuretur nimia; ita pariter illicitum eſt contrahere matrimonium præciſe propter delectationem carnalem capiendam; ſecus vero, ſi ob finem honeſtum, ſive intrinſecum, ſive extrinſecum matrimonio, illud contrahatur, quamvis ſimul intendatur in ordine ad eundem finem frui deinde in actu matrimoniali delectatione illi a natura annexa, non tamen nimia. Ubi Doctores advertunt, ſæpe in opere conjugii venialem culpam contrahi; quia plerumque exceſſus voluptatis in eo actu a conjugibus procuratur.

Neque dicas cum Altiſiodor. apud Sanch. Qui concionatur recto fine, peccat venialiter, ſi admittat gloriam vanam inde conſurgentem; ergo etiam peccat venialiter conjux, qui ob finem rectum petit debitum, & contrahit matrimonium, ſi delectationem actui conjugali annexam admittat, & non reſpuat.

Nam, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt, quia inanis gloria eſt in ſe mala, & ideo reſpuenda: Contra vero delectatio in opere conjugali (niſi ſit nimia) non eſt in ſe prava; imo natura tali operi ſagaciter illam adjunxit propter bonum prolis, ut ejus generationi avidius homines vacarent, & ſic ſpecies humana conſervaretur: Sicuti in ciborum eſu delectationem natura appoſuit ob individui conſervationem: Ex Philoſoh. enim 10. Eth. 4. voluptas, & delectatio ſunt condimentum operationum. Quare vacat culpa uti matrimonio, fruendo delectatione non nimia,

mia, quam natura illi adjunxit propter honesti finis necessitatem.

VI. Quæritur ultimo, Quandonam elevatum sit matrimonium ad rationem Sacramenti?

Respondeo, de fide esse matrimonium ad rationem Sacramenti elevatum a Christo Domino. Trid. enim sess. 24. can. 1. hæc habet: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Sacramentis legis Evangelicæ, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, Anathema sit.* Hoc autem ex nullo Scripturæ loco deducitur aperte, ut notat Perez disp. 19. sed ex traditione Apostolis, & eorum successoribus accepta habemus, ut loquitur Evaristus III.

Dubium tamen est, quando Christus Dominus illud instituerit? Aliqui docent, institutum fuisse Joan. 2. quando Christus interfuit nuptiis. Alii cum Sanch. & Rebel. institutum fuisse Matth. 19. quando dixit: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Alii in nocte Cœnæ. Sed probabilius Perez, Mærat. & alii docent, institutum fuisse post resurrectionem in uno ex iis quadraginta diebus ante Ascensionem. Ratio est, quia eo tempore, ut constat ex Actor. 2. apparuit Christus Dominus Apostolis loquens cum eis de Regno Dei, hoc est de rebus ad Ecclesiæ suæ statum pertinentibus; Tunc etiam instituisse Sacramentum Pœnitentiæ constat ex Joan. 20. quando scilicet januis clausis apparuit Apostolis, absente Thoma, & ostendens manus & latus insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

ARTICULUS III.

De Unitate, & Indissolubilitate Matrimonii.

I. Ex primæva institutione Matrimonium fuit unum, seu unius cum una, & indissolubile.

II. In veteri lege Deus concessit ex rationabili causa dari posse libellum repudii. Et in lege Evangelica matrimonium ratum tum per Professionem Religiosam, tum ex dispensatione Pontificis ob gravem causam dissolvi potest.

III. Matrimonium Infidelium ex lege Christi Domini est insolubile; Potest tamen dissolvi, quando alter tantum ad fidem convertitur, nolente altero cohabitare citra injuriam Creatoris.

IV. Diversimode Doctores opinantur circa Polygamiam, & dissolubilitatem Matrimonii, jurene naturali, an divino positive ea prohibeantur.

V. Dicendum verius, dissolubilitatem matrimonii, ac Polygamiam relate ad plures uxores ita jure naturæ prohiberi, ut possit in iis Deus dispensare; non secus ac in occisione innocentis.

VI. At non potest Deus dispensare in his actionibus sub iis circumstatiis, sub quibus sunt intrinsece malæ, & jure naturæ prohibitæ.

VII. Per Professionem Religiosam dissolvitur Matrimonium ratum jure Ecclesiastico verius, quam naturali, aut divino positivo; Et quidem jure Ecclesiastico non scripto, sed tradito.

VIII. Votum castitatis annexum Ordini Sacro non dissolvit matrimonium ratum, quamvis sit solemne; Sicut nec vota simplicia in Societate Jesu: Hæc autem vota dicuntur simplicia, quia ex parte voventis duntaxat sunt perpetua, non vero simpliciter, & absolute; ut est votum castitatis annexum Ordini Sacro.

IX. Ea de causa nec votum solemne annexum Ordini Sacro, nec vota simplicia in Societate Jesu dirimunt matrimonium ratum, (quamvis dirimantur ab iis Sponsalia, ac matrimonium subsequens) quia nusquam Ecclesia id statuit, sicut statuit de Professione Religiosa.

X. Per bimestre post matrimonium ratum regulariter possunt Conjuges negare debitum, ut cogitent de Religione.

I. NOn est hic sermo de dissolubilitate quoad torum, sed quoad vinculum. Inquirimus enim hic, num matrimonium legitimum, seu celebratum juxta leges contractus, (quod habetur etiam inter Infideles) tam ratum (quod supra legitimum addit rationem Sacramenti, & ideo solum habetur inter fideles) quam consummatum, possit aliquando dissolvi? Et unde habeat unitatem, seu quod debeat esse unius cum una? Quod est quærere, Jurene naturali, an divino positivo matrimonium debeat esse unum, seu unius cum una, & indissolubile quoad vinculum?

Præmitto ante responsionem, Certum esse primo, juxta omnium doctrinam, matrimonium ex sua primæva institutione esse unius cum una; ita ut invalide contrahatur cum secunda uxore, vivente prima; ut habetur in cap. *Gaudemus* 8. *de Divortio*. Et probatur ex illo Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Si ergo in carne una erunt duo, ergo nonnisi unus cum unica contrahere potest. Hinc Christus Dominus Matth. 19. dixit, esse adulterum illum, qui dimissa prima uxore, secundam ducit: Quod non esset verum, si posset ducere secundam; nam quamvis peccaret dimittendo primam, non tamen esset adulter ducendo secundam, quia hæc etiam esset vera uxor.

Certum pariter est secundo, Ex divina concessione fuisse Judæis licitam polygamiam; ita scilicet, ut idem vir plures uxores duceret, non vero eadem uxor plures viros, ut habetur in laud. cap. *Gaudemus*; Et patet, quia etiam

Sanctissimi Patriarchæ Abraham, Jacob, David plures uxores habuerunt. Quamvis autem aliquæ ex iis vocentur in Sacris Bibliis concubinæ, non dicuntur tamen concubinæ ex eo, quod non essent veræ conjuges, sed quia, quæ dicebatur Uxor, erat Domina, & totam familiam administrabat; quæ vero dicebantur Concubinæ, assumebantur tantum ad societatem tori, & ad prolis generationem. Sic Sara dicitur uxor Abrahæ, Agar vero concubina: Item, Lia, & Rachel dicebantur uxores Jacob; utraque enim erat Domina familiæ; at Ancillæ Liæ, & Rachelis erant concubinæ ejusdem Jacob. Quod autem istæ Concubinæ essent veræ uxores, patet ex 25. Genes. 1., ubi concubina vocatur uxor. Hæc tamen concessio polygamiæ post Christi Domini adventum cessavit; nam matrimonium ex Matth. 5., & 19. revocatum est ad suam pristinam institutionem.

Certum est tertio, Matrimonium ex sua primæva institutione non solum esse unius cum unica, sed etiam esse indissolubile, ac perpetuum, ut communiter Theologi docent; Et constat tum ex Trident. sess. 14., tum ex Matth. 19., ubi Christus Dominus docens, illicitum esse dare libellum repudii permissum in lege Mosaica, dixit: *Ab initio autem non fuit sic*. Et Marci 10. habetur: *Omnis, qui dimittit uxorem, & aliam duxerit. mœchatur*: Quod non esset verum, si vinculum prioris matrimonii esset dissolubile. Ibidem etiam dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Unde fit ex institutione divina, matrimonii vinculum esse indissolubile; Et ratio insolubilitatis habetur ex fine matrimonii, qui est bona, & perfecta educatio prolis.

II. Hinc sequitur, ex divina solum concessione licitum fuisse in antiqua lege solvere vinculum matrimonii, & dare libellum repudii ex rationabili causa, ut habetur Deuter. 24. Quamvis enim Matth. 14. dicatur, id permissum fuisse ob duritiem cordis, non sequitur, quod Deus id vere non concesserit, sed solum sequitur, quod concesserit, ut subveniret imbecillitati Judæorum, qui proni erant ad peccandum. Verum hæc concessio pariter post Christi adventum revocata est, ut omnes Catholici docent.

Certum tamen est quarto, Matrimonium baptizatorum ratum, & validum, ante consummationem esse dissolubile per professionm Religiosam; ita ut qui in sæculo remanet, possit cum altera nubere, ut infra dicemus. Docent etiam communius Theologi cum Sanch., Suar., Perez contra Scot., Sot., & alios, quod hujusmodi matrimonium non solum per professionem religiosam, sed etiam ex dispensatione Pontificis ob urgentem causam possit dissolvi, ita ut uterque possit cum alio nubere; quando scilicet, nisi dissolvatur, aut imminet alicujus Regni jactura, aut graves rixæ timentur.

Verum post consummationem matrimonium baptizatorum nec per solemnem professionem, nec per Pontificis dispensationem dissolvi potest. Nam ex divina lege est insolubile, ut colligitur, tum ex illis verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, tum ex 1. ad Corinth. 7. *illis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Immo matrimonium etiam Infidelium post prædictam Christi legem est pariter insolubile. Quod si dissolvitur, quando alter tantum convertitur ad fidem, idem contingit ex Christi etiam dispensatione explicata per Apost. 1. ad Corinth. 8., ubi dicitur: *Quod si infidelis discedit, discedat* (subintellige, Conversus ad fidem); *non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus*. Ratio autem omnimodæ indissolubilitatis matrimonii consummati est, ut communiter Doctores docent, quia repræsentat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per incarnationem; ubi e contra matrimonium ratum non consummatum significat unionem dissolubilem Christi cnm anima existente in gratia.

III. Sequitur ex dictis primo, Matrimonium Infidelium ex lege Christi Domini, cui etiam Infideles sunt subditi, esse insolubile etiam ante consummationem, nec posse per dispensationem Pontificis solvi; cum infideles non sint subditi Papæ.

Sequitur secundo, Matrimonium Infidelium solum propter causam, & bonum fidei posse dissolvi, quando scilicet alter tantum ad fidem convertitur, altero nolente cohabitare absque injuria Creatoris; ut dicemus cum de impedimento disparis cultus. Quod si uterque conjux infidelis baptizetur, matrimonium illud legitimum evadit ratum, seu magis insolubile ratione baptismi suscepti; nam ante baptismum poterat dissolvi propter causam, & bonum fidei, ut diximus, post baptismum vero non potest ullatenus dissolvi.

Sequitur tertio, quod matrimonium consummatum Infidelium non possit dissolvi per dispensationem Pontificis, si postquam uterque est baptizatus, sit iterum consummatum: Contra vero, si post baptismum utriusque non sit iterum consummatum, probabiliter potest per dispensationem Pontificis dissolvi, ut docent Navar. Pont., Sanch. contra Perez; censetur enim tantum ut matrimonium ratum; quandoquidem matrimonium ante baptismum consummatum non est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, sicut est matrimoninm consummatum baptizatorum.

Dices; ex verbis Christi Domini Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam*

& aliam duxerit, mœchatur, videtur colligi, quod ob causam fornicationis uxoris possit illa dimitti, & matrimonium dissolvi: ergo falsum est, Christum Dominum voluisse, quod matrimonium sit insolubile. Sed contra est, quia sensus illorum verborum ex August. apud Con. est, quod qui dimiserit (videlicet quoad torum) uxorem suam, excepta causa fornicationis, mechatur, hoc est, occasionaliter, quatenus est occasio illi, ut mœchetur; sicuti etiam qui aliam duxerit, mœchatur, quia vere adulterium committit: Quare ob causam fornicationis potest uxor dimitti solum quoad torum, non dissoluto vinculo matrimonii. His præjactis,

IV. Quæritur nunc primo; Num Polygamia, & dissolubilitas Matrimonii sint ab intrinseco mala, & contra legem naturalem, ut est odium Dei, mendacium, &c., an vero sint mala quia prohibita per legem Dei positivam?

Multi apud Sanch. lib. 7. disp. 8. docent, Polygamiam esse contra jus naturale, ita tamen ut in ea Deus dispensare non possit, ut infra explicabimus: Alii vero docent, ita esse contra jus naturale, ut tamen in ea Deus dispensare possit, tum quod idem vir ducat plures uxores, tum etiam quod eadem uxor nubat pluribus viris: Alii putant, solam polygamiam plurium virorum relate ad unam uxorem fieri non posse, ne per divinam quidem dispensationem; Polygamiam vero plurium uxorum relate ad unum virum prohiberi solum lege Evangelica; Sicut, v. gr., prohibetur consecratio sub unica tantum specie ex lege positiva Christi Domini; unde sequitur, quod per divinam dispensationem ea possit esse licita.

Circa insolubilitatem etiam Matrimonii Vasq. Bellarm., Hurt. apud Perez disput. 20. sect. 2. putant, eam ex natura sua competere matrimonio; ita ut matrimonium dissolubile jure naturali sit invalidum. Sanch. vero lib. 2. disp. 12. cum Con. negat, matrimonium jure naturali esse indissolubile; putatque, hoc illi competere ex natura sua, prout conjuncta cum divina institutione. Demum Abulens. apud Con. docet, indissolubilitatem competere matrimonio ex præcepto Dei positivo.

Ut quæstio decidatur, notandum, tripliciter aliquid posse esse contra jus naturæ. Primo, ita ut actus secundum suam speciem physicam sit ita malus, & juri naturæ repugnans, ut essentialiter exigat prohiberi, ut est odium Dei, libido contra naturam, &c. Secundo, ita ut actus secundum suam speciem physicam sit ita contra naturam, ut tamen possit aliquando ratione alicujus circumstantiæ esse licitus; Sic est furtum, occisio innocentis, fornicatio, &c.; etenim actus physicus furti licitus est, si fiat, Domino non invito; præsertim si fiat, Deo primo Domino non invito: occisio innocentis est licita, si fiat Deo auctore, qui est Dominus vitæ uniuscujusque; Actus etiam physicus fornicationis licitus est, si fiat post matrimonium, aut post Dei voluntatem dantis jus in corpus alterius; intantum enim fornicatio est illicita, inquantum est accessus ad non suam; ille autem accessus physice sumptus post matrimonium, aut post dictam concessionem Dei non est amplius accessus ad non suam, sed est accessus ad suam, & consequenter in tali casu fornicatio evadit licita. Tertio, aliquid est contra jus naturæ ratione scandali, seu periculi peccandi, quod habet annexum; unde sublato tali periculo, non est contra jus naturæ, nec illicitum; sic est, v. gr., Sacerdotem habitare cum juvenculis, & cum iis familiariter conversari; hoc enim licitum est, si urgente gravi necessitate, scandalum, & periculum peccandi absit.

V. Dico nunc primo cum Con., Sanch., Perez, & aliis, Polygamiam, & dissolubilitatem matrimonii non esse contra jus naturæ primo modo, ut est, v. gr., odium Dei. Patet, quia Deus de facto in iis dispensavit in lege veteri; quod autem est primo modo contra jus naturæ, non potest per dispensationem divinam esse licitum, cum essentialiter exigat prohiberi; Quamvis autem solnm dispensaverit Deus in polygamia unius viri relate ad plures uxores; potest tamen etiam dispensare in polygamia unius uxoris relate ad plures viros, si inconvenientia, quæ inde sequuntur, videlicet incertitudo prolis, educatio non conveniens, &c. per suam omnipotentiam vitet.

Dico secundo; Polygamia, & dissolubilitas matrimonii sunt contra jus naturę secundo modo, videlicet ut occisio innocentis, fornicatio, furtum, &c. Quare sicut furtum licitum est secundum esse suum physicum, si non fiat invito Domino, & fornicatio secundum esse physicum suum licita est, si sit accessus ad suam; ita poterit esse licita polygamia, si Deus det uni jus ad corpus plurium. Et licita pariter erit dissolubilitas matrimonii etiam consummati, si Deus velit vinculum matrimonii ad tempus duntaxat ligare.

Probatur conclusio, quia ex una parte, seclusa tali voluntate divina, est contra jus naturæ polygamia, & dissolubilitas matrimonii, (non secus ac furtum, occisio innocentis, & fornicatio) cum honestam, & convenientem humanæ naturæ educationem prolis, necnon pacificam domus gubernationem impediat: Ex altera parte, posita illa voluntate divina, tolluntur hæc incommoda, quæ ex polygamia, & matrimonii dissolubilitate sequerentur: ergo posita tali voluntate divina, possunt esse licita; atque adeo solum secundo modo sunt contra jus naturæ,

Sunt

Sunt etiam contra jus naturæ tertio modo, quatenus natura exigit, ut non permittantur propter periculum peccati, videlicet propter periculum discordiæ inter plures uxores, & propter periculum, ne apte proles educetur; si tamen tale periculum omnino cesset, licita sunt ex hoc capite.

VI. Ex quibus deducitur, in quo sensu verum sit Axioma illud Theologorum, Deum scilicet dispensare non posse in jure naturæ; cum tamen & Abrahæ dispensarit, ut vellet occidere filium innocentem; & Israelitis, ut Ægyptios spoliarent; & Oseę, ut sumeret sibi uxorem fornicationum; & Hebræis, ut plures uxores ducerent; necnon ut possent dare ex rationabili causa libellum repudii, & vinculum matrimonii dissolvere. Etenim ex D. Th. 1. 2. quæst. 100. art. 8. in hisce actionibus non dispensavit Deus sub iis circumstantiis, sub quibus sunt contra jus naturæ, & ab intrinseco malæ; non enim dispensavit in furto, ut fieret invito Domino; nec in homicidio, ut fieret invito Domino vitæ, qui est Deus; nec in fornicatione, ut fieret per accessum ad non suam; sed dispensavit tollendo ab iis circumstantiam illam, per quam essent intrinsece, & essentialiter malæ: Et hoc pacto dispensavit etiam in polygamia, & dissolubilitate matrimonii. Non potest tamen hoc pacto dispensare in iis, quæ sunt contra jus naturæ primo modo, puta in odio Dei, in mendacio, in mollitie, in peccato contra naturam, &c. quia hæc sunt intrinsece mala, & essentialiter exigunt prohiberi simpliciter; eo quod in quacumque circumstantia sint contra jus naturæ, & illicita.

VII. Quæritur secundo; Quo jure per Professionem solemnem in Religione approbata solvatur matrimonium ratum fidelium, jurene naturali, an divino positivo, an Ecclesiastico?

Respondeo, multos cum Sot., Cajet., Riccard., Palud., Durand. docere, solvi ex natura rei, seu jure naturali. Primo, quia qui deserta uxore Religionem ingreditur, transit ad statum perfectiorem, quod jure naturæ est licitum; Præsertim quia ex hoc non sequitur gravis injuria alteri parti. Secundo, jure naturæ licet mutare conjugium imperfectum in aliud perfectius, & spirituale; & consequenter matrimonium ratum mutare in professionem Religiosam. Tertio, quia professio solemnis est mors civilis, & spiritualis: ergo potest solvere vinculum morale matrimonii rati ortum ex mutuo consensu; non secus ac mors naturalis solvit vinculum carnale matrimonii consumati ortum ex copula.

Alii tamen cum Sanch. l. 2. disp. 19., Rebel., Pont. docent, dirimi matrimonium ratum per solemnem professionem jure divino positivo a Christo Domino specialiter lato in lege Evangelica. Primo, quia ex una parte hoc non est de jure naturæ, ut infra dicemus: Ex altera parte nullum extat jus Ecclesiasticum, quod hoc statuerit. Nam Alex. III. *cap. 7. de conversione Conjungatorum* dixit, dissolutionem matrimonii rati deduci ex Sacri Eloquii interpretatione; Et postea alii Pontifices hoc confirmarunt non ex Conciliorum decretis, sed ex exemplis Sanctorum a nuptiis ad Religionem instinctu Spiritus Sancti transmigrantium; ut constat de S. Alexio, B. Thecla, S. Cœcilia, S. Macario. Quare cum initium hujus consuetudinis non inveniatur in jure Ecclesiastico, sequitur, privilegium hoc a Christo Domino per traditionem habitum, & per Apostolos derivatum; ex Regula illa D. August. lib. 4. de Bapt. cap. 14., quod scilicet, Quando nullum initium scriptum reperitur alicujus traditionis Ecclesiæ, signum est, illud a jure, seu institutione divina Christi Domini promanasse.

Secundo arguitur pro hac sententia, quia Pontifex non potest statuere legem ullam contra jus justitiæ acquisitum a Tertio; ut patet in minoribus contractibus; unde Gelas. Papa epist. 9. decrevit; servum sine Domini consensu in Religionem admittendum non esse: ergo non Pontifex, sed Christus Dominus statuit, post matrimonium ratum posse conjugem ad Religionem admitti.

Tertia sententia, quam sequimur, docet, id fieri jure Ecclesiastico, jam inde ab Apostolorum tempore instituto. Ita Med. Suar., Con., Less., Hurt. apud Perez disp. 20. sect. 3. Ratio est, quia hoc non est institutum jure naturæ, neque jure divino Christi Domini; ergo statutum est jure Ecclesiastico.

Probatur prima pars antecedentis; quia si posset jure naturæ dissolvi matrimonium ratum per ingressum in Religionem, eo quod mutatur conjugium imperfectum, & carnale in perfectius, & spirituale, sequeretur, quod etiam matrimonium consummatum posset sic dissolvi; Sequeretur etiam, quod dissolvi etiam potuisset matrimonium legitimum non baptizatorum nondum consummatum in lege Moysi, titulo amplectendi perfectiorem vitam; Quæ tamen sunt absurda, cum Deus non acceptet donum alteri debitum ex justitia; Unde patet ad primam, & secundam rationem in contrarium adductas. Ad tertiam dico, quod quamvis professio solemnis dicatur mors civilis, quia professus non debet vivere mundo; at non est incompossibilis cum vinculo matrimonii; si enim duo conjuges mutuo consensu post matrimonium consummatum ingrediantur Religionem, retinent vinculum matrimonii; ergo professio religiosa non solvit vinculum illud natura sua.

Probatur nunc secunda pars antecedentis, quod

quod scilicet neque id accidat jure divino Christi Domini. Primo, quia jus naturæ, & divinum a tempore Christi Domini remansit in Ecclesia immutatum; atqui hoc jus, de quo loquimur, non mansit immutatum: ergo hoc jus non est divinum, sed Ecclesiasticum. Probatur minor; nam olim solvebatur matrimonium ratum per sola vota simplicia, ut multi colligunt ex facto S. Alexii, D. Theclæ, & aliorum, qui non fuerunt Religiosi; nunc tamen non solvitur matrimonium ratum per huiusmodi vota; immo nec per votum solemne castitatis, quod fit in susceptione Ordinis Sacri, sed solum per professionem solemnem: ergo hoc non provenit ex jure divino, nec naturali, sed Ecclesiastico.

Secunda ratio est, quia videtur incredibile, quod Christus Dominus concesserit hanc vim solemnitati votorum Religionis, quæ tempore Christi Domini nondum erat inventa, & introducta in Ecclesia. Certum autem est, post Christi Domini Ascensionem nullum novum divinum jus latum esse; & tempore Ascensionis Religiones non erant introductæ, ut constat ex *cap. unico de Voto in 6.* Demum quia etiam per vota simplicia in Religione approbata, puta, in Societate Jesu, deberet matrimonium ratum solvi; etenim omnia vota jure divino sunt ejusdem rationis, & solemnitas votorum importans impedimentum dirimens novum matrimonium est de jure Ecclesiastico; ut patet ex Extrav. Gregor. IX. Vota tamen simplicia, quæ emittuntur in Societate Jesu post biennium novitiatus, necnon vota simplicia, quæ emittuntur a Coadjutoribus, tam temporalibus, quam spiritualibus, formatis in eadem Societate, matrimonium ratum non dirimunt, ut communiter docent Doctores cum Suar.; Sanch., Vasq. contra Pont. lib. 9. cap. 6., ut dicemus quæsito sequenti.

Ex dictis sequitur manifeste, quod jure tantum Ecclesiastico matrimonium ratum per professionem solemnem dirimatur. Quamvis autem non reperiatur tale jus scriptum, nec initium talis juris, ex hoc solum sequitur, quod in Ecclesia hoc introductum sit jure non scripto, sed tradito.

Ad primam rationem in contrarium supra adductam respondeo, falsum esse, quod Alex. III. dixerit, dissolutionem matrimonii rati deduci ex interpretatione Sacri Eloquii, & ex revelatione divina. Solum enim dixit, dissolutionem matrimonii consummati deduci ex illo Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Et quosdam Sanctos ex revelatione divina deseruisse suas sponsas; ac demum addit, se decernere, matrimonium ratum solvi per professionem solemnem, inhærendo vestigiis suorum majorum, quasi ab iis sit statutum.

Ad auctoritatem D. Aug. respondeo, illud signum haberi, quando nihil obstat in contrarium; in casu autem nostro ostenditur, quod talis institutio non fuerit a Christo Domino; ergo fuit ab Ecclesia per verbum traditum jam inde ab Apostolis.

Ad secundam rationem dico, quod sicut Princeps Reipublicæ potest dare facultatem ad rescindendum aliquem contractum in aliquo casu, etiam invito Tertio, & cum detrimento illius; quando scilicet expedit ad bonum commune; quia tunc non fit injuria Tertio, cum sit irrationabiliter invitus; ita potest Pontifex per potestatem indirectam, quam habet in temporalia in ordine ad spiritualia, rescindere contractum matrimonii rati propter majus bonum spirituale ejus, qui vult Religionem ingredi: Sicut potest etiam relaxare juramenta cum damno tertii, quando ad talem relaxationem sufficiens ratio spiritualis intercedit: Et potest etiam in aliquo casu dare alicui licentiam ingrediendi Religionem, non obstante quod sit servus, aut ære alieno gravatus; quando prudenter judicatur, id esse moraliter necessarium ad bonum spirituale illius, & nocumentum creditoris non esse magni momenti; Quod tamen quia ut plurimum non accidit in mancipio, idcirco statuit Gelasius Papa, ut mancipium invito Domino in Religionem non admittatur.

VIII. Dubium non leve in hoc quæsito consurgit; Quare scilicet votum castitatis, quod emittitur in susceptione Ordinis Sacri, sit solemne, non vero votum castitatis, quod in Religione approbata, puta in Societate Jesu, emittunt ii, qui non sunt professi? Cum tamen certum sit, utrumque votum dirimere non solum sponsalia antecedentia, & consequentia, sed etiam matrimonium subsequens, non secus ac dirimit Professio solemnis; Et præterea neutrum ex iis dirimere matrimonium ratum contractum ante illa vota.

Respondeo, disparitatem esse, quia votum castitatis annexum Ordini Sacro est simpliciter perpetuum, & cum sua solemnitate emittitur; ideoque dicitur solemne, & æquiparatur professioni solemni; Contra vero votum Castitatis, quod emittitur a non professis in Religione approbata, est perpetuum duntaxat ex parte voventis, non tamen simpliciter perpetuum; cum accidere possit, quod tale votum amplius non obliget, si scilicet Religiosus a Religione dimittatur; & ideo non dicitur votum solemne, sed simplex, sicut etiam alia vota paupertatis, & obedientiæ ab iisdem emissa.

IX. Rogabis hic; Num dirimant matrimonium ratum, non solum Professio solemnis, sed etiam tria vota simplicia in Societate Jesu post Novitiatum emissa?

Respondeo, Basilium Pontium lib. 9. cap. 6. affir-

affirmare. Primo, quia per illa constituitur status Religiosus ex Bulla Greg. XIII., non secus ac per solemnem professionem; statui autem Religioso tribuitur dissolutio matrimonii rati in *cap.* 2. 7. & 14. *de Convers. Conjugat.* ergo. Secundo, quia ante introductionem Professionis solemnis dissolvebatur matrimonium ratum per votum castitatis, ut fertur de D. Alexio. Tertio, quia ex Bulla ejusdem Gregor. XIII., ea vota dirimunt matrimonium subsequens, non secus ac Professio solemnis: ergo etiam matrimonium ratum antecedens. Quarto, quia cæteroqui post hæc vota remaneret in Religioso vinculum matrimonii, invita conjuge, quod repugnat statui religioso.

Communiter tamen Doctores Societatis cum Suar., Vasq., Sanch. negant; siquidem votis simplicibus istis neque competit jure naturali dissolvere matrimonium ratum, (cum neque id competat voto solemni Ordinis Sacri) neque jure positivo, siquidem in Bulla Greg. XIII. solum habetur, quod dirimant matrimonium subsequens.

Ad Primam rationem in contrarium respondetur, falsum esse, quod status religiosus dissolvat matrimonium ratum; cum de sola Professione religiosa id statuerit Ecclesia. Verum quidem est, quod in laudatis capitibus id tribuatur statui religioso: At ibi nomine Status Religiosi venit professio solemnis; etenim ante Societatem Jesu universim status religiosus importabat solemnem Professionem. Ad secundam, falsum est, quod assumitur; In *cap.* enim 2. *de Conversione conjugatorum*, dicuntur quidam Sancti de nuptiis vocati fuisse ad monasteria, atque adeo ad Professionem. Quod attinet ad D. Alexium, verius est non fuisse professum in ulla Religione, ut notat Perez, sed fuisse a Deo peculiariter vocatum ad continentiam, non dissoluto vinculo matrimoniali. Ad tertiam negatur consequentia; tum quia in lege positiva argumentum a pari non tenet; tum etiam, quia disparitas est dilucida; per tria enim vota Societatis dirimitur matrimonium subsequens, quia non est æquum, ut qui in perpetuum ex parte sua se consecravit Deo, possit se obligare conjugi: At æquum, & justum est, ut uxor post matrimonium ratum non spolietur jure suo, per hoc, quod vir emittat tria vota in Societate, a qua ob varias causas expelli potest. Ad quartam; Sicut in aliis Religionibus tempore Novitiatus remanet vinculum matrimonii rati antea contracti; ita in Societate remanet idem vinculum post tria vota simplicia, donec Professio saltem trium votorum emittatur; Hæc autem solemnis Professio trium votorum fieri potest a quolibet post primum annum novitiatus, & ideo ne uxor diu expectet, ad Generalem Societatis recurrendum est in casu occurrenti, ut decernat, num expediat, illum ad hanc Professionem admittere, an vero ad uxorem remittere, si non satisfaciat Religioni.

X. Quæritur ultimo; quantum temporis concedatur conjugibus ad ingrediendam Religionem ante consummationem matrimonii?

Respondeo, communiter præscribi duos menses, quia sic videtur colligi ex *cap.* 7. *Ex publico, De Conversione Conjugatorum.* Verum quia id aperte non colligitur ex dicto cap. cum Alex. III. ibi dederit spatium duorum mensium ad matrimonium consummandum, non quidem post contractum matrimonium, sed post litem inchoatam; ideo ex consuetudine Ecclesiæ docent communiter Doctores, tale spatium concedi, ita ut aliquando arbitrio Judicis, causa cognita, possit augeri, vel minui, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 24. Semper tamen licitum est, Religionem ingredi ante consummationem matrimonii, etiamsi per plures annos aliquis cum injuria alterius noluisset matrimonium consummare.

Dubium est primo: An licite possint conjuges negare debitum per primum bimestre, etiamsi non cogitent de Religione? Affirmat Sanch. loc. citat. quia potest quilibet expectare saltem desiderium ingrediendi Religionem: Navar. tamen, & alii cum Con., & Perez negant; quia cessat in tali casu finis, propter quem conceditur bimestre.

Dubium est secundo, per quam copulam consummetur matrimonium ratum?

Respondeo, consummari per copulam post matrimonium habitam, ex qua sequi possit legitima generatio; siquidem per talem copulam conjuges fiunt una caro, & affinitatem contrahunt, ex *cap. Debitum de Bigamis.* Hinc fit primo, matrimonium ratum non dici consummatum per copulam habitam ante Sponsalia; Secundo, nec per copulam habitam post sponsalia, ubi Trident. viget; ubi enim non viget Trid., talis copula non censetur fornicaria, sed conjugalis: Tertio, nec per copulam, ex qua non potest sequi generatio. Si tamen alter copulam extorserit ab altero per vim intra bimestre, profecto vinculum matrimonii, utpote consummati, per professionem solemnem non dissolvitur; licitum tamen est illi, qui vim passus est, Religionem ingredi, & profiteri, altero invito, ac ligato. Et ratio est, quia non debet hic privari jure suo ingrediendi Religionem intra bimestre.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis.

PLura diximus art. 1. quæstionis primæ de interno consensu requisito ad validitatem matrimonii: Quæ vero spectant ad consensum internum fictum, colligi plurimum possunt ex iis, quæ diximus ibidem art. 2. cum de promissione ficta matrimonii. Similiter quæ spectant ad consensum externum, seu ad signa externa, quibus exprimi debet internus consensus, qui est causa efficiens vinculi maritalis, colligi plurimum etiam possunt ex iis, quæ diximus art. 4. cum de signis, quibus contrahuntur Sponsalia: Plura etiam spectantia ad consensum coactum colligi possunt ex iis, quæ diximus quæst. 2. art. 8. cum de metu dissolvente Sponsalia. Hic addenda, quæ ulterius inquiri debent. Et primo quidem de consensu Matrimoniali simulato. Secundo de externo. Tertio de coacto. Quarto de clandestino simpliciter, quod scilicet fit sine Parocho, & testibus. Quinto de clandestino secundum quid, videlicet quod fit sine præviis proclamationibus; Ac demum de consensu conditionato.

ARTICULUS I.
De Consensu matrimoniali simulato.

I. Qui ficte matrimonium contrahit, secundum se peccat, tum contra virtutem Religionis sacrilege, tum contra justitiam: teneturque deposita simulatione contractum ratificare.

II. Aliquando tamen potest aliis viis damnum compensari.

III. Si quis post fictum matrimonium cum Berta, vere cum alia contrahat, & censuris adigatur, ut Bertæ adhæreat, pati potius debet excommunicationem, quam ad illam accedere.

IV. Urgente metu gravi potest quidem simulari contractus matrimonialis, quin per hoc simuletur Sacramentum matrimonii.

V. At simulari non potest, si detur impedimentum dirimens jure naturæ.

I. CUm requiratur consensus verus signo externo expressus, & liber a coactione, tam ad contractum matrimonii, quam ad contractum sponsalium, ideo omissis iis, quæ ad hujusmodi consensum pertinent, & communia sunt utrique contractui (quæ abunde explicavimus in locis citatis agentes de sponsalibus) quærimus hic, quæ speciatim ad consensum matrimonialem spectant, agendo prius de consensu simulato.

Quæritur itaque primo; Ad quid teneatur, qui simulato animo, & non vero consensu contraxit matrimonium?

Respondeo, certum esse, quod sine vero consensu contractus matrimonialis, atque adeo Sacramentum sit irritum; & consequenter qui simulato animo sine justa causa contraxit, peccavit mortaliter, tum peccato sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam, tum etiam peccato injustitiæ ob injuriam, quam alteri bona fide contrahenti intulit: Unde tenetur ad compensandum damnum, quod alteri provenit. Hæc tamen compensatio plerumque alia via secundum æqualitatem fieri non potest, quam ut deposita simulatione, vero apud animum elicito consensu ratificet ille priorem contractum. Etenim quilibet contractus (sicut etiam professio religiosa) si sint irrita ob defectum interni consensus, ratificantur per hoc solum, quod ponatur internus consensus, dummodo alter contrahens actu, vel virtute consensum retineat, ut docet Sanch. lib. 2. disp. 32.

II. Aliquando tamen, ut notant Vasq., Henr., Silvest. apud Laym. cap. 6., deceptor non obligatur ad ratificandum priorem contractum, seu ad matrimonium revalidandum, sed alia via potest damnum resarcire, in his præsertim casibus; Primo, si decepta falso jactavit se esse virginem; tunc enim deceptio unius cum deceptione alterius compensatur; Secundo, si ex tali matrimonio graves rixæ, scandala, & infelices exitus timeantur; Tertio, si decepta, cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte recipiat; Quarto, si deceptor aliud postea matrimonium cum altera vero consensu contraxit; Quinto, si deceptor sit longe superioris conditionis, quam decepta, etiamsi spe matrimonii copulam extorserit, ut ostendimus quæst. 1. art. 1. cum Sanch. contra Laym.; quia justitia obligat tantum ad ponendum æquale; in casu autem nostro copula præstita sub spe matrimonii a femina longe inferioris conditionis non habet æqualitatem cum matrimonio; ergo deceptor non tenetur ad matrimonium, sed potest damnum alia via compensare.

III. Difficultas est; Quid facere debeat, qui simulato animo prius contraxit cum Berta, & deinde vero consensu contraxit secundum matrimonium cum Teresia, si ab Ecclesia sub censuris ad prius matrimonium compellatur. Etenim Ecclesia fictionem alleganti, etiam cum juramento, fidem facile præbere non debet, nisi deceptor det clarissima indicia deceptionis ex *cap. Per tuas de probationibus*; ubi dicitur; neque juranti credendum esse adversus ea, quæ ante assaveraverat.

Respondeo, quod si nulla ratione effugere potest, quominus relicta Teresia vera uxore, ad Bertam uxorem putativam adhæreat, potest quidem cum hac aliquando cohabitare, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciat; at cum ea copulam habere nullatenus potest; committeret enim adulterium, ad quod procul dubio obligari non potest: Unde potius deberet humiliter sustinere excommunicationem secundum forum externum, quam in copulam consentire, aut exponere se periculo proximo labendi in illam.

IV. Quæritur secundo; An liceat justa de causa, puta ex metu gravi, simulare consensum in contractu matrimoniali, postquam damnata est ab Innoc. XI. prop. 29. dicens: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

Respondeo, juxta doctrinam Pal., Con. disp. 28. dub. 3., Perez., Lumbier., & aliorum contra Joan. Sanc. in selectis quæst. disp. 35. (ut fuse in expositione dictæ thesis explicavimus) id licere. Ratio est, quia cum Christus Dominus elevaverit ad rationem Sacramenti contractum matrimonialem non immutando leges contractus, sequitur, quod, sicuti juxta leges contractuum possit in aliis contractibus simulari consensus, urgente metu gravi, possit pariter, urgente metu gravi, simulari consensus in contractu matrimoniali. Neque enim hoc esset simulare administrationem Sacramenti; Quod damnatur ab Innoc. XI. Nam simulare administrationem Sacramenti, est ponere materiam, & formam Sacramenti sine intentione administrandi illud; ut si serio ponatur ablutio, & proferatur forma baptismi sine intentione baptizandi; At in casu nostro si ponitur consensus fictus, eo ipso non ponitur materia, & forma Sacramenti matrimonii; & consequenter non simulatur administratio Sacramenti, sed solum materia, & forma, nempe verus contractus simulatur. Preterea qui administrat, verbi gratia, baptismum, certe in persona Dei baptizat; unde si fingat, sacrilegium committit contra reverentiam Deo, & Sacramentis debitam: Contra vero Minister matrimonii non sustinet immediate personam Christi dispensantis sua merita, sed sustinet personam privatam celebrantem contractum, cui per accidens conjuncta est a Christo participatio Sacramenti; unde si metu urgente simulat contractum, non fingit, se sacrilege dispensare merita Christi, sed solum simulat verum contractum, quo non posito, materia, & forma Sacramenti non ponitur.

V. Addo tamen cum Perez, & Hurt. disp. 12. diffic. 4., quod ratione metus gravis non liceat simulare contractum matrimonialem, quando inter contrahentes intercedit impedimentum jure naturæ dirimens, ut est impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu, &c. Ratio est, quia non licet simulare, quod est intrinsece malum; Exempli gratia, non licet ratione metus simulare adorationem idoli, aut juramentum de malo patrando: Quod si impedimentum inter contrahentes sit solum impediens, ut est votum simplex castitatis, sponsalia præcedentia, &c. licitum est per metum gravem simulare contractum matrimonialem; nam non est intrinsece malum in tali casu id, quod simulatur, cum nec sponsalia obligent ad non contrahendum cum alia, metu gravi interveniente; nec votum illud obliget ad castitatem, interveniente eodem metu; quia nemo intentionem habet obligandi se ad voti observationem cum periculo mortis, aut gravis damni. Denique si impedimentum sit dirimens jure Ecclesistico, adhuc poterit ex gravi causa simulari contractus, ut docent Pal. & Sanch., quia Ecclesia non obligat ad non contrahendum cum tanto incommodo. Hæc autem satis superque sint dicta de consensu simulato.

ARTICULUS II.

De Signis externis expressivis consensus matrimonialis.

I. *Quamvis Matrimonium sit Sacramentum, adhuc sine verbis celebrari potest, ut quilibet alius contractus.*

II. *Quænam soleant esse signa externa certa exprimentia consensum internum?*

III. *Etiam taciturnitas potest aliquando esse certum signum interni consensus.*

IV. *Parentes neque possunt cogere filios ad matrimonium, neque illud sine justa causa impedire.*

V. *Filii quamvis non teneantur hac in re sequi consilium Parentum, tenentur tamen ob reverentiam debitam illud petere.*

VI. *Ut procurator valide matrimonium contrahat pro Principali, quatuor requiruntur.*

VII. *Si Principalis tempore contractus dormiat, adhuc fructuose Sacramentum recipit, si sit in gratia.*

VIII. *Si Principalis tempore contractus per Procuratorem sit ebrius, adhuc valide contrahit. Imo juxta communiorem, etiam si tunc sit amens.*

IX. *Quid si Principalis det fictum mandatum, & tempore contractus habeat verum consensum?*

X. *Si detur mandatum, ut præmissis proclamationibus Proruratór contrahat, adhuc universim valide contrahitur iis non præmissis. Sicut valide confertur absolutio a censuris, parte non satisfacta; quamvis facultas absolvendi detur sub ea conditione.*

I. QUæritur primo; An ad volorem matrimonii necessaria sint verba expressiva interni consensus, saltem inter baptizatos, inter quos contractus matrimonialis est Sacramentum, quod constat rebus, & verbis?

Re-

Respondeo negative cum communi contra quosdam Jurisperitos apud Perez. Ratio est, quia etiam muti, & surdi possunt valide contrahere matrimonium, ex *cap. Cum apud* 23. *De Sponsalibus, & Matrimoniis*: Ergo universim non sunt necessaria verba, sed satis sunt omnia alia signa exteriora expressiva interni consensus; non secus ac in reliquis contractibus: Et ideo Eugenius IV. in Florentino expresse dixit, quod consensus per verba regulariter expressus faciat matrimonium: ergo verba non requiruntur necessario; aliter non dixisset, consensum, Regulariter, exprimi per verba. Quinimo neque verba necessario requiruntur in valentibus loqui. Nam neque id statuit Christus Dominus, quippe qui ad rationem Sacramenti elevavit contractum legitimum; Contractus autem legitimus non requirit necessario verba: Neque id statuit Ecclesia, quamvis statuere potuisset, sicut de facto statuit matrimonium clandestinum esse irritum. Censent tamen Sanch. disp. 31., Mærat., Con., Filliuc., quod sit veniale non exprimere verbis consensum internum sine justa causa: Et Ledesm. cum Rodriquez apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 248. putat esse mortale. Equidem vero censeo cum Hurt., Pont., Perez disp. 15. sect. 1., nullum esse peccatum, si sufficienter aliis signis consensus internus exprimatur; cum nullum extet præceptum de verbis proferendis.

Neque dicas cum Mærat., non licere in administratione Sacramentorum recedere ab usu communi, etiam in iis, de quibus non adest speciale præceptum. Nam Sacramentum Matrimonii sequitur leges contractus: ergo cum contractus licite fiat sine verbis, etiamsi juxta communem usum verbis celebretur; ita Sacramentum matrimonii licite administratur sine verbis, quamvis juxta communem usum soleat verbis administrari.

II. Quæritur secundo; An subarrhatio, & traductio Sponsæ, vol porrectio manuum sint signa certa exprimentia consensum internum matrimonialem?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. disp. 22., Rebel., Pont., & alis, quodlibet ex iis signis, & quodcumque aliud posse esse certum signum consensus matrimonialis, (non secus ac verba) si ex Regionis consuetudine introductum sit ad talem consensum significandum. Cæterum secundum se subarrhatio, seu annuli donatio, vel receptio non est signum sufficiens; quia potest fieri propter alias causas, puta inter concubinarios ob turpem amorem. Neque est signum sufficiens traductio etiam solemnis Sponsæ in donum Sponsi, quia nullo jure cautum est, ut Sponsalia transeant in matrimonium per traductionem, vel aliter, quam per copulam; idque ante Trident.: ergo nisi ex loci consuetudine traductio Sponsæ sit signum nuptiarum, non est satis ad matrimonium, etiamsi coram Parocho, & testibus fiat: Contra vero porrectio manuum; Si enim viro exprimenti consensum matrimonii fęmina manum porrigat, signum est matrimonii certum; quia qui tacet, consentire videtur, cum agitur de obligatione contrahendi, & concurrit actus publicus; præsertim in fęminis, quæ præ verecundia aliquando non loquuntur. Quare idem dicas cum Pontio, si vir fœminæ manum apprehendens, dicat: Tecum contraho matrimonium, & fęmina manum non retrahat.

III. Quæritur tertio; An taciturnitas sit sufficiens signum consensus matrimonialis in iis casibus, in quibus est sufficiens signum consensus interni constituentis Sponsalia, videlicet quando parentes contrahunt pro filiis præsentibus, & tacentibus, vel quando Tutores pro pupillis, & in aliis casibus, quos retulimus cum de Sponsal. qu. 1. art. 4.

Respondeo affirmative cum communi apud Sanch. lib. 1. disp. 23. Ratio tamen non est, quia quæ de Sponsalibus dicuntur, extendi debent ad matrimonium. Nam cum strictior sit obligatio matrimonii, quam Sponsalium; multo plura requiruntur ad illud constituendum, quam ad ista; nec enim multis de causis possunt dissolvi, ubi matrimonium est indissolubile. Ratio itaque conclusionis est, quia talis taciturnitas fundatur in quadam rationabili præsumptione consensus tacentis: Præsumitur enim, quod filius consentiat in id, quod a parentibus, a quibus maxime diligitur, ejus gratia fit; atque adeo tam in contractu Sponsalium, quam in matrimoniali sufficiens signum consensus est taciturnitas.

Adde, quod ex regula juris in 6. *Qui tacet consentire videtur*; quæ vera est, quando qui tacet, tenetur non tacere, si non consentiat; filii autem si nolint consentire in matrimonium, quod pro iis præsentibus contrahunt Parentes, tenentur reclamare, cum facile possint; aliter præsumitur, quod consentiant, ut loc. cit. de Sponsal. ostendimus.

Notandum tamen hic primo, ad valorem matrimonii filiorum nullo pacto requiri consensum Parentum, sed sufficere proprium. Ita Trident. sess. 24.

IV. Notandum secundo cum communi apud Perez disp. 17. sect. 17. non posse parentes cogere filios ad matrimonium; libere enim debent filii eligere statum vitæ; Unde etiam fit, quod peccent Parentes, si impediant matrimonium filiorum, cum sui juris sint circa status electionem. Nec Pater potest absque justa causa exhæredare filiam, si contra ejus voluntatem nupsit; Nec potest Confessarius absolvere Patrem in articulo mortis, nisi revocet testa-

mentum, ubi filiam injuste exhæredavit, ut notat Dian. de immunitate Ecclesiæ tract. 1. resol. 74. In Trident. autem sess.24.cap.9. excommunicantur ipso facto omnes Domini temporales, & magistratus, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant.

Notandum tertio ex Sanch. lib. 4. disp. 22., Vasq., Con., Hurt. disp. 7. difficult. 10., filios non teneri contrahere matrimonium, quod Parentes promiserunt, vel iis præcipiunt; dummodo Parentibus grave aliquod incommodum non sequatur, & filius æque bene nubat, ac si nuberet cum ea, quam Parentes offerunt. Ratio est, quia filii non solum debent esse liberi circa status electionem secundum substantiam, sed etiam secundum circumstantias quodammodo ad substantiam pertinentes; ut est circumstantia Personæ, cui nubatur: durissimum enim est nubere cum ea, quæ non amatur, adeo ut aliquando præeligatur non nubere, quam nubere cum illa.

V. Notandum ultimo, filios non solum valide, sed etiam licite posse inire matrimonium, invitis parentibus, quando ex matrimonio non sequitur illis grave incommodum. Ita Sanch. loc. cit., Con. Hurt., contra Rebel., Sot., Navar. apud Perez disp. 17. sect. 18. Hoc evincitur, tum ex libertate requisita ad matrimonium; unde nemo in hoc ab alio dependere debet; tum etiam quia cum possit Prælatus per censuras coercere Patrem, qui impedit matrimonium filiorum, signum est, quod filius non peccet nubendo, invitis parentibus; Aliter Prælatus patrocinaretur malitiæ filiorum. Peccant tamen filii, si matrimonium ineant, parentibus inconsultis; cum hoc importet gravem defectum reverentiæ, necnon contemptum, & diffidentiam ipsorum; quod valde ægre ferunt Parentes. Quare licet non teneantur sequi consilium Parentum, tenentur tamen ob reverentiam debitam illos consulere, per se loquendo, nisi timeant matrimonium injuste ab iis impediendum, aut alia adsit rationabilis causa illud occultandi.

VI. Quæritur quarto; Quomodo consensus internus per Procuratorem, aut per literas, vel internuncium exprimi possit?

Respondeo cum communi, eodem modo in contractu matrimoniali, ac in aliis contractibus consensum internum exprimi posse; ita scilicet, ut Procurator exprimat nomine Principalis se contrahere.

Notandum tamen primo ex *Cap. fin. de Procurat. in 6.*, ut valide per Procuratorem matrimonium contrahatur, quatuor requiri. Primo, ut habeat ad id speciale mandatum: nam res tam gravis, a qua totius vitæ status pendet, exigit, ut specialiter exprimatur. Secundo, ut non excedat fines mandati, leg. *Diligenter. ff. Mandati:* Verbi gratia, si mandatum sit Procuratori, ut contrahat cum tanta dote, invalide contrahit cum dote minori. Tertio, ut ipse Procurator contrahat nomine Principalis, nec alium substituat sine speciale facultate; quia censetur communiter eligi industria personæ. Quarto, ut non sit revocatum mandatum tempore contractus: Hinc si revocetur mandatum ante contractum, quamvis revocatio non pervenerit ad notitiam Procuratoris, matrimonium est nullum. Et ratio est, quia Respublica non potest supplere defectum consensus essentialiter requisiti ad valorem matrimonii; Et consequenter idem dicendum in omnibus aliis similibus contractibus, in quibus Respublica non potest defectum hujusmodi consensus supplere; ut in contractu Sponsalium, in voto per Procuratorem emisso, in excommunicatione per alium lata, & in aliis casibus adductis a Pontio cap. 15.

Notandum secundo, post Tridentinum ad valorem matrimonii requiri, ut contractus, qui per Procuratorem celebratur, fiat coram Parocho, & testibus, quibus constare debet de mandato, vel per inspectionem instrumenti, vel aliter; non tamen requiritur, ut coram Parocho, & testibus Principalis dederit mandatum Procuratori.

Notandum tertio, quod diversitas sexuum in Procuratoribus ad matrimonium contrahendum sit omnino impertinens; ut constat ex usu Ecclesiæ; unde possunt aut duæ fœminæ, aut duo viri esse Procuratores ad matrimonium celebrandum.

VII. Notandum ultimo, quod sive Principalis dormiat, sive sit ebrius tempore, quo Procurator ejus nomine contrahit, validus sit contractus; quia ad valorem contractus satis est, ut Principalis exerceat actum liberum tempore, quo dedit mandatum, & quod Procurator vi illius mandati libere operetur; cum Procurator sit veluti instrumentum naturale, ac liberum, quod vi mandati operatur. Imo si sit in gratia, fructuose Sacramentum matrimonii recipit; non secus ac fructuose recipitur Sacramentum Extremæ Unctionis a dormiente sensibus destituto.

Neque dicas; Ebrius non potest tempore ebrietatis per se ipsum valide contrahere matrimonium, etiamsi ante voluerit contrahere; ergo neque valide contrahit per Procuratorem.

Negatur enim consequentia; & disparitas est, quia si contrahat tempore ebrietatis per se ipsum, externus contractus non est liber, ut requiritur; at si contrahat per Procuratorem, contractus externus Procuratoris est liber, & talis contractus externus facit unum moraliter cum consensu libero præstito a Principali, quando

dedit

dedit mandatum: sicut eleemosyna data per famulum jussu Domini facit unum moraliter cum actu libero Domini mandantis dari eleemosynam.

VIII. Dubium tamen est primo: an validum sit matrimonium contractum per Procuratorem, si tempore contractus Principalis incidat in amentiam; sicut diximus esse validum, si eo tempore dormiat aut sit ebrius?

Affirmant communiter cum Sanch. Bonac. Henr. contra Pont. lib. 2. cap. 15. & Lug. de Sacram. disp. 8. sect. 6. Ratio est, quia satis est, ut libere mandatum dederit, & illud non revocaverit; aliter neque si dormiret, aut esset ebrius, valide contraheret.

Neque dicas cum Pontio; qui dormit, aut est ebrius, potest habere consensum liberum, non tamen qui est amens: hic enim est moraliter mortuus; unde sicut mandatum expirat morte mandantis, ita etiam expirat per amentiam mandantis, ut habetur in leg. *Si quis* 48. *ff. de acquirenda hæreditate*.

Nam contra est, quia sicut ebrius, & dormiens possunt habere consensum liberum in sensu diviso ab ebrietate, & somno, ita etiam amens in sensu diviso ab amentia. Falsum tamen est, quod amentia æquiparetur morti; tum quia amentia non semper est perpetua, sed aliquando est ad tempus, ut ebrietas; tum etiam, quia qui est amens, est capax vinculi matrimonialis, non vero mortuus. Demum, quod mandatum expiret morte mandantis, est indubitaum; quod vero expiret per amentiam mandantis, non est universaliter verum; quamvis in speciali aliquo contractu id verum sit, ut lege citata.

IX. Dubium est secundo; An valeat matrimonium contractum per Procuratorem, quando Principalis dat illi mandatum ficte, & deinde antequam ineatur contractus, habet verum consensum internum, seu animum contrahendi?

Affirmat Sanch. lib. 2. disp. 11. Negat tamen Con. disp. 24. dub. 9. quia contractus Procuratoris non esset effectus, nec signum consensus veri posterioris, sed esset effectus consensus ficti prioris.

X. Dubium est tertio; An valeat matrimonium contractum per Procuratorem, omissis denunciationibus, quando illi datur facultas contrahendi, servata forma Tridentini, ut semper dici solet, atque adeo præmissis denunciationibus?

Respondeo cum Sanch. loc. cit. & Perez affirmative, quia illa non est conditio, & restrictio facultatis; (sicut esset restrictio facultatis, si mandasset, ne cum minori dote contraheret) sed solum est admonitio, ut servetur jus commune. Etenim nemo censetur in contractibus velle novum jus inducere. Quare cum neque jure antiquo, neque jure novo requirantur essentialiter denunciationes ad valorem Sacramenti Matrimonii, sequitur, quod qui dat facultatem, ut contrahatur matrimonium præmissis denunciationibus, tantum velit admonere Procuratorem de suo debito, non tamen velit, matrimonium esse invalidum, si denunciationes omittantur; Sicuti, ut dicemus loco suo, propter eandem rationem est valida, quamvis illicita, absolutio a Censuris, quæ confertur, parte nondum satisfacta, etiamsi detur facultas absolvendi, satisfacta parte.

ARTICULUS III.

De Consensu coacto.

I. *Num sit irritum matrimonium contractum metu levi injuste incusso?*

II. *In quorum sensu voluntas dicatur cogi a metu?*

III. *In utroque foro est irritum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum.*

IV. *Probabilius jure tantum Ecclesiastico, non jure naturæ, illud irritatur. Votum autem universim simili metu nuncupatum, ne jure quidem Ecclesiastico est irritum.*

. Etiam contractus lucrativus gravi metu injuste extortus probabiliter est validus jure naturæ, quamvis damnum resarciri debeat. Idemque dicas de contractu oneroso; & uterque contractus ad arbitrium metum passi rescindi potest.

VI. *Probabilius videtur, quod sit validum jure naturæ matrimonium celebratum per metum levem injuste incussum ad illud extorquendum. Idemque dicas de Voto.*

VII. *Metus reverentialis secundum se est levis; (nisi minas, aut aliud simile secum ferat) esto nonnulli putent, matrimonium sic contractum esse irritum.*

VIII. *Quando matrimonium est invalidum ratione metus, aut alterius impedimenti occulti, non debet revalidari coram Parocho, & testibus: secus vero si impedimentum probari potest.*

I. Recolenda prius sunt, quæ de metu diximus quæst. 2. de Spnsal. art. 8. quæsit. 4. Primo, de metu gravi, & levi; Secundo, de juste, & injuste incusso; Tertio, de incusso ad extorquendum ipsum contractum, & de incusso ob alium finem, qui etiam potest & juste, & injuste incuti tam ab eo, cum quo est contrahendum, quam ab alio. Diximus ulterius, nullum contractum irritari a metu levi qualitercumque incusso; Nec a metu gravi incusso a causa extrinseca, non libera, puta, a metu naufragii; Nec a metu gravi juste incusso, etiamsi ad extorquendum cotractum, (ut communiter Doctores docent apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 228. quamvis Bonac. velit, solum contractum matrimonii irritari a metu

gra

gravi juste incusso ad ipsum extorquendum). Præterea nec irritari a metu gravi injuste incusso, sed non ad exorquendum ipsum contractum. Irritari tamen contractum matrimonialem in utroque foro duntaxat a metu gravi injuste incusso ad ipsum extorquendum, sive ab altero contrahentium, sive a tertio incutiatur; ut omnes docent contra Cardinal. cum debeant matrimonia esse plene libera, nec contrahi cum injuria alterius; eo quod sint insolubilia. A simili tamen metu levi injuste incusso matrimonia probabiliter non irritantur; ut communius docent Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. Et constat, tum ex usu Ecclesiæ non irritantis matrimonia ex metu levi contracta; tum quia metum levem jura non considerant ex *leg. Nec timorem. ff. De eo, quod metus causa*, quia metus levis non multum detrahit libertatis. Sed oppositam sententiam esse pariter probabilem dicemus inferius.

II. Notandum præterea, Metum non posse proprie cogere voluntatem; tum quia quilibet actus voluntatis est voluntarius, cum sit ipsum velle voluntatis; tum etiam quia voluntas non potest pati violentiam. Nam cum ex Philosopho, Violentia sit ab extrinseco nulla vim conferente passo, seu resistente passo; voluntas autem eo ipso, quod consentit, jam confert vim, & consequenter non resistit; idcirco non patitur violentiam, nec proprie cogi potest. Quare metus in hoc tantum sensu dicitur cogere voluntatem, quatenus quæ metu compulsi volumus, ea metu sublato nollemus, & intantum volumus, inquantum metus urget. Unde fit, quod ea, quæ per metum fiunt, dicantur voluntaria simpliciter, & libera; & idcirco peccat, qui metu mortis, verbi gratia, fidem negat: Contra vero, quæ per metum fiunt, dicuntur, juxta doctrinam Philosophi, & D. Thom. involuntaria secundum quid, quatenus ea nollemus, si metus abesset.

III. Quæritur nunc primo; Sitne irritum, an irritandum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad ipsum extorquendum?

Respondeo, esse ipso jure irritum in utroque foro. Ita communiter contra Cardinal. apud Perez sect. 1. Et constat ex *cap. Significavit, De eo, qui duxit in matrimonium*.

Neque dicas; Metus non tollit consensum simpliciter liberum, ut ostensum est: ergo non tollit constitutiva Matrimonii: ergo Matrimonium non est irritum, & nullum.

Confirmatur; quia baptismus metu susceptus non est irritus: ergo neque Matrimonium.

Respondeo enim, metum non tollere consensum simpliciter liberum, sed tollere consensum plene liberum, prout requiritur ad constituendum contractum, & Sacramentum matrimonii: Sicut enim est invalidum matrimonium clandestinum, quamvis non careat consensu libero, sed quia caret consensu libero requisito, (videlicet qui fiat coram Parocho, & testibus); ita matrimonium metu contractum est irritum, non quia caret consensu libero, sed quia caret consensu plene libero requisito ad talem contractum.

Ad confirmationem patet disparitas: Matrimonium enim constituitur per contractum, qui fiat per consensum plene liberum; & quia talis consensus deest, posito metu; ideo desunt constitutiva Sacramenti Matrimonii, posito metu: Cotra tamen Sacramentum Baptismi habet pro constitutivis materiam, & formam distinctam ab ipso actu voluntatis, & ex nullo capite ostenditur, quod requiratur intentio suscipiendi baptismum plene libera: ergo Sacramentum baptismi validum est, etiamsi metu suscipiatur, dummodo habeatur intentio illud suscipiendi.

IV. Quæritur secundo; Utrum jure naturæ, an Ecclesiastico sit irritum Matrimonium tali metu contractum?

Respondeo cum Con. Sanch. Hurt. Perez sect. 11. contra Rebell. Mærat. Pont. Mol. quod solo jure Ecclesiastico: Nam jure naturæ non sunt irriti alii contractus metu initi: ergo nec contractus matrimonialis.

Confirmatur, quia non minor libertas jure naturæ requiritur ad suscipiendum baptismum, quam matrimonium: sed metus gravis non irritat baptismum jure naturæ; ergo neque matrimonium. Confirmatur secundo; quia non minus dolus reddit contractum secundum quid involuntarium, quam metus (puta, si quis per dolum fingat, se esse ditissimum, nobilissimum, sanum, &c. ad obtinendum matrimonium, cum tamen sit pauper, ignobilis, & morbo contagioso laborans); atqui jure naturæ matrimonium dolo contractum non est irritum, nisi error, & dolus sit circa personam, & circa substantiam contractus; ergo nec metus irritat matrimonium jure naturæ. Quare sicut jure Ecclesiastico est irritum matrimonium clandestinum, per hoc, quod Ecclesia statuerit, ad valorem contractus requiri consensum præstitum coram Parocho, & testibus; ita est irritum matrimonium metu contractum, per hoc, quod Ecclesia statuerit, ad valorem matrimonii requiri consensum plene liberum.

Sequitur hinc primo, matrimonium metu contractum inter Infideles non esse irritum, sed solum irritandum, ut reliqui contractus; quia Infideles non subsunt legibus Ecclesiasticis.

Sequitur secundo, matrimonium metu contractum inter baptizatos non confirmari juramento; sicuti nec matrimonium clandestinum: Si quis tamen metu gravi compulsus juraret, se positurum consensum plene liberum, hic tantum.

tum promitteret matrimonium cum juramento adimplendi talem promissionem; vi cujus juramenti obligaretur ad ponendum consensum plene liberum, si id poterit, & sic ad ineundum matrimonium; Sicuti juramentum de solvenda pecunia latroni obligat ad illam solvendam, ut diximus quæst. 2. art. 8.

Dices primo; non reperitur jus ullum canonicum irritans hujusmodi matrimonium; ergo non est irritum jure Ecclesiastico, sed jure naturæ.

Respondeo cum Con. & Perez, quod quamvis non reperiatur jus scriptum aperte irritans tale matrimonium, tamen cum ostenderimus ex una parte non posse esse irritum jure naturæ, & ex alia parte jus canonicum in laud. cap. *Significavit*, supponat, tale matrimonium esse irritum, sequitur; quod jus Ecclesiasticum illud irritans vel fuerit antiquius, & perditum; vel sit traditione acceptum; vel usu, & consuetudine introductum; vel vivæ vocis oraculo traditum.

Dices secundo; contra jus naturæ est, ut aliquis per injuriam acquirat jus in alterum: ergo matrimonium metu injusto contractum jure naturæ est irritum; siquidem ratione talis metus per injuriam acquireretur jus in alterum.

Respondeo, argumentum nimis probare, atque adeo nihil; Probat enim, quod etiam matrimonium dolo contractum sit irritum jure naturæ, etiamsi dolus, & error non cadant circa substantiam contractus; nam quando quis hujusmodi dolo inducit alterum ad matrimonium, etiam per injuriam acquirit jus. Quare distinguo antecedens; Est contra jus naturæ, ut valide aliquis acquirat jus in alterum per injuriam, nego; ut licite, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Dices tertio; Votum metu injuste incusso nuncupatum est nullum jure naturæ: ergo etiam matrimonium. Antecedens probatur, quia nemo debet obligari ex injuria, quam passus est; Et Deus respuit promissionem extortam per injuriam, nec illam approbare videtur, aut acceptare; cum nec inter homines talis promissio possit rationabiliter acceptari.

Respondeo, nego antecedens: Votum enim tali metu emissum nec jure naturali, nec universim jure Ecclesiastico est irritum; unde indiget dispensatione; ut contra nonnullos docet Suar. tom. 2. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 8. Ad probationem dico, posse optime obligari apud Deum ex voto, qui injuriam passus est ab homine; sicut potest graviter offendere Deum, qui committit peccatum ex metu mortis; Potuit quidem Ecclesia tale votum irritare; Sicut potest irritare vota simplicia ante certam ætatem emissa; & de facto irritat vota solemnia religiosa ante decimum sextum annum nuncupata, aut metu injusto extorta; at de facto votum illud non irritavit.

V. Infero ex dictis primo cum Sanch. Less. Perez disp. 17. sect. 7. contra Rebel. Medin. Azor. & alios apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 118., Contractum lucrativum (videlicet liberalis donationis, & promissionis) gravi metu extortum jure naturæ esse validum, & solum esse irritandum. Ratio est, quia ad valorem donationis, promissionis, & voti sufficit voluntarium simpliciter, etiamsi misceatur involuntarium secundum quid.

Neque dicas primo; qui per vim, & metum injustum extorquet donationem, tenetur ad restitutionem, ut omnes concedunt; ergo jure naturali talis donatio est irrita.

Respondeo enim teneri ad restitutionem, non quia contractus non fuit validus, aut quia non fuit translatum dominium; sed quia qui injuste metum intulit, tenetur resarcire damnum, quod per injuriam alter passus est; & idcirco potest alter ex natura rei beneficio juris repetere, quod donavit donatione metu extorta; & consequenter si non tradidit rem donatam, potest vi compensationis illam sibi retinere.

Neque dicas secundo; Usurarius tenetur jure naturæ restituere usuras acceptas, non ratione injuriæ, quam intulit danti usuras, sed quia donatio usurarum, utpote non simpliciter voluntaria, est irrita; ergo cum donatio metu extorta neque sit simpliciter voluntaria, est pariter jure naturæ irrita.

Nam respondeo, Usurarium teneri ad restitutionem, non quia donatio usurarum non fuit simpliciter voluntaria, sed quia nullus interfuit titulus validus, unde potuerit acquirere dominium usurarum; ad quemlibet enim contractum requiritur, præter consensum, etiam justus titulus, ut possit transferri dominium; Verbi gratia, ad contractum onerosum venditionis, præter consensum, requiritur titulus legitimus, videlicet, quod detur res pro pretio; Ad contractum permutationis requiritur titulus, quod detur res pro re. Eodem modo ad contractum lucrativum donationis, præter consensum, requiritur etiam titulus legitimus, videlicet, quod detur res liberaliter, & ob nullam causam, seu nullo pretio accepto, & consequenter, quod detur res non debita ex justitia: At quando solvuntur usuræ, non habetur hic titulus legitimus donationis; non enim donantur liberaliter, sed dantur tanquam debitæ pro mutuo; (qui titulus est illegitimus) & ideo Usurarius non acquirit illarum dominium, sed tenetur ad restitutionem.

Infero secundo, cum Sot. Navar. Henr. Perez disp. 17. sect. 4. contra eundem Rebel. etiam contractus onerosos (in quibus datur

res

res pro re, aut pro pretio) gravi metu extortos esse validos jure naturæ, & solum rescindendos.

Probatur, quia in iis & datur titulus legitimus, & datur simpliciter voluntarium; ergo habentur ea omnia, quæ requiruntur ad valorem contractus, atque adeo sunt validi. Quod detur titulus legitimus, nempe datio rei pro re, nemo dubitat; Quod vero sufficiat voluntarium simpliciter, quamvis ratione metus sit involuntarium secundum quid, constat ex dictis: unde sequitur, quod per traditionem rei post hujusmodi contractum transferatur dominium. Nam ex leg. *Traditionibus Cod. de pactis*, traditione transfertur dominium, quando concurrit titulus legitimus; in casu autem nostro datur titulus legitimus: ergo per traditionem transfertur dominium.

Notandum tamen, quod qui per injuriam metum intulit, teneatur etiam jure naturæ compensare damnum injuste illatum; atque adeo restituere rem cum fructibus, si id velit is, qui coactus contraxit; Unde etiam potest hic occulte sibi damnum compensare, & rem suam sibi recuperare; Sicut etiam dum res aliqua mihi promissa est, si illam aliter consequi nequeo, & damnum aliquod ex illa promissione non adimpleta sim passus, possum mihi occulte consulere, ut notat Perez loc. cit. sect. 5.

Addo cum Sanch. lib. 4. disp. 8. non solum jure naturali, sed nec jure positivo esse irritos contractus, sive lucrativos, sive onerosos metu injusto extortos, sed solum esse rescindendos pro arbitrio ejus, qui coactus contraxit; non tamen pro arbitrio ejus, qui metum incussit; Unde hic tenetur stare contractui, si alter velit.

VI. Quæritur tertio; An sicut est irritum ex lege Ecclesiastica matrimonium contractum ex gravi metu injuste incusso ad ipsum extorquendum, ita pariter sit irritum matrimonium ex levi metu injusto contractum? Qua occasione pariter quæritur; An jure naturali, & in foro conscientiæ rescindendi etiam sint contractus per metum levem injustum initi, ad arbitrium ejus, qui metum levem passus est? Et an ad ullam restitutionem teneatur, qui injuste per metum levem extorsit contractum, sive onerosum, sive lucrativum?

Respondeo, Less. lib. 2. cap. 17. dub. 6. Navar. Sylvestrum, Sanch. lib. 4. disp. 9. apud Perez disp. 17. sect. 6. & Pal. apud Tamb. lib. 1. cap. 2. §. 6. docere, Contractus initos per metum levem injuste incussum ad illos extorquendos, etsi validos, posse in foro conscientiæ rescindi auctoritate propria. Cum enim compars teneatur relaxare fidem metu levi injusto extortam, & resarcire damnum injuste causatum, poterit ipsemet vim patiens pari modo in conscientia resumere fidem a se datam: Idque etiamsi contractus juramento firmatus sit, dummodo absolutio a juramento petatur. Additque Sanch. posse in foro externo metum levem passis succurri officio Judicis, ut rescindatur contractus.

Hæc tamen omnia negant probabilius Perez, Medin. & alii apud eundem Tambur.: docent enim, Neque in foro conscientiæ hujusmodi contractus rescindi posse; Neque extorta tali metu restituenda esse; Neque in foro externo posse per Judicem tales contractus rescindi. Ratio est, quia metus levis facile repelli potest; atque adeo qui illum non repellit, præsumitur in foro conscientiæ libere velle contrahere, nec ipsi factam esse injuriam. Et ratio a priori est, quia parum pro nihilo reputatur; ergo si metus levis injustus parum lædit libertatem, & parum minuit de voluntario, non tollitur, quominus consensus dicatur plene liber, & sine injuria positus.

Utraque hæc sententia est probabilis, & ideo cum eodem Tamb. censeo, probabile esse, quod docet aperte Lug. Matrimonium contractum ex metu levi injuste incusso ad ipsum extorquendum esse ipso facto irritum ex eadem lege Ecclesiastica; quia caret consensu perfecte libero; Sed probabilius est, quod docent Pont. & Sanch. hujusmodi matrimonium esse validum, quia non caret plena libertate, cum metus sit levis, & parum pro nihilo reputetur.

Quod diximus de matrimonii validitate, dicendum est de validitate voti. Aliqui enim apud Sanch. lib. 4. in Decalog. c. 3. n. 23. & Tambur. loc. cit. §. 8. docent, probabile esse, quod votum etiam ex metu levi injuste incusso ad ipsum extorquendum sit irritum, eo quod votum debeat esse omnino spontaneum, & perfecte liberum, saltem ex jure Ecclesiastico. Ex quo inferunt, quod qui ex metu injusto ordinatur Sacerdos, non teneatur voto castitatis, sed possit sine dispensatione ad nuptias transire, dummodo cessante metu, non exercuerit actum Ordinis Sacri; nam per tale exercitium, seu usum ordinis ratificaretur Ordo, & votum illi annexum. Sed probabilius censeo cum communiori, Votum nec per metum levem, nec per gravem invalidari, ne jure quidem Ecclesiastico, ut diximus quæsito superiore cum Suar. contra Navar. Sa, Tolet. Sanch. apud eundem Tambur.

VII. Quæritur quarto; An metus reverentialis dicatur metus gravis reddens irritum contractum matrimonii, & irritandos reliquos contractus? Et idem quæritur de precibus importunis.

Respondeo cum Sanch. lib. 4. disp. 6. Perez sect. 7. contra Pont. & alios apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 20. metum reverentialem (quo filius timet offensionem Parentum, pupillus Tutorum, subditus Principis, Uxor Mariti, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi) non esse gravem secundum se, cum non soleat concutere

tere

tere animum constantem; nisi etiam secum ferat indignationem Patris, seu Superioris diuturnam, vel verbera, aut preces importunas cum minis, quas vere Pater, aut Superior soleat exequi. Quare idem dicendum de precibus importunis, quæ secundum se causant metum dumtaxat levem; nisi iis adjungatur metus reverentialis cum minis, aut verberibus, &c. Ratio est, quia quamvis preces instantissimæ contineant in se aliquod genus vexationis, & gravaminis; si tamen absit reverentia petentis, cui multum debeatur, aut minæ, non ita graviter opprimunt, ut inferant absolute vim, & virum prudentem, ac constantem cogant, & ipsius consensum extorqueant.

Hinc sequitur, quod si filius non audens contradicere Patri, matrimonium contrahat, illud sit validum; Et si aliquid promittat, aut donet, aut alicui juri renunciet ob solum metum reverentialem, quando aliud malum non timet, non possit petere rescissionem; Nec dicatur Pater injuriam intulisse; nec teneatur ad restitutionem ejus, quod per talem consensum consequutus est: Et idem dicas de Uxore respectu viri, si solum id fiat ex metu reverentiali; Secus vero si adjungantur minæ, indignatio diuturna, seu torvus aspectus, exprobratio durioribus verbis, &c., quæ tamen non cito transeant; hæc enim animum constantis viri concutiunt.

Less. tamen lib. 2. cap. 17., & alii apud Dian. loc. cit., & resol. 117. cum putent, esse irritandos contractus ex metu, etiam levi, injusto celebratos, docent a fortiori rescindi etiam posse contractus celebratos metu reverentiali, & ex precibus importunis; ac teneri ad restitutionem, qui commodum inde reportavit. Docent proinde alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. cum Navar., & Covar., matrimonium ex metu reverentiali, aut ex levi metu injusto contractum esse irritum. Quam sententiam Sanch. lib. 4. disp. 17. fatetur esse probabilem. Quamvis verum sit, quod in foro externo solum contractus ex gravi metu celebrati rescindi possint; Sicut in foro externo solum datur actio, quando læsio est ultra dimidium, quamvis in foro conscientiæ detur obligatio restitutionis, etiamsi læsio sit infra dimidium.

VIII. Quæritur ultimo; An matrimonium ratione metus invalidum, fiat deinde validum per copulam subsequutam?

Respondeo cum Con., Sanch., Henr., quod si copula habeatur animo fornicario, non reddat matrimonium validum; si vero fiat affectu maritali, & non sit metu extorta, matrimonium fit validum; cum ponatur tunc consensus plene liber, qui desiderabatur. Post Tridentinum tamen si impedimentum metus erat occultum, non debet matrimonium revalidari coram Parocho, & testibus, sed sufficienter revalidatur per copulam inter conjuges habitam, sicut revalidatur matrimonium, quod propter aliud impedimentum occultum fuit invalidum. Si tamen impedimentum non erat occultum, sed probari poterit in foro externo, matrimonium non potest revalidari, nisi coram Parocho, & testibus, ut dicemus art. seq.

Difficultas etiam est; An, si copula metu etiam extorqueatur, revalidet contractum meticulosum invalidum?

Respondeo cum citatis Doctoribus contra Paludan., quod probabiliter non revalidet, etiamsi fiat affectu maritali. Ratio est, quia deficiente consensu requisito ad valorem contractus, impossibile est, ut contractus sit validus; sed accedente novo metu compellente ad copulam, deficit consensus plene liber requisitus ad valorem matrimonii; ergo matrimonium non est validum; Unde iste talis, qui metum patitur, deberet mori potius, quam consummare, si non potest cum plena libertate, & nullo habito respectu ad metum, consentire ad matrimonium. Ex quo etiam sequitur, quod qui ob gravem metum matrimonium contraxit, & consummavit, possit postea resilire, quia consummatio illa fuit fornicaria.

Docent tamen Doctores, contrariam sententiam non esse improbabilem, quod scilicet revalidatur matrimonium per copulam, quamvis metu extortam. Unde in gravi necessitate posset quis tali opinione uti, ne peccet consummando matrimonium.

ARTICULUS IV.

De consensu simpliciter clandestino.

I. Recensentur decem conditiones a Tridentino requisitæ ad solemnitatem Matrimonii.

II. In nulla necessitate valide contrahitur matrimonium sine Parocho, & testibus; sed quid si Parochus nullatenus haberi possit in locis Infidelium?

III. Lex ista Tridentini non patitur Epichejam, quia inducit formam substantialem contractus: Et idem dicendum de variis similibus legibus.

IV. Hac, & similibus legibus obligantur etiam ignorantes illas invincibiliter.

V. In hac lege nequit Episcopus dispensare; quamvis hic possit, urgente necessitate, dispensare aliquando in nonnullis impedimentis dirimentibus.

VI. Non obligat lex ista, ubi Tridentinum non est receptum; nec in Provinciis Infidelium. Ex quo non sequitur, quod in iis locis non debeant aliæ leges Ecclesiasticæ servari.

VII. Quando revalidandum est matrimonium propter impedimentum omnino occultum, (quod scilicet per duos testes probari non potest) non est opus Parocho, & testibus; non quia cessat finis legis, sed quia talis casus a lege non comprehenditur. At matrimonium sub conditione celebratum coram Parocho, & testibus, num debeat coram iisdem, purificata conditione, iterum contrahi?

VIII. Quinam debeat esse Parochus, & quinam testes?

IX. Etiam in aliena diœcesi potest proprius Parochus, licet sit excommunicatus vitandus, matrimonio assistere, ac dare Sacerdoti licentiam ad assistendum.

X. Num sit validum Matrimonium, si Sacerdos assistens licentiam per metum, aut per dolum extorserit?

XI. Quid si matrimonio assistat Sacerdos post licentiam obtentam, sed antequam id resciverit?

XII. Quid si Parochus sit intrusus, & errore tantum communi, sive titulo colorato reputetur Parochus?

XIII. Non requiritur, ut testes sint omni exceptione majores.

XIV. Quinam consensus requiritur, si privatim revalidandum sit matrimonium? Et an illius nullitas utrique conjugi debeat esse nota?

I. DIcitur matrimonium simpliciter Clandestinum, quod scilicet non fit coram Parocho, & testibus; Dicitur vero Clandestinum secundum quid, quod fit absque denunciationibus. Hic agendum de clandestino simpliciter, deinde de secundum quid clandestino.

Notandum interim, Ad solemnitatem matrimonii decem conditiones requiri a Trident. sess. 24.; Primo, quod saltem triduo ante consummationem matrimonii suscipiant Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ conjuges; quamvis hoc sit consilium, non præceptum: Secundo, ut cum duobus, vel tribus testibus assistat contractui matrimoniali Parochus, vel alius Sacerdos de Parochi, vel Ordinarii licentia: Tertio, ut coram illis exprimant consensum, ita ut possint de eo testificari: Quarto, ut non cohabitent, antequam benedictionem Ecclesiæ recipiant; hoc autem præcipi sub mortali putat Palud., sub veniali Cajet.; Et Sot., qui Tridentino interfuit, putat esse consilium apud Perez disp. 39. sect. 1. Quinto, ut tribus diebus festivis continuis denuncientur inter missarum solemnia, qui contrahere debent, ut impedimenta, si forte sint, revelentur: Sexto, ut utrumque contrahentem roget Parochus, & intelligat utriusque consensum: Septimo, ut eo intellecto dicat; Ego vos conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quæ, aut similia verba sunt solum necessaria necessitate præcepti, non Sacramenti: Octavo, si probabilis suspicio sit, quod matrimonium sit malitiose impediendum, vel præmittatur una tantum denunciatio, vel denunciationes fiant post matrimonium ratum ante consummationem, nisi Ordinarius judicaverit esse remittendas: Nono, ut Parochus in libro diligenter annotet nomina conjugum, ac testium, diem, ac locum matrimonii: Decimo, ut nullus Sacerdos sine licentia Parochi eos jungat sub pœna suspensionis.

II. Quæritur nunc primo; An in aliquo casu licitum, & invalidum sit matrimonium simpliciter clandestinum; Puta, si in articulo mortis sit præcisa necessitas contrahendi cum concubina in bonum prolis per matrimonium legitimandæ, & absit omnino Parochus; Vel si lex Tridentini irritantis matrimonium clandestinum ignoretur invincibiliter; Vel si matrimonium celebratum coram Parocho cum impedimento occulto sit deinde revalidandum?

Respondeo cum communi contra Veracrux, Vegam, & Sot. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 235., & part. 5. tract. 3. resol. 98., matrimonium in quacumque necessitate contractum absque Parocho esse simpliciter invalidum; quamvis fiat coram sexcentis testibus. Ratio est, quia Trident. loc. laud. absolute, & sine ulla exceptione irritat hujusmodi matrimonia, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum; Sicut redduntur inhabiles ad matrimonium consanguinei usque ad quartum gradum. Quare sicut in nullo casu validum est matrimonium inter consanguineos absque dispensatione, quantumcumque urgeat necessitas; ita nec matrimonium absque Parocho, & testibus.

Id autem videtur intelligendum, si Parochus haberi possit, ut docent Bellarm., Dian., Tambur., Arsdekin, & alii apud Croix num. 178. Nam ubi Parochus haberi non potest, ut apud Turcas, & Infideles, tunc satis est, quod duo testes adhibeantur, & ad summum matrimonium celebretur coram Magistratu Civili; ut non semel S. Congregatio respondit; Idque verum est, quamvis Christiani non sint perpetuo apud Infideles remansuri; sed spem habeant, quod sint in patriam reversuri; Immo cum in locis Infidelium lex Tridentini recepta non sit, non datur obligatio ibi illam servandi, ut dicemus num. *6*.

III. Infertur hinc primo, quare leges omnes humanæ, & etiam positivæ divinæ recipere possint aliquando Epichejam, seu suavem interpretationem, non tamen lex ista? Ratio est, quia talis lex inducit formam, & solemnitatem substantialem contractus, inhabilitando personas ad contrahendum; ergo Epichejam pati non potest. Quod pariter dicendum de lege inhabilitan-

tante consanguineos ad matrimonium contrahendum. Talis est etiam lex annullans professionem ante decimum sextum annum, aut ante annum Novitiatus completum; Necnon lex irritans collationem beneficiorum per simoniam confidentiæ factam: Et in jure civili lex inhabilitans prodigum ad contrahendum; Et lex declarans contractus pupillorum sine certa solemnitate factos esse nullos; Lex etiam de solemnitate testamentorum, &c. Ratio itaque a priori est: quia tales leges inducunt novam formam substantialem contractus; ergo si ea desit, quacumque de causa desit, contractus est nullus; quia nihil consistere potest sine sua forma substantiali: Quamvis juxta laudatas responsiones S. Congregationis, in locis, ubi Parochus haberi nequit, sufficiat duos testes adhibere, eo quod forma substantialis relate ad Parochum, aut Episcopum ibi servari non possit.

IV. Infertur secundo contra nonnullos apud Sanch. lib. 3. disp. 17., legem hanc irritantem matrimonium clandestinum obligare etiam ignorantes invincibiliter illam. Ratio est, quia ignorantia legis solum excusat a culpa, & consequenter a pœna; non tamen reddit validum id, quod per legem ignoratam est irritum: Sic ignorantia legis irritantis professionem ante decimum sextum annum non reddit validam talem professionem; Et ignorantia legis imponentis irregularitatem ex defectu, non facit, ut qui talem defectum contraxit ignorando legem illam, possit deinde licite Ordines suscipere; quia est lex inhabilitans defectuosos ad Sacros Ordines. Illa solum lex, quæ irritat aliquid in pœnam, non obligat invincibiliter ignorantes; quia cessante per ignorantiam culpa, cessare debet & pœna: Talis est lex irritans acquisitionem fructuum beneficii, non recitato officio: qui enim ex oblivione officium non recitat, facit fructus suos: Talis est aliquando juxta multorum sententiam lex de casuum reservatione: Contra vero quando lex irritat aliquid ob bonum publicum, etiam ignorantes obligat juxta sensum explicatum.

V. Infertur tertio, non posse Episcopum, urgente necessitate, in tali lege dispensare, ut scilicet possit matrimonium valide contrahi sine Parocho. Ratio est, quia Tridentinum id constituit tanquum formam substantialem, & declaravit personas esse omnino inhabiles ad sic contrahendum: Ubi notanda est illa dictio, Omnino, quæ excludit omnem gratiam, & dispensationem: Contra tamen potest in multorum sententia apud Perez disp.46. sect. 6. dispensare Episcopus, urgente necessitate, in impedimentis dirimentibus matrimonium. Ratio est, quia ista solent a Pontifice dispensari; & universim, urgente necessitate, potest Episcopus dispensare in iis, in quibus potest, & solet dispensare Pontifex, ut dicitur cum de legibus.

VI. Infertur quarto, quod ubi Tridentinum non est receptum, ea lex non obliget, atque adeo matrimonia clandestina ibi sint valida (quamvis graviter illicita) sicut etiam in Provinciis Infidelium. Ratio est, tum quia decretum Tridentini in iis locis non habet vim ex defectu publicationis ab ipso Tridentino requisitæ ad hoc, ut obliget; tum etiam quia universim Doctores in materia de legibus docent, legem non obligare, nisi sit promulgata, & acceptata; Et solum ab Alex. VII. damnata est illa prop. 28. dicens: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Hinc fit, quod captivi Christiani valide matrimonium contrahant apud Infideles sine Parocho, & testibus; necnon Mercatores, qui versantur in locis, ubi Tridentinum non est receptum. Ita Sanch., Hurt., Perez. Ratio est, quia contrahentes quoad leges contractuum sortiuntur forum loci, in quo contrahunt: ergo si in locis Infidelium, aut aliis non viget lex ista Tridentini, ad illam non obligantur fideles, dum contrahunt matrimonium. Idque verum est, etiamsi in iis locis domicilium non fixerint, ut docent Doctores citati contra Ledesm., & Henr. apud Perez disp. 39. Hac de causa Sacerdos latinus transiens per Græciam potest celebrare in fermentato juxta morem Græcorum, ut notat idem Bonac., & Neapolitanus potest cibis paschalibus vesci primis quatuor diebus Quadragesimæ, si eo tempore Mediolani commoretur, ubi ea est consuetudo. Et universim quoties in aliquo loco sine culpa non servantur leges juris communis, potest quilibet accedere illuc eo fine, ut talibus legibus non obstringatur.

Contra vero, ut notat Leander, qui habitat, ubi Tridentinum non est promulgatum, puta in Svecia, Dania, Pomerania, (nam in Gallia quoad legem clandestinitatis esse receptum jussu regio jam ab anno 1602. docet Lessius apud Croix de Matrimonio n. 767.) si transiens per locum, ubi Tridentinum est receptum, vult matrimonium contrahere, debet illud contrahere coram Parocho; quia contractus celebrari debent juxta leges loci, in quo fiunt, ex leg. *si fundus ff. de Evictione:* Et eodem modo si Mediolanensis ver. gr. transiret Neapoli primis diebus Quadragesimæ, deberet abstinere a cibis Paschalibus, quia debet servare leges universalis Ecclesiæ, quoties ex legitima contraria consuetudine loci non excusatur.

Neque dicas; quod si fideles non tenerentur contrahere coram Parocho juxta legem Tridentini, dum sunt in locis Infidelium, necnon ubi Tridentinum non viget inter fideles, sequeretur, neque teneri legibus jejunii audi-

H 2 tionis

tionis sacri, & aliis legibus Ecclesiasticis, dum sunt in locis Infidelium.

Nego enim sequelam. Ratio est, quia istæ leges Ecclesiasticæ, ut obligent ubique omnes fideles, satis est, quod sint publicatæ in Curia Romana, vel in alia qualibet Diœcesi fidelium: Contra vero lex Tridentini, ut obliget, requirit ex ipsa dispositione ejusdem Tridentini, ut diximus, specialem publicationem in eo loco, ubi matrimonium celebratur. Unde cum inter Infideles ea Tridentini lex non sit publica, in iis locis nemo tenetur legem illam servare: Quamvis fideles in iis locis commorantes alias antiquas leges Ecclesiasticas servare teneantur, videlicet adhibere testes, quibus conjugium probari possit, & instrumenta publica de eo conficere.

VII. Infertur ultimo, quod si matrimonium celebratum coram Parocho, & testibus fuit nullum ob occultum aliquod impedimentum, puta, ob affinitatem, satis sit ad illud revalidandum, quod, sublato impedimento, contrahentes inter se privatim renovent consensum. (Esto verum sit, quod si impedimentum erat publicum, aut probari poterat plene, scilicet per duos testes omni exceptione majores, quamvis nunquam sit probandum, debeat iterum matrimonium contrahi coram Parocho, & testibus. Ita Sanch. lib. 2. disp. 37., Perez, Bonac., Hurt., Navar. contra Pont., Ledesm., Guttier. Ratio est, quia lex irritans matrimonium clandestinum non comprehendit hunc casum; nulla enim lex comprehendit casum, in quo cesat ratio, & finis legis; sed finis hujus legis est, ne conjuges possint rescindere contractum matrimonialem absque eo quod Ecclesia possit illis resistere; qui finis cessat in casu nostro, ut patet: ergo lex ista non se extendit ad casum adductum.

Hic autem subtiliter notandum cum Sanch., aliud esse, quod lex non obliget in casu, quem non comprehendit, eo quod cesset finis legis: aliud vero esse, quod lex in casu, quem comprehendit, cesset obligare, eo quod cesset finis legis: Quod hoc exemplo declarat Sanch.: Fingamus, Superiorem præcipere Religiosis, ne adeant locum, ubi operarii laborant, idque eo fine, ne loquelis illos impediant; Si Religiosi adeant eum locum, & taceant, cessat quidem in tali casu finis legis; sed lex talem casuum vere comprehendit; Et ideo Religiosi illum locum adeuntes, quamvis taceant, adhuc sunt inobedientes; nisi Epicheja aliud suadeat: Contra vero, si Religiosi adeant eum locum die festivo, quando non sunt ibi operarii laborantes, lex talem casum non comprehendit. Unde Religiosi eo adeuntes, imo etiam ibi loquentes, legem illam non violant. Idem dicas in re nostra: Si matrimonium celebraretur aliquando coram centum testibus, cessaret quidem finis legis exigentis Parochum; At non cessat in tali casu lex; quia lex exigens aliquid, tanquam formam substantialem, non cessat, quando cessat in aliquo casu particulari finis legis; unde matrimonium coram centum testibus, sed non coram Parocho celebratum, est invalidum: Contra tamen si matrimonium sit celebratum coram Parocho, & testibus invalide propter occultum aliquod impedimentum, quando deinde celebratur, sublato impedimento, non requiritur assistentia Parochi, & testium, ut valide celebretur; non quia cessat finis legis comprehendentis hunc casum, sed quia lex ista talem casum non comprehendit.

Si tamen coram Parocho, & testibus celebratum sit matrimonium sub conditione aliqua, ea purificata, probabilius est, quod debeat iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahi; aut saltem, quod illi certiores fiant de conditione jam purificata, ut possint de ea testari, prout dicemus art. 6. num. 4.

VIII. Quæritur secundo; Quinam Parochus, & quinam testes debeant matrimonio assistere, ut illud non dicatur clandestinum, sed publicum, ac solemne.

Respondeo, quod ad validitatem, & publicitatem matrimoniii requiratur assistentia proprii Parochi, aut Ordinarii, aut assistentia alterius Sacerdotis de proprii Parochi, aut Ordinarii licentia; necnon assistentia duorum, vel trium testium habentium usum rationis; etiamsi non sint omni exceptione majores, ut communiter docent cum Sanch. disp. 41. contra nonnullos, qui volunt, testes debere esse omni exceptione majores, ut dicemus in calce hujus articuli.

Infertur hinc primo, posse etiam assistere, vel dare licentiam alteri Sacerdoti assistendi matrimonio, non solum Vicarium Capitularem, sed etiam Vicarium Generalem, (quia facit cum Ordinario unum Tribunal) non vero Vicarium foraneum. Ratio est, tum quia universim quod conceditur in jure Episcopo, conceditur pariter ejus Vicario Generali, nisi exprese excludatur; tum etiam quia Vicarius Generalis, non vero foraneus, venit nomine Ordinarii, seu habentis ordinariam jurisdictionem; ut communiter docent contra Ledesm. apud Perez disp. 40. sect. 1. Archiepiscopus vero in Diœcesi Episcopi suffraganei solum habet ordinariam jurisdictionem, dum actu visitat, ex *cap. ult. de Censibus in 6.*; vel in causis ad ipsum per appellationem devolutis; Ideo tunc solum potest assistere matrimonio, aut alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi.

Sciendum tamen ex communi Theologorum doctrina, & ex declaratione Cardinalium, Paro-

Parochum, vel Episcopum solis originis non censeri relate ad hunc effectum proprium Parochum, aut Episcopum. Quare dicitur proprius Parochus, vel Episcopus solum ille, in cujus Parochia, vel Diœcesi alter Sponsus habet domicilium, vel quasi domicilium; hoc est, vel habitat cum animo ibi permanendi perpetuo, (etiamsi per horam dumtaxat ibi habitaverit, ut advertit Perez disp. 40. sect. 2.) vel habitat animo permanendi per majorem partem anni; ita ut pariter primo die, quo incipit ibi habitare cum tali intentione ibi habitandi per majorem anni partem, quasi domicilium acquirat, & eo ipso primo die possit ibi matrimonium contrahere; ut pariter notat Croix de matrim. num. 722.. Et sane si domicilium, aut quasi domicilium satis est, ut possit quis alicubi suscipere omnia Sacramenta (excepto Sacramento Ordinis, & tonsura, ad quæ non satis est quasi domicilium; sed requiritur vel domicilium, vel origo, vel beneficium eo modo, quo exprimitur in Bulla Innoc. XII., quæ incipit, *Speculatores*) & ut possit ibi sepeliri, & ad leges illius loci astringi; consequenter id etiam satis erit, ut possit coram Parocho illius loci matrimonium contrahere.

Quod si quis æqualiter habitet in duplici Parochia, verbi gratia, æstate in una, & hyeme in altera, uterque dicitur proprius Parochus; ut communiter docent cum Sanch. contra Navar. existimantem requiri assistentiam illius Parochi, in cujus Parochia matrimonium contrahitur.

Parochus autem proprius Vagabundorum relate ad assistendum matrimonio, & ad audiendas confessiones, dicitur is, in cujus Parochia actu habitant: Præcipit tamen Tridentinum, ne Parochi eos conjungant, nisi dilligenter prius inquisierint de eorum statu, & rem ad Ordinarium detulerint, ejusque licentiam obtinuerint: quæ si Parochus non præstet, peccat graviter, sed matrimonium, cui assistit, est validum.

IX. Infertur secundo, Parochum posse valide, & licite assistere matrimonio, etiam in aliena Parochia, & Diœcesi; sicut etiam dare licentiam assistendi. Ita communiter contra Nav. apud Sanch. lib. 3. disp. 19. Ratio est, tum quia Tridentinum exigit solum assistentiam proprii Parochi, non vero assistentiam proprii Parochi in propria Parochia; tum etiam quia soli actus jurisdictionis contentiosæ, & litigiosæ non possunt extra proprium territorium exerceri; Assistere autem matrimonio simpliciter non est actus jurisdictionis, ut patet; quia nullus actus Ordinis, aut jurisdictionis potest fieri ab invito, & contrariam intentionem habente ex *leg. Non omnis ff. de rebus creditis*; at assistentia Parochi omnino inviti, & contrariam intentionem habentis sufficit ad valorem matrimonii, ut omnes docent; ergo talis assistentia non est actus jurisdictionis. Præterea dare licentiam assistendi matrimonio alteri Sacerdoti, vel non est proprie actus jurisdictionis, ut docet Navar.; quia Parochum dare hanc licentiam nihil aliud est, quam substituere sibi aliquem idoneum testem, potestate sibi ad hoc facta a Concilio, quod non est actus jurisdictionis: Vel si est actus jurisdictionis, ut docet Con. disp. 27. dub. 2., eo quod dare licentiam videatur esse actus superioritatis, certe non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed gratiosæ, & voluntariæ, & consequenter exerceri potest extra locum propriæ jurisdictionis, seu extra proprium territorium ex communi Doctorum Doctrina.

Infertur tertio, Parochum, etiam non Sacerdotem, posse valide, & licite assistere, vel dare licentiam Sacerdoti assistendi matrimonio; ut communiter docent contra Rodriq., & alios apud Perez disp. 40. sect. 3. Ratio est, quia Tridentinum in Parocho non exigit Sacerdotium.

Infertur quarto, validum esse matrimonium, cui assistit Parochus, non solum interdictus, cui prohibitum est assistere matrimonio, aut suspensus, aut irregularis, aut excommunicatus toleratus, (quod communiter docent); sed etiam cui assistit, vel dat licentiam assistendi Parochus excommunicatus non toleratus; ut communius docent contra Avilam 2. part. de Censuris disp. 3. dub. 1. Ratio est, quia excommunicatus non toleratus invalide exercet solos actus jurisdictionis; at assistere matrimonio non est actus jurisdictionis, ut diximus: Neque est actus jurisdictionis dare licentiam assistendi, ut fert communior, & probabilior sententia apud Perez disp. 40. sect. 4.; Etenim collatio talis licentiæ non est institutio Judicis, sicut dare licentiam audiendi confessiones; nec pertinet ad Superiorem, qua talem, (ut dare licentiam administrandi Eucharistiam) sed est quædam designatio spectatoris, qua talis, ut possit testificari de matrimonio, facta ex ordinatione Tridentini, a quo immediate Sacerdos designatus accipit potestatem assistendi, & non a Parocho designante: Ad eum prorsus modum, quo quando Episcopus dat facultatem audiendi confessiones Sacerdoti, quem sibi Titius elegerit, in tali casu non Titius, sed Episcopus dat Sacerdoti immediate potestatem audiendi confessiones.

Hinc etiam est, quod Sacerdos degradatus possit etiam valide assistere de licentia Parochi, ut docet Sayr. apud Bonac. punct. 8. Ratio est, quia versamur in materia matrimonii, quæ favorabilis est, & quia Sacerdos degradatus adhuc est Sacerdos.

Addo ex Sanch. lib. 3. disputat. 21., Hurt., Perez contra Pont., quod Parochus excommunicatus vitandus non solum vali-

de, sed etiam licite assistere possit matrimonio, quando ad id requiritur. Ratio est, quia licitum est communicare cum excommunicato vitando, quando adest aliqua necessitas; in casu autem datur necessitas sufficiens; cum non possint Sponsi absque proprio Parocho contrahere: ergo possunt illius assistentiam requirere; atque adeo potest ille licite assistere, vel dare licentiam alteri assistendi. Non potest tamen benedicere Sponsos solemni benedictione; quia sine ulla necessitate communicaret cum fidelibus in divinis officiis; nulla enim datur necessitas benedictionis solemnis; cum id non pertineat ad decentem celebrationem contractus matrimonialis; & ideo solet id subsequi multo tempore post contractum matrimonium. Quod si assisteret matrimonio sine ulla necessitate Parochus excommunicatus vitandus, peccaret quidem, sed irregularitatem non incurreret: quandoquidem non violaret censuram per exercitium Ordinis Sacri; non enim pertinet ad Ordinem Sacrum assistere matrimonio, cum possit sine Sacro Ordine Parochus assistere: Contra vero Irregularitatem incurreret, si benediceret solemniter Sponsos, quia benedictio solemnis sacrum Ordinem requirit, ut notat Perez disp. 40. sect. 4.

X. Dubium est primo; An sit validum matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam assistendi aut obtinuit per dolum, aut extorsit per vim, ac metum gravem?

Respondeo cum Bonac. punct. 8., & Perez distinguendo; Est enim validum, si licentia extorta sit per metum gravem, necnon si per dolum, & mendacia versantia circa causam impulsivam: Est vero invalidum, si extorta sit licentia per dolum versantem circa causam finalem, seu circa substantiam rei; aut si concedens licentiam expresse dicat, se illam non concedere, deficiente veritate, seu non veris expressis. Probatur per partes. Primo valida est licentia per metum extorta. Ita Sanch. lib. 3. disp. 38., Con. & alii communiter. Ratio est, quia, ut diximus art. super., metus non tollit voluntarium, sed solum tollit plene voluntarium; Unde contractus metu celebrati sunt validi jure naturali, & positivo, quamvis sint rescindendi. Secundo, est valida licentia obtenta per dolum, & mendacia versantia circa causam impulsivam: Verbi gratia, si petatur licentia nomine alicujus Magnatis, ut eo intuitu facilius concedatur. Ratio est, quia ex Theologorum, & Jurisperitorum axiomate, cessante tantum causa impulsivâ, non cessat dispositio. Addo cum Perez, esse etiam validam licentiam, si falso exponatur aliqua causa, quæ sit impulsiva simul, & motiva, qua scilicet cessante, nullatenus licentia concederetur, dummodo vere detur etiam aliqua alia causa motiva, propter quam absolute concedatur licentia. Ratio est, quia in tali casu haberetur sufficiens vera causa motiva, & finalis, propter quam licentia concedatur. Tertio, si falsa sit omnis causa finalis, seu motiva exposita, nulla est licentia. Ratio est, quia nihil est magis contrarium consensui concedentis licentiam, quam talis error, ex *leg. Si per errorem ff. de jurisdictione omnium Judicum*. Quarto, invalida est etiam licentia, quando concedens illam expresse dicit, se talem licentiam non dare, deficiente veritate causæ expositæ. Ratio est, quia expresse negatur consensus, deficiente veritate illius causæ, qualiscumque ea sit; & ideo rescripta Pontificum dolo obtenta sunt nulla; quia expresse dicunt; Veris expositis.

XI. Dubium est secundo; An valide assistat matrimonio Sacerdos post obtentam licentiam assistendi, sed antequam habeat notitiam talis licentiæ; verbi gratia, quia literæ expeditæ sunt, sed nondum pervenerunt?

Respondeo, quod invalide assisteret, ut communiter docent cum Sanch. lib. 3. disp. 36., Perez, & aliis contra Sylvest., & alios apud Suar. lib. 8. de legibus cap. 25. num. 10. Ratio est, quia universim concessio, vel privilegium concessum privatæ personæ nihil potest operari, antequam habeatur ejus notitia ab ipso privilegiario; quicquid in contrarium doceat Silvest. Et ratio a priori est, quia privilegium, & licentia sunt quædam donatio; Hæc autem non acquiritur ante acceptationem, nec acceptatur ante notitiam; ergo licentia, & privilegium ante notitiam, quod sint concessa, sunt invalida. Non nego, posse Principem Supremum aliquando concedere privilegium, quod vim suam habeat, antequam ad notitiam privilegiarii perveniat; sed intentio concedentis regulariter non est talis; nec verba privilegiornm hoc indicant; nec expedit ita concedi, ut notat Suar. loc citat. Forte sola absolutio a censura potest operari suum effectum, antequam ad notitiam obsolventis facultas absolvendi perveniat; quia ad ejus validitatem non requiritur acceptatio, cum possit dari etiam invito. Notat hic Sanch. contra Perez, quod si licentia petatur a Parocho per Procuratorem, valida sit, si innotescat tantum Procuratori, & ab eo acceptetur.

Oppones; Quando per conjecturas constat hic & nunc esse concessam licentiam, videtur satis esse illa moralis præsumptio, & spes licentię concessę.

Respondeo tamen, hoc communiter a Doctoribus negari; tum quia sæpe istæ conjecturæ fallunt; tum etiam quia lex Tridentini de assistentia Parochi, & testium stat veluti in possessione obligationis; ergo non potest sua possessione spoliari, donec constet de privilegio, & de licentia concessa; atque adeo non sufficit illa præsumptio, & spes licentiæ obtentæ.

Hinc

Hinc est (ut communiter docent cum Sanch., & Con.) quod Sacerdos non debeat credere contrahentibus, si dicant, se habere licentiam a Parocho, ut possint coram illo contrahere, donec certa signa afferant, aut sint magnæ fidei personæ graves, & probæ. Ratio est, tum quia requiritur ad hoc certitudo moralis: tum etiam, quia universim in iis, quæ spectant ad externam gubernationem Ecclesiæ, non debet credi testantibus in propria causa, ex *cap. Sicut de Sententia excommunicationis*, ubi dicitur: Non esse credendum Excommunicato dicenti se esse absolutum.

XII. Dubium est tertio; An valide assistat matrimonio, aut ad id det licentiam Parochus intrusus, seu qui errore tantum communi, sed sine titulo colorato æstimatur Parochus?

Respondeo, communiter Doctores docere cum Sanch. lib. 3. disp. 22. num. 49., quod gesta cujuscumque habentis jurisdictionem, puta Parochi, Confessarii, Judicis, necnon cujuscumque habentis officium publicum, puta Tabellionis, &c. sint valida, si is habeat titulum, seu officium vere collatum a legitimo superiore, quamvis invalide ob aliquod impedimentum occultum; dummodo errore communi æstimetur, titulum, seu officium esse illi valide collatum: Quod si communis error sine tali titulo colorato, seu putativo intercedat, gesta ejus sint invalida. Unde sequitur, quod si Parochus intrusus, seu qui errore communi existimatur Parochus, sine tali titulo accepto a suo Superiore assistat matrimonio, aut det alteri licentiam assistendi, tale matrimonium esset invalidum.

Ratio autem, quare quando habetur titulus coloratus cum errore communi, gesta sint valida in utroque foro, est, quia in tali casu æquitas, & benignitas juris postulat, ut a Superiore suppleatur defectus ob bonum commune, & publicam utilitatem, conferendo ei quodammodo actualem jurisdictionem ad singulos actus; dummodo tamen materia sit subjecta potestati humanæ; Quod constat ex *leg. Barbarius Philippus ff. de Officio Prætoris*: ubi ob publicam utilitatem, approbantur gesta Barbarii, promoti a Populo Romano ad præturam invalide ob impedimentum occultum servitutis: Et additur ibi ratio; quia scilicet Populus Romanus poterat etiam servo illam potestatem conferre: Et idem statuitur in jure Canonico *cap. Infamis 3. quæst. 7.* Aliter magna perturbatio sequeretur in Republica. Additque Sanch., satis esse, quod probabiliter is habeat titulum coloratum, seu apparentem: Verbi gratia, satis est ad validitatem confessionis dari opinionem probabilem, quod Sacerdos habuerit facultatem absolvendi, vel dari opinionem probabilem ex auctoritate Doctorum, quod possit absolvere a reservatis. Ratio est, quia, cum licitum sit operari ex opinione probabili, si absolutiones datæ a tali confessario essent irritæ propter impedimentum occultum, eadem sequerentur incommoda in Republica.

Si vero solum adsit error communis, quod aliquis, verbi gratia, sit Parochus, vel Confessarius, vel Judex, & non adsit titulus coloratus, seu non adsit opinio, ne probabilis quidem, quod tale munus a legitimo Superiore ille acceperit, communius a Doctoribus reputantur gesta hujus invalida; nec oppositam sententiam existimat probabilem Sanch. loc. cit. Ratio est, quia tam in leg. laud. *Barbarius*, quam in cap. *Infamis* expresse dicitur, ideo gesta valere, quia præter errorem communem intercessit titulus coloratus, seu auctoritas legitimi Superioris, qui conferre poterat jurisdictionem, quæ propter impedimentum occultum deficiebat.

His tamen non obstantibus, Dian. part. 3. tract. 4. resol. 122., & part. 8. tract. 1. resol. 94. docet cum Pont., Molf., & Joan. Sanch. valere in utroque foro gesta Parochi, Judicis, Confessarii, Tabellionis, &c. etiamsi solus error communis sine titulo colorato intercedat. Unde docet, validum esse matrimonium, cui Parocho intrusus assistit, etiamsi a contrahentibus sciatur, non esse revera Parochum illum, qui communiter ab aliis Parochus existimatur. Ratio est, quia eadem inconvenientia sequerentur in Republica, si acta istorum essent invalida, sive titulus coloratus annectatur errori communi, sive non annectatur: ergo eadem dispositio legis debet esse utrobique: atque adeo ex æquitate, & benignitate juris asserendum, utrobique suppleri defectum, quia potestate humana suppleri potest. (*a*)

„ Quærit P. Concina T. 10. p. 215.: *sufficit error communis absque titulo colorato?* Sic autem respondet.

„ P. Sanchez lib. 3. disp. 21. num. 49. & 50. Licet benignissimus ne probabilem quidem vult opinionem adfirmantem. Sed P. Viva q. 4. art. 4. n. 12. fatetur quidem Patrem Sanchez ut improbabilem rejicere opinionem affirmativam: subdit tamen cum suo Diana, Molfesio, & Joanne Sanchez proscripto, aliisque præfatam opinionem esse probabilem. Eamque suadere nititur, asserendum, utrobique suppleri defectum, qui a potestate humana suppleri potest; hæc interpretatio arbitraria falsa & laxa est. Hæc ille. Enim vero, ut optime animadvertit P. Nocetius *cap. 102. Verit. Vind.* Pater Concina hic non imponit Vivæ eam opinione; nam revera illam putat probabilem ex Diana & aliis, sed imponit ineptissimam rationem qua P. Viva nusquam utitur. Igitur P. Vi-

„ va

„ va non conatur persuadere præfatam sententiam „ illo *Quia*, quod ipsi affingit P. Concina; ne„que in toto P. Viva reperitur textus ille ver„borum, quem sub ejus nomine P. Concina reci„tat: sed utitur alio argumento diversissimo & „satis solido, quod P. Concina non modo non „dissolvit, sed omnino occultat. Et verba quæ P. „Concina fingit esse argumentum P. Vivæ, in P. „Viva sunt mera conclusio probata. En Vivæ ver„ba post relatam opinionem Thomæ Sanchez.

„ His tamen non obstantibus Diana part. 3. tract. „ 4. resolut. 23. & part. 78. Tract. 1. resolut. 94. „ docet cum Pontio, Molfesio, & Joanne Sanchez „ valere in utroque foro gesta Parochi, Judicis, Con„fessarii, Tabellionis &c. etiamsi solus error commu„nis sine titulo colorato intercedat. Unde docet „ validum esse matrimonium, cui Parochus intru„sus assistit, etiamsi a contrahentibus sciatur non esse „ vere Parochum illum qui communiter ab aliis „ Parochus existimatur. Ratio est (non illud *quia* „ calumniose affictum a P. Concina) quia eadem „ inconvenientia sequerentur in Republica, si acta „ istorum essent invalida, sive titulus coloratus an„nectatur errori communi, sive non annectatur. „ Ergo (en Conclusio probata, quam P. Concina „ retulit ut rationem probantem) eadem dispositio „ legis debet esse utrobique; atque adeo „ (verbis sequentibus P. Concina præfixit illud *quia*, „ & verborum textum efformavit, qui in Viva non „ est) ex æquitate & benignitate juris afferen„dum utrobique suppleri defectum, qui a potestate „ humana suppleri potest.

„ Num sincere relata sit opinio Patris Vivæ, Le„ctores videant. Ego ad quædam alia pergam.

„ Ad illud scomma *cum suo Diana*: neminem pu„dere debet Dianam esse suum; & sane ego ma„lim esse meum Dianam, quam esse meum Mon„taltium, quam esse meum Henricum a S. Ignatio, „ quam esse meum in Theologia morali Nata„lem ab Alexandro, quam esse meum auctorem „ Theologiæ moralis Jesuitarum & similes.

„ Ad illud; *& Joanne Sanchez proscripto*. Etiam P. „ Conc. sæpe numero citat pro suis opinionibus Henri„cum a S. Ignat. proscriptum, aliosq; scriptores proscri„ptos; & quod plus est; non raro illos exornat præ„clarissima appellatione graviorum Theologorum.

„ Ad illud *cum suo Diana*, *Molfesio*, *Joanne San„chez proscripto*, *aliisque*. P. Viva nominaverat etiam „ Pontium. Pontius de matrimonio auctor est gra„vissimus & celeberrimus. Non parum profuisset „ Patri Vivæ apud Lectores, si vidissent ad afferendam „ præfatæ opinioni probabilitatem, motum illum fuis„se etiam ab auctoritate Pontii. Cur Pontium a P. „ Viva citatum P. Concina occultandum esse putavit, „ & hanc utilitatem Patri Vivæ apud Lectores invidit?

„ Ad illud *hæc interpretatio arbitraria*, *falsa & laxa „ est*. Docebo quinam sint authores ejus interpreta„tionis, atque opinionis, & nullum Jesuitam citabo.

„ Pontius lib. 5. De matrimonio Cap. 20. post re„latam oppositam sententiam Thomæ Sanchez ita „ pergit num. 2. Cæterum mihi probabilius vide„tur; (Probabilista Sanchez vult neque esse pro„babile) etiam ejus, qui caret titulo, est tamen pu„tativus & intrusus, valere gesta per eum. Aucto„res, qui nobiscum sentiunt referam statim; pla„cet enim hanc sententiam per partes explicare, „ ex quibus sufficienter probata relinquetur.

„ Diana part. 3. tract. 4. resol. 122. hanc sententiam „ ego etiam libenter teneo, quia puto quod ex „ errore communi confertur jurisdictio etiam sine „ titulo colorato collato a legitimo possessore. „ Et hoc solide probant Pontius de matrim. Lib. 5. „ cap. 20. num. 2. Sancius in select. disp. 44. num. 3. „ & ego ipse alibi.

„ Bordonus Tom. 2. resol. 36. quæst. 14. num. „ 50. Molfesius, Pontius, Diana ajunt sufficere er„rorem communem sine titulo, & bene; quia „ jurisdictio quæ ab Ecclesia suppletur, non funda„tur in l. Barbarius, sed in provida pietate Ec„clesiæ, quę saluti fidelium intendit subvenire.

„ Franciscus Sylvius part. 1. resolut. variar. V. „ matrimonium 11. Dices. Ad hoc ut gesta per Sa„cerdotem qui ex communi æstimatione & errore est „ parochus putativus, valeant, ipse debet habere ti„tulum: eum vero non habet Sacerdos, qui, ut est „ dictum, assumitur a Colonello vel Capitaneo mi„litum. Respondeo secundo quod Basilius Pontius „ lib. 5. Cap. 20. tamquam probabilius sustinet non „ requiri titulum, modo adsit error communis.

„ Pignatellus Tom. 6. Consult. 3. proponit hoc „ sextum dubium. Dato, quod non coloratus titulus „ extiterit, an matrimonia coram eo contracta sint nul„la? „ Cui sic respondet n. 14. „ Ad sextum respondeo „ quoque negative ex regula illa Universali: quo„tiescumque causa publica bonumque publicum a„gitur, si tamen materia subjecta est potestati „ Principis, valent ex æquitate in utroque foro, „ quæ gesta sunt communi errore per Parochum „ putativum, sive habeat titulum a legitimo supe„riore, sive non habeat. Est Pontii, & aliorum „ qui advertunt id verum esse, etiamsi contrahen„tes sciant illum carere vero titulo.

„ Et demum, ne Lectores fatigem, eamdem opi„nionem tenent Molfesius, Joannes Sancius, Del „ Bene, Leander, aliique, quos citat Diana part. „ 8. tract. 1. resol. 94.

„ Quibus positis. Primum aliqua certe venia di„gnus mihi videtur P. Viva, si propter auctorita„tem, & rationes tot Auctorum opinionem il„lam probabilem appellavit. Deinde cum tam mul„ti ipsum præcesserint, & novissimus omnium il„lius opinionis probabilitati ipse subscripserit, „ quæro cur solus Viva a P. Concina hic in invi„diam adducitur? Cur de ipso solo ita in Indice „ scribitur: *falsa docet ad assistendum valide ma„trimonio sufficere errorem communem sine titu„lo colorato*? Cum idem ante ipsum docuerint Pon„tius, Diana, Bordonus, Franciscus Sylvius, Pi„gnatellus, Molfesius, Sancius, Del-Bene, Leander „ atque alii? Commendo iterum P. Concinæ atque „ Indicum Fabricatoribus Wendrochianam excusa„tionem. Neque enim aliam afferre possunt cur „ tam multis antiquioribus prætermissis solum Vi„vam exagitandum susceperint, & Lectorum oculis „ objectarint.

„ Præterea: Siquidem P. Concina eam interpre„tationem arbitrariam appellat, idest sine ratio„ne, quo pacto solvit rationem Patris Vivæ peti„tam ex eo, quod eadem inconvenientia in repu„blica sequerentur, nisi illorum acta valerent, sive „ adjungatur errori communi, sive non adjungatur „ titulus coloratus? Hanc rationem non modo non „ dissolvit, sed de illa ne verbum quidem.

„ Demum quo robusto argumento opinionem il„lam refellit, ejusque Laxitatem ostendit? *Hæc in„terpretatio*, inquit, *arbitraria*, *falsa*, *& laxa est*.

„ Nec

„ Nec præterea quidquam addit. Quamobrem tota „ vis impugnationis, ad illa duo antiqua verba re- „ digitur, Ipse dixit. Quæ quidem ratio impugnan- „ di sententias apud P. Concinam frequentissima „ est, ut per se animadvertere propriisque oculis Le- „ ctores videre poterunt. Nequis vero suspicetur me „ hic pugnare pro Domo: norint omnes præfatam „ opinionem a Laudatis Theologis propugnatam re- „ jici communissime ab Auctoribus Societatis.

„ Postremo animadverto, relatam opinionem ab „ aliquibus Probabilistis admitti; a Thoma San- „ chez aliisque Probabilistis refelli. Adeo verum „ est quod sæpe diximus Probabilismum nullam co- „ gnationem habere, nulloque nexu contineri cum „ sententiis directis seu laxæ, sint, seu non laxæ.

XIII. Dubium est quarto; An testes, coram quibus celebratur matrimonium, debeant esse omni exceptione majores?

Respondeo cum communi negative: etenim Tridentinum nullas qualitates in testibus requirit; aliter possent multa matrimonia revocari in dubium, præsertim in Pagis, ubi plerumque ignoratur, quinam sint testes omni exceptione majores. Proinde possunt esse testes in casu nostro etiam Fœminæ, Parentes, Infames, excommunicati, Infideles, Inviti, ac Repugnantes; dummodo habeant usum rationis, & percipiant quid agitur, ita ut possint illud postea testari. Suppleret enim defectum testium auctoritas Parochi.

XIV. Rogabis hic; Si revalidandum sit matrimonium privatim sine Parocho, & testibus, propter impedimentum occultum, quod probari non possit per duos testes omni exceptione majores, justa dicta numer. 7., quinam consensus requiritur? Et num debeat utrique conjugi cognitum esse impedimentum dirimens, & invaliditas matrimonii contracti, ut possit revalidari?

Respondeo, in tali casu curandum esse, ut uterque conjux ponat consensum absolutum, cum non sufficiat conditionatus. Unde non sufficit, quod alter dicat; Si non nupsissem tecum, ita te diligo, ut tecum nuberem; sed uterque dicere debet; Volo tecum nubere, etiamsi hactenus non nupsissem, aut forte invalide nupsissem, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 35. Quando autem periculum est, quod conjux ignarus impedimenti, ac nullitatis matrimonii nollet illud convalidare, ex quo scandalum oriretur, præsertim si adesset proles, non est necesse, ut illi impedimentum, & nullitas matrimonii detegatur. Neque obstat, quod consensus, qui de novo poneretur, procederet ex errore, & ignorantia illius nullitatis, & quod nollet ille contrahere iterum, si notitiam haberet talis nullitatis. Nam hic error non esset circa substantiam Matrimonii, seu circa personam, sed circa qualitates, cum sit solum error juris, quatenus ille putat, se matrimonio ligatum, cum non sit; Consensus autem procedens ex errore circa qualitates sufficit ad valorem matrimonii. Sic qui contrahit cum Berta, quam credit ditissimam, cum sit pauperrima, valide contrahit, quamvis non contraxisset, si nota fuisset talis paupertas.

Quando tamen nec infamia, nec scandalum, aut quid simile sequeretur, si detegeretur utrique conjugi nullitas præteriti matrimonii; utique detegenda esset, ut docent communius apud eundem Sanch. lib. 2. disp. 36.

„ Claudenda est hæc de clandestinitate tractatio „ saluberrima Benedicti XIV. Constitutione circa „ matrimonia, quæ *conscientiæ* vocant. Reddo il- „ lam.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ SAtis Vobis compertum esse non dubitamus, „ *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piæ „ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramen- „ tum Matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncu- „ patum, publice, & palam a Fidelibus celebre- „ tur. Quod quidem ut diligentius, quam antea „ factum fuerat, imposterum ab omnibus observa- „ retur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranen- „ sis Concilii sub Innocentio III. celebrati vesti- „ giis inhærendo, præcepit, ut imposterum, ante- „ quam Matrimonium contrahatur, ter a proprio „ Contrahentium Parocho tribus continuis diebus „ festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia pu- „ blice denuncietur; deindeque, nullo legitimo „ concurrente impedimento, ad illius celebratio- „ nem in facie Ecclesiæ coram Parocho, vel alio „ Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licen- „ tia, & duobus, vel tribus Testibus præsentibus „ rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Sy- „ nodus, apud Parochum diligenter Librum custo- „ diri, in quo Conjugum, & Testium nomina, „ diesque, & locus Matrimonii describantur.

„ Providæ tamen hujusmodi leges, tanta autho- „ ritate saluberrime institutæ, prava horum tem- „ porum conditione sensim prolabi visæ sunt, & „ enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu „ nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, „ ut illorum notitia quantum fieri potest, oblite- „ retur, & in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat „ consepulta. In more etenim positum est, illa „ celebrari nullis prævii factis Denunciationibus, „ coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus „ licentia, adhibita præsentia tantum duorum Te- „ stium apposite a Contrahentibus advocatorum, „ quorum fides nemini illorum est suspecta; rem- „ que peragi sæpe extra Ecclesiam, quandoque „ etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo „ temporis momento, quo semota alterius cujusvis „ præsentia, scientia initi Matrimonii, præter Pa- „ rochi Contrahentium, Testiumque personas alios „ penitus effugiat.

„ Quantum a Sacramenti dignitate, & ab Ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc Matrimonia, *Conscientiæ* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia, ortum habent peccata, præsertim vero eorum, qui Divini judicii interminatione posthabita, priore Uxore cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri Matrimonii decepta, & in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promitttunt. Quorumdam vero mentem ita prave cupiditates excæcant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant post alterum secretum itidem contractum, & nondum prioris Conjugis morte solutum sefeque magno scelere polygamus reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum; post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem summovendam, Virum seorsim a Muliere vivere contingat sublata est illico individua vitæ consuetudo, & contemptum est verbum Domini: *Adhærebit Homo Uxori suæ, & erunt duo in carne una*: Sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, & utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, & ab omnibus ignoratur.

„ Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ proli irrogantur. Sæpe enim contigit, illam a Parentibus, & a Matre præsertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui; sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui; nisi etiam Parentes ipsi contra naturæ leges, ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreaat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet Liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda Avitarum facultatum, & Bonorum jactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta Parentum Matrimonia, & ademptam legitimitatis, & Filiationis probationem. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta a Filiisfamilias contra Patris juste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? adeo invaluit malitia, ut quandoque in Minoribus Ordinibus constituti Pensiones, & Beneficia, ad Divinum Cultum, & Ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibique de mamona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

„ Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ Sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantiæ curas, temperare non possumus, quin Vos ipsos, Ven. Fratres, in partem nostræ sollicitudinis avocantes, vestram pietatem, & zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super Grege Vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Epscopos versari, non obscura Vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si precesserint Denunciationes; tunc vel una tantum Denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus Testibus præsentibus Matrimonium celebretur, & deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Episcopo relictum sit omnimode super Denunciationibus dispensare, hæc tamen facultas, non a sola Dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

„ Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne post remissas Denunciationes celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel a Vobis deputato, præsentibus duobus, vel tribus Testibus, confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim ut ad præscriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvie quævis, & vulgaris causa, sed gravis, urgens, & urgentissima requiritur. A Sacro Nostræ Pœnitentiariæ Tribunali, eo potissimum casu sit potestas ita celebrandi Matrimonium, quo Vir, & Fœmina in figura Matrimonii publice degentes, & de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen Concubinatu perseverent: Facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum Matrimonium præviis Denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia Dispensatio præmisso casui solum congruat, cum alii similes & fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia Vestri pastoralis Officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima & urgenti causa Dispensationis, ne Matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus.

„ Hunc porro in scopum Vos hortamur, & impense admonemus, ut Personarum Matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquisitio: An scilicet ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant; An sint sui, vel alieni juris; An Filiifamilias, quorum nuptiæ Patri juste dissentienti sint invisæ; ab Epscopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi Filio inobedientiæ occasionem: An res sit de Personis Ecclesiasticis, licet in Minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, & Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu Uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet Vestra sollicitudo, ante-

„ quam

„ quam secreti Matrimonii licentia concedatur, „ quod Contrahentes clara, & indubia, & a qua- „ vis fraude immunia exhibeant documenta status „ liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sunt „ ingenii, polygamiæ periculum.

„ Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimo- „ nii, volumus ad id munus deputari Parochum „ alterius ex Contrahentibus, quem notitia Per- „ sonarum, experientia, & diuturnus rerum usus „ quovis Sacerdote extraneo peritiorem effecisse „ præsumuntur. Si quæ tamen Vobis occurrant „ circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Pa- „ rochi exposcere videantur; gravi impellente cau- „ sa is Sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, „ & doctrina, & obeundi muneris peritia commen- „ detur. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Mini- „ stro a Vobis deputando districte præcipiatur, ne „ Matrimonio intersit, nisi prius paterna charita- „ te Conjuges in Domino monuerit, Sobolem pro- „ creandam regenerari quamprimum oportere Sa- „ cro Baptismatis lavacro; ac Christo Judici di- „ strictam reddituros esse rationem, nisi Filios ut „ legitimos agnoverint, eosque pietate bonisque „ moribus imbuerint, & frui patientur Bonis tem- „ poralibus, a Majoribus in supremis tabulis reli- „ ctis, vel provida legum auctoritate delatis.

„ Celebrato autem Matrimonio indilate a Pa- „ rocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum „ est, exhibeatur Episcopo illius scriptum docu- „ mentum, cum nota loci, & temporis, Testium- „ que, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit „ postea diligenter incumbere, quod ad perennem „ gestæ rei memoriam præfatum documentum fi- „ deliter transcribatur in Libro prorsus distincto ab „ altero, in quo Matrimonia publice contracta de „ more adnotantur. Hujusmodi Liber pro Matri- „ moniis secretis apposite compactus, clausus, & „ Sigilli obsignatus, in vestra Episcopali Cancel- „ laria caute erit custodiendus: Et eo tantum ca- „ su resignari, & aperiri vestra accedente licen- „ tia patiemini, quo alia id genus Matrimonia de- „ scribi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ ad- „ ministrandæ necessitas, vel demum aliquod do- „ cumentum ab eo exposcant verum interesse ha- „ bentes, quibus probationum aliunde petendarum „ non suppetit copia: Sedulo tamen animadver- „ tentes, quod, re absoluta, denuo claudatur, & „ Sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu Atte- „ stationes clam celebrati Matrimonii a Parocho, „ vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit exaran- „ dæ, Vobisque exhibendæ, transcribantur in di- „ cto Libro, prout jacent de verbo ad verbum a „ Persona a Vobis deputanda quæ apud omnes in- „ tegritatis, probatique nominis luculentum ha- „ beat testimonium. Fides vero, & Attestationes „ ipsæ in secretiori loco sartæ, tectæque a vobis „ serventur.

„ Quod si ex occulto hujusmodi Matrimonio „ Prolem nasci contingat, eadem mundetur salu- „ tari Aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis In- „ fantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. „ Et quia ad operiendum clam initum Matrimo- „ nium, facile est in Libro Baptizatorum nullam „ fieri mentionem Parentum, & eorum Nomina „ consulto reticeri: Volumus, ac expresse manda- „ mus, quod a Patre Baptizati, eoque defuncto, „ ab illius Matre suscepta Proles vobis denuncie- „ tur; dictaque Denunciatio fiat vel immediate „ per Parentes ipsos, vel per litteras eorum cha- „ ractere exaratas, vel per fide dignam Personam „ ad ipsis Parentibus designatam, ut certo, & cla- „ re vobis constet, quod Proles tali loco; & tem- „ pore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus „ Parentum baptizata, est legitima, licet occulti „ Matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia „ cum vobis innotuerint, ne illorum excidat me- „ moria, in Libro fideliter describentur ab eo, „ cui facta a vobis est potestas adnotandi Matri- „ monia occulte celebrata. Liber, in quem Ba- „ ptizatorum, ac utriusque Parentis nomina refe- „ rentur, quamvis distingui debeat ad altero Ma- „ trimoniorum; Eadem tamen diligentia, iisdem- „ que cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, „ & sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout „ Librum Matrimoniorum caute custodiri supra man- „ davimus.

„ Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui „ propriæ conscientiæ vocibus obsurdescant, & no- „ stris hisce mandatis parere negligant; debita pœ- „ narum districtione pro modo culpæ a Vobis pu- „ niantur. Quinimmo cum satis Nobis experientia „ compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, „ in terram oculos declinantes, ob humanos re- „ spectus tardiores effici, & a recte agendi semita „ revocari: Mandamus idcirco, Matrimonia oc- „ culta a Vobis evulgari, & nota fieri, si certo „ Vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto „ procreatam fuisse Sobolem, & Baptizatam, sup- „ pressis Parentum nominibus, nulla præstita Vobis „ notitia, ut par erat, ab illius Parentibus intra „ triginta dies a Nativitate numerandos.

„ Ne autem Contumaces, & Inobedientes viola- „ tæ fidei, proditique Secreti Pastores suos insi- „ mulent, sedulo a Vobis curandum est, ut a Pa- „ rocho vel alio Sacerdote pro secreta celebratio- „ ne Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges „ clare, & aperte moneantur, ea lege, & pacto „ illis permitti Secreti Matrimonii celebrationem, „ ut Soboles inde procreanda non solum regenere- „ tur Sacro Baptismate, sed post Baptisma denun- „ cietur Episcopo cum nota loci, & temporis ad- „ ministrati Sacramenti, ac sincera indicatione Pa- „ rentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum „ supra præmissum est: Alioquin Matrimonium li- „ cet contractum data per Episcopum Secreti fide, „ in lucem proferetur in gratiam Filiorum, & ad „ propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto „ ferendam jacturam. Volumus denique, ac man- „ damus, Fides, seu Attestationes Matrimonii clam „ initi, & Sobolis ex eo procreatæ, excerptas ex „ dictis Libris, modo quo dictum est apud Vos „ caute custodiendis tantam promereri fidem, quan- „ tam sibi alii Libri Parochiales Baptismatis, & „ Matrimonii vindicare consueverunt.

„ Hæc a Vobis, Ven. Fratres, in hac tempo- „ rum calamitate observari enixe præcipimus ad „ communem Animarum salutem, & ad præsi- „ dium Ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescen- „ tem hominum malitiam nova semper detrimen- „ ta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum no- „ stris hisce literis sublata nolumus, ea validiora „ remedia, quæ huic malo, in diem ingruenti, „ consona dignoscet prudentia vestra, ad pastorale „ officium cumulate obeundum. Vobis interea pa-

„ ternæ charitatis, & benevolentię testem, Aposto-
„ licam Benedictionem impertimur.

„ Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem
„ die 17. Novembris 1741. Pontificatus Nostri An-
„ no Secundo.

ARTICULUS V.

De consensu clandestino secundum quid.

I. Peccat graviter qui sine Episcopi dispensatione, omissis denunciationibus, contrahit matrimonium. Sed hoc non est invalidum.

II. Quas ob causas omitti possunt denunciationes?

III. Impedimentum occultum revelandum est, quamvis probari non possit.

IV. Contrahentes, qui aliquo impedimento occulto laborant, vel tenentur desistere a matrimonio, vel illud, etiam cum propria infamia, revelare, si alter desistere nolit.

V. Si habens impedimentum occultum sine magno scandalo desistere non possit, quid faciat?

VI. Omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii, num sit mortale, aut saltem veniale?

I. NOtavimus articulo super dici consensum secundum quid clandestinum, quando habetur contractus matrimonialis absque præviis proclamationibus.

Quæritur nunc primo: An sit invalidum matrimonium, si denunciationes omittantur, seu si sit clandestinum secundum quid?

Respondeo negative. Ex Tridentino enim solus defectus Parochi, & testium reddunt matrimonium invalidum. Quare dum Concilium jubet, ut Parochus assistat matrimonio, præmissis proclamationibus, præcipit ea, quæ ad licite, non ad valide agendum requiruntur; Sicuti quando præcipitur, ut excommunicatio feratur in scriptis, & præmissa trina monitione. Hæc enim spectant ad accidentalem, non ad substantialem formam actus.

Oppones Regulam 64. juris in 6. ubi habetur, quod quæ contra jus fiunt, debeant utique pro infectis haberi; atqui matrimonium, non præmissis proclamationibus, est contra jus: ergo habendum pro infecto, & irrito.

Respondeo, regulam illam intelligi, ut factum contra legem habeatur pro non facto, quando lex statuit formam substantialem actus, non vero quando formam accidentariam; & quando solum præscribit modum ut recte fiat. Adde, esse speciale in favorem matrimonii, quod ex simplici prohibitione, absque clausula irritante, illud non irritetur, ex decisione Rotæ apud Perez disp. 43. sect. 2.

Hinc sequitur, denunciationes in utraque contrahentis Parochia omitti non posse sine peccato mortali; cum res ista sit gravis, ut communiter docent contra Sot., qui putat per se loquendo esse tantum veniale. Potest tamen in hac lege aliquando, ut supra diximus, dispensare Ordinarius, videlicet Episcopus, immo etiam Vicarius Generalis. Quamvis enim verum sit, quod refert Rebell., Papam dixisse, quoad hoc nomine Ordinarii intelligi Episcopum, non idcirco excludendus est Vicarius Generalis; quia pro eadem persona cum Episcopo habetur, & unum cum illo tribunal conflat. Sicuti nec excluditur ille, qui, quamvis non sit Episcopus, jurisdictionem tamen habet Episcopalem annexam suæ dignitati.

Neque dicas: Episcopus potest denegare Vicario potestatem dispensandi in proclamationibus, ut fatetur Sanch. lib. 3. disp. 7. ergo non est concessa Vicario Generali talis potestas a Trident., cum inferior nihil possit contra legem Superioris; sicuti neque potest Episcopus tollere a Parocho potestatem assistendi matrimonio, aut dandi alteri Sacerdoti licentiam assistendi; cum hanc potestatem habeat Parochus a Trident.

Nam respondeo, quod sicut potest Episcopus totum officium Vicarii, non vero Parochi revocare, ita potest partem hanc officii Vicarii revocare, unde potest sibi uni potestatem hanc reservare.

II. Rogabis: Quænam sint causæ, ob quas possit Episcopus in proclamationibus dispensare?

Respondeo cum communi apud Con., & Perez, eas esse; Primo, si alias timeatur matrimonium malitiose impediendum; Secundo si ex proclamationibus oriatur scandalum; Verbi gratia, si sponsi vivant in concubinatu, & jam publice putentur esse conjuges; Tertio, quando vir est in articulo mortis, & vult ducere suam concubinam, vel ad legitimandam prolem, vel ad salutem animæ suæ; Quarto, quando nimio pudore suffunderentur Sponsi ex denunciationibus; ut si ambo sint senes, vel si senex juvenculam, aut nobilis ignobilem, vel dives pauperem ducat; Talis enim verecundia, quæ ex publicatione matrimonii oriretur, videtur sufficiens causa, ut dispensetur in denunciationibus, ut docet Sanch. lib. 3. disp. 9. cum aliis; Quinto, si instet tempus Quadragesimæ, aut Adventus, unde non possint omnes denunciationes præmitti; Sexto, si Magnates velint repente, & occulte contrahere; cessat

enim

enim in hoc casu finis denunciationum; cum enim Magnates sint valde noti, facile sciretur impedimentum, si quod esset. Ex quo infert Perez, quod universim possit in denunciationibus dispensari, quando abest timor alicujus impedimenti, ob quamcumque notabilem commoditatem contrahentium sive spiritualem, sive temporalem.

Si tamen Episcopus, existente justa, & urgente causa, nolit dispensare, sicut tenetur, poterunt tunc conjuges contrahere, non præmissis denunciationibus. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum præmittendi denunciationes non obligat cum gravi incommodo, quale esset, si duo illi Sponsi deberent semper remanere cœlibes, aut si deberent exponere se periculo fornicationis: Immo possent etiam contrahere, non premissis denunciationibus, quando consuli non potest Ordinarius, & probabiliter judicatur, quod propter necessitatem urgentem non sit obligatio illas præmittendi. Ratio est, quia gravissimum onus imponeretur hominibus, si nunquam liceret uti Epicheja ex judicio probabili, quando non patet aditus ad Superiorem.

Notandum tamen, quod quando ex legitima causa non præmittuntur proclamationes, debent postea fieri ante consummationem matrimonii ex Trident. (nisi tamen aperte constet, nullum esse impedimenti periculum,) ne contingat copulam esse fornicariam.

Circa tempus, & locum proclamationum, Concilium vult faciendas a Parocho tribus diebus continuis festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia. Verum Bonac. attendens ad finem Concilii putat, posse fieri extra Ecclesiam, ubi magna multitudo convenit, etiamsi die non festivo, vel inter concionandum ab ipso concionatore de licentia Parochi.

III. Quæritur secundo; An sit obligatio revelandi impedimenta matrimonii occulta, quæ probari non possunt?

Respondeo cum communi contra Pont. lib. 5. cap 34. affirmative; dummodo absque gravi incommodo, & absque aliorum scandalo revelari possint; præmissa tamen correctione fraterna, si ex ea fructus speretur. Ratio est, quia in hoc casu non agitur de peccato probando, aut de pœna infligenda, sed de peccato vitando; (quod scilicet sequeretur, si invalide cum impedimento dirimente Sponsi contraherent). Unde ad peccatum hoc vitandum, satis est testimonium unius, vel sola fama de impedimento, ex *cap. super eo, De testibus*, ut diximus quæst. 2. art. 7. de Sponsalibus: ergo quilibet tenetur manifestare impedimentum, etiamsi ex delicto occulto ortum, etiamsi illud sub secreto acceperit (dummodo acceperit a personis fide dignis,) & etiamsi juraverit, se non manifestaturum: Juramentum enim non est vinculum iniquitatis; unde non potest obligare ad non obediendum præcepto Superioris, quod est directum ad vitandum peccatum proximi: Neque obligat secretum, ut docet Perez disp. 43. sect. 6. Con. numer. 16., & alii apud Mendo in Epitome V. *Secretum*. Et ratio est, quia prævalet secreto reverentia Sacramento debita, & bonum salutis contrahentium. Neque demum obligat fama, quia si præmissa correctione fraterna, nolunt Sponsi a matrimonio desistere, sibi imputent, quod in iis angustiis versentur, ut debeant infamari. Probabile tamen est, ut docet Perez loc. cit., quod si contrahentes sint in bona fide, & impedimentum sit occultum, ita ut probari nunquam possit, non sit obligatio illud manifestandi, si id commode fieri non possit; tum quia in tali casu nullum daretur peccatum, quod deberet vitari, nisi tantum materiale; tum etiam, quia, si impedimentum esset affinitatis, non potest probari unico teste, *ex cap. Licet De Testibus*.

IV. Adde, ex vi denunciationis teneri ipsos contrahentes vel desistere a nuptiis, vel fateri impedimentum quantumcumque occultum, & cum propria infamia conjunctum, ut notat Con., & Perez ex Sanc. lib. 3. disp. 14. Ratio est, quia quamvis nemo, etiamsi interrogatus sub juramento, teneatur fateri crimen suum, quando proceditur ad punitionem, nisi præcedat semiplena probatio; cum nemo possit esse primus testis contra seipsum; Nihilominus, quando Judex procedit, non ad punitionem, sed ad cognitionem impedimenti ad matrimonium, vel ad Ordines suscipiendos, quia solum procedit ad vitandum peccatum, debent ipsi etiam Rei, etiam cum propria infamia illud manifestare, nisi velint infamiam vitare, cessando a matrimonio, vel a susceptione Ordinis. Cum hoc tamen simul verum est, ut docet Pont. apud Perez, quod si Sacerdos aliquis, verbi gratia, ex diversis fœminis susceperit masculum, & fœminam, qui bona fide velint contrahere matrimonium, non teneatur cum propria infamia manifestare impedimentum consanguinitatis; quia cum contrahant bona fide, ex occultatione impedimenti nullum sequeretur peccatum, nisi materiale: Secus accidit, si contrahant mala fide, & præmissa correctione nolint a nuptiis desistere.

Dices: Si duo Sponsi petant publice suscipere Sacramentum matrimonii, non possunt publice repelli a Parocho, qui privatim scit, illos in mortali contracturos: ergo neque possunt repelli ob impedimentum occultum; atque adeo impedimentum occultum non est manifestandum. Antecedens patet; Nam Christus Dominus dedit Eucharistiam Judæ, quem sciebat indigne illam susci-

suscipere, & maluit projicere margaritam ante porcum, quam illius famam denigrare; ergo universim non debet detegi crimen occultum ad vitandam susceptionem indignam Sacramenti.

Respondeo, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu agitur de vitando uno tantum peccato indignæ susceptionis Sacramenti: in secundo casu agitur de vitandis innumeris peccatis fornicationis, quæ sequerentur, si cum illo impedimento occulto dirimente contraheretur matrimonium. Adde, desudare Doctores apud Con. quæst. 80. de Sacram. art. 6. in indaganda veritate antecedentis; Communiter tamen docent, id verum esse, quia ea lege instituit Christus Dominus Sacramenta, ut non debeant ab iis repelli peccatores occulti; tum quia aliter sequeretur magna perturbatio, & multi injuste diffamarentur ob imprudentiam, & scrupulum Ministrorum; tum etiam, quia si manifestentur peccatores occulti, ne indigne suscipiant Sacramentum, vitatur quidem indigna susceptio Sacramenti, seu peccatum externum, sed non vitatur peccatum internum eorum, qui etiam statuerunt in corde suo Sacramentum in mortali suscipere: At in secundo casu vitantur innumera peccata fornicationis, & perseverantia contrahentium in statu peccati mortalis; unde nihil mirum, si famæ etiam propriæ prævalere debeat bonum hoc spirituale proximi.

Ubi etiam notandum, quod si quis velit, exempli gratia, Eucharistiam suscipere, ut ea in maleficiis abutatur, non debeat illi ministrari, si occulte tantum, sed non ex confessione Sacramentali peccatum hoc a ministro cognoscatur: quia in tali casu famæ proximi prævalere debet externa reverentia Christo debita; Unde non debet Sacerdos tali peccato cooperari ministrando illi Eucharistiam, ne occultum hunc peccatorem infamet, juxta doctrinam communem Doctorum.

V. Quæritur tertio; Quid faciendum, si contrahentes agnoscentes impedimentum, non possent sine magno scandalo a matrimonio desistere?

Respondeo ex Pont., & aliis apud Perez, posse Sponsos matrimonium contrahere sub conditione, si Papa dispenset; Probabile enim est, matrimonium sub conditione contractum non esse deinde repetendum, purificata conditione; & interim possunt in eadem domo habitare; Et quamvis exponant se periculo fornicationis, excusantur tamen ex occurrentia ingentis scandali; unde possunt, & debent alia via periculo fornicationis occurrere, videlicet orationibus, & pœnitentiis.

Verum præstat, quod vir faciat votum castitatis ad tempus, videlicet donec veniat dispensatio ab illo impedimento; & deinde publicet se habere votum castitatis: (præscindendo, an illud fuerit ad tempus, an vero perpetuum, ne petatur ab Episcopo dispensatio) unde debeat a Pontifice dispensationem expectare, & interim velle tantum, sicut potest, contrahere sub conditione, quod Papa dispenset; sic enim nec teneretur, nec posset cohabitare.

VI. Quæritur ultimo; Sitne mortale omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii?

Respondeo cum communi contra nonnullos apud Sanch. lib. 7. disp. 82., & lib. 3. disp. 12., neque esse peccatum mortale consummare matrimonium ante talem benedictionem, neque esse peccatum mortale illam simpliciter omittere, nisi ex contemptu, aut scandalo omittatur. Ratio est, quia non videtur esse res gravis, nec valde congruens progressui matrimonii; Etenim benedictio nuptialis non est Sacramentum, sed quoddam sacramentale, nec tanti momenti, quanti Saramentalia, quæ Baptismo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa veniali, illam simpliciter omittere sine ulla causa contra usum, & consuetudinem Ecclesiæ; nihilominus probabile est, nullam esse culpam ex justa causa, videlicet ratione temporis feriati in Adventu, aut Quadragesima, consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ: cum videatur esse consilium, non præceptum, illam præmittere. Dicit enim Trident. sess. 24. *Hortatur Sancta Synodus, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent*; quod verbum *Hortatur*, videtur significare consilium, ut notat Sanch. Notandum præterea, secundas nuptias non esse iterum benedicendas, quia solemnes Ecclesiæ benedictiones non debent bis iisdem rebus conferri ex *cap. Vir* 3. *De secundis nuptiis*, etiamsi alter tantum conjugum secundo nubat; Quamvis multis in locis ex consuetudine soleant benedici secundæ nuptiæ, quando alter primo nubit, & alter est viduus, ut Sanch. lib. 7. disput. 82.

ARTICULUS VI.

De Consensu conditionato.

I. *In quo differant conditio, demonstratio, causa, dies, & modus, quæ contractui matrimoniali sæpe adjunguntur? Et quotuplex soleat esse conditio?*

II. *Nec demonstratio, nec causa adjecta contractui suspendunt, aut vitiant contractum, sed solus error aut circa ejus substantiam, aut circa qualitates substantiales.*

III. *Modus adjectus contractui probabiliter illum non vitiat, quamvis sit rei impossibilis, aut turpis. Dies vero, non secus ac conditio, illum suspendit; non tamen conditio necessaria.*

IV. Con-

IV. Contractus sub conditione contingenti, illa purificata, non requirit novum consensum.

V. Non vitiat matrimonialem contractum conditio impossibilis, aut turpis: (nisi sit contra tria illa bona, Prolis, Fidei, & Sacramenti) Alios vero contractus vitiat.

VI. Conditio ista, Si Papa dispenset, dicitur impossibilis solum in casu, quo nunquam Papa dispensare soleat. Et conditio, si alter voveat castitatem, aut Religionem ingrediatur, non dicitur esse contra substantiam matrimonii.

VII. Ista conditio, Si Pater consenserit, quomodo intelligenda?

VIII. Conditio indifferens, ac impertinens contractum suspendit.

IX. Conditiones turpes contra substantiam matrimonii irritant etiam contractum Sponsalium.

X. Extenditur etiam ad contractum Sponsalium lex, quod conditiones aliæ turpes, & impossibiles habeantur pro non adjectis; non tamen lex irritans matrimonium clandestinum.

I. QUæritur primo; In quo differat Conditio a Demonstratione, Caussa, Die, & Modo adjectis contractui, sive matrimoniali, sive sponsalitio?

Respondeo, in hoc differre, quod contractus dicatur fieri cum Demonstratione, quando denotatur, seu demonstratur aliqua qualitas personæ, cum qua contrahitur; ut si dicatur; Duco te, quæ es virgo. Fit vero contractus cum Causa, quando explicatur motivum, propter quod fit; ut si dicatur: Duco te, quia es virgo. Fit cum Die, quando denotatur tempus, quo incipit obligare contractus; ut si dicatur, Accipio te in meam post tres dies. Fit sub Modo, quando contractui adjicitur aliquid onus; verbi gratia, Duco te, ut mihi inservias. Demum fit contractus sub Conditione, quando apponitur aliqua conditio ad suspendendum contractum; ut Duco te, si Papa dispenset.

Porro conditiones aliæ sunt honestæ, aliæ turpes, aliæ necessariæ, aliæ contingentes, aliæ impossibiles, aliæ impertinentes, aliæ de præterito, aliæ de præsenti, aliæ de futuro. Demum conditiones turpes, aliæ sunt contra substantiam matrimonii, quæ scilicet repugnant tribus bonis matrimonii, idest prolis, fidei, seu fidelitatis, & Sacramenti, seu indissolubilitatis, ut si dicatur: Duco te, si venenum sterilitatis sumpseris; vel si promiseris copiam tui corporis alteri; Vel duco te usque ad obitum tui patris: Aliæ vero conditiones turpes non sunt contra substantiam matrimonii, ut Duco te, si Petrum occideris.

II. Quæritur secundo; Quænam conditiones, aut demonstratio, causa, dies, vel modus adiecta contractui suspendunt, aut vitiant illum?

Respondeo, & dico primo, nec demonstratio, nec causa adjecta contractui suspendunt, aut vitiant illum, etiamsi sint falsa. Quare si dicatur: Duco te, quæ es virgo, aut quia es virgo, validus est contractus, etiamsi non sit virgo. Ratio est, quia ea verba non determinant objectum contractus, nec designant consensum in illum ferri sub conditione, sed tantum exprimunt opinionem contrahentis circa tale objectum, & causam contrahendi. Quamvis autem verum sit, quod ille non contraheret, si ea non esset virgo, non per hoc non datur consensus absolutus constitutivus contractus. Etenim solus error, qui fit circa substantiam, seu circa personam, aut circa conditionem personæ spectantem ad substantiam contractus, est ille, qui impedit consensum absolutum: Unde si dicatur: Duco te, quia es Berta, vel quia libera, vel quia primogenita, matrimonium non est validum, si illa non esset Berta, aut non libera, aut non primogenita, ut notat Perez disp. 16. sect. 5. quia in his casibus error est aut circa substantiam contractus, aut circa conditiones substantiales, ut dicemus quæst. sequ. art. 2. quæsit. 2.

III. Dico secundo; Neque Modus adjectus contractui vitiat, aut suspendit illum, quando modus est rei possibilis, & honestæ, seu quando contractui adjicitur onus aliquod possibile, & honestum; ut si dicatur: Duco te, ut mihi inservias: Si tamen Modus sit rei impossibilis, aut turpis, probabilius etiam existimo cum Hurt. & Perez contra Sanch. lib. 5. disput. 19. quod neque vitiet, seu annullet contractum; ut si dicatur: Duco te, ut mihi des montem aureum, vel ut fureris, vel ut obligeris ad adulterandum. Ratio est, quia consensus in contractum non habetur dependenter a modo, cum modus non sit conditio; ergo contractus cum tali modo non vitiatur, sed est validus, & subsistit.

Dico tertio cum Con., Hurt., Perez contra Sanch. loc. cit. Dies, seu tempus appositum contractui suspendit contractum, non secus ac conditio; unde si dicatur: Accipio te in meam post tres dies, matrimonium non est ratum nunc, sed post tres dies; Sicuti cum dicitur: Contraho, si cras pluet, vel si Papa dispensaverit, matrimonium non est ratum, nisi post pluviam crastinam, vel post dispensationem Pontificiam. Ratio est, quia in utroque casu contrahens non intendit ponere contractum perfectum, nisi post tertium illum diem; sicuti etiam nonnisi post conditionem purificatam. Neque dicas, disparitatem esse inter tempus, & hanc conditionem, quod conditio ista sit contingens, & tempus illud sit necessario futurum. Nam ex hoc tantum sequitur, quod contractus sub conditione contingenti contingenter sit futurus perfectus, purificata conditione: Contra vero con-

tractus, cui apponitur dies, necessario post illum diem sit futurus perfectus; non autem sequitur, quod contractus sub conditione contingenti sit futurus perfectus post conditionem, & contractus sub die sit statim perfectus ante lapsum illius diei cum obligatione ligata, seu impedita; ut tenet sententia opposita.

Dico quarto; Conditio, si sit contingens, suspendit contractum; secus vero si sit necessaria: Verbi gratia, si dicatur: Contraho tecum, si cras pluet, matrimonium non est ratum, nisi post pluviam crastinam: Contra vero si dicatur: Contraho tecum, si cras sol orietur, matrimonium est ratum nunc ante eventum conditionis, tam in foro externo, quam in interno; nisi expresse velint contrahentes suspendi consensum usque ad purificationem conditionis. Ratio est, quia conditio necessaria habetur pro impleta, & ideo ante eventum conditionis necessariæ possunt consummare matrimonium; non tamen ante eventum conditionis contingentis: Sicuti neque ante lapsum temporis præfixi, quando contractui apponitur dies.

IV. Dubium est primo; An contractus sub conditione contingenti celebratus, purificata conditione, sit validus independenter a novo consensu?

Aliqui negant apud Con. Sed communiter affirmant, quia sicuti cæteri alii contractus conditionales non requirunt novum consensum post eventum conditionis, ita nec contractus matrimonialis; quamvis ut contractus sit absolutus, & perfectus, requiratur purificatio conditionis. Hinc sequitur, quod ante conditionis eventum possit talis contractus mutuo consensu revocari; ita ut uterque possit cum alio nubere, neuter tamen possit ante conditionis eventum, altero invito, resilire; cum ea sit natura contractus conditionalis, ut obliget ad expectandum eventum conditionis.

Dubium est secundo; Utrum dictus contractus sit validus statim posita conditione; an vero quando habetur notitia conditionis purificatæ?

Respondeo cum Sanch. l. 5. disp. 7., & Hurt. contra Con., & Perez esse perfectum statim posita conditione, & tunc gratiam propriam hujus Sacramenti conferri: Ad eum modum, quo contractus per Procuratorem celebratus est validus statim posito consensu procuratoris, antequam ejus notitia ad principalem perveniat. Unde si quis ita contrahat: Duco te, si tuus Pater est mortuus, contractus est validus, si revera Pater mortuus est, & solum requiritur talis notitia certa, ut licite possint consummare matrimonium, ne se exponant periculo fornicationis. Quod si quis contrahat matrimonium sub conditione cum duabus, illud matrimonium est validum, cujus conditio primo adimpletur, non vero, quæ primo scitur; Si tamen utraque simul adimpleatur, neutrum est validum propter incertitudinem, ut notat Bonac., Sanch. Con.

Hinc sequitur, quod non debeat esse notus Paroco, & testibus eventus conditionis, ut docet idem Sanch. contra Con., & alios communius apud Bonac. Ratio est, quia satis est, ut contractus fiat coram Parocho, & testibus, ut præcipit Tridentinum. Quare sicut non requiritur, ut quando matrimonium celebratur inter consanguineos, ostendatur Parocho, & testibus dispensatio obtenta; ita nec requiritur, ut impletio conditionis fiat coram illis. Et ratio radicalis est, quia finis Concilii (qui est, ut non possint ad secundas nuptias contrahentes transire) habetur in casu nostro sufficienter. Non negaverim tamen, hujusmodi matrimonia conditionata non esse facile permittenda, ut notat Con.; & adimpleta conditione, consultius esse coram Parocho, & testibus novum consensum absolutum significare, ut notat Croix num. 762. vel iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahere; aut saltem illos certiores reddere de conditione jam purificata, ut fert communior opinio, ut possint de ea testari.

V. Quæritur tertio; validum ne sit matrimonium celebratum sub conditione aliqua turpi; verbi gratia, si fureris, aut si mœchaberis? Et quid si celebretur sub conditione aliqua impossibili, verbi gratia, si volaveris, vel si dederis myriadem aureorum pauperi, quod huic contrahenti sit impossibile?

Respondeo, conditiones turpes esse duplicis generis. Aliæ sunt, quæ adversantur substantiæ matrimonii, seu, ut supra notavimus, sunt contra tria illa bona essentialia matrimonii, ad quæ se debet contrahens obligare, videlicet contra bona prolis, fidei, & Sacramenti, seu indissolubilitatis; ut si quis dicat: Duco te, si sumas pharmacum sterilitatis; vel si obligeris ad adulterandum, vel donec inveniam aliam pulchriorem, aut ditiorem. Aliæ vero conditiones turpes sunt, quæ non adversantur substantiæ matrimonii, seu tribus istis bonis essentialibus, ut, Duco te, si fureris. His positis; Dico, Conditiones turpes, quæ adversantur substantiæ matrimonii, illud vitiare, ac reddere irritum. Ratio est, quia conditio contra substantiam contractus destruit contractum: Contra vero conditiones turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii; (puta, si fureris, si blasphemes) sicut etiam conditiones impossibiles, (puta, si digito cœlum tangas) non vitiant, seu non irritant contractum, sed habentur in contractu matrimoniali istæ conditiones pro non appositis, tam in foro interno, quam in exter-

externo; dummodo adsit consensus absolutus seu dummodo contrahens non velit expresse suspendere contractum, non purificata conditione. Ita habetur in cap. *finali de conditionibus appositis*.

Hoc tamen non est verum in aliis contractibus, in quibus per conditiones impossibiles explicari solet dissensus potius, quam consensus; & idcirco contractus, quibus conditiones impossibiles apponuntur, sunt invalidi? Sicut etiam si iis apponantur conditiones turpes, quæ ad peccatum alliciant. Quare solum in favorem matrimonii statuit Gregor. IX. in cap. laud., quod conditiones impossibiles, & turpes, quæ non adversantur substantiæ matrimonii, si adjiciantur contractui matrimoniali, habeantur pro non adjectis, nec irritent illum: Præsumit enim Ecclesia tunc haberi absolutum consensum. Quia tamen veritas cedit præsumptioni, si contrahens vere nollet contrahere, non purificata conditione impossibili, vel turpi, proculdubio pariter contractus matrimonialis esset invalidus, etiam in foro externo, si in tali foro constaret de consensu taliter conditionato.

Hinc sequitur primo, quod si quis dubitet, num conditiones turpes, quæ non sint contra substantiam matrimonii, joco apposuerit, an animo suspendendi consensum? præsumendum, quod solo joco adjecerit; idque tum in favorem matrimonii, nam ex cap. *fin. de sententia, & re judicata* in dubio semper pro ejus valore judicandum; tum etiam, quia nemo præsumitur velle peccare; peccaret autem, qui conditionem turpem serio apponeret contractui matrimoniali reddendo illum irritum.

Sequitur secundo, idem dicendum in dubio; An conditiones impossibiles joco, an serio appositæ sint?

Sequitur tertio, quod si quis ita contrahat: Duco te, si generationem prolis evites, vel si pro quæstu ad adulterandum te tradas, vel donec inveniam aliam gratiorem, matrimonium sit nullum; quia conditiones istæ turpes adjectæ contractui sunt adversus substantiam matrimonii, hoc est, contra tria illa bona matrimonii essentialia, prolis, fidei, & Sacramenti: Secus vero si quis ita contrahat; Duco te, si pejeres, vel si des mihi montem aureum, matrimonium est validum; quia conditiones istæ ex speciali lege Gregor. IX. habentur pro non adiectis, dummodo nolit contrahens expresse in matrimonium consentire, non purificata conditione.

Sequitur quarto, quod alii contractus, puta, donationis, venditionis, &c., invalidi sint, si iis apponatur conditio impossibilis. Ratio est, quia talis conditio vel cognoscitur esse impossibilis, & sic non habetur verus consensus; vel non cognoscitur esse impossibilis, & sic debet expectari ejus eventus, ut contractus absolute obliget; & quia eventus conditionis impossibilis nunquam erit, ideo nunquam erit validus, & nunquam absolute obligabit talis contractus.

Sequitur ultimo, quod si in aliis casibus apponatur conditio turpis, (quæ dicitur jure impossibilis, eo quod servari nequeat jure inviolato) verbi gratia, Dono equum, si blasphemes, si hostem occidas, contractus sint pariter invalidi ante purificationem conditionis, ac debeant rescindi, eo quod aliter ad peccatum allicerent: Quamvis purificata conditione juxta communiorem opinionem Doctorum apud Less. cap. 18. dub. 3. contra Nav. obligent; quia tunc non amplius ad peccatum alliciunt; Quare ne post patratum crimen obligent, & pro tunc sint validi, ideo antecedenter rescindendi sunt, pro quando sunt invalidi.

VI. Rogabis primo; Num matrimonium celebratum sub conditione, si Papa dispensaverit, dicatur esse sub conditione possibili, an vero sub impossibili, ita ut habeatur pro non adjecta?

Respondeo cum distinctione; nam si in eo impedimento nunquam Papa dispensare soleat, (ut est impedimentum affinitatis in primo gradu cum iis, qui non sunt Magnates) dicitur esse sub conditione impossibili; Si vero in eo soleat dispensare, dicitur esse sub conditione possibili, & honesta, & in tali casu matrimonium est validum, non pro tunc, quando contrahentes sunt inhabiles ad contrahendum, sed pro quando obtenta est dispensatio; ita ut non requiratur deinde novus consensus, ut diximus.

Rogabis secundo; An matrimonium celebratum sub conditione, quod alter prius voveat castitatem, vel nunquam petat debitum, vel ingrediatur religionem, dicatur esse sub conditione, quæ sit contra substantiam matrimonii?

Respondeo negative; stat enim obligatio matrimonii, & jus remotum ad petendum debitum cum voto castitatis, & cum iis aliis obligationibus, ut ostendimus, cum de Sponsalibus.

VII. Rogabis tertio; Qualis sit ista conditio apposita matrimonio, si Patri placuerit; & quomodo intelligenda?

Respondeo, certum esse, quod talis conditio non sit turpis, & quod ab ipsis contrahentibus apponi possit in contractu; ita ut matrimonium non sit validum, sed suspensum, donec conditio impleatur. Verum, quomodo beneplacitum hoc Patris intelligendum sit, variant Doctores.

Dico equidem primo, matrimonium sub ea conditione celebratum esse validum, tam si Pater consentiat, quam si conscius matrimonii non dissen-

diſſentiat. Ita communiter cum Sanch. lib. 1. diſp. 7. Ratio eſt, quia juxta communem ſenſum per illam conditionem non ſignificatur poſitivus conſenſus, ſed ſolum non repugnantia Patris: Etenim non ſolet intendi, quod Pater faveat poſitive, ſed ſolum, quod non repugnet, nec ægre ferat.

Dico ſecundo cum Con. diſp. 29. dub. 2. Nav., Hurt. contra Sanch., & Pont.: Si Pater primo diſſentiat, & mox conſentiat; per conſenſum hunc poſteriorem impletur conditio, & perficitur matrimonium. Probatur, quia juxta communem ſenſum, & intentionem contrahentium verba dictæ conditionis non ſumuntur in rigore, ſed morali modo; ita ſcilicet, ut ſi intra tempus aliquod arbitrio prudentis, & attentis circumſtantiis aſſignandum, obtineatur conſenſus Patris, matrimonium ſit validum: ergo ſi intra iſtud tempus obtineatur conſenſus, quamvis poſt diſſenſum, conditio eſt impleta. Confirmatur, quia ſi contrahatur matrimonium ſub conditione, quod Papa diſpenſet, & Papa prius deneget Procuratori diſpenſationem, & deinde re melius propoſita, & perpenſa, illam concedat, clarum videtur, quod contractus valeat; niſi aliud conſtet de intentione contrahentium: ergo etiam in caſu noſtro. Et ratio radicalis eſt, quia verba illa, ſi Patri placuerit, vel ſi Pater conſentiat, ſolent hunc ſenſum facere, videlicet, ſi poteris obtinere conſenſum Patris; qui autem primo patitur repulſam a Patre, adhuc poteſt intra breve tempus conſenſum obtinere, ſi iterum roget; ergo ſi vere obtineat conſenſum, quamvis poſt diſſenſum, contractus eſt validus.

Dico tertio conſequenter cum iiſdem Auctoribus: Si Pater primo conſentiat, & deinde intra breve tempus repugnet, matrimonium non eſt validum. Ratio eſt eadem, quia ſcilicet juxta communem intentionem contrahentium extenditur conſenſus conditionatus uſque ad aliquod tempus aſſignandum arbitrio prudentis viri; etenim ſenſus, & intentio contrahentium eſt, ut matrimonium valeat, ſi intra aliquod tempus Pater acquieſcat, & non repugnet: Quare ſi intra illud tempus repugnet, quamvis poſt conſenſum, conditio non eſt impleta.

Dico ultimo: Quando apponitur dicta conditio in matrimonio, ſi forte contingat, quod Pater antequam conſentiat, vel diſſentiat, moriatur, matrimonium eſt validum. Ita Pal., & Sanch. contra Pont. Ratio eſt, quia in tali caſu habetur, quod contrahentes intendunt, ſcilicet, quod Pater non repugnet. Confirmatur, quia vel cognoſcebant mortem Patris contrahentes, quando contraxerunt, vel non; ſi cognoſcebant, conditio illa, utpote impoſſibilis, habetur pro non adjecta, ut diximus, & ſic matrimonium eſt validum; Si vero Patris mortem ignorabant, etiam validum eſt matrimonium, quia illi intendunt contrahere, modo id non ægre ferat Pater; quod bene per obitum Patris verificatur.

VIII. Quæritur quarto, An conditio indifferens, vel impertinens, verbi gratia, ſi ſaltes, ſi pluat, ſuſpendat contractum matrimonialem, ſicut conditio honeſta?

Reſpondeo affirmative cum Sanch. lib. 5. diſp. 18. Ratio eſt, quia omnis conditio jure non improbata poteſt apponi matrimonio, ut colligitur a contrario ſenſu ex cap. *Super eo De conditionibus appoſitis*; atqui conditio indifferens, & impertinens matrimonio appoſita nullo jure reprobatur; nam in *cap. fin. De conditionibus appoſitis* ſolum rejiciuntur conditiones impoſſibiles, & turpes, quæ ad peccatum incitant, & non ſunt contra ſubſtantiam matrimonii; ergo conditiones indifferentes, & impertinentes apponi poſſunt matrimonio, ita ut illud ſuſpendant, non ſecus ac conditiones honeſtæ. Concedo tamen non vacare aliqua culpa adjicere conditiones impertinentes contractui tam ſancto matrimonii, quod eſt Sacramentum.

IX. Quæritur quinto; An conditiones turpes contra ſubſtantiam matrimonii, ſicut irritant contractum matrimonialem, ſi illi adjiciantur, ita etiam irritent contractum Sponſalium?

Reſpondeo cum communi apud Perez diſp. 12. ſect. 2. affirmative; quia Sponſalia ordinantur ad Matrimonium: ergo ſicut conditiones turpes, quæ ſunt contra ſubſtantiam matrimonii, irritant contractum matrimonialem, ſi illi adjiciantur, ita etiam irritant contractum Sponſalium, ſi adjiciantur Sponſalibus.

Confirmatur, quia Sponſalia nihil aliud ſunt, quam promiſſio matrimonii; ergo ſicut matrimonium nullum eſt, ſi celebretur ſub tali conditione turpi, ita nulla eſt hujuſmodi promiſſio. Quare invalidus eſt contractus, ſi dicatur: Promitto tibi matrimonium ſub conditione, quod ſterilitatem procures, vel ante, vel poſt illud; aut ſub conditione, quod obligeris ad adulterandum; vel promitto matrimonium, quod duret per annum.

X. Quæritur ultimo: An conditiones turpes, quæ non ſunt contra ſubſtantiam matrimonii, & conditiones impoſſibiles, ſi apponantur contractui ſponſalium, habeantur pariter pro non adjectis, ſicuti ſi apponantur contractui matrimoniali?

Reſpondeo etiam cum Sanch. loc. cit. & aliis communiter contra Ledeſm., & Perez affirmative, quia ſcilicet Sponſalia ſunt initium quoddam matrimonii; & ideo quod diſponitur a legibus circa matrimonium, cenſetur diſpoſitum circa ſponſalia, ex *leg. Oratio ff. de Sponſalibus*.

Neque

Neque dicas cum Perez, quod dispositio Tridentini irritans matrimonia clandestina non extendatur ad irritanda sponsalia clandestina; ergo neque in casu nostro valet arguere a contractu matrimoniali ad Sponsalium. Nam concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu talis dispositio Tridentini non est favorabilis matrimonio; ergo non est extendenda a contractu matrimoniali ad Sponsalium: Contra vero in casu nostro ista legum dispositio, quod conditiones impossibiles, & turpes habeantur pro non adjectis, est favorabilis matrimonio; ergo extendenda est ad Sponsalia; cum semper in favorem matrimonii judicandum sit, ex cap. *fin. De sententia, & re judicata*.

QUÆSTIO V.

De Impedimentis Matrimonii.

Certum est, jure naturæ dari quædam impedimenta dirimentia matrimonium; ut est error circa personam, Impotentia perpetua ad usum matrimonii, Defectus usus rationis, &c. Nunc tamen examinandum primo; An jure positivo, sive Ecclesiastico, sive sæculari, statui possint alia impedimenta dirimentia? Deinde de impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico hactenus statutis agendum sigillatim. Demum de impedimentis impedientibus.

Impedimenta autem dirimentia dicuntur, quæ reddunt irritum matrimonium, hoc est, quæ impediunt, ne valide contrahatur; non tamen efficiunt, ut contractus matrimonii validus, si ea superveniant, irritetur; cum hoc repugnet indissolubilitati matrimonii. Hujusmodi impedimenta, præter impedimentum ætatis, duodecim juxta jus antiquum enumerabantur, quibus Tridentinum adjunxit duo alia, videlicet Clandestinitatem, & Raptum, quæ omnia his versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis:
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta vero impedientia solum impediunt, ne licite, non autem ne valide contrahatur matrimonium; ut sunt interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ, quando scilicet de aliquo impedimento ulterius inquirendum sit; Votum castitatis, Catechismus, Tempus feriatum, & aliqua crimina, de quibus dicemus art. ult. hujus quæst. Hæc autem omnia ad subsidium memoriæ his aliis versibus continentur.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Atque Catechismus, Votum, Sponsalia, Crimen,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

His adde Clandestinitatem in iis locis, in quibus non est receptum Tridentinum (ea enim impedit, licet non dirimat in iis locis matrimonium;) necnon omissionem proclamationum, & omissionem benedictionis, juxta dicta art. 2. quæst. super. Sub eo tamen verbo, *Crimen*, varia Crimina, quæ comprehenduntur, & matrimonium impediunt, (ubi desuetudine non sit sublatum tale impedimentum) his aliis etiam versibus continentur.

Incestus, Raptus sponsatæ, Mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Aut si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Antequam de impedimentis tam dirimentibus, quam impedientibus sigillatim agamus, præmittenda nonnulla sunt de impedimentis in genere. Ideo sit

ARTICULUS I.

De Matrimonii impedimentis in genere; Quinam possit ea statuere?

I. Solus Pontifex statuere potest impedimenta matrimonii dirimentia.

II. Non est verum, quod possit Episcopus pro sua Urbe, quicquid potest Pontifex pro toto Orbe.

III. Quamvis Principes baptizati, seclusa prohibitione Ecclesiæ, statuere possint leges circa contractum matrimonialem fidelium; hanc tamen potestatem sibi Pontifex reservavit.

IV. Universim est mortale contrahere matrimonium cum impedimento dirimente; sed probabiliter non est sacrilegium.

V. Quomodo possit quis sine sacrilegio simulare etiam absolutionem Sacramentalem?

VI. Validum est matrimonium, etiamsi per clausulam generalem Pontifex irritet quicquid fiat contra aliquam legem, in qua etiam matrimonium prohibeatur.

I. QUæritur primo; An jure poſitivo ſtatui poſſint impedimenta matrimonii dirimentia, ſive a Pontifice, ſive ab Epiſcopo, ſive a Principe ſæculari, ſive ex conſuetudine?

Reſpondeo, & dico primo, dari in Eccleſia, atque adeo in Pontifice, poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonii, tam dirimentia, quam impedientia. Conſtat tum ex Tridentino ſeſſ. 24. can. 4., tum auctoritate Pontificum, a quibus varia hujuſmodi impedimenta conſtituta ſunt; tum demum ratione, quia Eccleſia poteſt & irritare, & prohibere contractus, quando non fiunt ſub certis conditionibus, & ſub certa forma; ergo poteſt in contractu matrimoniali ſtatuere impedimenta tam dirimentia, quam impedientia. Ex quo patet, Eccleſiam non poſſe directe apponere impedimenta Sacramento a Chriſto Domino inſtituto, ſed ſolum indirecte, tollendo ejus fundamentum, ſeu efficiendo, ne ſit contractus legitimus, ſeu materia Sacramenti id, quod eſſet cæteroqui talis: Sicut tollendo alicui juriſdictionem, impedit, quominus verba illa, Ego te abſolvo, ab eo prolata, ſint forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Dubium eſt; An impedimenta matrimonii conſtituta a Pontifice obligent etiam Infideles?

Reſpondeo, obligare ſolos Chriſtianos, non vero Infideles: quippe qui non ſunt ſubditi legibus Eccleſiaſticis: Si tamen aliqui Infideles inhabitarent in locis ſubditis temporali juriſdictioni Pontificis, puta Romæ, in tali caſu Pontifex, non tamquam Princeps Eccleſiaſticus, ſed tamquam temporalis, ſtatuendo hæc impedimenta, etiam illos obligaret. Ratio eſt, quia etiam Princeps ſupremus infidelis poteſt ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonii ſubditis ſuis infidelibus, ut mox dicemus; Sicut poſſunt Principes ſæculares ferre leges irritantes quoſcumque contractus, ſi non celebrentur ſub determinatis conditionibus; ergo poteſt hoc etiam Pontifex, tamquam Princeps ſupremus temporalis relate ad loca temporali ſuæ juriſdictioni directe ſubjecta.

Dico ſecundo; Probabilius eſſe, hanc poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonii non competere Epiſcopis pro ſua Diœceſi. Ita Con., Perez diſp. 21. ſect. 4. contra Sanch. diſp. 7. ſect. 1., Pont., Hurt. diſ. 12. difficult. 2 Probatur primo; quia Epiſcopi ratione proprii Officii non habent juriſdictionem ullam jure divino, ut patet in Epiſcopis Titularibus, ſed eam accipiunt jure Eccleſiaſtico a Pontifice, majorem, vel minorem pro ejus arbitrio; ergo jure divino non poſſunt ferre legem ullam, & conſequenter nec ſtatuere impedimenta matrimonii; atqui neque poſſunt id efficere jure Eccleſiaſtico, quia nullum tale jus afferri poteſt; ergo ſimpliciter pon poſſunt ſtatuere impedimenta matrimonii.

Probatur ſecundo, quia per impedimenta matrimonium irritatur directe, & per ſe, inquantum eſt contractus civilis, & ſolum indirecte, inquantum eſt Sacramentum; ergo ille tantum ſtatuere poteſt impedimenta irritantia contractum matrimonialem, qui poteſt contractus civiles irritare; contractus autem civiles ille tantum irritare poteſt, qui habet juriſdictionem in res temporales; ut eſt Princeps ſæcularis, & Pontifex; quippe qui circa res omnes temporales poteſtatem habet indirectam, ut de iis diſponat, quatenus expedit bono ſpirituali fidelium. Quod ex eo conſtat, quia ſicut in compoſito humano conflato ex anima, & corpore corpus eſt ſubditum ſpiritui, ita in Republica Chriſtiana temporale ſubditur ſpirituali, & contra rationem omnino eſſet, ſi in iis, quæ ad civilem, & ſpiritualem gubernationem pertinent, ut eſt contractus matrimonialis, aut poteſtas temporalis, & politica non ſubordinaretur ſpirituali, aut neutra alteri ſubordinaretur. Contra vero Epiſcopus hanc poteſtatem indirectam in res temporales non habet a Deo ſibi conceſſam, ſicut habet Pontifex; non enim Epiſcopus poteſt circa res civiles quicquam ſtatuere, invitis Principibus ſæcularibus, quantumcumque hoc expediat ſaluti fidelium, niſi eorum ſaluti eſſet omnino neceſſarium; in quo ſolo caſu tenentur omnes Magiſtratus civiles Epiſcopis obedire jure naturali divino; ergo cum ſtatuere impedimenta matrimonii non ſit omnino neceſſarium ſaluti fidelium, non poſſunt Epiſcopi ea ſtatuere.

II. Neque dicas cum Sanch. lib. 1. diſp. 61., Henr., Sot., & aliis: Quicquid poteſt Pontifex per totum Orbem, poteſt Epiſcopis pro ſua Diœceſi, niſi expreſſe a Papa prohibeatur; Sicut enim Pontifex eſt Paſtor ordinarius pro toto Orbe, ita Epiſcopus pro ſua Diœceſi, licet illi ſubordinatus; ergo ſicut poteſt Pontifex pro tota Eccleſia ſtatuere impedimenta matrimonii, ita poteſt Epiſcopus pro ſua Diæceſi; cum id a Pontifice nuſquam prohibeatur.

Nam contra eſt, quia Suar. tom. 5. in 3. p. de Cenſuris diſp. 7. oſtendit, axioma hoc eſſe falſum, cum in nullo jure, aut ratione fundetur; & a poſteriori conſtet oppoſitum; nam primo, Epiſcopus non poteſt pro ſua Diœceſi inſtituere cenſuras, ſicut poteſt Papa; & tamen hoc illi nullibi prohibetur. Secundo, non poteſt Epiſcopus ſtatuere, ut matrimonium ratione alicujus delicti patrati a contrahentibus ſit nullum, ſicut poteſt Papa. Tertio, non poteſt Epiſcopus diſpenſare in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium; quamvis hoc expreſſe Epiſcopo non prohibeatur. Quarto, ut notat Salas de legibus diſp. 2. ſect. 3., in multis irregularitatibus non poſſunt Epiſcopi diſpenſare, quamvis circa illas non inveniatur expreſ-

ſa

ſa prohibitio, ſed ſolum non conceſſio. Quinto, nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in matrimonio rato non conſummato, nec voto ſolemni; nec concedere indulgentias plenarias; nec committere Presbytero miniſterium Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, ut poteſt Pontifex, ſaltem quoad minores; nec alia, quæ enumerat Dian. part. 8. tract. 3. reſol. 11. ex Suar. lib. 6. de legibus cap. 14. Demum ipſe Sanch. lib. 1. diſp. 16. notat, quod ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in Sponſalibus, eo quod per ſponſalia acquiſitum ſit jus a Tertio; Ex quo omnes Doctores docent, quod Epiſcopus non poſſit relaxare juramentum Tertio præſtitum. Et ratio eſt, quia nemo, præter ſupremum principem, poteſt auferre jus a Tertio acquiſitum.

Verum quidem eſt, quod poſſit Epiſcopus abſolvere, ſicut Pontifex, quoties illi hoc non prohibetur. Ratio tamen eſt, quia hoc ſpectat ad ſalutem Animarum ſuæ curæ commiſſarum. Hinc tamen non ſequitur, quod poſſit Epiſcopus ſtatuere impedimenta matrimonii, ſicut poteſt Pontifex. Non negatur, quod Epiſcopus ſit Paſtor Ordinarius pro ſua Diœceſi, ſicut Pontifex eſt Ordinarius Paſtor pro toto Orbe; ex hoc autem ſolum ſequitur, quod poſſit condere leges circa res ſpirituales ſaluti ſuorum ſubditorum expedientes; non vero, quod poſſit condere leges circa res civiles, quantumcumque conducant ad bonum ſpirituale, niſi quando ſunt omnino neceſſariæ ſaluti ſubditorum; quod non habetur in caſu noſtro; & conſequenter non poſſunt Epiſcopi ſtatuere impedimenta matrimonii.

Dico tertio; Principes infideles ſupremi poſſunt ſtatuere impedimenta matrimonii, quibus obligentur omnes ſubditi temporales; tam fideles quam infideles. Ratio ex D. Th. in 4. diſt. 39. eſt, quia circa omnes contractus civiles poſſunt hujuſmodi Principes ferre leges ſuas ad tranquillitatem, & bonum Reipublicæ; ergo ſicut poſſunt, verbi gratia, Prodigos, & Pupillos reddere inhabiles relate ad alios contractus; ita poſſent, verbi gratia, parricidas reddere inhabiles ad contrahendum matrimonium; & conſequenter poſſunt ſtatuere impedimenta matrimonii.

III. Dico quarto; Principes baptizati non ſolum circa matrimonium Infidelium ſibi ſubjectorum, ſed etiam circa matrimonium fidelium, quod eſt Sacramentum, poſſunt ſtatuere impedimenta tam dirimentia, quam impedientia, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ. Ita Sanch. diſp. 3., Perez ſect. 5. contra Pont. Ratio eſt, quia matrimonium eſt contractus civilis, non minus quam alii; ergo eodem modo ſubjicitur poteſtati politicæ, ac reliqui contractus. Ex hoc autem, quod matrimonium fidelium ſit etiam Sacramentum, non fit, vel quod vere non ſit contractus civilis ſubjectus poteſtati ſæculari, vel quod Princeps ſæcularis, aliquid non poſſit directe in Sacramenta, ſed indirecte tantum: Nec aliter poteſt ipſa Eccleſia, quæ non poteſt ſe ingerere directe ad materiam, vel formam Sacramentorum inſtitutam a Chriſto Domino. Dixi tamen, poſſe id Principes baptizatos, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ. Nam de facto Pontifex reſervavit ſibi hanc poteſtatem ſtatuendi leges circa matrimonium fidelium; quod conſtat, tum ex uſu Eccleſiæ, tum ex *cap. Tuam*, *de Ordine cognitionis*, ubi deciditur, cauſas matrimonii ad ſolius Eccleſiæ forum pertinere.

Dico ultimo cum Sanch. lib. 7. diſp. 4., Con. Perez contra Pont. Probabile eſt, per conſuetudinem poſſe nova impedimenta matrimonii induci, & inducta auferri. Ratio eſt, quia conſuetudo vim habet inducendi novam legem, & inductam abrogandi, ex cap. *fin. de Conſuetudine*. Et confirmatur, quia aliter ſequerentur graviſſima incommoda; quandoquidem in iis locis, ubi conſuetudo eſt in contrarium, inevitabiliter plurimi ſine ulla ſua culpa matrimonia irrita contraherent; quod repugnat intentioni Pontificis eas leges condentis.

IV. Quæritur ſecundo; Qualis culpa ſit contrahere matrimonium cum aliquo impedimento?

Reſpondeo cum communi, eſſe peccatum mortale contrahere cum impedimento dirimente; quia violatur præceptum in re gravi. Eſt etiam peccatum mortale contrahere cum aliquo ex iis tribus tantum impedimentis impedientibus, quæ ſunt Prohibitio Eccleſiæ, Sponſalia, & Votum, ut patet. Alia vero impedimenta impedientia (ſcilicet Cathechiſmus, & Crimen) non amplius obligant ob deſuetudinem, ut dicemus art. ult. hujus quæſt. Unde ſi quis cum iis contraheret, non peccaret. Ubi adverte, tempore feriarum prohiberi ſolum benedictionem nuptiarum, & ſolemnem ſponſæ in domum ſponſi traductionem, non vero matrimonium contrahere, aut conſummare.

Dubium eſt; An ſit Sacrilegium contrahere matrimonium cum impedimento dirimente?

Affirmat Con. diſp. 30. dub. 2., quia contra reverentiam Sacramenti redderetur illud irritum. Sanch. tamen lib. 7. diſp. 5. Perez, Hurt. negant; quia ad irritandum Sacramentum requiritur, ut ponatur id, cui ex inſtitutione divina convenit ratio Sacramenti, & quod ponatur aut ſine requiſitis eſſentialibus, aut cum obice ad fructum Sacramenti; Ut ſi quis vellet ſibi conferri baptiſmum, & non haberet intentionem ſuſcipiendi illum: aut ſi vellet Sacramentum cum mortali ſuſcipere: At in caſu noſtro, cum non ponatur contractus validus, non ponitur id, cui ex inſtitutione divina competit ratio Sacramenti; ergo non irritatur matrimonii Sacramentum, contrahendo cum impedimento dirimen-

rimente, & consequenter non committitur Sacrilegium.

V. Dices: Si quis fingeret consecrare papyraceam hostiam metu mortis coactus, aut si fingeret dare absolutionem Sacramentalem, non proferendo formam absolutoriam, sed dicendo, verbi gratia, Dominus te absolvat: committeret Sacrilegium, quamvis non poneret veram materiam, aut formam Sacramenti; ergo etiam in casu nostro; quamvis non sit materia, & forma Sacramenti consensus positus ab habentibus impedimentum dirimens, tamen committitur sacrilegium, si cum tali impedimento fingatur contractus matrimonialis.

Respondeo, distinguendum esse antecedens: Si ab incutiente metum id exigatur in contemptum Sacramenti, conceditur; si vero id non exigatur in contemptum Sacramenti, sed fingat Sacerdos, verbi gratia, conferre absolutionem sacramentalem indispofito, ut alii existiment, quod susceperit Sacramentum Pœnitentiæ: Immo, ut multi putant apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 47. (quibus non subscribo) si fingatur dari hostia consecrata sine periculo idololatriæ materialis peccatori occulto; negatur antecedens, & consequentia. Certe si quis metum mortis incuteret ad contrahendum matrimonium cum impedimento dirimente in contemptum Sacramenti matrimonii, procul dubio sacrilegium committeretur contrahendo cum tali impedimento: Quod si non exigatur matrimonium in contemptum Sacramenti, sacrilegium non committitur: Quamvis peccetur mortaliter, ut diximus quæst. 4. art. 1., si simuletur contractus matrimonialis cum impedimento jure naturæ dirimente, ut est consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ; quia est peccatum mortale simulare id, quod est intrinsece grave malum, verbi gratia, simulare adorationem idoli.

Replicabis: est etiam intrinsece malum dare absolutionem Sacramentalem indispofito: ergo si quis metu mortis, aut alia de causa fingeret dare absolutionem Sacramentalem indispofito, semper peccaret mortaliter.

Respondeo, si simularet dare absolutionem indispofito qua tali, concedo; si vero simularet dare absolutionem alicui, ut putetur bene dispositus, nego antecedens, & consequentiam.

VI. Quæritur ultimo; An si Papa prohibeat alicui matrimonium, eo ipso censeatur illud dirimere, ita ut non solum illicite, sed etiam invalide contrahatur?

Respondeo, Si Papa solum prohibeat matrimonium sine clausula irritante, certum est quod talis prohibitio non sit impedimentum dirimens, sed solum impediens; secus vero si prohibeat cum clausula illud in specie irritante. Quod si prohibitio sit tantum cum clausula irritante generali, seu quæ solum generatim irritet quicquid fuerit contra prohibitionem factum, nulla facta speciali mentione matrimonii; Communiter Doctores apud Perez disp. 22. sect. 6. docent, quod matrimonium contra talem prohibitionem factum sit validum; quia cum matrimonium sit res adeo ardua, & gravissimum negotium sit illud irritare, exposcit clausulam irritantem, qua specialis mentio de illo fiat: Unde per clausulam illam generalem solum censetur irritari quicquid fuerit factum in præjudicium Tertii, quin censeatur irritari etiam contractum matrimonialem, de quo non fit mentio.

ARTICULUS II.

De impedimentis dirimentibus in specie. Ac primo de Errore.

I. Recensentur, & explicantur quotuordecim impedimenta dirimentia.
II. Error potest esse multiplex.
III. Error personæ jure naturæ irritat matrimonium, non vero alia Sacramenta, nec alios contractus.
IV. Quomodo fuerit validum matrimonium inter Jacob, & Liam, putatam Rachelem?
V. Error circa Personam, quamvis sit comitans, adhuc matrimonium reddit nullum.
VI. Si dat causam contractui error circa qualitates Personæ, matrimonium non est irritum; secus vero si qualitas apponatur per modum conditionis.
VII. Hinc descendit resolutio celebris casus a Tabiena propositi.
VIII. Reliqui contractus, in quibus error dat causam contractui, sunt irritandi, at non matrimonium, utpote insolubile; nec Professio Religiosa.

I. DIximus in procemio hujus Quæstionis, præter impedimentum ætatis, quatuordecim impedimenta dirimentia enumerari, Primum est *Error*, videlicet Personæ; ut si pro Berta detur Teresia; quia talis error aufert consensum requisitum jure naturæ ad hunc contractum. Error autem conditionis liberæ irritat matrimonium jure Ecclesiastico juxta sententiam communem, videlicet quando alter contrahens putatus liber, est conditionis servilis, seu mancipium: At quando quis expresse non vult consentire, nisi in personam tali conditione affectam, verbi gratia, quæ sit Virgo, Dives, Nobilis, &c., in hoc casu ipsa conditio transiret in conditionem Personæ, & error circa talem conditionem irritaret contractum, ut ostendimus cum de Sponsalibus quæst. 2. art. 8.

Secundum est, *Conditio*, scilicet servilis; Irritum enim est matrimonium contractum cum mancipio, ignorata ejus servitute, ut diximus.

Ter-

Tertium est, *Votum*, videlicet Castitatis sponte emissum, & solemne per susceptionem Ordinis sacri, aut per professionem solemnem; necnon votum simplex castitatis in Religione approbata, ut in Societate Jesu; de quo plura diximus cum de Sponsalibus quæst. 2. art. 4.

Quartum, *Cognatio*, sive legalis, sive spiritualis, sive carnalis.

Quintum, *Crimen*, videlicet homicidium conjugis, ut cum altero contrahatur, prout explicabimus art. 7. Similiter adulterium cum fide data de ineundo matrimonio post mortem conjugis; Et Raptus mulieris.

Sextum, *Disparitas cultus*, seu religionis; hæc enim religionis disparitas irritat matrimonium baptizati cum non baptizato, & impedit matrimonium catholici cum hæreticis.

Septimum, *Vis*, seu metus gravis injuste incussus ad matrimonium extorquendum; de quo satis superque quæst. super. egimus, cum de consensu coacto art. 2.

Octavum, *Ordo*, videlicet Sacer, seu major, ut diximus in tertio impedimento Voti.

Nonum, *Ligamen*, qui enim cum una conjuge est ligatus, invalide contrahit cum alia.

Decimum, *Honestas*, seu Justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere matrimonium cum consanguineis in primo gradu illius, cum qua contraxit sponsalia; & cum consanguineis usque ad quartum gradum illius, cum qua contraxit matrimonium ratum, ut explicavimus quæst. 1. de Sponsal. Art. 7.

Undecimum, *Affinitas*, seu propinquitas Personarum, quæ si nascatur ex copula licita, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive; si vero ex illicita, usque ad secundum tantum.

Duodecimum, *Impotentia*, si sit perpetua, & matrimonium antecedat: in dubio autem, an sit perpetua, vel temporalis, datur a jure triennium ad experiendum. Impuberes tamen, si habeant usum rationis, jure tantum Ecclesiastco invalide contrahunt ante annos pubertatis.

Decimumtertium, *Clandestinitas*, de qua satis superque quæst. super. art. 3.

Decimumquartum, *Raptus*, ut diximus in impedimento quinto Criminis. Nunc de singulis seorsim agendum, incipiendo ab impedimento erroris.

II. Notandum tamen primo, Errorem in matrimonio posse esse, vel circa Personam, seu circa substantiam rei, ut si intendas contrahere cum Berta, & contrahas cum Teresia; vel circa qualitates, ut si intendens contrahere cum Berta divite, pulchra, Virgine, contrahas cum illa paupere, deformi, corrupta.

Notandum secundo, errorem conditionis servilis non esse errorem circa substantiam, sed circa qualitatem; ut si contrahas cum Berta, putata libera, quæ tamen sit serva. Verum jure positivo iste solus error circa qualitatem reddit irritum matrimonium, seu est impedimentum dirimens, ut explicabimus art. sequenti; alii vero errores circa reliquas qualitates non reddunt matrimonium irritum, neque jure naturali, neque positivo; nisi quando transirent in errorem Personæ, ut mox explicabimus.

Notandum tertio, errorem aliquando dare causam contractui, aliquando incidere in contractum, ut explicavimus cum de sponsal. quæst. 2. art 8. Dat causam contractui error, quando est causa, cur aliquod velimus, quod, cognito errore, neutiquam vellemus; ut proinde deprehenso errore, contractus non fieret. Incidit vero in contractum error, si cognitus tempore contractus hunc non impedivisset, quamvis diversimode contractus fuisset celebratus. His explicatis

III. Quæritur primo; Quonam jure error Personæ irritet contractum matrimonialem:

Respondeo, certum esse apud Doctores, quod matrimonium irritet non solum jure Ecclesiastico, ex *cap. Tua nos, de Sponsal. causa* 26. sed etiam jure naturali. Ratio est, quia jure naturæ contractus est nullus, quando deficit consensus contrahentium; atqui quando habetur error circa Personam, cum sit circa substantiam contractus matrimonialis, deficit consensus. Nam *leg. Si per errorem ff. de jurisdictione omnium Judicum*, habetur: *Nihil est magis contrarium consensui, quam error*; idest circa substantiam; Et *leg. Cum Testamentum*, dicitur *Errantis nullus est consensus*: ergo matrimonium cum tali errore contractum jure naturæ est invalidum.

Oppones: Alii contractus, & alia Sacramenta non irritantur, si habeatur error circa Personam; ergo neque matrimonium. Antecedens patet, nam si vendatur equus, aut si conferatur baptismus, vel absolutio Paulo, qui putatur esse Joannes, tam contractus venditionis, quam baptismus, vel absolutio sunt valida, quamvis cum errore circa Personam. Immo emptio, & venditio sunt valida, etiamsi error sit circa materiam, ut si ematur cera Neapolitana pro Veneta, quando scilicet sunt ejusdem valoris, & utilitatis.

Confirmatur, quia conjugium Jacob cum Lia fuit validum; & tamen Jacob putavit Liam esse Rachelem, pro qua septem annis servivit; ergo error circa Personam non irritat matrimonium.

Respondeo, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in contractu matrimonii error circa Personam est circa substantiam, & objectum principale contractus; secus vero in aliis contractibus, & Sacramentis.

Nam

Nam qui, verbi gratia, baptizat, ordinarie intendit tantum baptizare Personam præsentem; quæcumque illa sit; & qui vendit equum, intendit solum tradere equum danti pretium, quicumque ille sit; & qui emit ceram, intendit emere ceram, quæ sit tanti valoris, & utilitatis, sive sit Neapolitana, sive Veneta; unde in his casibus error circa personam, aut circa materiam non est circa objectum principale contractus: Contra vero, qui contrahit matrimonium, respicit per se, & primario personam tradentem suum corpus, utpote quæ valde conducit ad substantiam contractus, & ideo ejus error dirimit matrimonium.

Ubi adverte, quod etiam in aliis contractibus error circa substantiam, seu circa objectum principale reddat illos invalidos. Nam si quis, verbi gratia, donet aliquid titulo consanguinitatis, vel paupertatis, donatio erit nulla; si Donatarius vere non sit consanguineus, vel pauper; & ideo communiter Doctores docent cum Sanch. lib. 7. disp. 18., quod qui fingit paupertatem, non potest retinere sibi eleemosynam datam titulo paupertatis, sed restituere illam debet; nisi forte eleemosyna esset modica, quia tunc qui dat eleemosynam, non solet illam conditionem implicite apponere, si est pauper: Nec tenetur ad restitutionem, qui vere pauper cum sit, fingit sanctitatem, aut vulnera, ut eleemosynam extorqueat: quia sanctitas, & vulnera illa apparentia sunt solum motivum impellens, non vero causa finalis eleemosynæ, quæ datur: etenim eleemosyna datur huic, quia pauper est, non vero si est sanctus, aut si est vulneratus; quamvis sanctitas, & vulnera putata impellant ad dandum. Quod si aliquando vulnera illa apparentia essent causa finalis alicujus magnæ eleemosynæ, certe ad restitutionem teneretur, qui vulnera fingeret.

IV. Ad confirmationem dico, Liam, & Jacob tunc valide contraxisse matrimonium, quando post concubitum, deprehenso errore, consenserunt in matrimonium. Non peccarunt tamen in concubitu præcedente matrimonium, quia cum errore invincibili affectu maritali se cognoverunt; Jacob enim putavit, illam esse Rachelem, quam expectaverat, Lia vero putavit, potuisse valide contrahere matrimonium ex lege primogenitorum; nam ut ait Glossa in causa 29. quæst. 1., consuetudo tunc erat, primogenitam primo nuptui dare.

Ex dictis sequitur, non posse Papam efficere, ut error Personæ non irritet matrimonium; cum nec possit Papa tollere jus naturæ, nec possit supplere defectum talis consensus; sicut potest in aliquibus aliis contractibus spectantibus ad bona externa; unde illos potest revalidare. Et disparitas est, quia potest aliquando Ecclesia, vel Papa disponere de quibusdam bonis nostris externis, nobis invitis, non tamen de corporibus nostris in ordine ad usum matrimonii. Et ratio est, quia habet Papa dominium indirectum in bona externa, non vero in nostra corpora relate ad hunc finem. Solus Deus habet in nostra corpora dominium relate ad usum matrimonii; & ideo solus Deus posset supplere defectum consensus matrimonialis, seu obligare Titium, & Bertam sine proprio consensu ad ea, ad quæ obligarentur, si matrimonium contraherent.

V. Quæritur secundo; An etiam error circa Personam incidens in contractum, seu comitans, irritet matrimonium? Si verbi gratia, Jacob contraheret cum Lia, quam putat esse Rachelem, sed ita esset affectus ad Liam, ut, si sciret, illam esse Liam, libentius cum ea contraheret. Et idem dubium est de errore conditionis servilis comitante; quando scilicet Liber contrahit cum Serva, ignorando ejus conditionem servilem, sed ita est dispositus ad contrahendum, ut etiamsi sciret, eam esse servam, cum ea contraheret?

Respondeo cum communi apud Sanch. lib. 7. disp. 18. contra Comitol. lib. 1. quæst. 121., etiam tale matrimonium esse invalidum, quamvis Jacob diceret expresse Liæ, quam putat Rachelem, Ducerem libenter te, si scirem te esse Liam; dummodo non habeat intentionem contrahendi cum fœmina præsenti, quæcumque illa sit, sive Lia, sive Rachel, sive serva, sive libera. Ratio doctrinæ est, quia etiam cum tali errore comitante deficit in Jacob. consensus absolutus ducendi Liam requisitus ad valorem matrimonii cum illa: ergo tale matrimonium cum Lia contractum est invalidum. Sicut enim qui percutit Clericum, quem putat Laicum eo animo, ut libentius illum percuteret, si sciret esse Clericum, non incidit in excommunicationem, excusante ignorantia comitante, sicut nec incidit in excommunicationem, qui sine actuali percussione dicit: Percuterem Clericum, si adesset: ita prorsus in casu nostro, nec contrahit matrimonium cum Lia, qui dicit: Contraherem cum Lia, si adesset; nec contrahit, qui huic animo conditionato superaddit contractum cum Lia putata Rachele; Nam neque consensus ille conditionatus, neque consensus superadditus absolutus com errore personæ, neque uterque simul sufficiunt ad matrimonium.

VI. Quæritur tertio; An sit validum matrimonium celebratum cum errore qualitatis dante causam ipsi contractui? Verbi gratia, si Titius contrahat cum Berta, quia putat, eam esse nobilem, divitem, pulchram, secus non contracturus.

Respondeo cum communi affirmative; nisi

aut

ut qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu, aut error qualitatis transiret in errorem personæ, ut mox eplicabimus. Ratio doctrinæ est, quia toties contractus est validus, quoties subsistit ejus substantia, circa quam versatur; atqui quando error est solum circa qualitates, subsistit substantia contractus; quia contractus matrimonialis primo & per se fertur in personam, cum qua contrahitur, & qualitates personæ se babent tantum per modum rationis motivæ; ergo si error sit tantum circa qualitates, quamvis det causam contractui, adhuc matrimonium est validum; habetur enim in tali casu voluntarium simpliciter, & solum involuntarium secundum quid.

Quod si qualitas apponatur per modum conditionis, certum est, quod matrimonium sit invalidum. Nam quando Titius dicit Bertæ; Duco te, si vere es nobilis; jam deficiente nobilitate, deficit consensus absolutus essentialiter requisitus ad valorem matrimonii. Similiter si error qualitatis transeat in errorem Personæ, matrimonium est invalidum; quia deficit consensus circa substantiam matrimonii, eo quod error circa Personam impediat, ut diximus, consensum circa substantiam matrimonii: Verbi gratia, si Titio propositæ fuerunt nuptiæ cum Primogenita Pauli, & deinde contrahat cum Secundogenita, quam putat Primogenitam, error qualitatis transit in errorem personæ, quia animo sibi proposuerat Titius ducere aliam personam, nempe primogenitam. Et universim, ut docent Sanch., Con., Perez disp. 20. sect. 4., error qualitatis transit in errorem personæ, quando intellectus contrahentis a qualitate aliqua personæ cognita determinatur, ut talem personam concipiat, cum qua intendit contrahere, & tamen externum contractum celebrat hic & nunc cum alia persona.

VII. Hinc deciditur celebris ille casus adductus a Tabiena V. *Impedimentum*. Titius petiit a Cajo secundogenitam valde pulchram, Cajus illam negavit, promisitque illi primogenitam, quæ erat deformis; Titius vero antequam cum primogenita deformi contraheret, voluit, ut cuidam Amico ea ostenderetur; Cajus autem pro primogenita deformi ostendit Amico illi secundogenitam pulchram; Unde Titius audita ab Amico ejus pulchritudine, contraxit cum primogenita, quam falso credebat pulchram. Respondent Tabiena, Con., Perez, Sanch. disp. 18., matrimonium hoc esse validum; quia error fuit solum circa qualitatem pulchritudinis, nec error qualitatis in hoc casu transibat in errorem personæ; nam consensus Titii non poterat dirigi in secundogenitam; quippe quæ ei denegata fuerat a Cajo.

Quod si fingamus, secundogenitam non fuisse denegatam, sed solum promissam fuisse a Cajo primogenitam; & deinde pro illa Cajum ostendisse Amico secundogenitam, in tali casu Tabiena dubitat, an matrimonialis contractus factus cum primogenita fuisset cum errore personæ, atque adeo dubitat, an matrimonium fuisset invalidum: Con. tamen, & Perez docent, neque in tali casu haberi errorem personæ; atque adeo adhuc matrimonium cum primogenita fore validum. Ratio est, quia intentio Titii semper ferebatur in primogenitam sibi promissam, quam falso credebat Amico ostensam, & esse pulchram.

Si tamen Cajus plures filias habens nullam in particulari promisisset, sed unam ostendisset Amico, aliam deinde traderet in matrimonium Titio, docet Sanch., matrimonium esse invalidum; quia involvit errorem personæ; etenim intentio Titii determinata fuit ad filiam ostensam suo Amico. Si demum Cajus promisisset Titio unam ex filiabus suis, quam ostenderet Amico, & deinde ostendisset Amico aliam fœminam, non vero ullam ex filiabus suis, esset etiam invalidum matrimonium Titii, tam si contraheret cum illa fœmina ostensa, quippe quæ non erat filia Caji, quam si contraheret cum aliqua alia filia Caji, quippe quæ non erat illa ostensa.

Oppones: Contractus stricti juris initi per dolum dantem illis causam sunt invalidi ex *leg. Et ineleganter ff. de dolo*: ergo etiam matrimonium est irritum, si dolus, vel error circa qualitates personæ dat illi causam. Quare sicut qui fingendo paupertatem extorquet eleemosynam, non acquirit dominium eleemosynæ ex defectu consensus in conferente; Ita qui fingendo divitias, vel nobilitatem extorquet contractum matrimonialem, non acquirit dominium in corpus alterius ex defectu pariter consensus in contrahente.

Confirmatur; quia Sponsalia contracta per dolum dantem illis causam, sunt invalida; ergo etiam matrimonium.

Respondeo, distinguo antecedens: Contractus initi ex dolo, vel errore dante illis causam sunt invalidi, si error sit circa substantiam contractus, ut in casu adducto de conferente eleemosynam ingenti paupertatem, concedo; Si error sit extra naturam contractus, & non circa substantiam illius, ut est error circa qualitates personæ in contractu matrimoniali, nego antecedens, & consequentiam. Verum quidem est, quod contractus bonæ fidei initi ex dolo dante causam contractui sint irritandi, etiamsi dolus versetur circa accidentia, non circa substantiam contractus; quia tamen matrimonium ex institutione divina est indissolubile, nec irritum est, nec irritandum, quando dolus dans causam contractui versatur circa accidentia.

Ad confirmationem diximus, cum de Sponsal. ex Less. & Con. probabilius esse, quod sponsalia etiam sint irritanda, ut reliqui contractus, non vero irrita, quando dolus, sive error dat causam contractui Sponsalitio: Verbi gratia, si quis ratione divitiarum promittat matrimonium Bertæ simulanti se divitem. Et ratio est, quia in tali casu non deficit consensus circa substantiam, nec deficit voluntarium simpliciter: ergo contractus non est irritus, quamvis sit irritandus; Quia tamen matrimonium ratione suæ indissolubilitatis irritari non potest, idcirco in simili casu nec irritum est, nec irritandum.

VIII. Addo, quod etiamsi universim sit ipso jure irritus contractus celebratus per dolum dantem illi causam, qui adhibeatur ab altero contrahente, ut docet Sanch. lib. 1. disp. 64. ex *lege laud. Et eleganter*, ex defectu consensus contrahentium; tamen contractus matrimonialis (sicut etiam professio religiosa) celebratus per eundem dolum in casu nostro est validus; quia in matrimonio qualitas Personæ non spectat ad substantiam contractus, sed ad rationem impulsivam; ergo error circa illam non tollit consensum, nec voluntarium simpliciter, ut docent communiter Doctores.

Ratio a priori est, quia cum matrimonium sit indissolubile (sicut etiam professio religiosa) incongruum est, ut quis talem statum perpetuum eligat dependenter ab aliis rebus intrinsecis, & accidentariis præter eas, quæ sunt de talis status substantia; aliter multa matrimonia, & professiones censenda essent irrita; quod cederet in grave damnum, & scandalum Reipublicæ. Quare dicendum quod voluntas absoluta contrahendi matrimonium, vel profitendi, cum versetur circa statum fixum, & perpetuum, includat virtualiter voluntatem eligendi talem statum, etiamsi erretur in circumstantiis, & qualitatibus statui extrinsecis.

ARTICULUS III.

De impedimento Conditionis servilis.

I. *Matrimonium ignoranter contractum cum mancipiis jure Ecclesiastico est irritum; dummodo inter contrahentes habeatur inæqualitas.*

II. *Servi, invitis Domini, valide, ac licite possunt matrimonium contrahere; dummodo non desint obsequiis debitis.*

III. *Quando servus nequit simul Domino, & Uxori facere satis, prævalet jus Domini, si eo invito matrimonium contraxit; secus prævalet jus Uxoris.*

IV. *Num possit aliquis sive liber, sive conjugatus seipsum venundare?*

V. *Si alter conjux sit liber, alter servus, partus sequitur ventrem quoad servitutem; at sequitur Patrem quoad honores, & nobilitatem.*

I. Certum est primo, solo jure Ecclesiastico, non naturali conditionem servilem unius, ab altero ignoratam, dirimere matrimonium; ut communiter docent contra Sylvest. & Palat. Non est tamen hic sermo de servis ascriptitiis, qui scilicet agris, vel prædiis colendis sunt perpetuo ascripti, inde tantum deducentes, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, quorum filii dicuntur servi originarii; sed sermo est de mancipiis, in quæ Dominus habet plenum jus vendendi, & in quibusvis operibus occupandi.

Certum deinde est, conditionem servilem debere esse ignoratam ab altero contrahente, ut dirimat matrimonium; cæteroqui nulla fieret injuria alteri contrahenti libero; quandoquidem scienti, & volenti nulla fit injuria. Imo communiter Doctores docent apud Bonac. quæst. 2. punct. 3. quod non sit invalidum matrimonium contractum cum errore conditionis servilis, quando æqualis conditionis sunt contrahentes; ut si servus contrahat cum serva, quam putabat liberam, ex cap. *Si quis de Conjugio servorum*; vel si liber contrahat cum serva putata libera, dummodo per matrimonium libertatem acquirat; quicquid repugnent Covar. & Hurt. Etenim Ecclesia apposuit hoc impedimentum, ut tollatur inæqualitas, & ne fiat injuria personis liberis. In his autem casibus nulla haberetur inæqualitas, nec injuria; ergo validum esset matrimonium cum hoc errore contractum: Contra vero est invalidum, si liber contrahat cum serva putata libera, quando hæc non per matrimonium, sed post matrimonium libertatem acquirat; quia quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit. Idque verum est, etiamsi post manumissionem servæ alter contrahens liber inscius impedimenti habuerit cum illa copulam animo maritali; etenim talis copula haberetur vi primi consensus, qui fuit nullus.

Præterea probabile est ex Sanch. disp. 19. validum esse matrimonium contractum cum errore conditionis a libero cum serva, quæ post breve tempus manumittenda est, videlicet ante sex menses, quod tempus in jure putatur modicum; & quod modicum est, pro nihilo reputatur.

Denique notandum, ignorantiam conditionis servilis crassam, & supinam non reddere matrimonium validum, ut communiter docent cum Sanch. lib. 7. disp. 19. contra Sotum, & Ledesm. Ratio est, quia jus absolute irritat matrimonium ignoranter contractum cum servis; ergo quæcumque ignorantia conditionis servilis est impedimentum dirimens.

II. Quæritur nunc primo; An possit mancipium, invito Domino, matrimonium contrahere.

Respondeo, non solum valide, sed etiam licite posse. Ita communiter ex *cap. p. de Conjugio Servorum*. Imo Domini nec possunt mancipiis

piis matrimonium interdicere, nec illa punire, quod matrimonium ipsis invitis contraxerint. Ratio est, quia etiam servi habent plenum dominium in sua corpora; & consequenter possunt per matrimonium tradere conjugi dominium proprii corporis. Debent tamen servi, antequam matrimonium contrahant, consensum a Domino petere, ut diximus quæst.4.art.1.de filiis, qui debent a Parentibus consilium petere, (quamvis non teneantur illud sequi) cum id exigat reverentia debita. Notandum tamen, quod servus cavere debet, ne privet Dominum debitis obsequiis, contrahendo matrimonium, illo invito; Nam per matrimonium non eximitur ab obligatione erga illum.

III. Quæritur secundo; si mancipium, invito Domino, matrimonium contraxit, & non potest simul satisfacere Domino, & Uxori, Utrinam prius satisfacere debet?

Respondeo, variare in hoc puncto Doctores. Probabilius existimo, quod docuit Perez, distinguendum esse; nam si consentiente Domino contraxit matrimonium, prævalere debet jus conjugis; quia cui conceditur principale, videtur concedi accessorium, ex *cap. Prudentiam, de Officio delegati*, si vero, ut in casu proposito, invito Domino contraxit, prævalere debet jus Domini; quia ex *cap.1. de Conjugiis* servus tenetur ad consueta Domino obsequia præstanda, non minus quando est conjugatus, quam quando non est conjugatus. Etenim res cum suo onere transit ad Possessorem, ex *cap. Ex literis, de pignoribus*; atque adeo jus Domini prævalet.

Ubi notandum, quod si Dominus consensit in matrimonium servi, non tenetur ei quicquam remittere de servitiis solitis, sed tenetur non vendere illum in remotis Regionibus sine notabili necessitate, nec impedire omnino usum matrimonii: Contra tamen, si Dominus non consensit, non peccaret contra justitiam, sed solum contra charitatem, si sine justa causa illum in Regionibus remotis venderet.

IV. Rogabis; An conjugatus possit, se ipsum venundare, hoc est seipsum alteri dare in servitutem?

Respondeo, certum esse, id non licere sine justa causa neque conjugato, neque non conjugato; esset enim talis venditio manifesta profusio suæ libertatis, quæ præstantior est bonis fortunæ, & famæ: ergo si non licet prodige profundere bona fortunæ, & famæ, a fortiori nec libertatem. Interveniente autem justa causa, licitum est; quia unusquisque Dominus est bonorum suorum, honoris, famæ, & libertatis. Quod constat exemplo laudabili B. Paulini seipsum vendentis pro libertate filii cujusdam Viduæ. Si vero conjugatus invito altero conjuge seipsum venundaret, peccaret etiam contra justitiam; ut notant Ledesm. & Perez contra Sanch. quia quamvis id non concederet in detrimentum conjugis quoad debitum conjugale, at cederet in dedecus grave uxoris, & filiorum, & redundaret in ipsorum injuriam. Addo, quod in Regno Hispaniæ talis venditio non est valida, & potest ab uxore rescindi non soluto pretio, ex *leg. regia final. titul. 4. part. 4.*

V. Quæritur ultimo; quando alter conjux est servus, alter liber, filii, qui nascuntur, suntne liberi, an servi?

Respondeo, filios in hoc sequi conditionem matris, quæ magis certa est, quam Patris, ex *leg. Partum, Cod. de rei vendicatione*; ubi habetur, quod partus sequitur ventrem; ita ut si mater sit libera, is liber sit, si serva, servus: Contra vero quoad honores, & nobilitatem, filius sequitur conditionem Patris, ex *leg. Cum legitime ff. de statu hominum*. Et rationem assignat D. Thom. quia cum filius recipiat suum esse a Patre, tanquam a principaliori causa efficiente, honor, & dignitas, quæ pertinent ad esse filii, sequuntur conditionem Patris.

Notandum tamen, quod si mater serva fuerit facta libera tempore, quo uterum gestat, partus est liber; quia libera est mater, dum parit, ut notant Sanch. & alii.

ARTICULUS IV.

De Impedimento Voti.

I. Dirimit matrimonium castitatis votum solemne, ac votum simplex in Societate Jesu. At neque hoc dirimit matrimonium ratum: Neque votum solemne annexum Ordini Sacro. Neque Professio Religiosa dirimit matrimonium consummatum.

II. Qui habet causam faciendi perpetuum divortium, valide, & licite potest Religionem ingredi, ac in ea profiteri, altero invito; Secus Professio est invalida. Quid si quis bona fide profiteatur putans conjugem obiisse?

III. Si maritus de consensu uxoris profiteatur in aliqua religione, poteritne uxor in sæculo remanere?

IV. Potestne Pontifex dispensare in voto solemni castitatis?

I. PLurima huc spectantia diximus quæst. 2. art.4. ubi de voto dissolvente Sponsalia; & quæst.3. art.3. cum de indissolubilitate matrimonii. Quare certum est, votum simplex castitatis impedire tantum, non dirimere matrimonium: Contra vero votum solemne, (quod scilicet emittitur in susceptione Ordinis Sacri, & in Professione Religiosa) necnon votum simplex in Religione approbata, quod emittitur in Societate Jesu post novitiatum, dirimit matrimonium, quod post tale votum contraheretur, *ex cap. unic. de voto in 6.*

Certum præterea est, matrimonium ratum jam contractum dirimi per solam professionem religiosam (ut diximus loc. cit.) ex speciali Ecclesiæ statuto; non tamen per votum solemne annexum Ordini Sacro, aut per vota simplicia in Societate Jesu. Dirimitur tamen etiam per professionem solemnem Equitum militarium, ut sunt Equites S. Joannis; quia isti, quamvis non vivant in communi, sunt vere Religiosi, ut Sanch. lib. 2. disp. 18. & alii communiter docent contra Sot.

Denique certum est, matrimonium consummatum dirimi non posse, ne per professionem quidem religiosam; ut constat ex dicto Apostoli: *Mulier alligata est viro, quamdiu vir ejus vivit*; unde si uterque conjux de communi consensu Religionem ingrediatur, & profiteatur, & deinde fornicetur, non solum sacrilegium, sed etiam adulterium committeret.

II. Quæritur nunc primo; An alter conjugum possit valide professionem Religiosam emittere, inscio altero; aut altero per vim, & metum consentiente?

Respondeo, certum esse, quod quando unus conjugum potest facere perpetuum divortium propria auctoritate, potest etiam ingredi Religionem, & profiteri valide, vel Sacros Ordines suscipere, altero conjuge invito remanente in sæculo; ut habetur in *cap. Veniens, de Conversione Conjugatorum*. Seclusa tamen hac causa perpetui divortii, invalida est Professio facta ab uno, altero non sponte consentiente; atque adeo si Titius credens Bertam periisse, bona fide profiteatur, & postea cognoscat, illam esse superstitem, debet ad illam reverti, teneturque reddere illi debitum, non tamen potest debitum petere; Sicut nec potest, mortua Berta, aliam uxorem ducere ratione voti emissi in professione, quod obligat quantum potest, ut communiter docent apud Bonac. & habetur in *cap. Placet, de Conversione Conjugatorum*. Et ratio a priori est, quia actus, qui non valet eo modo, quo fit, valet modo, quo valere potest, ex *cap. unico de desponsatione impuberum in 6*. Potest tamen Episcopus dispensare, ut possit petere debitum; sicut etiam dispensare possunt Religiosi habentes hujusmodi privilegium.

III. Quæritur secundo; An possit Titius post consummatum matrimonium cum Berta, de consensu illius Religionem ingredi, & profiteri, Berta in sæculo remanente?

Respondeo, Bertam regulariter teneri ad ingressum Religionis statim ac Titius de suo consensu professus est; ut ostendit Sanch. lib. 7. disp. 34. Posset tamen Berta in sæculo remanere, si tria concurrant: Primo, quod sit senex, idest saltem quinquagenaria: Secundo, quod votum castitatis emittat: Tertio, quod consensum Episcopi obtineat.

IV. Quæritur ultimo; An possit Papa dispensare in hoc impedimento dirimente voti; ita scilicet, ut valide matrimonium celebret Professus, aut Sacris Ordinibus initiatus?

Respondeo cum communi affirmative; tum quia jure Pontificio, non naturali, tale impedimentum institutum est, ut supra diximus; tum etiam, quia pluries in eo dispensatum est, ut videre est apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 72. & 73. præsertim cum Casimiro I. Rege Poloniæ, qui erat Diaconus, & Professus Benedictinus, & auctoritate Benedicti IX. vel Clem. II. ad nuptias transiit.

ARTICULUS V.

De Impedimento Ordinis.

I. Ordo Sacer dirimit matrimonium contrahendum, non vero contractum. Et etiam apud Græcos irritum est matrimonium post Ordines Sacros contractum.

II. Qui Sacros Ordines suscipit, tenetur emittere votum castitatis. Quod si expresse id nolit, & peccat graviter per hoc, quod votum non emittat, & peccando contra castitatem peccat etiam sacrilege speciali sacrilegio; quamvis non peccet contra votum.

III. Hinc ex voto simul, & ex lege Ecclesiæ habens Ordines Sacros tenetur castitatem servare; & invalide contrahit matrimonium, quamvis noluerit vovere castitatem.

IV. Qui ante pubertatem susciperet Ordines Sacros, tenetur castitatem vovere; Qui vero in infantia, tenetur cum pervenerit ad usum rationis de statu amplectendo decernere.

V. Invalide Ordinatus ex defectu intentionis in Ordinante non tenetur ad castitatem servandam, eo quod voverit illam accessorie: Secus vero qui pariter invalide Professionem Religiosam emitteret.

VI. Suscipiens Ordines Sacros per metum gravem probabiliter invalide castitatem vovet; Unde potest matrimonium contrahere, & ad horas recitandas non obligatur. Sed probabilior est sententia opposita.

I. ANnectimus hic impedimentum Ordinis; utpote Voti impedimento affine. Dirimit Ordo Sacer matrimonium contrahendum, non vero contractum; Unde si quis absque consensu uxoris post matrimonium ratum suscipiat Ordines Sacros, non ingrediendo Religionem, tenetur reddere, quamvis non possit petere debitum; & est Irregularis ex *Extravag. Antiquæ, de Voto*. Verum Ecclesia Græca permittit quidem conjugatis suscipere Ordines Sacros, & uti matrimonio ante Sacros Ordines contracto; Irritum tamen est matrimonium post Sacros Ordines celebratum, etiam apud Græcos, non secus ac in Ecclesia Latina.

II. Quæ-

II. Quæritur nunc primo; Utrum ex voto tantum, an etiam ex Ecclesiæ præcepto teneatur servare castitatem initiatus Ordine Sacro?

Respondeo, Valen. apud Perez disp.27. sect.2. putare, quod ex solo Ecclesiæ statuto servare teneatur castitatem: Quod probat, quia si quis vellet suscipere Ordines, & non se obligare ad castitatem, adhuc ad castitatem teneretur; at non ex vi voti, seu propriæ promissionis; ergo ex Ecclesiæ statuto. Communiter tamen cum D. Th., & Sanch. lib. 7. disp. 27. docent, obligationem servandi castitatem haberi ex voto implicito, quod ex statuto Ecclesiæ emitti debet a suscipiente Ordines Sacros: cum enim is sit usus Ecclesiæ, ut suscipientes Ordines Sacros obligentur ad castitatem, consequenter qui vult illos suscipere, implicite vult castitatem promittere, seu vovere, etiamsi explicite illam non voveat. Quare ipsa voluntaria susceptio Ordinis Sacri secundum Ecclesiæ leges censetur sufficiens emissio, ac solemnizatio Voti castitatis.

Hinc sequitur primo, quod qui vult suscipere Ordines Sacros, & expresse non intendit se obligare ad castitatem, peccet sacrilege, non solum quia indigne recipit Sacramentum Ordinis, sed etiam quia recipit sine dispositione ab Ecclesia requisita, idest sine promissione castitatis.

Sequitur secundo, quod si iste talis fornicetur, non peccet contra votum; sed peccet sacrilege speciali specie sacrilegii, ut notat Con.de Sacram. Ordinis dub. 3., quia peccat contra Ecclesiæ statutum prohibens actus contra castitatem habenti Ordines Sacros ex speciali indecentia talis status, atque adeo ex motivo Religionis. Immo cum semper maneat obligatus ad emittendum votum castitatis, inde fit, ut continuum sacrilegium committat, quousque tale votum non emitit.

III. Sequitur tertio, quod iste talis invalide contraheret matrimonium, non ratione voti, cum illud non emiserit, sed ex lege, seu constitutione Ecclesiæ reddentis inhabiles ad contrahendum matrimonium initiatos Ordinibus sacris.

Sequitur quarto, obligationem servandi castitatem in habente Ordines Sacros non oriri duntaxat ex voto, sed etiam ex Ecclesiæ lege; quæ non solum præcipit, ut tale votum emittatur, sed etiam reddit invalidum matrimonium habentis Ordines Sacros, etiamsi non emiserit votum.

IV. Sequitur ultimo, quod si quis doli capax ante pubertatem suscipiat Ordines Sacros, obligari debeat voto solemni castitatis, ut communiter docent cum Suar., Hurt., Perez contra Sanc. lib. 7. disp. 3. Etenim cum habeat usum rationis, debet, ut cæteri, obligari.

Neque dicas; Votum solemne Religionis non obligat ante decimum sextum annum; ergo neque votum solemne annexum Ordini Sacro. Negatur enim consequentia, quia in particularibus dispositionibus juris positivi argumentum a pari nihil concludit: Neque enim, quia in pervigilio Nativitatis S. Joannis Baptistæ tenemur jejunare idcirco tenemur etiam jejunare in pervigilio Nativitatis Beatæ Virginis, quamvis hæc sit illo sanctior, & venerabilior.

Dubium est de Infantibus, qui ante usum rationis ordinantur in Sacris. Quamvis etiam certum sit, quod isti valide ordinentur, & characterem recipiant, & simul certum sit, quod isti votum non emittant; Dubitatur tamen, An ex præcepto Ecclesiæ, cum ad ætatem adultam pervenerint, obligandi sint ad castitatem, & invalide matrimonium contrahant?

Affirmant Hurt. disp. 16., Rebel., Ledesm.. Sed communius cum Vasq., Suar., Sanch. lib. 7. disp. 30. negant; quia Ecclesiæ statutum solum obligat eos, qui voluntarie ordinantur, *ex cap.*1. *Qui Clerici vel voventes*: Unde poterit iste puer ante usum rationis ordinatus, cum fuerit sui compos, vel exercere Ordines Sacros, & sic tenetur castitatem vovere, & officium recitare; vel poterit velle matrimonium contrahere; & sic remanere perpetuo suspensus ab usu Ordinis.

Hinc sequitur, quod adulti, qui ordinantur in Sacris, cum ignorantia invincibili voti annexi Ordinibus Sacris, & cum ignorantia statuti Ecclesiæ reddentis Ordinatos inhabiles ad contrahendum, sequitur, inquam, quod non solum invalide matrimonium contrahant, sed etiam obligentur ad votum emittendum, & ad recitandum officium, ut docent Sanch. disp. 27., & Bonac. quæst. 3. punct. 9. contra Vasq.; Etenim qui libere vult statum aliquem, vel aliquod munus suscipere, vult etiam implicite quæcumque tali statui, aut muneri sunt annexa, etiamsi de iis habeat ignorantiam; Quod si adultus involuntarie ordinaretur, quia vere Ordines non susciperet, nullam contraheret obligationem; & sic posset valide, & licite matrimonium contrahere, & ad horas recitandas non teneretur.

V. Dubium præterea est; An qui invalide ordinatur, verbi gratia, ex defectu intentionis in Ordinante, teneatur adhuc vi voti simplicis ad castitatem: Sicuti tenetur, qui invalide est professus, ex illo Principio, quod *Actus, qui non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potest*.

Communiter contra nonnullos negant; quia recipiens Ordines non intendit emittere votum castitatis, nisi quatenus tale votum necessario debet consequi Ordines Sacros; atque adeo tantum accessorie intendit vovere castitatem; ergo si

go si invalide recipit Ordines, votum revera non emisit; etenim accessorium non subsistit, non subsistente principali: Contra vero qui in Religione Professionem emittit, principaliter intendit vovere castitatem; unde si invalide profitetur, puta ex defectu ætatis, licet non teneatur voto solemni, tenetur tamen voto simplici castitatis, juxta doctrinam Sanch. lib. 7. disp. 27. num. 13.; quia scilicet Professioni Religiosæ non est accessorium votum castitatis; (sicut est accessorium Ordini Sacro ex statuto Ecclesiæ) sed est essentiale, & principale.

Ex hac doctrina sequitur, quod si quis suscipiens Ordines minores castitatem voveat, eo quod putet iis Ordinibus esse annexum pariter votum solemne castitatis, revera nec voto solemni, nec simplici ad castitatem teneatur, ut docet Sanch. lib. 7. disp. 31., Bonac. loc. cit., & alii contra non paucos; immo interveniente justa causa, possit absque culpa ulla veniali matrimonium contrahere. Ratio est, quia iste talis non intendebat vovere castitatem, nisi quatenus credebat, tale votum esse annexum Ordinibus minoribus; ergo cum revera non sit annexum, sequitur, quod tali voto non obstringatur.

VI. Quæritur etiam; An qui per metum gravem suscipit Ordines Sacros, teneatur ad castitatem, & invalide contrahat matrimonium?

Respondeo, Bonac., Sanch. Con., & alios negare; quia votum tali metu emissum jure Ecclesiastico est irritum, *ex cap. Perlatum, de iis, quæ vi, metusve causa fiunt*; unde non obligatur ad castitatem vi voti; Neque obligatur ex præcepto Ecclesiæ; quia Ecclesia obligat ad castitatem illos tantum, qui sponte Ordines suscipiunt, ac privilegiis Clericalibus uti volunt; Par enim est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, ex *Regula* 55. *de Regulis juris in 6*. Et propter eandem rationem non inhabilitat talem personam ad contrahendum matrimonium; Nec obligat illum ad officium recitandum, nisi sublato metu, & coactione, sponte amplectatur statum Clericalem.

Vasq. tamen tom. 3. in 3. part. disput. 236. cap. 3. cum Silv., & aliis affirmat teneri ad castitatem, tum ratione voti, tum ratione præcepti. Tenetur quidem ratione voti, quia jure Ecclesiastico solum irritatur votum emissum in Religione per gravem metum, non vero votum in susceptione Sacri Ordinis sic emissum: Tenetur etiam ratione præcepti Ecclesiastici; quia qui per metum gravem Ordines suscipit, libere consentit ad Ordines suscipiendos; (cum metus non tollat libertatem, & voluntarium simpliciter) atque adeo consentire etiam debet ad votum castitatis, & ad obligationem inde provenientem.

Neque dicas: Præceptum Ecclesiasticum cum gravi metu non obligat. Nam contra est, quia in casu nostro Ecclesia tantum accessorie obligat ad castitatem illum, qui voluntarie, licet coactus, suscipit Ordinem Sacrum; Quare si voluntarie ordinatur, voluntarie etiam suscipere debet obligationem servandi castitatem, cum accessorium sequi debeat principale.

ARTICULUS VI.

De Impedimento cognationis.

I. Cognatio triplex est, Spiritualis, Legalis, & Naturalis, juxta triplicem modum, quo personæ possunt esse propinquæ inter se.

II. Explicatur quousque cognationes istæ matrimonium dirimant.

III. Plura requiruntur, ut spiritualis cognatio contrahatur.

IV. Spiritualis cognatio a Patrinis non contrahitur, si baptismus conferatur privatim, aut si in Ecclesia solum suppleantur solemnitates. Baptizans autem illam contrahit etiam in baptismo privato. Quid si Pater filium baptizet?

V. In baptismo, in quo Patrinus suscipit puerum per Procuratorem, probabilius solus Principalis cognationem contrahit.

VI. Si plures puerum teneant in baptismo, quisnam contrahit cognationem?

VII. Cognationis Legalis impedimentum probabilius per solam adoptionem perfectam contrahitur.

VIII. Num sit jure naturæ irritum matrimonium inter fratrem, & sororem?

IX. Quid de Matrimonio inter Avum, & Nepotem? Aut inter Affines in primo gradu?

X. Quid de matrimonio inter Patrem, & filiam?

I. Triplex datur cognatio, Spiritualis, Legalis, & naturalis; quia propinquitas personarum oriri potest vel vi Sacramentorum, vel vi legis, vel ex ipsa natura.

II. Cognatio Spiritualis est propinquitas quarundam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem, & susceptionem Baptismi, & Confirmationis. Nam sicut per generationem naturalem contrahitur cognatio naturalis; ita per generationem spiritualem factam in his Sacramentis contrahitur cognatio spiritualis: Proinde dirimitur matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, inter baptizantem, & Patrem, & Matrem baptizati; & eodem modo inter susceptorem, & susceptum, atque hujus patrem, & matrem; non vero inter susceptores ipsos; Et idem dicas in Sacramento Confirmationis ex Trident. sect. 24. Olim cognatio spiritualis erat triplex, Paternitas, Compaternitas, & Confraternitas. Paternitas erat inter baptizantem, aut con-

confirmantem, ac suscipientem, & baptizatum, aut confirmatum; Unde illi dicti sunt Patrini. Compaternitas erat inter baptizantem, confirmantem, suscipientem, & patrem, & matrem baptizati, aut confirmati; unde dicti sunt compatres, & commatres. Confraternitas erat inter filios baptizantis, confirmantis, suscipientis, & baptizatum, aut confirmatum. Trident. loc. cit. tamen sustulit Confraternitatem, & reliquit tantum paternitatem, & compaternitatem, & decrevit, ut unus tantum esset susceptor, sive vir, sive mulier, aut ad summum unus, & una, qui baptizatum, aut confirmatum suscipiant.

Cognatio legalis est propinquitas quarumdam personarum consurgens ex adoptione; dirimitque matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes usque ad quartum gradum. Probabile tamen est ex Dian. par. 9. tract. 6. resol. 54., quod post Trident. dirimit solum usque ad secundum gradum inclusive: Dirimit etiam inter uxorem adoptantis, & adoptatum, & viceversa inter uxorem adoptati, & adoptantem; sicut inter filios adoptantis, & adoptatum: Si tamen filii adoptantis emancipentur, aut eorum pater moriatur, cessat cognatio, atque adeo impedimentum, ut notat Bonac.

Cognatio naturalis est propinquitas personarum orta ex hoc, quod personæ ab eodem stipite proximo per naturalem generationem descendant. Hæc cognatio olim dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum; nunc vero post Lateranense sub Innoc. III. dirimit solum usque ad quartum gradum lineæ transversalis inclusive; Nam gradus omnes lineæ rectæ probabile est jure naturæ esse prohibitos; sicut & primum gradum lineæ transversæ.

Ita tamen numerantur gradus lineæ rectæ, ut tot gradibus distare unus dicatur ab alio, quot generationibus inferior a Superiore descendit: Verbi gratia, quia filius descendit a Patre per unicam generationem, dicitur filius uno gradu distare a Patre, seu esse illi consanguineus in primo gradu lineæ rectæ; quia vero nepos descendit ab Avo per duas generationes, ideo consanguineus est illi in secundo gradu; Et eadem ratione Pronepos Proavo est consanguineus in tertio gradu; & Abnepos ab Abavo distat in quarto; sic etiam ab Atavo, Tritavo, & aliis Majoribus.

Gradus vero lineæ transversæ ita numerantur, ut tot gradibus personæ distent inter se, quot gradibus distant a communi stipite; Verbi gratia, duo fratres dicuntur consanguinei in primo gradu; quia uno gradu distant a Patre stipite communi: E contra Patrueles, & Consobrini dicuntur esse in secundo gadu consanguinitatis; quia a communi stipite, hoc est ab Avo duobus gradibus, seu duabus generationibus distant; Sic etiam Patruus, & Nepos sunt in secundo gradu; quia nepos, qui magis distat ab Avo communi stipite duobus gradibus distat: Verum quia Patruus uno tantum gradu distat ab Avo stipite communi, idcirco Nepos, & Patruus dicuntur habere consanguinitatem primi in secundum gradum: Et idem dicas de Amita, & Matertera cum Nepote. Præterea filii Patruelium, & Consobrinarum dicuntur esse in tertio gradu consanguinei; quia tribus gradibus distant a communi stipite, hoc est a Proavo, & sic de reliquis. Jus tamen civile computat gradus utriusque Consanguinei, & dicit, Fratres inter se distare duobus gradibus, Patruum a Nepote tribus, Patrueles quatuor, filios Patruelium sex. His explicatis,

III. Quæritur primo; Quænam conditiones requirantur, ut contrahatur cognatio spiritualis?

Respondeo ex Bonac., Con., & aliis; Primo requiri, ut ii, inter quos contrahenda est cognatio spiritualis, sint baptizati; aliter cum non sint subditi Ecclesiæ, non contrahunt tale impedimentum jure Ecclesiastico introductum: Immo qui tenet alterum in confirmatione, debet esse etiam confirmatus, ex cap. *In baptismate*, *de consecratione*. Debet præterea habere usum rationis; aliter non posset habere sufficientem intentionem obeundi munus suum.

Secundo requiritur, ut Susceptor sit a Parentibus, vel a Parocho designatus: Debent quidem illum designare Parentes; sed in defectum Parentum, potest illum designare Parochus ex Trident.

Tertio requiritur, ut Susceptor teneat manibus susceptum, dum baptizatur, aut confirmatur; vel saltem ut immediate ex baptizantis manibus suscipiat, ex declaratione Congregationis Cardinalium; aliter non diceretur suscipere, vel levare puerum de Sacro fonte. Præterea requiritur, ut susceptor id faciat animo obeundi munus Susceptoris; quamvis non requiratur, ut id faciat animo contrahendi cognationem spiritualem, nec sit necesse, ut Patrini respondeant in Catechismo, ut communiter docent contra Sylvest.

IV. Quarto requiritur, ut Sacramentum conferatur; Unde quando puer domi baptizatur, & in Ecclesia supplentur solemnitates, non contrahitur cognatio ab eo, qui illum suscipit in Ecclesia; quia is vere non est susceptor in baptismo: Si tamen in Ecclesia rebaptizetur sub conditione, contrahitur cognatio.

Quinto demum requiritur, ut Susceptor puerum teneat, dum baptismus solemniter administratur: Unde quando privatim domi baptizatur, Patrini non contrahunt hanc cognationem; ut docent communius cum Suar., Sanch. contra Navar., Con., Sa, Guttierez. Et ratio est, tum

tum quia Ecclesia instituit susceptores solum in baptismo solemni, ut constat ex Trident. loc. cit. tum etiam, quia communiter non vocantur Compatres, & Patrini, nec tales habentur, qui suscipiunt puerum in baptismo privato. Verum qui privatim est baptismi Minister, cognationem contrahit; cum talis cognatio universim ex collatione veri baptismi consurgat. Unde fit, quod si in extrema necessitate Pater baptizet filium suæ concubinæ, non possit postea matrimonium cum illa contrahere. Si vero Pater in extrema necessitate baptizet filium suæ uxoris, non impeditur, petendo debito; quia non debet hanc pœnam parere actus ille virtutis: Si tamen filium sine necessitate baptizet, aut suscipiat, peccat quidem graviter, sed probabiliter nec impeditur a debito petendo; ut docent, Suar., Con. disp. 34. dub. 8., & alii contra plures graves Doctores, ut dicemus quæst. 7. art. 3.

V. Dubium est primo; Quisnam contrahat cognationem spiritualem, quando aliquis mittit Procuratorem ad suscipiendum infantem, Principalisne, an Procurator, an neuter?

Sanch. lib. 7. disp. 59., & alii existimant, quod neuter, non enim Procurator, quia alterius nomine suscipit; Nec principalis, quia vere non suscipit puerum de Sacro fonte, cum illum non tangat; In pœnis autem benigna interpretatio facienda est, ex *Regula 49. juris in 6.* Alii putant, quod solus Procurator cognationem contrahat; quia is vere tangit, & suscipit puerum.

Probabilius tamen docent Bonac., Con.: Sa, Rebel., quod solus Principalis illam contrahat ex declaratione Cardinalium. Et ratio est, quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur, *ex leg. Licet, de constitutione pecuniæ.*

Neque dicas: Si Parochus alium destinet, qui suo nomine puerum baptizet, Parochus non contrahit cognationem spiritualem; ergo neque si Principalis destinet Procuratorem ad puerum suscipiendum.

Nam concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas patet; quia qui baptizat, non potest nomine alterius hominis baptizare; sustinet enim immediate personam Christi, & est verus minister baptismi; unde iste cognationem contrahit, & non Parochus, qui solum dare potest licentiam, non vero constituere illum Procuratorem ad conferendum baptismum: Contra vero in casu nostro.

VI. Dubium est secundo; Quando plures tenent puerum in baptismo, omnesne, an aliqui; Et quinam contrahunt hanc cognationem?

Respondeo, illam contrahi solum a designatis, quamvis contra voluntatem Parochi: Si tamen plures, quam unus, & una sint designati, primus vir, & prima mulier ex designatis, qui puerum tangunt, illam contrahunt; Quod si plures simul puerum tangant, putant aliqui, neminem cognationem contrahere; quia nemo obit illud munus juxta formam a Trident. præscriptam: Communiter tamen cum Sanch., Bonac., Con. docent, quod omnes illam contrahant ex declaratione Cardinalium; nam quamvis Trident. prohibeat, ne plures id munus obeant, factum tamen non irritat.

VII. Quæritur secundo; Utrum impedimentum cognationis legalis oriatur solum ex adoptione perfecta, an etiam ex imperfecta?

Pro responsione notandum primo, Adoptionem esse legitimam assumptionem extraneæ personæ in filium, vel nepotem; neque enim potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, *ex leg. Nec apud, Cod. de hæreditatis constitutione.*

Notandum secundo, ad adoptionem requiri primo, ut adoptans non sit fœmina; Secundo, ut sit sui juris, & major viginti quinque annis; nam usque ad vigesimum quintum annum jure communi non habet administrationem bonorum, exceptis castrensibus, vel quasi castrensibus. Tertio, ut excedat adoptatum saltem decem, & octo annis, & quod possit esse ejus Pater carnalis. Quare etiam Sacerdos potest adoptare; non tamen frigidus, & qui ex alio defectu naturali habet impotentiam ad generandum, cum adoptio sit instituta ad supplendum defectum filiorum.

Notandum ultimo, Adoptionem perfectam dici illam, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, fitque ejus hæres necessarius etiam ex testamento; quod fit auctoritate Supremi Principis. Dicitur vero adoptio imperfecta, seu simplex, qua adoptatus non transit tanquam filius in potestatem adoptantis, nec est ejus hæres necessarius ex testamento, sed solum ab intestato; & fieri potest auctoritate Magistratus inferioris. His explicatis,

Respondeo, Hurt., Rebel., Pal. apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 54. docere, etiam ex adoptione imperfecta oriri impedimentum cognationis legalis; quia etiam adoptio imperfecta est vera adoptio. Sed communius cum Sanch., Reginald., Bonac., Perez negant, quia cum matrimonium sit materia favorabilis, impedimenta restringenda sunt: Et omnia jura, quæ in contrarium adducuntur, explicari possunt de adoptione perfecta. Propter eandem rationem communiter docent, cognationem hanc non oriri inter Arrogatum, seu Adoptatum, & filiam illegitimam adoptantis.

VIII. Quæritur tertio; quodnam matrimonium inter consanguineos sit irritum jure naturæ; ita ut nec inter Infideles sit validum, nec possit Pontifex ad illud dispensare?

Respondeo, certum omnino esse, quod etiam matrimonium contractum ex dispensatione Pontificis

tificis inter Patruum, vel Avunculum, & Nepotem, sit validum; cum in dies Pontifex in eo dispenset. Dubium quidem solum est, an sit jure naturæ irritum matrimonium inter consanguineos in primo gradu lineæ rectæ, puta, inter Patrem, & filiam, inter Avum, & Nepotem, & inter consanguineos in primo gradu lineæ transversæ, puta, inter fratrem, & sororem? Et idem quæritur de affinibus in primo gradu; Utrum scilicet Titius mortua Berta uxore possit valide contrahere matrimonium cum sorore Bertæ ex dispensatione Pontificis?

Circa matrimonium inter fratrem, & sororem esse jure naturæ irritum, & indispensabile, docent Vasq. Sanch. Rebel. Bonac. apud Dian. part. 8. tract. 9. resol. 70. Sed probabilius Hurt. Pont. Præposit. Perez apud eumdem negant; cum Deus voluerit genus humanum propagari per matrimonium inter fratres, & sorores, videlicet inter filios, & filias Adami, & Evæ.

Neque dicas; Apud omnes gentes matrimonium inter fratrem, & sororem prohibetur; ergo jure naturæ est irritum.

Nam primo falsum esse antecedens, docet Dian. loc. cit. cum apud Ægyptios, & Athenienses permitteretur; imo apud Judæos olim illud permitti, videntur ostendere verba illa, quæ dixit Thamar filia David fratri suo Amon 2. Regum 13. *Noli frater mi, noli opprimere me, vel facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, qui non negabit me tibi.* Secundo, concesso antecedente negari potest consequentia; ex eo enim, quod prohibeatur apud omnes gentes tale matrimonium, sequitur solum, quod ferat secum indecentiam, quæ sine gravissima necessitate non possit cohonestari; Sicut fert aliquam indecentiam, quod idem ducat successive duas sorores, quod Privignus ducat Novercam, aut Vitricus Privignam; quod matrimonium infidelium consummatum dissolvatur; quod habens votum simplex castitatis contrahat matrimonium; & tamen in his omnibus casibus Pontifex potest dispensare; ergo etiam in casu nostro. Quędam enim sunt prohibita jure naturali primario, verbi gratia, odium Dei, libido contra naturam, mendacium, &c. quæ nulla ratione cohonestari possunt; quædam vero sunt prohibita jure naturali secundario, verbi gratia, furtum, occisio innocentis, Polygamia, Dissolubilitas matrimonii, &c. quæ scilicet ex aliqua causa cohonestari possunt, ut diximus q. 3. art. 3. Quamvis enim homicidium, verbi gratia, sit contra naturam, tamen licite Abraham volebat occidere Isaac, & licite Judex occidit reum. Eodem pacto discurrendum in casu nostro, videlicet matrimonium inter fratrem, & sororem esse contra jus naturæ secundarium, ita ut concurrente urgentissima causa, possit etiam Pontifex in eo dispensare; cum non sit id prohibitum Pontifici a Deo; Sicut prohibitum est in lege nova, quod possit Pontifex dispensare in Polygamia, aut in dissolutione matrimonii consummati inter fideles; ut constat ex illo: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Notandum tamen, quod Pontifex requisitus ad dispensandum in matrimonio inter fratrem, & sorórem, nunquam voluit dispensare; ut notat Bonac. num. 12. Quod signum est, causam justam ad dispensandum debere esse gravissimam, quæ vix accidit.

IX. Ex hac doctrina infertur, quod possit etiam Pontifex ex urgentissima causa dispensare in matrimonio inter Avum, & Nepotem; ut docet Sanch. lib. 7. disp. 51. Bonac. Dian. part. 8. tract. 1. resol. 69. contra Con. disp. 32. Ratio est, quia participatio sanguinis, quæ provenit a stipite, & transfunditur in descendentes, eo debilior est, quo pluribus per gradus communicatur; consequenter, etiamsi matrimonium inter consanguineos in primo gradu lineæ rectæ esset contra reverentiam Parentibus debitam, & jure naturæ irritum, non videtur tamen esse irritum in secundo, tertio, & aliis gradibus lineæ rectæ. Quare inter infideles validum est matrimonium Bertæ cum suo Avo, Proavo, Abavo, necnon cum suo Nepote, Pronepote, & Abnepote; & inter fideles etiam est validum extra quartum gradum lineæ rectæ, videlicet Bertæ cum suo Atavo, Tritavo, &c. si forte viverent.

Dices cum Con. *In leg. Nuptiæ* 53. *ff. de ritu nuptiar.* dicitur, Jure Gentium (quo vocabulo Jurisconsulti appellant Jus naturæ) inter ascendentes in infinitum incestuosas nuptias contrahi, easque consistere non posse; quia scilicet omnes ascendentes dicuntur vere parentes, seu genitores, & debetur iis naturaliter idem honor, qui debetur Patri, & Matri: Imo secundum recentissimam consuetudinem major honor debetur illis, tanquam veris, & altioribus principiis; ut propterea apud omnes gentes fuerint abominabilia hæc matrimonia non minus, quam Patris cum filia: Ex quo sequitur, quod si Adam resurgeret, invalide matrimonium cum quacumque contraheret.

Respondeo tamen ex Sanch. falsum esse, quod jure gentium incestuosæ sint nuptiæ cum ascendentibus in linea recta; sunt quidem indecentes, non secus ac inter fratrem, & sororem, sed data urgentissima causa possunt cohonestari. Nec refert, quod jus civile illas prohibeat. Nam solius juris Canonici est, stabilire impedimenta matrimonii inter fideles; ita ut jus civile quoad hoc non liget fideles, nisi expresse jure canonico approbetur; ut ostendit Sanch. lib. 7. disp. 3. At jus Canonicum irritat solum matrimonium inter consanguineos usque ad quar-

quartum gradum, non distinguens, an sit ascendentium, vel collateralium; ergo matrimonium cum ascendentibus extra quartum gradum non est irritum. Ad id, quod additur, dico, Avum esse principium per accidens Nepotis, & potius est conditio applicans Patrem productivum filii, quam sit principium filii; & ideo non debetur Avo illa naturalis reverentia, quæ debetur Patri, qui est principium per se: Solum reverentia politica major est respectu Avi quam respectu Patris; quia Avum, ut primum dominum, & primum in gubernando principium revereri debemus.

Eodem modo discurrendum de matrimonio inter affines in primo gradu; præsertim cum sciamus, quod Pontifex in multis casibus dispensarit, ut idem post matrimonium cum una sorore consummatum, illa mortua, duceret secundam sororem; necnon quod eadem fœmina nuberet eodem modo duobus fratribus, ut videre est apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 68. ubi ostenditur ab omnibus pene Academiis Orbis Christiani approbatam fuisse dispensationem Julii II. quod Henricus VIII. Rex Angliæ nuberet Catharinæ filiæ Regis Hispaniarum Viduæ Principis de Galles fratris ejusdem Henrici. Verum quidem est, S. Joannem Baptistam dixisse Herodi Matth. 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Sed id non licebat, vel quia Herodes habebat illam adhuc vivo fratre suo, ut exponit Hieronymus; vel ut alii, quia contra legem Judaicam habebat talem uxorem; Nam Levit. 18. prohibebatur, fratrem copulari uxori fratris defuncti, quando frater reliquerat semen, ut acciderat in casu nostro.

X. Quærendum superest, non quidem ad praxim, sed ad profundam intelligentiam doctrinæ; An jure naturæ irritum sit matrimonium inter Patrem, & filiam, vel inter matrem, & filium; ita ut Pontifex in eo dispensare non possit, etiamsi in Orbe solus Pater, & filia essent superstites, & ipse Pontifex esset inhabilis ad generandum?

Respondeo, Perez disp. 38. sect. 3. docere, quod in tali casu nec Deus ipse posset dispensare, eo quod tale matrimonium sit intrinsece malum, non secus ac mendacium, & libido contra naturam. Verum quamvis communiter Doctores, & Juristæ doceant, esse jure naturæ irritum tale matrimonium, ita ut Pontifex in eo dispensare non possit; multi tamen cum Pont. Henr. Fill. Sanch. lib. 7. disp. 51. & aliis apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 71. docent, quod possit etiam ex urgentissima causa illud cohonestari; sicut occisio innocentis cohonestatur, accedente Dei præcepto. Unde docent, in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum matrimonium inter Patrem, & filiam esse licitum; quia in tali casu potius prævaleret obligatio conservandi genus humanum, quam obligatio non contrahendi cum Parentibus, orta ex reverentia naturali illis debita. Nam damnum privatum irreverentiæ Paternæ consurgens ex tali matrimonio debet cedere, & cohonestari propter bonum commune conservationis speciei humanæ, quod est altioris ordinis.

Hinc fit, quod in tali casu Pontifex non dispensaret, sed solum declararet obligationem naturalem non contrahendi cum Parentibus cedere de facto alteri præstantiori obligationi naturali conservandi genus humanum; Sicut obligatio naturalis non occidendi innocentem cedit alteri præstantiori obligationi naturali obediendi præcepto Dei, qui est Dominus vitæ innocentis. Contra vero in matrimonio inter fratrem, & sororem, ac inter Avum, & Nepotem, necnon in primo gradu affinitatis potest absolute Pontifex dispensare; Nec si ea matrimonia inter Infideles contrahantur, sunt jure naturæ irrita, sed solum de facto sunt irrita jure positivo, in quo Pontifex Legislator potest dispensare, ut ostendimus contra nonnullos.

ARTICULUS VII.

De Impedimento Affinitatis.

I. Quid sit Affinitas? Et quomodo Affinitas non parrat Affinitatem?
II. Et dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, si oriatur ex copula licita; usque ad secundum vero, si ex fornicaria.
III. Si matrimonium sit ratum, & non consummatum, contrahitur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, non vero affinitatis.
IV. Probabilius non est jure naturæ irritum matrimonium inter Privignum & Novercam.
V. Affinitas matrimonio superveniens quid ferat?

I. IMpedimentum affinitatis impedimento cognationis annectimus propter connexionem, quam habent. Est autem Affinitas vinculum, seu propinquitas Personarum orta ex carnali copula licita, vel illicita; Si enim Titius cognoscit carnaliter Bertam, eo ipso fit affinis cum consanguineis Bertæ in eo gradu, in quo sunt cum Berta consanguinei; Verbi gratia, quia Soror Bertæ est illi consanguinea in primo gradu, ideo soror Bertæ fit affinis Titio in primo gradu; & quia consobrina Bertæ est illi consanguinea in secundo gradu, ideo fit Titio affinis in secundo gradu; Et idem dicas de Berta relate ad consanguineos Titii. Notandum tamen, quod consanguinei Titii cum consanguineis Bertæ nullam contrahant affinitatem; Verbi gratia, Frater Titii non fit affinis Sorori Bertæ,

quia

quia affinitas non parit affinitatem. Hinc duo fratres ducere possunt duas sorores, necnon Pater, & filius ducere possunt matrem, & filiam: Eodem modo Titius mortua Berta conjuge potest ducere in uxorem Tereſiam cognatam Bertæ, seu quæ fuerat uxor fratris Bertæ.

II. Quæritur nunc primo; Usque ad quem gradum Affinitas sit impedimentum dirimens matrimonium?

Respondeo, ex copula licita hoc impedimentum dirimere matrimonium usque ad quartum gradum; ex copula vero fornicaria illicita dirimere usque ad secundum gradum. Unde Titius, mortua Berta uxore, nequit ducere ejus sororem, nec consobrinam, nec filiam consobrinæ, nec neptem consobrinæ, aut aliam consanguineam Bertæ in quarto gradu: Si tamen Titius cognoscat illicite Teresiam, nec ejus sororem, nec consobrinam ducere potest, nec aliam consanguineam Teresiæ in secundo gradu.

III. Notandum tamen, affinitatem contrahi dumtaxat ex matrimonio consummato, non vero ex rato; quia affinitas oritur, ut diximus, ex copula apta ad generationem, per quam conjuges fiunt una caro, ex *cap. Debitum* 5. *de Bigamis*; Ex matrimonio autem rato solum oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens etiam matrimonium usque ad quartum gradum.

IV. Dubium est; Jurene Ecclesiastico, an jure naturæ affinitas dirimat matrimonium in primo gradu saltem lineæ rectæ? Diximus art. super., certum esse, quod affinitas jure solum Ecclesiastico dirimat matrimonium in primo gradu lineæ transversalis; cum certum sit contra hæreticos, potuisse Pontificem Julium II. dispensare, quod Henricus VII. Rex Angliæ duceret uxorem Catharinam, quæ fuerat uxor sui fratris; & Genes. 29. habemus, Jacob duas sorores duxisse, Liam, & Rachelem. Quare difficultas solum est, an jure naturæ affinitas dirimat matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, Verbi gratia, inter Privignum, & Novercam; sicut jure naturæ, ut diximus, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit matrimonium? Quamvis Valent., & Con. id asserant; probabiliorem tamen censeo sententiam, quam defendunt Sanch. lib.7.disp.66., Henr., Bonac.; tum quia non apparet tanta indecentia in hoc, quod Privignus ducat Novercam, quanta in eo, quod filius ducat matrem in uxorem; tum etiam quia, ut notat Perez disp. 31. sect. 2., aliquando matrimonia Privigni cum Noverca celebrata sunt. Et Concilium Agathense can. 61. licet prohibeat matrinium inter Privignum, & Novercam, simul tamen præcipit, ne hujusmodi matrimonia ante talem prohibitionem contracta dissolvantur, quod evidenter demonstrat, talia matrimonia non esse jure naturæ irrita.

V. Quæritur secundo: Quem effectum pariat affinitas superveniens matrimonio; Verbi gratia, si Titius committat incestum cognoscendo sororem, vel consobrinam suæ uxoris?

Respondeo, duplicem esse effectum talis incestus. Primus est, quod Titius non possit petere debitum a sua uxore, antequam dispensetur, saltem a Mendicante privilegiato; quamvis possit, & teneatur reddere debitum. Secundus est, quod mortua uxore, non possit aliam ducere, ex *cap.* 1. *de eo, qui cognovit consanguineam*; quod si aliam ducat, non potest ab ea petere debitum: Quamvis hæc pœna ex Sanch. lib. 9. disp. 17. non sit in usu.

ARTICULUS VIII.

De Impedimento Criminis, & Raptus.

I. Crimen Homicidii, Adulterii, & Raptus matrimonium dirimunt.

II. Plura requiruntur, ut Homicidium pariat hunc effectum.

III. Quid requiritur, ut Adulterium dirimat Matrimonium?

IV. Promissio facta a Titio fœminæ de illa ducenda post mortem suæ uxoris est illicita simul, & invalida.

V. Raptus quid sit? Et quando matrimonium dirimat?

VI. Validum est matrimonium inter Raptorem, & Raptam, si ea volente, & invitis dumtaxat parentibus rapiatur.

I. IMpedimentum Criminis est Ecclesiasticum; unde apud Infideles matrimonium non dirimit. Crimen autem, quod inter fideles matrimonium dirimit, duplex est jure antiquo, videlicet Homicidium, & Adulterium, quibus jure novo ex Trident. additum est tertium, videlicet crimen Raptus.

II. Quæritur nunc primo; Quænam conditiones requirantur, ut homicidium dirimat matrimonium?

Respondeo cum Bonac., & aliis communiter, ad hoc ut matrimonium Titii, verbi gratia, cum Teresia sit invalidum, requiri primo, ut Titius occiderit Bertam suam uxorem, vel per se, vel per alium: (& eadem est ratio, si Berta occiderit suum maritum, ut invalide cum alio contrahat) Secundo, ut tam vir, scilicet Titius, quam fœmina, videlicet Teresia, qui matrimonium contrahunt, conspiraverint in mortem primæ uxoris, puta Bertæ, unde si solus Titius, vel sola Teresia machinata sit mortem Bertæ, matrimonium non dirimitur, nisi quando cum homicidio simul intercessit adulterium. Tertio, ut machinatio mortis Bertæ facta sit ad eum finem, quod contrahatur matrimonium cum Teresia. Addit Perez, & Vasq. quod quan-

do committitur ab his homicidium cum intentione contrahendi matrimonium, talis intentio debeat manifestari exterius, ut talem pęnam inducat. Ratio est, quia cum Ecclesia non judicet de internis, non apponit impedimenta matrimonii propter solos actus internos.

III. Quæritur secundo; In quibus casibus adulterium dirimat matrimonium?

Respondeo, dirimere matrimonium primo, quando præter adulterium intervenit homicidium alterius conjugis commissum ad hunc finem, ut inter adulteros matrimonium contrahatur, ut modo diximus. Secundo, quando præter adulterium intercedit, seu potius intentatur matrimonium inter adulteros, vivente conjuge alterius; requiritur tamen, ut uterque conscius sit, quod copula, quam habent, sit adulterium, eo quod conjux alterius sit superstes. Tertio, quando præter adulterium intervenit promissio matrimonii inter adulteros, sive promissio facta sit ante, sive ab uno tantum adultero, sive ab utroque ut docent communiter contra Henr., dummodo promissio non fuerit ficta, ut docet Bonac. contra Sanch., & fuerit acceptata.

IV. Notandum tamen, quod si Titius promittat Teresię matrimonium contrahendum post mortem Bertæ suæ uxoris, peccat tam Titius promittens, quam Teresia acceptans, ut docent commmuniter cum Sanch. ex *cap. final. de eo, qui duxit in matrimonium*. Ratio est, quia datur ansa captandæ mortis Bertæ; immo talis promissio non solum esset illicita, sed etiam invalida, ex Sanch., & Bonac.; cum jus tali promissioni resistat, *ex leg. final. ff. de Pactis*.

V. Quæritur tertio; Quid sit Raptus, & quando dirimat matrimonium?

Respondeo, Raptum esse proprie, quando Persona aliqua per vim de loco in locum adducitur, ut Raptor illam habeat in sua potestate: In hoc enim Rapina distinguitur a furto, quod per Rapinam inferatur vis aut Domino, aut illi, cui res, quæ surripitur a Domino, commissa est; secus vero per furtum. Quare si Titius rapuit hoc pacto Bertam, ipsa repugnante, vel causa matrimonii, vel saltem (ut docet Sanch., & Sa contra Perez) causa libidinis, matrimonium cum illa est invalidum, donec Berta extra Titii potestatem adducta, ac loco tuto, & libero restituta, plene libere in illud consentiat; tunc enim valide contrahunt, ex Tridentino sess. 24. cap. 6. Ubi additur, quod Raptor debeat illam dotare arbitrio Judicis, sive eam ducat, sive non; & tam Raptor, quam præbentes illi auxilium, aut favorem ipso jure sint excommunicati, & perpetuo infames, ac omnium dignitatum incapaces. Omnes tamen hujusmodi pœnæ requirunt sententiam Judicis, ut incurrantur, prout docent communius cum Sanch. disp. 13., præter excommunicationem, quæ incurritur ipso facto.

VI. Quæritur ultimo; An si fœmina rapiatur ipsa volente, sed parentibus invitis, matrimonium dirimatur?

Respondeo cum Sanch. loc. cit., Hurt., Con. contra nonnullos, matrimonium inter Raptorem, & sic raptam non esse irritum; quia Trident. suo decreto constituente hoc impedimentum voluit tantum consulere libertati matrimonii, ad quam solius fœminæ liber consensus requiritur.

ARTICULUS IX.

De Impedimento disparitatis cultus.

I. Matrimonium fidelis cum non baptizato est irritum; cum hæreticis tamen est illicitum, esto consuetudine in multis locis permittatur, si non sit periculum perversionis; nec pactum ineatur, quod aliqui ex filis hæresi adhæreant.

II. Si alter ex conjugibus infidelibus ad fidem convertatur, dissolvitur vinculum conjugale, si nolit alter sine injuria Creatoris cohabitare, aut si simpliciter cohabitare nolit.

III. Si tamen velit cohabitare pacifice, probabilius tenetur fidelis discedere quoad torum.

IV. Horum filii, si careant usu rationis, conjugem fidelem sequi debent; si vero sunt præditi usu rationis, liberum est illis sequi parentem, quem malunt. Quod si de rationis usu dubitetur, adhuc debent fidelem parentem sequi.

I. Irritum est jure Ecclesiastico matrimonium baptizati cum non baptizato: Contra vero matrimonium catholici cum hæretico, vel cum Apostata, vel cum excommunicato est solum illicitum propter periculum perversionis, & ob malam prolis educationem, &c. Ubi tamen consuetudine universali cognita, & tolerata a Pontifice receptum est, ut permixtim Catholici cum hæreticis matrimonium contrahant, (ut accidit in multis Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ locis) videtur cum Sanch. disp. 62. Perez, Tambur. lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 5., id licitum esse, cessante periculo perversionis, quia usus in contrarium potuit legem hanc Ecclesiasticam abrogare. Illicita tamen, & irrita essent pacta, quod aliqui tantum ex filiis nascituris adhæreant fidei catholicæ, alii vero adhæreant hæresi; sunt enim hæc pacta contra jus divinum, quod postulat, ut parentes præbeant remedia ad salutem filiis usu rationis carentibus.

II. Quæritur nunc primo; Utrum conjuges infideles non baptizati, si ad fidem convertantur, sint separandi?

Respondeo, si uterque ad fidem convertatur, per-

perseverare debent in suo matrimonio, si valide sit illud contractum. Et ratio est, quia matrimonium infidelium est verum matrimonium; nec est ratio, cur dissolvatur, quando uterque ad fidem convertitur: (An autem, & quando tale matrimonium evadat Sacramentum? diximus quæst. . art. 1.) Si vero alter tantum conjugum Infidelium ad fidem convertatur, in eodem etiam matrimonio permanere debent, nisi detur causa, propter quam dissolvi possit. Est autem duplex causa illud dissolvendi, ex *cap. Gaudemus, de divortiis.* Prima, si infidelis non vult habitare cum fideli. Secunda, si volens habitare, non vult habitare nisi cum injuria Creatoris, (scilicet audiendo nomen Dei, aut Christi cum despectu, illud blasphemando, & retrahendo familiam ab ejus cultu, aut pertrahendo conjugem fidelem ad peccatum); in his enim casibus potest baptizatus suum conjugem deserere, & novum matrimonium inire: Quod deducitur ex 2. ad Corinth. 7., ubi dicitur: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; quod si Infidelis discedit, discedat*, videlicet dissolvendo vinculum matrimoniale, ut constat ex verbis sequentibus: *Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi;* Idque etiam videntur docere versiculi illi relati in *Glossa cap 4. de divortiis:*

Desere spernentem, & blasphemare volentem?
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem?
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

III. Quæritur secundo; Si infidelis nollet ad fidem converti, vellet tamen cum conjuge fideli habitate pacifice, & sine injuria Creatoris, Num possit fidelis aut cum alio matrimonium contrahere, aut saltem divertere quoad torum?

Respondeo, multos apud Sanch. lib. 7. disp. 73. docere, primis sex sæculis nascentis Ecclesiæ, quando multi infideles ad fidem convertebantur, consilium fuisse, fidelem conjugem permanere cum infideli, quamdiu erat spes conversionis; liberum tamen fuisse discedere solum quoad torum, non quoad vinculum; Deinde vero, quia raro admodum Infideles convertuntur, teneri fidelem discedere quoad torum, si Infidelis ab Episcopo monitus nolit statim converti, ex Conc. Tolet., nisi magnum scandalum ex subito discessu oriatur; sicut nunc oriretur in India, Japonia, &c. si cogerentur conjuges fideles statim separari ab Infidelibus: Alii tamen cum Sot. apud Con. docent, in tali casu licitum esse conjugi fideli discedere ab infideli, etiam quoad vinculum, atque adeo posse cum alio matrimonium contrahere. Prior tamen sententia videtur probabilior, & conformior locutioni Apostoli.

IV. Ubi notandum, quod in tali casu filii istorum conjugum, si careant usu rationis, sequi debent conjugem fidelem; si vero habeant usum rationis, relinquendi sunt in propria libertate; si demum dubitetur, an habeant usum rationis, præsumendum est in favorem fidei, quod non habeant, atque adeo sequi debeant conjugem fidelem. (a)

„ (a) Confer Benedictum XIV. *de Syn. diœces. lib. 6. c. 6. & 7.* Interea hic habete ejusdem „ Pontificis declarationem, & Instructionem *super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia, & Belgio contracta, & contrahenda.*

„ MAtrimonia, quæ in locis fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter Hæreticum ex una parte Virum, & Catholicam Fœminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a Sacro Tridentino Concilio præscripta utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis Hominum ac Sententiis in diversa distractis: Id quod satis uberem anxietatis, ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta Sancta Sede auderent statuere, ac declarare. Cum autem proxime evolutis annis in tam ancipiti, gravique causa Apostolicæ Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui, & sua erga Beati Petri Cathedram observantia de Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixæ dubitationi finem gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet, Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æstimaret, Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissime procedere commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus, atque Sententiis, quas desuper explorari satagit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent. At, dum hæc maxime agerentur, supersedendum per aliquot Menses fuit ab istiusmodi Causæ expeditione propter viduitatem, quæ intercidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas Regiminis suæ curas, Causæ hujus cognitionem repeti jussit a memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum, quid hac re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio præfata sub diem 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N., spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam acccepto, hanc nuper declarationem, & instructionem exarari præcepit, qua, veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antistites, Parochi, earum-

„ que

„ que Regionum Missionarii, & Vicarii Apostolici „ deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

„ Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab „ Hæreticis inter se in locis fœderatorum Ordinum „ dominio subjectis celebrata, non servata forma „ per Tridentinum præscripta, licet Sanctitas Sua „ non ignoret, alias in casibus quibusdam particu- „ laribus, & attentis tunc expositis circumstantiis, „ Sacram Congregationem Concilii pro eorum in- „ validitate respondisse, æque tamen compertum „ habens nihil adhuc generatim, & universe super „ ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede „ definitum, & alioquin oportere omnino ad con- „ sulendum universis Fidelibus in iis locis degen- „ tibus, & plura avertenda gravissima incommoda, „ quid generaliter de hisce Matrimoniis sentien- „ dum sit, declarare, negotio mature perpenso, „ omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo „ libratis, declaravit, statuitque Matrimonia in „ dictis fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos „ usque modo contracta, quæque imposterum con- „ trahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta „ non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo „ aliud non obstiterit canonicum impedimentum, „ pro validis habenda esse; Adeoque si contingat, „ utrumque Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum „ se recipere, eodem, quo antea, conjugali vincu- „ lo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consen- „ sus coram Parocho Catholico ab eis non renove- „ tur; Sin autem unus tantum ex Conjugibus sive „ Masculus, sive fœmina convertatur, neutrum „ posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nu- „ ptias transire.

„ Quod vero spectat ad ea Conjugia, quæ pariter „ in iisdem fœderatis Belgii Provinciis, absque for- „ ma a Tridentino statuta contrahuntur a Catho- „ licis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir Hæreti- „ cam Fœminam in Matrimonium ducat, sive Ca- „ tholica Fœmina Hæretico Viro nubat, dolens „ imprimis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse „ inter Catholicos, qui insano amore turpiter de- „ mentati ab hisce detestabilibus Connubiis, quæ „ S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque in- „ terdixit, ex animo non abhorrent, & prorsus si- „ bi abstinendum non ducunt, laudansque ma- „ gnopere zelum illorum Antistitum, qui severio- „ ribus propositis spiritualibus pœnis Catholicos „ coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se se „ Hæreticis conjungant, Episcopos omnes, Vicarios „ Apostolicos, Parochos, Missionarios, & alios „ quoscumque Dei, & Ecclesiæ fideles Ministros in „ iis Partibus degentes serio, graviterque hortatur, „ & monet, ut Catholicos utriusque sexus ab hu- „ jusmodi nuptiis in propriarum Animarum perni- „ ciem ineundis, quantum possint, absterreant, „ easdemque Nuptias omni meliori modo interver- „ tere, atque efficaciter impedire satagant. At, si „ forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tri- „ dentini forma non servata, ibidem contractum „ jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) „ contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, Ma- „ trimonium hujusmodi, alio non concurrente ca- „ nonico impedimento, validum habendum esse, „ & neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum „ supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictæ „ formæ non servatæ novum Matrimonium ini- „ re; id vero debere sibi potissime in animum in- „ ducere Conjugem Catholicum sive Virum, sive „ Fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod ad- „ misit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo pre- „ cetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem „ a vera Fide decrrantem ad gremium Catholicæ „ Ecclesiæ pertrahere, ejusque Animam lucrari, „ quod porro ad veniam de patrato crimine impe- „ trandam opportunissimum foret, sciens de cete- „ ro, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vin- „ culo perpetuo ligatum iri.

„ Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid ha- „ ctenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis „ sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, „ & Hæreticos initis in locis fœderatorum Ordi- „ num dominio in Belgio subjectis, sancitum, di- „ ctumque intelligatur etiam de similibus Matri- „ moniis extra fines Dominii eorumdem fœderato- „ rum Ordinum contractis ab iis qui addicti sunt „ Legionibus, seu Militaribus Copiis, quę ab iis- „ dem fœderatis Ordinibus transmitti solent ad cu- „ stodiendas, muniendasque Arces conterminas, „ vulgo dictas *di Barriera*; Ita quidem, ut Ma- „ trimonia ibi præter Tridentini formam, sive „ inter Hæreticos utrinque, sive inter Catholi- „ cos, & Hæreticos inita valorem suum obtineant, „ dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, si- „ ve Legiones pertineant; Et hanc declarationem „ vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem „ Mosæ Trajectensis a Republica fœderatorum Or- „ dinum quamvis non jure dominii, sed tantum „ oppignorationis, ut ajunt, nomine possessam.

„ Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur, „ vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, „ qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, „ vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domi- „ cilium in Regionibus Catholicorum Principum, „ nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut „ declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta „ canonica Juris communis principia, probatasque „ in similibus casibus alias editas a Sacra Congre- „ gatione Concilii resolutiones, ubi disputatio con- „ tingat, decidatur; & ita declaravit, statuitque, „ ac ab omnibus imposterum servari præcepit. „ Die 4. Novembris 1741.

ARTICULUS X.

De reliquis Impedimentis dirimentibus, præsertim Publicæ Honestatis, & Impotentiæ.

I. *Excommunicantur Domini temporales, & Magistratus, qui directe, vel indirecte cogunt alios, ne libere matrimonium contrahant.*

II. *Etiam inter Infideles illicita est Polygamia; Qui autem plures uxores habet, si ad fidem convertatur, primam dumtaxat retinere debet, si velit hæc ad fidem converti. Quod si nolit, non tenetur ille alias ducere, quamvis vellent converti.*

III. *Ut possit aliquis ad secundas nuptias transire, non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de morte prioris conjugis.*

IV. *Sponsalia invalida non pariunt impedimentum publicæ honestatis, etiamsi sint invalida*

lida ex defectu consensus; *secus vero matrimonium ratum*.

V. Quid sit Impotentia? Et quotuplex?

VI. Num impotentia perpetua dirimat matrimonium in ordine ad caste, ac socialiter vivendum?

VII. Quid si dubitetur, Num impotentia antecesserit matrimonium, an subsequuta fuerit?

VIII. Et quid si dubitetur, num sit perpetua, an temporalis?

IX. Num senes capulares valide matrimonium contrahant? Quid de Eunucho, de Maleficiato, ac de Hermaphrodito?

X. Ætas ad matrimonium requisita quænam sit?

I. VIs, seu metus fert impedimentum dirimens matrimonium; de eo tamen abunde diximus, cum de consensu coacto, quæst. 4. art. 2. Hic dumtaxat addimus, a Trident. sess. 24. cap. 9. excommunicari Dominos temporales, & magistratus, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos, vel alios cogunt, quominus libere matrimonium contrahant.

De impedimento Ordinis egimus art. 4. hujus quæst., postquam egimus de impedimento Voti.

II. Progredimur itaque ad impedimentum ligaminis, quo nomine intelligitur prioris conjugii etiam rati vinculum, quo durante sequens matrimonium etiam consummatum dirimitur jure non solum Ecclesiastico, sed etiam naturali, & divino; Nam res uni tradita non potest amplius alteri tradi; & Matth. 19. dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur*. In lege veteri dispensavit Deus in pluralitate uxorum, hæc tamen dispensatio a Christo Domino fuit revocata. Cum autem omnes homines, etiam infideles, Christo Domino subjiciantur, sequitur, quod etiam inter infideles illicita nunc sit Polygamia, ut diximus quæst. 3. art. 3. Quare si Titius infidelis plures uxores duxerit, & deinde convertatur ad fidem, solum cum prima tenetur permanere, si illa sine injuria Creatoris voluerit cohabitare; Secus vero neque cum illa tenetur permanere, neque cum aliis, etiamsi aliæ ad fidem convertantur; quia revera non sunt uxores; unde posset aut cum earum aliqua, aut cum alia matrimonium contrahere.

III. Quæritur nunc; Quanta certitudo de morte conjugis requiratur, ut possit quis licite cum alio matrimonium contrahere?

Respondeo, non satis esse probabilitatem de illius morte, sed requiri certitudinem moralem, quæ habetur vel per certum nuncium, vel per testes; aliter contrahens exponit se periculo adulterii.

Sequitur hinc primo, quod testimonium unius testis non sit sufficiens; tum quia in *lege Juris jurandi*, *Cod. de Testibus* dicitur: *Vox unius Vox nullius*; tum etiam quia unus testis non dicitur esse nuncius certus: Excipe tamen, quando testis esset valde gravis, & aliæ probationes haberi non possent, & verosimile esset, quod asseritur.

Sequitur secundo, nec sufficere solam famam de tali morte; tum quia sola fama æquivalet uni testi; tum etiam quia fama sæpe oritur ab auctore incerto, & plerumque fallaci: Satis tamen esset fama, si aliis adminiculis juvaretur, ita ut moraliter certam probationem faceret; quod ad Judicem spectat examinare.

IV. Circa impedimentum publicæ honestatis abunde diximus art. 7. quæst. 1. de Sponsal. Hic solum adverto, dubium esse, An matrimonium ratum invalidum, sed non ex defectu consensus, inducat hoc impedimentum? Negat Navar., & Sa; quia Trident. sess. 24. cap. 3. expresse docet, impedimentum hoc non oriri ex Sponsalibus *quacumque ratione invalidis*; ergo neque ex matrimonio rato invalido; cum eadem videatur ratio in utroque casu. Sed communius cum Bonac. quæst. 3. punct. 11. affirmant. Ratio est, quia quamvis jure antiquo tam Sponsalia, quam matrimonium ratum parerent hoc impedimentum, etiamsi essent invalida, dummodo non invalida ex defectu consensus; tamen jure novo Tridentini solum decernitur, quod Sponsalia, quacumque ratione invalida, hoc impedimentum non pariant; ergo circa matrimonium ratum remanet fixum jus antiquum, quod scilicet pariat impedimentum, etiamsi sit invalidum, dummodo non ex defectu consensus.

V. Agendum superest de Impedimento Impotentiæ; Circa quam dicemus, quæ honeste tantum exponi possunt: reliqua fuse reperiantur apud Sanch., qui lib. 7. hanc materiam viginti septem disputationibus complectitur.

Notandum itaque primo, Impotentes hic dici, qui non possunt habere talem copulam, ex qua fiat una caro ex duobus per utriusque seminis commixtionem, ex qua possit una caro prolis prodire, sive talis impotentia proveniat ex constitutione corporis, sive ex frigiditate, sive ex arctitudine fœminæ, sive ex maleficio.

Notandum secundo, Impotentiam hanc aliam dici perpetuam, aliam temporalem: Est perpetua, quæ nulla arte humana absque miraculo, vel maleficio, vel absque periculo vitæ, aut gravis, & perpetui morbi removeri potest, ex *cap. Fraternitatis de Frigidis* apud Perez disp. 37. Est vero temporalis, quando naturaliter, vel consuetis Ecclesiæ remediis contra maleficium, & sine ullo periculo auferri potest. Præterea impotentia hæc alia est naturalis, quæ a natura provenit, alia artificialis, videlicet ab arte dæmonis; Alia est absoluta, & respectu omnium, scilicet quam habent Eunuchi, & senes omnino exhausti, qui nulla ar-

te medica juvari possunt ad copulam habendam; Alia demum est impotentia respectiva, puta relate ad talem fœminam arctam. His explicatis,

VI. Quæritur; Quænam impotentia dirimat matrimonium, & quo jure?

Respondeo, Impotentiam perpetuam dirimere matrimonium contrahendum, non vero contractum, si illi superveniat; Impotentiam vero temporalem matrimonium non dirimere. Ita communiter ex *cap Fraternitatis*, & ex *cap. Quod sedem*, *de Frigidis*, *& maleficiatis*, contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 75., qui cum Pont., Medin., Veracrux, & aliis docent, impotentiam perpetuam non dirimere matrimonia, quæ contrahuntur in ordine ad caste in societate vivendum; & sine ullo ordine ad copulam. Ratio communis doctrinæ est, quia nemo potest transferre in alterum dominium rei, quam nullo modo habet; ergo nemo potest contrahere matrimonium, & per illud transferre alteri jus mutuum ad usum corporis, si habeat perpetuam impotentiam ad copulam. Ex quo patet, tale impedimentum non solum jure Ecclesiastico, ex cap. *Quod sedem* citato, sed etiam jure naturæ matrimonium dirimere; ita ut qui habet impotentiam perpetuam absolutam, invalide contrahat cum quacumque; qui vero habet impotentiam perpetuam respectivam, vel ex causa naturali, vel ex maleficio, &c. invalide contrahat cum ea, relate ad quam habet talem impotentiam. Dixi deinde, quod si hæc impotentia superveniat matrimonio, illud non dissolvat; cum matrimonium ex Christi institutione sit indissolubile. Quare in tali casu conjuges possent petere, ac reddere debitum, non secus ac senes, ut notat Perez disp.37.sect.10.

VII. Rogabis primo; Quid faciendum, si dubitetur, Num impotentia perpetua orta, verbi gratia, ex maleficio antecesserit matrimonium, an illud consecuta sit?

Respondeo, Sanch. lib. 7. disp. 103. cum aliis putare, præsumendum, quod maleficium fuerit factum post matrimonium, quia in dubio judicandum est in favorem matrimonii. Verum Bonac. quæst. 3. punct. 13. cum Rebel., Sa, & aliis censet, præsumendum esse, quod maleficium antecesserit matrimonium: Tunc enim solum in dubio judicandum est in favorem matrimonii, quando matrimonium sortiri potest suum effectum, videlicet prolis procreationem, vel fugam fornicationis; At in casu nostro matrimonium sortiri nequit effectum suum; ergo in dubio non est judicandnm in favorem matrimonii, sed in favorem libertatis. Si tamen dubium esset, an impotentia perpetua sit vera? in tali casu, quando adhibita diligentia remanet dubium, judicandum esset in favorem matrimonii, quod scilicet non sit vera impotentia; tum quia matrimonium stat in possessione; tum etiam quia quilibet præsumitur potens, donec probetur oppositum, eo quod potentia ad copulam sit naturalis.

VIII. Rogabis secundo; Quid faciendum, si dubitetur, num impotentia sit perpetua, an temporalis?

Respondeo, permitti conjugibus simul habitare, & experiri per triennium; quo elapso, si nequeant habere copulam, ex qua fiat una caro, judicandum, impotentiam illam esse perpetuam, & matrimonium fuisse invalidum; Unde uterque potest ad secundas nuptias transire, si cum alio conjuge talem impotentiam non habeat. Quod si successu temporis deprehendatur, impotentiam illam non fuisse veram, & Judicem errasse in illis separandis, iterum conjungendi sunt; eo quod primum matrimonium revera fuit validum, & consequenter secundæ nuptiæ invalidæ. Eadem est ratio, si alter Sacros Ordines susceperit, aut professionem fecerit religiosam; tenetur enim ad conjugem redire, si matrimonium fuit consummatum; Si vero tantum fuit ratum, non tenetur redire post professionem, cum per illam matrimonium ratum dissolvatur.

Sequitur ex dictis primo, validum esse matrimonium contractum cum fœmina arcta; quia hoc non censetur esse impedimentum perpetuum, quod humana arte tolli non possit. Quare tenetur hujusmodi fęmina pati incisionem, etiam cum gravi dolore, quamvis non cum periculo vitæ, aut gravissimæ infirmitatis.

Sequitur secundo, validum esse matrimonium contractum cum fęmina, quæ seminare non potest; quia adhuc cum illa exerceri potest copula, ex qua fiat una caro prolis; eo quod semen fęmineum non censetur necessarium ad generationem, juxta sententiam communiorem. Ita Sanch. disp. 92. Henriq. Bonac.

IX. Sequitur tertio validum esse matrimonium contractum inter steriles, quia inter istos intercedit vera copula apta ex natura sua ad generationem: Contra vero invalidum est matrimonium contractum cum sene omnino impotente ad habendam copulam; ut communiter docent cum Sanch. loc. cit., Bonac., & aliis. Quod tamen negat Henr. lib. 12. cap. 7. putans esse validum, eo quod senex semper retineat potentiam suam seminandi, quamvis per accidens ratione senectutis impediatur; nec probari potest, ejus potentiam esse immedicabiliter exhaustam; Unde Ecclesia nunquam ratione senectutis impedit matrimonia; & David 3. Regum 1. duxit Abisac adolescentulam Sunamitidem, solum ut ab illa in senectute calefieret.

Sequitur ultimo, invalidum esse matrimonium

nium contractum cum Eunucho utroque teste carente, seu cum Spadone, qui semen prolificum emittere non potest, juxta Bullam Sixti V. apud Dian. part.4. tract.4. resol.75. Et eadem est ratio de maleficiatis, si maleficii impedimentum sit perpetuum: Quando enim ex maleficio consurgit tanta frigiditas, quanta est frigiditas naturalis, ex qua provenit impotentia perpetua, tunc certe impotentia illa orta ex maleficio eodem modo dirimit matrimonium, ac frigiditas naturalis; Idque verum est, etiamsi maleficium tolli possit per aliud maleficium; dummodo tolli non possit orationibus, & consuetis Ecclesiæ exorcismis. Et ratio est, quia quod licite tolli non potest, dicitur non posse simpliciter tolli. Hermaphroditi demum valide contrahunt juxta sexum prævalentem, non vero circa inferiorem. Quod si uterque sit æqualis, datur optio, ut eligant, quem malint, & illi semper stare debent, ut videre est apud Perez fuse disp.37.sect.14.ubi docet, quod si vir, aut fœmina mutet sexum, matrimonium consummatum irritetur; matrimonium quippe debet esse inter unum, & unam. Et similiter si Sacerdos mutaret sexum, consecrare non posset, quamvis characterem retineret.

X. Præter hæc quatuordecim impedimenta iis versibus comprehensa, est pariter impedimentum dirimens defectus consensus, ut patet; necnon defectus ætatis requisitæ jure Ecclesiastico. In maribus enim requiritur annus decimus quartus completus, & in fœminis duodecimus, nisi malitia suppleat ætatem; hoc est nisi antecedenter sint doli capaces, & simul apti ad copulam judicio prudentium.

ARTICULUS XI.

De Impedimentis impedientibus.

I. Recensentur impedimenta impedientia.

II. Tria duntaxat sunt in usu, Ecclesiæ vetitum, Sponsalia, Votum.

III. Quid veniat nomine Interdicti? Quid nomine Temporis feriarum? Quid nomine Catechismi?

IV. Ad quid tenetur, qui emisso voto sive castitatis, sive religionis, matrimonium contrahit?

V. Num sit licitum matrimonium habenti votum castitatis, si detur mutua obligatio non petendi debitum?

VI. Num habens votum castitatis possit aliquando petere debitum a conjuge?

VII. Illicitum est contrahere matrimonium cum habente votum castitatis; etiamsi illud offerat.

VIII. Habens votum castitatis nequit uxorem ducere ad sedandas urgentes tentationes.

IX. Etiam Episcopus in impedimentis impedientibus dispensare potest, excepto Voto, & Sponsalibus.

I. Diximus, impedimenta impedientia (quæ scilicet impediunt licitam Sacramenti matrimonii susceptionem sub mortali, & sub pœna excommunicationis) esse hæc, quæ sequuntur.

Primum est Ecclesiæ vetitum; Secundum tempus feriarum; Tertium Catechismus; Quartum Sponsalia cum alio contracta; Quintum votum simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi; Sextum Crimen, videlicet primo Incestus cum consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, (qui impedit matrimonium cum quacumque persona, ut notat Perez) necnon incestus cum propria matre, seu filia. Secundo Raptus alienæ Sponsæ; Tertio Uxoricidium; Quarto susceptio propriæ prolis in baptismo ad impediendam redditionem debiti; Quinto Presbytericidium; Sexto publica pœnitentia, quandiu durat; Septimo matrimonium cum moniali. Præterea impedit matrimonium omissio proclamationum, & benedictionis; Necnon Clandestinitas, ubi non est receptum Trident. juxta ea, quæ diximus quæst. 4. art. 3.

II. Ex his impedimentis sublatum jam esse per non usum Criminis impedimentum, docent Sanch. lib. 7. disp. 17. Ledesma, Laym. & alii. Communiter enim obstricti talibus impedimentis solent matrimonium contrahere absque dispensatione, nec transgressores puniuntur. Unde docet Reginal. apud Bonac. quod si alicubi ea lex per non usum abrogata non esset, peccaret graviter, qui cum tali impedimento matrimonium contraheret. Præterea impedimentum Catechismi sublatum esse per Tridentinum, communiter Doctores docent. Quare tria remanent præcipua Impedimenta impedientia, nimirum Vota, Sponsalia, & Interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ, quæ prohibet etiam nuptiarum solemnitates tempore feriarum, ut mox explicabimus.

III. Quæritur nunc primo; Quid sit interdictum, seu Ecclesiæ vetitum, quatenus est impedimentum impediens?

Respondeo, nomine Interdicti non venire hic censuram; quinimmo probabiliter tempore interdicti alicujus Civitatis potest etiam a persona specialiter interdicta matrimonium contrahi; quamvis benedictio solemnis nuptialis nonnisi in solemnitatibus exceptis fieri debeat. Quare nomine Interdicti venit hic prohibitio Episcopi, vel Parochi, aut alterius Ecclesiastici Judicis interdicentis alicui, ne matrimonium contrahat, donec aliqua causa, vel impedimentum examinetur.

Quæritur secundo; Quid veniat nomine Temporis feriarum?

Respondeo, intelligi, quod ab Ecclesia prohibeantur sub gravi solemnitates nuptiarum (videlicet benedictio nuptialis, solemnis Sponsæ

in domum Sponsi traductio cum conviviis, musica, &c.) a primo die Adventus usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ, ex Trid.sess. 24. cap. 10. Ubi notat Busemb. & Perez, non prohiberi his temporibus matrimonium contrahere, imo nec consummare; cum Tridentinum hortetur solum ad præmittendam consummationi matrimonii benedictionem nuptialem; sed tantum prohiberi solemnitates matrimoniorum. Docet quidem Bonac. petendam esse ab Ordinario licentiam contrahendi Sponsalia, & matrimonia sine solemnitate dictis temporibus: Verum Con. Perez, & alii id negant; quia nec Tridentinum, nec jus antiquum ea prohibet; cum in *cap. Cappellanus, de feriis* dicatur, posse omni tempore matrimonium celebrari, consuetudine Ecclesiæ id attestante. Quod si alicubi esset consuetudo in contrarium, in iis locis petenda esset ab Ordinario licentia contrahendi matrimonia dictis temporibus, eo quod consuetudo, non vero Tridentinum in iis locis talem legem tulerit, ut idem Perez advertit.

Quæritur tertio; Quid sit Catechismus?

Respondeo; Idem sonat Catechismus, ac Instructio de rebus fidei; hoc autem nomine venit impedimentum, quod contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando supplentur in Ecclesia cæremoniæ post baptismum collatum in necessitate; Sicut enim Patrini baptismi contrahunt cognationem spiritualem, quæ est impedimentum dirimens; ita Patrini Catechismi, seu qui respondent pro infantibus, quando interrogantur, An credant, an renuncient Diabolo, &c. contrahunt aliam cognationem spiritualem imperfectam, quæ est impedimentum impediens. Verum hoc impedimentum sublatum est vel a Tridentino, ut docent Sanch. Filliuc. Fagund. vel a consuetudine, ut docent Perez, Bonac. & alii.

IV. Quæritur quarto; Qui emisso voto castitatis, vel cœlibatus matrimonium illicite contrahit, ad quid tenetur?

Respondeo; si votum sit non contrahendi matrimonium, peccat quidem contrahendo illud, sed potest licite petere, ac reddere debitum; mortua tamen uxore, tenetur abstinere a nuptiis. Si vero votum sit Religionis, tenetur votum implere ante consummationem matrimonii; peccatque consummando, etiamsi reddat debitum; quia sic efficit sibi votum impossibile, ut servetur: Consummato tamen semel matrimonio, licite deinde petit, ac reddit debitum; quia votum, tanquam impossibile, manet suspensum, donec Uxor moriatur, aut adulteretur, aut consentiat, ut legitime maritus Religionem ingrediatur. Si demum votum sit castitatis, nunquam potest debitum petere ante dispensationem; potest tamen reddere, etiam prima vice; quia uxor habet ad id jus, nec maritus tenetur ad servandum votum castitatis ingredi Religionem; cum hoc sit medium nimis durum, ut constat ex Extravag. *Antiquæ*, *Joannis* 22. *de Voto* apud Coninch.

V. Notandum hic primo cum Perez, quod si quis habens votum castitatis contrahat matrimonium cum mutua obligatione servandi castitatem, quin se exponat periculo violandi votum, non peccat contrahendo; sicut non peccavit B. Virgo; secus vero peccat.

VI. Notandum secundo cum Sanch. lib. 9. disp. 7. quod habens votum castitatis, (sicut etiam qui post matrimonium contraxit illicitam affinitatem cum uxore) quamvis non possit petere debitum ante dispensationem, potest tamen nonnunquam insinuare se conjugi, & offerre se ad usum conjugalem, immo petere ab eo debitum; non tamen in gratiam sui, sed gratia complacendi conjugi, & ne reddat illi matrimonium grave, & onerosum; sicut esset, si semper alter petere cogeretur. Ratio est, quia hoc genus petendi est quodammodo reddere; cum in gratiam solius conjugis fiat.

VII. Quæritur quinto; An possit Berta licite matrimonium contrahere cum Titio habente aliquod ex dictis votis?

Respondeo cum Con. disp. 30. dub. 3. & Perez negative. Ratio est, quia res uni promissa potest quidem alteri valide tradi, sed illicite traditur; & si sponte offeratur, illicite acceptatur; Etenim acceptans per acceptationem usurpat sibi rem alteri obligatam, & illi eam subtrahit; unde indirecte injuriam infert illi, cui est obligata: Secus accidit, si Berta contrahat matrimonium cum Titio, cui prohibitæ sunt nuptiæ; quamvis enim peccet Titius offerendo matrimonium, non peccat tamen Berta illud acceptando: Sicuti non peccat, qui acceptat legata a Beneficiariis, quamvis isti mortifere peccent disponendo de proventibus Ecclesiasticis ad usus profanos, ut notat Less. Et ratio a priori est, quia Berta non tenetur impedire matrimonium, qud illicite offert Titius, nisi ex correctione fraterna, qua tenemur proximi peccatum impedire; hæc tamen non obligat cum magno incommodo; quale esset Bertæ, valde commodas nuptias rejicere.

VIII. Quæritur sexto; An habens votum castitatis possit aliquando licite matrimonium contrahere sine dispensatione; eo quod, verbi gratia, sentiat urgentes tentationes, & difficultates, quas si prævidisset, castitatem non vovisset?

Respondeo cum Con. disp. 30. dub. 3. Perez, & aliis communiter negative. Ratio est, quia vovens castitatem universim ea animi alacritate vovet, ut velit tentationes omnes superare, si occurrant; unde non potest præsumi pruden-

denter, quod hunc casum excipiat: Sicuti qui vovet, verbi gratia, peregrinationem in pervigilio B. Virginis, non excusatur ab illa per hoc, quod dies sit pluvius; quamvis facilius id voverit, quod crederet tempus esse serenum, aliter id forte non voturus. Adde, quod in manu voventis est, superare difficulates omnes in servanda continentia, vitando occasiones, & otium, & exercendo se in jejuniis, orationibus, & eleemosynis.

Verum quidem est, quod sicut diximus de promittente Sponsalia, ita quilibet promittens quodcumque, sive homini, sive Deo, censetur excipere illum casum, quem communiter omnes cordati, qui sunt ejus conditionis prævisum omnino exciperent. Sed negatur, hujusmodi esse casum nostrum; siquidem cordati communiter non retrahuntur a Voto castitatis, quod concipiunt, per hoc quod prævideant tentationes graves insurrecturas. Adde, quod ut quis liberetur a promissione facta homini, non sufficit omnis talis difficultas de novo occurrens, quæ si fuisset prævisa, deterruisset a promittendo; sed requiritur talis difficultas, quam promissarius non potest tollere, & quæ prævisa communiter cordatum quemcumque, ut diximus, a promittendo averteret; atqui in casu nostro non solum non avertit cordatos a vovenda castitate difficultas tentationum prævisa, sed etiam talis difficultas a Deo Promissario tolli potest, & de facto tollitur, si orationibus, & jejuniis illa ab eo petatur; ergo in casu nostro tenetur vovens adimplere votum, nec potest licite matrimonium sine dispensatione contrahere. Urgentes autem tentationes, ac difficultates insurgentes possunt quidem esse justa causa petendi, & obtinendi a Pontifice dispensationem in voto; non possunt tamen esse causa justa, ut voti obligatio tollatur.

IX. Quæritur ultimo; Quisnam possit in impedimentis impedientibus dispensare?

Respondeo, præter Pontificem, posse etiam Episcopum. Excipiuntur tamen non solum vota castitatis, & religionis, sed etiam impedimentum Sponsalium; quod pariter a solo Pontifice dispensari potest, ex *cap. Literis* 2. *de Sponsal.* Et ratio est, quia cum per Sponsalia acquiratur jus Tertio, nullus, præter supremum Principem, potest tale jus auferre; & idcirco Doctores docent, non posse ab Episcopo relaxari juramentum Tertio præstitum, ut notat Perez disp. 33. sect. 8. & Sanch. lib. 7. disp. 17.

QUÆSTIO VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus.

Examinandum primo; Quinam possit in iis dispensare? Secundo; Quænam causa requiratur ad licitam dispensationem? Tertio; Quandonam dispensatio est subreptitia, & nulla?

ARTICULUS I.

Quinam possit in matrimonii impedimentis dispensare?

I. Quid interest inter legis Dispensationem, Irritationem, Abrogationem, Derogationem, & Interpretationem?

II. Privilegium a dispensatione, & a licentia in quo differat?

III. Dispensatio in lege Superioris est invalida, si fiat sine causa, sicut etiam interpretatio in lege Divina, puta in voto, aut juramento, etiamsi fiat a Pontifice.

IV. Dispensatio stricte est interpretanda; secus vero Privilegium, & Potestas dispensandi universim, non tamen si talis potestas respiciat particulares personas.

V. In impedimetis jure divino dirimentibus Papa dispensare non potest; nisi ea dirimant jure naturali secundario, ut sunt votum, & Sponsalia, ac matrimonium ratum.

VI. Num possit Pontifex dispensare, ut Sacrificium fiat sub una tantum specie? Num etiam quod Episcopus non resideat?

VII. Potest Pontifex dispensare in radice matrimonii, legitimando prolem relate ad effectus canonicos, non relate ad civiles.

VIII. Episcopus potest ex causa urgentissima pro foro conscientiæ dispensare in aliquo impedimento occulto dirimente, etiam ante contractum matrimonium.

IX. Num id liceat aliquando Religiosis ex privilegio?

I. Præmitto primo, dispensationem esse Juris alicujus relaxationem, seu exemptionem alicujus a legis obligatione. Differt autem Dispensatio ab Irritatione, Abrogatione, Derogatione, & Interpretatione legis: quod Irritatio tunc contingit, quando is, cujus est legem confirmare, impedit, quominus firmetur, & vult eam omnino esse irritam; Verbi gratia, si lex a Civibus constituta indigeat Principis confirmatione, ut obliget, & Princeps illam non modo non confirmet, sed casset, & annullet, tunc dicitur illam irritare: Abrogatio habetur, quando quis legem latam omnino tollit: Derogatio vero, cum quis legem jam latam tollit,

non simpliciter, sed ex parte, Interpretatio habetur, quando vir prudens, ac doctus declarat, legem hic & nunc non obligare, aut talem casum lege non comprehendi; idque aut in casu certo, vel probabili, aut in casu dubio, in quo auctoritas Superioris postulatur. At dispensatio habetur, quando quis ab obligatione legis liberatur ex Superioris voluntate, adhuc persistente lege in suo vigore.

Hinc sequitur primo, dispensationem esse actum Jurisdictionis, atque adeo a Superiore duntaxat provenire posse.

Sequitur secundo, In lege divina non habere locum dispensationem factam ab homine, sed habere duntaxat locum Interpretationem hominis, etiam in casu dubio; quamvis in casu dubio, præter prudentiam, requiratur jurisdictio in interpretante.

II. Sequitur tertio, Privilegium alicui particulari concessum si sit contra jus, & illud relaxet, esse revera dispensationem: Contra vero si non sit contra jus, sed sit veluti lex privata alicujus communitatis, tunc proprie dici Privilegium, & differre a dispensatione; hæc enim, ut mox dicemus, stricte; illud vero late interpretandum est.

Sequitur quarto, licentiam non esse dispensationem, sed esse conditionem ab ipsa lege requisitam, ut hic, & nunc non obliget. Quare quando Monachus de licentia Superioris, verbi gratia, domo egreditur, non intervenit tunc dispensatio, quæ dicitur Vulnus legis, sed solum apponitur id, quod lex ipsa postulat, ut licitus sit egressus.

III. Sequitur ultimo, dispensationem legis, & dispensationem voti, ac juramenti relaxationem multum differre. Nam dispensatio in voto, seu juramento habetur per hoc, quod Prælatus gerens Dei vices, nomine ipsius Dei, cui jus est acquisitum, relaxet obligationem, interpretando hic, & nunc mentem divinam: Unde fit, & quod invalida sit talis dispensatio, si fiat sine causa, & quod possit in voto fieri commutatio in melius propria auctoritate; Immo probabiliter in evidenter æquale: Contra vero dispensatio legis habetur per hoc, quod superior proprio nomine dispenset, seu obligationem relaxet; Unde fit, quod, etsi sine justa causa dispenset in propria lege, valida sit, quamvis illicita talis dispensatio; & quod in quacumque lege non possit fieri commutatio propria auctoritate; verbi gratia, non potest quis loco jejunii præcepti audire plures Missas, aut facere eleemosynas; quia lex pendet a sola voluntate Legislatoris, ubi votum ab ipso vovente ducit initium suæ obligationis; & ideo solum votum potest propria auctoritate commutari in melius, & probabiliter etiam in evidenter æquale.

Ubi nota, causam requisitam ad valide dispensandum non debere esse talem, quæ eximat ab obligatione legis; quia sic dispensatio non differret ab Interpretatione; sed debet esse talis, quæ sufficiat, ut possit subditus rationabiliter eximi ab obligatione legis per Superioris auctoritatem.

IV. Præmitto secundo, Dispensationem per se loquendo restringendam esse, ac stricte interpretandam, cum sit vulnus legis, & idcirco odiosa, ut notat Sanch. lib.8. disp.1. Excipiuntur tamen nonnullæ dispensationes, quæ ratione materiæ, vel ratione gravissimæ, & piissimæ causæ, omnibus pensatis, censentur esse favorabiles, & idcirco large interpretandæ sunt: Sicut etiam dispensatio in lege præcedenti, quæ sit dispensatio inserta in corpore juris, late interpretanda est; quia censetur favorabilis, seu in bonum communitatis; unde habet rationem Privilegii. Idemque Doctores docent communiter cum Perez disp.46. sect.2. de Potestate dispensandi generaliter concessa, quæ pariter favorabilis est, & amplianda: Contra vero potestas dispensandi cum certis personis privatis, quia respicit bonum privatum, non commune, dicitur esse odiosa, cum sit juri contraria, & idcirco restringenda, seu stricte interpretanda.

V. Quæritur nunc primo; An possit Pontifex in matrimonii impedimentis dispensare?

Respondeo, Pontificem in tribus impedimentis jure naturæ rigoroso dirimentibus matrimonium nullatenus posse dispensare, videlicet in Errore Personæ, Impotentia perpetua, & Impedimento cognationis in primo gradu lineæ rectæ. Nec potest dispensare in impedimento Ligaminis jure divino dirimente matrimonium Nam ex cap. *Gaudemus*, *de Divortiis* habetur nunquam licuisse citra dispensationem, seu concessionem divinam, quod ligatus cum una uxore alteri nuberet. In reliquis vero impedimentis sive dirimentibus, sive impedientibus potest Pontifex dispensare. Ratio est, quia reliqua impedimenta vel dirimunt, aut impediunt matrimonium jure Ecclesiastico, & sic potest Pontifex in tali jure dispensare; vel dirimunt, aut impediunt jure naturali secundario, ut Votum, & Sponsalia, & potest Pontifex in utroque dispensare; nam potest ex rationabili causa Pontifex, cui Deus dedit potestatem ligandi, atque solvendi, nomine ipsius Dei, cui facta est promissio, seu votum, cedere juri acquisito, & remittere debitum contractum per votum; qua remissione facta, cessat per sublationem materiæ lex naturalis obligans ad non contrahendum matrimonium post votum castitatis; sicut enim occisio innocentis, verbi gratia, est contra legem naturalem, si fiat auctoritate privata, secus vero si fiat Deo illam præcipiente; ita contra legem naturalem est nube-

re

re post votum castitatis, nulla facta remissione obligationis contractę per votum; secus vero post talem remissionem; unde purificata hac conditione tollitur materia legis naturalis, quæ manet indispensabilis, & immutata.

Idem dicas de impedimento Sponsalium; illicitum enim est, & contra legem naturalem post Sponsalia contracta cum una nubere alteri; non tamen postquam aut illa cessit juri suo, aut Pontifex, inquantum summus Princeps, ex rationabili causa illi derogarit: Sicut contra legem naturalem est, usurpare sibi rem alienam, non tamen si aut Dominus consentiat, aut summus Princeps ex rationabili causa id permittat. Et eodem pacto potest ex urgentissima causa Papa dispensare in matrimonio rato, prout diximus quæst. 3. art. 3.

Demum in impedimento Voti solemnis dirimente potest etiam Pontifex dispensare, quia dirimit jure Ecclesiastico, ut supra ostendimus. In matrimonio consummato dispensare non potest; Est quippe illi vetitum iis verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

VI. Oppones: Quamvis de jure positivo divino sit, quod Episcopus sit minister Confirmationis; potest tamen ex concessione Papæ esse Minister etiam simplex Sacerdos: Pariter de jure divino est, quod Sacrificium fiat sub utraque specie; & tamen nonnulli putant posse ex Papæ dispensatione fieri in sola specie panis sine consecratione calicis in locis, ubi vinum vix potest reperiri. Præterea Residentia Episcopi est de jure divino; & tamen potest Papa in illa dispensare; ergo quamvis impedimentum ligaminis sit de jure divino, potest tamen in eo Papa dispensare ex rationabili causa; ut scilicet Rex Catholicus, verbi gratia, qui uxorem habet sterilem, ducat secundam, adhuc prima vivente.

Respondeo, Impedimentum Ligaminis non esse de jure divino positivo, sed de jure naturali secundario: sicut de jure naturali secundario prohibetur, ut diximus, occisio innocentis; unde solus Deus potest in utroque casu dispensare; Pontifex autem nec in jure naturali dispensare potest, ut est certum, nec in jure divino positivo; quia Inferior non potest dispensare in lege Superioris.

Ad ea, quæ objiciuntur, respondet primo Suar. lib. 10. de legibus cap. 6. Episcopum ex institutione divina esse ministrum Confirmationis, non absolute, sed ordinarium; atque adeo non dispensat in tali lege Pontifex, quando in casu extraordinario id committit Sacerdoti simplici. Ad id, quod additur de Sacrificio, communissime negant, posse auctoritate Pontificia in una tantum specie offerri. Quod si concedatur, id explicandum est per modum interpretationis doctrinalis, non per modum dispensationis in lege divina. Nam ex institutione divina solum habetur, quod debeat offerri Sacrificium Missæ in lege Evangelica; quod autem sub utraque specie offerri debeat, videtur potius esse ex lege naturali dictante, quod Sacrificium Deo offerri debeat integrum; si tamen in aliquibus locis esset inopia vini, juxta nonnullorum sententiam posset Papa declarare, quod præceptum naturale de integre consecrando non se extendat ad talem casum. Demum sitne Residentia Episcopi de jure divino, an non? alias examinavimus, diximusque, quod sicut de jure divino est observantia voti; & tamen ex causa rationabili potest Pontifex in eo dispensare, quippe qui vices Christi gerit in his, quæ passim occurrunt; nec aliter posset gravibus incommodis occurri, si Pontifex non posset in votis dispensare, ac juramenta relaxare: Eodem modo, quamvis de jure divino sit Episcopi residentia, poterit Pontifex data rationabili causa similiter nomine Christi, cujus vices gerit, dispensare; seu verius in his casibus interpretaretur mentem divinam, ut dicemus etiam quæsit. 1. articul. sequentis.

VII. Quæritur secundo; An possit Pontifex dispensare in radice matrimonii invalide contracti; videlicet efficiendo, quod proles ex matrimonio invalido nata legitimetur, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, perinde quasi nata esset ex legitimo matrimonio?

Respondeo, omnes concedere, quod possit Papa legitimare prolem in ordine ad effectus omnes Ecclesiasticos, & spirituales, nimirum, ut possit suscipere Ordines, Beneficia, &c. Dubium solum est, An possit legitimare relate ad effectus civiles, & temporales, verbi gratia, relate ad succedendum in Paterna hæreditate. Et sane quod non possit id Pontifex directe, omnes concedunt; Docent tamen multi cum Sanch. lib. 8. disp. 6. quod possit id indirecte. Ratio est, quia radix illegitimationis sæpe est lex Ecclesiastica statuens impedimentum dirimens, verbi gratia, inter consanguineos; sed Papa potest in tali lege dispensare, antequam matrimonium contrahatur: ergo post matrimonium contractum, & prolem natam poterit etiam Papa dispensare in iis, quæ consequuntur prolis illegitimationem; seu poterit Ecclesia veluti destruere legem suam, ex qua effectus illegitimationis consequuntur, & sic indirecte prolem legitimare: Ad eum modum, quo sine simonia potest indirecte alienari per venditionem consecratio Calicis, vendendo directe solam materiam Calicis consecrati.

Sed probabilius id negant Con. Hurt. Perez, Molin. disp. 44. sect. 5. quia Pontifex efficere non potest, ne indirecte quidem, ut matrimonium, quod fuit nullum, non fuerit nullum: ergo

ergo quamvis possit Pontifex hic & nunc tollere inhabilitates canonicas, & dispensare in illegitimatione relate ad effectus Ecclesiasticos, qui pendent a sua voluntate; non potest tamen relate ad effectus civiles, & temporales, habilitando illegitimum ad officia temporalia; cum hi effectus non subjaceant potestati Pontificiæ. Quod autem ne indirecte quidem possit id efficere, probatur; quia intantum potest, verbi gratia, præcipere indirecte actum internum in susceptione Sacramentorum, inquantum potest directe præcipere actum externum suscipiendi Sacramenta; & intantum potest indirecte alienari per venditionem consecratio Calicis, inquantum potest directe vendi materia Calicis consecrati; ergo pariter intantum posset Pontifex tollere indirecte effectus civiles illegitimationis, inquantum posset directe tollere impedimentum Ecclesiasticum, ratione cujus matrimonium fuit invalidum, & proles illegitima; atqui quamvis Pontifex id possit, antequam matrimonium contrahatur, tamen post matrimonium invalide contractum non potest amplius tollere impedimentum, nec efficere, ut matrimonium non fuerit invalidum; cum non detur potentia ad præteritum, nec possit fieri, quod fuerit validum id, quod fuit invalidum; ergo non potest Pontifex in radice matrimonii indirecte dispensare post matrimonium invalide contractum.

VIII. Quæritur tertio; An possit Episcopus in aliquo casu urgentissimo dispensare in impedimentis matrimonii dirimentibus, in quibus Papa probabiliter dispensaret, si posset ad ipsum recurri?

Respondeo cum Sanch. lib. 2. disp. 40., Con., Less., Hurt., Perez, Rebell., & aliis contra Sotum, posse ex tacita concessione Pontificis Episcopum pro foro conscientiæ dispensare in aliquo impedimento occulto; quando scilicet matrimonium bona fide contractum est, & sine scandalo non potest fieri separatio, aut differri dispensatio sine evidenti periculo peccandi. Ratio est, tum quia incredibile est velle Papam in tali casu sibi dispensationem reservare cum gravissimo animarum periculo; tum etiam quia ea est praxis, & consuetudo, quæ est optima legum interpres, & sufficit ad acquirendam jurisdictionem, ut notat Perez disp. 46. sect. 6.: tum demum, quia Episcopus potest contra jus commune aliquid statuere, modo id faciat ex evidenti, & necessaria causa, quæ Superiorem ad id concedendum moveret; argumento *l. hominem ff. Mandati*.

Notandum tamen, quod quia in hoc casu ex Pontificis præsumpto consensu Episcopus dispensaret, debet matrimonium esse bona fide contractum ab alterutro saltem ex contrahentibus, & cum requisitis proclamationibus; aliter non potest præsumi consensus Pontificis; quia faveret audaciæ, & iniquitati, ut colligitur ex Trident. sect. 24. cap. 5.

Majus dubium est; An possit etiam Episcopus dispensare in iisdem impedimentis in casu necessitatis ante contractum matrimonium?

Respondeo, id etiam concedi a Salas, Hurt., Pont., Sanch. loc. cit.; si tamen necessitas sit urgentissima: Verbi gratia, si mulier jam parata ad nuptias contrahendas, dum confitetur, deprehendat impedimentum dirimens, & sine infamia non posset nuptias differre; vehemens enim suspicio oriretur alicujus criminis in confessione detecti, si fœmina vellet nuptias differre, quousque a Papa dispensationem obtineret. Ratio est, quia juxta communem sententiam Doctorum apud Sanch. loc. cit., potest Episcopus in lege Pontificis, aut Concilii dispensare urgente necessitate: Et ideo Henr. Silvest., Navar., Angel., & alii apud eundem Sanch. docent, posse, etiam Episcopum dispensare in voto simplici castitatis; (quod est reservatum Papæ) in casu necessitatis; quando scilicet magnum urget periculum incontinentiæ, nec potest consuli Papa, vel ratione paupertatis, vel quia periculum grave est in mora.

Et ratio a priori est, quia lex omnis Pontificia ordinatur ad charitatem, & ad rectam Reipublicæ gubernationem, cum data sit illi a Christo Domino potestas condendi leges in ædificationem, & non in destructionem, ut loquitur Apostolus: esset autem contra Charitatem, & contra suavem Ecclesiæ gubernationem velle Pontificem reservare sibi potestatem dispensandi etiam in casu tantæ necessitatis.

Hinc communiter docent, quod possit Episcopus in casu impedimenti absolvere ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ; quamvis in ea Bulla dicatur; quod nemo præter Pontificem possit ab iis casibus absolvere extra mortis articulum. Solum in cap. *Mulieres*, *de Sententia Excommunicationis in 6.* dicitur, quod impediti adire Papam pro obtinenda absolutione ab excommunicatione ob percussionem Clerici contracta, possint ab Episcopo absolvi; & subditur ratio talis permissionis; ne scilicet impediti adire Pontificem careant remedio absolutionis: quia tamen hæc ratio militat etiam pro censuris in Bulla Cœnæ, & pro aliis Pontifici reservatis; ideo communiter Doctores docent, quod possit Episcopus in casu impedimenti ab omnibus omnino censuris absolvere; ergo poterit pariter in casu nostro dispensare in impedimentis matrimonii.

Notandum tamen cum Perez, facile occurri posse necessitati casus adducti, si scilicet fœmina illa, quæ deprehendit impedimentum dirimens, voveat castitatem ad tempus, V. gr., per mensem.

sem, & publicet, obstrictam esse Voto castitatis, (tacendo tamen, quod tale votum sit ad tempus, ne velint, quod ab Episcopo petatur dispensatio) & jussum sibi esse a confessario, ut a nuptiis abstineat, donec a Papa dispensatio in eo voto obtineatur; & interim posset occulte peti dispensatio in vero illo impedimento dirimente, quod in confessione deprehendit. (a)

„ (a) Vide Benedictum XIV. *de Sinodo* „ *Diœces. lib. IX. c.* 2.

IX. Quæritur ultimo; An possint etiam Religiosi Mendicantes dispensare aliquando in aliquo impedimento matrimonii?

Respondeo, nonnullos docere, quod a Leone X. concessum iis sit privilegium ad dispensandum cum illis, qui scienter, vel ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis occulto, nec deducto in judicium. Communiter tamen id negant cum Rodriq., Perez disp. 46. sect. 7., quia tale privilegium nec extat; nec est in usu. Solum a Pio V. concessum est Franciscanis privilegium, ut possint dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitum cum iis, qui consanguineum, vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt; quo privilegio gaudent etiam Patres Societatis, ex concessione tamen Patris Provincialis. Præterea conceditur Mendicantibus, ut possint dispensare cum Infidelibus ad fidem conversis, qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium in gradibus solo jure Ecclesiastico prohibitis, ut in eo permanere valeant. Verum, ut advertit Perez, talis concessio data est ad superabundantiam; quia matrimonium contra leges Pontificias tempore infidelitatis contractum est validum, ut supra diximus; unde nulla indigent dispensatione hujusmodi Infideles; immo peccarent, si matrimonium vellent dissolvere.

ARTICULUS II.

De Causis ad Dispensationem requisitis.

I. Ut sit valida dispensatio Inferioris in lege Superioris, satis est, quod causa probabiliter reputetur sufficiens.

II. Valide Legislator, quamvis illicite dispensat sine causa cum subditis suis. At secummet in tali lege etiam invalide dispensat.

III. Peccat mortaliter qui in re gravi sine causa dispensat in lege Superioris; Sicut etiam qui talem dispensationem petit; & qui ea utitur.

IV. Qui vero in propria lege sine causa dispensat, probabiliter peccat solum venialiter; sicut etiam qui petit talem dispensationem, & qui ea utitur.

V. Plures enumerantur causæ, ob quas peti potest dispensatio in impedimentis matrimonii.

VI. Ad dispensandum in impedimento Voti duplex causa a Doctoribus assignantur.

VII. Quænam sit causa sufficiens, ut dispensetur in impedimento Sponsalium?

I. Quæritur primo; An dispensatio legis universim requirat causam, ut sit valida?

Respondeo, & dico primo, invalidum esse dispensationem Inferioris in lege Superioris, si fiat absque legitima causa. Ita communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 17., Perez disp. 45. sect. 2. Probatur, quia intantum potest Inferior dispensare aliquando in lege Superioris, inquantum præsumitur hic & nunc necessitate urgente, quod Superior concedat Inferiori talem facultatem; atqui non præsumitur, quod velit Superior concedere facultatem dispensandi sine causa rationabili; ergo dispensatio isthæc sine rationabili causa est invalida.

Hinc sequitur primo Episcopum sine justa causa invalide dispensare tam in votis, quam in lege Pontificia, puta in lege jejunii.

Sequitur secundo, Papam invalide dispensare in voto, aut juramento sine legitima causa. Sicut enim si Oeconomus, vel Procurator remittat debita, quæ debentur suo Domino sine voluntate Domini, nihil operatur, & debitum non extinguitur; ita Papa, qui est dispensator, non dissipator mysteriorum Dei, invalide cedit juri a Deo per votum acquisito, si non interveniat justa causa, ratione cujus interpretetur divinam voluntatem, ejusque voluntatem exequatur.

Sequitur tertio, Papam invalide dispensare in quacumque lege divina, aut naturali sine causa: Immo nec cum causa potest in rigore dispensare, sed solum, ut diximus, poterit mentem divinam interpretari. Quare si posset, verbi gratia, dispensare, ut Sacrificium offeratur solum sub specie panis in locis, ubi vinum haberi non potest, (quod communiter negatur) interpretaretur potius, quam dispensaret in lege divina, existimando, quod præstet offerre sacrificium non integrum, quam nullum Scrificium offerre.

Notandum tamen, quod si Inferior probabiliter, ac prudenter judicat bona fide, causam dispensandi in lege superioris hic & nuuc esse justam, ac legitimam, dispensatio erit non solum valida, sed etiam licita; quamvis revera causa non sit sufficiens ad dispensandum. Ita Sanch. lib. 8. disp. 27. contra Pal. & Pont. apud Perez; qui requirunt evidentiam causæ sufficientis ad dispensationem, ut valide, & licite dispensetur. Ratio nostræ doctrinæ est; quia opinio probabilis satis est ad licite operandum; ergo si probabile est, causam esse justam, ac sufficientem ad dispensationem, licita erit dispensatio, & consequenter etiam valida; quia præsumitur, Superio-

periorem velle validam esse dispensationem factam ab Inferiore prudenter, & humano modo, seu cum opinione probabili, ut innumeris scrupulis occurratur. Concedo equidem, bonam fidem operantis aliquando satis esse solum ad licite, non ad valide operandum; Verbi gratia, si quis bona fide ductus opinione probabili, seu putata probabili, contraheret matrimonium cum consanguinea in gradu prohibito, hic licite, sed invalide matrimonium contraheret: At dicendum in casu nostro, etiam validam esse dispensationem, quando ex opinione probabili causa ad dispensandum censetur esse justa, & sufficiens, etiamsi revera sit insufficiens. Ratio est, quia incredibile est, Deum, & Papam velle obligare Inferiores Prælatos, ut plusquam humano more, & modo habeant evidentiam causæ ad dispensandum; Quare satis erit probabilis, & prudentialis cognitio, quæ ad operandum honeste, & humano modo satis est.

II. Dico secundo, Validam esse, quamvis illicitam, dispensationem in lege ipsiusmet Legislatoris factam absque legitima causa. Ita Doctores citati communiter. Probatur, quia Legislator in propria lege operatur tamquam Dominus; ergo sicut Dominus prodigus valide transfert suorum bonorum dominium, quamvis prodigendo peccet; ita Legislator valide in propria lege dispensat, quamvis sine justa causa dispensando peccet, cum abutatur sua potestate.

Notandum tamen cum Suar. de legibus lib. 6. cap. 19. contra Pont. apud Perez hic, quod si Legislator secummet in lege sua dispenset sine justa causa, invalide secum dispensat, quamvis in eadem lege valide dispenset cum suis subditis. Ratio disparitatis est, quia Superior ad servandam suam legem non obligatur ab ipsa lege sua; cum nemo possit sibi imperare; sed obligatur ex vi legis naturalis, qua Superior tenetur conformare se communitati, & esse caput membris uniforme; atqui Superior in lege naturali invalide dispensat sine justa causa, ut diximus; ergo si Superior sine justa causa eximat se a sua lege, invalide operatur: Contra vero valide in sua lege dispensat cum subditis; quia subditi immediate obligantur a lege Superioris.

III. Dubium est; Sitne mortale, an veniale concedere, petere, acceptare dispensationem, vel illa uti, deficiente causa legitima?

Respondeo, certum esse, quod nisi levitas materiæ excuset, mortaliter peccet, qui sine causa dispensat in lege divina, aut in lege sui Superioris; necnon qui talem dispensationem sine causa petit, & qui ea utitur. Et ratio est manifesta, quia talis dispensatio ex dictis est invalida.

IV. Certum etiam est, quod Legislator sine justa causa dispensans in lege propria peccet; Solumque dubitatur, num peccet venialiter, an mortaliter? Quod peccet, probatur, quia Legislator respicere debet bonum communitatis sibi subditæ, cum non sit illius absolutus Dominus, sed Pastor, & Rector; & ut Apostolus loquitur, Minister, & dispensator; unde fit, quod non possit condere leges in commodum privatum, sed in bonum commune; atqui dispensatio sine justa causa facta in propria lege est contra bonum commune, cum gravet inæqualiter subditos, & det occasionem querelarum; ergo Legislator sic dispensando peccat. Circa dubium vero, Utrum peccet mortaliter? Affirmat Suar, lib. *6.* de legibus cap. 18. & alii; quia talis dispensatio esset contra justitiam distributivam, cum sit directe Acceptatio personarum, hæc autem ex genere suo est culpa mortalis; præsertim quando radicatur in obligatione proprii officii. Verum Sanch. lib. 8. disp. 18., Salas, Pal., & alii apud Perez disp. 45. sect. 4. putant esse veniale, si scandalum vitetur, nec sequatur notabile damnum aliorum; quale esset, si nimium alii gravarentur, ut Titius amicus eximatur ab obligatione, verbi gratia, solvendi tributum. Ratio est, quia non videtur gravis deformitas, partem aliquam non se conformare toti communitati ex arbitrio Principis. Unde sequitur, quod Legislator non observans propriam legem probabiliter solum venialiter peccet, quoties non est gravis deformitas, quod caput a suis membris difformetur, & scandalum vitatur.

Qui vero petit, & acceptat dispensationem legis sine causa factam a Superiore in propria lege, ex doctrina Suar. peccat etiam graviter: Petens quidem, quia petit rem illicitam, & inducit Legislatorem ad peccatum: Acceptans vero, quia peccato dispensationis cooperatur; dispensatio enim non potest suum effectum sortiri sine acceptatione. Uterque tamen juxta sententiam laudatam Sanch., Salas, Pal. videtur peccare solum venialiter, si scandalum vitetur, nec sequatur grave damnum aliorum.

Demum qui tali dispensatione utitur, Sanch. lib. 8. disp. 18. putat, probabile esse, quod cessante scandalo, & aliorum damno notabili, non peccet; Probabilius tamen esse, quod venialiter peccet; non quidem contra legem, in qua dispensatur, sed contra jus naturæ, quæ dictat, neminem debere absque justa causa a suo toto, seu a communitate, cujus est membrum, discrepare.

Notat tamen Sanch., quod petens sine causa dispensationes matrimoniales, exhibendo copiosam eleemosynam, non peccet, (sicuti nec qui sine causa iis petitis utitur) Ratio est, quia quam-

quamvis sine causa petantur, non conceduntur tamen sine causa. Etenim pro causa concessionis succedit copiosa pecuniaria compositio, seu eleemosyna data in bonum, ac sumptus publicos, sicut accidit in concessione privilegii Bullæ Cruciatæ.

V. Quæritur secundo; Quænam sit justa causa dispensandi in impedimentis matrimonii, præsertim dirimentibus Cognationis, & Affinitatis?

Respondeo, plures causas a Doctoribus enumerari: Prima ad sopiendam gravem litem, & discordias, vel ad vitanda peccata, & scandala: Secunda, quando non reperitur commodum matrimonium cum extraneis; ut si fęmina deberet aliter extra suam Patriam nubere, & sic semper exulare a suis, quod est valde durum: Tertia, defectus dotis; unde non possit fœmina Sponsum se dignum, nisi ex propinquis, invenire: Quarta, conservatio divitiarum in eadem domo, vel familia; Quinta, conservatio familiæ illustris intra eundem sanguinem; Sexta, Excellentia meritorum erga Ecclesiam vel petentis dispensationem, vel ejus, in cujus gratiam petitur; Septima, matrimonium bona fide contractum; Octava, copiosior pecuniaria compositio ad aliquod opus pium; Et universim quælibet alia rationabilis causa judicio prudentis, & docti viri discernenda.

Notandum tamen hic primo, Ecclesiam sine ulla nota acceptionis personarum facilius dispensare cum Magnatibus, & divitibus, quam cum aliis. Ratio est, quia utilitas publica magis ab iis pendet, & expedit ipsi Ecclesiæ eos habere faventes.

Notandum secundo, quod eo major causa ad dispensandum requiratur, quo cognatio, vel affinitas est arctior. Trident. sess. 24. cap. 5. dicit, in secundo gradu dispensandum non esse, nisi inter magnos Principes: Sanch. tamen lib. 8. disp. 19. docet, inter magnos Principes recenseri posse etiam Barones, & iis Superiores; Docet etiam, in maternitate, & paternitate spirituali difficillime dispensari; nimirum inter levantem, seu tenentem in Sacro fonte, & levatum, quia cognatio spiritualis arctior est, quam carnalis, utpote procedens a nobiliori principio: Unde Abbas, Mandosius, & alii dicunt, nunquam legisse, quod Ecclesia Romana circa cognationem spiritualem dispensarit. Fertur tamen Alexander VIII. (necnon alii Pontifices novissimi) in ea dispensasse. Cæterum minus difficilis est dispensatio in Compaternitate, seu inter levantem in Sacro fonte, & levati patrem, aut matrem, quam in Paternitate explicata; quia Compaternitas est cognatio spiritualis in secunda specie, seu gradu: Paternitas vero est in primo gradu, ut notat idem Sanch. loc. cit.

VI. Præterea ad dispensandum in impedimento impediente voti, duplex a Doctoribus assignatur causa, ut notat Con.. Prima ex parte materiæ, quando scilicet dubitatur, an votum ab initio obligaverit, an cum deliberatione fuerit emissum, an mutatis circumstantiis votum sit impeditivum boni majoris, &c., Secunda ex parte voventis, quando scilicet ex animi levitate, & repentino motu, sine matura consideratione votum emisit; Vel si causa ad emittendum votum omnino desit; ut si vovisses castitatem, quia volebas ingredi certam Religionem, ad quam tamen non potes admitti; Vel si cum magna difficultate poteris votum servare, vel si ad publicam pacem conferat nubere.

XII. Demum ad dispensandum in impedimento impediente Sponsalium sufficiens causa est, si timeatur, sponsam futuram occasionem peccandi sponso; aut si ex matrimonio cum altera speretur publica pax, vel extinctio, seu impeditio gravium discordiarum.

ARTICULUS III.

De Dispensatione surreptitia, & nulla.

I. *Rescripta gratiæ per surreptionem obtenta sunt ipso jure irrita; secus vero Rescripta justitiæ.*

II. *Quænam falsi expressio, aut veritatis taciturnitas reddit dispensationem surreptitiam?*

III. *In dubio, num dispensatio sit surreptia, probabilius dicendum, esse nullam.*

IV. *Num dispensatio sit surreptitia, si duplex causa exponatur, quarum altera est falsa?*

V. *An possint duo impedimenta in diversis petitionibus separatim exprimi?*

VI. *Si impedimentum oriatur ex duplici titulo, probabilius uterque exprimi debet; ut si quis duas Bertæ sorores cognovisset.*

VII. *Quando petitur dispensatio super gradibus consanguinitatis. satis est, quod gradus remotior exprimatur, dummodo gradus propinquior non sit primus.*

VIII. *Num debeat exprimi incestus, si præcesserit, quando petitur dispensatio in impedimento cognationis?*

IX. *Potestas dispensandi cum personis incertis non expirat morte concedentis; secus vero si detur facultas dispensandi cum aliquo particulari: Facultas vero data alicui, ut dispensetur, vel absolvatur, neque expirat morte concedentis.*

X. *Facultas data ad beneplacitum concedentis expirat per hujus mortem, aut amotionem ab officio, si data sit alicui particulari; secus vero si sit data Communitati.*

I. DIspensatio, & quælibet facultas dicitur esse surreptitia, seu nulla, si con-

concedatur ex mero errore, sive ob falsitatem a petente expressam, sive ob veritatem celatam.

Notandum tamen, Concessiones, seu Rescripta Pontificis, aliorumque Principum, alia esse justitiæ (quæ scilicet diriguntur ad lites, & similes causas ex justitia terminandas) alia vero esse Gratiæ (quibus scilicet beneficia Ecclesiæ, dispensationes & similes gratiæ conceduntur) Concessiones, seu Rescripta Gratiæ per surreptionem obtenta, ipso jure sunt irrita, & nulla: Rescripta vero justitiæ per surreptionem obtenta non sunt ipso jure irrita, nisi per exceptionem elidantur. Disparitas ex Con. hic est; tum quia per Rescripta justitiæ non statim terminantur causæ, sicut per Rescripta Gratiæ; sed solum iis terminandis aut Judex, aut modus imponitur; unde datur locus detegendo errori; tum etiam quia contra Rescripta justitiæ solet semper pars invigilare.

Notandum ulterius, causam, ob quam aliquid conceditur, vel esse finalem, seu motivam, vel impulsivam. Causa finalis dicitur illa, sine qua nullo modo, aut nonnisi cum quibusdam conditionibus, & limitationibus rescriptum concederetur. Impulsiva vero dicitur illa, ob quam facilius conceditur rescriptum; quod tamen adhuc sine illa secundum rectam rationem, & merita causæ concederetur.

II. Quæritur nunc primo; Quænam taciturnitas veritatis, aut expressio falsi reddat dispensationem surreptitiam, & nullam?

Respondeo, dispensationem esse surreptitiam, si taceatur aliquod verum, quod jus jubet exprimi; etiamsi pertineat ad causam impulsivam; necnon si taceatur verum pertinens ad caussam finalem; non vero si pertineat ad causam impulsivam: Eodem modo expressio falsi reddit dispensationem irritam, si exprimatur falsum pertinens ad causam motivam seu finalem Concessionis. Ita communiter.

Probatur prima pars; quia quoties jus jubet aliquid exprimi, illud exigit tanquam formam præscriptam, qua deficiente, totus actus, & consequenter ipsa dispensatio corruit. Hinc in cap. *Si motu proprio*, 23., *de præbendis in 6.* deciditur, ex quantumvis modici beneficii taciturnitate reddi alterius beneficii impetrationem surreptitiam.

Secunda pars patet; quia Concessio dispensationis fit dependenter ab existentia motivi, quod exprimitur; ergo deficiente causa motiva, seu finali, actus est omnino involuntarius & sic dispensatio est nulla.

Tertia pars etiam patet; quia quando error est tantum circa causam impulsivam, & non circa finalem, habetur totum id, quod requiritur ad concedendam dispensationem; ergo dispensatio non est nulla. Hinc docent communiter Doctores, pauperem improbum obtinentem eleemosynam ab eo, qui cognita improbitate, illam non dedisset, non dici eam per errorem obtinuisse; unde non tenetur ad restitutionem; quia vere est pauper, & ad sublevandam inopiam, tanquam propter causam finalem, motus est largiens eleemosynam, esto ejus probitas fuerit causa impulsiva.

III. Si tamen dubium sit, Num verum, quod tacetur, aut falsum, quod exprimitur, pertineat ad causam motivam? arbitrio prudentis, & docti viri id decidendum, quando neque ex jure constat, neque ex stylo Curiæ, quod etiam facit jus. Quod si probabiliter decerni nequeat, & res adhuc maneat sub dubio, Sanch. disp. 21. num. 2. docet, dispensationem putandam validam; quia valori actus jura maxime favent, & in dubio eum rationabiliter præsumunt. Sed Perez disp. 46. sect. 1. cum Hurt.; Molin., Con. probabilius docet, dispensationem esse nullam, quia impedimentum est certum, & dispensatio dubia; in dubio autem melior est conditio possidentis.

IV. Si demum taciturnitas veri, aut expressio falsi sit tantum circa partem petitionis, dicendum, quod si gratia concessa est divisibilis, sit irrita solum secundum eam partem, secundum quam expressum est falsum; si vero est indivisibilis, sit totaliter nulla. Quare si Titius, verbi gratia, petat dispensationem in voto castitatis ob duplicem causam, & quia patitur gravissimas tentationes, & ut possit ducere consanguineam, quæ aliter non reperiret dignum se maritum; si prima causa sit vera, & sufficiens, non vero secunda, tunc obtenta dispensatione, poterit ducere uxorem, si bona fide processit, non vero illam consanguineam: Si tamen mala fide id fecerit, neutrum poterit: idque in pœnam malitiæ, ex *cap. Super literis*, 26., *de Rescriptis*: quamvis ad hanc pœnam subeundam requiratur sententia judicis, ut notat Con. hic.

V. Quæritur secundo; Utrum quando habentur duo impedimenta, debeat simul in eadem petitione exprimi utrumque, an possint separatim exprimi in diversis petitionibus?

Respondeo, Henr. lib. 12. cap. 5., Navar., & Sa putare, quod possint seorsim exprimi; tum quia hic est stylus Curiæ, qui facit jus; tum etiam, quia sicut potest impetrari absolutio ab una excommunicatione, vel irregularitate, non facta mentione de aliis; & sicut potest obtineri dispensatio in uno impedimento, non in alio; ita potest pariter peti dispensatio in uno impedimento, non in alio.

Neque opponas: In *cap.* 2., *de filiis Presbyterorum in 6.* dicitur, quod dispensatus ad Ordines, & ad Beneficium Curatum, si postea

petat

petat dispensationem ad plura Beneficia, debeat facere mentionem defectus natalium; aliter dispensatio est invalida; quia non est verisimile talem dispensationem a Pontifice concedi. Nam contra est primo, quia in tali casu non dicitur, quod fiat mentio dispensationis obtentæ, sed defectus natalium. Contra secundo, quia hoc in tali casu est verum ex jure positivo.

Verum Sanch. disp. 23. cum aliis probabilius putat, debere simul impedimenta exponi; quia impedimenta simul juncta reddunt personam minus dignam dispensatione, etiam in singulis; Certe enim sæpe dantur duæ, vel plures dispensationes in duobus, vel pluribus impedimentis seorsim, quæ non darentur, si duo, vel plura illa impedimenta, essent simul: Sicuti remittuntur sæpe plura delicta in diversis, non tamen si eadem reperiantur in uno.

Excipe tamen, nisi deberet propalari peccatum; ut si quis vellet ducere in uxorem cognatam suam, cujus antea sororem cognovisset, non tenetur propalare suum incestum. Excipit etiam Con., & Perez, si duo impedimenta simul juncta non pariunt majorem indecentiam; ut si habens votum castitatis vellet suam cognatam ducere, potest prius dispensationem obtinere in voto, deinde in impedimento affinitatis vel consanguinitatis; etenim habita dispensatione in voto, non est major indecentia voventem ducere suam cognatam, quam si nunquam vovisset.

VI. Quæritur tertio; An habens aliquod impedimentum ex duplici titulo, debeat id exprimere, ut valida sit dispensatio? Verbi gratia, si quis haberet impedimentum affinitatis ex duplici titulo, nimirum ex eo, quod cognovisset duas sorores ejusdem Bertæ, quam vult ducere in uxorem; vel si quis ex utroque latere sit consanguineus cum Berta; vel si duplicem cognationem spiritualem contraxisset, eo quod duos Bertæ filios ex Sacro fonte levavit.

Respondeo, Henr. lib. 12. cap. 10., Rodriq. tom. 1. Summæ cap. 258., & alios negare; quia sicut qui pluries cum excommunicatione celebravit, non tenetur id exprimere in impetratione dispensationis ab Irregularitate; cum satis sit, si exponat se in Irregularitatem incidisse ob violationem Censuræ per exercitium Ordinis Sacri: Nec habens multiplicem copulam cum eadem sorore Bertæ in uxorem ducendæ, tenetur id exprimere ad obtinendam dispensationem in impedimento affinitatis orto ex copula illicita: Ita pariter si duas sorores ejusdem Bertæ cognovisset, neque tenetur id exprimere ad obtinendam dispensationem in impedimento affinitatis; Quamvis enim non possit dicere, quod unam Bertæ sororem cognoverit, quia sic mentiretur; posset tamen exponere, quod habeat impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita. Et ratio a priori est, quia vinculum ex hoc, quod oriatur ex multiplici titulo, est solum extensive, non intensive gravius.

Verum Sanch. disp. 24., Pont., Hurt., Perez disp. 46. sect. 5. probabilius docent, ad valorem dispensationis requiri, quod exprimatur impedimentum ortum esse ex duplici titulo; quia tale impedimentum est intensive, non vero extensive tantum gravius. Verum quidem est, quod si quis pluries rem habet cum eadem sorore Bertæ, affinitas, quæ contrahitur, sit solum extensive major, quam si semel rem habuisset; quia tunc solum datur multiplex commixtio eorundem seminum, ex qua oritur affinitas: Contra vero, si quis cognoscat duas sorores Bertæ, tunc habetur multiplex commixtio seminum diversorum, atque adeo multiplex affinitas diversa; & idcirco impedimentum dicitur esse gravius intensive. Unde qui rem habuit cum diversis sororibus Bertæ, debet id exprimere, non vero qui pluries rem habuit cum eadem sorore Bertæ; sicuti nec qui pluries idem votum emisit, aut qui pluries cum censura celebravit.

VII. Quæritur quarto; An in impetratione dispensationis super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi matrimonium inæqualiter distant a stipite, debeat explicari gradus propinquior, an remotior, an uterque? Verbi gratia, si Patruus velit ducere suam nepotem, satis ne exponit impedimentum consanguinitatis, dicendo illam esse sibi cognatam, seu consanguineam in secundo gradu?

Respondeo, universim satis esse, si explicetur gradus remotior, unde in casu adducto secundum se satis esset exprimere consanguinitatem in secundo gradu, quia Patruus, & Nepos in secundo gradu conjunguntur. Quamvis autem hoc sit universim verum, tamen de facto in reliquis tantum gradibus licitum est illos sic exponere, non vero in casu adducto; quia ex motu proprio Pii V. ad valorem dispensationis exprimi debet, si alter distet a stipite in primo gradu. Unde sequitur, quod si alter distet in secundo gradu, alter in tertio, satis sit explicare tertium; si vero alter distet in primo gradu, alter in secundo, ut Patruus, & Nepos, non satis sit exponere conjunctionem in secundo gradu, sed debeat primus gradus Patrui explicari.

VII. Quæritur quinto; An, si quis post copulam habitam cum consanguinea impetret dispensationem ad contrahendum cum illa matrimonium, nulla facta mentione in petitione dispentionis copulæ habitæ, valida sit dispensatio?

Respondeo, Sanch. disp. 25. cum aliis negare. Primo, quia stylus Curiæ fert, ut in petitione dispensationis exprimatur incestus, ut sic timore manifestationis arceantur homines a copu-

 la in-

la incestuosa. Secundo, quia copula illa expressa efficit, ut dispensatio concedatur cum quibusdam limitationibus, nimirum addita pœnitentia, & majori compensatione pecuniæ.

Sed Pont., Rodriq., Henr. & alii apud Perez probabiliter docent, dispensationem in casu adducto esse validam, quia neque incestus indiget dispensatione; neque jure aliquo præcipitur, ut exprimatur. Et præterea si exprimatur incestus, redditur dispensatio facilior, non difficilior.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, falsum esse, quod ex stylo Curiæ incestus exprimatur. Quamvis enim multi sequentes primam sententiam illum exprimant; multi tamen sequentes secundam sententiam non exprimunt. Adde, stylum Curiæ (ut ait Rodriq. ex multis Jurisperitis) non obligare extra Curiam, nisi confirmetur decreto aliquo Papę, quod hic non habetur.

Ad secundam rationem respondetur, quod injunctio pœnitentiæ, & majoris compensationis pecuniæ propter copulam expressam, non solum fiat in pœnam copulæ, sed etiam ut facilius impetretur dispensatio; ergo expressio copulæ non retrahit, sed potius promovet dispensationem; unde si reticeatur, non est invalida dispensatio.

Adverte tamen cum Perez, quod si in dispensatione a Papa obtenta addatur clausula illa, (dummodo non intervenerit copula) si talis dispensatio sit pro foro interno, & copula intervenerit, dispensatio est irrita, cum sit conditionalis, & conditio non sit purificata; Si vero sit pro foro externo, & copula intervenerit quidem, sed non constet in foro externo, dispensatio est valida; cum vere pro foro externo, & judiciali copula non intervenerit.

IX. Quæritur ultimo; An commissiones dispensandi in impedimentis matrimonii expirent morte concedentis, re integra?

Respondeo, communiter Doctores docere, quod non expiret potestas dispensandi cum personis incertis; secus vero potestas dispensandi cum persona certa. Ratio est, quia in primo casu potestas datur in favorem dispensantis, & ideo relate ad illum gratia jam est facta: unde morte concedentis non expirat: Contra vero in secundo casu potestas datur in favorem ejus, cum quo dispensandum est, & ideo gratia non est facta, sed facienda. Unde morte concedentis expirat, re integra, ex cap. *Si cui*, *de Præbendis in 6.*

Notat vero hic Suar. lib. 8. de legibus cap. 31. quod si Titio directe concedatur facultas, ut possit impedimento aliquo dispensari ab Episcopo, morte concedentis facultas hæc non expirat, quia est gratia facta; (& idem dicas, si subdito concedatur licentia eligendi sibi confessarium) Contra vero si concedatur directe Episcopo facultas, ut possit dispensare cum Titio in impedimentis matrimonii, morte concedentis talis facultas expirat; quia est gratia facienda. Quod attinet ad reliquas licentias, & privilegia data ad actus, qui non pendent ex actione alicujus Tertii circa privilegiatum, ut sunt licentię non jejunandi, laborandi die festo, celebrandi in Oratorio privato, audiendi Sacrum tempore interdicti, dicendum, nunquam expirare morte concedentis, ut communiter docent ex praxi Ecclesiæ.

Notandum præterea, probabilem esse sententiam Pontii, & aliorum apud Perez disp. 47. sect. 5. docentium, ad quamcumque licentiam, vel rescriptum, sive dependeat ab actione Tertii, sive non, censeri gratiam statim factam ex vi privilegii ante quemcumque ejus usum, si sit gratia spiritualis; Immo & in quacumque materia, nisi jure sit prohibita, vel excepta: In duplici autem casu excipitur. Primo, in materia ambitiosa, qualis est beneficialis; nam in dicto cap. *Si cui* deciditur, facultatem concessam conferendi beneficia personis certis, & expressis expirare morte concedentis; non vero si sit licentia conferendi beneficia personis incertis. Et ratio est, quia in eo casu est gratia facienda, in hoc vero est gratia facta. Secundo, in materia fori contentiosi, ex cap. *Gratum*, *de Officio delegati*. Unde fit, non expirare morte concedentis licentiam concessam dispensandi in voto, vel in impedimentis matrimonii, vel audiendi confessiones, &c., sive relate ad determinatam personam, sive relate ad personas incertas concedatur; quia hujusmodi licentiæ non pertinent ad materiam ambitiosam, seu beneficialem, nec ad materiam fori contentiosi.

X. Notandum demum cum Perez sect. 7., quod gratia concessa ad beneplacitum concedentis morte concedentis expiret; Ratio est, quia cum mortuus non possit habere amplius beneplacitum, talis gratia per ejus mortem extinguitur; Et idem dicas, si ab officio amoveatur, qui concessit licentiam ad suum beneplacitum. Quare si detur alicui determinato Confessario licentia audiendi confessiones ad beneplacitum concedentis, vel quamdiu ei placuerit, talis licentia expirat, sive concedens moriatur, sive ab officio amoveatur: Verum si omnibus indiscriminatim Regularibus ea licentia detur sub tali conditione, tunc ne appareat irrationabilis, & injusta, non est ita interpretanda, ut significet, dari licentiam quousque ab ipso concedente revocetur; sed dari licentiam quousque simpliciter a quolibet habente potestatem revocetur; atque adeo morte concedentis non expirat. Nec expirat, si detur licentia sub his terminis: Donec revocetur. Immo nec si dicat concedens: Do licentiam audiendi confessiones, donec illam revocavero; quia, ut expiret, requirit revocationem; atque adeo non satis est mors concedentis. (*a*)

„ (*a*) Hæc de dispensatione. Quid si vero agatur de nullitate Matrimonii? Ordinem, & formam in judiciis ejusmodi caussarum Matrimonialium servandam hac Constitutione Benedictus XIV. præscripsit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SEVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„ DEi miseratione, cujus judicia incomprensibilia sunt, & viæ investigabiles, in suprema Ecclesiæ specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum Pastoralis Officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, & hominum malitia abusus, quibus & animarum saluti pernicies, & Sacramentis Ecclesiæ injuria infertur, radicitus evellere, & potestatis Nobis desuper traditæ operam interponere, ut & humana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis servetur auctoritas.

„ Siquidem matrimonii fœdus a Deo institutum, quod & quatenus naturæ officium est pro educandæ prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum, & indissolubile esse convenit; & quatenus est Catholicæ Ecclesiæ Sacramentum, humana præsumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit dicens: Quod Deus conjunxit, homo non separet: Ad aures Apostolatus nostri pervenit in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis judicum facilitate infringi, & temere, atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis potestatem conjugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Judices humanæ naturę conditione & voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis parens præmonuit inquiens: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Et illud additum est: Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

„ Hujusmodi autem abolendæ pravitatis notitia diversis ex Partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, & secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam Judicum præcipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus ad quartas contrahendas nuptias devenerant, & similiter fœminarum, quæ post primum, secundum, & tertium maritum, quarto etiam illis quoque viventibus se junxerant, non sine pusillorum scandalo, & bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni, & temere perfringi dolebant. Nos autem his intellectis gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, & non prætermisimus Apostolicæ Nostræ sollicitudinis partes in Domino adimplere. Si quidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus prædicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quæ in Ecclesia Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & Pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse, cognovimus.

„ Verum nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus vel in prima instantia cum causa coram Judice Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda cum in partibus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, causæ matrimoniales hujusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui ob inscitiam, vel ab malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi, vel etiam habito nullo examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto conjugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat in Judicio compareat, & sententia nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias Nuptias convolat; vel ambobus conjugibus in Judicium venientibus, alter, qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Judicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, revera inter se concordes sunt, & invicem colludentes contractum, matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quæ pro validitate matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Judice sententia contra matrimonium mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis & inceptum opus, ac causam post primam sententiam deserit: Quo fit, ut deinde ambo conjuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

„ Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo causæ matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de justitia unicuique integre, sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos scriptis vigesimasexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri providere curavimus, in quibus ea præscripsimus, quæ sacris Canonibus, & Concilii Tridentini consona, si diligenter, ut speramus, serventur imposterum causæ nonnisi personis congrua juris peritia, & necessario probitatis, spectatæqne fidei munitis præsidio committentur. Insuper ad ea, quæ in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in præsenti adjungimus: Quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causæ matrimoniales subtractæ fuerunt, Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum judicio, & Episcoporum tantum examini, & jurisdictioni reservatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Diœcesi constituti, vel privilegio aliquo, vel præscriptione saltem in visitatione causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; idcirco minime obstet commissionibus, quæ pro

„ iis

„ iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede „ Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, „ ad quos hujusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non „ committant nisi Episcopis præsertim vicinioribus, „ vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa „ commode committi possit, tum commissio, & delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum Ordinem, & modum a Nobis in præfatis encyclicis litteris præscriptum pro Judice idoneo ab Episcopo „ cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

„ Quod vero ad Ordinem, & seriem judiciorum „ in causis matrimonialibus pro debita, & congrua „ earum terminatione servandum spectat, motu „ proprio, certa scientia, ac matura deliberatione „ nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine „ hac nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, & singulis locorum Ordinariis in suis respective Diœcesibus persona aliqua idonea eligatur, „ & si fieri potest, ex Ecclesiastico cętu, juris scientia pariter, & vitæ probitate prædita, quæ matrimoniorum defensor nominabitur; cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, & substituendi aliam æque „ idoneam, & iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam „ fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio „ agendi obtulerit, erit legitime impedita.

„ Ad officium autem defensoris matrimoniorum „ hujusmodi, ut supra electi, spectabit in judicium „ venire quotiescumque contigerit, matrimoniales „ causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, „ voce, & scriptis matrimonii validitatem tueri, „ eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

„ Et demum defensoris hujusmodi persona, tanquam „ pars necessaria, ad judicii validitatem, & integritatem censeatur, semperque adsit in judicio, sive „ unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii „ agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter „ vero pro validitate in judicium veniant. Defensor autem cum ei munus hujusmodi committetur, „ juramentum præstabit fideliter officium suum „ obeundi, & quotiescumque contigerit, ut in Judicio adesse debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum præbebit, quæcumque vero, eo non legitime citato, aut „ intimato, in Judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, & intimata non esset ea pars, cujus citari intererat, & „ quam juxta legum, & Canonum præscripta ad legitimam judicii validitatem citari, aut intimari „ omnino necessarium erat.

„ Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua „ proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, & existentibus in Judicio, vel uno ex conjugibus qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, „ quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii „ partes omnes officii sui diligenter adimpleat. „ Itaque si a Judice pro matrimonii validitate judicabitur, & nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si „ a Judice secundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primę instantiæ de illius nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhærens parti, quæ pro validitate agebat; „ cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, „ lata contra eum sententia, judicium deseruerit, „ ipse ex officio ad superiorem Judicem provocabit.

„ Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, & partium interposita, si ambo, vel unus ex conjugibus novas Nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non „ solum serventur, quæ adversus eos qui matrimonium „ contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta „ sunt, præsertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoad usque altera sententia super nullitate „ emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit, sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes matrimonium hujusmodi omnibus pęnis contra polygamos a sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subjaceant, quas in eos, „ quatenus opus sit motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

„ Postea quam vero appellationis beneficio ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit „ omnia, & singula quæcumque coram Judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce, & scripto Matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur, & si judex „ in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut „ Sedis Apostolicæ Nuntius aut Episcopus vicinior „ matrimonii defensor sit, qui ab ipso fuerat deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, „ ut quæ a Nobis superius constituta sunt peragere „ possit; Si autem judex in secunda instantia erit „ judex commissarius, cui a Sede Apostolica causæ „ cognitio demandata sit, & qui Tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur qui constitutus fuerit ab „ Ordinario, in cujus Diœcesi causam cognoscet, „ etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

„ Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, „ si in secunda æque in hac prima nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, & ab ea pars, „ vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem prosequendam minime „ censuerit, in potestate, & arbitrio conjugum sit „ novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum „ ob aliquid impedimentum, vel legitimam causam „ id vetitum non sit, potestas tamen post alteram „ sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, salvo semper, „ & firmo remanente jure, seu privilegio causarum „ matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis „ lapsum, nunquam transeunt in rem judicatam, „ Sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, & rursus in judi-

judicialem controversiam revocari. Quod si à secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, ut hujusmodi sit, ut ei salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, & sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanata, volumus, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ a nobis in prima, & secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet judiciali actu citato, & audito defensore matrimonii, qui a Judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, & proximi utilitate, & Ecclesiæ reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede, aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causæ Judice ei constituatur, & ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; Sin minus a Judice primæ vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respective subministrabitur, qui pecuniam, ex mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas, & in opera pia erogandas in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero Judices causæ erunt Judices Commissarii, qui neque forum habent, & consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus, ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus Diœcesi Judex Commissarius juxta Sedis Apostolicæ mandatum judicium exercebit.

„ Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quæ extra Romanam Curiam pertractantur: Quoad causas vero quæ Romæ disceptandæ sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe, jusque suburbiis, & districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac jubemus, ut omnia, & singula, quæ in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis præscripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur citato, & audito Defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quæ in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes judicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione, & executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii Nostri Auditorio, dummodo nobis, & Romano Pontifici pro tempore justis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanæ Curiæ Prælatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabatur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Præfecto ejusdem Congregationis; Si vero in Palatii nostri auditorio, ab Auditore Decano præfati Tribunalis; Si demum in Congregatione particulari a persona ejusdem Congregationis digniore deputetur. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, & similiter in Palatii Nostri Auditorio unica sententia super eadem nullitate pronuntiata minime sufficiat ad tribuendam liberam conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in præfata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam proponatur; Si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem ejusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur. Si vero in Palatii Nostri Auditorio judicata sit, a præfato defensore appellatione interposita ab aliis auditoribus juxta ordinem in gyrum, seu turnum definiatur; Si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutiones aut sententiæ penitus similes, & conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, & novum initum matrimonium, nostræ voluntatis hujusmodi transgressores pœnis a nobis, ut supra statutis submittantur.

„ Et quoniam sæpe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati, & non consummati, quæ ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut hujusmodi instantiæ ordine, ac rite procedant volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accurata totius facti species contineatur, causæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex eo lecto, & mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causæ examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

„ Demum volumus, ac decernimus easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functores, sublata, eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non

„ obstan-

„ obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, sed alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri Decreti, Statuti, Constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem tertio nonas Novembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri anno secundo.

QUÆSTIO VII.

De Usu, ac Debito conjugali.

ABstinendum esset ab hac quæstione, quæ plurima fert, a quibus aures pudicæ abhorrent. Verum quia *Omnia Munda Mundis*, ut loquitur Apostolus ad Titum cap. 1.; & quia Confessarii hac in re nosse debent, quæ licita sunt, & discernere inter lepram, & lepram, hoc est inter mortale, & veniale, ut plurima peccata devitent; ideo examinandum Primo, Qua ratione actus matrimonii sit licitus? Secundo, Quando sit debitus? Tertio, agemus de iis, quæ usum matrimonii impediunt. Quarto, de peccatis luxuriæ, quæ inter conjuges committi possunt.

ARTICULUS I.

Qua ratione actus conjugalis sit licitus?

I. *Ob quem finem exerceri possit actus conjugalis?*

II. *Vacat veniali culpa, illum exercere ad vitandum periculum incontinentiæ.*

III. *Consilium sanum est certis temporibus ab illo abstinere. Et regulariter est veniale post illum accedere ad Eucharistiam.*

IV. *Potest aliquando licitus esse in Ecclesia actus conjugalis; Et tunc Ecclesia non polluitur. At polluitur per effusionem seminis sacrilegam, quæ non sit occulta, & fiat in ipso corpore Ecclesiæ.*

V. *Non tenetur conjux reddere debitum, quando alter est amens, aut ebrius.*

VI. *Ne ad vitam quidem tuendam licitum est procurare seminis effusionem; quamvis liceat eam non impedire, dum in somnis cœpit.*

VII. *Motus sensualitatis secundo primi sunt venialia, si proveniant ex causa venialiter mala citra periculum consensus.*

VIII. *Non resistere positive cogitationibus, & delectationibus impuris num sit mortale?*

IX. *Qui sine justa causa exercet actiones notabiliter in pollutionem influentes peccat graviter; peccat vero leviter, si raro, & per accidens in illam influant.*

X. *Quæcumque modicissima delectatio venerea deliberate quæsita, & admissa non vacat lethali culpa.*

XI. *In quo differat delectatio venerea a sensitiva non venerea?*

XII. *In aliquo sensu admitti potest, quod in re ex objecto venerea detur materiæ parvitas; non tamen in delectatione venerea.*

I. QUæritur primo; Quo fine exercendus sit actus conjugalis, ut licite fiat?

Respondeo, juxta ea, quæ diximus quæst. 3. ar. 2. licitum esse usum conjugalem, non solum ob prolis generationem, & ad vitandam conjugis incontinentiam, (quod est indubitatum) sed

ſed etiam ad vitandam in ſe incontinentiam; & ad ſanitatem corporalem aut recuperandam, aut conſervandam; & ad conſervandum amorem cum conjuge; & ob alium quemcumque finem extrinſecum honeſtum; ut communius docent Doctores: Non tamen ob ſolam delectationem inde capiendam: quod certe culpa veniali non vacat, ut conſtat ex propoſit. 9. ab Innoc. XI. damnata. Ratio doctrinæ eſt, quia actus conjugalis de ſe non eſt malus, ut eſt de fide; ergo licitum eſt eo uti ob finem honeſtum, ſive ipſi intrinſecum; ad quem naturaliter eſt proportionatus; ſive extrinſecum: non tamen ob ſolam delectationem; tum quia finis operationis humanæ non debet eſſe bonum delectabile, ſed bonum honeſtum, & abuſus rei eſt, quærere actum propter delectationem illi annexam; cum delectatio ſit propter actum, non e converſo actus propter delectationem; tum etiam, quia delectatio annexa operi conjugali mentem abſorbet, nec liberam illam relinquit, ut ſe ad Deum convertat.

II. Ex hoc autem, quod actus conjugalis mentem abſorbeat, ac veluti inebriet, docuit Sanch. lib. 9. diſp. 9. non vacare culpa veniali illo uti ad vitandam propriam incontinentiam, quando aliis mediis poſſumus ſtimulos carnis ſedare: Sed communiter rejicitur: Hinc enim ſequeretur, quod conjuges tenerenrur ſub veniali ſejungi toro, quando non eſt ſpes generationis; cum enim tenerentur ſub veniali non petere debitum, idcirco etiam ſub veniali tenerentur vitare periculum proximum petendi, quod certe habetur in uſu ejuſdem tori. Et ratio a priori eſt; quia nemo tenetur vitare peccatum per medium perfectius, quando poteſt illud vitare per medium ex ſe licitum, & honeſtum; cum non detur obligatio exequendi ſemper, quod perfectius eſt; ergo quamvis poſſit aliquis ſedare ſtimulos carnis orationibus, & jejuniis, nihilominus ad id non tenetur, ſed poteſt illos ſedare uſu conjugali, qui, ut diximus, de ſe licitus, & honeſtus eſt; atque adeo ob talem finem illo uti nulla eſt inordinatio, & nulla culpa. Hinc Apoſt. 1. ad Corinth. 7., cum ſuaſiſſet conjugibus, ut aliquando ab uſu conjugali abſtinerent ad vacandum orationibus, ſubdit: *Iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram; hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Quod ſi culpa eſſet venialis ad vitandam incontinentiam uti tali medio, non poſſet Apoſtolus indulgere, ut ad illud revertantur Conjuges.

III. Quæritur ſecundo; Quo tempore ſit illicitus actus conjugalis?

Reſpondeo, non eſſe illicitum diebus feſtis, aut jejunii, nec die communionis, nec quo tempore uxor eſt gravida, aut prolem lactat, aut menſtruum patitur, nec ante benedictiones nuptiales; quamvis conſilium ſit iis temporibus abſtinere: Immo ſi ex nimia carnis concupiſcentia debitum conjugale exigatur, videtur, regulariter loquendo, eſſe veniale ad Euchariſtiam deinde accedere, eo quod reddatur homo minus aptus ad diſpenſationem ex divino præcepto requiſitam ad Euchariſtiam ob illam mentis evagationem. Poſſet tamen ſine culpa veniali communicare, ſi aut magna ſolemnitas, aut jubilæum, aut alia ratio exigat acceſſum ad Euchariſtiam; aut ſi conjux non petit, ſed reddidit debitum, vel ſi recto fine illud petierit cauſa prolis.

IV. Quæritur tertio; Quo loco actus conjugalis ſit illicitus?

Reſpondeo, in loco publico, ſeu coram aliis actum conjugalem, & tactus impudicos inter Conjuges eſſe mortaliter illicitos, adhuc ſecluſo ſcandalo; cum graviter rationi, decentiæ, & honeſtati humanæ diſſonet ea coram aliis exercere; eo quod de ſe graviter ad venerem excitent aſpicientes.

Dubium eſt; An in loco Sacro, vel benedicto actus conjugalis ſit illicitus, & ſacrilegus?

Affirmant Palud., & Tolet. eo quod per illum Eccleſia polluatur. Nam in cap. *final.*, *de Conſecratione Eccleſiæ* dicitur: *Si Eccleſia fuerit cujuſcumque ſemine, aut ſanguinis effuſione polluta*. Alii putant, nunc ſolum eſſe illicitum, quando ſine neceſſitate exercetur. Videtur enim eſſe Eccleſiæ injurioſus: At ſi conjuges longo tempore maneant in Eccleſia concluſi, poſſent ad vitandam incontinentiam actum conjugalem exercere; quia non videtur in tali caſu prohibitus ab Eccleſia. Ita Sanch. diſp. 25., Azor., Avil. de Cenſuris part. 5. dub. 1.

Verius exiſtimo cum Pontio, & Perez diſp. 49. ſect. 5. neque eſſe mortale, ſi conjuges in Eccleſia copulentur ſine neceſſitate; nec Eccleſiam violari, aut pollui per actum conjugalem. Ratio eſt, quia nuſquam id ab Eccleſia prohibetur, & in cap. cit., ubi dicitur, Eccleſia pollui per ſeminis effuſionem, ſenſus eſt de effuſione ſeminis illicita; actus autem conjugalis non eſt illicitus: Sicut enim ſola effuſio ſanguinis illicita, & injuſta polluit Eccleſiam, & eſt ſacrilega, non vero effuſio juſta; ita ſola effuſio ſeminis illicita eandem polluit, & eſt ſacrilega. Ratio a priori eſt, quia illi actus habent ſpeciem ſacrilegii, quibus ex conſtitutione Eccleſiaſtica ſtatutum eſt Eccleſiam manere pollutam, & reconciliandam eſſe; atqui nullum jus Eccleſiaſticum ſtatuit, locum ſacrum pollui per effuſionem ſeminis maritalem, ut late oſtendit Perez loc. citat. Solum enim polluitur Eccleſia per effuſionem ſeminis ex ſe illicitam

tam, quæ sit peccatum mortale, & quæ sit publica; idest quæ ipsa confessione Rei in Judicio, vel evidentia facti in multorum notitiam devenit; & est quasi diffamata Ecclesia, & denigrata ejus reverentia, ut communiter docent cum Vasq. 1. secundæ disp. 98., Tolet., & aliis. Etenim sicut ob occulta crimina non potest injungi penitentia publica, ne delinquens injuriose diffametur; ita nec Ecclesia potest pollui ob delictum quodvis occultum; quia eadem inconvenientia sequerentur: Si ergo duo, vel tres, vel pauci homines scirent pollutionem in loco Sacro admissam, non per hoc talis Ecclesia deberet reconciliari, nec peccatum illud haberet rationem Sacrilegii.

Addæ, pollui Ecclesiam per talem actum publicum factum intra corpus Ecclesiæ, non vero in Sacristia, aut in Cellis, seu Tribunis, ex quibus Principes, qui domos habent Ecclesiæ conjunctas, audiunt Sacrum, ex Sanch. loc. citat.

V. Quæritur quarto; An actus conjugalis sit illicitus tempore amentiæ?

Respondeo, quando ambo conjuges sunt amentes, separandi sunt, ne carnaliter conjungantur & peccat mortaliter, qui eos ad copulam incitaret. Ratio est, quia concurreret ad evidens periculum malæ educationis prolis; siquidem ea careret parentibus, a quibus educari posset; Præterquamquod facile sequeretur abortus: Si tamen alter tantum ex conjugibus sit amens, licitum est alteri sanæ mentis petere ab illo debitum; nunquam tamen tenetur conjugi amenti debitum reddere; quia subjectum incapax usus rationis est etiam incapax tam usus dominii, quam ipsius dominii, quod supponit libertatem physicam; atque adeo invalide debitum exigit; cum debitum exigere sit usus dominii. Propter eandem rationem non tenetur conjux reddere debitum alteri conjugi ebrio; Nisi tamen ad vitandam pollutionem, aut aliud grave damnum aliquando per accidens teneretur.

VI. Quæritur quinto; An aliquando sanitatis causa, vel ad vitam tuendam liceat procurare seminis effusionem, distillationem, aut alterationem, hoc est notabilem commotionem spirituum vitalium generationi deservientium; saltem, si id fiat per media licita eo fine assumpta.

Respondeo, certum esse, quod nunquam id liceat; immo quod semper sit peccatum mortale; cum dicat Apost. 1. ad Corinth. 7. *Neque fornicarii, neque molles Regnum Dei possidebunt*. Ratio communis est, quia intantum ad sanitatem, vel vitam tuendam licitum est mittere sanguinem, secare manum, brachium, testes, &c. quia cum hæc sint partes individui, conveniens est in bonum individui ea ordinare, & velle, ut ea potius, quam totum individuum pereat: Contra vero semen non est proprie pars corporis, nec institutum ad bonum individui, sed ad prolem generandam, & propter naturæ propagationem; unde solum ad talem finem ordinari potest, non vero ad vitam, aut sanitatem tuendam.

Huic rationi additur alia efficacior; quia scilicet in effusione seminis talis delectatio suboritur, ut si semel admittatur in aliquo casu eam esse licitam gratia sanitatis, vel vitæ, esset evidens, ac summum periculum, ne homines passione excæcati passim id sibi licere persuaderent. Unde luxuriæ vitia adversus commune bonum pullularent; quibus ut natura obviaret, jure merito talem actionem negavit, etiam ad vitam tuendam. Quod tamen non militat in amputatione reliquorum membrorum; eo quod dolor maximum inde consurgens etiam a necessaria, nedum a prodiga amputatione avertit.

Sicut autem non licet procurare seminis effusionem extra actum conjugalem; ita nec licet procurare commotionem notabilem spirituum vitalium generationi, seu seminis effusioni deservientium; quia talis commotio, seu alteratio est inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis consummationem essentialiter ordinatur. Et idem dicas de distillatione, quæ per se conjuncta est cum notabili eorundem spirituum vitalium commotione. Solum licitum est, ut notat Sanch. lib. 9. disp. 17., ubi pollutio est in naturali fluxu, & in somnis cœpit, illam non impedire ob morbi periculum, cessante periculo consensus in delectationem; quia hoc non esset procurare, sed pati pollutionem.

VII. Quæritur sexto; An saltem motus sensualitatis aliquando culpa vacent?

Respondeo, certum esse, quod motus primo primi, sive sensualitatis sint, sive iracundiæ, &c. non sint peccata; cum in nostra potestate non sint: Motus tamen secundo primi qui scilicet prævideri, & caveri potuerunt, neque sunt peccata, si proveniant ex causa habente aliquam honestatem, vel utilitatem; ut quando proveniunt ex auditione peccatorum turpium in confessione, &c. quia sunt nobis connaturales, & in nobis facile oriuntur ex infirmitate naturæ: Secus vero si proveniant ex causa nullam habente utilitatem, & honestatem; eo quod repugnent rationi, & incitent ad ulteriorem libidinem: Sunt tamen solum venialia peccata, si proveniant ex causa tantummodo venialiter mala, in qua prævideri, & præcaveri possunt, ut quando proveniunt ex verbis, ex lectione, vel aspectu curioso; dummodo non intendatur delectatio venerea, nec sit periculum consensus in illam. Ita Vasq., Henr., & alii apud Bonac. hic quæst. 4. punct. 7.

VIII. Dubium est, An peccet mortaliter, qui

qui negative se habet circa tales motus sensualitatis, non impediendo, nec reprimendo illos, quando facile possunt reprimi, animum alio divertendo, etiam sine ullo gestu, aut motu corporis exteriori? Et idem quæritur de cogitationibus, & delectationibus illicitis.

Respondeo, communiter Doctores docere, esse peccatum mortale non resistere positive motibus, cogitationibus, & delectationibus impuris. Ratio est, quia in moralibus quodcumque voluntas non respuit, censetur illud admittere per consensum interpretativum, perinde quasi illud positive vellet; atqui positive velle tales motus, &c. circa omnem controversiam est peccatum mortale; ergo etiam negative se habere circa illos, & non resistere positive erit peccatum mortale.

Verum Pal. apud Tamb. lib. 10. in Decal. cap. 2. putat cum Cajet., Navar., Tolet. probabilius esse, quod non sit mortale illos turpes motus non reprimere; dummodo absit periculum pollutionis, aut ulterioris consensus. Ratio est, quia cum hujusmodi motus sint naturales, & difficillimum sit omnes omnino coercere, sequeretur, quod nostra salus esset exposita periculis evidentissimis, si teneremur tales motus positive reprimere; hoc autem non est credendum de divina bonitate; ergo dicendum, & quod ad id non teneamur: Aliter qui, verbi gratia, decumbens videret hos motus consurgere, deberet a cubitu abstinere, immo surgere, & aliquando se verberare; quod videtur durissimum. Præterea quilibet deberet eorum causas removere; unde ne tales motus excitentur, deberet sub mortali abstinere a colloquio, & aspectu fœminæ; quod communiter non admittitur. Hæc Pal., qui tamen fatetur cum communi esse veniale tales motus non reprimere, cum possis, nec excusationem habeas, cur non reprimas; quia negari non potest, motus hujusmodi esse deordinatos, & ad copulam incitare. Præterquamquod facile adest periculum ulterioris consensus; præsertim in iis, qui in hac materia sponte opiniones liberiores volunt sequi. Excusatio autem sufficiens non reprimendi positive esset, si actio illa, quam omittere deberes, ut reprimeres, sit tibi, vel alteri necessaria, aut utilis; ut est audire confessiones, mederi, studere, urbane loqui cum fœmina, equitare, &c., hæc enim, & similia licent, etiamsi prævideatur secutura pollutio, dummodo non intendatur, nec sit periculum consensus.

Dices: Exercere operationes, quæ notabiliter influunt ad pollutionem, vel commotionem spirituum, secundum se est mortale; ergo etiam non reprimere spirituum commotionem; nam id (præsertim in naturis calidioribus) est virtualiter eos acceptare, & velle causam notabiliter influentem in pollutionem.

Respondeo, concesso antecedente, negatur consequentia; primo, quia permittere non est acceptare, aut consentire; secundo, quia qui positive acceptat tales motus, vult causam notibiliter influentem in pollutionem; & ideo mortaliter peccat: Contra tamen qui negative se habet circa illos, non vult, quod notabiliter influant in pollutionem; quia hujusmodi motus si non acceptentur positive, non influunt notabiliter in illam; ergo quamvis sit culpa venialis, illos non reprimere positive, poterit tamen non esse mortale, si absit periculum consensus, quod in re tam lubrica non est facile declinare.

IX. Quæritur septimo; An semper sit mortale dare, vel non impedire causam pollutionis, distillationis, aut commotionis notabilis spirituum vitalium ad generationem deservientium?

Ante responsionem præmitto, duplicem dari causam pollutionis; Alterum, quæ notabiliter, & per se in illam influit, ut est cogitatio vehemens de concubitu; (& ex Sanch., & Less. apud Tab. lib. 7. cap. 3. §. 5. quælibet alia actio peccaminosa mortaliter in genere luxuriæ, ut sunt tactus, turpiloquia, oscula, aspectus, desideria, & alia hujusmodi, quando sunt peccata mortalia). Datur præterea altera causa pollutionis per accidens, quæ non influit notabiliter in illam; ut est cibus, & potus superfluus, & aliæ actiones, quæ in genere luxuriæ sunt solum peccatum veniale; Verbi gratia, lectio curiosa, & vana turpium, turpiloquia, repræsentationes, cogitationes, desideria, tactus, & alia hujusmodi, quando sunt venialia, sive ex indeliberatione, sive aliunde. Quare tactus levis manus ex joco, & vanitate, loqui verba amatoria, videlicet, Cor meum, Anima mea, ad Amorem vanum, non tamen libidinosum conciliandum, (ut notat Dian. part. 2. tract. 15. resol. 31.) ad pollutionem nonnisi per accidens, & raro influunt; cum sint peccata venialia, si adsit periculum tam proprium, quam illius, ad quem verba diriguntur; Et idem dicas de potu calidorum, necnon de ebrietate; &c., quæ quamvis sint mortalia, cum non sint mortalia in genere luxuriæ, non dicuntur notabiliter, & per se influere in pollutionem; Unde si ex iis prævideatur secutura pollutio, & non intendatur, nec sit periculum consensus, non erunt nisi peccatum veniale contra castitatem, ut mox dicemus. His itaque præmissis,

Dico primo cum communi apud Tamb., & Dian. loc. cit. Quoties cum voluntate deliberata absque urgenti necessitate, aut magna utilitate exercentur actiones ex natura sua turpes, & notabiliter influentes in pollutionem; seu per se tendentes ad actus venereos excitandos, toties

peccatur mortaliter, etiamsi non iutendatur pollutio prævisa sive in somnis, sive in vigilia secutura. Ratio est, quia qui deliberate vult causam, vult etiam effectum necessario, vel quasi necessario inde provenientem. Dixi tamen, sine urgente necessitate, vel rationabili utilitate; nam si quis, v. gr., medeatur partibus verendis; excusatur a culpa, quamvis prævideat inde pollutionem secuturam, dummodo illam non intendat, nec sit periculum consensus.

Dico secundo; si sine necessitate, vel rationabili utilitate exerceas actiones leviter, & per accidens in pollutionem influentes, etiamsi illam prævideas, peccas solum venialiter, dummodo non intendas illam, & absit periculum consensus. Ita Vasq., Sal., Less., Bonac.. Henr. apud Tamb., & Dian. loc. cit. Ratio est, quia intantum pollutio volita in causa est mala, inquantum est mala ipsa causa; sed causa pollutionis, ut supponimus, est solum mala venialiter, saltem in genere luxuriæ; ergo talis etiam erit pollutio sequens, sive in somnis, sive in vigilia. Præterea, ut loquitur Sanch. lib. 9. disp. 45., obligatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se, & proxime non ordinantur ad illam, non est obligatio gravis; eo quod non imputetur ad peccatum id; quod per accidens sequitur; cum operans illud potius patiatur, quam agat.

Hinc excusatur a culpa, etiam veniali, exercens operationes per accidens in pollutionem influentes, si bona fide illæ appareant necessariæ, vel utiles; immo etiam solum commodæ sive Animæ, sive Corpori. Unde studere, audire confessiones; cubare tali situ commodo, equitare ad recreationem, vel ad negotiandum, osculari juxta morem Patriæ, ne inurbanns videaris, loqui cum feminis caute, vel etiam amicabiliter sine prava intentione, ne venialia quidem peccata sunt, etiamsi in iis prævideatur pollutio secutura citra periculum consensus.

Quæ diximus de causis influentibus in pollutionem, dicas de causis influentibus in distillationem, & in commotionem spirituum; quia commotio spirituum est præparatio ad pollutionem, vel distillationem, & distillatio ut plurimum cum voluptate fit, minori tamen, quam fiat pollutio; Quod si sine ulla prorsus delectatione libidinosa contingat, non adest obligatio tollendi ejus causas; ut iidem Doctores docent apud Tamb.

X. Quæritur ultimo; Utrum in venerea delectatione detur materiæ parvitas, quæ a morrali excuset?

Respondeo, docuisse nonnullos apud Mendo in statera differt. 5. quæst. 1. dari aliquando parvitatem materiæ in re venerea: V. gr., si quis procuret levem aliquam distillationem, vel spirituum commotionem, aut si ob levem delectationem carnalem legat libros obscęnos, aut obscęne loquatur, alios tangat, osculetur, &c.

Communissima tamen sententia docet, in re venerea quamcumque modicissimam delectationem deliberate quæsitam, aut admissam esse peccatum mortale. Unde Pater Claudius Aquaviva, & deinde Congregatio IX. decreto IX. præcepit in virtute Sanctæ obedientiæ, ne nostri contrariam sententiam docerent. Præterquam quod multi apud Mendo in Epitome V. *Luxuriæ* putarunt, contrariam sententiam a Clem. VIII. damnatam esse. Et ratio doctrinæ est, quia quælibet delectatio venerea ex se ordinatur ad copulam, a qua suam malitiam desumit, & est incitativa ad majorem delectationem, cum fiat ex motu seminis, & commotione spirituum vitalium generationi deservientium; ergo quælibet modicissima delectatio venerea est peccatum mortale. Sicuti enim qui positus supra præcipitem, & lubricam viam, si vellet quatuor tantum passus descendere, & non amplius, exponeret se periculo manifesto ruendi in præceps, ob summam difficultatem sistendi gradum in proclivi; Ita qui quærit, aut acceptat quamcumque modicam veneream delectationem, amat periculum manifestum labendi ulterius in majorem delectationem, ob summam difficultatem sistendi gradum in via tam lubrica, & præcipiti; & idcirco mortaliter peccat: Nam, ut ait Scriptura, *Qui amat periculum, peribit in illo;* Et propterea oppositam sententiam Verricelli apud Mendo in statera vocat omnino improbabilem, temerariam, scandalosam, ac forte graviore censura dignam. Hinc proscripta fuit ab Alex. VII. thesis 40., quæ habet: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Esto enim proscripta hæc thesis non sit eadem cum thesi, quam impugnamus; ex ea tamen videtur satis colligi hujus improbabilitas.

XI. Notandum itaque, delectationem veneream a non venerea in hoc discriminari, quod venerea sentitur in carne cum commotione spirituum vitalium circa partes libidinosas, eo quod oriatur ex motu seminis descendentis ad partes obscęnas: Contra vero non venerea habetur ex visu, tactu, &c. ob proportionem, & connaturalitatem objecti cum organo talium potentiarum; ut quando videtur hortus, ædificium, aut alia res pulchra, vel quando tangitur flos, aut alia res blanda. Quare si consimilis delectatio haberetur in visu faciei alicujus fœminæ, quæ habetur in visu pulchræ picturæ, certe non esset peccatum, saltem mortale, sic in tali aspe-

aſpectu delectari. Sed difficillimum eſt ad tales aſpectus non commoveri ſpiritus, & non ſubnaſci delectationem veneream circa partes libidinoſas; nam ſicut palea ad præſentiam ignis ſtatim incenditur, quia ignis eſt virtus phyſica, quæ ad præſentiam paſſi diſpoſiti non poteſt non agere; ita ad aſpectum aliquorum objectorum phyſice noſter ſanguis ebullit, & ſpiritus commoventur, ita ut impoſſibile ſit non ſentire delectationem veneream: Quis enim adeo ſtipes, & truncus, ut citra hanc delectationem poſſit inſpicere partes obſcœnas alterius ſexus humani? Quare ſicut inſpicere tales partes data opera procul dubio eſt peccatum mortale; quia per ſe talis aſpectus influit in delectationem veneream, & impoſſile eſt illam non ſentire; ita prorſus ſi inſpiciendo vultum fœminæ conſimilis delectatio venerea ſentiatur, procul dubio erit pariter mortale illam admittere, aut procurare; quamvis talis aſpectus non per ſe influat in delectationem veneream, ſicut aſpectus partium obſcœnarum. Quod ſi abſque tali delectatione, & abſque periculo fœmina inſpiciatur, peccatum mortale non committitur; & plerumque nec veniale, ſi nec periculum leve ſit ullius culpæ: Sicut etiam nec veniale peccatum committitur, ſi ob finem honeſtum ea fiant, ex quibus motus ſenſualitatis, & commotio ſpirituum conſurgunt, delectatio tamen venerea nec quæratur, nec admittatur.

XII. Demum advertit Mendo in Epitome loc. cit. quod ſtringere, verbi gratia, pedem fœminæ, tangere ejus manum, necnon ex curioſitate cernere congreſſum animalium, aut eorum pudenda tangere, & ſimilia, ſi fiant, quando leviter influunt in delectationem, aut ſunt leve periculum illius, ſint duntaxat peccatum veniale in communi ſententia, eo quod leve periculum peccati gravis non poſſit eſſe peccatum grave. Hinc tamen non ſequitur, dari parvitatem materiæ in delectatione venerea, cum ſupponamus in talibus actionibus nullam omnino veneream delectationem aut intendi, aut admitti poſſe. Immo neque ſequitur, dari parvitatem materiæ in re venerea; nam hujuſmodi actiones ſic explicatæ non debent dici res venereæ, ut multi docent: Quod ſi cum nonnullis dicatur, hujuſmodi actiones eſſe res ex objecto venereas, concedi poteſt in tali ſenſu, dari in re venerea parvitatem materiæ cum Carden. Sanch. Gran. & aliis; dummodo fixum ſit, in delectatione venerea parvitatem materiæ non dari.

ARTICULUS II.

De Obligatione actus Conjugalis.

I. *Num conjux teneatur aliquando debitum petere?*
II. *Quandonam vacat lethali culpa negare debitum conjugi illud petenti?*
III. *Non tenetur conjux cum gravi ſuo detrimento reddere debitum, etiamſi alteri immineat periculum incontinentiæ.*
IV. *Secluſo hoc periculo non peccat, qui debitum negat, ne prolem multiplicet, quam ſuſtentare non poteſt.*
V. *Tenetur uxor a jejuniis abſtinere, quando aliter nequit cum reciproco amore convivere cum marito.*
VI. *Quandonam licite debitum redditur illicite petenti?*
VII. *Qui reddit debitum conjugi habenti votum caſtitatis, licet cooperetur actui ſacrilego, non peccat, quia actus eſt ſolum ſacrilegus ex parte petentis, non vero ex parte ipſius actus.*
VIII. *Cur non poſſimus ſimiliter miniſtrare carnes habenti votum jejunandi? Aut reddere gladium Domino furioſo?*
IX. *Quare non licet reddere debitum cum gravi damno temporali petentis, & tamen licitum eſt illud reddere, quando ſacrilege petitur cum graviſſimo ipſius petentis damno ſpirituali?*
X. *Tenetur conjux debitum reddere, etiam quando actus eſt ſolum venialiter ratione ſui illicitus.*

I. QUæritur primo; An conjux teneatur aliquando petere debitum?

Reſpondeo per ſe loquendo nunquam teneri; cum poſſit cedere juri, quod habet: Per accidens tamen aliquando tenetur; ut ſi credat alias conjugi periculum imminere incontinentiæ, quod petendo debitum poſſit avertere: immo tenetur etiam ex juſtitia petere, quando prævidet periculum incontinentiæ in conjuge, quæ præ verecundia expreſſe non petit, quamvis appetat copulam; Etenim in tali caſu petitio eſſet potius redditio debiti implicite illud petenti.

II. Quæritur ſecundo; An ſemper teneatur ſub mortali conjux reddere debitum petenti?

Reſpondeo, per ſe loquendo teneri ſub mortali reddere, etiam petenti implicite, & interpretative; quia lex juſtitiæ præcipit reddere unicuique, quod ſuum eſt, quomodolibet petatur, ſive verbis, ſive factis, ſive ſignis; Copula autem eſt res gravis; ergo ſub mortali redditio debiti præcipitur: Præſertim quia ſi negetur, exoriuntur ſæpe diſcordiæ, & non raro adeſt periculum incontinentiæ in petente. Unde Pal. diſp. 3. punct. 4. putat, etiam ſemel negare ſerio petenti, immo etiam differre redditionem, eſſe peccatum mortale. Verum Pont. lib. 10. cap. 2. Perez, Tamb. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5. putant, excuſari a mortali; Primo, qui non ſæpe, ſed una, vel altera vice negat; Secundo, qui negat petenti precibus, & blanditiis, vel ita remiſſe petenti, ut facile deſiſtat; Tertio, qui parvo tempore differt redditionem, ut ſi

ut si petenti nocte reddatur mane, aut petenti mane reddatur sequenti nocte, ut notavit Hurt. disp. 10. diff. 11. Et ratio est, quia in his casibus vel nulla, vel levis est injuria; unde si absit periculum incontinentiæ, solum esset veniale. Adde, non esse mortale, negare debitum ei, qui precibus illud petit, non tanquam debitum, nec animo obligandi, sed benevole, & amice: Sicut non peccat debitor, qui differt solutionem, quando debitum pecuniarium petitur amice, eo quod censeatur creditor non ferre graviter dilationem; Tamen si ex verecundia conjux non audet aliter debitum petere, tunc mortale esset illud negare.

Notandum præterea, petitionem debiti, ut obliget, debere esse moderatam; Aliter esset magna servitus; & frequentia copulæ valetudinem læderet; Nec censentur conjuges ad nimis importunam, & immoderatam redditionem se obligasse, ut notat Con. disp. 34. dub. 2. sed solum ad ordinarium, communemque modum, qui arbitrio prudentis dimetiendus est, spectata ætate, viribus, & sanitate conjugum. Hinc fit, quod neque peccet non reddens, quando ex redditione, etiam moderata, imminet rationabile periculum suæ salutis, vel morbi gallici, &c. aut si petatur, dum febri, aut alio dolore gravi laborat, unde immineat probabile periculum damni notabilis.

III. Idque verum est, etiamsi petenti immineat periculum incontinentiæ, ut notarunt Sanch. disp. 24. & Con. dub. 3. Ratio est, quia nemo tenetur cum tanto detrimento vitare peccatum alterius. Et ratio ulterior est, quia ordo charitatis tunc postulat, ut præferatur bonum spirituale alterius propriæ saluti corporali, imo etiam vitæ, quando vel habetur extrema necessitas in patiente periculum spirituale, aut habetur necessitas gravis, & qui subvenire debet, sit Prælatus; at in casu nostro neutrum habetur; neque enim in petente habetur extrema necessitas, cum possit aliis mediis subvenire illi periculo incontinentiæ; & si haberet gravem necessitatem, alter conjux non est Prælatus, qui teneatur subvenire.

IV. Demum non peccat, qui secluso periculo incontinentiæ negat debitum, præcise ne multiplicet prolem, quam sustentare nullo modo potest: Sicut enim in aliis debitis magna incommoditas excusat a solutione, ita hic; ut docent Bonac. Perez contra Con. dub. 3.

V. Quæritur tertio; An conjux teneatur omittere jejunia Ecclesiastica, si jejunando non possit reddere debitum moderate petenti?

Respondeo affirmative; prævalet enim præceptum justitiæ præcepto Ecclesiastico: Et ob eandem rationem tenetur jejunia omittere uxor, si jejunando ita pallida, & deformis evadat, ut rationabiliter timeat ea de causa odiosam se futuram marito, & avertendum conjugis animum ab ipsa ad alias quærendas. Ita Perez disp. 50.: Ubi ex Sanch. & Lopez contra Pont. docet, idem dicendum de fœmina volente nubere; hæc enim si jejunando ita deformis reddatur, ut multo difficilius nubat, excusatur a jejunio; quia præceptum Ecclesiæ non obligat cum gravi damno. Demum Ledesm. Azor. Sanch. Navar. docent, uxorem debere a jejuniis Ecclesiasticis desistere ob præceptum mariti, si aliter notabiles discordiæ, & rixæ oriantur. Ratio est, quia quamvis maritus non habeat dominium in uxorem relate ad præcepta Ecclesiastica, sicut habet relate ad jejunia, ad quæ illa sponte vovendo se astrinxit; tamen quando ex jejuniis Ecclesiasticis notabiles discordiæ orirentur, non tenetur jejunare; tum quia præcepta positiva non obligant cum scandalo, ex cap. *Nihil cum scandalo*, *De præscriptionibus*; tum etiam quia mutuus amor conjugum necessarius ad vitam conjugalem quiete traducendam, tanquam ex vinculo justitiæ ortus, præferendus est illis: Quod tamen intelligendum, si in contemptum jejunii Ecclesiastici id præcipiat maritus; tunc enim vita potius exponenda esset quam jejunium omittendum.

VI. Quæritur quarto; An licite reddatur debitum illicite petenti?

Respondeo cum Bonac. quæst. 4. punct. 3. Perez, Sanch. petitionem debiti dupliciter posse esse illicitam. Primo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte actus, ut cum petitur debitum in loco publico, vel cum periculo impediendi prolem, vel cum periculo mortis fœtus, vel cum aliqua circumstantia indebita. Secundo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte personæ; ut si quis petat debitum ob pravum finem animo fornicario, aut habens votum castitatis, &c. Nunc sic: Quando petitio debiti est illicita primo modo, conjux, a quo petitur, non potest reddere; quia non potest concurrere ad actum de se illicitum: Quando vero petitio est illicita secundo modo, potest, & tenetur debitum reddere; quia per accidens est, quod petitio illa debiti, & ipse actus sit illicitus, & reddens, quantum est ex se, tantum cooperatur actui licito. Quod patet a simili: Nam si Creditor petat a me pecuniam suam, teneor illam solvere, quamvis sciam, illum ea abusurum ad fornicandum, seu quamvis sciam, quod habeat votum non petendi illam; & ad summum tunc teneor præmittere correctionem fraternam ex lege charitatis, vel differre solutionem debiti, si possum impedire peccatum proximi sine magno meo, aut illius incommodo. Ratio est, quia tenemur impedire damnum spirituale proximi, etiam

etiam cum aliquo incommodo temporali; sicut tenemur ex lege charitatis differre redditionem gladii Domino furioso, nec fit illi injuria, cum salubriter ejus negotium agatur. Quare idem dicendum in casu nostro, si conjux astrictus voto castitatis illicite petat debitum, quamvis peccet petendo: Quia tamen per votum non amisit jus petendi, ideo tenetur alter debitum reddere saltem post fraternam correctionem; aut si non potest commode differre debiti redditionem. Ratio est, quia in tali casu non cooperatur peccato illius formaliter, sed materialiter; solum enim cooperatur actui, qui quantum est ex se, licitus est, & solum est illicitus petenti ex sua malitia, eo quod male ipsum petat, antequam dispensetur in voto.

Propter eandem rationem licitum est, necessitate urgente, petere Sacramentum Confessionis a Confessario, quem scio esse in mortali, & petere mutuum ab usurario; quia scilicet petitur Sacramentum, quod licite conferri potest a tali Confessario, si præmittat actum contritionis; & petitur mutuum, quod licite dari potest, si non exigantur usuræ: Licite etiam solvuntur usuræ, quia actus dandi illas de se non est malus; actus vero recipiendi usuras est malus ex malitia recipientis, qui vult retinere, quod datur ultra sortem, perinde quasi lucrum cessasset, aut damnum ex mutuo emersisset, quæ revera non acciderunt.

VII. Oppones: Conjux astrictus voto castitatis petendo debitum petit actum sacrilegum; ergo non potest alter conjux licite reddere; quia cooperaretur sacrilegio; Sicuti non potest reddere debitum conjugi petenti illud in loco publico.

Confirmatur primo. Si Titius habens votum jejunandi die Jovis petat a me carnes, non possum illas administrare, quamvis petitio sit illicita tantum ex circumstantia personæ habentis votum; ergo pariter si alter conjux habens votum castitatis petat debitum, non potest illi reddi, quamvis petitio eodem modo sit illicita ex circumstantia personæ.

Confirmatur secundo; Si quis suum gladium apud me depositum petat ad occidendum injuste alterum, non possum illi reddere debitum suum; ergo neque possum reddere debitum illicite petenti.

Respondeo, verum quidem esse, quod talis actus sit sacrilegus, sed est sacrilegus ex parte petentis, non ex parte reddentis; Sicut Crucifixio Christi Domini fuit sacrilega ex parte Crucifigentium, non ex parte Crucifixi, nec ex parte Dei permittentis talem crucifixionem. Contra vero, quoties actus est illicitus non ex circumstantia personæ, sed ex circumstantia se tenente ex parte actus, tunc actus est simpliciter illicitus; & idcirco neque peti, neque reddi potest debitum conjugale, verbi gratia, in loco publico. Et propter eandem rationem non licet petere extra casum extremæ necessitatis Sacramentum Pœnitentiæ ab excomunicato vitando; quia tale Sacramentum ex defectu jurisdictionis in absolvente extra casum extremæ necessitatis est nullum, atque adeo illicite petitur: Nec licite ministrare carnes die veneris, quia comestio carnis ex se est illicita tali die, & non ex circumstantia personæ.

VIII. Ad primam confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia Titius nullum habet jus petendi a me carnes; ergo administratio carnium non cohonestatur ab obligatione illas administrandi; sicut cohonestatur redditio debiti. Quare ad summum ex charitate deberet conjux præmittere, ut diximus, correctionem fraternam, aut aliquantisper differre debiti redditionem, si non oriantur inde discordiæ; eo quod teneamur impedire damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo ipsius incommodo temporali.

Ad secundam confirmationem, concesso pariter antecedente, negatur consequentia. In primo enim casu reddendo gladium facerem injuriam alteri, quem iste vult occidere; & ideo teneor non reddere, ex jure, quod habet alter, ne occidatur, & ne ego concurram ad ejus occisionem: Contra in secundo casu conjux reddendo debitum nulli facit injuriam, & ideo tenetur reddere, sicut tenetur reddere gladium domino, qui habens votum non petendi illum, adhuc sacrilege petit.

IX. Instabis: Bonum spirituale præstat bono corporali; atqui propter bonum corporale alterius non licet reddere debitum, puta si reddendo debitum sequatur grave damnum ipsi petenti, vel proli, vel alteri; ergo a fortiori non licet reddere debitum in casu nostro propter bonum Animæ petentis, cujus peccatum cavetur, non reddendo debitum.

Respondeo, consequentiam non sequi. Disparitas autem est, primo, quia in casu nostro negando debitum non cavetur peccatum petentis, quia jam ille peccavit petendo, sed solum impeditur actus externus, qui nullam malitiam addit supra peccatum internum, ut communius docent Theologi; unde nihil mirum, si ad cavendum grave malum temporale petentis teneatur conjux, a quo petitur debitum, illud non reddere; secus vero teneatur reddere in casu nostro, ubi non reddendo impeditur solum actus externus peccaminosus, non vero peccatum internum. Secundo, ex Bonac. & Sanch. intantum non potest reddi debitum cum periculo damni corporalis vel petentis, vel prolis, inquantum nemo habet dominium morale in corpus

pus proprium, aut alterius; nemo enim potest sibi, vel alteri vitam tollere, aut membrum sine causa abscindere; unde sicut non potest conjux petere cum periculo corporis proprio, aut alterius; ita nec alter tenetur reddere: Contra vero homo supra animam suam habet dominium morale, eo quod Deus reliquerit animam in manu consilii hominis; & ideo conjux potest, & tenetur reddere debitum petenti illicite cum damno spirituali animæ suæ, cujus dominium morale habet; quamvis non possit reddere debitum petenti illicite cum periculo gravi damni sui corporis, cujus damnum morale non habet.

X. Advertit demum Sanch. quod si petens debitum illicite sit tantum reus culpæ venialis, semper teneatur alter reddere, quamvis petitio debiti sit illicita ex parte ipsius actus, & non ex circumstantia duntaxat personæ. Ratio est, quia redditio debiti de se non est mala, & in tali casu intantum esset mala venialiter, inquantum reddens debitum cooperatur peccato veniali illicite petentis; atqui reddens debitum habet justam causam, qua excusetur a peccato veniali talis cooperationis, ne scilicet displiceat petenti: ergo sine veniali culpa potest reddere, sive petitio sit venialiter illicita ex circumstantia personæ, sive ex circumstantia actus. Ita Sanch. contra Bonac. quæst. 4. punct. 3. qui putat esse veniale reddere debitum cum peccato veniali ex circumstantia actus.

ARTICULUS III.

De iis, quæ impediunt usum matrimonii.

I. Quatuor sunt, quæ privant jure petendi debitum.

II. Astrictus voto castitatis nequit debitum petere, nisi quando petitio esset potius redditio; aut si aliter prævideretur in altero periculum incontinentiæ.

III. Num votum castitatis a viro emissum invita uxore sit irritum? Etiamsi non sit irritum, probabiliter potest illud ab uxore irritari.

IV. Habens votum castitatis num teneatur post matrimonium ratum ingredi Religionem, ne se exponat periculo petendi debitum?

V. Si post matrimonium superveniat conjugi cognatio spiritualis, non privatur jure petendi debitum. At si superveniat affinitas, solum conjux incestuosus eo privatur. Possuntque Religiosi Privilegiati in hoc dispensare.

VI. Hæc pœna non incurritur ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti; Nec ab incestuoso, qui propriam consanguineam cognovit.

VII. Conjux certus de nullitate matrimonii, quamvis id probare non possit, & censuris adigatur ad debitum reddendum, neutiquam potest illud reddere.

VIII. Quicquid sit, an possit Judex damnare illum, quem scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata est mortis reus.

IX. Dubitans de validitate matrimonii jam contracti nequit debitum petere, antequam diligentiam adhibeat, licet post primum bimestre teneatur reddere. At si dubium vinci non potest, licitum erit etiam petere, dummodo bona fide contraxerit.

X. Quod si uterque conjux dubitet, neuter potest petere, nec reddere ante diligentiam.

XI. Habens opinionem probabilem de invaliditate matrimonii sine probabilitate de ejus valore, petere debitum non potest: secus vero si utrinque detur probabilitas.

XII. Num liceat cum opinione solum probabili de carentia impedimenti matrimonium contrahere?

I. Egimus hactenus de actu conjugali licito, & obligatorio, agendum nunc de iis, quæ privant jure petendi debitum: Hujusmodi sunt Votum castitatis, Cognatio spiritualis, & affinitas post matrimonium orta; necnon dubium de valore matrimonii.

II. Quæritur itaque primo; An votum castitatis conjugis impediat petitionem ac redditionem debiti?

Respondeo cum communi, conjugem astrictum voto castitatis non posse petere debitum, debere tamen reddere. Prima pars patet, quia votum castitatis fert secum obligationem abstinendi ab omni actu venereo; ergo qui castitatem vovit, non potest petere debitum; & conjuge defuncto, tenetur omnino castitatem servare. Secunda pars probatur, quia vinculum justitiæ fortius est vinculo voti; cum non acceptetur a Deo promissio rei alterius; atqui per matrimonium contractum acquisivit alter jus in corpus voventis; ergo non potest votum tali juri præjudicare; & consequenter qui vovit castitatem, tenetur debitum reddere conjugi petenti. Hoc tamen intelligendum est post primum bimestre; nam intra primum bimestre, cum nemo teneatur reddere, consequenter nec potest licite reddere qui vovit castitatem: Si tamen intra primum bimestre prima vice consummaverit matrimonium, tenetur deinde semper reddere petenti.

Notat tamen Sanch. & Perez, quod quamvis qui vovit castitatem, non possit alterum provocare, ut petat; quia sic indirecte ipse peteret; tamen quando vir, verbi gratia, obstrictus voto probabiliter putat in Uxore non audente præ verecundia petere esse voluntatem petendi, potest ipse directe petere, eo quod talis

talis petitio esset revera redditio debiti posita petitione interpretativa Uxoris. Et sane matrimonium esset uxori nimis grave, & onerosum, si semper deberet ipsa petere: Quare ad vitandum hoc inconveniens potest vir voto obstrictus offerre se illi ad usum conjugalem, quando prudenter judicat ab ea copulam appeti: Præsertim si in illa prævideat periculum incontinentiæ: nam votum non obligat ad non petendum, cum impendio ruinæ alterius conjugis. Quod si vir vovit castitatem cum consensu uxoris renunciantis juri suo, certe nunquam poterit se illi offerre ad usum conjugalem gratia non reddendi matrimonium onerosum; cum uxor dando illam licentiam, cesserit juri suo.

III. Docuit D. Th. in 4. dis. 32., Palud., Sot., & alii apud Con. disp. 34. dub. 6. votum castitatis emissum post matrimonium consummatum esse omnino irritum, præsertim si fiat a viro; quia cederet in grave præjudicium Uxoris, cui ob innatam verecundiam grave est, si semper debeat petere, quoties matrimonii usum appetit. Sed communius cum Sanch. disp. 35., Perez, & aliis docent, esse validum, etiamsi fiat sine licentia conjugis. Quod patet ex cap. *Quidam* 3. *de Conversione Conjugatorum*; ubi decernitur, professionem factam a viro, renuente uxore, esse nullam, at obligari voventem ad votum castitatis in ea professione emissum, inquantum se potuit obligare. Potest tamen conjux alterius conjugis votum castitatis irritare indirecte; quatenus materia talis voti est circa rem sibi subjectam, ut probabiliter docet Illsung apud Croix de voto num. 102.

IV. Quæritur secundo; An qui vovit castitatem ante matrimonium, vel post matrimonium ratum, teneatur ingredi Religionem, ut votum servet adæquate?

Respondeo cum communiori negative, contra quamplures apud Con. disp. 34. sect. 5. Ratio est, quia ad servandum votum nemo tenetur assumere medium, quod sit difficilius ipsa re, quam vovit; Verbi gratia si quis voveret peregrinationem Lauretanam, & deinde transferret in Indias suum domicilium, quamvis peccaret transferendo domicilium sine causa ante impletionem voti, tamen non teneretur amplius ex Indiis peregrinari Lauretum; quia esset nimis durum, & moraliter impossibile, votum illud implere. Hinc Joan. 22. *in Extrav. Antiquæ concertationi* statuit, voventem juxta casum adductum castitatem inducendum quidem, sed non compellendum ad Religionem ingrediendam. Quod si videret, se esse in proximo periculo violandi votum, nisi Religionem ingrederetur, posset tali periculo occurrere, petendo dispensationem, aut orationibus, jejuniis, eleemosynis compescendo stimulos carnis.

V. Quæritur tertio; An cognatio spiritualis, vel affinitas supervenientes matrimonio impediant usum illius?

Respondeo, quod si post contractum matrimonium superveniat cognatio spiritualis cum altero conjuge, per hoc scilicet quod alter baptizet, vel suscipiat in baptismo, aut in confirmatione filium communem, aut filium alterius conjugis, neuter privatur jure petendi, vel reddendi debitum. Ratio est, quia vel id factum fuit ex necessitate, & non est æquum, ut aliquis suo jure privetur per hoc, quod satisfaciat suæ obligationi: vel id factum fuit extra casum necessitatis; & quamvis certum sit, quod mortaliter peccaverit, qui sine necessitate baptizavit, aut suscepit filium suæ conjugis, tamen probabiliter docent Sanch. lib. 9. disp. 26., & Con. contra Guttier., Henr., Ledesm., & alios, quod iste talis non privetur jure petendi debitum, quia ex nullo textu id clare colligitur; & in odiosis mitior pars accipienda est. Si vero post contractum matrimonium superveniat affinitas, per hoc videlicet quod alter conjux incestuose cognoscat alterius consanguineum, vel consanguineam in primo, vel in secundo gradu, in tali casu conjux innocens potest petere, ac reddere debitum, conjux vero incestuosus potest solum reddere, non tamen petere, ex *Cap.* 1. *de eo, qui cognovit consanguineam*, quamvis Religiosi privilegiati possint in hoc dispensare.

Notandum tamen cum Bonac. quæst. 4. punct. 2., quod si quis commisit talem incestum ex metu gravi injuste incusso, non privetur jure petendi debitum. Ratio est, quia sicuti hujusmodi metus excusat ab incurrendis censuris; ita etiam excusat ab incurrenda pœna privationis debiti. Etenim Ecclesia non punit suis gravibus penis eos, qui ex tali metu transgrediuntur legem suam, eo quod nolit suam legem in tali casu obligare; atque adeo quamvis iste incestuosus peccet contra legem Dei, non peccat contra legem Ecclesiæ, & sic non incurrit pęnam ab Ecclesia latam, quod privetur jure petendi debitum.

VI. Notandum secundo cum eodem Bonac., nec incurri talem pœnam ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti, sive talis pœnæ: Sicut nec incurritur censura, & in communiori sententia nec Irregularitas orta ex delicto ab habente aliquam ex istis ignorantiis. Dicitur autem habere ignorantiam juris, qui ignorat talem incestum esse prohibitum etiam ex lege positiva humana, & non ex solo jure naturæ: Habet ignorantiam facti, qui ignorat hanc esse suæ uxoris consanguineam: Habet demum ignorantiam pœnæ, qui ignorat hanc pœnam esse impositam tali incestui, quod scilicet incestuosus privetur jure petendi debitum. Ratio vero doctrinæ est, tum quia jura prohibent petitio-

nem debiti, quando contracto matrimonio scienter contrahitur affinitas, ex *cap.* 1. *de eo, qui cognovit consanguineam*; tum etiam, quia minor est contemptus contra legem, quando violatur lex continens graves pœnas iis ignoratis, quam illis cognitis; ergo æquum non est, ut transgressor subjiciatur iis pęnis, quas ignoravit, quibus subjicitur, qui eas non ignoravit. Alioquin quantitas pęnæ non proportionaretur quantitati delicti, ut advertunt Navar., & Sanch. lib. 9. disp. 31.

Notandum ultimo, quod quamvis Incestuosus, qui cognovit consanguineam suæ conjugis in primo, vel secundo gradu, privetur jure petendi debitum, incestuosus tamen, qui cognovit propriam consanguineam, licet gravius peccarit, non privatur tamen tali jure. Et ratio est, tum quia ille solus incestus parit affinitatem cum conjuge; tum etiam, quia illi solum delicto, quod facilius accidere potest, talis pęna est imposita a lege positiva humana.

VII. Quæritur quarto; Utrum conjux certus de nullitate matrimonii possit licite reddere debitum, si nullitatem probare non possit, & ad reddendum debitum compellatur sub excommunicatione?

Respondeo, id affirmare Magistrum sententiarum, & Hugonem de Sancto Victore apud Con. dub. 10. Primo, quia conjux, qui est in bona fide, habet jus petendi debitum: ergo alter tenetur reddere, quamvis certus sit de nullitate matrimonii. Secundo, quia ex duobus malis minus est eligendum; atqui minus malum est reddere debitum in tali casu, quam contra justitiam, & Ecclesiæ præceptum cum scandalo negare petenti debitum, & nolle cohabitare cum illo; ergo. Tertio, non est minus malum occidere innocentem, quam fornicari; sed judex licite occidit, quem privatim novit innocentem, si pubice probatus sit nocens, & reus, juxta probabilem doctrinam Thomistarum; ergo conjux pariformiter licite reddit debitum ei, qui publice probatur esse ejus conjux, quamvis privatim sciat, matrimonium esse nullum. Quarto, Sacerdos tenetur dare Eucharistiam peccatori petenti illam publice, quamvis occulte, & privatim sciat esse indignum; eo quod ille habeat jus petendi; ergo pariter conjux, qui scit occulte, matrimonium esse nullum, tenetur reddere debitum, quando alter bona fide petit, eo quod habeat jus petendi.

Communis tamen sententia negat posse in tali casu debitum reddi; quia fornicari est intrinsece malum, nec sunt facienda mala, unde veniant bona. Quare in tali casu qui compellitur sub excommunicatione ad reddendum debitum, vel debet fugere, vel petere dispensationem, & iterum valide contrahere: vel si nihil possit, tam excommunicationem, quam quælibet alia incommoda patienter, & humiliter sustinere debet, ut dicitur in *cap. Inquisitioni* 44. *de Sententia Excommunicationis*.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, conjugem, qui est in bona fide habere jus petendi debitum duntaxat apparens, non verum jus: Sicuti si publice probaretur, Titium debere Petro mille, quæ revera non debet, Petrus haberet jus tantum apparens; unde Titius in conscientia non teneretur solvere, aut si ad vitandum scandalum solveret, posset occulte repetere.

Ad secundam, negatur in casu nostro concurrere duo mala incompossibilia; posita enim scientia nullitatis matrimonii, negando debitum, nec injustitia committitur, nec inobedientia Ecclesiæ præcepto; cum Ecclesia non possit præcipere peccatum. Quod spectat ad scandalum, non fieret, sed permitteretur: permitti autem potius debent quævis mala, quam committi peccatum.

VIII. Ad tertiam dico cum Less. de justitia cap. 29. dub. 10. ex Scotistis communiter, in utroque casu idem sentiendum. Quare non licet Judici damnare probatum Reum, quem privata notitia cognoscit innocentem. Dato autem, quod id liceat juxta contrariam opinionem Thomistarum, negatur consequentia. Disparitas est, quia propter commune bonum, & tranquillitatem Reipublicæ licitum est condemnare talem innocentem; quia bono vitæ particularis præponderat bonum commune, & Tribunalium debitus tenor: Sicut enim Respublica habet aliquando dominium in bona, ita forte etiam in vitam civium, quando expedit bono publico, quod enucleatius discutiemus in de Censuris quæst. 1. art. 6. At Respublica non habet dominium in corpus ullius in ordine ad usum conjugalem, cum vix accidere possit, quod hoc sit necessarium ad bonum publicum; & ideo non licet in casu nostro reddere debitum, quodcumque scandalum, vel damnum sequatur.

Ad quartam, concesso antecedente, negatur consequentia. Peccator enim occultus habet verum jus justitiæ tuendi famam suam, seu ne publice infametur, negata sibi Eucharistia: Contra vero conjux ille non habet verum jus petendi debitum, sed habet tantum jus apparens, posita matrimonii invaliditate.

IX. Quæritur quinto; An dubius de valore matrimonii possit licite debitum petere, aut reddere?

Respondeo, & dico primo: Si post matrimonium bona fide contractum suboriatur scrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii, potest uterque debitum petere, ac reddere. Ratio est, tum quia scrupulus non est sufficiens

ratio

ratio ad privandum hominem jure suo; tum etiam, quia idem est judicium fori externi, & interni, quando forum externum non nititur falsa præsumptione; atqui in foro externo Judex per sententiam in casu nostro judicaret, quod possit peti, ac debeat reddi debitum; ergo idem judicandum est in foro conscientiæ.

Dico secundo: Qui bona fide contraxit matrimonium, & deinde dubitat de ejus valore, (verbi gratia, quia dubitat an prior uxor sit superstes;) antequam adhibeat diligentiam ad assequendam veritatem, non potest petere debitum, ut patet, quia se exponeret periculo fornicandi. Debet tamen reddere debitum alteri conjugi non dubitanti de valore matrimonii. Ratio est, tum quia alter conjux habet jus petendi, & est in possessione; ergo non reddendo fit contra jus illius, & peccatur contra justitiam: tum etiam, quia concurrentibus duobus malis minus est eligendum; atqui in casu nostro si reddatur debitum, reddens exponit se periculo peccandi contra castitatem; si vero non reddatur, exponit se periculo peccandi contra justitiam; & minus malum est cæteris paribus peccatum contra castitatem, quam contra justitiam; ergo reddendum potius debitum, quam non reddendum ante adhibitam diligentiam: Post adhibitam vero diligentiam, si adhuc dubium perseveret; potest etiam peti debitum, quia in dubio melior est conditio possidentis: possidet autem in casu nostro matrimonium.

X. Ex dictis sequitur primo, quod si uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neuter possit petere, nec reddere, antequam adhibeat diligentiam ad veritatem assequendam. Ratio est, quia intantum posset reddi debitum, inquantum alter habet jus petendi; sed in casu nostro neuter habet jus petendi; ergo neuter potest reddere.

Sequitur secundo, quod si solus petens debitum dubitet de valore matrimonii, non teneatur alter debitum reddere ante diligentiam adhibitam; cum neque in tali casu petens habeat jus petendi.

Sequitur tertio, quod in primo bimestri ante consummationem matrimonii nec possit reddi debitum petenti cum tali dubio ante diligentiam præmissam, quia neque petens habet jus petendi in tali bimestri; unde non fit contra justitiam, si debitum negetur.

Dico tertio, qui mala fide contraxit matrimonium dubius de aliquo impedimento dirimente, non potest petere debitum, etiam post adhibitam diligentiam, si dubium adhuc perseveret. Ratio est, quia possessio mala fide incepta non tribuit jus, ut docent communiter Doctores, cum de Contractibus: Et qui mala fide cœpit rem possidere, non potest illa uti, aut eam sibi retinere; ut docent etiam communiter Doctores, cum de restitutione; ergo qui mala fide contraxit matrimonium, non potest illo uti. Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit; quia hic habet jus petendi, nec potest eo spoliari per malam fidem alterius, ut docent Con., Bonac., Sanch. lib. 2. disp. 42. Si tamen uterque mala fide contraxit, neuter potest petere, aut reddere debitum; cum neuter habeat jus petendi.

XI. Dico ultimo; Qui post matrimonium bona, vel mala fide contractum incipit opinari, seu habere opinionem probabilem de invaliditate matrimonii, quin detur ulla probabilitas de ejus valore, non potest petere debitum, antequam ulterius de valore Matrimonii certificetur. Ita communiter cum Perez, Bonac., Sanch. disp. 44. Ratio est, quia quamvis possessio suffragetur dubitanti, non tamen opinanti in contrarium; ergo si etiam post adhibitam diligentiam ad veritatem assequendam, adhuc probabile est, matrimonium esse nullum, nec ulla probabilitas datur de valore matrimonii, qui hanc opinionem habet, non potest petere debitum, quamvis possit, & teneatur reddere, si alter bona fide contraxit; cum nemo possit spoliari jure suo, & re, quam possidet, per solam probabilitatem alterius, quod res illa sit illius, nisi certo id constet; ergo nisi certo constet matrimonium fuisse nullum, qui bona fide contraxit, & possidet matrimonium, non potest spoliari jure petendi debitum per solam opinionem alterius de nullitate matrimonii. Quare cum ille habeat jus petendi, alter tenetur reddere: Si tamen uterque habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, neuter potest petere, aut reddere. Demum si alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & simul habeat opinionem probabilem de ejus valore, licite potest petere, ac reddere; cum possit amplecti alterutram opinionem probabilem, quam mavult, etiamsi una sit probabilior, quam altera. *(a)*

„ (a) Hæc doctrina, inquit Concina T. 10. *pag.* „ 383. est contra Sacros Canones, contra Sanctos „ Doctores Ecclesiæ; & nisi me omnia fallunt, *evi-* „ *denter contenta in thesi I.* damnata ab Innoc. XI. „ Nam hic agitur de valore Sacramenti matrimonii.

„ Et paulo post relata non absimili Doctrina P. „ La-Croix, hæc subdit:

„ Hæc cursim indicare libuit, ut intelligant Le- „ ctores, damnatam probabilisticam thesim ab In- „ noc. XI. in controversiis, in quibus agitur de va- „ lore Sacramentorum, a non paucis Probabilistis „ promoveri, & propugnari nisi fallor ipse. Sed „ *lectores ipsi sint judices*.

„ Utrum Doctrinam Vivæ, & La-Croix sit contra „ Sacros Canones, & contra Sanctos Ecclesiæ Do- „ ctores viderint alii. Manifestissima certe falsitas „ est, illam esse *evidenter contentam in thesi I.* „ damnata ab Innoc. XI., & ab his Probabilistis „ promoveri, ac propugnari damnatam probabili-

„ sticam Thesim. De quo Lectores sint judices, „ neque ad aliud Tribunal ipse etiam provoco.

„ Prima thesis damnata ab Innoc. XI. hæc est. „ Non est illicitum *in Sacramentis conferendis* sequi „ opinionem probabilem de valore Sacramenti reli- „ cta tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut pe- „ riculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia „ probabili tantum utendum non est in collatione „ Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

„ Admitto, damnationem extendendam esse non „ solum ad *conferentem*, de quo expresse loquitur „ Propositio damnata, sed etiam ad *suscipientem*; „ ita ut neque isti liceat sequi opinionem probabi- „ lem relicta tutiori in iis ponendis, quæ ex parte „ sua necessaria sunt ad valorem.

„ Admitto, damnationem intelligendam esse non „ solum de iis, quæ pertinent ad valorem jure di- „ vino, ut sunt materia, & forma: sed etiam de „ iis, quæ pertinent ad valorem jure Ecclesiastico, „ ut est privatio hujus, & illius impedimenti diri- „ mentis in Sacramento Matrimonii.

„ His admissis, quæ verissima puto: Doctrina damnata „ in tota sua amplitudine hæc est. Licitum est sequi „ opinionem probabilem relicta tutiore circa ea, „ quæ pertinent quocumque jure ad valorem *in* „ *Sacramentis tum conferendis, tum suscipiendis*.

„ Doctrina vero P. Vivæ, & La-Croix hæc est. „ Licitum est sequi opinionem probabilem, etiam „ relicta probabiliore, *de valore præterito* matrimo- „ nii *in petendo, & reddendo debito*.

„ Lectores nunc sint judices: *petere, & reddere* „ *debitum* est ne *conferre, aut suscipere* aliquod Sa- „ cramentum?

„ Regero in P. Concinam, ut mitissime agam, „ hæc sua verba, quæ habet hic ad aliam rem pag. „ 391. *singulari patientia opus est in ejusmodi re-* „ *scribendis & refellendis*.

„ Ad hanc vero opellam, qualiscumque sit, con- „ sueta diverticula, & declamationes expecto. Re- „ sponsiones ad rem; responsiones nimirum, qui- „ bus superiora capita percurrendo doceat, quodnam „ sit, in quo modo plus, modo minus a bona fide „ non defecerit, non expecto.

Neque dicas; Si probabile est, priorem uxorem objisse, atque adeo secundum matrimonium esse validum; & simul probabile sit, non objisse, atque adeo secundum matrimonium esse invalidum, possessio stat pro impedimento, & pro invaliditate matrimonii; ergo falsum est, quod possit in tali casu peti, aut reddi debitum. Nam negatur antecedens; cum enim probabile sit, impedimentum dirimens esse sublatum, hoc est priorem conjugem obiisse, non potest dici, quod impedimentum possideat. Præterea diximus, possessionem favere solum dubitanti, non vero opinanti, seu habenti opinionem probabilem; ergo cum probabile sit, non adesse impedimentum, possessio non stat pro impedimento, atque adeo potest peti, ac reddi debitum. Verum tamen est, quod secundum matrimonium non poterat licite celebrari, si tantum probabile erat, & non moraliter certum, priorem conjugem objisse; unde si mala fide contraxerunt, non poterunt petere debitum ob solam probabilitatem mortis prioris conjugis.

XII Utrum autem cum opinione probabili, quod nullum detur impedimentum jure Ecclesiastico dirimens matrimonium possit illud contrahi?

In expositione primæ Thesis ab Innoc. XI. proscriptæ fuse ostendimus, id licere; non secus ac licet absolvere cum opinione probabili de jurisdictione, quin exponatur periculo frustrationis Sacramentum; quia in his casibus Ecclesia defectum supplet. Si tamen impedimentum dirimat jure divino, nequit matrimonium contrahi cum sola probabilitate, quod non detur hujusmodi impedimentum; eo quod exponeretur Sacramentum periculo frustrationis; & ideo non licet contrahere secundum matrimonium cum sola probabilitate de morte alterius conjugis; quia impedimentum ligaminis dirimit matrimonium jure divino.

ARTICULUS IV.

Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant conjugibus?

I. *Conjugem in absentia alterius conjugis delectari veneree de copula citra periculum pollutionis, videtur esse duntaxat veniale. In viduis tamen id est mortale, sicut & in Sponsis.*

II. *Quid de tactibus, verbis turpibus, & aspectibus inhonestis inter conjuges?*

III. *Num Sponsis liceant oscula, & amplexus? & num citra mortale ordinari possint ad delectationem inde capiendam?*

IV. *Tactus impudici inter conjuges cum periculo pollutionis quandonam excusentur a culpa gravi?*

V. *Num sine lethali culpa possit conjugatus se ipsum turpiter tangere præcise ob delectationem?*

VI. *Variæ pœnæ statutæ sunt Adulteris.*

VII. *Si conjugatus adulteretur cum alia conjugata, utriusque conjugium in confessione explicandum est.*

VIII. *Probabilius delectatio morosa non fert specialem malitiam in confessione explicandam per hoc, quod sit in conjugatis.*

IX. *Ut licite, & meritorie actus conjugalis exerceatur, octo observanda sunt.*

I. QUæritur primo; An liceat conjugibus delectatio morosa de copula?

Respondeo cum Sanch., lib. 9. disp. 44. seclusso pollutionis periculo, non esse mortale delectari conjugem veneree de copula in absentia alte-

alterius conjugis, etiamsi sequatur commotio spirituum, &c.; sed esse tantum veniale; cum careat debito fine, ad quem talis delectatio a natura dirigitur. Ratio autem, cur non sit mortale, est, quia copula inter conjuges est licita; ergo etiam delectatio de tali copula; cum delectatio ordinetur natura sua ad actum, de quo est delectatio, neque possit esse illicita delectatio de actu hic & nunc licito.

Dices: In vidua delectatio de copula præterita est illicita; sicut etiam Sponsis de copula futura, (ut dicemus quæsito tertio); ergo etiam in conjuge delectatio de copula, quando alter conjux est absens. Et ratio a priori est, quia talis delectatio est inchoatio quædam pollutionis, quæ illicita est extra vas debitum.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia Viduis est per se illicita copula, cum defecerit matrimonium; estque pariter Sponsis illicita ante matrimonium: Contra vero conjugibus in absentia est illicita tantum per accidens, seu potius est impossibilis, quam illicita; atque adeo quando non possunt uti copula, non videtur esse grave peccatum delectari de illa. Ad rationem a priori respondetur, delectationem veneream ordinari natura sua non ad pollutionem extra vas, sed ad copulam cum proprio conjuge; quod autem in absentia conjugis non possit haberi copula, est per accidens.

II. Quæritur secundo; An secluso pollutionis periculo liceant conjugibus tactus, & aspectus inhonesti, ac verba turpia?

Respondeo, si tactus, & alia hujusmodi ordinentur ad copulam conjugalem, sunt liciti; quia licitum est juvare naturam ad actum rationi consonum mediis natura sua ordinatis ad illum: Si vero ordinentur ad majorem voluptatem in eo actu captandam, videtur culpa venialis; tum quia voluptas nimia est rationi dissona; tum etiam, quia si copula ob solam delectationem exercita est culpa venialis juxta propositionem 9. ab Innoc. XI. proscriptam, tactus pariter ad talem delectationem ordinati sunt culpa venialis. Non sunt tamen culpa mortalis, ut docet Sanch. loc. cit.; quia voluptas illa non quæritur extra matrimonium, sed in actu sua natura ordinato ad usum matrimonii: Et quod dicitur de tactibus impudicis, dicitur etiam de aspectibus, & verbis turpibus inter conjuges.

Notandum tamen cum eodem Sanch., quod si quando propter dubium de valore matrimonii, vel propter votum castitatis illicita est conjugi petitio debiti; illicita pariter erit delectatio de copula, tactus, aspectus, &c., quæ ad copulam ordinantur: Si vero aliquando illicita sit conjugibus copula propter impedimentum extrinsecum, (quod scilicet non tollit jus ad actus maritales, verbi gratia, propter notabile salutis, vel abortus periculum, vel ob præceptum Ecclesiæ prohibentis conjugi debiti petitionem, quando affinitatem cum altero conjuge inique contraxit) in tali casu non sunt illicita sub mortali delectatio morosa, tactus, &c. quia delectatio, & tactus illi non opponuntur impedimento extrinseco; sicut opponitur copula: Et quando Ecclesia prohibet copulam in pœnam delicti commissi, nempe in pœnam affinitatis inique contractæ, non est talis pœna extendenda ad delectationes, tactus, &c., cum pœnæ sint semper restringendæ. Idem dicitur, si quis tantum voveret non petere debitum.

III. Quæritur tertio; Num sponsis illiciti sint tactus, aspectus, verba turpia, delectationes morosæ eo pacto, quo prohibentur solutis, an vero excusentur a mortali, sicuti in conjugatis?

Respondeo, quæst. 1. de Sponsal. art. 7. quæsit. ult. fuse me ostendisse, sponsis de futuro eodem modo, ac solutis esse illicitos non solum tactus impudicos, (de quo nemo dubitat) sed etiam tactus non impudicos, in quibus intendatur delectatio sensitiva, & carnalis; ut communius, & probabilius docent Doctores contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 131.; Et idem dicas de aspectibus, & verbis turpibus; Si tamen oscula, & tactus non impudici non ordinentur ad delectationem carnalem, nec detur periculum pollutionis, ac consensus in copulam, sed ordinentur ad fovendum mutuum amorem, aut ad benevolentiam conciliandam, sponsis permittuntur; ut docet Sanch. lib. 9. disp. 46. num. 51.; Qui contra communiorem Doctorum cum Cajet., Navar., Ledesm., & aliis putat, probabile esse, quod citra mortale possint a sponsis oscula, & amplexus ordinari ad delectationem sensitivam, quæ ex ipsis oritur; Quod pariter docet Dian. loc. cit., & part. 2. tract. 17. resol. 6.

IV. Quæritur quarto; An tactus impudici, verba turpia, &c. inter conjugatos reddantur illicita ratione periculi pollutionis in altero conjuge prævisi?

Respondeo, tactus hujusmodi non esse graviter illicitos, si fiant a conjugibus cnm commotione spirituum, & distillatione, ut docet Sanch. disp. 45., & Tambur. lib. 7. cap. 3. §. 5. Ratio est; quia hoc non est grave damnum generationis in tali statu. Essent tamen peccatum mortale non conjugatis, quibus non est licita copula, ad quam ea ordinantur natura sua. Si tamen ab uno conjuge fiant cum periculo pollutionis in se, vel in altero, tunc

excu-

excusantur a mortali, quando datur urgens causa exercendi hujusmodi tactus; Sicut enim excusantur a culpa amplexus inter fratrem, & sororem foris venientes ad indicandum amorem, & ne inurbani videantur, quamvis prævideatur periculum pollutionis; excusatur etiam Chirurgus tangens feminam causa medicinæ adhibendæ; ita excusantur conjuges, quando datur urgens causa eos tactus exercendi, videlicet, vel ad se præparandos ad copulam, vel ad indicandum, & fovendum mutuum amorem inter ipsos; Videretur enim magna austeritas, & amor minueretur, si universim ab hujusmodi tactibus abstinerent. Si vero fiunt præcise ob voluptatem captandam, nullum est caput, unde a mortali excusentur, ut notat Tambur. loc. cit., quia in tali casu pollutio prævisa interpretative intenderetur.

V. Quæritur quinto; An conjugatus licite possit seipsum turpiter tangere, vel aspicere precise propter voluptatem, secluso periculo pollutionis?

Respondeo, Sanch. lib. 9. disp. 44., Hurt., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 137. docere, id esse solum veniale in conjugatis: sicut in iisdem est solum venialis morosa delectatio de copula in absentia conjugis. Et ratio est, quia quicumque tactus voluptuosus in conjugatis ex se refertur ad copulam, quæ ipsis est jam licita. Alii tamen cum Joanne Sancio apud Dian. part. 9. tract. 8. resol. 31., & 44. putant, esse mortale; quia est intrinsece malum uti proprio corpore ad explendam libidinem. Tambur. vero lib. 7. cap. 2. §. 5. putat, utramque sententiam esse probabilem.

VI. Quæritur sexto; Quænam pœna statuta sit conjugi adultero?

Respondeo, quintuplicem esse statutam. Prima est, ut dos, & quæ propter dotem donata sunt, amittantur, non tamen paraphernalia. Secunda, ut amittat jus petendi debitum conjugale. Tertia, ut incurrat aliquando obligationem restitutionis. Quarta, mors a Judice infligenda ipsi adulteræ, non tamen adultero. Quinta, ut propter adulterium possit fieri divortium.

Circa primam pœnam notandum, quod, ut vir acquirat dotem amissam ab adultera, requiratur sententia Judicis: Ante sententiam vero potest vir dotem sibi retinere, si possidet illam, (nisi tamen ipse etiam sit adulter) non tamen eripere. Circa secundam; requiritur etiam accusatio, & sententia Judicis, ut adulter amittat jus petendi debitum; potest tamen conjux innocens negare debitum adultero; etenim frangenti fidem fides non debetur; quod si conjux innocens sciat adulterium alterius, & sine vi, vel metu etiam levi copulam illi reddat, aut petat, vel rideat, aut confabuletur cum illo, non potest amplius deinde illum accusare, aut negare debitum. Ratio est, quia per illos actus cessit juri per adulterium acquisito, & injuria semel remissa non amplius reviviscit. Circa tertiam, quando certum est, filium aliquem natum esse ex adulterio, tenetur adulter, & adultera tam ad alimenta quam ad compensandum damnum, quod forte aliis subnascitur, ut late explicat Tambur. loc. cit.

VII. Notandum præterea, quod in confessione conjugatus peccans cum altera conjugata debeat utriusque conjugium explicare; tum quia peccat contra jus suæ conjugis, & contra jus conjugis alterius; tum etiam, quia diversum est peccatum, quod committit patrando adulterium contra propriam conjugem, a peccato, quod committit cooperando cum altera conjugata, ut illa contra jus sui conjugis peccet. Præterea Sodomia est adulterium in conjugatis; sicut etiam mollities, & bestialitas; atque adeo in confessione explicandum est, quando a conjugato peccata hæc committuntur, cum fiat in iis injuria alteri conjugi; Et idem dicas de osculis, & tactibus impudicis, ut videre est apud Sanch. disp. 18.

VIII. Circa delectationes morosas dubium est, an debeant explicari in confessione, ut trahentes malitiam adulterii, quando habentur a conjugatis? Affirmat Vasq. quia scilicet conjugatus fidem matrimonii obligat de non collocando non solum corpus, sed etiam mentem in aliud objectum turpe; atque adeo peccatum hoc non solum est contra castitatem, sed pariter est adulterium; cum sit contra fidem matrimonii. Verum Hurt. cum Tambur. lib. 10. cap. 3. id negat; quia sine ullo fundamento dicitur, quod fides matrimonii exigat non collocare mentem in aliena.

Notandum demum, quod qui Sodomiam cum propria conjuge commisit, non possit in confessione dicere: Ego conjugatus commisi sodomiam cum conjugata, sed debeat dicere, quod commiserit illam cum propria conjuge: Quamvis probabile sit, peccatum complicis posse celari, quando illi infamia inuretur apud Confessarium. Ubi Filliuc. advertit, quod confessarius prudens esse debeat in his circumstantiis exquirendis, ne se, vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem: Et Con. docet, præstare aliquando, Sacerdotem minus perfecte peccatum pœnitentis cognoscere, quam vel sibi, vel illi aliquod scandalum creare, & esse nimium. Et Angelus hæc addit; Confitetur mulier, quod fuerit, verbi gratia, cognita extra vas debitum, non quærat postea Confessarius, in quo loco, vel quomodo, & hujusmodi; sicut faciunt quidam, qui potius sunt contaminatores, quam Confessores.

IX. Quæ-

IX. Quæritur ultimo; quid servandum in usu matrimonii a conjugibus?

Respondeo, ut actus matrimonialis sit licitus, & meritorius, servanda sunt a conjugibus, quæ duobus illis versiculis continentur.

Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohære;
Sit locus, & tempus, Tactus, ne spernito votum.

Primo enim peccatur contra *Modum*, quando non servatur situs, aut modus congrediendi, aut debitum vas. Secundo, *Finis* debet esse honestus; verbi gratia, procreatio filiorum, fuga incontinentiæ, &c., ut diximus art. 1. Tertio, circa particulam, *Sine damno*, diximus posse negari debitum, quando est periculum gravis morbi, & damni; Est etiam quædam inhonestas, & turpitudo, & peccatum veniale accedere ad uxorem tempore menstrui; Est vero mortale accedere ad illam gravidam cum periculo abortus; secus vero si tale periculum absit. Quarto, per particulam, *Solve*, designatur obligatio reddendi debitum, juxta dicta art. 2. Quinto, per particulam, *Cohære*, significatur obligatio cohabitandi, secluso gravi damno animæ, vel corporis: Si tamen alter conjugum timeat sibi a cohabitando infectionem lepræ, verbi gratia, aut alterius morbi contagiosi, quamvis non teneatur cohabitare, tenetur tamen non ita longe ab altero recedere, ut non possit cætera obsequia exhibere; non enim eximitur ab aliis obsequiis præstandis, ut notant Reginald. lib. 31., & Sanch. Sexto, per particulam, *Sit locus, & tempus*, significatur in quibusdam locis, & nonnullis temporibus abstinendum ab usu conjugali, juxta dicta art. 1. Septimo, per particulam, *Tactus*, significatur, tactus esse permissos conjugibus, prout explicavimus art. 4. Demum, per particulam, *Ne spernito votum*, denotatur, astrictum voto castitatis non posse debitum petere, juxta ea, quæ diximus art. 3.

QUÆSTIO VIII.

De Divortio.

DIvortium est solutio matrimonii, non quidem quoad vinculum, quod (ut diximus quæst. 3. art. 3. est indissolubile) sed quoad torum, sive etiam cohabitationem: possunt enim aliquando conjuges, manente vinculo matrimoniali, a se mutuo divertere, & inde dicitur divortium.

Duplex autem datur causa divortii; Altera ex mutuo consensu citra alterius culpam, verbi gratia, per ingressum in Religionem; Altera ob culpam alterius conjugis, præsertim ob adulterium. De Divortio in utroque casu hic agemus; Inquirentes demum alias causas, propter quas fieri potest divortium ad tempus, videlicet quousque causæ illæ perseverent.

ARTICULUS I.

De Divortio ex mutuo consensu.

I. Quadrupliciter possunt conjuges ex mutuo consensu facere divortium.

II. Si maritus de consensu uxoris Sacris initietur, hæc, si sit juvenis, debet ingredi Religionem.

III. Num uxor senex possit cum marito Sacerdote cohabitare?

I. QUæritur, Quot modis possint conjuges divortium facere ex mutuo consensu?

Respondeo, posse quadrupliciter. Primo, si sine ullo voto separentur, toro. Secundo, si separentur, ita ut uterque voveat castitatem. Tertio, ut vir Sacros Ordines suscipiat, uxore ingrediente in Religionem, aut manente in sæculo. Quarto, ut unus solus, aut etiam uterq; Religionem ingrediatur. Et sane certum est, posse conjuges, ut melius Deo inserviant, aut ob alium finem honestum ex mutuo consensu separari toro, vel ad tempus, vel in perpetuum; quia non tenentur uti matrimonio; nisi forte iis periculum esset incontinentiæ, quod alter superare facile non possit. Certum est secundo, posse utrumque conjugem ex mutuo consensu vovere castitatem, etiamsi Religionem non ingrediantur; quamvis id non sit facile consulendum propter periculum incontinentiæ, quod ex mutua cohabitatione facile incurreretur. Certum est tertio ex *cap. Si quis*, 4. *de Conversione Conjugatorum*, maritum etiam ex uxoris consensu non posse Religionem ingredi, nisi ipsa similiter Religionem ingrediatur, aut nisi sit senex nullo pacto suspecta de incontinentia, & in sæculo manens Votum castitatis emittat, & quidem castitatis perpetuæ; non vero quousque maritus est superstes.

II. Utrum autem nec possit maritus de uxoris consensu sacris initiari, nisi ipsa aut Religionem ingrediatur, aut senex sit non suspecta de continentia, & in sæculo manens voveat perpetuam castitatem? Dubium est inter Doctores. Aliqui putant cum Angelo apud Perez disp. 27. sect. 9. posse maritum de consensu uxoris

Sacris

Sacris initiari, dummodo uxor in sæculo manens voveat castitatem, etiamsi uxor sit juvenis. Ratio est, quia ideo, si vir Religionem ingreditur, debet pariter ingredi Religionem uxor juvenis, quia Religiosus non potest illius curam habere, illamque corrigere, si forte peccet: Contra vero Sacerdos sæcularis potest hoc facere; ergo, ut vir fiat Sacerdos de consensu conjugis, non videtur necesse, quod illa Religionem ingrediatur, sed satis est, si voveat castitatem.

Communis tamen sententia cum Sanch. lib. 7. disp. 39., Con., Perez, & aliis docet, uxorem juvenem debere ingredi Religionem, tam si vir ex ejus consensu Religionem ingrediatur, quam si Sacris initietur. Ratio est, quia uxor juvenis in sæculo manens exposita est periculo incontinentiæ; & tantum abest, ut a marito Sacerdote possit corrigi, ut potius facile sit ipsi Sacerdoti familiariter illa utenti, & ejus curam agenti esse occasionem peccandi.

Dices: Potest uterque conjux vovere castitatem, & manere in sæculo; ergo poterit pariter alter initiari Sacris, altera vovente castitatem in sæculo.

Respondeo, concesso antecedente, negari consequentiam. Disparitas est; quia in primo casu si esset periculum incontinentiæ, esset facile remedium, petendo scilicet dispensationem a tali voto: non tamen in secundo casu.

III. Notandum tamen, quod si uxor sit senex, & extra omnem omnino suspicionem, poterit cum marito Sacerdote, secluso toro, cohabitare: Sed consilium est a tali cohabitatione abstinere, tum propter exemplum, tum propter qualecumque periculum, etiam levioris incendii, seu libidinis.

ARTICULUS II.

De Divortio ob causam Adulterii

I. Sufficiens causa ad divertendum est Adulterium.

II. Sodomia, & brutalitas probabiliter non præbent causam sufficientem ad faciendum divortium.

III. In foro conscientiæ qui certus est de conjugis adulterio, potest auctoritate propria facere divortium.

IV. Quid requiritur ad habendam certitudinem moralem, quod conjux adulteratus sit?

V. Tunc solum conjux innocens tenetur divortium facere, quando non est alia via corrigendi alterum, qui in adulterio persistit.

VI. In multis tamen casibus adulter dimitti non potest; Et probabilius vir nequit conjugem adulteram dimittere, si per metum gravem fuerit cognita.

VII. Si uterque conjux fuerit adulter, delicta compensantur. At si alter tantum sit emendatus, poterit hic divortium petere, altero post monitionem persistente.

VIII. Judex potest post emendationem conjuges per divortium separatos iterum conjungere.

IX. Conjux innocens habet jus cogendi reum, ut ad se redeat.

X. Potest innocens tribuere jus petendi debitum alteri conjugi adultero, non tamen incestuoso.

XI. Conjux innocens post sententiam divortii potest Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi altero invito; non tamen adulter.

XII. Si alter conjux sive innocens, sive adulter consentiente altero Religionem ingrediatur, qui manet in sæculo, non tenetur emittere votum castitatis.

I. Certum est, Adulterium unius conjugis dare alteri jus faciendi divortium, ex *cap. Gaudemus*, & *ex Matth.* 5. ubi dicitur: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari*. Et ratio est, quia frangenti fidem fides non est servanda, ex *lege Si cum venerit ff. pro Socio*: Per adulterium autem frangitur fides data in matrimonio non dividendi carnem; nam conjuges, ut habetur Genes. 2., sunt duo in carne una, videlicet per copulam carnalem cum seminatione in vase debito.

II. Hinc sequitur, solum desiderium fornicandi, & alios actus impudicos, per quos caro non dividitur, non dare sufficientem causam divortio; sicuti nec est causa divortii mollities alterius, aut concubitus cum fœmina mortua, aut cum statua, &c., quia caro proprie non dividitur: Contra vero censetur causa sufficiens divortii Bestialitas, & Sodomia cum altera persona, quia per talem copulam caro perfecte dividitur. Ita probabilius Sanch. lib. 10. disp. 4., & Bonac.; quamvis Pont., & Perez disp. 56. sect. 2. id negent, putantes, per brutalitatem, & sodomiam non dividi carnem, cum non possit inde una caro prolis procreari, atque adeo non dari jus divortii.

III. Quæritur nunc primo; Utrum conjux innocens possit propria auctoritate facere divortium ob adulterium sive publicum, sive occultum alterius?

Respondeo, posse, secluso tamen scandalo, ex *cap. Dixit Dominus 32. quæst.* 1. Ratio est, quia jure naturæ nemo tenetur servare fidem frangenti illam. Verum in foro externo conjux innocens cogendus est ad conjugem redire, donec constet de adulterio; Quamvis non teneatur reddere debitum, etiamsi per excommunicationem, aut præceptum Judicis ad id cogatur, si in foro conscientiæ certus sit de illius adulterio. Ratio est, quia præceptum Superioris non obligat in conscientia, quando procedit ex falsa præsumptione. Ita Sanch. disp. 11., Reginal., Bonac., Scotus, & alii.

IV. Du-

IV. Dubium tamen est; Quænam notitia adulterii requiratur, ut possit fieri divortium?

Respondeo, requiri certitudinem moralem; nam possessio stat pro reo, & nemo in dubio, & per solam probabilitatem in contrarium privandus est sua possessione: Habetur autem certitudo moralis, quando, verbi gratia, aliquis fide dignissimus, cui merito prudentissimus fidem haberet, testaretur adulterium, vel saltem ejus vehementem suspicionem: ut si vidisset solum cum sola in lecto, ex *cap. Literis*, *de præsumptione*; non tamen sufficiunt verba amatoria, aut xenia missa uxori ab adultero. Immo nec oscula, & amplexus, nisi adsint aliæ circumstantiæ loci, temporis, vel personarum.

Notandum tamen cum communi contra Navar., quod adulter etiam publicus possit petere debitum a conjuge innocente ignorante suum adulterium; quia nemo tenetur hanc pœnam subire ante sententiam Judicis, vel alterius conjugis. Immo post hanc sententiam potest amicabiliter debitum petere, ut reconciliet sibi conjugem innocentem, & amissum jus acquirat.

V. Quæritur secundo, An teneatur conjux innocens facere divortium ab altero adultero?

Respondeo, regulariter non teneri; cum possit quilibet injuriam sibi irrogatam condonare. Si tamen ille in adulterio persistat, multi docent, teneri eum deserere, ne videatur particeps illius criminis. Communius tamen id negant; nam crimen vel est occultum, & nullum datur scandalum; vel est publicum, & satis est, si publice conetur conjux innocens corrigere adulterum, proponendo illi pœnas inferni, & prout potest puniendo illum. Quod si putet hac sola via adulterum corrigendum esse, videlicet per divortium, in tali casu per accidens tenetur ex charitate ad tempus divertere.

VI. Quæritur tertio; In quibusnam casibus adulter non potest dimitti?

Respondeo, pluribus in casibus. Primo quando uterque conjux commisit adulterium, ex *cap. final. de adulteriis*; quia paria delicta mutua compensatione abolentur. Secundo, si vir det causam proximam adulterandi uxori; ut si tacite, vel expresse dederit illi facultatem; vel si noluit prohibere, cum commode posset: Secus vero si dedit causam remotam, verbi gratia, quia iratus illam domo expulit, aut necessaria alimenta, vel debitum denegavit. Tertio, si adulterium sine culpa commissum fuit; ut si uxor bona fide crediderit aut adulterum esse proprium virum, aut proprium virum esse mortuum, & idcirco secundas nuptias contraxerit. Quarto, si uxor per vim cognita fuit. Quod si non per vim, sed per metum gravem fuit cognita, lis est inter Doctores, an possit vir facere divortium? Probabilius existimo, quod non possit; ut docent Henr., & Bonac. contra Sanch., & alios. Ratio est, quia metus gravis excusat a lege Ecclesiastica, & ab incurrenda censura, aut alia pœna canonica; ergo uxor, quæ per metum gravem adulteravit, videtur quod non debeat pati pœnam hanc, quod scilicet possit vir ab ea divertere. Quinto demum, non potest conjux innocens facere divortium, quando condonavit alteri adulterium vel expresse, vel etiam tacite, ut si sciens illum commisisse adulterium, aut petat ab eo, aut illi reddat debitum.

VII. Dubium est primo; An quando uterque conjux commisit adulterium, & alter tantum est emendatus, possit hic petere divortium ab altero non emendato?

Respondeo affirmative; quando scilicet emendatus admonuit alterum, ut cessaret ab adulterando, & tamen de novo relabitur. Nam sicuti si ambo adulterium commiserunt, & deinde reconciliati sunt, uno relabente, potest alter facere divortium ex communi Doctorum sententia: ita in casu nostro: Nam quando emendatus monet alterum, jam offert illi reconciliationem; ergo si hic non resipiscit, potest ille divortium petere, ut docent Sanch. lib. 10. disp. 7., Conink, Reginal., Bonac.

VIII. Dubium est secundo; Utrum adulter facto divortio possit ad se revocare alterum, qui post divortium lapsus est in adulterium?

Respondeo cum Bonac. contra Con., non posse; quia sententia divortii non fertur sub conditione, quod alter non adulteret, sed fertur absolute in odium delinquentis. Potest tamen Judex sua auctoritate illos reconciliare: Nam sententia divortii non abstulit Superiori jus, ne possit separatos quoad torum, & habitationem iterum conjungere ad vitanda pericula incontinentiæ. Immo tenetur Superior hoc facere, quando adest scandalum, & manifestum periculum incontinentiæ.

IX. Quæritur quarto; An possit conjux innocens facto divortio cogere adulterum, ut ad se redeat?

Respondeo affirmative cum Sanch., Sà & aliis. Ratio est, quia sententia divortii facta est in favorem innocentis, & in pœnam adulteri, non vero in pœnam innocentis. Quare si innocens non posset ad se revocare adulterum, jam divortium cederet in pœnam ipsius innocentis.

X. Hinc patet disparitas; quare scilicet potest conjux innocens tribuere alteri adultero jus petendi debitum, non tamen possit tale jus tribuere conjugi incestuoso, qui copulam habuit cum consanguineo, vel consanguinea conjugis innocentis in primo, vel secundo gradu. Ratio est, quia in primo casu adulter privatur jure petendi debitum in gratiam innocentis, unde si

hic cedit juri suo, potest ille petere debitum: Contra tamen in secundo casu incestuosus privatur jure petendi debitum, non in gratiam innocentis, sed in pœnam sceleris: Sicut enim non decet, affines matrimonio copulari; ita quando supervenit matrimonio affinitas propter incestum, non decet, quod incestuosus petat debitum, quamvis possit reddere, & ad id teneatur, ne scilicet innocens pęnam illam subeat ob crimen incestuosi.

XI. Quæritur ultimo; An post divortium possit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem ingredi tam conjux innocens, quam adulter?

Respondeo, posse quidem innocentem Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi, adultero invito; dummodo adulterium sit publicum: Aliter si delictum non probaretur, deberet restitui conjugi ad scandalum vitandum: Contra vero adulter non potest, invito altero innocente, Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi; quia innocens habet jus concedendi illi reconciliationem, & ad se illum repetendi. Potest tamen id facere, si habeat a conjuge innocente licentiam sive expressam, sive etiam tacitam; ut si sæpius petat ab illo reconciliationem; & hic nolit illam concedere, dicens, se nunquam illam concessurum. Unde fit, quod non possit postea conjux innocens revocare ad se adulterum, qui ea de causa Sacros ordines suscepit, vel Religionem ingressus est, aut votum emisit. Ita Sanch. lib. 10. disp. 11. Bonac., & alii.

XII. Adde, quod si adulter de licentia conjugis innocentis Religionem ingrediatur, innocens manens in sæculo non tenetur votum castitatis emittere. Ratio est, quia in *cap. Significasti*, *de Conversione conjugatorum* id præcipitur, quando matrimonium manet illæsum, non vero quando factum est divortium; & ideo si conjux innocens Religionem ingrediatur, nec tenetur adulter manens in sæculo castitatem vovere.

ARTICULUS III.

De aliis causis faciendi divortium ad tempus.

I. Quænam sint causæ faciendi divortium ad tempus?

II. Hæresis alterius conjugis non dat causam faciendi divortium perpetuum, (sicut dat adulterium) sed solum ad tempus; Nisi tamen publice ille sit ab Ecclesia damnatus.

III. Si maritus ad scelus nefandum pertrahat uxorem, & nolit corrigi, hæc potest divertere.

IV. Sicut etiam si uxor sæpe, & atrociter a marito percutiatur.

V. Uxor venefica, quæ consilio dæmonis utitur, dimitti potest.

VI. Votum castitatis a conjuge de alterius consensu emissum dat causam divertendi, si remittatur obligatio reddendi debitum.

VII. Post divortium filii sequuntur conjugem innocentem.

VIII. Cujus autem expensis alendi sint filii? lis est inter Doctores, si culpa matris divortium factum sit. Si autem culpa Patris id contigerit, ejus expensis apud matrem alendi sunt. Quod si ex mutuo consensu divortium fiat, proles triennio minor expensis matris educanda est, deinde expensis Patris.

I. PRæter adulterium, quod dat causam faciendi divortium in perpetuum, dantur aliæ causæ faciendi divortium ad tempus, hoc est quousque causæ illæ perseverent.

Quæritur itaque; Quænam sint istæ aliæ causæ?

Respondeo, universim quoties unus non potest cum altero conjuge cohabitare sine gravi periculo animæ, aut corporis, quod merito virum constantem terreat, potest ad tempus ab eo divertere, quousque periculum durat. Ratio est, quia non tenemur cum tanto incommodo hisce obligationibus satisfacere; quod patet *ex cap. Ex transmissa*, & *ex cap. Literas de restitutione Spoliatorum*.

Neque dicas, ob solam causam fornicationis a Christo Domino permitti divortium. Nam in casu nostro divortium ad tempus fit, non deserendo uxorem, sed fugiendo proprium malum; quod non est contra Christi Domini pręceptum.

Hinc prima causa divortii est Lapsus unius in hæresim, vel infidelitatem. Ratio est, quia hæresis est quędam fornicatio spiritualis, ex *cap. Idololatria*, *de divortiis*; quando tamen ille convertitur, debet cum innocente conjungi, cum cesset causa divertendi; non enim hæresis est fornicatio proprie dicta, quæ unice ex lege Christi Domini dat causam faciendi divortium in perpetuum.

II. Excipe tamen, si conjux in hæresim lapsus judicio Ecclesiæ sit separatus, aut condemnatus; tunc enim conjux innocens etiam emendatum non tenetur recipere, ut notat Con., tum in pœnam hæresis; tum etiam quia ob perpetuam illius infamiam grave esset, & quodammodo infame conjugi innocenti conjungi cum illo.

III. Secunda causa est, quando unus nititur alterum pertrahere ad peccatum; tunc enim si præmissa correctione adhuc ille persistat, potest hic secluso scandalo divertere: Immo tenetur, si commode potest, quando probabiliter timet, quod sit consensurus. Hinc si maritus vult uti uxore sodomitice, potest hæc petere divortium, ex *cap. Omnes causationes 32. quæst. 7.*; etenim a tali nefando scelere natura ipsa abhor-

abhorret. Notat tamen Sanch. lib. 10. disp. 4. id esse verum, si sodomia sit consummata, & vir corrigi nolit.

IV. Tertia est sævities alterius conjugis, ob quam timet alter sibi mortem, graves plagas esse inferendas, non tamen si moderatam castigationem timeret. Hinc potest divertere conjux, si alter tentavit illum occidere, ut notat Sanch.; vel si maritus percutiat sæpe, & atrociter uxorem.

Quarta, si alter fiat omnino furiosus, aut gravi, & contagioso morbo laboret; nam in his casibus alteri ex cohabitatione grave periculum imminet; secus tamen si ille fieret solum stultus, aut contraheret gravem morbum non contagiosum: nam in tali casu cum possit sanus sine suo periculo illi cohabitare, ejusque curam gerere, ad id tenetur.

V. Quinta, quando delictum unius potest esse alteri conjugi causa gravis damni; ut quando uxor est venefica, interficiens filios, aut si consilio dæmonis utatur.

VI. Sexta demum est votum castitatis communi consensu emissum; in quo casu possunt conjuges separari quoad torum, ne exponant se periculo violandi votum castitatis emissum; dummodo tamen remiserint sibi obligationem reddendi debitum; Immo possunt ambo Religionem ingredi, ut notant Bonac., Henr., & alii.

VII. Rogabis demum; quemnam conjugem sequantur filii post divortium?

Respondeo, ex jure civili sequi debere partem innocentem, ut notant Sà, & Bonac. Ratio est, quia potior videtur conditio innocentis. Excipe tamen, nisi innocens sit infidelis; tunc enim in favorem fidei, ne proles in Infidelitate procreetur, tradenda est conjugi fideli, ex *cap. final. de conversione Infidelium*.

VIII. Majus dubium est, A quonam sint alendi? Certum est, quod si divortium fiat mutuo consensu, proles triennio minor educanda sit expensis matris; triennio vero major expensis Patris. Quod si ex Patris culpa divortium contingat, soboles, etiamsi sit triennio minor, educanda est apud Matrem expensis Patris, ex *leg. 3. Regia tit. 19. part. 4.* Si demum ex Matris culpa divortium factum est, magna lis est apud Doctores: qua in re consuli potest Sanch. lib. 10. disput. 20., Rodriq. Menoch. consil. 853., aliique. Satis nobis sit, id innuisse ad complementum tractatus; cujus sit (sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

A. M. D. G., & B. V.

Sine labe Conceptæ.

SYNOPSES OMNES,

Quæ in ſingulis Articulis Tractatus hujuſce de Matrimonio habetur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag. 1

De Sponſalibus univerſim.

ARTICULUS I. 2

De Promiſſione Conſtitutiva Sponſalium.

I. Quid ſint Sponſalia? II. Quanam promiſſione conſtituantur? III. Si promiſſio ſit indeliberata, non obligat; ſicut nec votum; Nec poteſt obligare ſub levi promiſſio Sponſalium. IV. Nec obligat promiſſio iſthæc non acceptata. V. Debet pariter ſigno ſenſibili manifeſtari. Sed quando taciturnitas ſufficit in repromittente? VI. Sponſalia neque ſunt Sacramentum, neque Sacramentale. VII. Ad valorem Sponſalium ſatis eſt intentio deliberata virtualis, non vero habitualis. VIII. Requiritur ad eorumdem valorem voluntas ſe obligandi ex juſtitia ad Matrimonium ineundum, ſed non voluntas illud exequendi.

ARTICULUS II. 5

De Promiſſione ficta Sponſalium.

I. Promiſſio ficta non ſufficit ad valorem ſponſalium. Ea tamen in foro externo parit obligationem, non quidem naturalem, ſed civilem. II. Ficte promittens ad quid tenetur in foro conſcientiæ? III. Quid, ſi ficte promittens Virginem defloravit ſub ſpe matrimonii? Quod ſi quis conſanguineam defloravit vere promittendo abſolute matrimonium, num teneatur diſpenſationem petere, & ſtare promiſſis? IV. Num poſſit pecunia damnum compenſare hujuſmodi deflorator, ſi ſit notabiliter dignior? At quid, ſi ea fuerit corrupta, & non diſparis conditionis? V. An poſſit ficte promittens negare coram Judice promiſſionem, quando non tenetur vi illius ad matrimonium. VI. Si quis notabiliter dignior ficte matrimonium promittit Bertæ, ſed cum juramento, num illam teneatur ducere ratione juramenti? VII. Quid, ſi tale juramentum non confirmet, ſed ſolum comitetur promiſſionem? VIII. Et quid, ſi tam promiſſio ſit ficta, quam juramentum?

ARTICULUS III. 7

De Promiſſione mere interna nubendi facta ſive homini, ſive Deo per Votum.

I. Promiſſio matrimonii facta homini, ſi ſit mere interna, non obligat. II. In quo differat propoſitum a promiſſione mere interna? III. Votum nubendi ſolum per accidens poteſt eſſe obligatorium. IV. Quandonam obligat votum nubendi ad vitandum periculum incontinentiæ? V. Quid ſi quis voveat cauſa pietatis ducere Bertam pauperem? Num in tali caſu voveantur duo per modum plurium, an per modum unius? VI. Votum nubendi ſine animo conſummandi utrinque emiſſum per ſe loquendo, eſt irritum. VII. Nequit utrinque emitti votum nubendi, præciſe ad finem recipiendi gratiam propriam Sacramenti matrimonii ſine animo conſummandi.

ARTICULUS IV. 10

De Verbis, & aliis ſignis, & modis, quibus ſponſalia contrahuntur.

I. Quænam ſigna externa ſpectent ad valorem ſponſalium? II. Quid ſi dubitetur, an ſigna externa exprimant conſenſum in ſponſalia, an in matrimonium? Abſolutumne, an conditionatum? III. Quid ſi Titius uni ex pluribus ſororibus indeterminate matrimonium promittat, & promiſſio ab omnibus acceptetur? IV. Quandonam taciturnitas ſit ſufficiens ſignum conſtitutivum ſponſalium? V. Sex modis ſponſalia valide contrahuntur.

ARTICULUS V. 11

Quinam poſſint Sponſalia contrahere?

I. Jure Canonico ad valorem ſponſalium requiritur ſaltem ſeptennium. II. Ultima dies temporis requiſiti ad ſponſalia, ad Matrimonium, ad Teſtamentum ſufficit, ſi ſit incæpta; ad Profeſſionem vero debet eſſe completa. III. Sponſalia invalida ex defectu ætatis non ratificantur ſine notitia nullitatis. IV. Si malitia ſuppleat ætatem, probabiliter valida ſunt ſponſalia ante ſeptennium. At quid pro foro externo? V. Num poſſint Parentes, aut Tutores contrahere ſponſalia pro filiis, aut pupillis ante ſeptennium? VI. Habens votum caſtitatis, ſi promiſit fœminæ matrimonium ſub conditione copulæ, ad quid tenetur poſt copulam obtentam? VII. Num ſint valida ſponſalia inter notabiliter inæquales? VIII. Cur offerens pretium exceſſivum pro re, quam emit, non teneatur ſolvere niſi pretium juſtum; Nobilis vero offerens prodige matrimonium plebejo teneatur ſtare promiſſis?

ARTICULUS VI. 14

De obligatione, quæ conſurgit ex Sponſalibus.

I. Sponſalia obligant ad abſtinendum a Sacris Ordinibus, non tamen ab ingreſſu in Religionem. Qui tamen poſt illa Sacros Ordines ſuſcepit, tenetur damnum reparare. II. Num poſſint Sponſalia preſſe dicta contrahi cum mutua obligatione ſub levi? III. Num vovens, aut jurans poſſit ſub levi ſe obligare in quacumque materia? IV. Juramentum de patrando peccato levi num ſit culpa gravis? V. Num promiſſio matrimonii gratuita ex ſola fidelitate obliget ſub gravi? VI. In quo differat obligatio ex juſtitia ab obligatione gravi ex fidelitate? VII. Num Sponſi, ſi fornicentur, aperire debeant in confeſſione, quod Sponſalia contraxerint, quatenus injuriam alteri ſponſo irrogarint? VIII. An poſſit in contractu Sponſalium apponi pœna luenda a reſiliente? IX. Sponſus jurans ſe ſoluturum pœnam, ſi reſiliat, num vi juramenti

ad

ad illam teneatur, si juste resiliat? x. Num licitè in Sponsalibus arrhæ apponantur? xi. Possitne Sponsalibus addi pactum habitandi in aliquo determinato loco?

ARTICULUS VII. 19

De Sponsalium Effectibus.

i. Impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus ortum quid ferat? ii. Non oritur nunc post Tridentinum ex Sponsalibus invalidis, neque ex conditionatis. iii. Qualiter illud ex matrimonio rato oriatur? Et an, si matrimonium sit invalidum ex defectu consensus? iv. Si Sponsalia mutuo dissensu dissolvantur, adhuc remanet hoc impedimentum. v. Matrimonium clandestinum probabilius habet vim Sponsalium post Tridentinum, & ideo parit hoc impedimentum. vi. Sponsis permittuntur tactus non impudici, & oscula, dummodo absit periculum consensus in delectationem veneream de copula futura. vii. Tactus non impudici, & oscula eodem modo sunt vetita solutis, ac viduis. Solum permittuntur Sponsis citra periculum consensus in delectationem libidinosam, in signum mutui amoris. In Conjugibus non vetatur sub gravi delectatio carnalis in absentia alterius conjugis citra periculum pollutionis.

QUÆSTIO II. 21

De Causis dissolventibus Sponsalia.

ARTICULUS I. ibid.

De Mutuo Consensu, & de Reclamatione dissolventibus Sponsalia.

i. Sponsalia Puberum mutuo consensu dissolvuntur, etiamsi sint jurata intuitu pietatis. ii. Impuberum Sponsalia dissolvunrur, si eorum alter, statim ac ad pubertatem pervenerit, reclamet: Et quidem pro foro externo intra triduum, & coram Judice, aut testibus. iii. Probabilius impuberes reclamare possunt, cum ad pubertatem deveniunt, etiamsi Sponsalia juramento confirmarint. iv. Impubescentes tamen, qui juramento confirmarunt Sponsalia, censuris cogendi sunt ad matrimonium contrahendum. v. Quamvis Impuberes possint deinde reclamare, non per hoc sequitur quod inanis fuerit contractus, & juramentum ante pubertatem.

ARTICULUS II. 23

De Crimine dissolvente Sponsalia.

i. Etiam Sponsi, nedum Sponsæ fornicatio dat jus ad resiliendum a sponsalibus. ii. Sponsus resilire potest, etiamsi sponsa turpiter se tangi permiserit, aut si deprehendatur ante sponsalia fornicata fuisse. Quandonam sponsa similiter resilire poterit? iii. Quid, si uterque post sponsalia fornicationem commiserit? iv. Si sponsus conscius fornicationis sponsæ ad illam accedit, amittit jus ad resiliendum. v. Nec solum pro foro externo, sed etiam pro interno.

ARTICULUS III. 24

De Fuga, seu longa absentia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapso.

i. Potest Sponsa resilire a Sponsalibus, si Sponsus discesserit, nec sit spes, quod brevi sit rediturus. ii. Jus civile obligans Sponsam ad expectandum per biennium, si Sponsus sit intra Provinciam, & per triennium, si sit extra illam, non obligat Christifideles Et quare? iii. Bifariam potest in Sponsalibus præfigi terminus ad matrimonium contrahendum. Si ita præfigatur, ut post elapsum terminum cesset obligatio, eo elapso, poterunt statim Sponsalia dissolvi; secus vero si obligatio non cesset, dummodo mora non sit diuturna. iv. Ut tamen possint Sponsalia dissolvi ratione moræ, debet moneri qui est in tali mora, ut intra præfixum tempus matrimonium contrahat sub interminatione rescindendi Sponsalia.

ARTICULUS IV. 25

De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto Castitatis, aut Religionis.

i. Sponsalia dissolvuntur per Professionem Religiosam, ac per Vota simplicia in Religione approbata, puta in Societate Jesu. ii. Invita parte, possunt Sponsi Religionem ingredi, & quidem etiam post matrimonium ratum; si tamen id fiat bona fide. iii. Votum etiam castitatis dirimit Sponsalia subsequentia. Et susceptio Ordinis Sacri dirimit etiam Sponsalia præcedentia. iv. Probabilius dissolvi possunt Sponsalia, statim ac quis Novitiatum ingreditur. v. Qui juramento confirmavit Sponsalia, poterit Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio. vi. Nequit tamen Religionem ingredi, qui post Sponsalia obtinuit a Sponsa copulam sub spe matrimonii. vii. Votum profitendi in Religione dirimit Sponsalia etiam præcedentia. At votum ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel votum castitatis solum Sponsalia subsequentia dirimit. viii. Quod si vota isthæc emittantur post sponsalia, alter remanet liber; sed vovens probabilius remanet ligatus a Sponsalibus.

ARTICULUS V. 27

Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora?

i. Sponsalia posteriora, cum sint irrita, non pariunt impedimentum publicæ honestatis; Sed dant alteri Sponso jus ad resiliendum. ii. Qui post Sponsalia cum Berta contrahit matrimonium cum Teresia, hac mortua, probabilius tenetur illam ducere. iii. Qui post priora Sponsalia cum Berta contraxit posteriora cum Teresia, a qua ignara priorum Sponsalium obtinuit etiam copulam, videtur teneri ducere Bertam, & damnum Teresiæ alia via compensare. iv. Sed probabilius tenetur ducere Teresiam, quæ damnum passa est, & sui corporis usum tradidit.

ARTICULUS VI. 28

De Morbo, aut simili vitio dissolvente Sponsalia.

i. Causa sufficiens ad Sponsalia etiam jurata dissolvenda est notabilis morbus, aut deformitas, vel quid simile superveniens, aut si de novo deprehendatur. ii. Quid si uterque Sponsus in paupertatem incidat? iii. Dissolvi possunt Sponsalia etiam jurata, si quid de novo accidat, quod si ab initio existeret, Sponsalia impediret iv. Hinc qui spe futuri matrimonii copulam extorquet a Berta, non tenetur illam ducere, superveniente notabili mutatione.

ARTICULUS VII. 29

De Affinitate, seu Impedimento Juris superveniente; Ac de Voce publica, seu fama de Impedimento.

I. Sponsalia dissolvuntur per quodcumque impedimentum dirimens, quod superveniat. II. Qui culpa sua fuit causa talis impedimenti, puta affinitatis, tenetur ad matrimonium, si alter innocens obtineat dispensationem. III. Immo qui fuit causa impedimenti tenetur ipse dispensationem petere; præsertim si advertit, quod culpa sua impedimentum contrahatur. VI. Fama certa de impedimento dirimente satis est ad sponsalia dissolvenda, etiam jurata; non secus ac testimonium unius fide digni: Quod tamen non sufficit ad dissolvendum matrimonium. V. Præter famam requiritur Persona gravis, non quæ deponat impedimentum, sed quæ denunciet famam. VI. Solus rumor (qui habetur per hoc, quod minor pars viciniæ impedimentum acclamet) non satis est ad dissolvenda Sponsalia.

ARTICULUS VIII. 30

Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia; Et quinam metus?

I. Causæ, quæ sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, si superveniant, satis sunt ad ea dissolvenda, si præcesserint, & invincibiliter fuerint ignoratæ. II. Aliter discurrendum de dolo dante causam contractui, ac de incidente in contractum. Aliter etiam si ab altero ex contrahentibus adhibeatur, ac si a tertia persona. III. Sponsalium contractus per dolum celebratus probabilius non est irritus, sed solum irritandus ad arbitrium decepti; ut proinde pariat impedimentum publicæ honestatis. IV. Ideo Votum ex errore emissum est irritum, quia est promissio gratuita; at sponsalia ferunt promissionem onerosam; & ideo non sunt irrita, sed irritanda, si per dolum celebrentur. V. Qui per dolum contraxit eo animo, ut licet dolum cognovisset, adhuc ea sponsalia contraxisset, nequit resilire. VI. Num contrahentes sponsalia teneantur occulta vitia aperire, quibus deprehensis, sponsalia non celebrarentur? VII. Defectus, qui notabiliter nocent vitæ sociali conjugum, aperiendi sunt a sponsis; alii vero non sunt aperiendi, nisi de iis interrogentur conttahentes sponsalia. Nec licitum est positive dicto, vel facto simulare oppositum. VIII. Metus levis non irritat sponsalia; sicut nec metus gravis juste incussus; nec metus injuste incussus, sed non ad extorquenda sponsalia. IX. Probabilius sunt solum irritanda ad arbitrium metum passi, non vero irrita sponsalia celebrata per metum injuste incusum ad ea extorquenda. X. Hinc, si sint jurata, datur obligatio contrahendi matrimonium ratione juramenti, nisi obtineatur dispensatio.

ARTICULUS IX. 33

Quænam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolvenda Sponsalia.

I. Pro foro interno sufficit solida probabilitas, quod detur causa sufficiens ad Sponsalia dissolvenda. II. At pro foro externo requiritur vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de impedimento dirimente, ut ratione talis impedimenti sponsalia dissolvantur. Si vero causa, quæ allegatur ad resiliendum, non sit impedimentum dirimens, sed, verbi gratia, fornicatio Sponsæ, requiruntur duo testes. III. Ad servanda Sponsalia cogere potest Judex Ecclesiasticus; necnon etiam Judex Secularis: dummodo ex invitis nuptiis gravia scandala non oriantur. IV. Solus Pontifex potest ex gravi causa in Sponsalibus dispensare.

QUÆSTIO III. 34

De Matrimonio secundum se, ejusque Institutione, Indissolubilitate, & Unitate.

ARTICULUS I. ib.

Quid sit Matrimonium, inquantum contractus & inquantum est Sacramentum?

I. Matrimonium, inquantum est contractus, est causa efficiens matrimonii sumpti pro vinculo indissolubili, seu pro mutuo jure conjugum. II. Matrimonium formaliter sumptum non est mutuus consensus conjugum, sed est vinculum, quod ex eo causatur. III. Potest hujusmodi vinculum dari divinitus sine consensu conjugum. IV. Non est Sacramentum Matrimonium sumptum formaliter pro vinculo, sed sumptum causaliter pro contractu. V. Si conjuges Religionem ingrediantur, remanet vinculum, seu dominium mutuum in corpora, sed impeditum. VI. Beatissimæ Virginis cum D. Josepho Matrimonium qua ratione consistere poterat cum utriusque voto Virginitatis? VII. Quænam sit Matrimonii definitio? VIII. Quodnam Matrimonium de facto sit Sacramentum? Ecclesia materiam, & formam hujus Sacramenti a Christo Domino institutam immutare non potest? Solum mutare potest leges contractus. IX. Inter Baptizatos consistere nequit Matrimonium, quin sit Sacramentum. At quid si velint contrahere, non tamen Sacramentum suscipere? X. Matrimonium per Procuratorem celebratum est verum Sacramentum, quod a Principali, non a Procuratore suscipitur? Illud tamen laudabiliter in præsentia conjugum renovatur. XI. Sacramentum Matrimonii qua ratione dicatur unum numero in duobus, & an illud sit in solo Baptizato, quando hic contrahit cum Infideli? XII. Si duo conjuges Infideles baptizantur, ratificando contractum matrimonialem, suscipiunt Sacramentum matrimonii quin debeant ipsum coram Parocho, & Testibus ratificare. XIII. Hujus Sacramenti Minister non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. Materia vero, & forma non sunt corpora conjugum, sed materia est utriusque consensus, qui quatenus importat mutuam corporum traditionem, habet rationem materiæ, quatenus vero importat mutuam acceptationem, habet rationem formæ.

ARTICULUS II. 40

De Institutione Matrimonii.

I. Ex lege positiva divina videtur institutum Matrimonium, inquantum est contractus. II. Præceptum nubendi videtur esse naturale, & obligare omnes vage, hoc est singulos urgente necessitate. III Quem finem intendere debent contrahentes, ut valide, ac licite contrahant? IV. Quamvis licite intendi possit per matrimonium remedium concupiscentiæ, & propter fines extrinsecos honestos celebrari: illicitum tamen est præcise propter delectationem carnalem.

talem velle nubere. v. Sicut non est licitum, nec vacat veniali culpa opus conjugii ob solam voluptatem exercere, ita pariter est illicitum præcise propter eamdem velle nubere. vi. Ex traditione Apostolica habetur, quod Christus Dominus matrimonium ad rationem Sacramenti elevaverit. vii. Probabilius hoc Sacramentum a Christo Domino post resurrectionem institutum fuit.

ARTICULUS III. 43

De Unitate, & Indissolubilitate Matrimonii.

i. Ex primæva institutione Matrimonium fuit unum, seu unius cum una, & indissolubile. ii. In veteri lege Deus concessit ex rationabili causa dari posse libellum repudii. Et in lege Evangelica matrimonium ratum tum per Professionem Religiosam, tum ex dispensatione Pontificis ob gravem causam dissolvi potest. iii. Matrimonium Infidelium ex lege Christi Domini est insolubile: Potest tamen dissolvi, quando alter tantum ad fidem convertitur, nolente altero cohabitare citra injuriam Creatoris. iv. Diversimode Doctores opinantur circa Polygamiam, & dissolubilitatem Matrimonii, jurene naturali, an divino positivo ea prohibeantur. v. Dicendum verius dissolubilitatem matrimonii, ac Polygamiam relate ad plures uxores ita jure naturæ prohiberi, ut possit in iis Deus dispensare non secus ac in occisione innocentis. vi. At non potest Deus dispensare in his actionibus sub iis circumstantiis, sub quibus sunt intrinsece malæ, & jure naturæ prohibitæ. vii. Per Professionem Religiosam dissolvitur Matrimonium ratum jure Ecclesiastico verius, quam naturali, aut divino positivo; Et quidem jure Ecclesiastico non scripto, sed tradito. viii. Votum castitatis annexum Ordini Sacro non dissolvit matrimonium ratum, quamvis sit solemne; Sicut nec vota simplicia in Societate Jesu: Hęc autem vota dicuntur simplicia, quia ex parte voventis duntaxat sunt perpetua, non vero simpliciter, & absolute; ut est votum castitatis annexum Ordini Sacro. ix. Ea de causa nec votum solemne annexum Ordini Sacro, nec vota simplicia in Societate Jesu dirimunt matrimonium ratum, (quamvis dirimantur ab iis Sponsalia, ac matrimonium subsequens) quia nusquam Ecclesia id statuit, sicut statuit de Professione Religiosa. x. Per bimestre post matrimonium ratum regulariter possunt Conjuges negare debitum, ut cogitent de Religione.

QUÆSTIO IV. 49

De consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis.

ARTICULUS I. ib.

De Consensu matrimonii simulato.

i. Qui ficte matrimonium contrahit, secundum se peccat, tum contra virtutem Religionis sacrilege, tum contra justitiam: teneturque deposita simulatione contractum ratificare. ii. Aliquando tamen potest aliis viis damnum compensari. iii. Si quis post fictum matrimonium cum Berta, vere cum alia contrahat, & censuris adigatur, ut Bertæ adhæreat pati potius debet excommunicationem, quam ad illam accedere. iv. Urgente metu gravi potest quidem simulari contractus matrimonialis, quin per hoc simuletur Sacramentum matrimonii. v. At simulari non potest, si detur impedimentum dirimens jure naturæ.

ARTICULUS II. 50

De Signis externis expressivis consensus matrimonialis.

i. Quamvis Matrimonium sit Sacramentum, adhuc sine verbis celebrari potest, ut quilibet alius contractus. ii. Quænam soleant esse signa externa certa exprimentia consensum internum? iii. Etiam taciturnitas potest aliquando esse certum signum interni consensus. iv. Parentes neque possunt cogere filios ad matrimonium, neque illud sine justa causa impedire. v. Filii quamvis non teneantur hac in re sequi consilium Parentum, tenentur tamen ob reverentiam debitam illud petere. vi. Ut Procurator valide matrimonium contrahat pro Principali, quatuor requiruntur. vii. Si Principalis tempore contractus dormiat, adhuc fructuose Sacramentum recipit, si sit in gratia. viii. Si Principalis tempore contractus per Procuratorem sit ebrius, adhuc valide contrahit. Imo juxta communiorem, etiamsi tunc sit amens. ix Quid si Principalis det fictum mandatum, & tempore contractus habeat verum consensum? x. Si detur mandatum, ut præmissis proclamationibus Procurator contrahat, adhuc universim valide contrahitur iis non præmissis. Sicut valide confertur absolutio a censuris, parte non satisfacta, quamvis facultas absolvendi detur sub ea conditione.

ARTICULUS III. 53

De Consensu coacto.

i. Num sit irritum matrimonium contractum metu levi injuste incusso? ii. In quonam sensu voluntas dicatur cogi a metu? iii. In utroque foro est irritum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum. iv. Probabilius jure tantum Ecclesiastico, non jure naturæ illud irritatur. Votum autem universim simili metu nuncupatum ne jure quidem Ecclesiastico est irritum. v. Etiam contractus lucrativus gravi metu injuste extortus probabiliter est validus jure naturæ, quamvis damnum resarciri debeat. Idemque dicas de contractu oneroso; & uterque contractus ad arbitrium metum passi rescindi potest. vi. Probabilius videtur, quod sit validum jure naturæ matrimonium celebratum per metum levem injuste incussum ad illud extorquendum. Idemque dicas de Voto. vii. Metus reverentialis secundum se est levis; (nisi minas, aut aliud simile secum ferat) esto nonnulli putent, matrimonium sic contractum esse irritum. viii. Quando matrimonium est invalidum ratione metus, aut alterius impedimentis occulti non debet revalidari coram Parocho, & testibus: secus vero si impedimentum probari potest.

ARTICULUS IV. 57

De consensu simpliciter clandestino.

i. Recensentur decem conditiones a Tridentino requisitæ ad solemnitatem Matrimonii. In nulla necessitate valide contrahitur matrimonium sine Parocho, & testibus; sed quid si Parochus nullatenus haberi possit in locis Infidelium? iii. Lex ista Tridentini non patitur Epichejam, quia inducit formam

mam ſubſtantialem contractus. Et idem dicendum de variis ſimilibus legibus. IV. Hac, & ſimilibus legibus obligantur etiam ignorantes illas invincibiliter. V. In hac lege nequit Epiſcopus diſpenſare; quamvis hic poſſit, urgente neceſſitate, diſpenſare aliquando in nonnullis impedimentis dirimentibus. VI. Non obligat lex iſta, ubi Tridentinum non eſt receptum: nec in Provinciis Infidelium. Ex quo non ſequitur quod in iis locis non debeant aliȩ leges Eccleſiaſticæ ſervari. VII. Quando revalidandum eſt matrimonium propter impedimentum omnino occultum, (quod ſcilicet per duos teſtes probari non poteſt) non eſt opus Parocho, & teſtibus, non quia ceſſat finis legis, ſed quia talis caſus a lege non comprehenditur. At matrimonium ſub conditione celebratum coram Parocho, & teſtibus, num debet coram iiſdem, purificata conditione, iterum contrahi? VIII. Quinam debeat eſſe Parochus, & quinam teſtes. IX. Etiam in aliena diœceſi poteſt proprius Parochus, licet ſit excommunicatus vitandus, matrimonio aſſiſtere, ac dare Sacerdoti licentiam ad aſſiſtendum. X. Num ſit validum Matrimonium, ſi Sacerdos aſſiſtens licentiam per metum, aut per dolum extorſerit? XI. Quid ſi matrimonio aſſiſtat Sacerdos poſt licentiam obtentam, ſed antequam id reſciverit? VII. Quid ſi Parochus ſit intruſus, & errore tantum communi, ſive titulo colorato reputetur Parochus? XII. Non requiritur, ut teſtes ſint omni exceptione majores. XIV. Quinam conſenſus requiritur, ſi privatim revalidandum ſit matrimonium? Et an illius nullitas utrique conjugi debeat eſſe nota?

ARTICULUS V. 68

De Conſenſu clandeſtino ſecundum quid.

I. Peccat graviter, qui ſine Epiſcopi diſpenſatione, omiſſis denunciationibus, contrahit matrimonium. Sed hoc non eſt invalidum. II. Quas ob cauſas omitti poſſunt denunciationes? III. Impedimentum occultum revelandum eſt, quamvis probari non poſſit. IV. Contrahentes, qui aliquo impedimento occulto laborant, vel tenentur deſiſtere a matrimonio, vel illud etiam cum propria infamia revelare, ſi alter deſiſtere nolit. V. Si habens impedimentum occultum ſine magno ſcandalo deſiſtere non poſſit, quid faciat? VI. Omittere benedictionem nuptialem ante conſummationem matrimonii, num ſit mortale, aut ſaltem veniale?

ARTICULUS VI. 70

De Conſenſu conditionato.

I. In quo differant conditio, demonſtratio, cauſa, dies, & modus, quæ contractui matrimoniali ſæpe adjunguntur? Et quotuplex ſoleat eſſe conditio? II. Nec demonſtratio, nec cauſa adjecta contractui ſuſpendunt, aut vitiant contractum, ſed ſolus error aut circa ejus ſubſtantiam, aut circa qualitates ſubſtantiales. III. Modus adjectus contractui probabiliter illum non vitiat; quamvis ſit rei impoſſibilis, aut turpis. Dies vero, non ſecus ac conditio illum ſuſpendit; non tamen conditio neceſſaria. IV. Contractus ſub conditione contingenti, illa purificata, non requirit novum conſenſum. V. Non vitiat matrimonialem contractum conditio impoſſibilis, aut turpis: (niſi ſit contra tria illa bona Prolis, Fidei, & Sacramenti) Alios vero contractus vitiat. VI. Conditio iſta, Si Papa diſpenſet, dicitur impoſſibilis ſolum in caſu quo nunquam Papa diſpenſare ſoleat Et conditio, ſi alter voveat caſtitatem, aut Religionem ingrediatur, non dicitur eſſe contra ſubſtantiam matrimonii. VII. Iſta conditio, Si Pater conſenſerit, quomodo intelligenda? VIII. Conditio indifferens, ac impertinens contractum ſuſpendit. IX. Conditiones turpes contra ſubſtantiam matrimonii irritant etiam contractum Sponſalium. X. Extenditur etiam ad contractum Sponſalium lex, quod conditiones aliæ turpes, & impoſſibiles habeantur pro non adjectis; non tamen lex irritans matrimonium clandeſtinum.

QUÆSTIO V. 75

De impedimentis Matrimonii.

ARTICULUS I. ib

De Matrimonii impedimentis in genere; Quinam poſſit ea ſtatuere?

I. Solus Pontifex ſtatuere poteſt impedimenta matrimonii dirimentia. II. Non eſt verum, quod poſſit Epiſcopus pro ſua Urbe, quicquid poteſt Pontifex pro toto Orbe. III. Quamvis Principes baptizati, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, ſtatuere poſſint leges circa contractum matrimonialem fidelium; hanc tamen poteſtatem ſibi Pontifex reſervavit. IV. Univerſim eſt mortale contrahere matrimonium cum impedimento dirimente: ſed probabiliter non eſt ſacrilegium. V. Quomodo poſſit quis ſine ſacrilegio ſimulare etiam abſolutionem Sacramentalem? VI. Validum eſt matrimonium, etiamſi per clauſulam generalem Pontifex irritet quidquid fiat contra aliquam legem, in qua etiam matrimonium prohibeatur.

ARTICULUS II. 77

De impedimentis dirimentibus in ſpecie. Ac primo de Errore.

I. Recenſentur, & explicantur quatuordecim impedimenta dirimentia. II. Error poteſt eſſe multiplex. III., Error perſonæ jure naturæ irritat matrimonium, non vero alia Sacramenta, nec alios contractus. IV. Quomodo fuerit validum matrimonium inter Jacob, & Liam, putatam Rachelem? V. Error circa Perſonam, quamvis ſit comitans, adhuc matrimonium reddit nullum. VI. Si dat cauſam contractui error circa qualitates Perſonæ, matrimonium non eſt irritum; ſecus vero ſi qualitas apponatur per modum conditionis. VII. Hinc deſcendit reſolutio celebris caſus a Tabiena propoſiti. VIII. Reliqui contractus, in quibus error dat cauſam contractui, ſunt irritandi; at non matrimonium, utpote inſolubile; nec Profeſſio Religioſa.

ARTICULUS III. 82

De impedimento Conditionis ſervilis.

I. Matrimonium ignoranter contractum cum mancipiis jure Eccleſiaſtico eſt irritum: dummodo inter contrahentes habeatur inæqualitas. II. Servi, invitis Dominis, valide, ac licite poſſunt matrimonium contrahere; dummodo non deſint obſequiis debitis. III. Quando ſervus nequit ſimul Domino, & Uxori facere ſatis, prævalet jus Domini, ſi eo invito matrimonium contraxit; ſecus prævalet jus Uxoris. IV. Num poſſit aliquis ſive liber, ſive conjugatus ſeipſum venundare? V. Si alter conjux ſit liber, alter ſervus, partus ſequitur ventrem quoad ſervitutem; at ſequitur Patrem quoad honores, & nobilitatem.

AR-

ARTICULUS IV. 83

De Impedimento Voti.

I. Dirimit matrimonium castitatis votum solemne ac votum simplex in Societate Jesu. At neque hoc dirimit matrimonium ratum: Neque votum solemne annexum Ordini Sacro. Neque Professio Religiosa dirimit matrimonium consummatum. II. Qui habet causam faciendi perpetuum divortium, valide, & licite potest Religionem ingredi, ac in ea profiteri, altero invito; Secus Professio est invalida. Quid si quis bona fide profiteatur putans conjugem objisse? III. Si maritus de consensu uxoris profiteatur in aliqua religione, poteritne uxor in sæculo remanere? IV. Potestne Pontifex dispensare in voto solemni castitatis?

ARTICULUS V. 84

De Impedimento Ordinis.

I. Ordo Sacer dirimit matrimonium contrahendum, non vero contractum. Et etiam apud Græcos irritum est matrimonium post Ordines Sacros contractum. II. Qui Sacros Ordines suscipit, tenetur emittere votum castitatis. Quod si expresse id nolit & peccat graviter per hoc, quod votum non emittat, & peccando contra castitatem peccat etiam sacrilege speciali sacrilegio; quamvis non peccet contra votum. III. Hinc ex voto simul, & ex lege Ecclesiæ habens Ordines Sacros tenetur castitatem servare; & invalide contrahit matrimonium, quamvis noluerit vovere castitatem. IV. Qui ante pubertatem susciperet Ordines Sacros, tenetur castitatem vovere; Qui vero in infantia, tenetur cum pervenerit ad usum rationis, de statu amplectendo decernere. V. Invalide Ordinatus ex defectu intentionis in Ordinante non tenetur ad castitatem servandam, eo quod voverit illam accessorie: Secus vero qui pariter invalide Professionem Religiosam emitteret. VI. Suscipiens Ordines Sacros per metum gravem probabiliter invalide castitatem vovet: Unde potest matrimonium contrahere, & ad horas recitandas non obligatur. Sed probabilior est sententia opposita.

ARTICULUS VI. 86

De Impedimento Cognationis.

I. Cognatio triplex est, Spiritualis, Legalis, & Naturalis, juxta triplicem modum, quo personæ possunt esse propinquæ inter se. II. Explicatur quousque cognationes istæ matrimonium dirimant. III. Plura requiruntur, ut spiritualis cognatio contrahatur. IV. Spiritualis cognatio a Patrinis non contrahitur, si baptismus conferatur privatim, aut si in Ecclesia solum suppleantur solemnitates. Baptizans autem illam contrahit, etiam in baptismo privato. Quid si Pater filium baptizet? V. In baptismo, in quo Patrinus suscipit puerum per Procuratorem, probabilius solus Principalis cognationem contrahit. VI. Si plures puerum teneant in baptismo, quisnam contrahit cognationem? VII. Cognationis Legalis Impedimentum probabilius per solam adoptionem perfectam contrahitur. VIII. Num sit jure naturæ irritum matrimonium inter fratrem, & sororem? IX. Quid de Matrimonio inter Avum, & Nepotem? Aut inter Affines in primo gradu? X. Quid de matrimonio inter Patrem, & filiam

ARTICULUS VII. 86

De impedimento Affinitatis.

I. Quid sit Affinitas? Et quomodo Affinitas non pariat Affinitatem? II. Ea dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, si oriatur ex copula licita; usque ad secundum vero, si ex fornicaria. III. Si matrimonium sit ratum, & non consummatum, contrahitur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, non vero affinitatis. IV. Probabilius non est jure naturæ irritum matrimonium inter Privignum, & Novercam. V. Affinitas matrimonio superveniens quid ferat?

ARTICULUS VIII. 90

De Impedimento Criminis & Raptus.

I. Crimina Homicidii, Adulterii, & Raptus matrimonium dirimunt. II. Plura requiruntur, ut Homicidium pariat hunc effectum. III. Quid requiritur, ut Adulterium dirimat Matrimonium? IV. Promissio facta a Titio fœminæ de illa ducenda post mortem suæ uxoris est illicita simul, & invalida. V. Raptus quid sit? Et quando matrimonium dirimat? VI. Validum est matrimonium inter Raptorem, & Raptam, si ea volente, & invitis dumtaxat parentibus rapiatur.

ARTICULUS IX. 92

De Impedimento disparitatis Cultus.

I. Matrimonium fidelis cum non baptizato est irritum; cum hæreticis tamen est illicitum; esto consuetudine in multis permittatur, si non sit periculum perversionis; nec pactum ineatur, quod aliqui ex filiis hæresi adhæreant. II. Si alter ex conjugibus Infidelibus ad fidem convertatur, dissolvitur vinculum conjugale, si nolit alter sine injuria Creatoris cohabitare, aut si simpliciter cohabitare nolit. III. Si tamen velit cohabitare pacifice, probabilius tenetur fidelis discedere quoad torum. IV. Horum filii, si careant usu rationis, conjugem fidelem sequi debent; si vero sint prædîti usu rationis, liberum est illi sequi parentem, quem malunt. Quod si de rationis usu dubitetur, adhuc debent fidelem parentem sequi.

ARTICULUS X. 94

De reliquis Impedimentis dirimentibus, præsertim Publicæ Honestatis, & Impotentiæ.

I. Excommunicantur Domini temporales, & Magistratus, qui directe, vel indirecte cogunt alios, ne libere matrimonium contrahant. II. Etiam inter infideles illicita est Polygamia? Qui autem plures uxores habet, si ad fidem convertatur, primam dumtaxat retinere debet, si velit hæc ad fidem converti; Quod si nolit; non tenetur ille alias ducere, quamvis vellent converti. III. Ut possit aliquis ad secundas nuptias transire, non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de morte prioris conjugis. IV. Sponsalia invalida non pariunt impedimentum publicæ honestatis, etiamsi sint invalida ex defectu consensus; secus vero matrimonium ratum. V. Quid sit Impotentia? Et quotuplex? VI. Num impotentia perpetua dirimat matrimonium in ordine ad caste, ac socialiter vivendum? VII. Quid si du-

si dubitetur, Num impotentia antecesserit matrimonium, an subsequuta fuerit? VIII. Et quid si dubitetur, num sit perpetua, an temporalis. IX. Num senes capulares valide matrimonium contrahant? Quid de Eunucho, de Maleficiato, ac de Hermaphrodito? X. Ætas ad matrimonium requisita quænam sit?

ARTICULUS XI. 97
De Impedimentis impedientibus.

I. Recensentur impedimenta impedientia. II. Tria dumtaxat sunt in usu; Ecclesiæ vetitum, Sponsalia, Votum. Quid veniat nomine Interdicti? Quid nomine Temporis feriarum? Quid nomine Catechismi? IV. Ad quid tenetur, qui emisso voto sive castitatis; sive religionis, matrimonium contrahit? V. Num sit licitum matrimonium habenti votum castitatis, si detur mutua obligatio non petendi debitum? VI. Num habens votum castitatis possit aliquando petere debitum a conjuge? VII. Illicitum est contrahere matrimonium cum habente votum castitatis, nisi hic illud offerat. VIII. Habens votum castitatis nequit uxorem ducere ad sedandas urgentes tentationes. IX. Etiam Episcopus in impedimentis impedientibus dispensare potest, excepto Voto, & Sponsalibus.

QUÆSTIO VI. 99
De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus.

ARTICULUS I.
Quinam possit in matrimonii impedimentis dispensare?

I. Quid interest inter legis Dispensationem, Irritationem, Abrogationem, Derogationem, & Interpretationem? II. Privilegium a dispensatione, & a licentia in quo differant? III. Dispensatio in lege Superioris est invalida, si fiat sine causa, sicut etiam interpretatio in lege Divina, puta in voto, aut juramento, etiamsi fiat a Pontifice. IV. Dispensatio stricte est interpretanda; secus vero privilegium, & Potestas dispensandi universim, non tamen si talis potestas respiciat particulares personas. V. In impedimentis jure divino dirimentibus Papa dispensare non potest; nisi ea dirimant jure naturali secundario, ut sunt votum, & Sponsalia, ac matrimonium ratum. VI. Num possit Pontifex dispensare, ut Sacrificium fiat sub una tanum specie? Num etiam quod Episcopus non resideat? VII. Potest Pontifex dispensare in radice matrimonii, legitimando prolem relate ad effectus canonicos, non relate ad civiles. VIII. Episcopus potest ex causa urgentissima pro foro conscientiæ dispensare in aliquo impedimento occulto dirimente, etiam ante contractum matrimonium. IX. Num id liceat aliquando Religiosis ex privilegio?

ARTICULUS II. 103
De Causis ad Dispensationem requisitis.

I. Ut sit valida dispensatio Inferioris in lege Superioris, satis est, quod causa probabiliter reputetur sufficiens. II. Valide Legislator, quamvis illicite, dispensat sine causa cum subditis suis. At secummet in tali lege etiam invalide dispensat. III. Peccat mortaliter, qui in re gravi sine causa dispensat in lege Superioris; Sicut etiam qui talem dispensationem petit; & qui ea utitur. IV. Qui vero in propria lege sine causa dispensat, probabiliter peccat solum venialiter; sicut etiam qui petit talem dispensationem, & qui ea utitur. V. Plures enumerantur causæ, ob quas peti potest dispensatio in impedimentis matrimonii. VI. Ad dispensandum in impedimento Voti duplex causa a Doctoribus assignatur. VII. Quænam sit causa sufficiens, ut dispensetur in impedimento Sponsalium?

ARTICULUS III. 105
De Dispensatione surreptitia, & nulla.

I. Rescripta gratiæ per surreptionem obtenta sunt ipso jure irrita; secus vero Rescripta justitiæ. II. Quænam falsi expressio, aut veritatis taciturnitas reddit dispensationem surreptitiam? III. In dubio num dispensatio sit surreptitia, probabilius dicendum, esse nullam? IV. Num dispensatio sit surreptitia, si duplex causa exponatur, quarum altera est falsa? V. An possint duo impedimenta in diversis petitionibus separatim exprimi? VI. Si impedimentum oriatur ex duplici titulo, probabilius uterque exprimi debet: ut si quis duas Bertæ sorores cognovisset. VII. Quando petitur dispensatio super gradibus consanguinitatis, satis est, quod gradus remotior exprimatur, dummodo gradus propinquior non sit primus. VIII. Num debeat exprimi incestus, si præcesserit, quando petitur dispensatio in impedimento cognationis? IX. Potestas dispensandi cum personis incertis non expirat morte concedentis; secus vero si detur facultas dispensandi cum aliquo particulari: Facultas vero data alicui, ut dispensetur, vel absolvatur, neque expirat morte concedentis. X. Facultas data ad beneplacitum concedentis expirat per hujus mortem, aut amotionem ab officio, si data sit alicui particulari; secus vero si sit data Communitati.

QUÆSTIO VII. 112
De Usu, ac debito conjugali.

ARTICULUS I. ib.
Qua ratione actus conjugalis sit licitus?

I. Ob quem finem exerceri possit actus conjugalis? II. Vacat veniali culpa illum exercere ad vitandum periculum incontinentiæ. III. Consilium sanum est certis temporibus ab illo abstinere. Et regulariter est veniale post illum accedere ad Eucharistiam. IV. Potest aliquando licitus esse in Ecclesia actus conjugalis; Et tunc Ecclesia non polluitur. At polluitur per effusionem seminis sacrilegam, quæ non sit occulta, & fiat in ipso corpore Ecclesiæ. V. Non tenetur conjux reddere debitum, quando alter est amens, aut ebrius. VI. Ne ad vitam quidem luendam licitum est procurare seminis effusionem; quamvis liceat eam non impedire, dum in somnis cœpit. VII. Motus sensualitatis secundo primi sunt venialia, si proveniant ex causa venialiter mala citra periculum consensus. VII. Non resistere positive cogitationibus, & delectationibus impuris num sit mortale? IX. Qui sine justa causa exercet actiones notabiliter in pollutionem influentes peccat graviter; peccat vero leviter, si raro, & per accidens in illam influant. X. Quæcumque modicissima delectatio venerea deliberate quæsita, & admissa non vacat lethali culpa. XI. In quo differat delectatio venerea a sensitiva non venerea? XII. In aliquo sensu admitti potest, quod in re ex objecto venerea detur materiæ parvitas; non tamen in delectatione venerea.

ARTICULUS II. 117
De Obligatione actus Conjugalis.

I. Num conjux teneatur aliquando debitum petere? II. Quandonam vacat lethali culpa negare debitum conjugi illud petenti? III. Non tenetur conjux cum gravi suo detrimento reddere debitum, etiamsi al-

alteri immineat periculum incontinentiæ. IV. Secluso hoc periculo non peccat, qui debitum negat, ne prolem multiplicet, quam sustentare non potest. V. Tenetur uxor a jejuniis abstinere, quando aliter nequit cum reciproco amore convivere cum marito. VI. Quandonam licite debitum redditur illicite petenti? VII. Qui reddit debitum conjugi habenti votum castitatis, licet cooperetur actui sacrilego, non peccat, quia actus est solum sacrilegus ex parte petentis, non vero ex parte ipsius actus. VII. Cur non possimus similiter ministrare carnes habenti votum jejunandi? Aut reddere gladium Domino furioso? IX. Quare non licet reddere debitum cum gravi damno temporali petentis, & tamen licitum est illud reddere, quando sacrilege petitur cum gravissimo ipsius petentis damno spirituali? X. Tenetur conjux debitum reddere, etiam quando actus est solum venialiter ratione sui illicitus.

ARTICULUS III. 120

De iis, quæ impediunt usum matrimonii.

I. Quatuor sunt, quæ privant jure petendi debitum. II. Astrictus voto castitatis nequit debitum petere, nisi quando petitio esset potius redditio; aut si aliter prævideretur in altero periculum incontinentiæ. III. Num votum castitatis a viro emissum invita uxore sit irritum; Etiamsi non sit irritum, probabiliter potest illud ab uxore irritari. IV. Habens votum castitatis num teneatur post matrimonium ratum ingredi Religionem, nesse exponat periculo petendi debitum? V. Si post matrimonium superveniat conjugi cognatio spiritualis, non privatur jure petendi debitum. At si superveniat affinitas, solum conjux incestuosus eo privatur. Possuntque Religiosi Privilegiati in hoc dispensare. VI. Hæc pœna non incurritur ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti. Nec ab incestuoso, qui propriam consanguineam cognovit. VII. Conjux certus de nullitate matrimonii, quamvis id probare non possit, & censuris adigatur ad debitum reddendum, neutiquam potest illud reddere. VIII. Quicquid sit, an possit Judex damnare illum, quem scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata est mortis reus. IX. Dubitans de validitate matrimonii jam contracti nequit debitum petere, antequam diligentiam adhibeat, licet post primum bimestre teneatur reddere? At si dubium vinci non potest, licitum erit etiam petere, dummodo bona fide contraxerit. X. Quod si uterque conjux dubitet, neuter potest petere, nec reddere ante diligentiam. XI. Habens opinionem probabilem de invaliditate matrimonii sine probabilitate de ejus valore, petere debitum non potest: secus vero si utrinque detur probabilitas. XII. Num liceat cum opinione solum probabili de carentia impedimenti matrimonium contrahere?

ARTICULUS IV. 124

Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant conjugibus.

I. Conjugem in absentia alterius conjugis delectari veneree de copula citra periculum pollutionis, videtur esse dumtaxat veniale. In viduis tamen id est mortale, sicut & in Sponsis. II. Quid de tactibus, verbis turpibus, & aspectibus inhonestis inter conjuges? III. Num Sponsis liceant oscula, & amplexus? & num citra mortale ordinari possint ad delectationem inde capiendam? IV. Tactus impudici inter conjuges cum periculo pollutionis quandonam excusentur a culpa gravi? V. Num sine lethali culpa possit conjugatus seipsum turpiter tangere præcise ob delectationem? VI. Variæ pœnæ statutæ sunt Adulteris. Si conjugatus adulteretur cum alia conjugata, utriusque conjugium in confessione explicandum est. VIII. Probabilius delectatio morosa non fert specialem malitiam in confessione explicandam per hoc, quod sit in conjugatis. IX. Ut licite, & meritorie actus conjugalis exerceatur, octo observanda sunt.

QUÆSTIO VIII. 127

De Divortio.

ARTICULUS I. ibid.

De Divortio ex mutuo consensu.

I. Quadrupliciter possunt conjuges ex mutuo consensu facere divortium. II. Si maritus de consensu uxoris Sacris initietur, hæc, si sit juvenis, debet ingredi Religionem. III. Num uxor senex possit cum marito Sacerdote cohabitare?

ARTICULUS II. 128

De Divortio ob causam Adulterii.

I. Sufficiens causa ad divertendum est Adulterium; II. Sodomia, & brutalitas probabiliter non præbent causam sufficientem ad faciendum divortium. III. In foro conscientiæ qui certus est de conjugis adulterio, potest auctoritate propria facere divortium. IV. Quid requiritur ad habendam certitudinem moralem, quod conjux adulteratus sit? V. Tunc solum conjux innocens tenetur divortium facere, quando non est alia via corrigendi alterum, qui in adulterio persistit. VI. In multis tamen casibus adulter dimitti non potest; Et probabilius vir nequit conjugem adulteram dimittere, si per metum gravem fuerit cognita. VII. Si uterque conjux fuerit adulter, delicta compensantur. At si alter tantum sit emendatus, poterit hic divortium petere, altero post monitionem persistente. VIII. Judex potest post emendationem conjuges per divortium separatos iterum conjungere. IX. Conjux innocens habet jus cogendi reum, ut ad se redeat. X. Potest innocens tribuere jus petendi debitum alteri conjugi adultero, non tamen incestuoso. XI. Conjux innocens post sententiam divortii potest Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi altero invito; non tamen adulter. XII. Si alter conjux sive innocens, sive adulter consentiente altero Religionem ingrediatur, qui manet in sæculo, non tenetur emittere votum castitatis.

ARTICULUS III. 130

De aliis casibus faciendi divortium ad tempus.

I. Quænam sint causæ faciendi divortium ad tempus? II. Hæresis alterius conjugis non dat causam faciendi divortium perpetuum, (sicut dat adulterium) sed solum ad tempus. Nisi tamen publice ille sit ab Ecclesia damnatus. III. Si maritus ad scelus nefandum pertrahat uxorem, & nolit corrigi hæc potest divertere. IV. Sicut etiam si uxor sæpe, & atrociter a marito percutiatur. V. Uxor venefica, quæ consilio dæmonis utitur, dimitti potest. VI. Votum castitatis a conjuge de alterius consensu emissum dat causam divertendi, si remittatur obligatio reddendi debitum. VII. Post divortium filii sequuntur conjugem innocentem? VIII. Cujus autem expensis alendi sint filii? lis est inter Doctores, si culpa matris divortium factum sit. Si autem culpa Patris id contigerit, ejus expensis apud matrem alendi sunt. Quod si ex mutuo consensu divortium fiat, proles triennio minor expensis matris educanda est, deinde expensis Patris.

FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Morali Opuſculo de Matrimonio continentur.

Prior numerus denotat Quæſtionem; Alter Articulum; Tertius numerum marginalem.

A

ABſolutio eſt valida, ſi data ſit facultas abſolvendi, quin notitia talis facultatis ad abſolventem pervenerit: At facultas aſſiſtendi matrimonio debet innoteſcere Sacerdoti, ut valide aſſiſtat: ſicut etiam Privilegium, ut valide illo Privilegiarius utatur. 4. 4. 11.

Abſolutio Sacramentalis num poſſit aliquando ſimulari? 5. 1. 5.

Actus conjugalis ut ſit licitus, & meritorius, octo conditiones ſervandæ ſunt. 7. 4. 9. Quo fine exercendus eſt? 7. 1. 4. Quamvis non poſſit ob ſolam delectationem exerceri, poterit tamen ad vitandam incontinentiam. 7. 1. 2. Nonnullis temporibus ab eo abſtinendum. 7. 1. 3. Quandonam poterit eſſe licitus in loco Sacro? Et quando per illum Eccleſia polluatur? 7. 1. 4. Conjux poteſt debitum petere ab altero amente, aut ebrio, non tamen tenetur reddere. 7. 1. 5. Seminis effuſionem ad vitam tuendam non licet procurare. 7. 1. 6. Motus ſenſualitatis quandonam vacant lethali culpa? Et quando etiam veniali? 7. 1. 7. Num ſit mortale negative ſe habere circa illos? 7. 1. 8. Cauſam pollutionis, vel diſtillationis non impedire, quando ſit culpa lethalis? 7. 1. 9. Non datur materiæ parvitas in delectatione venerea deliberate quæſita, aut admiſſa. 7. 1. 10. In re tamen ex objecto venerea dari poteſt materiæ parvitas, quæ a mortali excuſet. 7. 1. 12

Actus conjugalis ſecundum ſe eſt debitus ſub mortali; etiamſi petatur implicite. 7. 2. 2. Sæpe tamen a mortali excuſatur, qui illum negat, aut differt, præſertim ſi immoderate petatur. ibid. Quid ſi alteri immineat periculum incontinentiæ? 7. 2. 3. Quid ſi negetur, ne multiplicetur proles? 7. 2. 4. Num teneatur conjux omittere jejunia, ſi aliter non poſſit reddere debitum moderate petenti. 7. 2. 5. Quandonam licite negatur debitum illicite petenti? 7. 2. 6. Habens votum caſtitatis petendo actum conjugalem petit actum ſacrilegum, non ratione ſui, ſed ratione talis perſonæ, & ideo debitum illi negari non poteſt. ib. V. *Debitum conjugale*.

Actus juriſdictionis gratioſæ, & non contentioſæ exerceri poteſt a Superiore extra proprium territorium. 4. 4. 9

Adoptio perfecta dumtaxat, non vero imperfecta probabilius fert impedimentum cognationis legalis. 5. 6. 7.

Adulterio conjugi quintuplex pœna a jure infligitur. 7. 4. 6. Quandonam adulterium conjugis dat alteri jus ad divortium? 8. 2. 3. In multis caſibus non poteſt dimitti. 8. 2. 6. Poteſt conjux innocens tribuere jus petendi debitum conjugi adultero, non tamen inceſtuoſo. 8. 2. 10.

Adulterium quandonam dirimit matrimonium? 5. 8. 3

Ætas requiſita jure Eccleſiaſtico ad matrimonium contrahendum quænam ſit? 5. 10. 8

Affinitas irritat præcedentia Sponſalia. 2. 7. 1. At Sponſus reus tenetur petere diſpenſationem, ſi alter id velit. 2. 7. 2.

Affinitatis impedimentum quodnam ſit? 4. 7. 1. Num jure naturæ affinitas in primo gradu lineæ rectæ matrimonium dirimat? 5. 7. 4. Duplex eſt effectus affinitatis matrimonio ſupervenientis. 5. 7. 5.

Arrhæ quid ſint? Et an licite Sponſalibus apponantur? 1. 6. 10. In quo differant Arrhæ a jocalibus? ibid.

Aſſiſtentia matrimonio Parochi, & licentia, quæ ab eo Sacerdoti detur ad aſſiſtendum, non ſunt actus juriſdictionis; unde poſſunt in aliena Parochia exerceri. 4. 4. 9.

B

BAptiſmum recipientes conjuges infideles num debeant matrimonium ratificare coram parocho, & teſtibus? 3. 1. 12.

Baptizatus ſi ex diſpenſatione cum Infideli nubat, num ſuſcipiat Sacramentum matrimonii? 3. 1. 11

Baptizatus ſi velit matrimonium contrahere, & nolit Sacramentum recipere, num valide contrahat? 3. 1. 9. Quid ſi prior intentio contrahendi prævaleat? ib.

Benedictio ſolemnis Sponſorum eſt actus Ordinis, non vero aſſiſtentia matrimonio Parochi. 4. 4. 9. Benedictionem nuptialem omittere ante conſummationem matrimonii num ſit mortale? 4. 5. 6. Secundæ nuptiæ multis in locis benedici non ſolent. ibid.

Bona fides operantis poteſt aliquando ſatis eſſe, ut licite matrimonium contrahatur, quin ſufficiat, ut contrahatur valide. 8. 2. 1.

C

CAuſa, Demonſtratio, aut Modus num ſuſpendant contractum, ſi illi adjiciantur? 4. 6. 2.

Cæci, qui ſimul ſunt ſurdi, ac muti, nequeunt ſponſalia contrahere. 1. 5. 6.

Cate-

Catechismi impedimentum non est in usu. 5.11.3

Clandestinum Matrimonium V. *Consensus Clandestinus*.

Cognatio triplex, Spiritualis, Naturalis est, & Legalis. 5. 6. 1. Olim præter Paternitatem, & Compaternitatem dabatur Confraternitas. 5. 6. 1. Cognatio naturalis dirimit nunc usque ad quartum gradum. 5. 6. 2. Quomodo gradus numerentur ibid. Cognatio spiritualis plura requirit, ut contrahatur. 5. 6. 3. Quando mittitur procurator ad suscipiendum infantem in baptismo, probabilius Principalis contrahit cognationem. 5 6. 5. Si plures puerum suscipiant, quinam cognationem contrahit? 5. 6. 6.

Conditio servilis jure Ecclesiastico dirimit matrimonium. 5. 3. 1. Ea debet esse ignorata ab altero contrahente. ibid. Mancipium potest invito Domino nubere, dummodo Consensum petat (esto non obtineat) a Domino, & servitiis debitis non desit. 5.3.2. Si domino simul, & uxori satisfacere non possit, utrius jus prævalere debet? 5.3.3. Num possit dominus illum jam uxoratum rendere? ibid. Filii Parentum, quorum alter tantum sit servus, sequuntur conditionem matris quoad servitutem; patris vero quoad honores, & nobilitatem. 5.3.5.

Confessiones audiendi facultas data alicui determinatæ personæ ad beneplacitum morte concedentis expirat; secus vero si concedatur omnibus indiscriminatim. 6. 3. 10

Conjugatus num possit seipsum venundare? 5.3.4

Confirmationis Minister Ordinarius est Episcopus, & in casu urgenti potest Pontifex id committere Sacerdoti. 6. 1. 6

Conjugatus peccans cum alia conjugata debet in confessione utriusque conjugium exprimere. 7.4.6. Sicut debet explicare suum conjugium, si mollitiem, sodomiam, aut bestialitatem committat. ib. Num etiam si morose delectetur? 7.4.8.

Conjuges num citra mortale delectari possint de copula in absentia alterius conjugis? 1.7.6

Conjuges num possint per primum bimestre negare debitum, quamvis de Religione non cogitent? 3.3.10

Conjux promittens alteri matrimonium contrahendum post mortem conjugis, peccat, & promissio est irrita. 5 8. 4

Conjux tenetur omittere jejunia Ecclesiastica, si aliter non possit debitum reddere moderate petenti. 7.2.5. Sicut etiam si notabiles discordiæ oriantur, quando in hoc uxor non obedit marito. ib.

Consensus ad valorem matrimonii requisitus debet esse signo externo expressus, & libera coactione. 4. 1.1. Consensus simulatus est sacrilegus, & injustus. ib. In aliquibus casibus deceptor potest alia via damnum compensare, quam per consensus interni ratificationem. 4.1.2. Quid faciat, qui simulato animo contraxit cum una, ac deinde vere contraxit cum altera, & ab Ecclesia censuris ad primum matrimonium adigitur? 4.1.3. Consensum hunc simulare ex justa causa num liceat? 4. 1. 4

Consensus coactus quandonam reddit irritum matrimonium? 4.3.1. In utroque foro est irritum matrimonium, si metus gravis injuste sit incussus ad illud extorquendum. 4 3.3. Probabilius tamen est irritum jure tantum Ecclesiastico. 4.3.4. Votum sic extortum neque jure naturæ, neque Ecclesiastico est irritum. ib. Si metus injuste incussus ad matrimonium, vel votum, vel alium contractum extorquendum sit levis, quid dicendum? 4. 3. 6. Quid si metus sit reverentialis; aut preces sint importunæ 4. 3. 7. Si invalidum sit matrimonium ratione consensus coacti, num revalidetur per copulam subsequentem? 4.3.8. Et quid si copula etiam metu gravi extorqueatur? ib.

Consensus conjugum conditionatus, quando matrimonium privatim revalidandum est, non sufficit, 4.7.11. Non debet tamen utrique conjugi esse nota nullitas matrimonii, ut per consensum absolutum revalidetur, quando ex tali notitia orirentur scandala. ib. Nec talis error officeret validitati consensus, cum non sit error circa substantiam matrimonii, sed circa qualitates. ib.

Consensus conditionatus multiplex est. 4.6.1. Quandonam suspendit, aut vitiat contractum conditio, demonstratio, dies, aut modus, si illi adjiciuntur? 4.6.2. Consensus conditionatus num purificata conditione requirat novum consensum absolutum? 4. 6. 4. Validus ne sit contractus purificata conditione, etiamsi notitia non pervenerit ad contrahentes? 4. 6. 4. Num debeat esse notus Parocho, & testibus eventus conditionis? ib. Conditiones turpes quæ adversantur substantiæ matrimonii, reddunt illud irritum; secus vero aliæ. 4. 6. 5. Conditiones impossibiles in solo contractu matrimonii habentur pro non expressis; in aliis vero contractibus denotant dissensum: Sicut etiam conditiones turpes, ib. Si dubitetur, an joco apposita sit matrimonio conditio impossibilis, aut turpis, standum pro valore matrimonii. ib. Quomodo intelligenda sit hæc conditio, *Si Patri placuerit*? 4. 6. 6. Conditiones indifferentes, & impertinentes contractum matrimonii suspendunt. 4.6.8. Num idem dicendum de contractu conditionato Sponsalium? 4.6.9

Consensus interni ad matrimonium requisiti quænam signa externa satis sint, & requirantur? 4. 2. 1

Consensus matrimonialis dicitur clandestinus simpliciter, si habeatur sine assistentia Parochi, & testium. 4.4.1. In nulla necessitate licitum est matrimonium simpliciter clandestinum, nisi forte in locis Infidelium, ubi Parochus haberi nullatenus potest. 4. 4. 2. Cur lex ista non patiatur Epichejam, nec aliæ similes, quæ recensentur? 4. 4.3. Nec potest in ea Episcopus dispensare. 4. 4 5. Ea non obligat, ubi Tridentinum non est receptum. 4. 4. 6. Nec in locis Infidelium, ubi lex ista non viget. ibid. Matrimonium si fuerit nullum ob impedimentum occultum, quod probari non possit, non est necesse, quod revalidetur coram Parocho, & testibus, &, quare? 4. 4. 7. Quando coram Parocho, & testibus celebratur matrimonium sub conditione, hac purificata, num debeat iterum celebrari contractus coram Parocho? ibid. Quinam Parochus, & quinam testes requirantur ad valorem matrimonii 4. 4. 8. Quid si Sacerdos per metum gravem, aut per dolum obtineat a Parocho licentiam assistendi? 4. 4. 9. Invalide assistit Sacerdos, qui facultatem obtinuit, sed de illa non est conscius. 4. 4. 11.

Consensus secundum quid clandestinus habetur, si solum desint denunciationes præviæ. 4. 5. 1. His omissis matrimonium non est invalidum. ib. Quas ob causas possit Episcopus in proclamationibus dispensare? 4. 5. 2. Vi proclamationum secundum se revelari debent etiam impedimenta occulta, quæ probari non possunt, & quæ sub secreto, & cum juramento accepta fuerint. 4. 5. 5

Consuetudo probabiliter efficere potest, ut nova impedimenta dirimentia matrimonium inducantur, & inducta tollantur. 4. 5. 3

Contractus tam gratuiti, quam onerosi metu gravi extorti jure naturæ sunt validi, & solum rescin-

 den-

dendi ad arbitrium metum passi. 4. 3. 5. Qui vero metum injustum intulit, tenetur damnum resarcire. ibid.
Copula cum Sponsa ad quid obliget, si notabilis mutatio accidat, quæ dat jus resiliendi a Sponsalibus? 2. 6. 4
Copulam habens cum secunda Sponsa num teneatur vi prioris contractus ducere primam? 2. 5. 4
Crimen dirimens matrimonium triplex est; Homicidium, & Adulterium jure Ecclesiastico antiquo; ac Raptus jure novo. 5. 8. 1

D

Debitum conjugale negari non debet illicite petenti, quando actus conjugalis ex circumstantia Personæ est malus per accidens; secus vero si ratione sui sit malus. 7. 2 6. Immo nec debet negari debitum, si actus conjugalis ex circumstantia ipsius actus sit solum venialiter malus. ibid.
Debitum conjugale petere non potest, qui votum habet castitatis, & qui cognationem, aut affinitatem contraxit post matrimonium & qui de matrimonii validitate dubitat. 7. 3. 1 Conjux potest petere debitum, quamvis baptizet, vel suscipiat in baptismo, aut confirmatione filium communem. 7. 3. 5 Sicut etiam qui ex metu gravi injuste incusso commisit incestum cum consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu. ibid. Nec privatur jure petendi debitum, qui hunc incestum committit cum ignorantia talis pœnæ. 7. 3. 6. Certus de nullitate matrimonii nequit debitum reddere, quamvis ad id censuris compellatur. 7. 3. 7. Num possit petere, ac reddere debitum, qui dubitat de validitate matrimonii? 7. 3. 9. Qui mala fide contraxit sub hoc dubio, nunquam potest petere. 7. 3. 10. Quid si quis probabiliter opinetur, matrimonium esse nullum sine ulla probabilitate de ejus valore? ibid.
Debitum potest petere conjux sanæ mentis ab altero amente, aut ebrio; non tamen tenetur reddere. 7. 1. 5
Debitum petere non potest a conjuge, qui ejus sororem, vel consobrinam cognovit; Possunt tamen in hoc Mendicantes Privilegiati dispensare. 5. 7. 5
Delectatio venerea quid sit? Et an sponsis permitti possit? 1. 7. 6. An saltem conjugibus in absentia alterius conjugis? ib. & 7. 4. 1
Delectatio venerea deliberate quæsita, aut admissa non patitur materiæ parvitatem. 7. 1. 10. Dari tamen potest in re ex objecto venerea materiæ parvitas excusans a mortali. 7.1.12
Delectatio venerea conjugis in absentia alterius conjugis num sit culpa lethalis? 1.7. 6., & 7. 4. 1. In viduis, & probabilius etiam in sponsis ea est mortalis, non secus, ac in solutis. ibid. Oscula etiam, & tactus inhonesti inter conjuges carent culpa, si ad copulam debito fine petendam ordinentur; Si vero ad meram delectationem, non vacant veniali culpa. ibid. Quandonam a mortali excusentur, si subsit periculum pollutionis? 7. 4. 4. Num citra mortalem culpam possit conjux sponsum turpiter tangere sine periculo pollutionis. 7. 4. 5. Delectationes morosæ, si habeantur a conjugatis, num habeant malitiam adulterii in confessione explicandam. 7.4.8
Desuetudine nonnulla impedimenta matrimonii non obligant. 5. 1. 4
Deus in quo sensu dicatur non posse dispensare in jure naturæ. 5.3.6
Disparitas cultus quodnam matrimonium dirimat? 5.9.1
Dispensare ex gravi causa in Sponsalibus solus Pontifex potest, non vero Episcopus. 2. 9. 4
Dispensare. V. *Pontifex*. V. *Episcopus*.
Dispensatio in lege quid ferat? Et quid sit legis Irritatio, Abrogatio, Derogatio, Interpretatio? 6. 1. 1. Est actus jurisdictionis dispensatio: unde lex divina nequit subesse hominis dispensationi, sed solum interpretationi. ibid. Quomodo a Privilegio differat? Et a Licentia? 6. 1. 2. Dispensatio in lege, & in voto, aut juramento in quo differant? 6. 1. 3. Dispensatio regulariter stricte interpretanda, secus vero potestas dispensandi generaliter concessa. 6. 1. 4. In tribus impedimentis jure naturæ matrimonium dirimentibus Pontifex dispensare non potest. 6. 1. 5. In reliquis potest. ibid. Num possit dispensare in radice matrimonii invalide contracti, etiam in ordine ad effectus civiles? 6. 1. 7. Probabilius ne indirecte quidem id potest. ibid. Num possit Episcopus in aliquo urgentissimo casu dispensare in aliquo impedimento dirimente occulto, si bona fide fuerit invalide contractum matrimonium? 6. 1. 8. Num etiam in casu necessitatis, antequam matrimonium contrahatur ibid. Mendicantes Privilegiati solum dispensare possunt in foro conscientiæ ad debitum petendum, quando id conjugibus non licet. ibid.
Dispensatio in lege Superioris, ut sit valida, causam justam requirit. 6. 2. 5. Hinc invalide Episcopus in lege jejunii, & Pontifex in votis, aut juramentis dispensat, si causa justa non detur. ibid. Sufficit tamen, ut causa probabiliter existimetur justa ibid. In lege propria valide, sed illicite Superior sine justa causa dispensat cum suis subditis. 8. 2. 2. At secum met tum illicite, tum invalide. ibid. Num peccet graviter, qui sine justa causa dispensationem concedit, petit, acceptat, aut ea utitur? 6. 2. 3. Causa justa ad dispensandum in impedimentis matrimonii est exhibitio copiosæ eleemosynæ ad pias causas erogandæ. 6. 2. 4. Recensentur plures causæ, ob quas peti potest dispensatio in impedimentis cognationis, & affinitatis. 6. 2. 5. Cur sine nota acceptionis Personarum Ecclesia facilius dispensat cum Nobilibus, quam cum Plebeiis? ibid. Major causa requiritur, ut fiat dispensatio in cognatione spirituali, quam in naturali. ibid. Duplex causa existimatur justa, ut peti possit dispensatio in impedimento Voti. 6. 2. 6. Quænam possit esse causa, ut in impedimento impediente Sponsalium fiat dispensatio? ibid.
Dispensationem in impedimentis Matrimonii petere num teneatur, qui consanguineam, aut aliter impeditam defloravit, nulla facta mentione de petenda dispensatione. 1. 2. 3
Dispensatio surreptitia quænam sit? 6. 3. 1. Rescripta Gratiæ per surreptionem obtenta sunt irrita; non vero rescripta justitiæ. ibid. Quænam taciturnitas veri, aut expressio falsi reddat dispensationem surreptitiam, & irritam? 6. 3. 2. Num si dubitetur de surreptione, dispensatio censenda sit irrita? 6. 3. 3. Num totaliter sit irrita dispensatio, si surreptio cadat solum circa partem petitionis? 6. 2. 4. Ne dispensatio sit surreptitia, quando duo dantur impedimenta, debet ne in eadem petitione utrumque exponi? 6. 3. 5. Si impedimentum sit ex duplici titulo, debet ne uterque titulus exponi? 6. 3. 6. Gradus explicandus ad obtinendam dispensationem sufficit, si sit remotior, si tamen matrimonium non sit contrahendum inter Patruum & Neptem 6. 3. 7. Num explicanda sit copula, si ea

si ea præcesserit? 6. 3. 8. Quid pro foro externo? ib. Dispensandi potestas num expiret morte concedentis? 6. 3. 9. Num si ea concedatur ad beneplacitum concedentis? 6. 3. 10
Divortium ex mutuo consensu quadrupliciter fieri potest. 8. 1. 1. Quid requiritur, ut maritus de consensu uxoris Sacris Ordinibus initietur? 8. 1. 2. Adulterium dat jus ad divortium, & probabilius etiam brutalitas, & sodomia. 8.2.2. Num possit conjux innocens propria auctoritate facere divortium ob alterius adulterium? 8. 2. 3. In multis casibus non potest adulter dimitti. 8. 2. 6. Conjux innocens concedere potest jus petendi debitum conjugi adultero, non tamen incestuoso. 8. 2. 10. Quandonam possit conjux innocens, aut adulter Sacros Ordines suscipere, vel ingredi Religionem? 8. 2. 11. Quænam sint causæ, propter quas fieri potest divortium ad tempus? 8. 3. 1. Votum castitatis utriusque conjugis consensu emissum num det jus ad divortium. 8. 3. 6. Filii post divortium sequuntur partem innocentem, nisi ea sit Infidelis. 8. 3. 7. A quo tamen sint alendi. 8. 3. 8
Dolus dans causam contractui Sponsalium adhibitus a decipiente probabilius non reddit illum irritum, sed irritandum ad arbitrium decepti 2. 8. 3. Quod si dolus incidat in contractum, valida sunt Sponsalia. 2. 8 5. Vitium occultum quandonam debeat a Sponsis manifestari, ne contractus sit irritus, aut irritandus? 2. 8. 6
Dolus dans causam contractui illum irritat solum, si error sit circa substantiam contractus: At contractus bonæ fidei si hoc dolo circa accidentia celebrentur, sunt irritandi. Et quidem etiam contractus Sponsalium, non tamen matrimonialis. 5.2.7
Dolus, qui versatur circa causam finalem, reddit irritam facultatem a Superiore obtentam; secus vero circa impulsivam. 4. 4. 10
Domicilium, & quasi domicilium quomodo acquirantur, ita ut in primis diebus, quibus acquiruntur, possit matrimonium contrahi coram Parocho ejus loci. 4. 4. 8
Donatio, & promissio (non secus ac votum) metu gravi extorta non est jure naturæ irrita, sed solum irritanda. 4.3.5. Tenetur tamen resarcire damnum, qui metum intulit, ibid. Promissio usurarum non est invalida, quia coacta, sed quia deficit titulus legitimus. ibid. Etiam contractus onerosus coactus est validus, sed irritandus ad arbitrium metum passi. ib. Quid si metus sit levis, aut si sit reverentialis, vel preces sint importunæ? 4.4.7

E

Ecclesia non potest immutare materiam, & formam Sacramentorum a Christo Domino institutam. Potest solum immutare leges contractus matrimonialis. 3. 1. 8
Ecclesia quandonam polluatur per effusionem seminis, vel sanguinis? 7. 1. 4
Episcopi residentia cum sit de jure divino, quomodo in ea potest Pontifex dispensare? 6. 1. 6. Num possit Episcopus in casu urgentissimo dispensare in aliquo impedmento dirimente occulto, si bona fide sit contractum matrimonium? 6. 1. 8. Num etiam antequam matrimonium contrahatur, si urgeat necessitas? ib.
Episcopus non potest in Sponsalibus dispensare, potest tamen Pontifex ex gravi causa. 2.9.4.
Episcopus potest universim in casu necessitatis dispensare in lege Pontificis, aut Concilii; & ideo potest in voto simplici castitatis urgente necessitate dispensare. 6. 1. 8
Episcopus probabilius non potest impedimenta dirimentia matrimonium statuere. 5. 1. 1. Num possit Episcopus pro sua Urbe quicquid potest Pontifex pro toto Orbe? 5. 1. 2
Error communis sine titulo colorato in Parocho intruso num satis sit, ut hic valide matrimonio assistat? 4 4. 12
Error, seu ignorantia invincibilis eorum, quæ si supervenirent contractui Sponsalium, illa dirimerent, satis est ad ea dirimenda, quamvis præcederent contractum. 2.8.1
Erroris impedimentum dirimens matrimonium quando habeatur? 5. 2. 1. Error personæ jure naturæ matrimonium irritat. 5. 2. 3. Alios contractus irritat solum error circa substantiam. ibid. Quomodo fuerit validum matrimonium Jacob cum Lia, quæ putabatur esse Rachel? 5. 2. 4. Error personæ incidens in contractum, seu Comitans pariter irritat matrimonium? 5. 2. 5. Error qualitatis dans causam contractui matrimonium non irritat. 5.2.6. Nisi apponatur qualitas per modum conditionis, aut transeat in errorem personæ, ibid. Quid de celebri casu proposito a Tabiena. 5. 2. 7.
Eucharistiam in mortali volens suscipere quandonam possit, ac debeat repelli? 4.5.4.
Excommunicatio non impedit, quominus valide Parochus matrimonio assistat, aut det Sacerdoti licentiam assistendi. 4. 4. 9.

F

Facultas concessa, ac potestas concedendi facultatem num expirent morte concedentis? 6. 3. 9. Quid si concedatur ad beneplacitum concedentis? 6. 3. 10
Facultas data a Parocho Sacerdoti, ut matrimonio assistat, non sufficit, si de ea non habeatur notitia. 4. 4. 11
Fama, seu vox publica differt a Rumore; Hic habetur, quando minor pars vicinæ acclamat, illa vero, quando major. 2.7.4. Ob famam de impedimento dirimente dissolvuntur Sponsalia, non tamen matrimonium jam contractum. ib. Sed ob solum rumorem hujusmodi sponsalia non dissolvuntur. 2 4.6
Filii volentes nubere tenentur consilium a Parentibus petere; esto non teneantur illud sequi. 4. 1. 5
Filii post divortium sequuntur parentem innocentem, nisi hæc sit Infidelis. 8. 3. 7. Sed a quo sint alendi? 8. 3. 8
Fornicatio, seminis effusio, distillatio non possunt ad vitam tuendam procurari, esto liceat ad talem finem amputare, verbi gratia, brachium 7.1.6. Num liceat non impedire seminis effusionem in somnis inceptam? ib.
Fornicatio Sponsi num det jus resiliendi a Sponsalibus? 2. 1. 1. Quid si deprehendatur, Sponsam aut Sponsum ante Sponsalia incidisse in fornicationem? 2. 2. 2. Quid si uterque post Sponsalia fornicatus sit? 2. 2.3
Fuga Sponsi quando dat jus resiliendi a Sponsalibus, 2. 3. 1

G

Gradus, qui explicari debet ad obtinendam dispensationem inter consanguineos, sufficit si sit remotior; dummodo non sit contrahendum matrimonium inter Patruum, & Neptem. 6.3.7
Græcus Sacerdos transiens per loca Latinorum potest in azimo celebrare, & vice versa Latinus transiens per Græciam celebrare potest in fermentato. 4.4 6.

Gra.

Gratia concessa ad beneplacitum concedentis num hujus morte expiret? 6. 3.10

Gratiæ Rescripta, non vero justitiæ, per surreptionem obtenta sunt ipso jure irrita. 6. 3. 1

H

HÆresis unius conjugis quando dat causam alteri faciendi divortium perpetuum. 8. 3. 2.

Hermaphroditus quonam pacto matrimonium contrahere possit? 5. 10. 8. Quid si post conjugium aut post Sacerdotium mutet sexum? ibid.

Homicidium quando est impedimentum dirimens matrimonium? 5. 8. 1

Honestatis publicæ impedimentum quandonam matrimonium dirimat? 5. 10. 4. Matrimonium ratum parit hoc impedimentum; etiamsi sit invalidum, sed non ex defectu consensus; Sponsalia vero quacumque ratione invalida illud non pariunt. 5. 10. 4.

Hostia non consecrata num possit dari peccatori occulto? 5. 1. 5

I

IGnorans invincibiliter onera annexa Ordini Sacro, si illum suscipiat, adhuc iis oneribus subjacere debet. 5. 5. 4

Ignorantia invincibilis legis potest excusare a culpa, & pœna, sed nequit efficere validum contractum, qui a lege irritatur. 4. 4. 4

Ignorantia, sive juris, sive facti, sicut excusat ab incurrenda censura, ita excusat a pœna privationis juris petendi debitum, & ab Irregularitate orta ex delicto. 7. 3. 6. Quænam dicatur ignorantia juris, & quænam facti? ib.

Ignorantia V. *Error* & *Dolus*.

Impedimenta dirimentia matrimonium quænam sint? Et a quibus possint ea statui? 5. 1. 1. Possent a Principibus baptizatis statui hæc impedimenta, nisi ab Ecclesia id vetaretur relate ad matrimonium fidelium. 5. 1. 3. Per consuetudinem probabiliter possunt nova impedimenta induci, & inducta tolli, ib. Probabilius non est sacrilegium, contrahere matrimonium cum impedimento dirimente. 5. 1. 4. Recensentur quatuordecim impedimenta dirimentia.

Impedimentum erroris V. *Erroris impedimentum*.

Impedimentum conditionis servilis. V. *Conditio servilis*, & sic de aliis impedimentis.

Impedimenta matrimonium impedientia quænam sint? 5. 11. 1. In usu sunt hæc tria. Votum, Sponsalia, & Ecclesiæ vetitum. 5. 11. 2. Quid veniat nomine Criminis, nomine Catechismi, nomine Temporis feriarum? 5. 11. 1. Quid nomine voti? V. *Votum castitatis*.

Impedimentum publicæ honestatis non trahitur a Sponsalibus disjunctivis. 1. 4. 3. Quid sit hujusmodi impedimentum? 1. 7. 4. & 5. 10. 4. Num cesset hoc impedimentum, si mutuo consensu sponsalia dissolvantur? 1. 7. 4. Num ex matrimonio clandestino, quamvis irrito, illud oriatur? 1. 7. 5. Num per matrimonium contractum inter impuberes? ibid. Num oriatur tam ex Sponsalibus, quam ex matrimonio rato, si sint invalida ex defectu consensus? 5. 10. 4

Impedimenta, quæ Sponsalia irritant. V. *Sponsalia contrahere*.

Impotentia quandonam sit impedimentum dirimens matrimonium? 5. 1. 4. Quid faciendum, si de impotentiæ perpetuitate dubitetur? 5. 10 5. Senes capulares num valide contrahant? 5. 10. 8. Invalide contrahunt Eunuchi, Spadones, ac Maleficiati, quando eorum frigiditas fert perpetuam impotentiam. ib. Quid de Hermaphroditis? ib.

Impuberes quonam pacto possint Sponsalia dissolvere? 2. 7. 1. Quid de impubescentibus, qui juramento Sponsalia confirmarunt? 2. 7. 4.

Infantes in Sacris ordinati ad quid tenentur post usum rationis? 5. 5. 4

Infideles conjuges, si ad fidem convertantur, num sint separandi? 5. 9. 2. Si Infidelis plures conjuges habens ad fidem convertatur, poterit ne omnes illas deserere? 5. 10 2.

Infideles conjuges, si baptizentur, num, & quando recipiant Sacramentum matrimonii? 3. 1. 12. Infidelium etiam matrimonium ex lege Christi Domini est indissolubile; nisi alter ad fidem veniat, nolente altero cohabitare sine injuria Creatoris. 3. 3. 3. Si uterque ad fidem convertatur, probabiliter ex dispensatione Pontificis poterit matrimonium dissolvi, antequam iterum consummetur. ibid.

Intentio habitualis non sufficit ad valorem Sponsalium. 1. 1. 7. Quando fit contractus per Procuratorem, tunc intentio in Principali est virtualis. ibid.

Intentionem habens contrahendi matrimonium, sed non suscipiendi sacramentum, num valide contrahat? 3. 1. 9.

Intentionum contrariarum (puta contrahendi matrimonium, & non recipiendi Sacramentum) utra prævaleat? 3. 1. 9

Judex, ut possit Sponsalia dissolvere ob impedimentum aliquod dirimens, satis est, ut unus testis juratus de tali impedimento deponat, aut detur de eo fama: Ut vero det jus alteri ad resiliendum, verbi gratia, ob fornicationem Sponsæ, requiruntur duo testes jurati, qui de tali delicto deponant. 2. 9. 2. Quamvis pro foro interno unus testis fide dignus sufficiat. ibid.

Judex, qui potest Sponsum injuste resilientem cogere ad matrimonium contrahendum, est tam Judex Ecclesiasticus, quam sæcularis. 2. 9. 3.

Judex num possit damnare, quem privatim scit esse innocentem, si juridice est reus? 7. 3. 8

Juramentum de non revelando impedimento occulto matrimonii secundum se non obligat. 4. 5. 3

Juramentum confirmans promissionem differt a juramento illam non confirmante; hoc obligat, etiamsi promissio non liget, non tamen illud. 1. 2. 6., & 2. 1. 3. Juramentum fictum ad quid obliget? 1. 2. 8

Juramentum de solvenda pœna Sponsalibus apposita num obliget? 1. 6. 8

Juramentum promissorium tria importat. Num in re gravi possit obligare sub levi? 1. 6. 3. Num sit gravis culpa juramentum de patrando peccato levi? 1. 6. 4.

L

LEges contractuum servandæ sunt a contrahentibus advenis, prout obligant in loco, ubi fit contractus. 4. 4. 6

Leges, quæ non patiuntur Epichejam, quænam dicantur? 4. 4. 3. Hujusmodi est lex irritans matrimonium clandestinum. 4. 4. 5

Leges universales Ecclesiæ servandæ a Peregrinis; puta Svecus transiens per Hispaniam, ubi Tridentinum viget, debet coram Parocho, & testibus matrimonium contrahere, & Mediolanensis transiens Neapolim debet primi quatuor diebus Quadragesimæ jejunare. 4. 4. 6. Potest autem Peregrinus accommodare se legibus loci, puta Neapolitanus potest Mediolani iis diebus non jejunare. ib.

Legis fine cessante in aliquo casu adhuc lex obligat, si ca-

si casum illum comprehendat; secus vero si non comprehendat. 4. 4. 6.
Lex Tridentini irritans matrimonium clandestinum debet esse recepta in loco ubi matrimonium contrahitur, ut obliget. Aliæ vero leges Ecclesiasticæ obligant, quamvis in Curia Romana dumtaxat sint publicatæ. 4. 3. 6
Ligaminis impedimentum dirimit matrimonium jure etiam naturali, & Divino. 5.102. Infidelis habens plures uxores, si ad fidem convertatur, debetne aliquam ex iis retinere? 5.10. 2. Quænam certitudo requiratur de morte conjugis, ut licite novum matrimonium contrahatur? 5. 10. 3

M

Mancipium, V. *Conditio servilis*.
Mariæ Virginis matrimonium cum Divo Josepho ad finem vivendi in sancta societate caste, quonam pacto licuerit? 1.3.7. & 3.1.7
Mandatum Procuratori datum si tempore contractus matrimonialis sit revocatum, irritus est contractus, quamvis notitia revocationis non pervenerit ad Procuratorem. 4. 2 6
Matrimonialis contractus jure positivo a Deo institutus fuit, & probabiliter quando Evam formavit ex latere Adam. 3.2.1. Invalide contrahitur, nisi conjuges obligent se ad tria illa bona Prolis, Fidei, & Sacramenti; illicite vero, si præcise intendatur delectatio venerea 3. 2. 3. Christus Dominus hunc contractum elevavit ad rationem Sacramenti; & probabiliter post Resurrectionem. 3.2.6 Ex primæva institutione fuit unius cum una, & indissolubilis, permissum deinde fuit Judæis, ut vir posset plures ducere uxores; & quod possent dare libellum repudii. 3. 3. 1. Baptizatorum matrimonium ex Christi Domini lege est unius cum una; nec potest solvi nisi matrimonium ratum per professionem religiosam, aut ex Pontificis dispensatione. 3. 3. 2. Probabilius jure Ecclesiastico matrimonium ratum dissolvitur per Professionem religiosam. 3. 3. 7
Matrimonii dissolubilitas, & Polygamia in quo sensu sint contra legem naturalem? 3.3.4
Matrimonii impedimenta. V. *Impedimenta*.
Matrimonii usus, V. *Actus Conjugalis*, & *Debitum Conjugale*.
Matrimonium per quem consensum constituatur? V. *Consensus*.
Matrimonium per Procuratorem, V. *Procurator*.
Matrimonium sumptum pro mutuo consensu est causa efficiens Matrimonii formaliter sumpti, seu vinculi conjugalis. 3. 1. 1. Matrimonium causaliter dumtaxat sumptum est Sacramentum. 3. 1. 4. Potest Matrimonum, ac vinculum perseverare sine obligatione reddendi debitum; quando scilicet jus in corpora est impeditum. 3 1.5. Semper datur obligatio servandi tria Matrimonii bona, videlicet Prolis, Fidei, & Sacramenti. 3.1.7. In antiqua lege Matrimonium non erat Sacramentum presse dictum. 3.1.8. Matrimonium baptizatorum non potest consistere, quin sit Sacramentum. 3. 1. 9. Matrimonium per procuratorem celebratum cur renovetur in præsentia contrahentium? 3. 1. 10. Est unum numero in utroque conjuge. 3. 1. 11. Si ex dispensatione Matrimonium contraheret fidelis cum infideli, probabilius fidelis susciperet Sacramentum. At si duo fideles ita contrahunt, ut alter Sacramentum velit suscipere, alter nolit, neuter illud suscipit, & contractus est invalidus ibid. Quænam sit materia, forma, & minister hujus Sacramenti? 3. 1. 13. Probabilius materia est mutua corporum traditio, & forma eorumdem mutua acceptatio signis externis expressa: Ministri vero sunt ipsi contrahentes. ib.
Matrimonium consummatum irritatur, si aut vir, aut fœmina sexum mutent. 5.10.8
Matrimonium ut rite contrahatur, decem conditiones a Tridentino requiruntur. 4. 4. 1.
Matrimonium contrahere præcise ad finem recipiendi gratiam Sacramentalem, cum animo ingrediendi postea Religionem, non est licitum. 1. 3. 7.
Matrimonium ratione metus invalidum num revalidetur per copulam subsequentem? 4. 3. 8. Et quid si copula etiam metu extorqueatur? ibid.
Matrimonium clandestinum, V. *Consensus matrimonialis clandestinus*.
Matrimonium inter consanguineos in quonam gradu sit irritum jure naturæ? In quonam vero jure Ecclesiastico, 5. 6. 8. Num possit Pontifex dispensare ex urgentissima causa, ut frater sorori nubat? ib.
Metus levis non irritat Sponsalia, nec Matrimonium, nec Votum. 8.2.8. Probabiliter tamen potest a Sponsalibus resilire, qui talem metum injuste ab altero Sponso passus est. ibid. Metus gravis juste incussus Sponsalia non irritat; immo nec Matrimonium. ibid. Injuste incussus, sed non ad extorquenda Sponsalia, neque reddit ea irrita; esto reddat irritum matrimonium. ibid. At si injuste incutiatur ad extorquenda Sponsalia, probabilius ea non sunt irrita, sed irritanda ad arbitrium metum passi. 2. 8. 9. Hic tamen indiget relaxatione juramenti, si Sponsalia juramento confirmarit. ib.
Metus in quonam sensu dicatur cogere voluntatem, cum hæc violentiam pati non possit? 4. 3. 2. Metus gravis injuste incussus ad matrimonium extorquendum reddit illud irritum, & probabilius jure tantum Ecclesiastico. 4. 3. 3. Quid si sic extorqueatur votum, aut alius contractus sive gratuitus, sive onerosus? ib. Quid si metus sit levis, aut si sit reverentialis, aut si preces sint importunæ? 4. 3. 6
Metu gravi suscipiens Ordines Sacros num teneatur ad Castitatem, & ad Horas recitandas? 5. 5. 6
Minister Sacramenti Matrimonii quinam sit? 3. 1. 13
Mœchari in quonam sensu dicatur, qui uxorem dimiserit? 3. 3. 3
Morbus superveniens quando dat jus resiliendi a Sponsalibus? 2. 6. 1
Mors conjugis quandonam dicatur esse certa certitudine sufficiente, ut possit novum matrimonium contrahi? 5. 10. 3
Muti, qui sunt surdi, ac cæci: nequeunt valide Sponsalia contrahere. 1. 5. 6

N

Naturæ juri tripliciter potest aliquid repugnare, puta simpliciter, ratione circumstantiæ, & ratione scandali. 3. 3. 4. In quonam sensu dicatur non posse Deus dispensare in jure naturæ? 3. 3. 6
Num jure naturæ repugnet Matrimonium inter consanguineos, vel affines in primo gradu lineæ rectæ? 5.6.10. & 5. 7. 4

O

Opinans, aut dubitans Matrimonium esse irritum num possit debitum petere. 7. 3. 10
Opinans, nullum dari impedimentum jure Ecclesiastico dirimens matrimonium, potest illud contrahere: Secus vero si detur opinio, & non moralis certitudo, quod nullum subsit impedimentum dirimens jure Divino. 7. 3. 10

Opinio

Opinio probabilis de impedimento dirimente, aut de delicto Sponsæ num satis sit ad Sponsalia dirimenda? 2.9.1
Ordinis impedimentum dirimit Matrimonium contrahendum, non vero ratum. Idque etiam apud Græcos. 5.5.1. Probabilius habens Ordines Sacros ad castitatem servandam obligatur, tum ex Ecclesiæ lege, tum etiam ex voto implicito, quod tenetur emittere; Si tamen nolit vovere, & fornicetur, adhuc peccat sacrilege, quamvis non contra votum. 5.5.2. Quod si Matrimonium contraheret, adhuc illud esset irritum ex Ecclesiæ statuto. 5.5.3. Impuberes si suscipiant Ordines Sacros, tenentur voto solemni Castitatis. 5.5.4. Infantes tamen, qui in Sacris ordinati sunt, ad quid tenentur post usum rationis? ibid. Invalide ordinatus nullam contrahit obligationem Ordini Sacro annexam. ib. Qui invalide ordinatur ex defectu intentionis in Ordinante, non obligatur ad castitatem servandam, cum votum emiserit accessorie: Contra vero qui invalide Professionem religiosam emittit, cum voverit principaliter castitatem. 5.5.5. Quid si quis suscipiat Ordines minores, putans esse iis annexum votum castitatis? ib. Qui per metum gravem suscipit Ordines Sacros, num teneatur ad Castitatem, & ad Horas recitandas? 5.5.6.
Oscula, & tactus impudici num Sponsis permitti possint? 1.7.6. Quid si subsit periculum delectationis venereæ? ib.

P

PArentes nequeunt filios ad Matrimonium cogere, nec ad ejus validitatem requiritur illorum consensus. 4.1.4. Ab iis tamen petere consilium super hac re tenentur filii, quamvis non teneantur illud sequi. 4.1.5
Parochus non est Minister Sacramenti Matrimonii. 3.1.13. Non potest nisi Sacerdotem substituere, qui Matrimonio assistat. 4.4.8. Quinam Parochus a Tridentino requiritur, ut Matrimonio assistat? ib. Parochus assistens Matrimonio, aut dans licentiam Sacerdoti, ut assistat, non exercet actum jurisdictionis, & ideo potest in aliena Parochia assistere. 4.4.9. Parochus, vel Episcopus solius originis non satis est, ut possit Matrimonio assistere. 4.4.8. Parochus non Sacerdos valide assistit, & dat licentiam assistendi Sacerdoti. ibid. Parochus excommunicatus vitandus valide assistit, ib. Sacerdos invalide assistit, quamvis habuerit facultatem assistendi, si de tali facultate non sit conscius. 4.4.11
Parochus intrusus si ex errore communi sine titulo colorato assistat Matrimonio, probabile est, quod valide assistat. 4.4.12
Patrinus debet esse unus, aut una, vel unus, & una. 5.6.2
Polygamia, & Matrimonii dissolubilitas num sint solum ab extrinseco mala? 3.3.4
Pontifex dispensare non potest in Poligamia, ac in Matrimonii indissolubilitate; num possit dispensare, ut frater sorori nubat? 5.6.6. Num ut Avus nubat Nepti? 5.6.9. Num ut Pater filiæ? 5.6.10
Pontifex num possit dispensare in aliquibus impedimentis jure naturæ dirimentibus Matrimonium? Num in Episcopi residentia? Num ut Sacerdos simplex conferat Sacramentum Confirmationis? Num ut Missæ Sacrificium in una tantum specie offeratur? 6.1.6. Num possit dispensare in radice matrimonii invalide contracti, etiam in ordine ad effectus civiles? 3.1.7.
Pontifex potestatem habet indirectam in temporalia. 3.3.7
Pontifex prohibendo Matrimonium non eatenus illud irritat. 5.1.6.
Pontifex potest dispensare in impedimento dirimente voti, adeo ut possit valide nubere Professus, & Sacerdos. 5.4.4. Qui de consensu uxoris Religionem ingreditur, ut illa possit in sæculo remanere, tria requiruntur. 5.4.3
Pontifex duntaxat potest ex gravi causa in Sponsalibus dispensare. 2.9.4
Principum magnorum nomine, cum quibus ex Tridentino dispensari potest in secundo gradu consanguinitatis, veniunt etiam Barones. 6.2.5
Privilegium, & licentia assistendi Matrimonio non habent vim, antequam eorum notitia perveniat; secus vero facultas absolvendi. 4.4.11
Privilegium in quo differat a dispensatione, & a licentia? 6.1.2
Privilegium privatæ personæ concessum nihil operatur, antequam de eo habeatur notitia. 4.4.11
Probatio requisita, ut possint dissolvi Sponsalia, sive propter impedimentum dirimens, sive ob delictum Sponsi, quænam esse debeat tam pro foro interno, quam pro externo? 2.9.1
Proclamationes ad Matrimonium præviæ, V. *Consensus secundum quid clandestinus*.
Procurator ut nomine Principalis Matrimonium contrahat valide, quatuor requiruntur: præsertim ut mandatum tempore contractus non sit revocatum. 4.2.6. Non requiritur inter hujusmodi Procuratores sexuum diversitas. ibid. Si Principalis tempore contractus sit ebrius, adhuc validum est Mamonium: Immo confertur tunc gratia Sacramentalis ebrio, nisi fuerit peccati obex. 4.2.7. Idem probabilius dicas, si ille tunc sit amens. 4.2.8. At verius non est validum Matrimonium, si Principalis ficte mandatum dederit Procuratori, & tempore contractus habeat verum animum contrahendi. 4.2.9. Si detur mandatum contrahendi præmissis denunciationibus validum est Matrimonium, quamvis illæ omittantur. 4.2.10
Procurator, qui suscipit infantem in Baptismo, probabilius non contrahit cognationem. 5.6.5.
Professio religiosa dirimit Matrimonium ratum, non tamen consummatum. 5.4.1. Si bona fide quis professionem emittat credens uxorem obiisse, si hæc sit superstes, habet jus petendi debitum, & ille tenetur reddere, non tamen potest petere. 5.4.2
Professio religiosa probabilius jure Ecclesiastico dissolvit Matrimonium ratum. 3.3.7
Professionem religiosam invalide emittens tenetur servare castitatem, quam vovit; secus vero qui invalide Ordines Sacros suscipit. 5.5.5
Promissio ficta Matrimonii ad quid obliget in conscientia? 1.2.2. Quid si sub spe Matrimonii ficte promittens fœminam violaverit? 1.2.3. Quid si ficte promittens sit notabiliter dignior? 1.2.4. Si ficte promittens non teneatur ducere Bertam, poteritne coram Judice negare promissionem? 1.2.5. Num teneatur illam ducere vi juramenti? 1.2.6. Quid si tam promissio, quam juramentum sit simulatum? 1.2.6
Promissio facta homini, si sit mere interna, non obligat. 1.3.1. Differt tamen a proposito. 1.3.2
Promissio metu exorta, V. *Donatio*.
Promissio non acceptata regulariter non obligat. 1.1.4.
Promissio prodiga pretii facta meretrici non obligat; secus vero promissio prodiga Matrimonii facta ple-

bejæ a viro nobili. 1. 5. 8. Promissio Sponsalium censetur facta sub ea conditione, quod notabilis mutatio non accidat. 2. 6. 4

R

Rapina in quo differat a furto? 5. 8. 5
Raptus quandonam Matrimonium dirimit? 5.8.5
Residentia Episcopi, si est de jure Divino, quomodo potest in ea Pontifex dispensare? 6.1.6
Restrictio non pure mentalis quandonam liceat? 1.2.6
Revalidatio Matrimonii irriti ob aliquod impedimentum occultum, quod probari non potest, non requirit præsentiam Parochi, & testium. 4. 4. 7. Quando matrimonium sine præsentia Parochi, & testium revalidatur, non sufficit consensus conjugum conditionatus. Non est tamen necesse, ut utrique conjugi nota sit Matrimonii nullitas, quando novo consensu absoluto revalidatur, si ex hac notitia scandala orirentur. 7. 4. 14
Rumor in quo differat a Fama, seu voce publica? 2. 7. 4. Rumor de aliquo impedimento non satis est ad Sponsalia dirimenda; Fama vero sufficit. 2. 7. 6

S

Sacerdos Græcus potest licite uti Matrimonio olim contracto, sed invalide Matrimonium contrahit. 5. 5. 1
Sacerdos Latinus transiens per Græciam potest in fermentato celebrare. 4. 4. 6
Sacerdos mutans sexum retinet characterem; sed consecrare nullatenus potest. 5. 10. 8
Sacrificium Missæ num possit ex Pontificis dispensatione sub una tantum specie offerri? 6. 1. 6
Sacrilegium probabilius non est, matrimonium cum impedimento dirimente contrahere. 5. 1. 4
Secretum naturale non obligat ad non revelandum impedimentum Matrimonii occultum. 4. 5. 3
Seminis effusionem in somnis inceptam num liceat non impedire? 7. 1. 6
Seminis effusionem, aut distillationem procurare ad vitam tuendam non licet; esto liceat ob talem finem partem corporis, puta brachium, amputare. 7. 1. 6.
Senes omnino impotentes num valide Matrimonium contrahant? 5. 10. 8
Sensualitatis motus quandonam permitti possunt? Et quando est solum culpa venialis illos non impedire? Quando vero mortalis? 7. 1. 7. Num sit lethale negative se habere circa illos? 7.1.8 Causam pollutionis, vel commotionis spitituum generationi deservientium non impedire quando sit culpa lethalis? 7.1.9. Num detur materiæ parvitas in delectatione venerea deliberate quæsita? 7 1.10. Num saltem in re ex objecto venerea detur parvitas materiæ excusans a mortali? 7. 1. 12
Societatis Jesu non professi emittunt vota simplicia, quæ dirimunt Sponsalia etiam antecedentia, ac Matrimonium subsequens. 3. 3. 8. At non Matrimonium ratum, quod nec a voto solemni annexo Ordini Sacro dirimitur. 3.3.9
Sponsalia quid sint? Et quanam promissione constituantur? 1.1.2. Isthæc promissio debet esse deliberata, mutua, & acceptata, ac signo sensibili expressa, ib. Sponsalia neque sunt Sacramentum, neque Sacramentalia. 1. 1 6. Ad ea constituenda sufficit deliberatio, ac intentio virtualis, non tamen habitualis. 1. 1. 7. Nec sufficit voluntas promittendi sine voluntate se obligandi. 1. 1. 8. Non requiritur tamen ad eorum valorem voluntas exequendi, quod promittitur. ibid.
Sponsalia contrahere nequeunt, qui perpetuo impedimento laborant ad nubendum. 1.5.6. Votum castitatis est impedimentum irritans Sponsalia. ib. & 2. 3. 1. Quid si promittatur matrimonium ab habente hoc votum sub conditione copulæ? ib. Num sit impedimentum irritans Sponsalia notabilis disparitas contrahentium? 1. 5. 7
Sponsalia ficta. V. *Promissio ficta*.
Sponsalia ante septennium num aliquando sint valida? 1.5.2. Cur professio religiosa ante præscriptam ætatem semper sit invalida; secus vero Sponsalia, & Matrimonium? 1. 5. 4. Quid si parentes pro filiis infantibus Sponsalia contrahant? 1. 5. 5
Sponsalia impediunt & irritant Votum Castitatis antecedens, & Ordo Sacer. 2. 4. 3. Dirimit Sponsalia ingressus in Religionem solum ex parte ejus, qui remansit in sæculo. 2.4.4. Sponsalia jurata ingressum in Religionem non impediunt. 2.4.5. Nequit Religionem ingredi, qui post sponsalia sponsam defloraverit. 2.4.6. Si Votum castitatis, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Sacros Ordines sponsalia subsequatur, alter remanet liber a sponsalibus: Vovens tamen probabilius remanet ligatus. 2. 4. 8. Sed votum profitendi in Religione post sponsalia emissum ex parte utriusque dirimit sponsalia. ibid. Sponsalia posteriora jurata non dissolvunt priora, nisi tantum ex parte innocentis. 2.5.1. Quinam morbus, aut simile vitium dat jus resiliendi a sponsalibus. 2.6.1 Quid si uterque conjux in paupertatem incidat? 2. 6. 2. Si superveniat affinitas, tenetur sponsus reus petere dispensationem, si alter velit. 2.7.2 Fama de aliquo impedimento dirimente sponsalia dirimit. 2. 7. 4. Quænam ignorantia, seu error, & quinam metus sponsalia dirimat? 2. 8. 1
Sponsalia Puberum mutuo consensu dissolvuntur. 2. 1.1. Quid de sponsalibus impuberum. 2. 1. 2. Quid de impubescentibus, si juramento sponsalia confirmarint. 2. 1. 4. Num possint dissolvi sponsalia etiam ob sponsi fornicationem? 2. 2.2. Num si uterque sponsus fornicatus sit? 2. 2. 3. Absentia sponsorum quando dat jus ad sponsalia dissolvenda? 2. 3. 1
Sponsalia trahunt onus non apponendi matrimonio impedimentum, puta non suscipiendi Ordines Sacros. 1. 6. 1. Quandonam impleri debeat promissio hæc matrimonii? ibid. Num possint Sponsalia obligare duntaxat sub veniali? 1.6.2. Et quid si sint gratuita, & non onerosa? 1. 6. 5
Sponsalibus num possit apponi pœna luenda a resiliente? 1. 6. 8. Num vi juramenti forte præstiti ad illam luendam teneatur, qui resilit juste? 1. 7. 9 Quid de arrhis? 1.6.10. Quid de pacto addito de habitando in determinato loco? 1. 6. 11
Sponsalium contractus conditionatus est irritus, non secus ac matrimonialis, si apponantur conditiones contra substantiam matrimonii. 4.6.9. Et similiter in utroque contractu conditiones impossibiles habentur pro non adjectis. 4.6.10
Sponsalium effectus tam intrinseci, quam extrinseci quinam sint? 1. 7. 1
Sponsalium promissio obligat non ex sola fidelitate, sed etam ex justitia, dummodo sit mutua. 1. 1. 8
Sponsalium promissio cum animo ingrediendi postea Religionem, aut servandi castitatem num liceat? 1. 3. 7
Sponsalium signa externa quænam sint certa, quæ-

nam dubia? 1. 4. 2. Sponfalia disjunctiva non trahunt impedimentum publicæ honeftatis. 1.4.3. Sex modis fponfalia contrahuntur. 1. 4. 5
Sponfi habentes impedimentum occultum, fi non poffint a matrimonio defiftere fine magno fcandalo, quid faciant? 4. 5. 5
Sponfalitia largitas, feu Jocalium in quo differat ab arrhis, & an iftæ licite apponantur contractui fponfalium? 1. 6. 10
Sponfis num liceant ofcula, amplexus, & tactus non impudici? 1.7.6. Num liceat illis delectari de copula habenda? ibid.
Sponfus qui poft fponfalia cum Berta contraxit cum alia matrimonium, hac mortua probabilius tenetur illam ducere. 2. 5. 2. Si tamen non contraxit matrimonium, fed folum habuit copulam cum fecunda, probabilius hanc ducere tenetur. 2.5.4. Poteft fponfus refilire a fponfalibus, fi fponfa permiferit fe turpiter ab alio tangi, aut fi deprehendatur ejus fornicatio ante fponfalia. Si tamen hæc accidant fponfo, non poterit eatenus fponfa refilire. 2.1.2
Subarrhatio, & traductio fponfæ in domum, aut porrectio manuum num fint figna certa exprimentia confenfum internum matrimonialem? 4.1.2
Surreptitia donatio. V. *Difpenfatio*.

T

Taciturnitas quandonam habetur pro confenfu. 1.4.4. Si Parentes matrimonium contrahant pro filiis tacentibus, & non reclamantibus, aut Tutores pro pupillis fimiliter præfentibus, & non diffentientibus, taciturnitas præfumitur effe fignum confenfus. 4. 2. 3
Tempus feriarum quodnam fit, & quid in eo prohibeatur? 5.11.3
Teftes ad validitatem matrimonii requifiti fatis eft, quod ufum rationis habeant, quamvis non fint omni exceptione majores. 4.4.3
Titulus coloratus num requiratur, ut pofito errore communi jurifdictio conferatur? 4.4.12

V

Venditor rei habentis vitium occultum quomodo debeat fe gerere cum emptore? 2. 8. 6
Vicarius Generalis Epifcopi difpenfare poteft in proclamationibus, non fecus ac Epifcopus, nifi id illi vetetur. 4. 5.1
Vis, feu metus quandonam ferant impedimentum dirimens matrimonium? 5. 10. 1
Vitium occultum quandonam a Sponfis eft detegendum, ne contractus fit irritus? 2. 8. 6
Votum caftitatis annexum Ordini Sacro cur dicatur folemne; non vero quod emittitur a non Profeffis in Societate Jefu, licet utrumque dirimat Sponfalia etiam antecedentia, ac matrimonium fubfequens. 3. 3. 8
Votum caftitatis emiffum poft matrimonium confummatum, invito altero conjuge, eft irritum. 7.3.3 Qui vovit caftitatem ante matrimonium, vel poft matrimonium ratum non tenetur Religionem ingredi, ut votum fervet. 7.4.4. Votum caftitatis a conjuge emiffum de confenfu alterius num det jus ad divortium? 8. 3. 6
Votum caftitatis reddit irritum contractum Sponfalium fubfequentem; Nifi fiat promiffio fub conditione, quod difpenfatio obtineatur. 1. 5. 6. & 2.4.3
Votum emiffum metu gravi injufto ad illud extorquendum incuffo neque jure naturæ, neque Ecclefiaftico eft irritum. 4. 3. 4
Votum ex errore emiffum eft nullum. Secus vero contractus Sponfalium. 2. 8. 4.
Votum ingrediendi Religionem, aut Caftitatis, aut fufcipiendi Sacros Ordines fi antecedat Spofalia, illa dirimit, etiam jurata, non fecus ac votum profitendi in Religione. 2. 4.7. Quod fi hæc vota fubfequuntur fponfalia, alter remanet liber; fed vovens, probabilius remanet a fponfalibus ligatus 2.4.8 At votum profitendi in Religione poft fponfalia emiffum illa dirimit ex parte, utriufque; ib. Qui credens uxorem obiiffe, emittit votum folemne caftitatis, fi deprehendit, illam effe fuperftitem, tenetur debitum reddere, non poteft tamen petere. 5. 4. 2. Eft impedimentum dirimens matrimonium tam votum folemne caftitatis, quam fimplex in Societate Jefu. 5.4. 2. At eft impedimentum impediens votum fimplex five caftitatis, five ingrediendi Religionem, five non nubendi. 5.11.1 Qui poft tale votum nubit, ad quid tenetur? 5. 11. 4., & 7. 3. 2. Num poffit hic aliquando petere debitum. 5. 11.16. Num licite matrimonium contrahere quis poffit cum ea, quæ votum habet caftitatis? 5.11.7. Num poffit fine difpenfatione in tali voto matrimonium contrahere, qui ftimulis carnis valde urgetur, & in proximo eft, ut cadat? 5. 11. 8
Votum non obligat, quando ejus materia ita mutatur, ut fi id a principio extitiffet, votum non fuiffet emiffum. 1.5.6
Votum nubendi quando obliget? 1. 3. 3. Si quis duo voveat, & ducere uxorem, & ducere pauperem, ad quid tenetur? 1. 3. 5. Votum nubendi, fine animo confummandi, per fe loquendo non licet. 1. 3. 6
Votum fine plena deliberatione ne fub veniali quidem obligat. 1.1.3
Votum obligare poteft in re gravi fub veniali; non tamen fponfalia. 1.6.2
Ufurarum promiffio non eft invalida, quia coacta, fed quia deficit titulus legitimus. 4.3.5

FINIS,

R. P. DOMINICI VIVÆ

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS QUINTUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat

DE SACRAMENTIS, & CENSURIS,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM,

Et in quotidianis Prælectionibus suis Auditoribus traditum in Palæstra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis.

PARS OCTAVA

DE CENSURIS.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

R. P. DOMINICI VIVA

SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA

THEOLOGICO-MORALIA

TOMUS QUINTUS

COMPLECTENS CURSUM THEOLOGICO-MORALEM,

Quod est, tota Moralis Theologia [illegible]

DE SACRAMENTIS, & CENSURIS,

AD USUM TYRONUM ELUCUBRATUM.

In quo [illegible]

[illegible]

PARS OCTAVA

DE CENSURIS.

ACCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACCARIAE S. J.

[illegible]

LUCULENTISSIMAE ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & praesertim BENEDICTI XIV. Decreta [illegible]

[illegible]

FERRARIAE.

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Qui in hoc tractatu de CENSURIS continentur.

QUÆSTIO I.

De Censuris in communi. 1

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Censura?* 2
II. *Quinam possit ferre Censuras?* 4
III. *Erga quos ferri Censura possit?* 6
IV. *Quam ob causam ferri possit Censura?* 11
V. *De forma, seu ritu in Censuris ferendis.* 17
VI. *Quænam excusent ab incurrenda Censura?* 22
VII *De effectibus Censuræ.* 28

QUÆSTIO II.

Quonam pacto Censura tollatur. 30

ART. I. *An unice per absolutionem tollatur Censura?* ibid.
II. *Quisnam possit a Censuris absolvere?* 31
III. *Quot modis absolutio a Censura conferri possit?* 36
IV. *Quandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo?* 38
V. *De Requisitis ad absolutionem a Censuris.* 40
VI. *De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.* 42
VII. *Expediuntur reliqua, quæ ad absolutionem a Censuris spectant.* 43

QUÆSTIO III.

De Excommunicatione. 46

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio?* ibid.
II. *Quinam excommunicati sint vitandi? Et in quibusnam teneamur eos vitare?* 47
III. *Sub qua culpa, & pœna excommunicati vitandi sint?* 50
IV. *De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus.* 53
V. *Quam ob causam præsertim temporalem ferri potest excommunicatio major?* 55

QUÆSTIO IV.

De Effectibus Excommunicationis majoris 59

ART. I. *De effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis.* ibid.
II. *De primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.* 60
III. *De secundo effectu, qui est privare excommunicatum participatione Sacramentorum.* 63
IV. *De tertio effectu, qui fert privationem divinorum officiorum, Ecclesiasticæ sepulturæ, & aliarum rerum Sacrarum.* 64
V. *De quarto, & quinto effectu, qui ferunt Suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.* 66
VI. *De sexto effectu, qui est privatio jurisdictionis.* 68
VII. *De reliquis effectibus Excommunicationis.* 71

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari. 74

ART. I. *De prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ* ibid.
II. *Perstringuntur reliquæ Excommunicationes in Bulla Cœnæ.* 78
III. *De Excommunicatione ob percussionem Clerici.* 82
IV. *De Excommunicatione ob duellum.* 86

QUÆSTIO VI.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione. 90

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Suspensio?* ibid.
II. *A quo ferri possit Suspensio, & erga quos?* 92
III. *Quam ob causam ferri possit Suspensio?* 93
IV. *De Suspensionis effectibus, ejusque violatione.* 94
V. *De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.* 96
VI. *De Depositione, & Degradatione.* 98

QUÆSTIO VII.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis. 99

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Interdictum?* ibid.
II. *De effectibus Interdicti.* 101
III. *Quam ob causam? A quo? Et erga quos ferri possit Interdictum?* 104
IV. *De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis.* 106
V. *De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.* 107
VI. *De Cessatione a Divinis.* 108

QUÆSTIO VIII.

De Irregularitate 110

ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?* ibid.
II. *Quam ob causam incurratur, & quomodo ignorantia excuset.* 113
III. *Quisnam possit irregularitatem imponere, & erga quos?* 114
IV. *An dubium de Irregularitate excuset ab illa incurrenda?* 115
V. *Quomodo tollatur Irregularitas.* 117

QUÆSTIO IX.

De Irregularitatibus in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu. 121

ART. I. *De Variis Irregularitatibus ex delicto.* ibid.
II. *De irregularitate, quæ incurritur propter homicidium, aut mutilationem injustam.* 124
III. *De Irregularitate ex defectu lenitatis.* 127
IV. *Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu.* 129

CUR-

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

DE CENSURIS.

PARS OCTAVA.

PROŒMIUM.

JUre merito post tractatum de Sacramentis datur Censuris locus; quippe quæ ad potestatem etiam clavium spectant; siquidem non solum ad claves Ecclesiæ spectat aperire, & claudere cœlum, ligare, & solvere, sed etiam Censuras Ecclesiasticas ferre, ac tollere. Omnibus sane earum cognitio perutilis est, sed Confessariis peropportuna, ut in foro Sacramentali judicium convenienter exerceant. Quoniam autem plures sunt Censurarum species; In prima quæstione agemus de Censuris in genere. In secunda, Quonam pacto illæ tollantur? In tertia, descendendo ad illas in specie, plura inquiremus de Excommunicatione majori, & minori. In quarta, de Effectibus Excommunicationis. In quinta agemus de celebrioribus excommunicationibus in particulari. In sexta de Suspensione, necnon de depositione; & degradatione, quæ suspensioni affinia sunt. In septima de Interdicto, ubi pariter de Cessatione a divinis, quæ valde cum Interdicto convenit. In Octava de Irregularitate, quæ plurimum censuras imitatur. Agemus denique de Irregularitatibus tam ex delicto, quam ex defectu in particulari.

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in Communi.

QUærendum primo, Quid, & Quotuplex sit Censura? Secundò, Quinam possit Censuras ferre? Tertio, Erga Quos? Quarto, quam ob Causam? Quinto, quanam forma ferantur? Sexto, Quomodo quis excusetur ab illis incurrendis? Septimo, de earumdem effectibus. In sequenti porro quæstione inquiremus, quonam pacto tollantur?

ARTICULUS I.

Quid & Quotuplex sit Censura?

I. Censura est pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus.

II. Quatenus est pœna, infligitur etiam sine spe emendationis: & quatenus est medicina, emendato reo debet tolli.

III. Triplex datur duntaxat Censurarum species, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

IV. Irregularitas ex delicto non est inter Censuras recensenda; Nec Cessatio a divinis, Depositio aut Degradatio.

V. Censura alia est ab Homine lata, alia a Jure. Num possit pro peccatis futuris ab Homine censura ferri? Et num ea perseveret post mortem ferentis?

VI. Quænam sit formula Censuræ latæ sententiæ, quænam ferendæ? Et quid in dubio, num sit latæ, an ferendæ sententiæ?

I. QUæritur primo; Quid veniat nomine Censuræ?

Respondeo, apud antiquos Romanos Censuram significasse tum Censoris dignitatem, cujus erat mores populi corrigere, tum ipsam correctionem, seu pœnam, ac mulctam, quam delinquentibus imponebant: Unde factum est, ut pœnæ etiam ab Ecclesia ad correctionem morum institutæ dicantur Censuræ.

Definitur autem communiter isthæc Censura, *Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus*; ut videre est apud Pal. Hurt. Con. & alios. Dicitur *Pœna*; quia supponit culpam, quam puniat. Dicitur *Medicinalis*; quia per ipsam non solum punitio, sed etiam correctio Rei, seu emendatio intenditur. Dicitur demum *Privans bonis quibusdam Spiritualibus*; quia ut sit pœna Ecclesiastica, iis bonis privare debet, quæ sunt propria fidelium, videlicet Spiritualibus, puta, Sacramentis, Suffragiis, Ingressu Ecclesiæ, &c. Quod si aliquando etiam bono aliquo temporali Censura privet, (ut excommunicatio, quæ privat communione, & consortio fidelium) eo privat, quatenus aliqualiter etiam spirituali; siquidem cum fidelibus conversari, bonum quoddam est spirituale; quo excommunicatus privatur, tum ne aliis noceat, tum ut ipse resipiscat.

II. Ex hoc autem quod Censura non solum sit medicina, sed etiam pœna, sequitur, quod possit infligi, etiamsi non speretur emendatio; dummodo conferat ad bonum publicum; absterrentur enim communiter homines per talem pœnam a delictis: Ex hoc vero quod Censura non solum sit pœna, sed etiam medicina, sequitur pariter, quod ægroto curato debeat auferri, ut Doctores communiter docent, & ideo Censura dici solet Vinculum, cujus est ita ligare, ut possit solvi. Quare pœna, quæ sine spe remissionis imponitur, dici non potest Censura.

III. Quæritur secundo; Quotuplex sit Censura?

Respondeo, primo dividi Censuram in tres præcipuas species, Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. Ratio est, quia in Cap. *Quærenti de Verborum significatione* interrogatus Innoc. III. quid per Censuram Ecclesiasticam intelligatur? *Respondemus*, ait, *quod non solum Interdicti, sed etiam suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi*. Quæ responsio Pontificis, cum sit doctrinalis, debet omnes Censurarum species complecti.

IV. Rejicitur hinc primo opinio Soti, Corneii, Victor. Cani, & aliorum Thomistarum recensentium inter Censuras Irregularitatem ex delicto, & Cessationem a divinis. Ratio est, tum quia Innoc. III. illas non numerat inter Censuras; nec ullo alio textu, ratione, aut auctoritate (ut notat Suar. hic num. 3.) habetur, quod inter Censuras recensendæ sint; Tum etiam, quia Irregularitas ex delicto non est pœna medicinalis, quæ post resipiscentiam delinquentis debeat tolli, sed est ex se perpetua, nec tollitur per absolutionem, sicut Censura, sed per dispensationem; & qui eam violat, non incurrit aliam irregularitatem, sicuti violans Censuram: Item Cessatio a divinis, per quam prohibetur, ne in aliquo loco divina celebrentur, non est proprie Interdictum locale, nec Censura, sed quoddam præceptum simile Interdicto locali, quod imponitur ad repellendas injurias Ecclesiæ factas, ut habetur in *Clement.* 1. *de Sententia Excommunicationis*. Hoc autem ex eo constat, quia violantes Cessationem a divinis non incurrunt irregularitatem, ut ostendunt Navar. & Sylvest. apud Avil. part. 1. dub. 4. Contra vero violantes Censuram; ergo cessatio a divinis non est proprie Censura: Immo nec proprie pœna, ut suo loco dicemus.

Rejicitur secundo opinio Recentiorum addentium numero Censurarum Depositionem, & Degradationem. Etenim istæ pariter sunt pœnæ perpetuæ, nec infliguntur in medicinam, ut reus a contumacia desistat, sed præcise ut puniatur.

Ex quibus deducitur, quod virtute Jubilæi non possit tolli irregularitas ex delicto, ut ostendemus quæst. ultima de irregular. contra plures Thomistas: Quamvis enim tunc tolli possint omnes Censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ; At irregularitas ex delicto non est Censura; Et quamvis sit pœna Ecclesiastica, nihilominus, ut notat Navar. cap. 27. num. 250. virtute Jubilæi illæ solum pœnæ Ecclesiasticæ tolli possunt, quæ impe-

impediunt usum, seu susceptionem Sacramentorum; (ut est suspensio imposita a Confessario, ne per tantum tempus quis celebret, aut communicet, necnon pœna, qua aliqui Canones mandant, ne per aliquod tempus aliquis ad communionem admittatur.) Et ratio est, quia in bulla Jubilæi expresse habentur ea verba: *Per præsentes autem super aliqua irregularitate publica, vel occulta non intendimus dispensare.*

V. Dividitur secundo Censura in Latam a Jure, seu per legem, aut statutum, & Latam ab Homine, seu per sententiam hominis. Prima ex natura sua est perpetua, adeoque durat quoadusque contraria lege, aut consuetudine revocetur; & semper imponitur pro peccatis futuris, ut scilicet impediantur; puta quando dicitur, Qui percusserit Clericum, sit Excommunicatus. Secunda durat, quandiu durat jurisdictio illam ferentis, & plerumque imponitur pro peccatis præteritis, ut scilicet puniantur, & delinquens corrigatur: Verbi gratia, si excommunicentur qui furati sunt, nisi intra mensem satisfaciant. Quamvis etiam aliquando feratur Censura ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, ut mox dicemus.

Subdividitur itaque Censura lata ab homine in Specialem, & Generalem. Censura specialis, seu per sententiam specialem fertur in personas determinatas ob aliquod peccatum particulare præteritum: Verbi gratia, si Episcopus excommunicet Titium, quia contumaciter diu abest a beneficio; Vel si excommunicet omnes, qui incenderunt agrum alienum, nisi intra mensem satisfaciant. Censura vero generalis dicitur illa, quæ fertur generaliter pro aliquo delicto futuro; verbi gratia, si Episcopus excommunicet omnes, qui furabuntur in templo.

Dubium tamen est apud Doctores; An hujusmodi Censura pro peccatis futuris possit ab homine ferri? Etenim in cap. *Romana, de Sententia Excommunicationis in 6.* hæc habentur: *Caveant Episcopi, ne sententias excommunicationis sive generaliter, sive specialiter in aliquos pro culpis futuris proferre præsumant.*

Sed Con. num. 15. ex Suar. respondet primo, hoc jus non continere præceptum, sed admonitionem. Secundo in eodem jure subditur, hoc non esse faciendum, nisi rationabilis causa subsit, quæ in sententia exprimatur. Unde sequitur, ex rationabili causa id fieri posse, dummodo prædicta causa exprimatur in ipsa sententia.

Colliges primo ex dictis, quod si Episcopus ferat excommunicationem contra eos, qui furantur in templo, & deinde aut moriatur, aut desinat esse ejus loci Episcopus, aut aliter jurisdictionem amittat, in tali casu qui furati sunt ante mortem, ve discessum Episcopi, sunt excommunicati; secus vero qui post Episcopi mortem etiam furantur. Si vero Episcopus excommunicet eos, qui furati sunt, nisi intra mensem restituant, & antequam mensis labatur, ipse moriatur, nullus ex non restituentibus est excommunicatus; quia ante terminum præfixum excommunicationi incurrendæ desiit jurisdictio Episcopi, atque adeo excommunicatio. Ita communiter Doctores apud Con. disp. 13. dub. 2.

Colliges secundo, Excommunicatum ab homine etiam post mortem excommunicantis remanere excommunicatum. Ratio est, quia jure communi statutum est, quod nemo liberetur a Censura, quam semel incurrit, nisi per absolutionem. Quod si excommunicatio ab homine sit incursa ex defectu alicujus requisiti, & dum expectatur tale requisitum, moriatur, qui tulit excommunicationem, Excommunicatio in tali casu non incurritur, quia tunc desiit potestas illam ferentis.

Colliges tertio, censuram, quæ fertur per legem, aut statutum, semper incurri, donec lex revocetur; quia nunquam desinit potestas legislatoris. Etenim qui condit legem, condit illam in persona ejus, a quo potestatem condendi legem accepit, qui est Deus, vel communitas, qui non moriuntur.

VI. Dividitur demum Censura in Latæ, & ferendæ sententiæ. Dicitur censura latæ Sententiæ, quæ per ipsam legem, aut Sententiam infligitur; adeoque sine nova sententia incurritur: Unde solum ab Episcopo declaratur censuratus, qui talem censuram incurrit. Censura vero Sententiæ ferendæ est illa, quam jus, aut Judex minatur se inflicturum, aut jubet infligi; unde, ut incurratur, requiritur sententia Judicis, & non mera declaratio.

Censura est latæ sententiæ, quoties jus, aut judex his, aut similibus verbis utuntur, videlicet, Quicumque hoc fecerit, sit ipso jure, aut ipso facto, aut eo ipso excommunicatus, suspensus, &c. Vel si dicatur, Eum, qui hoc fecerit, excommunicamus: Et quoties verba diriguntur ad reum, non ad judicem, qui debeat ferre sententiam; ut si dicatur, Quisquis hoc fecerit, sit excommunicatus, excommunicatum se esse agnoscat, excommunicatus maneat, excommunicationem incurrat. Et idem dicendum ex Con. loc. cit. num. 20. (quamvis aliqui de hoc dubitent) si dicatur: Excommunicationem incurrat, aut noverit, se excommunicationem incursurum, aut erit excommunicatus; quia hujusmodi verba non significant sententiam ferendam a Judice post commissum delictum, sed ipsum jus habere vim sententiæ censuram infligentis hoc ipso, quod delictum committatur.

Contra vero Censura est sententiæ ferendæ, quoties aliquod prohibetur sub pœna censuræ,

& quoties his, aut similibus verbis Judex, aut jus utitur; videlicet, Qui hoc fecerit, excommunicabitur, vel jubemus, aut volumus eum excommunicari; vel statim excommunicetur: Et universim quoties diriguntur verba ad judicem, censura dicitur ferendæ sententiæ, quia exigitur nova actio, seu sententia judicis, ut incurratur.

Dubium tamen est; Utrum excommunicationem latæ sententiæ contineat, an vero ferendæ hæc formula, Qui hoc fecerit, excommunicetur, vel excommunicationem incurrat, vel sub pœna excommunicationis? Et hæc alia, sub pœna excommunicationis statim, seu confestim, vel ex tunc incurrendæ?

Respondeo, primam formulam continere probabiliter excommunicationem sententiæ ferendæ; quia per hæc verba videtur requiri sententia Judicis; Sicuti pœna Interdicti, quæ in cap. *Omnis utriusque sexus* infligitur transgressoribus præcepti de annua Confessione, per illa verba: *Alioquin arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & priventur sepultura Ecclesiastica*, est pœna sententiæ ferendæ, ex Suario disp. 35. de pœnit. sect. 8. quia videtur requirere sententiam Judicis: Avila tamen 5. p. cap. 2. cum Sylvestro, & aliis putat censuram incurri ipso facto, quoties imponitur absolute per verbum Imperativi modi, dicendo v. gr. Qui hoc fecerit excommunicetur. Quod vero attinet ad secundam illam formulam, sub pœna excommunicationis statim, vel ex tunc incurrendæ, dicendum significare censuram latæ sententiæ, ut communiter Doctores docent. Præterea ista formula, Sub interminatione excommunicationis, seu anathematis significat excommunicationem infligendam, non inflictam; quicquid nonnulli repugnent apud Con. dub. 2. Hæc alia vero formula, Qui hoc fecerit, noverit se excommunicationem incursurum, seu erit excommunicatus, videtur potius latæ, quam ferendæ sententiæ, ex Con. contra Felin. Et ratio est, quia in fine constitutionum Apostolicarum solet apponi hæc formula: Si quis autem attentare hoc præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum; Quæ indignatio statim incurritur per trangressionem, ut docent Doctores communiter: Si vero dicatur, Noverit se excommunicandum, seu erit excommunicandus, Censura est sententiæ ferendæ.

Verum quoties de aliqua formula dubitatur, sitne latæ, an ferendæ sententiæ? Censura est sententiæ ferendæ, ut docent communiter apud Pal. de censuris punct. 2. ex regula 45. juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda; & Odia sunt restringenda.*

ARTICULUS II.

Quinam possit ferre Censuras.

I. *Potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice: Potestas vero illas ferendi est etiam in aliis. Et quidem Ordinaria in iis, qui ratione sui muneris jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo; Delegatam vero habent illi, quibus ab habente Ordinariam ea committitur.*

II. *Recensentur ii, qui Ordinariam habent potestatem ferendi Censuras.*

III. *Necnon ii, quibus ea potest delegari.*

IV. *Num possit ea delegari fœminis?*

V. *Quinam delegatus possit potestatem hanc subdelegare?*

VI. *Jurisdictio hæc cum sit contentiosa, non gratiosa, nequit extra propriam Diœcesim exerceri.*

VII. *Quid requiratur ad valide ferendas Censuras?*

VIII. *Valida est Censura metu extorta, non tamen hujusmodi absolutio a Censura.*

IX. *Num in causa propria Censura ferri possit?*

I. De fide est contra Heterodoxos, ut late ostendit Suar. t. 5. in 3. p. disp. 1. & 2. a Christo Domino concessam esse Ecclesiæ facultatem instituendi, ac ferendi censuras ad rectam fidelium gubernationem. Unde dixit Chrysostomus hom. 4. ad Hebr. *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica; non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.*

Verum potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice; tum quia censuræ important ritus quosdam communes toti Ecclesiæ, atque adeo solus supremus Pastor potest illos decernere; tum etiam quia, ut advertit Scotus in 4. dist. 19. quæst. 1. quando Episcopus excommunicat subditum suum, eo ipso obligat suo modo omnes fideles ad non communicandum cum ipso; hoc autem accidere non posset, nisi censuram ferret in virtute institutionis factæ a Pontifice; ergo solus Pontifex potest censuras instituere, aut Concilium generale a Pontifice congregatum, & approbatum. Quia vero potestas instituendi censuras est potestas jurisdictionis, sequitur, ut idem Suar. notat, posse a Pontifice illam aliis delegari, quamvis hoc non sit juxta usum Ecclesiæ, nec fieri expediat.

Potestas vero ferendi Censuras alia est Ordinaria, alia Delegata, seu commissa: Habent ordinariam illi omnes, & soli, qui ratione sui muneris habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo: cum enim censuræ sint pœnæ Ecclesiasticæ, & in foro externo coercitivæ, ab illo duntaxat infligi possunt, qui in foro externo habet Ecclesiasticam jurisdictionem: Delegatam vero hanc potestatem habent illi, quibus ab habente

bente Ordinariam commissa est, prout etiam dicitur de potestate absolvendi. Ratio, quare solus Pontifex habeat potestatem instituendi censuras, non solus vero ille, sed alii etiam a Pontifice habeant potestatem illas ferendi, est tum usus Ecclesiæ; tum quia non potest solus Pontifex per se ipsum illas ferre in omnes delinquentes, unde indiget aliis Pastoribus ordinariis, ut Coadjutoribus; Et sæpe isti etiam debent illam aliis committere. Hinc dicitur Actor. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. His explicatis

II. Quæritur primo; Quinam habeant potestatem ordinariam ferendi censuras?

Respondeo: Primo, Habet illam Pontifex relate ad omnes fideles: Secundo, Episcopi relate ad suos Diœcesanos; sicuti etiam Vicarii Episcoporum, quia unum habent tribunal cum Episcopis; non tamen Vicarii foranei, qui delegatam dumtaxat habent jurisdictionem; nec Episcopi titulares, qui jurisdictionem habere non possunt, cum subditis careant. Tertio, habent etiam Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates relate ad suos subditos; & quia Archiepiscopus in Diœcesi suorum Suffraganeorum tantum habet potestatem ordinariam, dum actu visitat, vel quando ad ipsum per appellationem causæ devolvuntur, ideo in his duntaxat casibus potest censuras ferre in subditos Suffraganeorum. Quarto, Capitulum Cathedrale Sede vacante, sicut & ipsius Vicarius; cum succedat quoad jurisdictionem in locum Episcopi. Quinto, Abbates habentes Episcopalem jurisdictionem. Sexto, Superiores regulares, ut Generales, Provinciales, & Superiores locales; quamvis per specialem dispositionem in aliquibus religionibus id sit prohibitum Superioribus localibus: Demum Concilia generalia per totam Ecclesiam, & provincialia in suis Provinciis, Legatus a latere, Cardinalis, in Ecclesia sui tituli, quidam Archidiaconi, & Archipresbyteri ex veteri consuetudine, ac Inquisitores Sancti Officii. Parochi illam non habent, ut communiter docent contra Archidiaconum. Et ratio est, quia Parochus jure communi, & ordinario nullam jurisdictionem habet in foro externo, sed solum in foro pœnitentiæ. Quæ omnia multis juribus probant Pal. disp. 1. de Censuris punct. 4. Hurt. Con. & alii communiter.

III. Quæritur secundo; Quibusnam delegari possit ea potestas?

Respondeo, jure ordinario committi posse etiam Clerico gaudenti privilegiis clericalibus; non tamen Clerico conjugato, præsertim si sit conjugatus cum vidua, atque adeo bigamus; & multo minus committi potest laico, aut fœminæ: Quamvis possit Pontifex, utpote juris universalis hujus conditor, & legislator, in tali jure humano dispensare, & delegare illam laico etiam infideli, necnon Clerico conjugato, qui in hac materia quasi laicus reputatur.

IV. Utrum possit Pontifex potestatem hanc delegare fœminæ; Negant communiter cum Avila part. 1. dub. 6. & Con. dub. 4. num. 33. videtur enim fœmina jure divino incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum hæc potestas data sit a Christo Domino solum Apostolis, eorumque aliquo modo successoribus; non vero fœminis; ne Beatissimæ quidem Virgini. Unde dixit Apost. 1. ad Corinth. 14. *Fœminæ in Ecclesia taceant*. Quare cum Clerici, & laici succedant per gradus suos Apostolis, nunquam vero succedant fœminæ, ideo illis tantum potestas hæc delegari potest jure divino, non vero fœminis: Affirmant tamen Hurt. difficult. 4. num. 13. Pal. disp. 1. punct. 4. & alii apud eundem; de jure enim tantum Ecclesiastico videntur fœminæ incapaces talis jurisdictionis; & ideo censent posse Pontificem in tali jure dispensare; Solum de jure divino sunt incapaces potestatis Ordinis, non vero jurisdictionis, cum possit fœmina beneficia conferre. Quamvis tamen fœminæ non sint Apostolis successores, sicut nec laici in statu laicali, nihilominus sicut laicis, ita & fœminis potest a Pontifice delegari talis potestas.

Ad hoc confirmandum adducunt, quod in cap. *Dilecta de Majoritate* jubeat Pontifex observari suspensionem latam a quadam Abbatissa in Clericos sibi subditos. Verum huic textui communiter respondent, ibi suspensionem sumi lato modo pro prohibitione facta ab Abbatissa, non pro censura, per cujus violationem incurratur irregularitas: Idque satis constat, quia Pontifex commisit cuidam Abbati, ut per censuras cogeret prædictos Clericos ad servandum præceptum illud Abbatissæ; Quod non fecisset Pontifex, si potuisset ipsa Abbatissa suspendere contumaces. Adde, quod Innoc. III. in *cap. 3. de Pœnit. & Remiss.* dicit, potestatem hujusmodi nulli unquam fœminæ commissam fuisse. Advertendum hic, quod ad ferendas censuras cum solemnitate jure communi requiratur Sacerdotium, & non sufficiat Clericatus, nisi in tali jure Pontifex de plenitudine potestatis dispenset.

V. Quæritur tertio; An habens delegatam hujusmodi jurisdictionem, seu potestatem ferendi censuras, possit illam alteri subdelegare?

Respondeo, ex *cap. Cum causa*, *de Appellatione* apud Con. dub. 4. num. 34. & alios communiter: Primo, posse illam subdelegare delegatum duntaxat Supremi Principis, seu Papæ, quia reputatur Ordinarius; unde potest subdelegare, non secus ac qui habet hujusmodi potestatem ordinariam, seu ex officio. Secundo, posse illam subdelegare eum, cui delegatur specia-

specialiter cum potestate subdelegandi. Utrum autem delegatus ad universitatem causarum possit in casu occurrenti subdelegare? Affirmat probabiliter Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 31., & Dian. part. 2. tract. 17. resol. 53., ut diximus in tract. de Pœnit.

Ubi adverte primo, jurisdictionem hanc, utpote contentiosam, non gratiosam, per mortem concedentis, seu delegantis, expirare, si res sit integra, seu si causa non sit inchoata. Ita habetur in *Cap. Si gratiose, de Rescriptis in 6.*, & in *cap. Licet, de Officio delegati*, ut videre est apud Pal. tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 13.; Contra vero qui habet hanc potestatem ordinariam, illam retinet etiam mortuo concedente, uno excepto Episcopi Vicario.

VI. Adverte secundo, jurisdictionem hanc contentiosam in eo etiam differre a gratiosa, quæ habetur in foro Sacramentali, quod habens istam sive ordinariam, sive delegatam, possit audire confessiones suorum subditorum extra propriam Diœcesim, seu extra locum suæ jurisdictionis, ut diximus in de Penitentia: At habens jurisdictionem contentiosam in ordine ad ferendas censuras non potest illam ne valide quidem exercere extra locum suæ jurisdictionis, nisi obtento consensu illius, in cujus jurisdictione est, excepto casu, quo talis Episcopus expulsus esset a sua Diœcesi; tunc etiam petita, licet non obtenta, licentia Ordinarii loci, in quo est, potest suos excommunicare; etenim ex laud. *Cap. Licet* habetur, quod h. m. consensus debitus, & injuste negatus valet quantum concessus. Ita communiter Doctores ex *Clem. I. de Foro competenti.*

VII. Quæritur quarto; Quid requiratur in ferente censuras ad valide illas ferendas?

Respondeo, primo requiri legitimam potestatem non impeditam aut per legitimam appellationem, aut per notoriam Judicis excommunicationem, vel suspensionem. Secundo, ut ferens censuras sit viator; unde Beatus, vel Angelus invalide censuram ferret, Deo aliter non dispensante; quia, ut ostendit Hugolinus, Censura est veluti gladius Ecclesiæ militantis. Tertio, ut sit baptizatus; cum infidelis sit incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ, saltem de jure ordinario. Quarto, ut non sit laicus, aut Clericus conjugatus, ut supra diximus. Ultimo requitur, ut dum fert censuram, libere illam ferat, hoc est humano modo, & cum advertentia: Quare invalide censuram ferret amens, & qui nullo modo adverteret ad id, quod agit, aut non cum plena deliberatione, quæ ad peccandum mortaliter sufficeret. Ita etiam communiter Doctores apud Con. dub. 5.

VIII. Dubium tamen est; An ad ferendam ensuram requiratur libertas a coactione, seu an censura extorta metu cadente in constantem virum sit invalida? Et communiter Doctores docent esse validam; quia universim tam jure naturæ, quam jure positivo, quæ fiunt ex metu, sunt valida; nisi in aliquo casu contrarium sit jure statutum. Et ratio a priori est, quia cum metu stat libertas sufficiens ad actum humanum, ut patet; quia qui ex metu gravi, verbi gratia, mœchatur, aut fidem abnegat, peccat mortaliter.

Neque dicas, in *Cap. I. De iis, quæ vi, metusve causa fiunt in 6.* habetur, Absolutionem a censura metu extortam esse invalidam; ergo etiam erit invalida inflictio censuræ, si metu extorqueatur. Nam, ut bene Con., in jure positivo argumentum a pari nihil probat. Præterquamquod datur disparitas; etenim sæpe Magnates cogunt Superiores Ecclesiasticos ad tollendas, nunquam vero, aut fere nunquam ad ferendas censuras; & ideo ne Ecclesiastica disciplina enervaretur, necesse fuit, ut invalidaretur censuræ absolutio metu extorta, non vero censuræ inflictio.

IX. Dubium etiam est; An possit quis in causa propria ferre Censuras? Et communiter respondent negative; quia nemo potest simul esse Actor, & Judex; etenim qua parte est actor, est subditus, qua parte est Judex, est Superior; unde simul esset subditus, & Superior fuimet. Præterquamquod Judex in propria causa facillime injuriam irrogaret parti adversæ. Excipitur tamen casus defensionis, ut videre est apud Bonac., & Filliuc., quando scilicet aliquis censuram fert in illum, qui sibi manifestam infert injuriam, seu violentiam: etenim licitum tunc est uti propriis armis ad injuriam propulsandam, juxta illud, Vim vi repellere licet; Ita Innoc. in *Cap. Dilecta, de Sententia Excommunicationis in 6.*

ARTICULUS III.

Erga quos ferri Censura possit?

I. Censuris ligari possunt, qui sunt præcepti capaces, ac Superiorem in Ecclesia habent in rebus spiritualibus.

II. Mortuus solum potest declarari excommunicatus; Et quomodo a Censuris absolvatur?

III. Brutorum excommunicatio est potius maledictio, & imprecatio.

IV. Impuberes non solent, licet possint, ab homine censurari; Censuras tamen a jure latas incurrunt.

V. Amens potest solum declarari excommunicatus.

VI. Communitas interdici, vel suspendi potest, non tamen excommunicari.

VII. Ligatus una Censura potest & alia ligari, ac divisibiliter ab iis absolvi.

VIII. Quandonam potest subditus unius Diœcesis ab Episcopo alterius Diœcesis excommunicari?

IX. *Quan-*

IX. *Quando Episcopus Censuris ligare potest suum subditum in aliena Diœcesi delinquentem? Et quid, si hic delinquat in loco exempto?*
X. *Num Edictum ferens excommunicationem comprehendat illos, qui post promulgationem talis Edicti acquirunt in eo loco domicilium, vel quasi domicilium?*
XI. *Quid requiratur, ut aliquis fiat subditus alicujus Episcopi in ordine ad recipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ? Quid in ordine ad suscipiendum Sacramentum Ordinis? Et quid relate ad Censuras, ita ut ab eo possit censuris ligari? Ubi de Peregrinis, & Vagis.*

I. CErtum est, omnes, & solos præcepti capaces, qui in Ecclesia habent superiorem in rebus spiritualibus, posse ligari censuris. Et ratio est manifesta, quia sicut qui potest ferre censuram, debet esse superior habens in foro externo jurisdictionem Ecclesiasticam; ita qui potest censurari, debet esse subditus tali jurisdictioni, & simul præcepti capax: Etenim censura fertur duntaxat in contumaces, qui culpæ, & emendationis sint capaces; quare qui præcepti capax non est, contumax esse non potest, & consequenter nec potest censura ligari.

Hinc sequitur primo, Papam, utpote nulli in terris subditum, censurari non posse, nisi forte a Concilio in eo tantum casu, quo in hæresim incideret, ex *Cap. Si Papa, dist.* 40. ubi dicitur: *Papa a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius:* Tunc enim deponi potest a Concilio, ut est certum; Et probabiliter ante depositionem per censuras compelli potest ad resipiscendum.

Secundo sequitur, censurari non posse non baptizatos, utpote Ecclesiasticæ jurisdictioni nullatenus subjectos, dicente Apost. 1. ad Corint. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Tertio, nec pueros ante usum rationis, utpote præcepti incapaces; & eadem ratione nec amentes, ebrios, dormientes, furiosos, necnon eos, qui actum sub censura prohibitum faciunt sine actuali advertentia, & libertate requisita ad peccandum mortaliter, dummodo talis actus non fuerit voluntarius in causa.

II. Quarto, nec mortuos, quibus a Superiore humano nihil præcipi potest.

Contradicunt tamen Riccard., Gabriel, & alii Canonistæ; tum quia in *Cap. Si quis Episcopus, de hæret.* præcipitur, ut propter quædam delicta, verbi gratia, propter hæresim, saltem post mortem aliqui anathemantizentur, tum etiam, quia si potest quis post mortem absolvi a censura, poterit pariter ea post mortem irretiri. Sed communiter respondent cum Suar. hic, post mortem posse aliquem duntaxat declarari excommunicatum vel propter hæresim, vel quia mortuus est in lupanari, vel propter aliud simile crimen, ut privetur suffragiis, & Ecclesiastica sepultura. Unde patet discrimen inter excommunicationem latam in vivos, & in mortuos. Nam dum mortuus excommunicatur, solum declaratur excommmunicatus, & directe præcipitur vivis, ne pro eo orent, aut illum in loco sacro sepeliant: Unde indirecte mortuus privatur communicatione passiva fidelium: Contra tamen quando excommunicatur vivus, directe præcipitur illi, ut abstineat se a communione fidelium, & a perceptione Sacramentorum; indirecte vero præcipitur aliis, ne cum eo communicent. Eodem modo sicut mortuus excommunicatur per hoc, quod præcipiatur fidelibus, ne pro eo orent; ita mortuus aliquando absolvitur a censuris, quatenus permittitur, ut alii in loco Sacro illum sepeliant, & pro eo orent.

Hinc fit, quod si excommunicetur homicida, & Petrus deinde vulneret graviter Paulum, ex quo vulnere hic postea decedat, Petrus tamen ante mortem Pauli moriatur, Petrus in tali casu non incidit in excommunicationem; non quidem incidit ante mortem, cum nondum fuerit homicida; nec post mortem, quando moritur Paulus; quia Petrus tunc mortuus non potest incidere in excommunicationem; unde potest in loco Sacro sepeliri, & pro eo potest orari.

III. Sequitur ultimo, nec Bruta posse censuris ligari. Neque dicas, aliquando ab Ecclesia excommunicari locustas. Nam, ut notat Suar. disp. 5. sect. 1., verbum excommunicandi, & anathematizandi in tali casu sumitur pro maledictione, execratione, detestatione; in quo sensu usurpatur etiam contra dæmones in exorcizandis obsessis. Et Apost. in eodem sensu ad Galat. 1. ait: *Qui aliud evangelizaverit, quam quod ego, anathema sit, etiamsi sit Angelus.* Quare excommunicatio locustarum est potius imprecatio, qua precamur illis interitum, ut nobis nocere desinant.

IV. Quæritur nunc primo; An Impuberes post septennium doli capaces censuris ligari possint?

Respondeo, Sayr., Ugol., & alios apud Bonac. negare; quia ante pubertatem non percipitur ordo judiciarius. Verum communiter affirmant cum Suar., Vasq., Henr., & aliis apud Leand. disp. 3. quæst. 57., quia cum culpam committere possint, cui censura est annexa, non est cur censuram non incurrant; cum nullo jure ab ea inveniantur exempti. Et certum est ex Suar., quod si populus interdicatur, etiam impuberes doli capaces comprehendantur, qua-

quatenus possunt, & etiam (secluso Interdicto) tenentur die festo interesse Sacro. Verum universim non expedit, per censuram latam ab homine impuberes censurari; quia, ut loquitur Con. virgis potius, quam censuris Ecclesiasticis sunt coercendi.

V. Quæritur; secundo; An amens incidere possit in censuram?

Respondeo, ut supra diximus negative, tum quia peccare non potest; tum etiam quia censura est pœna Ecclesiastica medicinalis, quæ respicit emendationem delinquentis; amens autem emendari non potest. Verum si quis incidat in amentiam post patratum delictum, cui est annexa excommunicatio, potest deinde ob antecedentem contumaciam declarari excommunicatus. Exempli gratia, si Petrus mandet Sorti, ut Clericum occidat, & deinde incidat in amentiam, quando Sortes occidit Clericum, tunc Petrus amens incidit in excommunicationem, & potest declarari excommunicatus. Volunt tamen Doctores cum Suar., Laym., Palao, quod in casu perpetuæ amentiæ debeat statim absolvi, etiamsi ante amentiam non dederit signa pœnitentiæ; quia pœna hæc medicinalis non convenit ei, qui nullo pacto corrigi potest.

VI. Quæritur tertio; An possit communitas aliqua Censuris ligari;

Respondeo, quod sicut potest aliqua Congregatio, vel Capitulum ferre Censuras, ita potest pariter Censuris ligari, atque adeo suspendi, aut interdici; non potest tamen, ut docet Con. dub. *6.*, per se, & immediate excommunicari; quia sic posset contingere, quod innocentes talis communitatis excommunicarentur: quod jura reputant inconveniens. Possunt tamen omnes, & singulæ personæ talis Communitatis excommunicari, si nocentes sint, sive propter idem, sive propter diversa crimina; ut habetur in *Cap. Romana*, *de Sententia Excommunicationis in 6.*; Ubi notat Hurt. disp. 12. de Excommunicatione difficult. 2., decretum hoc Innoc. IV. procedere de Excommunicatione lata ab homine, non vero de excommunicatione juri annexa: Verbi gratia, si in jure excommunicetur, qui mandat bellum injustum, & Respublica aliqua tale bellum indicat.

Quod si censuretur aliquis vage, dicendo, Excommunicamus, vel suspendimus unum ex iis, qui furtum commiserunt, non determinando personam, censura est invalida; quia ex intentione ferentis determinari debet actio ferendi Censuram: Possunt tamen excommunicari omnes, verbi gratia, qui furtum commiserunt; quia jam censura cadit supra personas determinatas, esto non exprimantur in individuo.

VII. Quæritur quarto; An ligatus una censura possit iterum alia etiam ejusdem speciei ligari?

Respondeo cum communi affirmative. Sicut enim qui plura mortalia committit, potest pluribus titulis privari gratia Dei; ita qui pluries est contumax Ecclesiæ per transgressionem legis obligantis sub pena Censuræ, plures Censuras non solum diversæ, sed etiam ejusdem rationis incurrere potest, seu potest pluribus titulis privari, verbi gratia, communione fidelium, sepultura sacra, &c.: Cum eo tamen discrimine, quod plura mortalia non possunt seorsim tolli, sicut plures censuræ; quia mortalia tolluntur per gratiam incompossibilem cum quovis mortali, secus vero Censuræ.

Hinc sequitur primo, quod qui ob percussionem, verbi gratia, unius Clerici, in excommunicationem incidit, iterum in aliam excommunicationem incidat, si alium Clericum percutiat.

Sequitur secundo, quod universim quando peccata multiplicantur numero, tunc multiplicentur pariter numero excommunicationes illis annexæ. Quare quia quando quis uno ictu percutit pluries Clericum, unum numero committit peccatum, ideo unam excommunicationem incurrit; & quia quando quis successive cum morali interruptione pluries Clericum percutit, plura peccata committit, ideo plures excommunicationes incurrit.

Sequitur tertio, quod si lata sit excommunicatio in fures, & in sacrilegos; & aliquis furetur in Ecclesia; sicuti per circumstantiam hanc mutantem speciem veluti duo peccata committit, furti, & sacrilegii, ita duas pariter excommunicationes incurrit. Et quia in *Clem. I.* prohibetur sub excommunicatione sepelire in loco Sacro vel publice excommunicatum, vel nominatim interdictum, aut tempore interdicti in casibus non concessis, vel publicum usurarium; hinc si quis sepeliret in loco Sacro aliquem, qui simul esset publice excommunicatus, & nominatim interdictus, & publicus usurarius, triplicem excommunicationem incurreret.

Sequitur ultimo, quod si quis percutiat aliquem, qui simul sit Clericus, & Monachus, unam excommunicationem incurrat; quia circumstantia Clerici, aut Monachi non est diversæ speciei; unde sicut non debet id in confessione aperiri tanquam novum peccatum, ita nec nova excommunicatio incurritur.

VIII. Quæritur quinto; An qui delinquit in aliena Diœcesi, possit Censuris ligari ab Episcopo illius Diœcesis, in qua delinquit; Verbi gratia, Petrus Neapolitanus delinquit Nolæ; potest ne ab Episcopo Nolano excommunicari?

Respondeo; vel Petrus Neapolitanus existit in Diœcesi Nolana animo ibi perpetuo permanendi,

di, aut saltem per majorem partem anni, vel non: Si primum, potest excommunicari, quia habitatio cum animo perpetuo permanendi facit domicilium, & cum animo permanendi per majorem partem anni facit quasi domicilium; & quilibet per domicilium, & probabiliter etiam ex Con. per quasi domicilium in aliqua Diœcesi fit in tali Diœcesi subditus, unde potest, sicut alii subditi, censurari: Quod si non sit Nolæ cum animo ibi permanendi perpetuo, aut pro majori parte anni, iterum subdistinguendum est: Nam vel Petrus delinquit in materia prohibita jure naturali, aut divino, verbi gratia, furando, fornicando, &c.; vel delinquit in materia prohibita per statutum, aut præceptum particulare Episcopi Nolani. In hoc secundo casu non potest censuris ligari; quia cum peregrinus non teneatur legibus loci, in quo versatur, per violationem talis statuti, quo non tenetur, nullo pacto delinquit, adeoque nequit ratione delicti sortiri forum Nolanum. Ita Con. dub. 7., & Hurt. diff. 9. ex Cap. *A nobis*, *de Sententia Excommunicationis*. In primo vero casu, si scilicet Petrus Neapolitanus Nolæ furatus est, potest ab Episcopo Nolano cogi sub excommunicatione ad satisfaciendum; quia ratione talis delicti Nolæ commissi sortitur forum Nolanum; ut docent communiter Doctores apud eundem Con., & Hurt. loc. cit. ex *Cap. ult. de Foro Compet.* Quod si post delictum statim e Diœcesi Nolana proficiscatur, dummodo ante egressum fuerit legitime citatus, adhuc alibi existens potest ab Episcopo Nolano excommunicari; quia ratione judicii inchoati retinet hic Episcopus jurisdictionem in illum: Si tamen non fuerit legitime citatus ante egressum, poterit ad requisitionem Episcopi Nolani citari a proprio Episcopo, qui requisitus tenetur illum citare, & si non respondeat, ut tenetur, poterit ab Episcopo Nolano excommunicari, ut docet Avila part. 2. disp. 2. dub. 3. cum aliis.

Adverte tamen ex Con. num. 52. contra Glossam, quod si Episcopus Nolanus excommunicet omnes furantes in sua Diœcesi, & Petrus Neapolitanus furetur Nolæ, ubi est peregrinus, non incurrit excommunicationem; quia furando solum peccat contra legem naturalem, non vero contra præceptum Episcopi Nolani, cui non est subditus: Nec ratione talis delicti fit subditus Episcopo Nolano, nisi tantum in ordine ad punitionem; unde solum cogi potest sub excommunicatione ad satisfaciendum.

IX. Quæritur sexto; An possit Episcopus censura ligare suum subditum delinquentem, & existentem in aliena Diœcesi?

Respondeo negative. Ita Con. num. 61. cum communi ex Cap. 2. *de Constitutionibus in 6.*, ubi dicitur, *Statuto Episcopi excommunicantis furres non ligari eos, qui extra Diœcesim furantur; quia extra territorium jus dicenti non paretur impune*. Quod si extra territorium existens aliquo tamen pacto in eo delinquat, potest censurari: Verbi gratia, si Episcopus statuat esse excommunicatos omnes Parochos, qui per duos menses a sua Parochia sine justa causa absunt, tunc si Petrus Parochus sine justa causa absit per duos menses, etiamsi alibi existat, poterit excommunicari; quia aliquo modo intra Diœcesim peccat per absentiam ab illa. Ita Doctores communiter apud eundem Con.

Ex quo resolves primo, quod Episcopus nihil possit valide præcipere, aut vetare existenti extra Diœcesim: Exempli gratia, non potest suis Sacerdotibus præcipere, ne faciant Sacrum, ne ludant aleis extra suam Diœcesim, esto possit illis ex justa causa præcipere, ne e Diœcesi egrediantur. Ita Con., Avila, Henr., & alii contra Laym. hic cap. 4. num. 7. ex Suar., Sà, Ugolin. Ratio est, quia, ut diximus, *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*, *ex laudato cap. 2. de Constitut.* Ubi adverte, quod si Sacerdos a suo Episcopo suspendatur, non potest extra Diœcesim sacrum facere. Etenim jus commune licet non tribuat præcepto Episcopi vim ligandi subditum extra territorium, tribuit tamen hanc vim censuræ, quæ ubicumque terrarum ligat, ut constat ex usu Ecclesiæ.

Resolves secundo, quod si Episcopus per statutum velit, ut homicidæ sint excommunicati, & Petrus deinde vulneret aliquem intra Diœcesim vulnere non lethali, ac deinde extra Diœcesim, aut in loco exempto consummet homicidium inchoatum, non incurrit excommunicationem, ex Laym. loc. cit. num. 6., & Suar. disp. 5. sect. 5.; quia statutum ex propria natura territorium afficit, & intra ejus limites se continet.

Resolves tertio, quod si Petrus Neapolitanus graviter læserit Titium in Diœcesi Neapolitana, & postea fugiat, poterit ab Episcopo Neapolitano per Censuram cogi, ut satisfaciat parti læsæ; quia quamvis post inflictum vulnus fugerit extra Diœcesim, pergit tamen per læsionem ibi relictam ibi quodammodo peccare; & sic tamquam subditus corrigi per Censuram, & puniri potest.

Ultimo; Si Sacerdos aliquis extra Diœcesim fungatur legatione Episcopi, vel Capituli, tunc ratione talis muneris est subditus Episcopo, vel Capitulo, ita ut si extra Diœcesim delinquat, possit a suo Episcopo per censuras corrigi; ut ex communi docet idem Con.

Adverte tamen primo ex eodem Con. num. 63., pariformiter discurrendum de subdito extra Diœcesim, ac de subdito in loco exempto intra Diœcesim existente, & delinquente; quia Episcopus non plus juris habet hic, quam ibi. Ex Suar. autem non intelliguntur loca exempta in-

tra Diœcesim Monasteria, sed aliquæ Parochiæ exemptæ, & similia, quia in Monasteriis Superior tantum habet jurisdictionem in personas, non in locum; unde si subditus Episcopi in aliquo Monasterio existat, & delinquat, potest ab Episcopo puniri; Aliter delictum remaneret impunitum, cum Prælatus regularis non possit illud punire per hoc, quod sit factum in Monasterio. Dian. tamen part. 10. tract. 14. resol. 7. ex Baucio, Bord., Bonac., & aliis, putat, eodem modo discurrendum de Monasteriis intra Diœcesim, ac de aliis locis exemptis. Immo addit, quod si in Monasterio exempto crimen committatur, non solum non incurratur excommunicatio, sed nec reservatio peccati facta ab Episcopo, non secus ac si extra Diœcesim committeretur. Equidem existimo, a sententia Suarii non esse recedendum.

Adverte secundo, quod quamvis Episcopus non possit extra Diœcesim ligare censuris subditos suos, potest tamen Prælatus regularis. Disparitas est, quia Episcopus habet immediate jurisdictionem in territorium, & ratione territorii in personas, quæ dicuntur ei subjectæ ratione domicilii, beneficii, aut Officii: Contra vero Prælatus regularis habet immediate jurisdictionem in personas, adeoque habet potestatem ferendi censuras in suos ubicumque terrarum existentes.

X. Quæritur septimo; An statuto generali continente censuram comprehendantur etiam ii, qui post promulgationem acquirunt in tali loco domicilium, & sic fiunt subditi? Verbi gratia, si Episcopus Neapolitanus excommunicet suo statuto omnes, qui furantur in templo; & Titius post promulgationem talis statuti acquirat Neapoli domicilium, & furetur in templo, incurrit ne excommunicationem?

Respondeo affirmative cum Suar. disp. 5. sect. 5., Con. dub. 7., Hurt., & aliis communiter. Ratio est, quia tale statutum, seu edictum non solum habet vim, dum publicatur, sed quamdiu durat; quare cum Titius per acquisitionem domicilii fiat subditus, dum vim habet tale edictum, consequenter eo comprehenditur.

Secus accidit, si Censura non feratur per edictum generale, sed per sententiam particularem, quæ factum aliquod particulare respiciat; Verbi gratia, si Episcopus Neapolitanus post furtum aliquod commissum præcipiat sub pœna excommunicationis, ut quicumque novit fures, debeat illos revelare, & Titius post promulgatum hoc præceptum fiat incola hujus Civitatis, & noscat fures, probabiliter non tenetur eos revelare, ex eodem Con. num. 60., Avil., Sylvest., & aliis; quia scilicet talis sententia fertur per modum præcepti transeuntis, adeoque simul, & semel totam vim suam exerit, & exercet; Quare eos solum ligat, qui sunt subditi, quando promulgatur, non vero Titium, qui post promulgationem fit subditus per acquisitionem domicilii.

XI. Quæritur octavo; Quid requiratur, ut aliquis dicatur subditus alicujus Episcopi?

Respondeo, aliter discurrendum de subdito relate ad forum gratiosum, & Sacramentale, seu relate ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, & aliter de subdito relate ad forum contentiosum, & pœnale, seu ad censuras, quibus potest ab aliquo Episcopo ligari.

Et quidem relate ad suscipiendum tempore Paschatis Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ a proprio Sacerdote, dicitur aliquis esse hujus, vel illius Diœcesis, seu Parochiæ per hoc, quod in hac, vel illa habeat domicilium, vel quasi domicilium: Ad acquirendum autem in aliqua Diœcesi, vel Parochia domicilium, vel quasi domicilium, duo requiruntur, ut docet Laym. tract. 6. cap. 7. ex *leg. Domicilium*, videlicet animus, & factum; pro animo intelligitur propositum permanendi ibi saltem diuturno tempore; pro facto intelligitur ipsa actualis habitatio; ita ut actualis habitatio cum animo permanendi ibi perpetuo acquirat domicilium simpliciter; cum animo tamen habitandi ad non modicum anni tempus, seu pro majori parte anni acquirat quasi domicilium.

Hinc sequitur primo, quod si domicilium habens in Urbe ad Villam se transferat ratione vindemiæ, vel messis, non censeatur ad Parochiam illius Villæ pertinere; atque adeo si ibi non electa sepultura decedat, non in Ecclesia Villæ, sed in sua Parochia sepeliendus est, ex *Cap. Qui, de Sepulturis in 6.*

Sequitur secundo, eum, qui Neapoli studiorum causa versatur, quamvis paternum domicilium habeat alibi, esse tamen quoad Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis recipiendum Diœcesis Neapolitanæ, in qua vere habet quasi domicilium; Et idem dicas de militibus, litigantibus, mercatoribus, &c. Verum non est eadem ratio quoad suscipiendum Sacramentum Ordinis; quia ad suscipiendum hoc Sacramentum ab Episcopo alicujus Diœcesis, non sufficit habere quasi domicilium in illa Diœcesi, sed requiritur domicilium simpliciter, vel origo, vel beneficium.

Sequitur tertio, quod si Titius in duabus Parochiis domicilium habeat, & modo in una, modo in altera habitet, liberum sit illi in utralibet Sacramenta recipere, eo quod utriusque Parochiæ censeatur. Ita Suar., & alii communiter apud Laym. loc. cit. contra Palud., & Antonin. qui volunt debere Sacramenta recipere in ea Parochia, in qua tunc temporis habitat.

tat. Verum Suar. advertit, quod si Sacramenta recipiat in ea Parochia, in qua de facto non habitat, debeat reddere certiorem alium Parochum, in cujus Parochia habitat, quod Sacramenta receperit.

Est tamen difficultas de vagabundis, & peregrinis; A quonam Parocho debeant Sacramenta recipere? Differunt vagabundi a peregrinis; quia isti alicubi domicilium habent; illi vero nullibi, eo quod nullibi habitant animo permanendi.

Circa Vagabundos, Suar. disp. 25. sect. 2. ex Sylv., Sot., Medin. putat teneri ad confitendum Parocho ejus loci, in quo actualiter versantur, vel alteri de ejusdem Parochi, aut Episcopi licentia; quia cum domicilium non habeant, actualis habitatio succedit loco domicilii; Præsertim quia Parochus ejus loci tenetur vagabundis administrare Sacramenta, & potest illos ad præceptum Paschale implendum compellere: At Laym. loc. cit. ex Palud., Anton., & aliis putat, vagabundos posse confiteri cuilibet Confessario, qui in ea Diœcesi, in qua versantur, vel ordinariam, vel delegatam habeat potestatem, & a quolibet Parocho talis Diœcesis recipere Sacramentum Eucharistiæ: unde si vagus versetur hic & nunc in Parochia A, potest confiteri, & communicare in Parochia B ejusdem Diœcesis. Ratio est, quia determinatio Ecclesiæ facta per domicilium non habet locum in vagabundis, qui domicilio carent. Addit proinde Laym. pertinere ad Episcopum, in cujus Diœcesi versantur, illos ad Sacramenta recipienda compellere, vel per Parochos, vel per alios habentes delegatam jurisdictionem.

Circa Peregrinos vero, communis sententia fert, posse illos ex tacito Ordinariorum consensu consuetudine confirmato Sacramenta Confessionis, & Communionis recipere a quolibet Sacerdote habente ordinariam, vel delegatam potestatem in eo loco, in quo versantur; Idque etiam de Confessione, & Communione Paschali intelligendum esse significat Cajet. V. *Absolutio* ex declaratione Eugen. IV. apud Layman. loco cit., si scilicet ad propriam Parochiam facile accedere non possunt. Debent tamen testimonium annuæ Confessionis, & Communionis dare suis Parochis illud postulantibus, quando in suam Parochiam sunt reversi.

Rogabis nunc; Quomodo aliquis dicatur subditus alicujus Episcopi relate ad censuras, ita scilicet ut ab illo possit censura ligari?

Respondeo, ut possit aliquis tamquam subditus censurari ab aliquo Episcopo: Primo satis est, quod habeat in Diœcesi talis Episcopi domicilium, vel (ut probabiliter docet Con. dub. 7.) quasi domicilium, vel quod sit membrum alicujus Communitatis subjectæ tali Prælato.

Secundo satis est, si delinquat in territorio ejus, qui præceptum tulit sub censura; nam ratione delicti commissi in tali Diœcesi fit subditus Episcopi illius; dummodo tamen delictum sit contra jus naturale, aut divinum, ut explicavimus quæsit. 5. in quo casu, quamvis non incurrat excommunicationem delinquendo, sicut incurrunt cives, potest tamen sub pœna excommunicationis cogi ad satisfaciendum parti læsæ: Etenim ratione delicti fit subditus ejus loci, duntaxat in ordine ad punitionem.

Tertio satis est, in aliquo territorio sit incepta causa post legitimam citationem; Quare si post citationem Reus mutet locum, & non compareat, potest absens excommunicari, ut notavit Abbas num. *6.*

Quarto demum, censurari potest ut subditus a quovis Episcopo quicumque censuram talis Episcopi violavit, communicando, verbi gratia, cum excommunicato ab illo. Et ratio est, quia cum excommunicatus ab uno Episcopo sit ubique terrarum excommunicatus, & quilibet cum eo communicans incurrat excommunicationem minorem, poterit consequenter a tali Episcopo quilibet admoneri, & sub pœna excommunicationis majoris compelli, ne cum tali excommunicato communicet, ut patet ex *cap. Statutum*, *de Sententia Excommunicationis in 6.*

ARTICULUS IV.

Quam ob causam ferri possit Censura.

I. Excommunicatio ferendæ sententiæ quandonam indicitur pro culpa levi; & quando pariter suspensio, & Interdictum?

II. Excommunicatio major incurri potest, si imponatur ob rem de se levem, quæ tamen ex circumstantiis, aut ratione finis sit gravis.

III. Minor excommunicatio imponitur etiam pro culpa levi, cum sit pœna levis, quatenus facile tolli potest.

IV. Pro peccato mere interno censura infligi non potest; Nec pro externo simpliciter levi. Potestas ferendi censuras cum resideat in hominibus, quamvis sit spiritualis, non respicit, nisi per accidens, actus internos. Cur possint peccata interna reservari; necnon vota interna dispensari? Ut puniatur censuris actus externus, debet hic de se esse malus, quamvis requiratur aliquis actus internus, ut censura incurratur. Cur censuris puniri possit, qui recitat horas sine attentione, aut celebrat sine intentione consecrandi?

V. Nequit puniri censuris peccatum, quod præcise est contra jus naturale, aut divinum; nisi simul sit contra præceptum Ecclesiæ. Pro foro inter-

interno, ut censura incurratur, requiritur contumacia vera; pro foro autem externo sufficit præsumpta. Hinc pro peccato mere præterito censura infligi non potest, nisi inadæquate; Nec sine prævia monitione, & communione. Ut autem declaretur quis excommunicatus, prærequiritur citatio, quando delictum non est notorium.

VI. *Etiamsi Reus de Crimine sit convictus, nequit sine prævia monitione excommunicari a Judice: Hinc nequit sub excommunicatione ferendæ sententiæ prohiberi peccatum, quod tractum successivum non habet, puta, Blasphemia.*

VII. *Propter peccatum alienum potest quidem Suspensio, aut Interdictum ferri, non tamen Excommunicatio.*

VIII. *Ut censura incurratur, requiritur Voluntarium sufficiens ad peccandum mortaliter; Hoc tamen non semper sufficit.*

IX. *Peccatum, propter quod incurritur censura, debet esse in suo genere completum.*

X. *Censura lata contra aliquid facientes non comprehendit Consulentes, aut Mandantes, nisi id exprimatur, & Consilium, aut Mandatum influant. Quando tamen dicuntur influere? Quid si eos pœniteat, antequam effectus sequatur? Cur mandans non æquiparetur in casu nostro facienti?*

I. CErtum est, Censuram, cum sit pœna, ferri non posse non præsupposita culpa; unde quando in conscientia nulla datur culpa, censura non incurritur; Esto in publico servari debeat ad vitandum scandalum, quando ob causam præsumptam, & legitimam inflicta est. Dubium nunc est; An possit infligi pro peccato veniali; vel pro mere interno; aut pro peccato, quod solum est contra jus naturale, aut divinum; aut demum pro peccato alieno?

Quæritur itaque primo; An possit pro veniali infligi Censura?

Respondeo cum communi apud Con. dub. 8., Pal. punct. 7. Excommunicationem minorem ferri posse etiam ob culpam levem. Quod patet, quia hæc incurritur ob communicationem etiam levem in rebus civilibus cum excommunicato vitando, quæ solum est venialis: At excommunicatio major ferri non potest ob culpam levem; cum censeatur pœna gravissima; & ideo ex Trid. sess. 15. cap. 3. ferri non debet, nisi ob gravissimas causas. Avila tamen 2. part. cap. 5. disp. 1. dub. 3., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 21. docent ex Cajet., Navar., & aliis viris doctissimis, quod quando aliquid prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ, tunc solum prohibeatur sub mortali, quando materia est gravis aut ex se, aut ex circumstantiis; vel quando non requiritur monitio Judicis, antequam delinquens excommunicetur, ita ut non aperte id in jure requiratur: Contra vero prohibeatur sub levi, si jus expresse requirat monitionem, antequam Judex possit excommunicare transgressorem; (sicut expresse in Trid. sess. 24. cap. 8. imponitur excommunicatio comminatoria adversus Concubinarios, qui ter moniti ab Episcopo non se separaverit; Et sess. 14. cap. 8. imponitur suspensio comminatoria contra personas Ecclesiasticas, quæ præcedente monitione Ordinarii non gestaverint habitum decentem) Vel si materia sit levis; tunc enim quicquid sit de rigore juris, ex æquitate tamen præsumitur, non esse intentionem Ecclesiæ, quod infligatur excommunicatio ante monitionem Judicis; unde prohibitio est tantum sub levi. Ex quibus Avil. loc. cit. colligit, quod Clericis in Sacris sub mortali prohibeatur, ne assistant agitationi taurorum, quando id sub pena excommunicationis prohibetur a Pio V.; quia materia est gravis; Quod si occulte, aut a longe assisterent, peccarent tantum venialiter, quia materia est levis.

Circa Suspensionem, & Interdictum, Cajet., Navar. putant ferri posse etiam ob culpam levem. Con. pariter dub. 7. cum Filliuc., & Suar. disp. 4. sect. 4. id affirmant, si censeantur penæ leves; Negant vero, si ferantur, prout communiter feruntur, ita ut sint pene graves. Quod ut pateat, sciendum, suspensionem aliam esse ab officio, aliam a beneficio, aliam ab omni officio, aliam a parte officii puta ab ordine; immo potest esse ab uno tantum ordine, vel ab aliquibus, & non ab omni. Similiter Interdictum potest esse tantum ab ingressu Ecclesiæ, vel a divinis officiis: Quare si quis suspenderetur ab officio parvi momenti, aut alicui personaliter interdiceretur ad breve tempus participatio Sacramentorum sine reservatione talis interdicti; quia hujusmodi censentur penæ leves, ferri possunt ob culpam levem. Verum quia non solent communiter ita ferri, sed cum omni amplitudine, ideo censentur penæ graves, quæ nonnisi ob gravem culpam ferri possunt. Quod si ob levem culpam ferantur, censentur invalidæ a Suar., Tol., & aliis apud Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 3.

II. Oppones primo; Aliquando Canones infligunt excommunicationem majorem etiam pro culpa levi; ergo falsum est, quod solum propter mortale infligi possit. Antecedens probatur, quia in *Can. Si quis, dist.* 23. excommunicatur Clericus, qui comam nutrierat.

Confirmatur; accidere enim potest, quod incurratur excommunicatio major ob retentionem rei alienæ in quantitate levi, quod est tantum culpa levis. Nam si plures dilapident bona Petri, tollendo singuli parvam quantitatem, ita

ita tamen ut nemo in alterius peccato participet, in tali casu singuli venialiter peccarunt, & tamen possunt omnes, & singuli cogi ad restituendum sub excommunicatione majore, eamque incurrerent non restituendo quantitatem levem, quam retinerent.

Respondeo, nego antecedens; etenim res, quæ ex se est levis, potest aliquando ex circumstantiis esse gravis, ut est nutrire comam in Clerico ob scandala, & alias circumstantias. Quod si res sit tam ex se, quam ex circumstantiis levis, procul dubio prohiberi non potest sub excommunicationem majori; & ideo censetur invalida excommunicatio, quæ ferretur contra proferentes mendacium leve, aut verbum otiosum, ut docet Bonac. loc. cit. Quando tamen prohibetur sub excommunicatione majori aliquod indifferens, puta gestatio armorum; quia materia illa supponitur esse gravis in ordine ad finem, ideo supponitur graviter, & sub mortali prohiberi, quamvis id non exprimatur; atque adeo qui gestaret arma, & peccaret mortaliter, & excommunicationem incurreret.

Ad confirmationem dico, quod ex retentione rei levis in casu adducto sequatur proximo damnum grave; & ideo sub mortali prohiberi potest retentio rei levis; Unde qui rem levem non restitueret, peccaret graviter, & excommunicationem incurreret, quamvis, quando singuli rem levem Petri furati sunt, nonnisi leviter peccaverint. Quod si retentio rei levis non inferret Petro damnum grave, ut accidit, si reliqui omnes jam restituerint suam materiam levem, tunc ex Bonac. Cordub., & aliis, qui rem levem retineret, excommunicationem non incurreret, nec graviter peccaret, cum non esset causa damni gtavis. Si tamen lata sit excommunicatio contra fures, & Titius furetur acum sartori pauperrimo, inferendo illi notabile damnum, peccavit quidem graviter ob injustam damnificationem gravem, sed non incidit excommunicationem, eo quod furtum non fuerit rei notabilis, ut dicemus quæsit. seq. Quod si sub excommunicatione majori præcipiatur restitutio talis acus, tunc non restituens, præter novum peccatum inobedientiæ, excommunicationem incurreret.

III. Oppones secundo. Excommunicatio minor privat maximis bonis, videlicet receptione Sacramentorum; ergo est maxima pœna, quæ pariter ob gravem culpam possit infligi.

Confirmatur, quia minoribus bonis privat Interdictum, & aliquando etiam Suspensio, quam Excommunicatio minor, & tamen illa ferri non possunt, nisi ob culpam gravem; ergo nec ista.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam; non censetur enim maxima pęna, quod ante absolutionem a tali censura non possint recipi Sacramenta; cum possit id vetari etiam sine ulla prævia culpa; ut accidit, quando quis non jejunus non potest communicare. Præterea neque dici potest maxima pęna, quæ facili negotio tolli potest, ut est excommunicatio minor, a qua potest absolvere quilibet Confessarius; immo etiam quilibet Sacerdos, ut docent Navar., & Tolet. contra Suar. & alios apud Busemb.

Ad confirmationem, concesso etiam antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, ingressus Ecclesiæ, & alia hujusmodi, quæ per Interdictum prohibentur, etsi minus bonum sint, quam receptio Sacramenti, quod prohibetur per excommunicationem minorem, censentur tamen pœna major, quia non facile tolli possunt.

IV. Quæritur secundo; An possit censura infligi peccato pure interno?

Respondeo cum communi negative; quia Ecclesia non judicat de internis; cum enim ipsa sit visibilis, & sensibilis, tantum fert judicium directe, & per se de peccatis externis, & sensibilibus; & ideo in cap. *Christiana* 32. *quæst.* 5. dicitur: *Non habent latentia peccata vindictam:* Et in *Cap. final. de Simon.* dicitur, *Pactio procedens ex animo Simoniaco, si hic non prodatur exterius, ab Ecclesia non puniri*. Et ratio a priori est, quia ad hoc, ut culpa per censuras puniatur, debet esse cognoscibilis a puniente; animus autem internus simoniacus, nisi externo aliquo signo prodatur, ab Ecclesia cognosci non potest, atque adeo nec per censuras puniri.

Immo addo ex Suar. disp. 4. sect. 2., nec posse infligi censuram ob peccatum externum, quod ex se, & ex suis circumstantiis externis non sit graviter vitiosum, etiamsi fiat cum intentione graviter peccaminosa: Quare si feratur excommunicatio, verbi gratia, contra fures, & Titius furetur vitrum putans illud esse adamantem, quamvis graviter peccet, non incurrit excommunicationem; quia talis actus externus non est graviter vitiosus; Et idem dicas, si quis furetur acum sartori pauperrimo, ut supra innuimus.

Dices primo cum nonnullis Canonistis, & Theologis apud Suar. loc. cit., Potestas ferendi Censuras est spiritualis; ergo potest punire censuris non solum peccata sensibilia, & externa, sed etiam mere interna.

Respondeo, nego consequentiam; quia talis potestas ita est spiritualis, ut tamen resideat in hominibus, qui non possunt illam exercere nisi circa ea, de quibus possunt ipsi judicare; Unde sicut directe & per se potest Ecclesia solum

lum actus externos præcipere, vel prohibere, & nonnisi indirecte, & per accidens actus internos, ita pariter per censuras punire.

Hinc inferunt Vasq. tract. de Excommunicatione dub. 13., Suar., Con., & alii, quod non subjaceat excommunicationi latæ contra Hæreticos, qui male sentit de fide; ita tamen, ut exterrius non manifestet hæresim suam. Adverte tamen, quod si exterius manifestet, sed occultissime, ita ut a solo delinquente cognoscatur, incurit excommunicationem; quia tale peccatum est occultum per accidens, non vero per se, ut peccatum pure internum.

Dices secundo; Potest Ecclesia reservare peccata interna, & Superior in voto pure mentali dispensare; ergo pariter punire censuris peccata interna; cum relate ad hæc omnia requiratur eadem spiritualis potestas Ecclesiæ.

Respondeo ex Bonac. punct. 3., concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas primo est, quia tam in reservatione, quam in voto habetur deinde externa manifestatio; Etenim quando peccata reservata manifestantur, tunc negatur Confessariis inferioribus potestas absolvendi ab illis; & quando votum mentale manifestatur Superiori, tunc potest in illo dispensare: Contra vero peccata interna in casu nostro nunquam exterius manifestantur. Secundo, ex Medina disparitas est, quia per absolutionem a reservatis, & per dispensationem votorum tollitur obligatio; per censuras vero ponitur: Potest autem Ecclesia ob actus pure internos obligationes tollere, non ponere; quia odia sunt restringenda, favores ampliandi.

Dices tertio: In *Clement. Multorum, de hæreticis* fertur excommunicatio in Inquisitores, qui vel odio, vel sepe lucri puniunt aliquem innocentem; Item multa jura, & constitutiones Pontificiæ excommunicant eos, qui scienter, aut ex præsumptione aliquid committunt; ergo per censuram puniri potest odium, & præsumptio, qui sunt actus interni.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Etenim in casibus adductis punitur actus externus cæteroqui ex se malus, si fiat ex odio, præsumptione, &c.: Sic quando punitur censuris retinens scienter rem alienam, aut scienter usurpans rem Ecclesiæ, non punitur scientia, (quæ est actus intellectus, non voluntatis) sed punitur actus externus malus, supposita tali scientia. Hinc sequitur, quod si Inquisitores juste aliquem reum damnarent, sed tamen ex odio, vel spe lucri, peccarent quidem, sed excommunicationem non incurrerent; Item si excommunicetur frangens jejunium ex contemptu, qui jejunium frangit, & non ex contemptu, sed ex fragilitate, aut passione, peccat, sed non incurrit excommunicationem: Sicut nec incurrit, qui jejunaret, & simul contemneret legem jejunii. Quare semper quod per Censuram punitur, est actus externus malus, quamvis aliquando requiratur aliquis actus internus ad incurrendam censuram.

Dices quarto; Si feratur censura in non audientes Sacrum, aut in omittentes Horas Canonicas, & Titius audiat Sacrum, aut recitet horas sine ulla attentione, certe censuram incurrit præcise propter carentiam actus interni: Eodem modo si præcipiatur Sacerdoti sub excommunicatione, ut semel in anno faciat Sacrum, hic tamen in faciendo Sacro non habeat intentionem consecrandi, incurrit excommunicationem; ergo puniri potest censuris actus internus.

Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam; sicut enim Ecclesia in dictis casibus præcipere potest actus internos per accidens, & indirecte, quatenus scilicet spectat ad substantiam actus externi præcepti; (non enim habetur, verbi gratia, Sacrum præceptum sine intentione consecrandi) ita Ecclesia in iisdem casibus per accidens, & indirecte punit censuris actus internos, quatenus sine actibus internis non habentur actus externi præcepti. Quod si substantia actus externi præcepti posset subsistere sine actu interno, censura non incurreretur propter actum internum malum. Verbi gratia, si quis faceret Sacrum cum intentione quidem consecrandi, sed cum prava intentione, puta, ad faciendum maleficium, non incurreret excommunicationem propter hanc pravam intentionem, sed illam incurreret, si careret intentione consecrandi. Ratio est, quia quamvis uterque sit actus internus malus, intentio tamen consecrandi per se pertinet ad substantiam actus externi præcepti; unde ejus omissio per accidens puniri potest censuris; secus vero prava illa intentio.

V. Quæritur tertio: An possit infligi censura propter peccatum, quod est duntaxat contra jus divinum, aut naturale, puta contra furantes; in quo casu nulla intervenit contumacia, & inobedientia præcepto Ecclesiastico?

Respondeo negative cum communi apud Laym. cap. 5.; Etenim unice ferri potest censura propter peccatum inobedientiæ, seu contumaciæ, per quam reus auctoritatem Ecclesiæ præcipientis, ac monentis spernere censeatur. Ratio est, quia censura est pęna instituta ad frangendam contumaciam, seu inobedientiam contra Ecclesiam: Quod patet ex illo Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit* (seu si inobediens Ecclesiæ fuerit) *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; Ubi ostenditur, excommunicationem ferri propter hanc inobedientiam: Et idem dicitur de aliis censuris, ut colligitur ex *Cap. Ex pœna, de*

verbo-

verborum significatione; ubi duæ duntaxat causæ censurarum adducuntur, videlicet, vel quia reus citatus noluit parere Judici; vel quia jussus noluit se a commisso facinore emendare.

Adverte tamen primo ex Avil. part. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 2., & Laym. loc. cit., ad censuram ferendam non requiri inobedientiam, seu contemptum legis formalem; ne dicamus, duplex peccatum committi ab eo, qui facit opus sub censura prohibitum; sed satis esse contemptum interpretativum, & inobedientiam generalem, quæ solet haberi, quoties aliquis transgreditur præcepta sine formali contemptu legislatoris.

Adverte secundo, contumaciam dici a verbo, Tumeo; Etenim ea affectus, quasi tumidus factus, jus aspernatur, ex *leg. Contumacia ff. de re judicata*. Intervenit autem contumacia, quando aut fit, quod prohibetur, aut non fit, quod præcipitur sub interminatione pœnæ. Unde patet, contumaciam non esse quamcumque inobedientiam, seu transgressionem præcepti Ecclesiastici, sed esse inobedientiam illam, quæ spernere censeatur Ecclesiam precipientem simul, & comminantem, seu monentem.

Adverte tertio, contumaciam aliquando esse Veram; ut quando Judici præcipienti non paretur; Aliquando esse Præsumptam, quando scilicet vel revera non habetur contumacia, vel non constat manifeste, quod adsit, sed præsumitur adesse; puta si delinquens latitet, aut impediat, ne citatio ad ipsum perveniat. Ad valorem censuræ in foro interno requiritur vera contumacia: quia hac culpa deficiente, deficit pœna illi tributa; At ad valorem censuræ in foro externo sufficit contumacia præsumpta, ut docet Filliuc. tract. 2. de censuris cap. 6., alioquin facile contemnerentur censuræ, siquidem posset allegari defectus veræ contumaciæ.

Infertur ex dictis primo, peccantem contra jus naturale, aut divinum nunquam incurrere censuram, nisi præcedat Ecclesiæ præceptum de talibus operibus, quod per transgressionem contemnatur. Quare si sub pœna Excommunicationis prohibeatur ab Ecclesia furtum, potest excommunicari fur, non ratione furti, sed ratione contumaciæ, seu inobidientiæ relate ad tale præceptum Ecclesiæ.

Neque dicas cum Cajet. 2. 2. quæst. 67. art. 2.; Potest Ecclesia punire peccatum contra jus naturale, aut divinum, puta usuram, adulterium, &c.; ergo etiam propter talia peccata potest ferre censuram. Nam concesso antecedente, negatur consequentia; non enim dari potest ab Ecclesia talis pœna, quippe quæ duntaxat propter contumaces instituta est, non propter transgressores divinorum mandatorum.

Infertur secundo, censuram ferri non posse propter peccatum mere præteritum, quod scilicet omnino cessavit, nullamque præsentem contumaciam habet conjunctam; Verbi gratia, propter Sodomiam, aut propter blasphemiam præteritam. Ratio præter dicta est, quia censura non est pura pœna, seu vindicta, sed est pęna medicinalis ordinata ad Rei correctionem, ac medelam, seu ordinata ad hoc, ut Reus citatus, ac monitus a peccato absistat, vel pro peccato commisso satisfaciat, ut dicitur cit. *Cap. Ex Parte*, juxta illud. 1. ad Corinth. 5. *Ut Spiritus ejus salvus fiat in die Domini*; atqui pęna, quæ infligitur propter peccatum mere pręteritum, est vindicativa, non medicinalis; ergo propter peccatum mere præteritum non potest infligi censura. Quare si feratur Lex, aut statutum, quod sit ipso facto excommunicatus, qui, verbi gratia, furatur in templo, aut qui post furtum intra mensem non satisfecerit, non incurrit excommunicationem pro furto commisso in templo, qui illud ante tale statutum commiserit, vel si non possit hic & nunc obedire Ecclesiæ, & ante mensem satisfacere.

Verum quidem est, posse Ecclesiam ad bonum regimen aliquid censuræ ferre in delinquentes in puram vindictam; non tamen censuram adæquate sumptam, inquantum censura est, ut notat Suar. num. 27.: Verbi gratia, potest Ecclesia propter peccatum mere præteritum privare ad tempus Reum humana communicatione, officio, beneficio, celebratione, aut auditione missæ, sumptione Eucharistiæ, &c., ut constat tum ex usu antiquo Ecclesiæ arcendi ad tempus peccatores ab Eucharistia, & Communicatione fidelium, ut habetur in *cap. Præsenti* 5. *quæst.* 2.; tum etiam ex usu Ecclesiæ recenti; cum sæpe Clerici, qui deliquerunt, etiamsi resipiscant, suspendantur per aliquod tempus ab officio, vel beneficio. Hæc tamen non sunt censuræ, sed effectus similes effectibus censurarum; non enim deinde tolluntur per absolutionem, ut censuræ, sed per lapsum temporis definiti.

Infertur ultimo, censuram infligi non posse sine prævia monitione, & comminatione. Ratio est, quia illi duntaxat dicuntur contumaces, qui spernunt Ecclesiam præcipientem simul, & monentem, ac comminantem. Quare, ut feratur ab homine censura per sententiam specialem pro culpa præterita, aut præsente, in qua reus contumaciter persistit, vel pro qua satisfacere jussus recusat, requiritur monitio canonica, & quidem triplex, prout art. seq. explicabimus; Ut incurratur vero censura lata a jure, vel ab homine pro culpa futura, satis est pro monitione ipsa lex, quæ dicat, exempli gratia: Quicumque hoc fecerit, sit ipso facto excommuni-

municatus; Nec requiritur nova monitio, ut excommunicatus declaretur, qui deliquerit, ut habetur in *cap. Reprensibilis*, *de Appellat.*, quia lex ipsa admonet, ut merito contumax censeatur, qui obedire recusat. Verum tamen est, quod ut iste talis a Judice declaretur in excommunicationem incidisse, requiratur naturali jure citatio, ut possit se defendere, ex *Clem. Pastoralis* 5. *cæterum de re judicata*. Ita Avil., Suar. disp. 3. sect. 10., Navar. lib. 5. conf. 7.; ubi ait sine citatione, nisi causa omnino notoria sit, declarationem fore nullam. Et in *cap. Pœnæ*, *de electione* dicitur, quod *Excessus notorius examinatione non indiget*; atque adeo si notorius non sit, citationem requirit.

VI. Dubium tamen est; An quando a jure decreta est excommunicatio sententiæ ferendæ, (verbi gratia, Qui furabitur, excommunicetur) possit Judex procedere ad Censuram infligendam sine prævia monitione, si reus est plene convictus de crimine?

Affirmant Bonac. punct. 9., Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24., Avil., Abbas. Sed communius negant cum Laym. cap. 5. Suar. loc. cit. Ratio est, quia in tali casu infligeretur censura ob crimen mere præteritum; nam si reus citatus, & crimen confessus vellet ab illo desistere, & Ecclesiæ satisfacere, excommunicari non posset; cum non esset contumax. Immo absolvi deberet, si excommunicationem ipso facto incurrisset, ex *cap. Qua fronte*, *De appellationibus*.

Et confirmatur a Laym.; quia censura hæc non ferretur a jure, ut patet; quia est ferendæ, non latæ sententiæ; ergo ferretur ab homine; ergo non est satis monitio legis, sed requiritur monitio facta ab homine, ut possit reus censeri contumax, saltem ordinarie, & nisi aliud causæ gravitas, seu necessitas postulet.

Hinc recte infert Suar. num. 21., quod non possit sub comminatione censuræ ferendæ sententiæ prohiberi delictum, quod tractum successivum non habet, nec satisfaciendi obligationem parit, ut est blasphemia, sodomia, &c. Ratio est, quia cum lex in tali casu non moneat, sed expectanda sit monitio a Judice, non censetur contumax, qui blasphemat, &c.; nec per monitionem Judicis posset aut desistere a blasphemia præterita, aut satisfacere.

VII. Quæritur quarto; An possit infligi censura pro peccato alieno?

Respondeo cum communi, excommunicationem, cum sit pęna inter spirituales gravissima, ferri non posse ob culpas alienas; ut patet ex *cap. Si habes quæst.* 3. & ex D. August. ep. 75. adversus Auxilium Episcopum, qui excommunicaverat filium Capiciani cum conjuge, & tota familia, quæ non peccaverat. Suspensio tamen, & Interdictum ferri possunt ob alienas culpas; sæpe enim imponitur Intredictum locale, & suspenditur aliqua Communitas ob delictum unius tantum, puta solius Prælati, etiamsi reliqui sint innocentes; ut patet ex *cap. Si sententia*, *de Excommunicatione in 6.*, idque propter bonum commune, & propter terrorem ejus, qui deliquit, ut suo loco dicemus.

VIII. Quæritur quinto; quomodo debeat esse voluntarium peccatum, ut censura incurratur?

Respondeo, requiri, ut voluntarium sufficiens sit ad peccatum mortale; Aliquando tamen voluntarium, quod est sufficiens ad peccatum mortale, non satis est ad incurrendam censuram; Sic quando lex dicit: Qui temere hoc fecerit; Qui ausus fuerit; Qui præsumpserit; Qui scienter, vel ex contemptu hoc egerit, sit ipso facto excommunicatus, non incurritur censura in his casibus per trangressionem præcepti graviter peccaminosam, quæ oriatur ex negligentia, aut inadvertentia, aut ignorantia graviter culpabili; quandoquidem ex verbis legis requiritur voluntarium directum, & ex certa scientia censuræ. Ita Suar., Avil., & alii apud Bonac. punct. 3.

IX. Quæritur sexto; An peccatum, propter quod fertur censura, debeat esse in suo genere completum, ut censura incurratur?

Respondeo affirmative cum Avil., Suar., Sanch. Con. dub. 8. & aliis communiter; & habetur in *cap. Perpetuo*, *de Electione in 6.*, ubi dicitur, quod scienter eligentes indignum non incurrant pęnas constitutas a jure; *Nisi adeo in eo perstiterint*, *quod ex votis eorum communis electio subsequatur*. Et ratio a priori est, quia lex pęnalis, utpote odiosa, stricte est interpretanda.

Hinc sequitur ex Con., quod qui conatur Clericum percutere, & ab alio impeditur, excommucationem incurrat; Et qui vulnerat aliquem lethaliter, donec moriatur vulneratus, non incurrat censuram latam in homicidam; Immo si moriatur, non tamen præcise ex vulnere non lethali, sed ex alia concausa, nec incurritur censura; cum non pręcesserit actio lethalis requisita ad censuram latam contra homicidam, ut notat Bonac. loc. cit. Similiter qui, ut obsequatur hæretico, committit actum externum hæresis sine animo hæretico, non incurrit censuram latam in hæreticos: secus vero si censura ferretur in committentes actum externum hæreticalem. Demum qui mittit literas continentes inhonesta ad Moniales, non incurrit excommunicationem latam in hac Diœcesi contra mittentes has literas, nisi litteræ ad Monialem pervenerint. Et idem dicas de similibus; nisi aliter in lege exprimatur; ut de facto exprimitur in Cap. 1. *de Homicid. in 6.*, ubi excommunicantur mandantes homicidium per Assassinos, etiam effectu non sequuto.

X. Quæ-

X. Quæritur septimo; An censura lata contra facientes aliquid includat etiam consulentes, mandantes, &c.?

Respondeo cum communi negative, nisi aliter exprimatur. Ratio est, quia odia stricte interpretanda sunt. Quod si utrumque prohibeatur sub censura, facere simul, & consulere, ut de facto sub excommunicatione prohibetur tam percutere Clericos, quam consulere, seu mandare percussionem, sicuti qui conatur percutere Clericum, re tamen vera non percutit, excommunicationem non incurrit; ita qui percussionem consulit, aut mandat, excommunicationem non incurrit, donec sequatur percussio; ut docent Suar., Valent., Filliuc. & alii apud Bonac. punct. 3. Immo nec illam incurrit mandans, & consulens, etiamsi percussio sequatur, quando mandatum, vel consilium non influxit in talem percussionem, ut docet idem Bonacina punct. 6.

Ut autem sciatur, quando mandatum, aut consilium non influunt; Notandum primo, quod si mandatum revocetur, & revocatio perveniat ad mandatarium, tunc mandatum non censetur amplius in effectum influere; unde si mandatarius percutiat in tali casu Clericum, non percutit vi, & efficacia mandantis. Hoc tamen non militat in consilio; nam etiamsi consilium revocetur, adhuc post revocationem influit in effectum, si rationes adductæ subsistant, ac moveant ad talem percussionem.

Notandum itaque secundo, quod si quis ductus pœnitentia consilii dati revocet illud, quantum est in se, quamvis consilium in effectum influat, non per hoc incurritur censura, ut docent Pal. disp. 1. dub. 7., Hurt. difficult. 15., Tabien., & alii ex Innoc. in *cap. Mulieres, de Sententia Excommunicationis*. Et ratio est, quia quando sequitur effectus, seu percussio Clerici, tunc qui dedit consilium, aut mandatum, quod quantum potuit, revocavit, vere est pœnitens, atque adeo non est contumax, nec inobediens Ecclesiæ; ergo in excommunicationem incurrere non potest: Esto irregularitatem incurreret, si sequeretur homicidium: cum ad irregularitatem incurrendam non requiratur contumacia. Et idem dicas ex Hurt. loc. cit si quis propinet venenum Clerico, & ante mortem illius veram pœnitentiam habeat; hic enim excommunicationem non incurrit, quando moritur Clericus, ex defectu contumaciæ, incurrit tamen irregularitatem.

Notandum tertio, quod quando spectatis omnibus dubitat quis, an suo mandato, vel consilio influxerit in percussionem Clerici, neque in tali casu excommunicationem incurrit, juxta sententiam Filliucii, Rebelli, Navar. apud Bard. disp. 6. de conscientia dubia §. 13. nisi præsumptio stet contra mandantem, & consulentem; quia in dubio excommunicatio non incurritur; Secus dicendum de irregularitate, si sequatur homicidium; quia in jure exprimitur, quod irregularitas etiam in dubio homicidii incurratur.

Oppones cum Sylvest. V. *Excommunicatio*, & Rosel., est hæc regula juris in 6., *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Unde etiam de Pilato, qui solum mandavit apprehendi Christum Dominum, & flagellari, dicitur Joan. 19. *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*; ergo quando fertur censura in facientes aliquid, incurritur pariter a mandante, & consulente, quamvis id in jure non exprimatur.

Confirmatur, quia de facto in *cap. Mulieres, de sententia excommunicationis in 6.* habetur, eos, quorum auctoritate, aut mandato alii injiciunt manus violentas in Clericum, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innoc. II. in can. *si quis suadente Diabolo*; quæ tamen prædicti canonis excommunicatio solum fertur in facientes, seu in percutientes Clericum, nulla facta mentione mandantis, seu consulentis; ergo universim sicut faciens, ita mandans, aut consulens incurrunt censuram.

Respondeo, nunquam qui consulit aliquid, dicitur ullo pacto facere illud; Et quamvis qui aliquid mandat, aliquando æquiparetur facienti, juxta regulam adductam, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*; at in pœnalibus mandans non æquiparatur facienti, quia odia stricte interpretanda.

Ad confirmationem dico, ex vi Canonis, *Si quis suadente Diabolo*, non esse excommunicatos mandantes percussionem Clericorum, cum de iis Canon non loquatur; esse tamen excommunicatos ex vi alterius Capitis *Mulieres in 6.*, ubi extenditur eadem excommunicatio in mandantes talem percussionem; Sicut etiam in cap. *Quantæ, de sententia excommunicationis*, extenditur ad non impedientes, quando tenentur impedire. Hinc reservatio facta a Clem. VIII. illorum sex casuum, a quibus nequeant Mendicantes intra Italiam extra Urbem absolvere, cum solum loquatur de percussore Clerici, non includit mandantes percussionem, aut illam non impedientes, quando ex officio ad id tenentur.

ARTICULUS V.

De forma, seu ritu in Censuris ferendis.

I. Ad censuram incurrendam prærequiritur contumacia, quæ haberi non potest sine prævia monitione. Hæc autem duplex est, Canonica, & non Canonica. Vim habet monitionis non Canonicæ lex prohibens aliquid sub Censura sententiæ latæ, non vero ferendæ.

II. Ut quis declaretur excommunicatus, prærequiritur citatio Rei, ut possit se defendere, nisi delictum sit notorium.

III. Plura requiruntur, ut quis excommunicetur. Si nulla monitio præcedat, Censura, quæ infligitur, est invalida: Est vero injusta, si non præcedat monitio Canonica, saltem virtualiter trina. Quid si Reus non inveniatur? Quid si censura feratur die festivo? Quid si non feratur scripto?

IV. Ad formam substantialem Censuræ plura spectant; videlicet Monitio, Citatio Rei, & quod signis externis exprimatur tum censura, tum persona determinata, necnon tempus præsens.

V. Sub quanam conditione possit valide censura ferri? Et quandonam possint suspendi effectus Censuræ.

VI. Quid requiratur, ut Appellatio suspendens effectus Censuræ sit legitima? Quandonam appellatio impedit sententiam declaratoriam Censuræ incursæ?

VII. Ad accidentalem formam Censuræ plura etiam spectant; præsertim trina monitio, scriptura, denunciatio. Aliquando non tenetur per accidens Superior censuram denunciare, seu publicare. A quonam Judice denunciatio isthæc fieri debeat, aut possit? Ante denunciationem præire debet sententia declaratoria Criminis, & citatio partis, si crimen non sit notorium, & inexcusabile.

I. DIximus art super., quod, ut possit infligi in aliquem censura, prærequiratur contumacia, seu inobedientia Ecclesiæ præcipientis simul, & monentis; ita ut si quis solum transgrediatur præceptum Ecclesiæ sine ulla prævia monitione, contumax dici non possit, nec capax excommunicationis; Quod etiam deducitur ex *Cap. Nemo Episcoporum 2. quæst.* 3. ubi habetur, non debere quempiam excommunicari, nisi quia aliter non potuerit corrigi; qui autem per Ecclesiam nondum est monitus, præsumitur per monitionem Ecclesiæ corrigi potuisse; ergo nisi præcedat Ecclesiæ monitio, Censura infligi non potest.

Duplex autem datur monitio, altera dicitur Canonica; altera non canonica. Monitio non canonica est ipsum præceptum juris, vel hominis sive generaliter, sive in particulari aliquid præcipiens, vel prohibens sub pœna censuræ sive latæ, sive ferendæ sententiæ. Monitio vero canonica est monitio juxta sacros canones instituta, quæ auctoritate Judicis fit ipsi Reo personaliter coram testibus in scriptis, ut a culpa, quæ explicatur in monitione, resipiscat. Hæc autem canonica admonitio esse debet vel trina formaliter, vel virtualiter, seu una pro tribus, dato pro singulis sufficienti temporis spatio ad deliberandum, dicendo, verbi gratia, Moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra tres hebdomadas hoc, vel illud facias, concedendo tibi singulas hebdomadas pro singulis monitionibus; de qua monitione canonica inferius plurima dubia solvemus. Interim dicimus, certum esse apud Doctores requiri aliquam monitionem saltem non canonicam, ut censura incurratur. Certum pariter est, quod lex prohibens aliquid sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ vim habeat monitionis non canonicę; ac proinde talis lex sufficit, ut patrato crimine prohibito statim censura incurratur, nec requiratur nisi citatio Rei ad defensionem, ut declaretur in censuram incurrisse; nisi delictum ita sit notorium, ut nulla tergiversatione celari possit, unde citatio sit superflua.

Dubium vero est apud Doctores; an lex prohibens aliquid sub censura ferendæ sententiæ habeat vim monitionis non canonicæ? Et nos art. super. diximus cum Suar., Pal., & communiori sententia contra Sanch., & Filliuc., non habere hanc vim; unde, ut censura incurratur propter talem legem, prærequiritur nova monitio canonica, ac deinde inflictio censuræ.

II. Quæritur nunc primo; Quid requiratur, ut aliquis declaretur excommunicatus, vel alia censura irretitus?

Respondeo ex dictis requiri primo, ut commiserit delictum prohibitum sub pęna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Secundo, ut si delictum non sit notorium, prœmittatur citatio Rei, qui possit se defendere, & si convincatur, sequatur sententia declaratoria criminis; aliter invalida est tam sententia declaratoria, quam ipsa denunciatio censurę, ex illo principio juris generalis, *Contra inauditam partem nihil potest in judicio definiri*. Quod si delictum sit notorium, potest omitti citatio, ex Suar. disp. 3. sect. 10., & Leand. qu. 2. Tertio requiritur, ut reum sui criminis non pęnituerit; si enim ostenderit signa pœnitentiæ, absolutionem petierit, & satisfactionem debitam exhibuerit, non est denunciandus excommunicatus, sed ab excommunicatione absolvendus, ex *Cap. Qua fronte, de Appellat.*; quia censuræ finis jam est obtentus, videlicet emendatio Rei.

III. Quæritur secundo; Quid requiratur, ut aliquis excommunicetur, suspendatur, &c.?

Respondeo, requiri primo, ut commiserit delictum prohibitium sub pęna excommunicationis ferendæ sententiæ. Secundo, ut præmittatur monitio canonica supra explicata: Nec satis esse solam citationem, etiamsi crimen sit notorium, diximus cum communiori sententia apud Leand. quæst. 6. Tertio, ut elapso tempore a monitionibus præstituto adhuc in inobedientia persistat; tunc enim potest excommunicari, suspendi, interdici.

Dixi-

Diximus tamen, monitionem canonicam debere esse trinam vel formaliter, vel saltem virtualiter, hoc est unam pro tribus, assignato pro singulis aliquorum dierum intervallo, ut habetur in *Cap. Constitutionem, de Sententia excommunicationis in 6.* unde ex Suar. sufficit, ut judex constituat sex dies, explicando, quod binos dies concedat pro singulis monitionibus. Quod si periculum est in mora, possunt pro singulis monitionibus assignari singulæ horæ, vel singuli quadrantes, vel minus, spectata necessitate, ut videre est apud Leand. quæst. 28., & Laym.

In eodem etiam Cap. dicitur, quod urgente necessitate satis sit una tantum monitio; sicut etiam si delinquens ad primam admonitionem appareat incorrigibilis, tunc secunda, & tertia admonitio, tamquam superfluæ, possunt omitti.

Dubitatur hic primo; invalida ne sit, an solum injusta, & illicita censura, quæ feratur pro peccato præterito sine ulla prævia monitione?

Respondeo, Vasq., Avil., & alios communiter docere esse invalidam; cum de essentia censuræ videatur esse aliqua monitio, ex illo Christi Domini: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus.* At Cajet., Cordub., & plurimi Canonistæ apud Filliuc., & Leand. quæst. 8. putant, esse tantum illicitam, non invalidam; præterquam in casibus a jure expressis, qui sunt duo. Primus, si feratur excommunicatio contra participantes cum excommunicatis ab eodem judice; Nam in *Cap. Statuimus, de Sententia excommunicationis in 6.* permittitur, hoc fieri solum prævia canonica monitione; unde si monitio ommittatur, censura est nulla. Secundus casus est, si judex accipiat jurisdictionem ferendi censuram sub hac conditione expressa, quod præcedat monitio, ut habetur in *Cap. Cum expressa, de Præscript.* Ratio autem, quare reliquæ censuræ latæ sine prævia monitione propter peccatum præteritum non sint invalidæ, videtur esse, quia Alex. III. in *Cap. Romana, de Sententia excommunicationis in 6.* vocat eas injustas, non irritas. Quare illa verba Christi Domini, *Si Ecclesiam non audierit, &c.* videntur intelligenda aut de correctione fraterna, aut de potestate ordinaria Ecclesiæ, quæ non possit sine prævia monitione ferre censuras, non vero de potestate extraordinaria, seu, de plenitudine potestatis.

Arridet mihi communis sententia, quæ docet, esse invalidam censuram, si nulla monitio præcedat; Esse vero injustam, ut dixit Alex. III. citatus, si non præcedat monitio canonica trina vel formaliter, vel virtualiter. Ex quo infert Leand. quæst. 18. quod stando in jure communi judex peccaret mortaliter, & incurreret suspensionem ab ingressu Ecclesiæ latam ab Innoc. III. Cap. *Sacro, de Sententia excommunicationis in 6.*, si hanc trinam monitionem omitteret. Advertendum tamen, pęnam hanc suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressa mentio fiat, non incurri ab Episcopo omittente trinam monitionem, quia in Cap. *Quia periculosum, eodem titul.* dicitur, quod Episcopi non comprehenduntur in sententia generali suspensionis.

Dubitatur secundo; cuinam facienda sit monitio, si reus ita se abscondat, ut nequeat inveniri?

Respondeo, debere in tali casu affigi monitionem domui ipsius, vel alteri loco publico, unde ad ejus notitiam pervenire possit; videlicet ad valvas Ecclesiæ matricis, vel in platea, vel in tribunali: Quod si reus per vim impediat, ne id fiat in sua civitate, aut provincia, satis est si fiat in loco viciniore: Et post publicationem hanc præsumitur in foro externo devenisse monitionem in notitiam Rei, nisi contrarium probetur. Adverte tamen, monitionem debere aut tradi reo, aut affigi secundum ordinem juris, idest non solum nomine Judicis, qui laturus est censuram, sed etiam coram idoneis testibus, ex Suar. disp. 3. sect. 2., & aliis communiter, & fieri debet ejusmodi monitio sub comminatione censuræ.

Dubitatur tertio; an possit ferri censura die festivo?

Respondeo, denunciationem censuræ frequenter fieri die festivo, dummodo præcesserit cognitio causæ; quia sic in plurium notitiam devenire potest: At censura non solet ferri die festivo; quia, ut rite feratur, plerumque requirit cognitionem causę, a qua abstinendum est die feriato, ex *Cap. final. de Feriis*. Si tamen die festivo feratur censura, non est invalida, ut docent Suar., & alii communiter, contra Leand. quæst. 28. disp. 7.

Dubitatur quarto; Sitne invalida censura, quæ verbo duntaxat feratur, non scripto continente causam censuræ?

Respondeo, Sayr. putare esse invalidam; quia in *Cap. final. de sententia, & re judicata* exigitur necessario scriptura. Sed Laym. part. 1. cap. 6., Avil., Pal., & alii communiter putant, esse tantum illicitam; quia jus exigens scripturam non irritat censuram aliter latam. Quod dicitur in Cap. final. adducto a Sayr. intelligendum est de sententia punitiva criminis, & decisiva litis, non vero de sententia ferente censuram quæ non tam ad puniendum, quam ad corrigendum, & præcavendum delictum infligitur.

Peccat tamen mortaliter Judex, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, si censuram ferat aut solo verbo, aut sine expressione causæ, aut si parti petenti exemplar talis scripturæ non concederet illud intra mensem. Ita Bonac. punct. 8., Avil., Con... Ratio

 est,

est, quia peccat contra jus in materia gravi, quod idcirco talem scripturam exigit, ne Judex in ferenda censura sit præceps, & ut ligatus censura possit ad superiorem appellare, qui non posset facile judicare, nisi per scripturam nota esset causa censuræ.

Ab hac pena suspensionis eximuntur Primo Episcopi, qui censuram ferrent solo verbo, propter rationem supra adductam, videlicet, quia de Episcopis in textu laudato expressa mentio non fit. Secundo, qui non excommunicant, sed tantum denunciant excommunicatum. Tertio, si propter urgentem, & justam causam Judex ferret censuram sine scriptura; quia scilicet aliter fieri non posset. Quarto, qui bona fide hoc facit, & ex inadvertentia. Quinto demum ex Henr., & Sayr. contra Navar., & Ugolin., si sit Prælatus regularis, ex privilegio Leon. X. apud Leand. disp. *6.* quæst. 17.

IV. Quæritur tertio; Quænam pertineant ad formam substantialem censuræ, seu ad ejus valorem? Quænam vero ad formam accidentalem?

Respondeo, Ad formam substantialem censuræ ea pertinere, sine quibus censura est nulla; Ea vero ad formam accidentalem pertinent, quæ jure positivo ad censuræ solemnitatem spectant; ita ut sine iis adhuc censura sit valida, quamvis illicita. Agimus nunc de forma substantiali, postmodum de accidentali.

Primo itaque ad formam substantialem spectat, ut censuram præeat aliqua monitio vel non canonica, vel canonica. Quod autem monitio canonica sit trina, non spectat ad valorem, seu ad formam substantialem censuræ, sed ad accidentalem. Secundo, ut ante sententiam præcedat citatio partis; quamvis ipsa monitio canonica, quando præcedit, habeat vim citationis. Tertio, ut censura non per solam internam voluntatem Judicis, sed per signa exteriora feratur, sive ea sint verba, sive scriptura, &c.

Quarto, ut verba, seu alia signa exprimentia censuram exprimant censuram determinatam; si enim Judex dicat, *Qui hoc fecerit, sit censura ligatus*, nullam censuram determinando, nulla censura incurritur a reo; quia illa verba sunt indifferentia ad excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum; & nisi determinentur ad unam potius, quam ad aliam censuram, nihil efficiunt. Nec ulla censura incurritur, si Judex dicat, *Qui hoc fecerit, sit suspensus*; quia pariter multiplex datur suspensio, videlicet ab officio, beneficio, & ab utroque: (Avila tamen 3. p. disp. 2. ex Sylv. & Henr. docet suspensum absolute esse illimitate suspensum, videlicet ab Ordine, ab Officio, & a Beneficio) Et eadem est ratio de interdicto, quod etiam dividitur in locale, & personale; Secus vero; si Judex dicat, *Qui hoc fecerit, sit excommunicatus*; quia quamvis excommunicatio dividatur in majorem, & minorem, antonomastice tamen excommunicatio sumitur pro excommunicatione majori. Adde, Ugolin., Henr., & alios apud Bonac. punct. 7. putare, quod si feratur vel excommunicatio, vel suspensio sub disjunctione, nulla censura incurratur, cum non sit major ratio de una, quam de alia. Verum Bonac. cum Suar., & Filliuc. putat in tali casu incurri unam censuram ad libitum pœnitentis, vel si nullam eligat, utramque incurri, aut saltem neglecta una, teneri illico servare alteram.

Quinto, sicut verba debent exprimere censuram determinatam, ita pariter debent personam determinatam exprimere, v. g. Petrum, vel saltem relate ad delictum, aut aliud munus determinatum, puta, latrones, Parochos, &c. Quare ex Bonac., Suar., & aliis, si superior dicat, Excommunico unum ex illis duobus, qui furati sunt, neuter est excommunicatus.

Demum verba debent etiam exprimere tempus præsens; unde non incurritur excommunicatio, si dicat Superior, Excommunicabo Petrum.

V. Quæritur quarto; Possitne valide ferri censura sub conditione?

Respondeo, posse censuram non solum valide, sed etiam licite ferri sub conditione pertinente ad causam, sive sit de præsenti conditio, sive de præterito, sive de futuro; Verbi gratia, si quis hoc fecerit, vel nisi intra mensem satisfecerit pro furto, sit ipso facto excommunicatus. Potest etiam valide, quamvis illicite, ferri sub conditione de præsenti, seu de præterito impertinente; Verbi gratia, si Turca dormit, si fulmen cecidit; nam in his casibus cum conditio actu extet, non suspenditur effectus censuræ. Verum invalida est censura sub conditione de futuro, quæ non pertineat ad causam; Verbi gratia, si cras pluet. Ratio est, quia hujusmodi censura continet intolerabilem errorem; ergo est invalida. Consequentia sequitur ex *Cap. Per tuas*, & *cap. Solet*, *de Sententia excommunicationis in 6.* Antecedens probatur, quia, ut optime Ugolin., & Suar., est intolerabilis abusus spiritualis potestatis velle, quod effectus dependeat a futuro eventu impertinente: quare ad formam etiam substantialem censuræ spectat, ut non feratur sub conditione de futuro, quæ ad causam non pertineat.

Petes hic; An, & quomodo suspendi possint effectus censuræ latę sub conditione de futuro ad causam pertinente?

Respondeo, quando fertur censura sub conditione de futuro ad causam pertinente, ut si dicatur, Nisi intra mensem fur satisfecerit, sit excommunicatus; hac conditione pendente possunt suspendi effectus censuræ, ita ut purificata conditione censura non incurratur; Primo quidem

dem per appellationem legitime factam, antequam impleatur conditio, ut patet ex Cap. *Præterea*. Secundo, ut notat Paludan., per alias causas æquivalentes appellationi; ut si quis non potens, aut nesciens appellare committat se protectioni Sedis Apostolicæ, ex *Cap. Ad audientiam*, *de Appellat.*; vel si ad Sedem Apostolicam iter arripiat, ex *Cap. Dilecti filii*, *ibidem*; vel demum si Superior, vel Papa causam ad se avocet tollendo inferiori jurisdictionem; Tertio, per voluntatem ejus, in cujus favorem censura lata est; Quare si ad instantiam creditoris pæcipiatur sub censura, ut intra mensem fiat restitutio, & creditor velit tempus hoc prorogari, suspenduntur effectus excommunicationis. Etenim sicuti cessante causa excommunicationis, cessat excommunicatio; ita suspensa, vel prorogata causa excommunicationis, ipsa etiam suspendetur, aut prorogabitur. Si tamen post terminum prorogatum conditio impleatur, hoc est debitor non restituat, probabilius est, statim incurri censuram absque novo consensu Judicis, ut docent Leand. quæst. 2. disp. 4. Suar., & alii contra Navar., Ugolin., Sylvest., quia voluntas illa Judicis moraliter perseverat.

VI. Rogabis ulterius; Quid requiratur, ut appellatio sit legitima?

Respondeo, primo requiri, ut causa sit probabilis, non frivola, & ad litis dilationem. Secundo, ut fiat, antequam conditio impleatur, ex *Cap. Præterea* 2. *de Appellat.* apud Bonac. quæst. 3. punct. 3.: Idemque docent Suar. sect. 6., Navar., Covarr., & alii contra Abbat., & Ugolin., qui requirunt, ut fiat intra decem dies, ex Cap. *Quoad consultationem*, *de Sententia*, *& re judicata*. Propterea docet Suar., priorem sententiam, quod appellatio fiat, antequam conditio impleatur, esse tutam in conscientia, & posse pro illa Judices judicare in foro exteriori; quia textus adductus ab Abbat. non loquitur de censuris; verum sententia Abbat., quod appellatio fiat intra decem dies, aptior est ad lites dirimendas.

Advertendum tamen primo, quod impleta conditione, quamvis a censura conditionata non possit amplius appellari quoad effectum suspensivum, cum vere talis censura sit executioni mandata, nec possit nisi per absolutionem tolli; At potest ab ea appellari quoad effectum devolutivum, seu ita ut remaneat reus excommunicatus, sed devolvatur jurisdictio ad superiorem, ut docent communiter Doctores, ex cap. *Pastoralis* cum Suar. loc. cit.: ubi dicit, oppositum sentientes graviter in hac parte errasse.

Advertendum secundo, quod ante denunciationem appellari possit a sententia declaratoria censuræ incursæ, ita ut post talem appellationem denunciatio fieri non possit ab eodem Judice, ut notavit Filliuc. ex Navar., & Covarr. Verum hoc militat, quando fertur censura a jure, vel quando denunciari debet a delegato, & quando factum non est notorium; Etenim quando factum est notorium, & quando censura fertur ab homine, & denunciari debet a Judice ordinario, si post sententiam declaratoriam criminis interponatur appellatio, adhuc Judex ordinarius procedere potest ad denunciationem; quia cum jam sententia sit lata a proprio Judice, non potest deinde impediri ejus effectus, videlicet dununciatio. Ita Leand quæst. 12., Suar., & alii contra Sanch., & Navar., qui putant nullo pacto posse denunciari.

VII. Quæritur ultimo; Quotuplex sit forma accidentalis in ferenda censura?

Respondeo, esse triplicem, videlicet Antecedentem, Comitantem, & Consequentem. Pertinet ad formam accidentalem antecedentem trina monitio supra explicata: Ad Comitantem pertinent illæ circumstantiæ, videlicet quod feratur scripto continente causam censuræ, quod tradatur exemplum parti illud petenti, quod non feratur nisi die feriato, &c. Ad Consequentem demum pertinet ipsa denunciatio, seu publicatio censuræ: Quod ideo fieri debet, ut ipsis excommunicatis ubique occludatur aditus Ecclesiasticus, & ut excusationis causa omnibus auferatur, ex *Cap. Curæ sit quæst.* 3.

Dubium tamen est; Utrum ex præcepto denunciatio censuræ fieri debeat a Superiore, an vero possit illam pro arbitrio omittere?

Respondeo, de denunciatione Suspensionis, & Interdicti nullum extare sufficiens præceptum; unde tunc solum obligatur Judex ad talium censurarum denunciationem, quando delicti gravitas, & Rei contumacia requirit illam; necnon in casibus a jure expressis. De excommunicatione vero extat, per se loquendo, præceptum denunciationis in laud. Cap. *Curæ sit*; quamvis modus denunciandi ibi præscriptus non cadat sub præceptum, sed satis sit juxta consuetum loci morem facere denunciationem, videlicet publicando censuram in Ecclesiis, deinde in scriptis præ foribus Ecclesiæ, aliisque publicis locis cum expressione causæ: In solemni vero anathemate, ut narrat Gratian. apud Leand. quæst. 22. circumstant Episcopum duodecim Sacerdotes nigris vestibus induti, & lucernas tenent ardentes in manibus, quas in conclusione excommunicationis projiciunt, & pedibus conculcant, aliæque ceremoniæ ibi adduntur ad terrorem Rei.

Advertendum tamen, aliquando Judicem per accidens non obligari ad faciendam denunciationem excommunicationis, si videlicet aut scandalum sequatur, aut periculum alicujus damni ex denunciatione immineat. Quando vero bonum privatum, vel commune talem denunciationem postulat, ad illam tenetur; sicuti

etiam

etiam quando pars instat, ut communiter docent apud Leand. disp. 7. quæst. 15.

Dubitatur ulterius; A quonam Judice facienda sit denunciatio Censuræ?

Respondeo cum communi contra Ugolin, & Geminian., denunciationem censuræ in delictis omnino certis, & notoriis fieri debere ab habente ad hoc potestatem ordinariam, vel delegatam; cum denunciatio sit actus executivus censuræ pertinens ad potestatem correctivam. Quare si censura lata fuit ab homine vel per sententiam particularem, vel per statutum, denunciatio primo, & per se fieri debet ab ipso, (cum ad ipsum pertineat exequi sententiam suam) deinde ab aliis Episcopis, vel Pastoribus, si fuerint ab ipso requisiti, ex Glossa. Quod si censura lata sit a jure communi, tunc denunciatio non solum fieri potest ab Episcopo illius Diœcesis, ubi patratum est delictum, ut docent Suar., Bonac., & alii cum Leand. quæst. 6., eo quod ratione delicti ibi commissi Reus factus sit quoad hoc subditus; sed etiam fieri potest a proprio Ordinario ipsius delinquentis; ut iidem docent contra Filliuc., Cornejum, & Alter.

Advertendum denique, quod supra innuimus, videlicet ante denuntiationem præcedere debere sententiam declaratoriam criminis, ratione cujus lata fuit censura. Ita communiter Doctores contra Panormit., & Felin., qui putant hoc non requiri, quando crimen est ita notum, ut nullam habeat excusationem, nec ulla possit tergiversatione celari; quod tamen raro accidit, siquidem vix fieri potest, ut crimen quodcumque sit omnino inexcusabile. Quoniam vero sententia declaratoria criminis est actus judicialis, debet consequenter illam præcedere citatio Rei, ut declaratio fieri possit cum cognitione causæ; jure enim naturali conceditur unicuique copia defensionis, antequam damnetur. Quod si citatio non præcedat, sententia non solum est injusta, sed etiam invalida, ut ipsemet Pontifex testatur Cap. 1. *de Causa possessionis, & proprietatis*, dicens: *Nec nos contra inauditam partem possumus aliquid definire*. Ita etiam communiter Doctores, qui pariter docent, quod si Reus citatus statim compareat, crimen fateatur, & satisfactionem offerat, non possit juste denunciari, sed debeat absolvi, ut notat Leand. quæst. 16., & Suar. disp. 3. sect. 10., quandoquidem pena medicinalis, reo correcto, non debet amplius perseverare; & multo minus debet augeri per denunciationem, per quam & ab aliis vitandus est, & coram aliis infamatur.

ARTICULUS VI.

Quænam excusent ab incurrenda Censura?

I. Septem de causis excusari aliquis potest ab incurrenda Censura.

II. Potest censura esse nulla ex quadruplici capite. Multipliciter etiam potest esse nulla sententia censuræ.

III. Quænam injustitia causæ reddat nullam sententiam censuræ? Quid si appellatio, quam putas legitimam, a Judice ut frivola repellatur?

IV. Quandonam innocens tenetur ad vitandum scandalum, se gerere ut excommunicatum? Et quando tenetur obtemperare Judici sub censura aliquid præcipienti? Probabilius solum tenetur peccatum, & scandalum vitare.

V. Num possit Judex ad instantiam partis excommunicare aliquem secundum allegata, & probata Reum, si de illius innocentia certam habeat scientiam privatam?

VI. Quænam impotentia excusat ab incurrenda censura? Qui culpabiliter redditur impotens ponere, quod sub censura præcipitur, ab ea non excusatur.

VII. Ignorantia invincibilis sive juris Ecclesiastici, sive facti, sive pœnæ excusat ab incursu censuræ; sive ignorantia sit antecedens, sive concomitans. Num etiam excuset ab incurrenda Irregularitate? Ignorantia vincibilis quando excuset?

VIII. In dubio sive juris, sive facti regulariter a censura excusaris.

IX. Metus gravis excusat a censura, etiamsi hæc feratur pro crimine prohibito lege naturali, nisi in contemptum censuræ metus incuteretur.

I. Septem causas ab incursu censuræ excusantes enumerat Escobar in summa cap. 6.; Primo censuræ nullitatem; Secundo injustitiam causæ; Tertio hominis innocentiam; Quarto ignorantiam; Quinto impotentiam; & ad ignorantiam reducitur dubium, seu incertitudo sive juris, sive facti; Sexto metum; Septimo necessitatem. De singulis hic agendum.

II. Quæritur itaque primo; quandonam censura sit nulla?

Respondeo, Ex quadruplici capite oriri posse censuræ nullitatem. Primo, si nulla sit lex, ob cujus transgressionem fertur censura; Secundo, si data validitate legis, ipsa censuræ sententia sit nulla; Tertio, si data validitate legis, & sententiæ, interponatur legitima appellatio; Quarto, si interponatur consensus partis, in cujus favorem fertur censura.

Primo itaque nulla est sententia censuræ, seu ipsa censura, si nulla sit lex: Accessorium enim sequitur naturam principalis. Lex autem multipliciter potest esse nulla. Primo, ex defectu jurisdictionis, seu potestatis in legislatore: Secundo, ex defectu rei præceptæ: nam si hæc sit manifeste aut turpis, aut communi bono contraria, aut undequaque levis, tam secundum se, quam relate ad finem, lex illam præcipiens sub gravi est nulla; Quamvis si res præce-

præcepta ſecundum ſe ſit levis, ſed relate ad finem ſit gravis, lex, & cenſura illi annexa ſunt valida; puta, ſi ſub excommunicatione precipiatur ut unuſquiſque reſtituat modicum, quod furatus eſt ab illo, qui propter plurima modica furta incidit in miſeriam: Tertio, ex ceſſatione finis aut totalis, aut præcipui ipſius legis; ceſſante enim tali fine ceſſat lex; Quarto demum, ex defectu ſufficientis promulgationis, & acceptationis.

Deinde nulla eſt cenſura, atque adeo non incurritur, ſi nulla ſit ipſa ſententia cenſuræ, quæ pariter poteſt eſſe multipliciter nulla. Primo quidem, ex defectu juſtitiæ, ut mox explicabimus quæſit. ſequent. Secundo, ex defectu juriſdictionis in ferente ſententiam, vel quia non eſt Superior, vel quia non eſt judex competens, vel quia excommunicatus, aut ſuſpenſus nominatim denuntiatus, vel quia extra ſuam Diœceſim exiſtit, extra quam ſubditum ſuum excommunicare non poteſt, vel quia ſententiam tulit poſt interpoſitam legitimam appellationem, vel demum quia ſententiam tulit poſt conſenſum partis, in cujus favorem fertur cenſura, juxta ea, quæ diximus art. ſuper. quæſit. quarto.

III. Quæritur ſecundo; quandonam injuſtitia cauſæ excuſet ab incurrenda cenſura?

Reſpondeo, cenſuram non incurri ex injuſtitia cauſæ, quando forma judicii in ea ferenda non ſervatur, & quando injuria irrogatur reo. Poteſt autem ſententia cenſuræ eſſe nulla, Primo, ex defectu juſtitiæ legalis, videlicet, quia non eſt ſervatus in ea juris ordo, ſeu forma ſubſtantialis, ad quam ſpectat monitio, citatio partis, & alia, quæ diximus art. ſuper. Quod ſi ſententia ſit injuſta per defectum ordinis juris accidentalis, non per hoc eſt invalida: Verbi gratia, quia monitio non fuit trina, quia cenſura non lata ſcripto cum inſerta cauſa, &c. & in hoc ſenſu S. Gregorius dixit, *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta timenda eſt*; Quod refertur a Gratian. 2. quæſt. 3. cap. 1. Eſt enim timenda, quia valida, ſi deficiat in accidentali ordine juris. Secundo, ſententia eſt nulla ex defectn juſtitiæ commutativæ: quia videlicet fertur cum injuria Rei; vel quia non citatus damnatur; vel quia ſine cauſa legitima, & proportionata, quæ cenſuram mereatur; vel quia per delictum non ſufficienter probatum in foro externo.

Ubi adverte, quod ſi cenſura ſit in foro interno invalida ex defectu culpæ commiſſæ, poteſt eſſe valida in foro externo, ſi culpa ſit juridice probata; & ideo ad vitandum ſcandalum ſervanda eſt in foro exteriori. Quod ſi violetur, non incurritur irregularitas, ex Suar. n. 19.; quia vere cenſura non violatur; cum in foro interno non habeatur cenſura. Quamvis etiam in tali caſu violator cenſuræ debeat ſe gerere ut irregularem, ad vitandum ſcandalum, & ut talis in judicio damnari poteſt.

Adverte ulterius, quod ſi interponas appellationem, quam putas legitimam, & Judex repellat illam ut frivolam, & te excommunicet, non es excommunicatus in foro interno; ſed pro foro externo debes te gerere ut excommunicatum, donec Judex appellationis declaret, illam appellationem fuiſſe legitimam. Ita Laym. part. 2. cap., 2., Avil. part. 2. cap. 5. diſp. 5. dub. 12., Pal., & alii communiter.

IV. Quæritur tertio; Quando Innocentia excuſet a cenſura incurrenda?

Reſpondeo, Tripliciter aliquem poſſe eſſe innocentem. Primo, in utroque foro interno, & externo, ſeu coram Deo, & hominibus. Secundo, tantum in foro externo, ſeu coram hominibus, quamvis coram Deo ſit nocens. Tertio, tantum in foro interno, cum in foro externo probetur nocens.

Qui primo modo eſt innocens, videlicet in foro externo ſimul, & interno, quamvis aliquando poſſit interdicto comprehendi, non poteſt tamen directe ulla cenſura ligari; adeoque ſi excommunicetur, excommunicatio nulla eſt, nec timenda, ut communiter docent Doctores apud Pal. diſp. 13. punct. 8.; quia videlicet talis cenſura continet errorem intollerabilem, quod ſcilicet arbitrio Judicis ea poſſit infligi ſine merito cauſæ.

Qui vero innocens eſt ſecundo modo, videlicet in foro tantum externo, neque poteſt directe, & nominatim cenſura ligari, quamvis Judex privatim ſciat ejus culpam. Ratio eſt, quia ſententia ferens cenſuram eſt actus judicii publici, & forenſis; unde niſi culpa probetur in foro externo, ſententia eſt nulla. Ita communiter cum Navar. ex *Cap. Cum contingat*; Poteſt tamen iſte talis excommunicari in generali; ſi verbi gratia, feratur excommunicatio contra omnes, qui domum aliquam furati ſunt, niſi intra menſem ſatisfaciant; in tali caſu quilibet ex illis excommunicatur, niſi ſatisfaciat, etiamſi in foro externo de nullo nominatim probari poſſit talis culpa.

Qui demum eſt innocens tertio modo, videlicet tantum in foro interno, debet in foro externo cenſuram, qua ligatur, obſervare; quod requiritur ad vitandum ſcandalum, ut ſupra diximus.

Dubium tamen eſt; An qui in foro tantum interno eſt innocens, ſed probatur in foro externo nocens, teneatur obedire Judici præcipienti aliquid ſub cenſura: Verbi gratia, ſi præcipiat Judex ſub cenſura Petro, ut intra menſem ſatisfaciat Titio reddendo centum, quæ tamen revera non abſtulit; aut ſi præcipiat Paulo, ut cohabitet cum Berta, quæ in foro externo probatur

batur esse ejus uxor, cum tamen ille sciat propter impedimentum dirimens non esse veram uxorem.

Huic difficultati alii aliter respondent. Primo aliqui cum D. Th. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. dicunt, quod tenearis obedire, quando non est intrinsece malum, sed licitum id, quod præcipitur, ut in primo casu. Quare Petrus tenetur dare Titio centum, si in foro externo probetur ea sustulisse; & nisi id fecerit, peccabit contra præceptum Superioris, & censuram incurret, quamvis possit deinde uti occulta compensatione, (ut notat Con. dubitat. 13. num. 113.) quam nullus Judex potest tibi prohibere. Non potest vero Paulus in secundo casu reddere debitum Bertæ, quæ in foro externo probatur esse ejus uxor, cum tamen non sit propter impedimentum dirimens; Et ratio est, quia præcipitur in tali casu fornicatio, quæ est intrinsece mala.

Secundo alii cum Cajet. 2. 2. quæst. 74. ad 2. putant, Petrum non teneri in foro conscientiæ centum dare Titio, sed solum teneri vitare scandalum; quia in tali casu sententia Superioris est injusta, & solum est justa quoad præsumptionem; præsumptio autem non prævalet veritati; unde sententia est nulla.

Tertio putant alii cum Con. loc. cit. num. 1 0. quod si Petrus non det Titio centum, peccet quidem contra legitimum præceptum Superioris, sed censuram non incurrat in foro interno; quia Judex non intendit punire censura tuam inobedientiam, nisi ex suppositione, quod nolis reddere, quod debes.

Equidem censeo secundam sententiam probabiliorem, videlicet hujusmodi innocentem teneri duntaxat peccatum, & scandalum vitare. Unde Paulus non potest reddere debitum Bertæ, & si excommunicetur, gerere se debet ut excommunicatum duntaxat coram iis, qui nesciunt ejus innocentiam ad scandalum vitandum: Petrus vero si potest citra scandalum non dare Titio centum, non tenetur dare, & si non det cum scandalo, peccabit contra charitatem peccato scandali, non contra obedientiam; unde excommunicationem in foro interno non incurret.

Dubium est secundo; An quando Judex cognoscit privata scientia innocentiam Petri, qui secundum allegata, & probata est reus, possit illum ad instantiam partis excommunicare?

Respondeo, D. Th. 2. 2. quæst. 77. cum Thomistis communiter asserere, quod possit Judex etiam punire pena mortis illum, quem scit scientia privata esse innocentem; si tamen secundum allegata, & probata penam illam mereatur; quia Judex condemnat ut persona publica; & ideo dirigi solum debet a notitia publica. Hanc tamen doctrinam cæteroqui probabilem rejiciunt Less. lib. 2. cap. 29. dub. 10., Sa, Filliuc., Bonac., Lug. de justitia disp. 37. sect. 14.; quia directe occidere innocentem est intrinsece malum; in casu autem nostro directe occideretur innocens; nam quando constat de innocentia hominis, uti scientia publica ad illum condemnandum, est uti potius errore, quam scientia.

Verum Less., Bonac., Laym. docent, tam in causis civilibus, quam in criminalibus minoribus posse uti scientia publica judicem contra eum, quem scit notitia privata esse innocentem; quia Respublica habet potestatem in bona suorum Civium, quando bonum publicum id requirit; ut accidit in casu nostro, ne forma publicorum judiciorum cum scandalo evertatur.

Equidem censeo cum Con. dub. 113., quod Judex teneatur saltem ex charitate liberare se, quantum potest, ab onere condemnandi innocentem, & efficere, ut veritas elucescat. Quod si nequeat, distinguendum est; nam vel id, quod ad instantiam partis præcipiendum est sub censura, potest licite poni; (ut in primo illo casu licite potest Petrus dare Titio centum, quamvis illa ipse non sit furatus) vel non potest licite poni; (ut in secundo casu non potest licite Paulus reddere debitum Bertæ, si constet de impedimento dirimente) Si primum, potest judex Petro, qui secundum allegata, & probata est fur, præcipere sub censura, ut det Titio centum, etiamsi privata scientia cognoscat illum esse innocentem; quia potest Respublica, ne evertatur forma judiciorum, tollere centum Petro innocenti, & dare Titio; Si secundum, non potest judex præcipere Paulo, ut reddat debitum Bertæ, si privata scientia cognoscit dari impedimentum dirimens; quia in ullo casu potest præcipi malum intrinsece malum, sicut est in casu nostro fornicatio; Et propter eandem rationem non potest damnare pœna mortis, quem notitia privata cognoscit innocentem, cum occidere innocentem sit intrinsece malum.

Quod diximus de Judice, dicendum pariter de publice denunciante sententiam excommunicationis. Etenim in primo illo casu, qui cognoscit Petrum esse innocentem, & secundum allegata, & probata est fur, potest in bonum Reipublicæ denunciare sententiam excommunicationis in Petrum non dantem Titio centum, & sic compellere Petrum ad danda centum; siquidem non compelleret ad aliquod intrinsece malum; E contra in secundo casu qui scit notitia privata dari impedimentum dirimens matrimonium inter Paulum, & Bertam, non potest denunciare publice excommunicationem contra Paulum non cohabitantem, & non reddentem debitum Bertæ; quia tali denunciatione compelleret Paulum ad id, quod est intrinsece malum.

Quæ-

Quæritur quarto; quænam impotentia excuset a censura incurrenda?

Respondeo, illam impotentiam sive physicam, sive moralem ponendi opus præceptum sub censura, quæ excusat a culpa gravi, excusare etiam a censura incurrenda, ut patet. Et quo sequitur primo, quod non restituens propter impotentiam sicut non peccat, cum ad impossibile nemo teneatur; ita nec ligatur censura, quæ est pena peccati. Secundo, eodem modo qui restituere non potest sine gravi damno bonorum superioris ordinis, ut vitæ, famæ, &c., aut sine gravi alio incommodo, sicut excusatur a præcepto restituendi, ita a censura. Tertio, qui vero potens restituere, quando præcipiebatur restitutio sub censura, non tamen restituit, ita incidit in censuram, ut si deinde evadat impotens restituere, non proinde a censura liberetur, ut notant Filliuc., Bonac., Suar. apud Leand. disp. *9.* quæst. *30.*; quia censura incursa unice per absolutionem tolli debet. Demum, qui ad tempus propter impotentiam excusatur a restitutione, si habeat deinde unde solvat aut totum, aut partem, ita tunc tenetur, ut aliter tunc incidat in censuram.

Dubium nunc est; An qui ex malitia fit impotens, excusetur a censura, quando non ponit id, quod præcipitur. Escobar. in sum. cap. *6.* putat, probabilius esse, quod non excusetur: Verbi gratia, si præcipiatur horarum recitatio sub censura, & aliquis projiciat in mare breviarium, ne possit horas recitare, hic censuram incurrit; quia qui obligat ad finem sub censura, obligat etiam sub censura ad ponenda media necessaria ad finem; & ideo lex, quæ obligat recitare horas, obligat etiam ad non projiciendum breviarium, quod est necessarium ad horas recitandas: Eodem modo si præcipiatur sub censura restitutio intra quindecim dies, & fur prima die projiciat nummos, ita ut ex malitia reddatur impotens deinde restituere, elapso decimoquinto die censuram incurrit non restituendo, etiamsi tunc sit impotens, quia est impotens ex malitia. Non negaverim tamen, quod si interim illum peniteat culpæ commissæ, censuram non incurrit, ut supra diximus in casu simili; videlicet si Petrus vulneret Cajum lethaliter, & deinde illum peniteat, quando postea Cajus ex vulnere moritur, Petrus non incurrit censuram latam contra homicidas; quia tunc abest contumacia prærequisita ad censuram incurrendam; ut multi docent apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 85.

Addit Bonac. quæst. 3. punct. 3., quod excommunicationem etiam incurrat, qui jussus restituere ante quindecim dies, prævidens se fore impotentem sine sua culpa ultimis diebus, non restituit primis diebus, quando erat potens. Ratio est, quia tenebatur prævenire impotentiam: Sicuti qui tenetur audire missam, si prævidet futurum se impotentem ultimis horis, tenetur illam primo mane audire.

VII. Quæritur quinto; Quænam ignorantia censuræ excuset ab illa incurrenda?

Ante responsionem adverto primo, multipliciter Ignorantiam dividi. Primo enim dividitur in ignorantiam juris, facti, & penæ. Ignorantia juris est, quando ignoratur lex aliquid prohibens, vel præcipiens. Ignorantia facti, quando ignoratur, num factum sit contra aliquam legem certo cognitam? Verbi gratia, si ignores, num fuerit clericus, quem percussisti. Ignorantia penæ dicitur, quando habetur notitia certa tam juris, quam facti, sed ignoratur, quod jus prohibeat tale factum sub tali pena; Verbi gratia, scis prohibitam esse percussionem Clerici; & scis quem percussisti esse clericum, nescis tamen prohibitam esse sub censura percussionem clerici.

Secundo, dividitur Ignorantia in invincibilem, seu inculpabilem, & vincibilem, seu culpabilem. Invincibilis est, quæ per diligentiam humanam superari non potuit, vel quia non occurrit menti ulla dubitatio, a qua moveri posset homo ad inquirendam veritatem; vel quia si occurrit dubitatio, non proinde potuit veritas acquiri. Vincibilis ignorantia quando post subortum dubium facta non est moralis diligentia ad veritatem acquirendam, per quam diligentiam talis ignorantia vinci poterat: Quod si ignorans vincibiliter putet se obligari ad talem diligentiam, & illam omittat, nunc non solum laborat ignorantia vincibili, sed etiam culpabili; si vero non putet se obligari ad illam diligentiam, & ideo illam omittat, tunc laborat ignorantia solum vincibili, sed inculpabili, quamvis ignorantia vincibilis, quæ simul est inculpabilis, appellari etiam soleat invincibilis.

Tertio, ignorantia vincibilis, seu culpabilis subdividitur in affectatam, & crassam, seu supinam. Habet affectatam, qui studiose, & data opera vult ignorare, quod se debere scire cognoscit, juxta illud Psalm. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Talis ignorantia, cum sit aperte voluntaria, dicitur in jure apertus dolus esse, & malitia potius, quam ignorantia. Habet vero ignorantiam crassam, seu negligentem, & supinam, qui ignorat, quæ scire debet ex quodam animi torpore, vel ex nimia solicitudine erga res alias, a qua redditur negligens in addiscendis iis, quæ scire debet: Talis autem ignorantia est solum indirecte voluntaria; Et aliquando est gravis, aliquando levis; quamvis in jure non vocetur absolute crassa, & supina, nisi quando intercedit gravis culpa.

Quarto dividitur ignorantia in Antecedentem, & Concomitantem. Antecedens est causa actus, qui non heret, si ignorantia illa decesset; ut quando quis occidit Clericum nesciens ejus clericatum, quem si sciret, illum non occideret. Concomitans est, quæ ita actum comitatur, ut adhuc si illa deesset, actus fieret; puta quando quis casu putans occidere feram, occidit inimicum, eo tamen animo, ut libentius occisionem illam faceret, si sciret ibi esse suum inimicum.

Demum dividitur Ignorantia in Actualem, & Habitualem. Habet habitualem, (quæ absolute ignorantia dicitur) qui nunquam cognovit illud, quod ignorat: Habet vero Actualem, (quæ dicitur inadvertentia, seu inconsideratio, & oblivio) qui quod alias novit de facto in mente non habet. His explicatis

Dico primo; Ignorantia invincibilis juris Ecclesiastici, etiam stante cognitione juris naturalis, aut divini, excusat ab incursu censuræ; Verbi gratia, si sciat, furtum esse jure naturali prohibitum, nescias vero esse prohibitum sub censura jure Ecclesiastico, furando peccas, sed censuram non incurris. Ita communiter cum Con. dub. 10. Hurt. difficult. 22. Ratio est clara, quia ad incurrendam censuram requiritur, ut peccans sit contumax, seu inobediens Ecclesiæ præcipienti aliquid sub censura; ergo si ignoretur præceptum, seu jus Ecclesiasticum, cessat contumacia, & sic censura incurri non potest.

Hinc infertur, neque censuram incurri, si detur ignorantia invincibilis facti; quia sicut ignorantia juris reddit involuntarium actum, inquantum malum, seu prohibitum; ita ignorantia facti reddit actum secundum se, & simpliciter involuntarium. Idque est verum etiamsi quis det operam rei illicitæ; Verbi gratia, si quis dans operam venationi prohibitæ occidat Clericum, nesciens illum esse Clericum; ut docet Sanch., Leand. quæst. 9. & alii communiter contra Sylvest. & alios. Immo neque censura incurritur, si detur ignorantia invincibilis solus pœnæ, ut docet Con. dub. 10. ex Suar., Avil., & aliis contra Covarr., & Hurt. diff. 22. apud Leand. quæst. 7. Quare ignorantia tam juris, quam facti, & pœnæ, si sit invincibilis, excusat a censura. Adde idem dicendum, sive ignorantia juris Ecclesiastici, aut facti, ut pœnæ, sit ignorantia habitualis, sive sit ignorantia actualis, hoc est inadvertentia, ut communiter Doctores apud Leand. quæst. 24. Et idem dicendum, sive ignorantia sit antecedens, sive sit concomitans, ex Suar., & aliis communiter contra Sanch., Ugolin., Henr., & alios apud Leand. quæst. 22. Etenim ignorantia concomitans supra actum nihil aliud addit, nisi pravum animum ponendi talem actum, etiamsi esset prohibitus sub censura; hic autem pravus animus, cum sit tantum conditionatus, nihil ponit in esse, nec causat actum externum; & ideo non est capax censuræ; Unde sequitur, quod qui Clericum occidit nesciens ejus clericatum, eo tamen animo, ut etiam illum occideret, quamvis sciret esse clericum, censuram non incurrit.

Opponens ex Hurt.; qui ignorat peccatum mortale prohiberi sub reatu pœne inferni, adhuc pęnam inferni meretur, si peccatum mortale committat; ergo pariter qui ignorat peccatum aliquod, puta percussionem Clerici, prohiberi ab Ecclesia sub pęna censuræ, adhuc censuram incurrit, si clericum percutiat; atque adeo ignorantia invincibilis pęnæ non excusat ab incursu censuræ.

Confirmatur, quia irregularitas etiam ignorata incurritur; ergo pariter censura.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est primo, quia pęna inferni est punitiva; pęna vero censuræ est medicinalis; non est autem necesse, ut pœna punitiva, seu vindicativa cognoscatur, ut peccato sit debita; secus vero pœna medicinalis. Et ratio est, quia medicina, ut mederi possit, debet ægroto applicari; applicatur autem pœna medicinalis spiritualis peccatori ægroto solum per cognitionem illius; ergo nisi pœna medicinalis cognoscatur, non est debita peccato.

Secunda disparitas est, quia pœna inferni de se debetur cuilibet mortali; at censura non debetur ulli peccato secundum se, sed solum quando peccator est contumax; atqui ut habeatur contumacia, requiritur, ut peccator contra monitionem Ecclesiæ, & contra comminationem censuræ operetur; atque adeo requiritur, ut cognoscatur monitio, & comminatio censuræ; ergo nisi censura cognoscatur, non incurritur. Adde, quod sicuti non dicitur operari contra legem, qui legem non cognoscit; ita nec operatur contra monitionem comminantem censuram, qui talem monitionem non cognoscit; ergo qui censuram ignorat, contumax non est atque adeo nec capax censuræ.

Ad confirmationem primo dico, irregularitatem ex delicto, cum sit pęna, non incurri, si ignoretur, ut docet Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 32., quamvis irregularitas ex defectu etiam ignorata incurratur, quia non est pęna, sed impedimentum canonicum. Secundo, concesso antecedente, & dato, quod irregularitas ex delicto etiam ignorata incurratur, ut docet Laym. tract. 4. cap. 20. assert. 4.; nego consequen-

sequentiam. Disparitas est, quia irregularitas non est pena medicinalis, sicut est censura, quæ cognosci debet ab ægroto, ut possit illum curare; sed irregularitas ex defectu est impedimentum canonicum, & irregularitas ex delicto est etiam pœna vindicativa, & perpetua, non medicinalis.

Dico secundo; Ignorantia vincibilis sive juris, sive facti, sive penæ, nisi sit talis, ut excuset a culpa mortali, non excusat ab incurrenda censura. Ita communiter cum Suar. sect. 10. qui non audet dicere oppositam sententiam esse practice probabilem, cum non habeat pro se nisi unum, vel alterum Recentiorem, qui non valido fundamento, sed quadam pietate erga delinquentes ducitur ad tuendum oppositum. Ratio conclusionis ex Suar. est, quia ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis vel est crassa, seu supina, vel (quæ pejor est) affectata; atqui si sit crassa, seu supina, videlicet orta ex gravi negligentia, non excusat a censura; ergo a fortiori non excusat, si sit affectata: & consequenter nulla ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis excusat a censura. Minor probatur, quia in *Cap. Ut animarum*, *de constitution. in 6.* dicitur aperte, *Statutis Ordinariorum non ligari ignorantes*, *nisi eorum ignorantia sit crassa*, *vel supina*. Et ratio a priori est ex Con. dub. 11.; quia videtur incredibile, quod nolit Ecclesia punire eam negligentiam mortalem, quæ committitur in sciendis censuris.

Adverte tamen, quod quamvis ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis regulariter loquendo non excuset ab incurrenda censura, aliquando tamen excusat; præsertim si sit crassa, seu supina; videlicet quando lex comminans censuram addit particulam aliquam, quæ requirit scientiam, ut sunt hæ particulæ, Scienter, Consulto, qui præsumpserit, qui temere, vel temerarius violator extiterit, &c., ut docet Leand. quæst. 20., & alii communiter. Utrum autem in tali casu etiam ignorantia affectata excuset? Affirmat Hurt. Sed communiter negant Doctores apud Leand. quæst. 21., quia ignorantia affectata in jure æquiparatur dolo, & ipsi scientiæ, ex *Cap. Eos qui*, *de temporibus ordinat. in 6.*

Dico tertio; Censura lata per sententiam Judicis in eum, qui monitus noluit resipiscere, incurritur etiam ab ignorante illam, quando Judex intentionem habet ligandi delinquentem, antequam illi censura innotescat. Ita communiter.

Ratio est clara; quia talis censura ex una parte supponit jam in delinquente contumaciam, ex alia parte potest ferri in absentem; ergo non est cur ab ignorante illam non incurratur. Unde fit, quod in tali casu sic excommunicatus careat jurisdictione, incapax sit beneficii, &c., quamvis id ignoret.

Neque dicas; Posset talis delinquens resipiscere, dum infligitur illi censura; ergo censura sic lata in ignorantem est invalida. Nam, concesso antecedente, nego consequentiam. Censura enim non fertur propter contumaciam delinquentis usque ad tempus, in quo fertur censura, sed propter contumaciam usque ad tempus in monitione præfixum. Quare cum supponatur usque ad tale tempus perseverasse contumaciam, licite potest delinquens censura ligari, etiamsi dum ligatur censura, vel ante, coram Deo resipuerit; dummodo non resipuerit coram Ecclesia, præsentando se Superiori, & exhibendo obedientiam, & satisfactionem. Itaque licet probabilis sit sententia Filliuc. tract. 1. cap. 8., & aliorum apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 85., quod censura a jure non incurratur ab eo, qui sit actu penitens, & de peccato doleat, ob quod deberet censuram incurrere; ut si quis vulneret graviter alium, & antequam sequatur homicidium, conteratur, non incurrit deinde censuram in jure latam contra homicidas, quia per pœnitentiam cessavit contumacia in foro interno, & sic nulla incurritur in foro interno censura: At in casu nostro cum feratur censura per sententiam Judicis, incurri debet in foro externo; quicquid sit, an si tunc restituerit, in foro interno ab ea sit immunis.

VIII. Quæritur sexto; An dubium censuræ excuset ab illa?

Respondeo, tam dubium juris, quam dubium facti a censura excusare. Ita communiter cum Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10. num. 56., & aliis apud Tambur. lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 7. V. *Censuræ*. Ratio est, quia stat in possessione libertas. Si tamen rationabiliter dubites, & veritatem inquirere negligas negligentia graviter culpabili, debes te gerere ut censura ligatum; quia laboras ignorantia vincibili, quæ, ut diximus, non excusat a censura; Præterquamquod in tali casu assimilaris possessori malæ fidei: Ita Tambur. loc. cit. Et idem dicas, si dubites, an fueris absolutus. Quod si prudenter dubitas, an censura contra te lata sit justa, an a legitimo superiore, an cum debitis requisitis, &c. Multi cum Bardi de conscient. disput. 6. cap. 7. putant, quod debeas te gerere tamquam censura ligatum; quia possessio stat per censura, pro Judice ferente illam, qui in dubio præsumitur rite protulisse sententiam. Tambur. vero putat, quod in foro externo debeas te gerere ut censura ligatum, propter rationem adductam, non tamen in foro conscientiæ; siquidem in foro conscien-

tiæ possessio stat pro libertate, & in dubio melior est conditio possidentis. Ita etiam Dian. part. 4. tract. 3. resol. 8. ex Vasq., & Salas.

IX. Quæritur ultimo; An metus, & vis etiam excusent ab incursu censuræ?

Respondeo, certum esse, quod metus levis non excuset; Metus vero gravis cadens in constantem virum, puta, metus mortis, infamiæ, exilii, aut gravis detrimenti, sive spiritualis, sive temporalis, communiter docent, quod a censura excuset; eo quod excuset a transgressione præcepti Ecclesiastici; cum Ecclesia piissima mater nunquam velit obligare suis præceptis cum magno incommodo. Quare si non habetur transgressio præcepti Ecclesiastici, non habetur contumacia, & consequenter nec censura.

Dubium est; An metus gravis excuset a censura, quando hæc fertur pro crimine alias lege naturali prohibito? Sanch., Pal., Hurt., & alii apud Leand. quæst. 26. docent, quod qui ex metu gravi etiam mortis, verbi gratia, adulteraret, posito quod adulterium sit prohibitum sub censura, illam incurreret; quia sicut metus in tali casu non excusat a peccato mortali; ita neque a censura. Verum Suar. disp. 4. sect. 3., Bonac., Avil., Con. dub. 10. cum eodem Leand. putant, in tali casu adulterantem, licet non excusetur a peccato, a censura tamen excusari. Ratio est, quia metus gravis non excusat a transgressione præcepti naturalis, sed excusat a transgressione præcepti Ecclesiastici; unde qui vi, & metu cogeretur ad adulterandum, peccaret mortaliter contra legem naturalem, sed non peccaret cum contumacia, seu cum transgressione præcepti Ecclesiæ, quæ nunquam obligat cum tanto onere; atque adeo non incurreret censuram ab Ecclesia latam contra adulterantes.

Quod si quis per gravem metum compelleretur ad adulterandum in contemptum Ecclesiæ prohibentis adulterium sub censura, probabilius est, quod in tali casu censuram incurreret; ut docent Henr., & Suar. contra Candidum, & Salas apud Leand. loc. cit.; quia probabilius est velle Ecclesiam in tali casu obligare sub censura, ne contemnatur. Et idem dicas, si quis per gravem metum adulteraret in contemptum Dei prohibentis adulterium. & ideo in *cap. Sacris, de iis, quæ vi, metusve causa fiunt* dixit Pontifex, quod excommunicationem incurrat, qui ex metu gravi communicat cum excommunicato, quando scilicet id prohibetur sub mortali; quia in comtemptum Ecclesiæ talis metus injiceretur.

Demum circa Necessitatem dicendum, quod necessitas, quæ a peccato mortali in lege humana excusat, etiam excuset a censura.

ARTICULUS VII.

De Effectibus Censuræ.

I. Duplex est Censuræ effectus: alter Remotus, & extrinsecus, qui est Rei emendatio; alter Proximus, & intrinsecus, qui est privare hominem quibusdam bonis spiritualibus, ac temporalibus.

II. Ante Judicis sententiam privatur iis bonis etiam excommunicatus toleratus; Cujus acta juridica ideo sunt valida, quia in bonum publicum Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, qua ille caret.

III. Irretitus censura in aliqua Diœcesi ubique Gentium privatur iis bonis; nec aliter quam per absolutionem in integrum restituitur.

IV. Appellatio non suspendit effectus censuræ jam latæ; nisi hæc lata sit sub conditione, & interim appelletur.

V. Potest Pontifex, non tamen Episcopus in effectibus censuræ dispensare. Num possit Episcopus dispensare, ut valide retineatur Beneficium collatum tempore Excommunicationis?

I. QUæritur primo; Quinam sint censuræ effectus?

Respondeo, effectum censuræ coincidere cum ejusdem fine: qui duplex est, Alter proximus, & intrinsecus, Alter remotus, & extrinsecus. Effectus, seu finis remotus nihil aliud est, quam fructus bonus, quem intendit ferens censuram; Hic tamen fructus vel est spiritualis, videlicet observantia Ecclesiasticæ disciplinæ, & emendatio peccatoris, juxta illud 1. ad Corinth. 5. *Ut tandem spiritus ejus salvus fiat in die Domini*; vel est temporalis, videlicet institutio rei temporalis, aut reparatio damni, quod illatum est innocenti; nam ex Trident. sess. 24. cap. 3. potest quis excommunicari, nisi restituat temporale. Effectus censuræ intrinsecus, & proximus est ptivare censuratum aliquibus bonis spiritualibus, & etiam temporalibus, quatenus spiritualibus sunt annexa, ut constat tum ex definitione censuræ, tum inductione; nam excommunicatio privat tam participatione Sacramentorum, quam communione fidelium, quorum primum est spirituale, secundum temporale: Suspensio ab officio privat usu officii tam Ordinis, quam jurisdictionis spiritualis; & quia beneficium datur propter officium, privat etiam jure percipiendi fructus a beneficio Ecclesiastico. Interdi-

terdictum privat divinis officiis, & privat etiam ex Suar. contra Sanch. Con. & alios apud Busemb. jure contrahendi licite matrimonium. Quare omnes censuræ bonis spiritualibus simul, & temporalibus privant.

II. His explicatis, certum est primo, quod reus censuram incurrens privetur statim ante Judicis sententiam spiritualium rerum usu, & statim obligetur ad carendum temporalibus bonis enumeratis: Verbi gratia, excommunicatus obligatur non communicare cum aliis, suspensus non celebrare, &c. Communiter enim receptum est illud Juris proloquium, *Censura lata per se fert executionem*, ex *Cap. Pastoralis, de Appellat.* Et ratio est, quia cum censuræ sint pœnæ spirituales, nullam ad executionem sui exequentis actionem exigunt. Quare excommunicatus, licet toleratus, non potest licite missam audire, verbi gratia, nisi excuset ignorantia, aut necessitas vitandi scandalum, &c. Nec potest excommunicatus, aut suspensus a beneficio, juxta probabiliorem opinionem, facere suos fructus beneficii, etiamsi nulla præcesserit sententia Judicis, & etiamsi præstet officium, & onus, propter quod datur beneficium. Denunciatio itaque censuræ non deservit, ut reus obligetur servare leges censurati, sed solum ne alii possint cum eo agere, recipere ab eodem Sacramenta, &c. ut habetur in Extravag. Mart. V. apud Leand. disp. 2. quæst. 4.

Neque dicas; excommunicatus occultus, & toleratus non privatur jurisdictione, cum ex *leg. Barbarius*, *ff. de off. Prætoris* valida sint ejus acta; ergo falsum est, quod effectus censuræ statim ante Judicis sententiam incurrantur.

Nam, ut bene Suar. disp. *6.* sect. 2. etiam excommunicatus occultus, & toleratus privatur habitualiter jurisdictione ante sententiam judicis, & solum Ecclesia propter bonum publicum supplet in eo defectum jurisdictionis.

III. Certum est secundo, effectus censuræ perseverare, donec per absolutionem tollantur, ut dicemus art. seq. & ideo dici solent perpetui, non quidem positive, sed negative, quatenus non habent tempus suæ durationis definitum, sed perpetuo perseverant, donec reus a censura absolvatur.

Certum est tertio, quod etiam censuratus a Prælato Inferiori ubique terrarum privetur usu spiritualium, ut docent communiter contra Scotum; cujus sententiam Sotus apud Leand. disp. 2. quæst. 5. vocat novam, & inauditam. Et ratio est, quia dum excommunicatur, verbi gratia, Petrus ab Episcopo Neapolitano, non obligat Episcopus reliquos Christifideles, ne pro eo orent, sed obligat illos jus commune, quod ad omnes pertinet, & a quo præcipitur, ne quis cum excommunicatis communicet; ut constat ex can. 5. Concilii Nicæni; ubi dicitur: *Servetur ista sententia, ut si qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.*

IV. Quæritur secundo; An possint aliquando suspendi, seu impediri effectus censuræ jam latæ, aut per appellationem, aut per dispensationem Papæ, vel Episcopis ferentis censuram?

Respondeo, per appellationem nullatenus impediri, ut supra diximus ex *Cap. Pastoralis de Appellat.* quia censura lata secum trahit executionem, quare cum appellatio non tollat censuram, nec tollere potest executionem, seu effectus censuræ: Secus dicendum, si censura sit lata sub conditione; etenim antequam purificetur conditio, potest per legitimam appellationem suspendi censura, & sic etiam effectus censuræ, ut supra etiam diximus, & communiter docent cum Suar. disp. *6.* sect. 4. Leand. quæst. *6.* Et ratio a priori est, quia censura lata sub conditione non dicitur perfecta, nec absolute, & simpliciter sententia.

V. Per dispensationem vero Pontificis possunt effectus censuræ suspendi, quatenus possunt exerceri, quæ ratione censuræ sunt prohibita. Et ratio est manifesta, quia Pontifex potest dispensare in iis, quæ tantum jure humano prohibita sunt, ut sunt actus, qui per censuram prohibentur: Et de facto dispensavit aliquando Pontifex in aliquibus censuræ effectibus; nam per Extravagantem Martini V. datur facultas communicandi cum excommunicatis toleratis, quod jure antiquo erat prohibitum.

Episcopus tamen nullatenus dispensare potest in effectibus censuræ, etiamsi ab ipso sit lata, & ipsimet reservata, ut communiter docent Doctores contra nonnullos Canonistas. Et ratio est, quia Episcopus non potest in jure communi dispensare, nisi quando in ipso jure hoc illi conceditur, aut aliqua recepta consuetudine & traditione, ut colligitur ex *cap. Dilectus, de temporibus Ordination.* Atqui effectus censuræ jure communi decernuntur, & Episcopis nec jure communi, nec consuetudine conceditur ut possint in iis dispensare; ergo nunquam possunt per dispensationem impedire effectus censuræ; Unde fit, non posse Episcopum dispensare, ut excommunicatus, verbi gratia, valide beneficium recipiat: Posset solum dispensare, ut excommunicatus post absolutionem retineat valide beneficium collatum tempore excommunicationis; quia hoc videtur Episcopo concedi in *cap. Postulastis*, *de Clerico excommunicato ministrante*; Quamvis de hoc dubitet etiam Filliuc. hic cap. 7. ex praxi Sacræ Pœnitentiariæ, ad quam in his casibus solet recurri.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quonam pacto Censura tollatur?

EXaminabimus in hac quæstione; Primo, an possit aliter, quam per absolutionem tolli censura? Secundo, a quonam tolli possit? Tertio, quotupliciter absolutio detur? Quarto, quandonam absolutio valeat pro foro exteriori? Quinto, quænam sint requisita ad absolutionem, tam ex parte absolventis, quam ex parte absolvendi? Sexto, quanam forma, ritu, ac solemnitate absolutio conferatur? Ac demum expediemus paucis reliqua, quæ ad hanc absolutionem pertinent.

ARTICULUS I.

An unice per absolutionem tollatur Censura.

I. Censura neque tollitur per obitum ferentis illam, neque per obitum, aut emendationem censurati; sed unice per absolutionem; quæ mortuis etiam conferatur, quamvis indirecte.

II. Quando quis suspenditur ad tempus determinatum, puta per mensem, talis Suspensio non est proprie censura; cum non possit ea sic ferri.

III. Qui excommunicatur, donec satisfecerit, præstita satisfactione, immunis est a censura, quin tamen hæc dicatur tolli citra absolutionem.

I. QUæritur primo; An possit censura tolli non solum per absolutionem, sed etiam per mortem ferentis censuram, aut per mortem censurati, aut per satisfactionem datam parti læsæ, & emendationem delinquentis?

Respondeo cum communi apud Leand. disp. 2. quæst. 4. unice per absolutionem proprie, & perfecte tolli posse censuram; quod constat tum ex illo Matth. 16. *Quodcumque ligaveris*, &c. & *quodcumque solveris*; &c. tum ex *cap. Cum desideres, de sententia excommunicat.* tum demum a sufficienti partium enumeratione, cum censura nec per mortem ferentis illam, nec per mortem censurati, nec per terminationem causæ tollatur: ergo unice per absolutionem tollitur.

Et primo non tollitur censura per mortem ferentis illam, ut communiter Doctores docent ex *cap. Pastoralis*, & constat ex usu Ecclesiæ; etenim censuræ ita institutæ sunt, ut solum in fieri, non vero in conservari dependeant a vita, aut jurisdictione ferentis; quamvis verum sit, quod censura lata ab homine non habeat effectum suum, si antequam incurratur, ille moriatur.

Secundo, non tollitur per mortem censurati: tum quia etiamsi excommunicatio non liget mortuos, qui si decesserunt cum contritione, sunt etiam in loco salutis; tamen etiam post mortem ligat alios, ne cum excommunicato defuncto communicent, offerendo pro illo sacrificia, aut ejus cadaver sepeliendo in loco sacro; tum etiam, quia ex *cap. Sacris, de Sententia excommunicat.* mortui indigent absolutione, non quidem directe, seu quoad ipsos, cum sint extra jurisdictionem, & forum Ecclesiæ, sed indirecte, seu quoad alios fideles, ne cum illis modo dicto communicent.

Tertio, neque tollitur censura per datam satisfactionem parti læsæ, aut per emendationem delinquentis: damnatur enim ab Alexand. VII. propositio 44. dicens: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.* Et ratio est, quia quamvis ad censuram ferendam requiratur contumacia, at ut censure perseveret, non requiritur perseverantia contumaciæ; cum pendeat a contumacia in fieri, non in conservari. Quare jure ordinario unice tolli potest censura per potestatem D. Petro concessam solvendi ligatos, cujus actus est absolutio, ut communiter docent cum Pal. disp. 1. dub. 2. Quamvis de potentia absoluta, & extraordinaria posset aliter censuram tollere Pontifex, qui est Auctor juris.

Neque dicas, cessante fine, cessat lex; ergo cessante contumacia cessat censura propter illam inflicta. Nam verum quidem est, quod cessante contumacia tolli debeat censura; At sicut hæc per juridicam, & publicam potestatem fuit inflicta, ita per eandem potestatem tolli debet, ut docent Doctores, ex *cap. Cum desideres, de Sententia excommunicat.* Præsertim quia debet juridice constare de satifactione sufficienter data pro culpa commissa, ut possit dari absolutio.

II. Quæritur secundo; An saltem sine absolutione tollatur censura, quando fertur pro tempore determinato, verbi gratia, per mensem, per triennium, &c.?

Respondeo, Censuram proprie dictam ferri non posse ad tempus determinatum; quia cum feratur ad correctionem Rei, qui potest citius, aut tardius corrigi, non potest certo tempore illa durare; atque adeo non potest censura cessare per lapsum temporis determinati: Præser-

tim

tim quia sic daretur delinquenti occasio permanendi in sua contumacia, eo quod sciret, quod ab ea censura non posset liberari ante tempus præfixum, etiamsi emendetur. Potest quidem in pœnam alicujus delicti præcipi alicui, ut per triennium, verbi gratia, sit suspensus; at hæc non est censura proprie dicta, nec est pœna medicinalis, sed vindicta, ut alias diximus, & docet Laym. hic; hæc profecto per lapsum temporis præfixi sine alia absolutione cessare potest.

III. Quæritur tertio; An saltem censura tollatur sine absolutione, quando lata est sub ea conditione, *Donec satisfeceris?* Solet enim aliquando censura ferri tali pacto: Præcipimus tibi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut Cajo intra tres dies satisfacias, sisque excommunicatus, donec illi satisfeceris.

Respondeo, in tali casu posita satisfactione te fore liberum ab excommunicatione, in quam incurreras, & quidem sine alia absolutione, ut docent Covarr. in *cap. Alma mater, part.* 1. §. 2. Avila, Pal. Leand. disp. 2. quæst. 5. & alii communiter. Ratio est, quia in tali casu, ut bene notat Suar. num. 12. non tollitur censura sine prævia absolutione, eo quod a ferente censuram simul cum censura detur absolutio ab illa sub ea conditione de futuro, donec satisfeceris, qua conditione purificata statim absolutio sortitur effectum suum: Sicut enim censura per legem, aut per generalem sententiam fertur sub conditione, quod tale peccatum commiseris, & commisso statim incurritur; ita absolutio data sub conditione, quod satisfeceris, posita satisfactione, habet effectum suum. Unde fit, nullam omnino censuram sine absolutione tolli, si valida fuerit; Quod si fuerit nulla, & vera reputetur, satis est declaratio nullitatis, ut ea tollatur, seu potius ut intelligatur nunquam fuisse talem censuram. Advertit tamen Bonac. quæst. 3. punct. 9. hæc verba, Sis excommunicatus, donec satisfeceris, aliquando significare, quod excommunicatus non possit absolvi, nisi post satisfactionem; in quo casu posita satisfactione, procul dubio requiritur nova absolutio; & ea est praxis Ecclesiæ, ut post satisfactionem absolvatur, qui sic est excommunicatus.

ARTICULUS II.

Quisnam possit a Censuris absolvere?

I. Censuræ latæ per statutum alicujus Diœcesis, vel Provinciæ comprehenduntur sub censuris latis a jure.

II. Universim a censuris non reservatis absolvere potest, qui jurisdictionem erga censuratos habet pro foro externo.

III. Parochus, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, solum ex delegatione juris absolvere possunt a censuris non reservatis.

IV. Habens facultatem absolvendi a mortalibus reservatis potest absolvere etiam a censuris reservatis quoad casus Pontificios, non vero quoad Episcopales.

V. Probabiliter simplex Sacerdos potest ab excommunicatione minore absolvere, etiam extra confessionem sacramentalem.

VI. A censuris Juris reservatis absolvere potest qui eas reservavit, aut ejus Successor, vel Superior, ac Delegatus; & in multis casibus alii.

VII. Mendicantes non possunt absolvere a casibus Episcopo in tabella reservatis; possunt tamen a reservatis in Synodo; ac ab iis, quos jus commune Episcopo reservat.

VIII. Quando absolutio conferenda est satisfacta parte, quænam satisfactio est præmittenda? Et an valide conferatur, parte nondum satisfacta?

IX. A censura lata ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, si non sit reservata, quilibet Confessarius absolvere potest.

X. A censura lata ab homine per sententiam sive specialem, sive generalem pro peccatis præteritis, quinam, & quomodo absolvere possit?

XI. Quid si excommunicatus ab Episcopo domicilium mutet, aut Religionem ingrediatur?

I. QUoniam censuræ aliæ sunt latæ a Jure, aliæ ab homine, aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ, de singulis quærendum, a quonam absolvi possint? notando interim, censuras latas per statutum comprehendi sub censuris a Jure, quia statutum, licet non sit jus universale, est tamen jus particulare Diœcesis, vel Provinciæ, ut bene Suar. disp. 7. sect. 3.

II. Quæritur itaque primo; Quisnam possit absolvere a censuris juris non reservatis?

Respondeo, quod possint ab iis suos subditos absolvere omnes illi, qui in foro externo habent jurisdictionem erga illos, ut sunt Episcopus, Abbates, Prælati regulares, &c. Ita Navar. Henr. & alii communiter apud Pal. ex *cap. Nuper, de Sententia excommunicat.*

III. Dubium est, an Parochi, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, possint pariter absolvere a prædictis censuris?

Respondeo, Gloss. in *cap. Si Episcopus, de pœnit. & remiss.* Riccard. in 4. dist. 18. Sayr. & alios negare; quia sicut ad ferendam, ita ad auferendam censuram videtur requiri jurisdictio in foro externo, quam Parochus, & aliis Sacerdotes

dotes non habent. Sed quamvis hæc ſententia negativa ſit communior, contra quamplures relate ad abſolutionem a ſuſpenſione, & interdicto, ut ſuo loco dicemus: at relate ad abſolutionem ab excommunicatione, communior ſententia affirmat, cum Suar. diſp. 7. ſect. 3. D. Thom. Pal. & aliis, ex Cap. *Nuper*, *de Sententia excommunicationis*, ubi dicitur: *Quando conditor Canonis ſpecialiter abſolutionem ſibi non reſervavit, eo ipſo aliis videtur facultatem conceſſiſſe relaxandi*. Præterea Benedictus XI. in *Extravag. de Privileg.* 5. *Obſervent*, ait: *Inconveniens exiſtimamus, ut a peccato abſolvat, qui excommunicationem, quæ infligitur, maxime a jure, removere non poteſt*; ergo quilibet Confeſſarius poteſt abſolvere ab excommunicatione juris non reſervata. Immo Bonac. quæſt. 3. punct. 2. docet, idem etiam dicendum de abſolutione a ſuſpenſione, & interdicto. Nam ex Suar. diſp. 38. ſect. 2. qui habet facultatem abſolvendi a mortalibus, poteſt etiam abſolvere ab interdicto perſonali ſpeciali non reſervato, quamvis non poſſit a locali, aut generali perſonali, cum ad hoc requiratur juriſdictio in foro externo. Adde, eam eſſe praxim Eccleſiæ, ut abſolventes a mortalibus abſolvant prius non ſolum ab omni vinculo excommunicationis, ſed etiam ſuſpenſionis, & interdicti.

Ad rationem tamen in contrarium reſpondetur, quod quamvis Parochus, & alii Sacerdotes, qui poſſunt a mortalibus abſolvere, non habeant vi ſui muneris juriſdictionem in foro externo, atque adeo nec poteſtatem ad abſolvendum a cenſura, habent tamen hanc poteſtatem ex delegatione juris.

IV. Neque dicas: Si verum eſſet, quod qui poteſt a mortalibus, poſſet conſequenter a cenſuris juris non reſervatis abſolvere, ſequeretur primo, quod qui habet facultatem abſolvendi a mortalibus reſervatis, haberet pariter facultatem abſolvendi a cenſuris reſervatis.

Secundo, quod ſimplex Sacerdos, qui poteſt a venialibus, poſſit etiam abſolvere ab excommunicatione minore, quæ propter veniale incurritur.

Nam reſpondeo cum Suar. loc. cit. concedendo primam ſequelam quoad caſus Pontificios; quia Pontifex non ſolet reſervare caſus, niſi ratione cenſuræ; atque adeo non aliter dat facultatem abſolvendi a peccatis ſibi reſervatis, quam dando facultatem abſolvendi a cenſuris ſibi reſervatis. Negatur tamen prima ſequela quoad caſus Epiſcopales, quia ſolent Epiſcopi reſervare ſibi aliquos caſus ſine cenſura; unde qui habet ſolum facultatem abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis ſine cenſura, non proinde habet facultatem abſolvendi ab aliis cenſuris, & peccatis reſervatis.

V. Ad ſecundam ſequelam reſpondeo, a multis negari, præſertim a Cajet. Ugolin. & aliis apud Suar. loc. cit. & Pal. diſp. 2. punct. 21. cum Avila, Vaſq. & aliis. Et ratio eſt, quia quamvis non poſſit quis abſolvi Sacramentaliter a venialibus licite, non præmiſſa abſolutione ab excommunicatione minori; at poſſunt venialia aliter, quam per Sacramentum pœnitentiæ tolli; unde non fuit opus, ut cui concederetur facultas abſolvendi Sacramentaliter a venialibus, concederetur pariter facultas abſolvendi ab excommunicatione minore: Quod tamen dici non poteſt de mortalibus, quæ unice tolli poſſunt per Sacramentum, ſive in re, ſive in voto ſuſceptum; atque adeo qui poteſt a mortalibus abſolvere, debet poſſe pariter abſolvere a cenſuris juris non reſervatis; cum talis abſolutio per ſe prærequiratur ad mortalium abſolutionem.

Verum quamvis hæc ſententia negativa ſit probabilior, adhuc tamen eſt probabilis ſententia affirmativa docens, a ſimplici Sacerdote poſſe conferri abſolutionem ab excommunicatione minore, etiam extra confeſſionem; & etiam illi, qui habet mortalia; immo qui cum mortali excommunicationem minorem incurrerit. Ita Navar. Tolet. & Tabien. & alii cum Hurt. diſp. 26. de Excommun. diff. 2. ut dicemus quæſt. 3. art. 3. Et ratio eſt, quia cum excommunicatio minor non exigat peccatum mortale, ut incurratur, conſequenter neque exigit, ut habeat facultatem abſolvendi a mortalibus, qui poteſt ab ea abſolvere.

VI. Quæritur ſecundo; Quiſnam poſſit abſolvere a cenſuris juris reſervatis?

Reſpondeo, quod ab iis non poſſit abſolvere, niſi qui illas ſibi reſervavit, aut ejus ſucceſſor, aut Superior, aut Delegatus. Ita communiter, ex Cap. *Nuper de Sententia excommunicat.* Sunt autem multi caſus, in quibus conditor Canonis facultatem hanc abſolvendi aliis concedit.

Primo in *cap. Mulieres*, *de ſententia excommunicat. in 6.* committitur Epiſcopis, ut poſſint abſolvere tam mulieres, quam impuberes ab excommunicatione lata per Canonem, *Si quis ſuadente*: & in cap. *Monachi ibidem*, etiam conceditur, ut Abbates, & alii Prælati regulares poſſint abſolvere religioſos ſubditos, qui ſe mutuo percuſſerint; ſicut etiam Clerici ejuſdem Cleri, qui ſe mutuo percutiunt, poſſunt a ſuo Epiſcopo abſolvi.

Secundo in Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. conceditur Epiſcopis facultas abſolvendi ſubditos in ſua Diœceſi ab omnibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis in foro conſcientiæ tantum.

Tertio per Bullam Cruciatæ quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus poteſt abſolvere a reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ ſemel in vita,

vita, & semel in morte, absque onere comparendi apud Superiorem, si convalescat, ut notat Pal. disp. 1. punct. 2.

Quarto ex cap. *Quamvis*, *de sententia excommunicat.* potest Episcopus absolvere quoslibet legitime impeditos adire Pontificem cum onere comparendi saltem per procuratorem cessante impedimento sub pœna reincidentiæ; Sicut etiam quilibet Sacerdos potest in articulo mortis absolvere a quibusvis peccatis, & censuris reservatis cum eodem onere; si tamen censuratus sit publice denunciatus.

Demum Mendicantibus, & aliis, qui cum iis communicant in privilegiis conceditur, ut possint absolvere ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, ut docent communius contra nonnullos apud Pellizar. tract. 8. cap. 3. num. 80. & apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 13. exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & sex Clem. VIII. in Italia extra Urbem, qui sunt Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem, Percussio Clerici, Simonia realis, Confidentia beneficialis, Provocatio, & pugna duellistica, & Violatio immunitatis Ecclesiasticæ.

Advertendum tamen ex Suar. disp. 7. sect. 5. circa delegationem hujusmodi facultatis primo, quod cui conceditur indulgentia plenaria, etiam per modum jubilæi, non proinde censetur concessa facultas absolvendi a reservatis; (quicquid contradicant Graffis, Peyrin. Escob. Rodriq. Vega, Filliuc. Boss. & alii apud Dian. part. 10. tract. 16. resol. 1.) quia ista duo privilegia sunt inter se longe diversa, & unum non trahit aliud, ut ostendimus in Opusculo de Jubilæo quæst. 1.

Secundo, Is, cui conceditur facultas absolvendi a casibus Papæ reservatis, potest etiam absolvere a censuris eidem reservatis; quia, ut modo diximus, peccata solum ratione censuræ reservantur Papæ: Contra vero, quia multi casus reservantur Episcopis sine censura, cui conceditur facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis, non proinde conceditur facultas absolvendi a censuris reservatis; ut docet Bonac. cum Navar. Suar. Sanch.

Tertio per concessionem facultatis absolvendi a censuris Papæ reservatis intelliguntur etiam censuræ reservatæ Episcopis; quamvis id negent Navar. in Summ. cap. 22. num. 261. Bonac. & alii. Ratio, quam adducit Suarez num. 14. est; tum quia hoc fert consuetudo, quæ est optima legum interpres; tum etiam quia Pontifex per dictam concessionem dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris, a quibus ipse potest absolvere; sed ipse potest absolvere etiam ab Episcopalibus; ergo concedendo facultatem absolvendi a censuris Papalibus, concedit etiam ab Episcopalibus.

VII. Verum tamen est, quod Mendicantes ex speciali Bulla non possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, quamvis possint absolvere ab omnibus Papalibus: & ideo damnata est ab Alex. VII. prop. 12. dicens: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*. Quia tamen datur triplex genus casuum Episcopo reservatorum, primum eorum, qui ex consuetudine, vel jure Episcopo reservantur, ut percussio levis Clerici, &c. & hi possunt a Mendicantibus absolvi; ut ostendimus in Trutina, exponendo Thesim duodecimam ab Alex. VII. confixam; Siquidem solum prohibetur Regularibus, ne absolvant a casibus, quos ipsi sibi reservant, non vero a casibus a jure communi, vel consuetudine Episcopis reservatis. Ita Avers. Lezan. & alii plurimi apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 71. & apud Thomam Hurt. tom. 1. tract. 5. resol. 17. Notatque Suar. de pœnit. disp. 29. sect. 3. quod casus hujusmodi non dicuntur Episcopo reservati, sed delegati. Secundum genus est eorum casuum, qui in Synodo reservantur, & de his docent communius contra nonnullos, quos in loc. laud. Trutinæ retulimus, cessare reservationem per hoc, quod ab Episcopo non exponantur in tabella; quia *Non expressum habetur pro omisso*, ex pluribus legibus Civilibus, & Canonicis. Tertium genus est eorum, qui exponuntur in tabella, & de his loquitur propositio damnata ab Alex. VII. ut constat ex dictis.

Quarto per concessionem absolvendi ab omnibus censuris non solum intelligitur concessa facultas absolvendi ab omni specie censurarum, videlicet ab excommunicatione, suspensione, interdicto, sed etiam a censuris reservatis. Ita Bonac. Azor. & Sa contra Suar. disp. 7. sect. 5. Ratio est, quia quilibet Sacerdos potest absolvere a censuris non reservatis; ergo in casu nostro, ne privilegium sit inutile, debet posse absolvere etiam a censuris reservatis.

Quinto per concessionem absolvendi ab omnibus reservatis Sedi Apostolicæ non intelliguntur comprehensi casus Bullæ Cœnæ; sicut nec per concessionem absolvendi a reservatis in Bulla Cœnæ intelligitur data facultas absolvendi ab hæresi; quamvis probabile sit oppositum, quod docet Jacobus de Graffis de hæretico occulto. Ratio horum omnium est, quia ex reg. 81. juris in 6. habetur, quod *In Generali concessione non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*.

VIII. Sexto demum, quando facultas absolvendi a censuris datur sub ea limitatione, videlicet satisfacta parte, sensus est, si sit opus satisfactione partis; quod si non sit opus, potest procul dubio conferri absolutio absque ulla satisfactione. Nomine autem partis, cui satisfaciendum

dum est, non venit Prælatus præcipiens, vel excommunicans, sed tertia persona, quæ sit offensa aut in honore, aut in fama, aut in aliis bonis. Ratio est, quia offensio Judicis est generalis, & habetur, quotiescumque contrahitur quælibet censura: Sicut etiam in omni censura requiritur obedientia, vel cautio parendi Ecclesiæ; ergo quod specialiter requiritur in delictis exigentibus satisfactionem partis est restitutio honoris, vel famæ, vel rei familiaris tertiæ personæ offensæ.

Notandum tamen ex Avila 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 12. & aliis, quod quando vi Jubilæi excommunicatus denunciatus absolvi potest satisfacta parte, tunc non satis est, quod satisfiat personæ læsæ, sed debet etiam satisfieri Ecclesiæ læsæ, per hoc quod excommunicatus præsentet se, ac se humiliet Judici, qui Cedulones affixit, ut illi rationabiliter post absolutionem tollantur: Aliter enim absolutio cederet in contemptum Judicis, & Jurisdictionis exterioris.

Dubitatur; Sitne valida absolutio, quæ datur parte nondum satisfacta?

Respondeo cum Hurt. disp. 14. de excommunicat. diff. 5. & aliis communiter, quod si præmitti non possit absque gravi incommodo satisfactio partis, & absolutio per longum tempus differenda esset, possit absolutio non solum valide, sed etiam licite conferri parte nondum satisfacta; præstando tamen cautionem pignoratitiam, aut saltem fidejussoriam, aut ad minimum juratoriam de satisfaciendo, cum primum poterit.

Ratio est, quia non est credibile, Pontificem velle conditionem moraliter impossibilem, sicut nec est credibile, ut notat ex Navar. Suar. num. 45. velle Pontificem obligare ad satisfactionem exhibendam, quando debitum satisfactionis est dubium; sed ad summum tunc pro qualitate dubii deberet ad arbitrium prudentis viri satisfactio præstari.

Quod si satisfactio præmitti possit absque gravi damno, immo etiam absque levi, & de facto ea non præmitteretur, certe absolutio collata esset injusta, non tamen esset invalida, non solum si conferatur ab Ordinario, vel a generaliter delegato, sed etiam si conferatur ex privilegio, seu ex commissione particulari; dummodo in dicta commissione absolvendi satisfacta parte, aut in privilegio non addatur formula expresse irritans absolutionem concessam parte nondum satisfacta. Ita Avil. Sanch. & alii apud Hurt. loc. cit. contra Suar. & Vasq. Ratio est, quia illa verba, satisfacta parte, tantum monent delegatum de obligatione juris communis; unde si delegatus non præstet hoc, ad quod obligatur, videlicet si satisfactionem parti non curet præmitti, illicite absolvet, sed non invalide; non secus ac ipse Ordinarius; Quod communiter docent.

IX. Quæritur tertio; Quinam possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, quando verbi grtia, excommunicantur omnes, qui furabantur in templo?

Respondeo, probabile esse, quod possint etiam ab iis absolvere omnes illi, qui possunt absolvere a censuris non reservatis, seu omnes ii, qui possunt a mortalibus absolvere. Ita Bonac. quæst. 3. punct. 1. Suar. num. 23. Filliuc. hic cap. 9. Pal. Con. dub. 16. quamvis multi alii Doctores probabilius censeant, illos dumtaxat absolvere posse, qui possunt absolvere a censuris latis ab homine per sententiam specialem; videlicet qui illas tulit, aut ejus successor, aut superior, aut delegatus, aut Judex appellationis, ut infra dicemus. Ratio conclusionis est, quia talis censura æquiparatur censuræ latæ a jure; cum proprie non sit sententia, sed præceptum; ergo non debet sequi leges censuræ a Judice, sed censuræ latæ a jure. Quare quando in cap. *Nuper, de sententia excommunicutionis* dicitur absolutio a censura lata a jure pertinere ad Episcopum, vel Parochum, a censura vero lata a Judice pertinere ad eum, qui eam tulit, probabiliter sermo est de absolutione a censura lata a Judice per sententiam specialem pro peccatis præteritis, non vero de absolutione lata a Judice per sententiam generalem pro peccatis futuris, quæ potius habet vim præcepti, quam sententiæ. Quare si talis censura non sit reservata, absolvi poterit a quolibet Confessario; si vero sit reservata, absolvi poterit ab eo, qui eam reservavit ab ejus successore, aut superiore, aut delegato; non secus ac diximus de censuris latis a jure.

X. Quæritur quarto; Quinam possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam sive specialem, sive generalem pro delicto præterito, verbi gratia, si excommunicentur omnes, qui tale furtum commiserunt in tali Ecclesia; quæ censura dicitur lata per sententiam particularem, etiamsi neminem nominet, quia respicit factum illud particulare, & determinatum.

Respondeo, quod extra mortis articulum possit ab iis absolvere, qui eas tulit, (nisi sit illi specialiter interdictum) vel ejus superior, vel successor in officio, vel delegatus, vel judex appellationis. Ita communiter apud Pal.

Probatur per partes. Primo potest absolvere, qui eas tulit, ex cap. *Pastoralis*, *de Officio Ordinarii*. Et ratio est, quia cum potestas ferendi censuras concessa sit in salutem animarum, potius concessa est ad absolvendum, quam ad

ad ligandum; ergo qui potest ligare, a fortiori potest absolvere. Dixi tamen, Nisi sit ei specialiter interdictum, quia in multis casibus qui censuram tulit, non potest deinde illam tollere. Primus casus est in cap. *Tua nos*, *de Sententia excommunicat.* ubi dicitur, quod incendiarius ab Ordinario nominatim excommunicatus, & denunciatus ad Sedem Apostolicam remittendus sit. Secundus, quando qui sententiam tulit, amittit deinde jurisdictionem per excommunicationem, aut ex alio capite, ut patet. Tertius, quando alicui committitur actus ferendi aliquam censuram absque ulla cognitione causæ; in tali enim casu cum sit merus executor, qui fert censuram, nequit censuratum absolvere; secus vero si ei etiam cognitio causæ esset commissa, ut advertit Con. dub. 16. Quartus ex Cap. *Quærenti de Officio delegati*, ubi dicitur, quod delegatus Sedis Apostolicæ excommunicatum a se, eo quod suæ definitivæ sententiæ parere noluerit, ab incursa excommunicatione nequeat absolvere post annum elapsum; solumque intra spatium integri anni ab ea potest absolvere.

Secundo potest absolvere superior ejus, qui censuram tulit; dummodo non sit Superior duntaxat dignitate, sed etiam jurisdictione, ut Papa relate ad omnes inferiores, Generalis relate ad Provincialem; non vero Archiepiscopus relate ad Episcopos, nisi dum actu visitat, vel in casu appellationis; tunc enim est superior jurisdictione, ex Cap. *Venerabilibus*, *de sententia excommunicationis in 6.* Nec Legatus a latere relate ad judices inferiores, nisi in casu appellationis, ut docet Laym. tract. 5. part. 1. cap. 7. Neque Episcopus relate ad Prælatos regulares: Quare Regularis excommunicatus a Prælato suo ex causa pertinente ad regularem disciplinam non potest ab Episcopo absolvi; (nisi forte non sit exemptus, & ad Episcopum ab injusta sententia proprii Prælati appellet, ut notat idem Laym.) poterit tamen a suo Provinciali, aut Generali absolvi; quia isti absolvendo nullam injuriam faciunt Prælato inferiori, cum utantur jure suo.

Adverte tamen, quod quamvis superior possit valide, non potest tamen licite absolvere censuratos ab inferiori, nisi prius plenam satisfactionem exigat, & inferiorem Prælatum admoneat ne scilicet hujus auctoritas exponatur contemptui, ut ex multis juribus docent apud eundem Laym.

Tertio potest absolvere successor ejus, qui censuram tulit, ut habetur in cap. *Si Episcopus 2. quæst. 3.* quia qui succedit in eodem munere, seu dignitate, censetur eadem persona cum prædecessore. Valet autem hoc tam pro successore Judicis delegati, quam pro successore ad tempus; unde Capitulum, Sede vacante, quia ad tempus succedit Episcopo, potest per Vicarium capitularem absolvere excommunicatos ab Episcopo, ut habetur in Trident. sess. 24. cap. 16.

Quarto potest absolvere delegatus ab habente jurisdictionem ordinariam, ut habetur in cap. *Pastoralis*, *de Officio Ordinarii*; dummodo delegans non sit jurisdictione privatus, quando debet delegatus absolvere, ut docent communiter Doctores; siquidem jurisdictio delegati non est alia, quam delegantis. Quare in articulo mortis ex delegatione juris potest quilibet Sacerdos a censuris absolvere; Et extra mortis articulum Superiores nostræ Societatis, & ex eorum speciali delegatione etiam alii absolvere possunt etiam externos excommunicatos ab homine generaliter in foro conscientiæ, non tamen nominatim excommunicatos, ut habetur in compendio privilegiorum V. *Absolutio*.

Quinto demum potest absolvere Judex appellationis; qui tamen, ut ea potestate legitime utatur, servare debet modum in jure præscriptum, videlicet ut non absolvat, nisi prius constiterit censuram fuisse inique latam; alioquin relinquere debet, quod absolutio conferatur a judice, qui illam tulit, nisi vel sit periculum in mora, vel ille impendere eam nolit ut Canonistæ docent.

Ubi etiam notandum, in casu appellationis posse absolutionem conferri etiam a judice, a quo appellatum est, sive talis judex sit ordinarius, (de quo est communis opinio) sive sit delegatus, ut putat Suar. disp. 7. sect. 2. cum aliis contra nonnullos, qui cum Sayr. docent, jurisdictionem delegati per appellationem cessare. Ratio est, quia judex sive ordinarius, sive delegatus per appellationem factam Superiori non amittit suam jurisdictionem quoad ea, quæ appellationi non obstant, atqui non obstat absolutio appellationi; cum propter absolutionem interponatur appellatio; ergo potest judex, a quo appellatum est, etiam post appellationem absolvere.

XI. Infertur ex dictis primo excommunicatum a proprio Episcopo, etiamsi domicilium mutet, non posse absolvi ab Episcopo, in cujus Diœcesim domicilium transtulit, sed debere a priore Episcopo, vel ejus superiore, aut successore, aut delegato absolvi, si excommunicatio fuit specialis. Ita Doctores communiter, ex cap. *Proposuisti*, *de foro competenti* apud Con. dub. 16. & Suar. disp. 7. sect. 2. Ratio est, ne Judicum jurisdictio perturbetur, eorumve auctoritas contemnatur. Quod si excommunicatio lata fuerit per sententiam generalem, potest probabiliter absolvi ab alio Episcopo, in cujus Diœcesim domicilium transtulit; immo etiam

a Parocho, atque adeo etiam a quolibet Confessario, qui possit absolvere a mortalibus, si censura non sit reservata, ut docet Laym. part. 1. cap. 7. ex citat. cap. *Nuper*.

Infertur secundo, quod si excommunicatus ab homine per sententiam generalem, vel per statutum Religionem ingrediatur, possit a Prælato Religionis absolvi: Contra vero si sit excommunicatus per sententiam specialem, secluso privilegio; nam ratione causæ inchoatæ in tali casu jurisdictio maneret penes priorem Judicem, a quo fuit excommunicatus: Habetur enim regula generalis in cap. *Proposuisti*, *de foro competenti*, quod *Præventus a Judice forum ipsius in ea causa declinare non potest*.

Infertur tertio, quod si Advena Nolanus, exempli gratia, incurrat Neapoli excommunicationem latam per sententiam specialem ratione delicti Neapoli commissi, non possit ab Episcopo Nolano, sed solum a Neapolitano absolvi; secus vero si excommunicationem latam per statutum incurreret.

Advertit hic Con. num. 259. quod si tam Episcopus, quam subditus excommunicatus existant extra propriam Diœcesim, possit Episcopus suum subditum absolvere; quia potest extra territorium exercere jurisdictionem voluntariam, seu gratiosam, quæ fit sine strepitu judiciali, ut docent communiter cum Covarr.

Rogabis: Si excommunicatus per sententiam specialem non possit ex legitimo impedimento adire latorem censuræ, & paratus sit debitam satisfactionem præstare, poteritne ab alio æquali, vel ab inferiore Judice absolvi?

Respondeo, ex cap. *Quamvis*, *de Sententia excommunicationis* affirmative; dummodo det prius juramentum, quod, quamprimum poterit, ei se præsentabit, cui de jure absolutio competebat.

ARTICULUS III.

Quot modis absolutio a Censura conferri possit?

I. Absolutio a censuris dari potest vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam.
II. Cur censura ferri possit sub conditione de futuro, non tamen absolutio a censura regulariter?
III. Num sine nova culpa possit aliquis in priorem excommunicationem reincidere?
IV. Qui tenetur adire Pontificem pro absolutione, si impedimento laboret, poterit adire per Procuratorem, vel per Epistolam, sed ad id non obligatur.
V. Absolutus ad reincidentiam ab Inferiore, nisi intra mensem, verbi gratia, satisfaciat, num teneatur Papam adire pro absolutione, si satisfecerit intra illum mensem?

I. Quæritur primo; Quotupliciter dari possit absolutio a censura?

Respondeo quadrupliciter, videlicet vel absolute, vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam. Primo datur aliquando absolutio *Absolute*, & simpliciter, quando scilicet reus emendatus absolute liberatur.

Secundo datur *Conditionate*, ita ut purificata conditione reus sit omnino liber a censura: Verbi gratia, si absolvatur Titius statim ac parti læsæ satisfecerit, parte satisfacta remanet absolutus. Nonnulli cum Antonin. Sylvest. & aliis apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 14. dixerunt, absolutionem sic collatam sub conditione de futuro esse invalidam, non secus ac absolutio a peccatis data sub conditione de futuro. Sed Covarr. Nav. Con. num. 218. & alii communiter id negant, si detur sub conditione de futuro pertinente ad causam; quia absolutio sic data nullo jure irritatur, nec prohibetur; ergo non solum est valida, sed etiam ex rationabili causa est licita; ut fuse diximus quæst. 1. art. 5. loquentes de censura lata sub conditione. Verum tamen est; quod si absolutio daretur sub conditione sine rationabili causa, esset illicita; tum quia contra usum Ecclesiæ daretur; tum etiam quia relinqueretur judicio censurati decernendum, an purificata esset conditio, & consequenter an dici deberet absolutus, ut notat Villalob. apud Dian. loc. laud.: Contra tamen absolutio a peccatis non solum est illicita, sed etiam invalida, si conferatur sub conditione de futuro; quia positis omnibus constitutivis Sacramenti, non potest effectus Sacramenti suspendi, ut diximus in de Sacramento matrimonii; Ubi notavimus ex Perez, posse Sacramentum matrimonii confici sub conditione de futuro, non solum quia hoc fert natura contractus elevati a Christo Domino ad rationem Sacramenti, sed etiam quia contractus sub conditione celebratus tunc habet rationem contractus absoluti constituentis Sacramentum, quando purificatur conditio; & consequenter neque in tali casu suspenditur effectus Sacramenti matrimonii positis omnibus suis constitutivis.

II. Inquirit hic Suar. num. 11. quare possit licite ferri censura sub conditione de futuro pertinente ad causam; absolutio vero a censura non licite conferatur sub eadem conditione, nisi ex rationabili motivo; (quod tamen raro accidit). Etenim vel quando datur absolutio a censuris, reus est dispositus, vel non; Si primum, non debet absolutio differri, quousque purificetur conditio; Si secundum, absolutio simpliciter non est danda, ne sub conditione quidem.

Respondet idem Suar. disparitatem esse; quia cum peccata occulte fiant, & a peccatoribus

bus plerumque abscondantur, expedit aliquando ea puniri ipso facto, & sic minari censuram ipso facto incurrendam sub ea conditione, quod tale peccatum committatur, ut sic facilitas peccandi coerceatur: Contra vero, cum satisfactio, seu resipiscentia per se loquendo non abscondatur, non est opus dare absolutionem sub conditione resipiscentiæ, vel sub alia conditione de futuro, sed statim post resipiscentiam dari debet absolutio absoluta. Dixi per se loquendo, cum possit accidere casus, in quo licite detur sub conditione de futuro, si scilicet excommunicatus debeat abire in regionem longinquam, & non possit, nisi post mensem, verbi gratia, satisfacere, ne se infamet; tunc certe dari potest absolutio sub conditione, quod intra mensem satisfaciat.

Neque dicas, in Regula 50. juris in 6. habetur, *Quod actus legitimi conditionem non recipiunt*; ergo absolutio nunquam dari potest sub conditione. Nam contra est, quia ibi non est sermo de omnibus, sed de quibusdam actibus legitimis, qui enumerantur in leg. *Actus legitimi*.

Dubitatur; Num absolutio sub conditione de futuro ad causam impertinente sit valida? Verbi gratia, Absolvo te, si cras pluet.

Suar. disp. 3. sect. 3. cum Filliuc. Ugolin. aliisque communiter putat esse invalidam, ut diximus quæst. 1. art. 5. de censura lata sub ea conditione; quia scilicet talis absolutio contineret intolerabilem errorem, & abusum potestatis Ecclesiasticæ, dum vellet absolvens ejus effectum pendere a futuro cntingenti nullatenus ad rem pertinente. Ex cap. autem *Per tuas*, *de sententia excommunicationis* habetur, quod invalida sit censura lata, necnon absolutio continens errorem intolerabilem.

Sed Bonac. punct. 7. ex Con. putat esse validam, nec continere intolerabilem errorem; nam sicut non est invalida, nec continet talem errorem absolutio data sub conditione impertinente de præterito, vel de præsenti, (quod adversarii concedunt) verbi gratia, Absolvo te, si heri, vel nunc pluit in Indiis; ita nec absolutio data sub conditione impertinente de futuro. Quamvis enim utraque contineat aliquem abusum Ecclesiasticæ potestatis, non tamen errorem intolerabilem; qui certe continetur in inflictione censuræ sub tali conditione: Plura enim requiruntur ad ligandum, quam ad solvendum; ergo, &c. Equidem sententiam Suar. existimo probabiliorem.

Tertio, datur aliquando absolutio *Ad Cautelam*; quando enim ignoratur, an quis censuram incurrerit, & absolvens vult cavere damno, quod ex censura ignota provenire posset, tunc datur illi absolutio ad cautelam. Hinc ante absolutionem sacramentalem præmitti ad cautelam solet absolutio a censuris, etiamsi nulla suspicio sit, quod pœnitens censuram incurrerit; idque in reverentiam Sacramenti, ne impediatur ejus susceptio a censura aliqua forte ignorata. Præmitti etiam solet ante susceptionem Ordinum, ante beneficiorum, aliorumque privilegiorum collationem, ne hæc invalida postmodum inveniantur. Notant vero Doctores, quod præsupponi debeat ignorantia censuræ in petente, ut possit conferri sic absolutio, ex cap. *Solet*, *de sententia excommunicationis in 6.* Quia tamen absolutio ad cautelam peti potest vel in foro conscientiæ, vel in foro externo, sciendum, quod si petatur in foro conscientiæ, standum est dicto petentis, qui promittit se satisfacturum, si forte constiterit esse censura innodatum; ut docet Sayr. lib. 2. cap. 16. Si vero petatur in foro externo, distinguendum est; nam vel petitur generatim absolutio a censuris, quando nullius in particulari suspicio habetur, & procul dubio concedenda est; vel petitur absolutio ab aliqua speciali censura ad cautelam, & tunc præmittenda est aliqua cognitio causæ. Et absolvendus debet saltem semiplene putare, se non esse illa censura innodatum; vel quia, verbi gratia, sententia continet errorem, vel quia lata fuit post legitimam appellationem interpositam, vel ob aliam causam; ut docet ex multis juribus, & Doctoribus Pal. disp. 1. punct. 11.

Rogabis: An possit absolutionem concedere ad cautelam, non solum Ordinarius, de quo nemo dubitat, sed etiam delegatus?

Respondeo cum Laym. num. 9. ex Suar. sect. 8. & Ugolin. delegatum tunc solum posse ad cautelam absolvere a censuris, quando necesse est, ut testimonium alicujus recipiatur ad præsentem causam decidendam; (quia scilicet aliorum testimonia haberi nequeunt) non tamen posse ad alios fines absolvere ad cautelam, puta ad collationem beneficii, &c.

Quarto demum concedi solet absolutio *ad Reincidentiam*, ita scilicet, ut nisi absolutus rem injunctam intra præfixum terminum exequatur, in eandem censuram incurrat. Ita in cap. *Eos*, *qui*, *de sententia excommunicationis in 6.* ubi dicitur, quod absolutus ab eo, qui de jure non poterat ob legitimum impedimentum, si postea, cum commode possit, coram suo judice non compareat, paratus exequi ejus mandata, in eam reincidit excommunicationem: Ubi advertit Laym. cap. 7. ex Sanch. lib. 2. Moralium cap. 17. non posse excommunicatum reincidere in eandem numero, sed solum in similem excommunicationem, atque adeo in eandem moraliter.

III. Quæritur secundo; An possit quis in priorem censuram reincidere absque nova culpa?

Respon-

Respondeo, ab omnibus admitti, quod id fieri possit a Pontifice, si expresse velit, quod Titius, verbi gratia, excommunicatus tantum per mensem liber sit ab excommunicatione: Verum quando nihil Pontifex exprimit, & quando censuræ feruntur ab aliis Pontifice inferioribus, putant Suar. disp. 7. sect. 8. Hurt. disp. 14. de excommunicat. diff. 3., quod possit quis mere ob culpam præteritam in eandem excommunicationem reincidere; Si enim pœna temporalis, puta exilii, potest pro aliquo tempore suspendi, quidni etiam pena spiritualis? Sed communius cum Pal. disp. 1. punct. 11., Nav., Henr., Leand., Dian. part. 5. tract. 9. resol. 15. negant; quia censura ex sui institutione est pena medicinalis; atque adeo semel sublata nequit absque nova causa, seu absque actuali inobedientia; & contumacia iterum infligi: Ad quid infligeretur? Non est idem de pena temporali, quæ in puram punitionem, non in medicinam infligitur?

Advertendum tamen, absolutionem ad reincidentiam aliquando dari in ordine ad aliquem tantum effectum, puta, ut censuratus sit capax alicujus beneficii, vel ut impleat præceptum confessionis, ut communionis annuæ, ut lucretur jubilæum, &c., ita ut transacto tali actu statim redeat in eandem censuram. Hæc tamen absolutio non est proprie a censura, sed ab aliquo effectu censuræ; unde non est mirum, quod sine nova culpa iterum incurratur præcedens obligatio. Cæterum solus Pontifex potest hoc modo absolvere ad reincidentiam, uno casu excepto; quando scilicet necesse est, ut aliquis censuratus testimonium dicat, eo quod non possit alia via veritas comprobari; in hoc enim casu quilibet Judex, etiam delegatus, potest absolvere reum ad hunc dumtaxat effectum, ut docent communiter Doctores cum Laym. cap. 7. ex Cap. *Veniens*, *de testibus*.

IV. Quæritur tertio; An obligationi comparendi cessante impedimento coram Pontifice, vel legitimo judice, satisfaciat quis, si compareat per Procuratorem, aut per Epistolam?

Respondeo; Pal. disp. 1. punct. 11. cum Ugolin., & aliis negare; quia scilicet, si posset per procuratorem, aut per epistolam comparere, non esset expectandum, quod cesset impedimentum, ut compareat; nam eo durante posset per epistolam comparere. Alii tamen cum Sayr., Navar. apud Leand. quæst. 21. affirmant; quia juxta regulam Juris. *Quod per alium facis, per te ipsum facere videris*; quamvis in percussione Clerici requiratur præsentatio personalis, quia sic exprimitur in jure.

Utrum autem, si possit per Epistolam comparere, aut per Procuratorem, ad id teneatur? Bonac. quæst. 3. punct. 2. affirmat, quia non est credibile, quod Papa velit ab Episcopo absolutionem impendi, quando haberi potest recursus ad ipsum per epistolam; ut dicitur, cum de impedimentis matrimonii. Sed verius negat Henr. lib. 12. cap. 3.; quia nemo tenetur uti privilegiis; est autem privilegium, quod possit censuratus per epistolam recurrere ad Pontificem pro absolutione, quando non potest personaliter comparere.

V. Quæritur quarto; An qui ab inferiore absolvitur ad reincidentiam ob aliquod impedimentum legitimum a censura Papæ reservata; ita ut nisi intra mensem parti satisfaciat, reincidat in censuram; si deinde ante terminum præfixum satisfaciat, teneatur adhuc se præsentare Papæ?

Respondeo cum Leand. quæst. 20., Navar., & aliis contra Cordub., & Rodriq. negative; quia scilicet in tali casu cessat finis talis obligationis, quæ imponitur in cap. *Eos qui*: In foro autem præsertim conscientiæ magis attendendus est finis, quam verba præcipientis, ex *cap. penult.*, *de regul. juris in 6.* finis autem comparendi Papæ est, ut satisfiat parti; ergo parte satisfacta non est amplius comparendum; præsupposita jam absolutione habita ab inferiore pro quando habebat talem facultatem. Quod si ad instantiam partis sit aliquis excommunicatus, & deinde parti satisfaciat, non est liber a censura, donec absolvatur, ut supra diximus art. 1., quia ad tollendam censuram requiritur jurisdictio.

ARTICULUS IV.

Quandonam absolutio a censuris valeat pro foro externo?

I. Num absolutio a censuris virtute Jubilæi, aut Privilegii collata valeat etiam pro foro externo.

II. Si detur facultas absolvendi a censuris, auditis confessionibus, vel pro foro conscientiæ, non prærequiritur ad illam confessio Sacramentalis.

III. Neque si dicatur dari facultas absolvendi pro foro pœnitentiæ.

IV. Mendicantes privilegiati non debent absolvere a censuris reservatis, si probabiliter deducendæ sint ad forum judiciale, aut cum offensione Ordinariorum.

I. Quæritur primo; An absolutio a censuris data vi jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii valeat etiam pro foro fori?

Respondeo cum Suar. num. 21., Laym., & aliis communiter, quod quando in Bulla non expri-

exprimitur, quod absolutio concedatur tantum pro foro interiori, nec ex circumstantiis (puta ex materia subjecta, ex modo concessionis, aut ex antecedentibus, & consequentibus) id deducitur; tunc intelligitur concessa pro utroque foro. Ratio est, quia ex una parte beneficium Principis, seu gratia latissime interpretanda, ex leg. *Beneficium*, ff. *de constitut. Principum*; ex alia parte extensio absolutionis ad forum externum non est adeo specialis, & extraordinaria, ut non possit sub generali clausula comprehendi.

Quod si absolutio solum concedatur pro foro interiori, tunc, ut notat Suar. num. 30. primo potest Ecclesiasticus Judex causam cognoscere, & imponere satisfactionem publico, & contentioso foro accommodatam, non obstante absolutione, & penitentia imposita in foro penitentiæ. Etenim diversus est finis utriusque fori; forum internum ordinatur ad bonum privatum Rei; at externum ordinatur ad bonum commune, atque ad exemplum, & emendationem aliorum; unde non potest impediri pena publica ab emendatione, & punitione privata delinquentis; nam hoc vergere posset in grave nocumentum Ecclesiæ. Secundo, post absolutionem datam pro foro interiori, debet etiam aut dari alia absolutio pro foro externo, aut eadem data pro foro interno debet declarari, & comprobari pro foro externo per attestationem confessarii, sive coram judice, sive scripto; ad petitionem tamen pœnitentis, si intra Sacramentum absolutus fuerit.

Ex dictis sequitur, quod quando excommunicatio, verbi gratia, est occulta, & absolutio fuit data pro foro conscientiæ, excommunicatus est omnino liber a censura, & potest post absolutionem se gerere ut non excommunicatum; si vero excommunicatio fuit publica, vel fit publica post absolutionem datam in foro conscientiæ, eo quod ad forum judiciale deducitur, ita ut constet de ea incursa, tunc etiam post absolutionem habitam in foro conscientiæ debet ille se gerere in actionibus externis ut excommunicatum, ad scandalum vitandum, & ne aliis penis subjaceat, quæ illi imponi possent ob actus exercitos cum censura præsumpta; Idque quousque publice constet de absolutione habita vel tempore Jubilæi, vel ab habente potestatem absolvendi ex aliquo privilegio; dummodo publice etiam exhibita sit satisfactio, quæ parti danda est. Quod si censura non solum sit publica, sed etiam per Cedulones sit juridice nominatim denunciata, tunc debebit pariter coram judice probari absolutio habita in foro conscientiæ, ut ille declaretur absolutus; Quamvis, ut notat Suar. tom. 4. de Religion. lib. 9. cap. 2. Judex non teneatur admittere absolutionem datam in foro conscientiæ, nisi ex quadam æquitate; cum usus, & consuetudo ferat, quod judex Ecclesiasticus non teneatur servare privilegium ullum in foro exteriori, nisi per ipsum privilegium ad id expresse compellatur.

II. Quæritur secundo; An quando datur facultas absolvendi aliquem a censuris, auditis confessionibus, seu in foro conscientiæ, aut penitentiæ, ut concedi solet in Brevibus Apostolicis, & in Bulla Cruciatæ, tunc valida sit absolutio, si extra Sacramentum, non audita confessione, conferatur?

Respondeo affirmative cum Conin. Trullench. Bardi, Sanc. lib. 8. de Matrim. disp. 34., Dian. part. 3. tract. 2. resol. 20.; qui idem docet de dispensationibus super irregularitate, voto, juramento, &c. Ratio est, quia quando dicitur posse dari absolutio a censuris, audita confessione, non est sermo de confessione Sacramentali, seu in ordine ad absolutionem a peccatis, sed de confessione facta in ordine ad absolutionem a censura: Etenim confessio tam prærequiritur absolutioni Sacramentali, quam cuilibet absolutioni, aut sententiæ dandæ cum impositione penitentiæ proportionatæ tali absolutioni; prærequiritur tamen tali absoltioni confessio, sed non Sacramentalis; atque adeo extra Sacramentum dari potest absolutio a censuris, etiam in casu adducto. Et ratio a priori est; quia absolutio a censura non exigit ex natura sua confessionem Sacramentalem, nec ullam cum ea connexionem habet. Quod si delegari solet talis facultas Confessario, id ex eo est, quia confessarius inquantum talis videtur idoneus ad impertiendam talem absolutionem, non quia debeat in foro Sacramentali illam conferre; esto soleat in foro Sacramentali conferri. Idem dicas de aliis formulis; Nam dum conceditur facultas absolvendi aliquem a censuris pro foro conscientiæ, sensus est, quod absolvi possit pro foro interno secreto, & privato, quod opponitur foro contentioso, & publico; non vero fit sensus, quod absolvi possit solum in foro Sacramentali; siquidem, ut diximus, absolutio a censuris nullam habet connexionem cum Sacramento.

III. Demum dum dicitur, posse quis absolvi pro foro penitentiæ, non est sensus, ut notat Lezana, quod absolvi tantum possit pro foro Sacramentali penitentiæ, sed pro foro conscientiæ, seu secreto, injungendo in conscientia penitentiam, ut advertit Suar. num. 33.; cum enim duplex detur penitentia, una Sacramentalis, altera non Sacramentalis, non est cur forum penitentiæ artari debeat ad penitentiam Sacramentalem. Nihilominus Suarez disp. 7. de Censur. n. 36. Vasq Nav. & alii censent, quod si facultas ab absolvendum a censuris auditis Con-

Confessionibus, seu pro foro pœnitentiali detur, ut per talem absolutionem disponatur reus ad absolutionem Sacramentalem, ut accidit in Jubilæis, non debeat absolutio a censuris extra Sacramentum conferri; quod ipsa praxis confirmat.

IV. Advertit hic Laym. cap. 7. num. 7. Religiosos privilegiatos cavere debere, ne absolvant a reservatis casibus, & censuris notoriis, si ad forum judiciale deductæ sunt, aut probabaliter deducendæ putantur; ut indicatur in compendio privilegiorum Societatis V. *Absolutio*, ubi dicitur; Caveant Superiores, ne in usu hujus facultatis Ordinarios offendant; & admoneant penitentes, absolutionem a censuris, si quam impendent, nihil prodesse in foro exteriori.

ARTICULUS V.

De Requisitis ad absolutionem a Censuris.

I. In absolvente a censuris requiritur Clericatus.

II. Num possit Laicus moribundum a censuris absolvere, deficiente Clerico?

III. Num quilibet Clericus, aut saltem Diaconus id possit in absentia Sacerdotis?

IV. Censura per metum gravem extorta est valida; non tamen absolutio a censura.

V. Si absolutio extorqueatur per dolum, & errorem circa causam finalem, est invalida; Secus vero si per errorem circa causam impulsivam.

VI. In absolvendo nonnulla requiruntur, ut valida, nonnulla, ut licita sit absolutio.

VII. Cur possit Superior secummet dispensare in votis, aut juramentis; sicut potest cum aliis; non possit tamen semetipsum a censuris absolvere eo pacto, quo potest alios?

VIII. Absolutio regulariter requirit præsentiam absolvendi.

I. QUæritur primo; Quænam repuirantur ex parte absolventis, ut licite absolutio conferatur?

Respondeo, primo requiri (præter jurisdictionem, circa quam nihil hic addendum) statum clericalem; nam Sacerdotium tunc solum requiritur, quando vel intra Sacramentum conceditur absolutio, vel vi Bullæ, aut Privilegii concedentis talem facultatem Sacerdotibus. Et sane si Clericatus jure ordinario requiritur, & sufficit ad ferendam censuram, pariter requiritur, & sufficit ad illam tollendam.

II. Putavit Glossa apud Suar. sect. 6. cum Sylvest., Angel., & aliis, & apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 7., posse laicum in articulo mortis absolvere moribundum a censuris in absentia Clerici. Nam sicuti quia quilibet Sacerdos capax est absolvendi a peccatis, ideo ex concessione Ecclesiæ quilibet Sacerdos absolvere potest moribundum ab omnibus peccatis, ut consulatur animæ illius; ita quia laicus capax est absolvendi a censuris, ideo potest pariter ex concessione Ecclesiæ absolvere ab illis moribundum, ut sic magis animæ illius consulatur; Etenim absolutio illius a censuris non solum fert, ut possit corpus Ecclesiastica sepultura donari, sed etiam ut anima particeps esse possit suffragiorum.

Verum Suar. num. 8., & alii communiter negant, hanc facultatem laicum hahere, etiamsi multum conferat moribundo absolutio a censuris. Ratio est, quia neque ex jure aliquo, neque ex usu habemus, quod Ecclesia potestatem hanc laico concesserit; immo ex cap. *Decernimus de judiciis*, alienum a jure est, quod spiritualia per laicos ministrentur.

Nec quicquam probat ratio adducta; etenim quia pertinet ad salutem æternam animæ absolutio a peccatis, ideo ne moribundus pereat, Ecclesia dat facultatem absolvendi a peccatis unicuique talis facultatis capaci; atque adeo cuilibet Sacerdoti. At absolutio a censuris non pertinet ad æternam salutem moribundi, nec trahitur ejus damnatio, si non absolvatur; & præterea potest ea conferri post mortem; ergo non fuit opus, illam facultatem concedi cuilibet, qui esset capax.

III. Immo nec Clericus, nec Diaconus ipse potest in mortis articulo a censuris absolvere, juxta communem opinionem, nisi habeat specialem facultatem: Et quamvis Ugolin., & Paludan. apud Suar. loc. cit. probabiliter putent, Clericum, si sit judex Ecclesiasticus, (verbi gratia, Vicarius Generalis, vel Parochus nondum initiatus ordine Sacerdotali) posse in articulo mortis absolvere a censuris etiam non subditum; (nam de subdito nullum dubium est, quod possit) tamen probabilior, & communior sententia negat; Unde fit, solum Sacerdotem, præter Judicem Ecclesiasticum, posse in tali articulo absolvere a censuris; tum quia jura, quæ de hac concessione pro eò articulo loquuntur, semper nominant Sacerdotem, ut Trident. sess. 14. cap. 7.; tum etiam, quia consuetudo videtur esse, quod soli Sacerdotes moribundum absolvant a peccatis simul, & a censuris, si dat signum contritionis. Quod si ita sensibus sit destitutus, ut signum contritionis nullum det, absolvat illum dumtaxat a censuris absolute, & conditionate illum absolvat a peccatis, juxta dicta in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

IV. Secundo requiritur, ut absolutio non extorqueatur per vim, aut metum. Quare absolvens

vens debet esse liber a coactione: Quamvis enim jure naturali absolutio per vim, aut metum extorta non sit invalida; quia quæ fiunt coacte, adhuc libere, & voluntarie fiunt; unde valida est censura per metum lata, ut supra diximus quæst. 1. art. 2., tamen jure positivo talis absolutio irritatur, ex cap. *unico*, *de iis*, *quæ vi*, *metusve causa fiunt in 6.* Immo sic extorquentes absolutionem nova excommunicatione ligantur, ut in eodem Cap. habetur. Et idem dicas, si solum sub conditione Judex censuram tulerit, & ante conditionem impletam per vim, aut metum cogeretur revocare sententiam, ut notat Suar. disp. 7. sect. 6.

Notandum tamen ex eodem Suar., quod vis, vel metus debet esse gravis cadens in constantem virum: & præterea requiritur, quod per injuriam inferatur, etiamsi ab Ethnico inferretur. Quare si Judex absolutionem impendat, metuens ne a Deo puniatur, si non absolvat, aut metuens, ne pęnitens sibi in posterum non conferat beneficia; cum hujusmodi metus non sint injuriosi, seu injusti, absolutionem non irritant. Ratio autem, quare censura per metum gravem lata sit valida, non vero absolutio sic extorta, in eodem art. 2. a nobis est adducta.

Ultimo absolutio extorqueri non debet per dolum, aut errorem; quia injuria irrogaretur Superiori, a quo sic extorqueretur.

V. Difficultas tamen est; Sitne invalida, an solum illicita absolutio per dolum extorta?

Distinguit Bonac. quæst. 3. punct. 8. ex Sanch., Suar., Filliuc. Si enim dolus, seu fraus versetur circa causam finalem, seu principalem, absolutio est invalida, utpote per surreptionem obtenta, ut habetur in cap. *Officii*, *de Sententia excommunicationis*; secus vero si versetur circa causam impulsivam. Quare qui, verbi gratia, mentiendo dicit Judici se satisfecisse parti læsæ, aut dicit Confessario, se esse impotentem ad satisfaciendum, & habere propositum obediendi Ecclesiæ, invalide a censuris absolvitur; quia absolvens non intendit absolvere, nisi subsistente causa finali expressa; ut patet ex laud. cap. *Officii*; Et idem dicas de hæretico, qui se fingens conversum petit absolutionem: Secus vero si dolus sit circa causam impulsivam; Verbi gratia, si mentiendo dicat se plures eleemosynas erogasse ad absolutionem obtinendam; in tali enim casu absolutio est valida, quia adhuc cum tali mendacio vere subsistit causa principalis Judici proposita.

VI. Quæritur secundo; Quænam requirantur ex parte absolvendi, ut possit licite absolutio conferri?

Respondeo, primo requiri, ut sit subditus absolventis; aliter hic careret jurisdictione requisita. Ex quo fit, quod possit aliquis absolvi a delegato; quia eo ipso quod est delegatus, habetur, ut possit illi sponte sua censuratus subdi in ordine ad effectum absolutionis; Fit etiam, quod nemo possit seipsum absolvere; quia nemo est sibi subditus, aut superior.

VII. Et sane potest Superior dispensare erga se, sicut potest erga alios, sed non potest erga se ferre censuram, aut absolutionem, sicut potest erga alios sibi subditos. Ratio est, quia absolutio est actus judicialis, qui debet esse formaliter a Superiore: Contra vero dispensatio aut in votis, aut in aliis obligationibus legitime habetur per interpretationem voluntatis divinæ, aut alterius legislatoris creati, quæ in tali, vel tali casu non creditur velle obligare; unde sicut dispensat Superior in votis aliorum, ita in propriis: At si censuram incurrat, debet alteri, si potest, potestatem dare, ut absolvatur; sicut Pontifex ipse, ut absolvatur, debet alteri jurisdictionem conferre.

Secundo requiritur, ut absolvendus absolutionem petat, & ostendat se esse correctum; aliter illicite, quamvis valide, absolveretur. Etenim potest etiam invitus absolvi a censura, sicut & ab alia pęna liberari, sed non expedit, nisi in aliquo casu hoc videatur ad bonum publicum pertinere, ut explicat Suar. disp. 7. sect. 7.: Ubi adverte, quod solum habens potestatem ordinariam possit valide absolvere invitum, non vero habens potestatem delegatam, in foro conscientiæ; nam respectu hujus requiritur consensus personæ absolvendæ, quæ voluntarie se subjiciat in tali foro, aliter non est subditus, ut requiritur ad validitatem absolutionis.

Demum requiritur præsentia personæ absolvendæ, si fieri potest sine gravi incommodo, ut convenienter detur absolutio; aliter mittenda facultas alicui, ut illum præsentem absolvat, vel si ibi nemo adsit idoneus, absolvendus mittendus est ad aliquem loci vicinioris, a quo absolvatur: Quod si neque hoc fieri possit, poterit tunc absolvi absens; nam sicut absens censurari potest, ita & absolvi: Tunc autem intelligeretur regulariter absolutus, quando reciperet literas continentes absolutionem, nisi aliter constaret de mente absolventis. Ubi advertit Bonac. punct. 4., quod Confessarius, qui aliquem absolvit ab excommunicatione reservata, a qua non poterat absolvere, possit deinde, obtenta facultate, absolvere ab illa absentem; non enim est necesse, ut absolutionem acceptet, cum hæc pendeat tantum ex intentione absolventis, statimque effectum suum pariat juxta mentem illius.

ARTICULUS VI.

De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

I. Ad ferendam absolutionem a censura non requiruntur verba determinata; conferri tamen ea debet vel verbis, vel scriptura, non tamen nutibus.
II. Num possit his verbis, Absolvo te, conferri absolutio a censuris simul, & a peccatis?
III. Aliquando exprimenda est causa censuræ ab Absolvente.
IV. Plura spectant ad ritum accidentalem in judiciali absolutione a censuris.
V. Quid servandum in foro Sacramentali?

I. QUæritur primo; Utrum ad formam substantialem absolutionis requirantur verba determinata?

Respondeo, ad absolutionem conferendam non requiri certam formam verborum, sed sufficere quæcumque verba seu ore prolata, seu scripta, quæ significent absolutionem. Ita Suar., & communiter omnes Doctores. Ratio est, quia nullo jure probatur, quod requiratur certa forma; Ex altera parte cum absolutio detur inter homines, debet dari humano, & sensibili modo, atque adeo per verba vel scripturam, non tamen per nutus, aut per alia hujusmodi signa; quia hoc esset contra formam juris communis, ex *Clement. ultim.*, *de Sententia excommunicationis*. Et ratio est, quia hujusmodi signa sunt valde incerta. Solus Pontifex posset per nutus, aut alia signa absolvere; quia supremam habet potestatem, & facultatem absolvendi, non servata forma juris communis. Ita Bonac. punct. 5., Sanch., Suar., aliique contra Salas; qui probabiliter putat, validam esse, licet illicitam, absolutionem a censura datam per nutus, etiamsi a Prælato inferiori Pontifice conferatur.

II. Hinc sequitur, ad formam substantialem absolutionis a censura pertinere verba, vel scripturam, quæ absolutionem significent: Hæc autem verba possunt satis esse, Absolvo te, vel Reconcilio te Ecclesiæ, vel Restituo te Sacramentis, aut quid simile. Adde, illa verba, Absolvo te, satis etiam esse ad absolutionem a censuris, & peccatis simul, si proferantur ea intentione, ut utraque simul absolutio conferatur. In quo casu utraque absolutio esset in eodem instanti, sed absolutio a censuris esset prior natura absolutione a peccatis. Consultius tamen est, ut Confessarius expresse unam absolutionem alteri præmittat, dicendo saltem, Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis.

III. Dubitatur; An in forma absolutionis exprimi debeat causa censuræ, dicendo, verbi gratia, Absolvo te ab hac censura, quam contraxisti ob tale delictum? Communiter cum Suar. sect. 9. negant id requiri, per se loquendo; cum nullo jure præscribatur: Aliquando tamen id expedit: Si enim reus sit irretitus pluribus censuris, & superior velit illum ab una tantum absolvere, debet exprimere causam illius, ut constet a quanam absolvatur.

IV. Quæritur secundo; Quænam pertineant ad accidentalem solemnitatem, seu formam absolutionis?

Respondeo, ad ritum accidentalem in judiciali absolutione pertinere aliqua, quæ præcedant, alia, quæ comitentur, alia demum, quæ subsequantur.

Præcedere judicialem absolutionem debet primo petitio absolventis, ex cap. *Per tuas*; *de Sententia excommunicationis*; ubi dicitur: Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.

Secundo, satisfactio partis læsæ; si tamen non possit ea poni, præcedere saltem debet cautio pignoratitia, vel fidejussoria, vel juratoria, ut supra diximus.

Tertio, in excommunicatione contracta ob enorme delictum præcedere debet absolutionem juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, & quod simile delictum non amplius committetur. Quare hoc juramentum exigi tantum solet a percussore Clericorum, ab incendiario, &c. non vero in aliis levioribus delictis; neque ab impuberibus, etiamsi graviter Clericum percusserint, ut docent Pal., Henr. lib. 13. cap. 29., & alii.

Comitantur absolutionem judicialem, quæ in jure statuta sunt pro singulis censuris; præsertim quæ præscribit Innoc. III. in cap. *A nobis* 2., *de sententia excommunicat.*, & habentur in Pontificali Romano; videlicet, quod qui ab excommunicatione absolvitur, super nudatos humeros (modo non sit fœmina) leviter cædatur virga, flagello, aut fune, dum recitatur Psalmus Miserere: Quod si mortuus excommunicatus sepultus sit in loco sacro, satis est flagellare sepulcrum, quin exhumetur cadaver. Ortum habuit hæc cæremonia, quia servi dum manumittebantur olim, flagellabantur virgis a Prætoribus; sic nunc servi Satanæ, dum a servitute liberantur per absolutionem, flagellantur ab absolvente; Omissio tamen talis ritus nec reddit invalidam absolutionem, nec graviter illicitam, ex Navar., Hurt., Pal.; nisi in aliquo casu ad specialem Ecclesiæ satisfactionem ea requirantur.

Subsequitur demum a publica, & denunciata censura absolutionem ejus publicatio; ut res-

pectu aliorum finis absolutionis obtineatur; sicut enim nisi censura publicetur, alii non obligantur ad non communicandum cum excommunicato; ita nisi publicetur absolutio, alii non eximuntur ab ea obligatione.

V. In foro autem sacramentali, quando quis a censuris absolvitur, non est opus servare hæc cæremonialia. Advertit tamen Avil. 2. part. cap. 7. dub. 3., quod si confessio fieret in loco secreto, & posset talis forma adhiberi, expediret ita fieri, ut excommunicatus concipiat timorem, & reverentiam erga censuras; Aliter satis est dicere. In primis absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi ob furtum, verbi gratia, mihi dictum, & deinde prosequatur, Et ab omni alio vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

ARTICULUS VII.

Expediuntur reliqua, quæ ad Absolutionem a Censuris spectant.

I. *Num remaneat a Censuris absolutus, qui reticet in Confessione Sacramentali peccatum, cui censura est annexa?*

II. *Si præmittenda erat satisfactio partis, ea non præmissa, non est absolutus a censuris, quamvis ex oblivione peccatum illud omiserit.*

III. *Potest Episcopus pro foro conscientiæ absolvere a casibus Papalibus occultis. Num etiam ab occultis reservatis in Bulla Cœnæ? Num Episcopus, & Mendicantes Privilegiati absolvere possint a sex illis casibus Clem. VIII., si sint occulti?*

IV. *Quodnam delictum dicitur occultum; quodnam vero publicum? Quid si delictum in uno loco sit occultum, & in altero publicum?*

V. *Impeditus adire Pontificem pro absolutione a casu Papali absolvi potest ab Episcopo. An possit etiam a confessario absolvi, si sit impeditus etiam adire pro absolutione Episcopum? Certe non potest a simplici Sacerdote absolvi directe, si neque Papam, neque Episcopum, neque Confessarium adire potest.*

VI. *Solum de licentia sui Superioris potest ab Episcopo absolvi Religiosus impeditus adire Pontificem.*

VII. *Prælati regulares possunt suos subditos absolvere ab occultis Papalibus, prout possunt Episcopi. Et ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici etiam enormem.*

VIII. *Qui impedimento temporali laborant, ne possint Pontificem adire, ab Episcopo absolvi possunt, sed cum onere adeundi Papam cessante impedimento.*

IX. *Quinam dicantur habere perpetuum impedimentum adeundi Pontificem; quinam vero temporale? Quinam possit absolvi cum onere per hoc præcise, quod aliter carere diu deberet gratia sacramentali?*

I. QUæritur primo; Utrum pœnitens remaneat absolutus a censuris, a quibus confessarius potest absolvere, quando voluntarie reticet in confessione peccatum, cui scit annexam esse censuram, & petit a confessario absolutionem ab omnibus censuris, si forte indigeat, & quam confessarius concedit?

Respondeo cum Suar. sect. 1., Filliuc. num. 291., Bonac. punct. 6. quod vel confessarius habet facultatem absolvendi ab illa censura tantum in ordine ad confessionem, ut accidit in jubilæis, vel extra Sacramentum; Si primum, invalida esset absolutio; quia in Sacramento Pęnitentiæ, per se loquendo, requiritur cognitio peccati, cui est annexa censura; ergo si voluntarie tale peccatum reticetur, absolutio tam a peccatis, quam a censura est nulla; Si secundum, valida esset absolutio, si Confessarius haberet intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest. Verum quia confessarius non præsumitur habere intentionem absolvendi illum ab omnibus censuris, a quibus potest, quando illas pęnitens sine justa causa reticet; quia præsumitur habere intentionem absolvendi, quantum licite potest, nec potest licite a tali censura non manifestata absolvere; ideo in tali casu pęnitens non remaneret absolutus ab illa censura; Sicut remaneret absolutus, si tantum ex oblivione, aut ex alia justa causa illam reticeret.

II. Hinc sequitur primo ex Bonac. loc. cit., Con., Avil., & aliis contra nonnullos, quod qui ex oblivione omisit aliquod peccatum, cui est annexa censura, a qua poterat quidem valide Confessarius absolvere; non tamen licite, nisi præmissa satisfactione partis; etiamsi Confessarius dixerit, illum absolvere ob omnibus censuris, quantum potest, non proinde remaneat ab illa censura absolutus; quia non præsumitur, confessarium velle absolvere ab ea censura, a qua licite absolvere non poterat, satisfactione non præmissa.

Infertur secundo, quod pęnitens generaliter absolutus ab omnibus censuris, & peccatis oblitis ab habente potestatem in reservata, si deinde recordetur aliquod reservatum, cui sit annexa censura, teneatur quidem illud subjicere clavibus, cum etiam jure divino requiratur integritas materialis confessionis; at poterit a quolibet Confessario absolvi, quia per priorem absolutionem sublata fuit censura, & reservatio. Ita Suar. disp. 7. quæst. 1., Leand. disp. 12. de Pęnit. quæst. 16., Lugo, Mendo.

III. Quæritur secundo; Quænam sint censuræ, a quibus Episcopi possunt absolvere?

Respondeo, Episcopos posse absolvere non solum a censuris a se latis, vel a Prædecessoribus; sed etiam ab omnibus censuris, & casibus Papalibus, dummodo casus papales sint occulti, vel pœnitens sit legitime impeditus adire Pontificem, ut explicavimus in de Pœnitentia, cum de casibus reservatis; annotando, quod ex propositione 3. damnata ab Alex. VII. videatur inferri, non posse amplius ab Episcopis absolvi casus occultos in Bulla Cœnæ, ut fuse diximus in Trutina eam thesim exponendo. At probabiliter possunt Episcopi absolvere a casibus papalibus occultis reservatis post Trident. ut est duellum, &c., ut docet Suar. tom. 1. tract. 3. lib. 4. cap. 61., & alii apud Bonac. quæst. 3.; quia scilicet Trident. dat Episcopis indefinitam facultatem absolvendi a censuris papalibus occultis, nec limitat hanc facultatem solum ad censuras præteritas ante ipsum Trident. reservatas: Et consequenter docent, etiam Mendicantes posse a talibus censuris occultis absolvere, cum possint absolvere a casibus Episcopo a jure reservatis; Pariterque possunt sicut Episcopi, ita etiam Mendicantes ex Pelliz. tr. 6. c. 2. n. 21. & aliis absolvere ab omnibus illis sex casibus Clem. VIII., si sint occulti, ut diximus pariter in Trutina loc. laud. Sunt autem sex isti casus Clementini, Violatio immunitatis Ecclesiasticæ, Violatio Clausuræ Monialium, Duellum, Percussio Clerici, Simonia realis, & Confidentia beneficialis. Ab his enim anno 1602. Clem. VIII. vetuit, ne Regulares intra Italiam extra Urbem degentes absolverent.

Advertendum tamen primo, quod Episcopus solum pro foro conscientiæ possit a casibus papalibus occultis absolvere, & in sua Diœcesi, aut ad summum proprium subditum extra Diœcesim existentem; ut ex Trident. docet Bonac. loc. cit., Sanch., Con.

IV. Adverte secundo ex Suar. disp. 30. de Pœnit. sect. 3. delictum dici occultum quod non est publice diffamatum, seu quod non est notum majori parti viciniæ, vel communitatis. Quare Fagund. de Præceptis Ecclesiæ docet, delictum dici in jure occultum, etiamsi a quinque sciatur, vel si ita est deductum ad forum contentiosum, ut Reus ab eo sit absolutus ob defectum probationis: Dici vero publicum, si a sex, & in magna multitudine Civitatis, si a pluribus, quam sex sciatur, vel si est deductum ad forum contentiosum, & saltem uno teste probatum, nec reus sit adhuc absolutus, aut totaliter punitus. Utrum autem delictum in uno loco occultum, in altero publicum, absolvi possit in eo loco, ubi est occultum? Affirmant Sanch., & Dian. contra Suar., saltem quando non est spes, quod delictum deferatur ad locum, ubi absolvitur.

Adverte tertio, quod eo modo, quo possunt ab his casibus Episcopi absolvere, potest pariter Vicarius Generalis, quia cum Episcopo unum Tribunal conflat; Et universim quando Pontifex concedit aliquam facultatem Episcopo, & non vult illam Vicario communicare, id exprimitur, ut in Trident. sess. 24. cap. 6. Et quia possunt in dictis casibus Episcopi absolvere, ideo, ut diximus, possunt pariter Religiosi privilegiati habentes casus, quos jus reservat Episcopis, non vero quos Episcopi sibi reservant.

V. Quæritur tertio; Utrum ligatus censura reservata Papæ, si non possit adire nec Pontificem, nec Episcopum, possit a Confessario absolvi cum eodem onere comparendi apud Pontificem cessante impedimento?

Respondeo, probabiliter posse. Ita Hurt., Granad., Cœlestin., & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 58., & part. 9. tract. 7. resol. 10. Ratio est, quia ideo in jure datur Episcopis facultas absolvendi cum onere impeditos adire Pontificem, ne isti careant remedio absolutionis; atqui si impediti adire Episcopum non possent pariter cum eodem onere a Confessario absolvi, etiam carerent remedio absolutionis; ergo probabiliter possunt in tali casu a Confessario absolvi.

Nec obstat, quod textus loquatur solum de impeditis adire Papam, non vero de impeditis adire Episcopum. Nam textus loquitur de casibus, qui sæpe accidunt; raro autem accidit impedimentum adeundi Episcopum. Quia tamen in utroque casu militat eadem ratio, quod scilicet carerent remedio absolutionis, si non possent ab alio absolvi; ideo dicendum, quod sicut possunt ab Episcopo cum onere absolvi impediti adire Papam, ex facultate explicite concessa in jure Episcopis; ita pariter possint absolvi a Confessario impediti adire Episcopum, ex facultate Confessariis implicite a jure concessa. Neque hinc sequitur, quod si quis sit impeditus adire tum Papam, tum Episcopum, tum etiam Confessarium, possit a simplici Sacerdote absolvi. Nam simplex Sacerdos caret simpliciter jurisdictione; Confessarius vero habet illam, licet restrictam propter reservationem; hæc autem restrictio in casu impedimenti censetur implicite sublata propter rationem adductam; ex qua non deducitur, quod etiam conferatur simplici Sacerdoti jurisdictio requisita: Sicut enim lex non obligat pro eo casu, pro quo Legislator non censetur velle obligare; ita lex restringens Confessario jurisdictionem reservando peccata, & censuras, non censetur obligare

gare in casu adducto impedimenti. At non per hoc simplici Sacerdoti confertur jurisdictio.

VI. Notandum hic primo ex Sanch. lib. 4. Sum. cap. 39., quod Religiosus exemptus possit tantum de licentia sui Superioris absolvi ab Episcopo a censuris Papæ reservatis in casu impedimenti; sicut etiam dispensari in votis. Ratio est, quia licentia sui Superioris non obtenta, non est subditus Episcopo, cum sit exemptus, & sic nulla est absolutio, & dispensatio; Sponte autem fieri subditum in his casibus de licentia Superioris non repugnat.

VII. Notandum secundo ex Leand. de excommunicat. disp. 17. quæst. 62., Prælatos regulares posse absolvere subditos ab occultis papalibus, non solum ratione suorum Privilegiorum, sed etiam vigore Trident., quia nomine Episcoporum in eo decreto veniunt etiam Prælati regulares, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent, & solum differunt ab Episcopis in consecratione, cum habeant suam quasi Diœcesim, domos, & provincias, & possint approbare ad confessiones suorum subditorum audiendas, quod est proprium Episcoporum, juxta Trident. sess. 24. cap. 15. Posse etiam Prælatos regulares absolvere suos subditos ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, etiam enormem, virtute Privilegiorum, notavit Molin. disp. 69., Pal., Sanch. apud Pelliz. tract. 8. cap. 6. num. 191.

Notandum tertio, quod juxta Navar., & Con. disp. 14. dub. 19. impeditus adire Papam non possit ab Episcopo absolvi, si possit adire Legatum, aut alium habentem privilegium absolvendi; quia in tali casu cessat finis concessionis factæ, ut possit ab Episcopo absolvi. Sed verius cum Bonac. punct. 2., Henr., & Avil. dicendum, quod posset etiam ab Episcopo absolvi; tum quia privilegia, & gratiæ sunt late interpretanda, tum etiam quia nemo tenetur uti privilegiis. Et hinc est, quod quamvis irretitus censura posset per Procuratorem, aut Epistolam adire Pontificem pro absolutione obtinenda, non teneatur; ut diximus art. 3. cum eodem Henr. lib. 12. cap. 3.

VII. Notandum ultimo, quod habentes impedimentum temporale adeundi Pontificem absolvi debeant a censuris Papæ reservatis cum onere comparendi apud illum, cessante impedimento, sub pœna reincidentiæ in eandem censuram, ex Cap. *Mulieres*, & ex Cap. *Eos qui de sententia excommunicationis in 6.*; Ubi quamvis tantum sermo sit de absolutione ab excommunicatione ob percussionem Clerici, tamen, ut notat Suar. disp. 30. de Pœnit. sect. 3., paritate rationis, idem communiter docent Doctores, quando aliquis absolvitur ratione impedimenti temporalis ab aliis censuris reservatis etiam in Bulla Cœnæ: Contra tamen, quando quis absolvitur a censuris reservatis ratione impedimenti perpetui, absolvitur sine tali onere, quia frustra illud apponeretur; cum impedimentum perpetuum cessare non possit. Demum qui in articulo mortis absolvitur a Confessario inferiore, tunc solum absolvitur a reservatis cum onere, quando est publice denunciatus, aut est publicus Clerici percussor; quia debet publice satisfacere mandatis Ecclesiæ, ut possint tolli Cedulones, possitque licite cum aliis communicare. Quod si non sit publice denunciatus, nec publicus Clerici percussor, potest sine onere absolvi, ut multi Doctores docent cum Dian. part. 10. tract. 14. resol. 63. Et ratio est, quia Trident. dixit, nullam esse in articulo mortis reservationem; unde quoad hoc correxit jus antiquum, dum non meminit talis oneris.

IX. Petes hic; Quinam dicantur habere impedimentum perpetuum adeundi Papam, & quinam temporale?

Respondeo, habere perpetuum impedimentum perpetuo debiles, fœminas, impuberes, regulares, filiosfamilias, senes sexagenarios, mancipia, pauperes, in carceribus, vel triremibus detinendos per decennium, aut quinquennium, ex Tambur. in Decalog., quia tempus adeo diuturnum censetur perpetuum. Et idem dicas de iis, qui sine gravi damno spirituali, aut temporali proprio, aut alieno adire Romam aut numquam poterunt, aut per decennium, &c. Habent vero impedimentum temporale, qui infra tale tempus his impedimentis laborant: In quo casu ex *Leg. Quamvis de Sententia excommunicationis* possunt directe absolvi, cum onere tamen adeundi Pontificem cessante impedimento, non quidem ut iterum a reservatis Sacramentaliter absolvantur, sed ut stent ejus mandatis: Absolvi vero possunt indirecte a reservatis tam ii qui urgentur necessitate communionis, quam ii, qui nisi hic, & nunc absolvantur, per accidens carere diu deberent gratia sacramentali: Censetur enim hoc esse grave incommodum, ut docent Suar., Granad., Dian. in Sum. V. *Celebrare Missam*, num. 40. Dilationem autem unius noctis dumtaxat non esse sufficientem, ut possit quis cum onere ob impedimentum temporale absolvi, docent communiter contra Mendoz. apud Tambur. in Methodo conf. cap. 1. §. 6. quamvis fieri possit, ut ea nocte censuratus moriatur; Quare arbitrio prudentis viri decernendum, quinam dicatur diu carere debere gratia Sacramentali, nisi hic, & nunc absolvatur cum onere, attentis circumstantiis, & periculo censurati, juxta fusius explicata in de Sacramento Pœnitentiæ qu. 9. art. 2.

QUÆSTIO III.

De Excommunicatione.

ORdinata methodo ab universalioribus ad minus universalia descendimus. Quare explicatis censuris in genere, ad singulas in particulari discutiendas progredimur; Et primo agimus de Excommunicatione, quæ inter censuras principem obtinet locum; Est enim omnium Ecclesiasticarum pœnarum gravissima, quæ merito nuncupari solet Mucro Episcopi, Virga ferrea, Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, Anathema, &c., quibus nominibus quanti ab Ecclesia fiat, & quantum timenda sit, plane innotescit; Proinde Cœlest. III. in cap. *Cum non absolutionem*, *de judiciis* dicit, Ecclesiam post anathema latum non habere ultra quod faciat: Et ex cap. *Nemo Episcoporum* 11. quæst. 3. habetur, quod non debeat quispiam excommunicari, nisi quia aliter corrigi non potuit. Nos primo loco examinabimus, quid & Quotuplex sit excommunicatio? Secundo, quinam excommunicati sint vitandi? Tertio, sub qua culpa, & pœna? Quarto agemus de Excommunicatione minori, ejusque causa, & effectibus. Quinto; de causa præsertim temporali, ob quam ferri potest excommunicatio major. In sequenti autem quæstione fuse agemus de effectibus excommunicationis majoris. Ac deinde de nonnullis excommunicationibus magis obviis in particulari.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Excomunicatio?

I. Excommunicatio quid sonet; & quomodo definiatur?

II. Ecclesia per excommunicationem non privat hominem communione fidelium mere interna, qua fideles per fidem, & charitatem inter se copulantur, sed externa, seu politica, ac mixta, puta usu activo, & passivo Sacramentorum, orationibus publicis, & similibus.

III. Dividitur excommunicatio in majorem, & minorem. Antonomastice denotatur major, quæ vocari solet Anathema, licet ab hoc differat penes accidentales solemnitates.

IV. Pariter dividitur in Latæ, & Ferendæ sententiæ; In latam ab homine, & a jure, & alia membra; non secus ac censura in communi.

I. EXcommunicatio idem sonat, ac extra communionem. Nomine autem communionis per antonomasiam venit Eucharistia: fideles enim ob graviora crimina a perceptione Eucharistiæ arcebantur. Verum cum hæc pœna progressu temporis non sufficeret, voluit Ecclesia, ut excommunicati non solum perceptione Eucharistiæ, sed aliorum etiam Sacramentorum tam perceptione, quam administratione, necnon aliis communibus bonis tum spiritualibus, tum temporalibus privarentur.

Quæres nunc primo; Quomodo excommunicatio definiatur?

Respondeo communiter cum Suar. disp. 8. sect. 1., Con., & aliis definiri, quod sit *Censura Ecclesiastica separans hominem a communione fidelium*. Alii apertius illam describunt cum Bonac. dicendo, quod sit *Censura*, *qua homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus*, *videlicet consortio fidelium*, *participatione Sacramentorum*, *& communibus Ecclesiæ suffragiis*. In hoc, quod sit censura, convenit excommunicatio cum suspensione, & interdicto; Discrepat vero ab istis in hoc, quod segreget hominem a communione fidelium; nam Suspensio solum privat Ecclesiastico ministerio, seu usu beneficii, & exercitio officii, & potestatis clericalis; Interdictum vero privat solum participatione divinorum officiorum, qua talia sunt, non autem quatenus rationem habent communicationis cum fidelibus, quo pacto privat iisdem excommunicatio; ut notat hic Con. Porro definitio allata convenit tam excommunicationi majori, quam minori; Quamvis minor separet tantum a perceptione Sacramentorum; Major vero, quę appellari solet absolute Excommunicatio, separat simpliciter ab omni communione fidelium, juxta illud Christi Domini Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, *sit tibi tamquam Ethnicus*, *&c.* idest simpliciter ab Ecclesia segregatus; unde Apost. 1. ad Corinth. 5., & 1. ad Timoth. 1. dicit, Satanæ tradidisse quos excommunicavit; quia, ut explicat Gratian. caus. 11. quæst. 3., extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia est Christus.

Ad pleniorem intelligentiam advertendum cum Laym. hic cap. 1., triplicem esse communicationem fidelium, Internam, Externam, & Mixtam. Primo interna fidelium communicatio consistit in fide, & charitate, per quam fideles inter se, & cum Christo copulantur, ut docet Apost. ad Rom. 2., & ad Ephes. 4.; Et ratione hujus unionis potest unus fidelis impetrare a

re a

re a Deo de congruo alteri ſpecialia beneficia, & proprias ſatisfactiones illi applicare; Unde dixit David Pſalm. 48. *Particeps ego ſum omnium timentium te*. Et Dominus dixit Abrahæ Geneſ. 18., ſe non deleturum Sodomitas propter communicationem juſtorum, ſi inventi eſſent in civitate. Secundo, Externa communicatio politica fidelium conſiſtit in eorum convictu, colloquio, commerciis, &c. Tertio, Mixta conſiſtit in exterioribus actionibus, ſeu cæremoniis, quę ex propria inſtitutione interiorem, ac ſpiritualem fructum continent; ut ſunt uſus activus, & paſſivus Sacramentorum, orationes publicæ, ſacrificia, ſatisfactiones Chriſti, Sanctorum, quæ ex communi Eccleſiæ theſauro per indulgentias fidelibus applicantur.

II. His explicatis, dico, Eccleſiam per excommunicationem non privare Reum prima communicatione interna, ſed ſecunda externa, & tertia mixta. Non privat excommunicatos communicatione bonorum mere interna, quę eſt per fidem, & charitatem; quia his nemo invitus ſpoliatur; nec ſi talibus bonis careat, impediri poteſt ab Eccleſia, ne ea per contritionem recuperet. Quare Eccleſia privat excommunicatos communicatione fidelium externa, tum ut pudefacti facilius reſipiſcant; tum ne alios morbi contagione inficiant; ut notat Aug. lib. de corrept., & grat. cap. 15.: Privat etiam communicatione fidelium Mixta; videlicet communibus ſuffragiis, & ſatisfactionibus, uſu activo, & paſſivo Sacramentorum, & ſacrificiis, quatenus ea miniſteria publica ſunt, & Eccleſiæ diſpenſationi a Chriſto demandantur; non vero quoad eorum vim, & valorem pendentem a Chriſti inſtitutione; Nec privat Eccleſia excommunicatos fructu orationum, & ſatisfactionum, quas alii fideles proprio nomine, & privata intentione iis applicant; Etenim cum hujuſmodi actiones, ſeu pia opera ſint propria cujuſque operantis, non ſpectant ad Eccleſiæ diſpenſationem; Unde nemo prohibetur pro excommunicatis privatim Deum orare: Et quamvis Sacerdoti non liceat pro excommunicatis non toleratis offerre ſacrificium, aut orationes publicas, inquantum publicæ ſunt, & nomine Eccleſiæ factæ; poteſt tamen pro iiſdem privata intentione offerre actionem ipſam ſacrificandi, ſeu recitandi horas canonicas, &c. quatenus eſt opus proprium operantis, & hac ratione ſatisfactorium, vel etiam de congruo impetratorium; ut notant Navar., Sylveſt., Avil. apud. Laym. loc. cit.

III. Quæres ſecundo; Quotuplex ſit excommunicatio?

Reſpondeo communiter dividi in majorem, & minorem. Illa incurritur ſolum ob mortale, & privat omni fidelium communicatione, prout explicavimus; hæc vero ſæpe ob veniale incurritur, & privat dumtaxat perceptione Sacramentorum, necnon electione, præſentatione, & collatione beneficii Eccleſiaſtici. Excommunicatio autem abſolute dicta antonomaſtice denotat majorem, ut declaravit Gregor. IX. cap. penult., niſi aliud ex contextu colligatur. Hæc major excommunicatio vocari ſolet aliquando Anathema, quod apud Hebræos deteſtationem, execrationem, & maledictionem ſignificat; quia excommnnicati ab Eccleſia maledicti, & execrati ſunt: quamvis differat excommunicatio ab anathemate penes accidentales ſolemnitates; quia dum anathema fertur, circumſtant Epiſcopum duodecim Presbyteri lucernas ardentes in manibus tenentes, eaſque in deteſtationem excommunicati in terram projiciunt, ac pedibus conculcant, ex cap. *Debent* 11. *quæſt.* 3. Quare ad exaggerandam ſententiæ ſeveritatem in hereticis excommunicandis, dicuntur iſti in Sacris Canonibus anathematizari.

IV. Præterea ſicut cenſura in communi, ut diximus quæſt. 1., ita pariter excommunicatio dividitur in Latæ, & Ferendæ ſententiæ; In latam a jure, & ab homine; In latam per ſtatutum, per ſententiam generalem, & ſpecialem; in reſervatam, & non reſervatam; juſtam, & injuſtam; validam, & invalidam.

ARTICULUS II.

Quinam excommunicati ſint vitandi? Et in quibuſnam teneamur eos vitare?

I. Excommunicati a proprio Prẹlato ubique Gentium privantur communicatione fidelium; & ab omnibus vitandi, ſi non ſint tolerati.

II. Non toleratus, ſeu vitandus dicitur, qui nominatim eſt denuntiatus, excommunicatus, & publicus Clerici percuſſor.

III. Tolerati eodem modo privantur ex parte ſua communicatione fidelium, ac ſi eſſent vitandi.

IV. Fideles etiam in divinis communicare poſſunt cum excommunicato tolerato, poteſtque hic Sacramenta adminiſtrare ſolum, ſi petantur. At num licite peti ab eo poſſunt?

V. Quid requiratur, ut publicus Clerici percuſſor ſit vitandus? Certe raro vitandus eſt.

VI. Si in uno loco excommunicatus ſit nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percuſſor, eſtne vitandus, ubi denunciatio non eſt publica, nec percuſſio Clerici innoteſcit publice?

VII. Num tenear vitare Petrum per hoc præciſe, quod aliquis fide dignus dicat, illum eſſe excommunicatum vitandum?

VIII. Vitari debent excommunicati non tolerati in iis omnibus, quæ denotantur eo verſiculo, Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

IX. Num

IX. Num liceat illos resalutare, aut iis rescribere? Num liceat iisdem caput aperire, & alia signa urbanitatis præstare citra salutationem verbalem?

I. Certum est, excommunicatos ubique terrarum pati effectus excommunicationis, ut supra diximus quæst. 2. art. 7.: Quamvis enim quis a proprio Prælato excommunicetur, debet tamen in conscientia non solum in Diœcesi sui Prælati, sed ubique abstinere ab omni fidelium communicatione, & a Sacramentorum, aliorumque divinorum participatione; secum enim excommunicationem defert, illumque sequitur, ut lepra leprosum, ut loquuntur Juristæ. Et eodem modo omnes fideles, quamvis non sint subditi illius Episcopi, a quo lata est excommunicatio, tenentur excommunicatum non toleratum vitare, obligatione inducta a jure communi.

II. Quæritur nunc primo; Quinam sint excommunicati vitandi, seu non tolerati; Quinam vero tolerati, & non vitandi?

Respondeo, jure antiquo omnes excommunicatos fuisse vitandos, ita ut qui publice cognoscerentur esse excommunicati, publice vitarentur; privatim vero qui privatim noscebantur excommunicati, ex cap. *Cum ab homine, de sententia excommunicationis*: Jure autem novo ad vitanda scandala excommunicatus vitandus est solum, qui nominatim est denunciatus excommunicatus, & publicus, seu notorius Clerici percussor, ita ut factum nulla possit tergiversatione celare, aut expulsare. Ita Concilium Constantiense anno 1444. & deinde Martinus Pontifex V. in *Extravag. Ad vitanda scandala*. Et quamvis Concilium Basileense sub Eugen. IV., & Lateranense sub Leone X. voluerint, vitandos esse omnes publice excommunicatos, etiamsi non sint nominatim denunciati; atque adeo hæreticos omnes notorios; hoc tamen ab universali Ecclesiæ consuetudine abrogatum est, & solum in praxi habetur, quod a Concilio Constantiensi fuit definitum; siquidem sine ullo scrupulo, & sine Prælatorum reprehensione in Gallia, Germania, Belgio catholici conversantur cum notoriis hæreticis. Ita Con. dub. 2., Lug. in Respons. moralib. lib. 5. Suar., Avil., & alii communiter contra Fagnanum: Et quod dicitur de excommunicatis, dicitur etiam de suspensis, & interdictis, ut constat ex dicta Extravag. dicti Pontificis Martini V.

III. Notandum tamen hic primo, excommunicatos toleratos ex parte sua eodem modo teneri a divinis rebus abstinere, & alios evitare, ac si non essent tolerati. Ratio est, quia decretum Concilii Constantiensis solum fuit factum in favorem aliorum, qui quamvis sciant Titium, verbi gratia, esse excommunicatum, possunt tamen cum eo conversari, perinde ac si non esset excommunicatus, si non sit denunciatus nominatim, aut non sit notorius Clerici percussor. Etenim in laud. Extravag. hæc habentur: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari*. Unde illud commodi dumtaxat habet excommunicatus toleratus, quod alii possint sine scrupulo secum conversari.

IV. Dubium tamen est; An possint alii cum excommunicato tolerato communicare etiam in divinis, inducendo illum, verbi gratia, ad administrandum aliquod Sacramentum, perinde ac si non esset excommunicatus?

Negant Avil., Sylvest. & alii; quia putant sic illum induci ad peccatum; quamvis si quis id faceret, ita peccaret peccato scandali, ut non incurreret excommunicationem minorem; eo quod non sit prohibitum jure Ecclesiastico cum excommunicato tolerato in divinis communicare.

Verum probabilius Pal., Henr., Sanch., Filliuc. apud Hurt. difficult. 4., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 117. docent, posse alios communicare etiam in divinis cum excommunicato tolerato; tum quia Concilium Constant. sine ulla limitatione concessit, quod possimus cum eo communicare; tum quia finis talis concessionis est ad vitandos scrupulos, & scandala amovenda; non vitarentur autem hæc, si non esset simpliciter permissum cum iis communicare.

Ad id, quod objicitur de scandalo, respondetur, excommunicatos toleratos eo ipso, quod ab iis petatur, verbi gratia, administratio alicujus Sacramenti, posse illud licite administrare, dummodo cum debita dispositione illud administrent; nam propter excommunicationem solum non possunt se ingerere ad illa administranda, sed non prohibentur ea administrare, si petantur; quia cum hoc privilegium concedatur aliis, ut possint communicare cum excommunicatis toleratis, & petere ab iis Sacramenta, conceditur consequenter talibus excommunicatis, quod ea administrent, dum petuntur. Quare non inducuntur ad culpam ullam, dum inducuntur ad administranda Sacramenta: Secus vero si sine ulla necessitate induceretur excommunicatus toleratus ad celebrandum Sacrum, verbi gratia, quod sine peccato facere non potest, antequam absolvatur; debet enim a peccatore ante susceptionem Eucharistiæ præmitti Confessio; quin sufficiat secundum se sola contritio; & quia sacramentaliter absolvi non potest, non præmissa absolutione ab excommunicatione, ideo sine culpa gravi ante Absolutionem celebrare non potest.

Notan-

Notandum secundo, quod quamvis non teneamur vitare excommunicatos toleratos, possumus tamen eos vitare, & quidem publice, si sint publice excommunicati, ut hæretici, & privatim, si sint excommunicati privatim. Ratio est, quia ex Concil. Constant. nullum isti acquisierunt jus, ut diximus, ideo iis nulla irrogatur injuria, si vitentur; dummodo certo constet de contracta ab illis excommunicatione; nam si sit dubium, non possumus sine injuria illos vitare; in dubio enim melior est conditio possidentis.

Notandum tertio, ad hoc ut aliquis dicatur excommunicatus non toleratus, non satis esse, quod sit nominatim excommunicatus, sed præterea debet esse denunciatus, seu declaratus incurrisse excommunicationem, non solum in concistorio judicis coram litigantibus, sed etiam in loco publico, puta in templo tempore concionis, aut missæ solemnis, vel in platea, sive per schedulas publicis in locis affixas, quæ dicuntur Cedulones. Ita communiter cum Avil.

V. Notandum quarto, percussorem Clerici, ut sit vitandus, debere esse publicum, & notorium, atque adeo non satis esse, quod a tribus, vel a quatuor id sciatur; Immo ex Leand. nec satis est, quod sciatur a decem in magna civitate, sed arbitrio prudentis viri judicandum, quando percussio dicatur notoria: Si enim fiat coram gravibus personis in foro, & interdiu, pauciores requiruntur testes ad notorietatem, quam si fiat domi, vel noctu. Præterea requiritur, ut percussio non solum sit nota notorietate, & evidentia facti, sed etiam quod nullatenus possit probabiliter excusari a culpa gravi; Cum autem raro id accidat, ideo raro tenemur vitare percussores Clericorum, antequam nominatim denuncietur: Quis enim non possit in excusationem adducere, vel quod primo impetu sine plena deliberatione Clericum percusserit, vel per jocum, vel quod ad defensionem, vel quod Clericatum non cognoverit, aut ad illum non adverterit? Ita Cœlest. Fagund. & alii apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 61.

Hinc sequitur, quod si quis coram me percutiat Clericum, ita ut sciam, & ille etiam fateatur incurrisse in excommunicationem, non per hoc teneor illum privatim vitare, ut tenent Suar. Filliuc. & alii; quia non est notorius percussor, dum coram uno Clericum percutit: Immo nec est notorius percussor si laborat publica infamia, quod Clericum percusserit, si vere Clericum non percussit publice, seu coram multis testibus; quod requiritur ad notorietatem facti; secus vero si fama publica sit, quod publice Clericum percusserit.

VI. Quæritur secundo; si excommunicatus sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor solum Verb. Gr. Neapoli, & non sit publica talis denunciatio, vel Clerici percussio Romæ, num etiam Romæ debeat vitari?

Respondeo, Avil. Pal. Sanch. & alios cum Dian. part. 5. tract. 9. resol. 134. negare; quia excommunicatus publicus in uno loco, si non sit publicus in alio, non est tractandus in illo alio loco tanquam publicus excommunicatus, atque adeo non est ibi vitandus. Etenim quamvis denunciatio excommunicationis afficiat personam, id tamen intelligendum respective ad illos, quibus denunciatur, seu ad quorum notitiam devenire potest denunciatio; Unde fit, quod si Romæ scias, Titium esse excommunicatum nominatim denunciatum Neapoli, quamvis possis, non tenearis illum Romæ vitare, quia ibi denunciatio non est publica, seu notoria.

Verum probabilius oppositum docent Vasq. Suar. Bonac. Henr. & alii apud Hurt. disp. 9. difficult. 4. quia jus novum in hoc tantum immutavit jus antiquum, quod non teneamur excommunicatum vitare, nisi sit nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percussor; ergo sicut jure antiquo excommunicatus publicus erat vitandus publice, privatus privatim, ita nunc jure novo excommunicatus denunciatus publicus debet vitari publice, & privatus privatim; ergo si Romæ habeam privatam notitiam, quod Titius sit Neapoli nominatim denunciatus excommunicatus, Romæ teneor illum privatim vitare; & si publice sciatur, debeo illum vitare publice.

VII. Dubitatur hic; An si quis fide dignus, puta Parochus, dicat mihi, Titium esse excommunicatum vitandum, tenear illum vitare?

Respondeo, Palud. asserere: Sed negat probabilius Navar. Bonac. & alii apud Leand. disp. 15. quæst. 58. quia quamvis possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, etiam fide digno, præsertim in damnum tertii: Quis enim credere teneatur, quod subsit, verbi gratia, impedimentum dirimens suo matrimonio solum ob dictum unius, licet fide digni? potest quippe etiam fide dignus facile decipi. Secus tamen dicendum, si Parochus ostenderet literas denunciatorias, quibus procul dubio credendum esset.

Utrum autem non solum publicus Clerici percussor vitandus sit, quamvis non sit nominatim denunciatus per Cedulones, sed etiam quilibet alius, de quo publice constat, quod in excommunicationem inciderit, quin possit ulla tergiversatione celari, aut ullatenus excusari? Affirmat Fagnan. in Cap. *Quod a Prædecessoribus, de Schismaticis num.* 53. Sed communius negant

gant cum Suar. disp. 9. sect. 2., Lug. in Responſ. moral. lib. 2. dub. 3.

VIII. Quæritur tertio; In quibusnam teneamur vitare excommunicatos non toleratos?

Respondeo cum communi Doctorum, prohiberi omnibus communicare cum excommunicatis in iis, quæ continentur in versiculis illis Gloss. cap. *Statuimus*, *de sententia excommunicationis in 6.*

Si pro delictis Anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

IX. Primo prohibetur *Os*, hoc est osculari, aut amplexari, & colloqui cum excommunicatis etiam per signa, & nutus, etiam per literas, aut internuntium, etiam audiendo illos tibi loquentes. Et quamvis Pal., Henr., Sa, & alii apud Leand. disp. 13. quæst. 10. putent non esse prohibitum rescribere, nec resalutare excommunicatum; quia hæc est solutio quænam debiti, quæ etiam respectu inimici obligat: negant tamen probabilius Suar., Bonac., Filliuc., Avil.; quia sicut nullo pacto est licitum respondere excommunicato interroganti, ita nec scribere, neque resalutare; cum hæc quædam communicatio sit, & omnis communicatio cum excommunicato est prohibita in pœnam sui delicti, & ut sic facilius resipiscat. Nec licitum est ei munera mittere, aut ab eo recipere; Si tamen reciperentur, non daretur obligatio ex justitia ea restituendi, aut dandi pauperibus.

Secundo prohibetur *Orare*, hoc est participare cum excommunicato in Sacramentis, in Sacrificio Missæ, in Officiis divinis, & aliis precibus, & orationibus: Unde in officio divino, a quo excommunicati non deobligantur, non possunt dicere, *Dominus vobiscum*, quod ex usu Ecclesiæ a Sacerdotibus, & Diaconis tanquam Ecclesiæ publicis ministris dicitur, sed dicere debent, *Domine exaudi orationem meam*. Nec possunt cum aliis in processionibus, & litaniis publicis ire, nec comitari Sacram Eucharistiam, quando cum pompa, & recitatione Psalmorum defertur ad infirmos: Et quamvis possint concionem sacram audire, non possunt tamen concionari, aut discipulos docere, aut cum aliis discipulis lectioni interesse; ut communiter docent contra Henr. Nec possunt aqua benedicta uti, cum sit quoddam Sacramentale, valorem habens ex meritis Ecclesiæ, ut docent Bonac., Ugolin., & alii contra Machado. Quod si excommunicatus non toleratus missæ assistat, nec possit ab Ecclesia expelli, relinquenda est missa incepta, dummodo non sit inceptus Canon, idest, *Te igitur*; ut docent Bonac., Henr., Reginald., Suar.: Alii vero cum Sayr., Sot. Vasqu., Leand. disp. 7. quæst. 38. probabilius docent, etiam incepto Canone, relinquendam esse, dummodo non sint dicta illa verba, *Qui pridie &c.*, quibus censetur incipere consecratio; tunc enim missa usque ad sumptionem perficienda est.

Tertio prohibetur, *Vale*, hoc est salutare excommunicatum verbis honorificis, aut aperiendo caput, illi assurgendo, dando locum, &c.; hæc enim sunt signa salutationis, & quædam communicatio. Potest tamen salutari verbis deprecativis dicendo, verbi gratia, Deus te convertat, illuminet, &c Magnatibus, & Judicibus excommunicatis ex vi juris non licet caput aperire, sed ex consuetudine in utilitatem fidelium introducta, ad vitandas rixas, inimicitias, aut damnum aliquod, licitum est. Ita Henr., Filliuc., Bonac. apud Leand. disp. 13. quæst. 20. Immo universim prohiberi solam verbalem salutationem, non vero alia signa urbanitatis, docet Turrian., Sayr., Dian. part. 5. tract. 9. resol. 116. Quamvis autem opposita sententia sit probabilior, expedit tamen sæpe juxta illam opinionem operari potius, quam exponere se periculo peccandi venialiter aperiendo caput, vel alia hujusmodi urbanitatis signa exhibendo, erga excommunicatum vitandum; Præsertim quia Apost. dicendo, *Nec Ave ei dixeritis*, videtur solum verbalem salutationem erga excommunicatos inhibuisse.

Quarto prohibetur *Communio*, videlicet communicatio externa in habitatione, societate, contractu, &c., unde non possumus cum excommunicato vitando, in eadem domo, ut socii, habitare; possumus tamen in eadem domo esse, si materialiter tantum cum illo cohabitemus, videlicet, ita ut simus in diverso cubiculo, lecto, & mensa, & pro diversis negotiis, &c.

Demum prohibetur *Mensa*, hoc est, quod in eadem mensa, seu triclinio cum excommunicato comedamus.

ARTICULUS III.

Sub qua culpa, & pęna excommunicati vitandi sint?

I. Communicatio in rebus civilibus fert de se veniale; in divinis vero mortale.

II. Mortaliter peccat, qui communicat cum excommunicato in rebus civilibus ex contemptu. At non dicitur operari ex contemptu, qui frequenter delinquit, sed qui ex motivo contemptus legis, aut legislatoris delinquit.

III. Sicut etiam qui cum excommunicato vitando communicat in crimine criminoso; aut si excommunicentur communicantes cum excommunicato.

IV. Communicatio in divinis cum excommunicato admittit materiæ parvitatem, quæ a mortali excuset.

excuset. Num sit veniale cum illo privatim Horas recitare?

V. Sitne mortale frequenter in actionibus civilibus cum eo communicare?

VI. Excusant a culpa communicantem cum excommunicato Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

VII. In quibus casibus conjuges excommunicati nequeunt invicem communicare? Et quid de famulis? Quid de Sponsis? Quid de filiis erga parentes excommunicatos?

VIII. Quænam ignorantia, & quænam necessitas excusat?

I. Quæritur primo; Quam culpam, & pęnam incurrat, qui communicat cum excommunicato vitando?

Respondeo, quod qui communicat cum eo in rebus civilibus, & actionibus humanis, regulariter peccet tantum venialiter, & excommunicationem minorem incurrat; etenim in his communicare reputatur materia levis. Qui vero communicat in divinis, verbi gratia, audiendo cum eo Sacrum, peccat mortaliter; cum hæc non sit materia levis, quamvis etiam excommunicationem minorem incurrat. Et eodem modo ipse excommunicatus, si cum aliis communicet in humanis, peccat venialiter; si vero in divinis, peccat mortaliter, sed excommunicationem minorem non incurrit; quia hæc a jure solum fertur in eos, qui cum excommunicato communicant. Ita communiter Doctores contra Fabrum, & alios apud Leand. disp. 14. quæst. 1., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 2., qui putant etiam per communicationem in humanis cum excommunicato peccari mortaliter, eo quod incurratur pęna excommunicationis minoris, quæ magna est, cum privet perceptione Sacramentorum. Sed ut alias diximus, hæc non reputatur pœna gravis, cum possit facile tolli.

II. Notandum tamen primo, quod si quis communicet etiam in humanis cum excommunicato, sed ob contemptum Superioris, vel clavium, peccat etiam mortaliter, & minorem solam excommunicationem incurrit: Ut autem quis dicatur id facere ex contemptu, non satis est, quod frequenter communicet cum excommunicato, ut docent D. Th. Avil., & alii apud Leand. quæst. 2. contra Suar., Con., Filliuc. apud Bonac. disp. 2. punct. 2.; quia potest quis absque contemptu præcepti ex sua passione committere frequenter leves transgressiones illius præcepti. Quare operari in contemptum legis, aut legislatoris est, contemptum esse causam transgressionis; quod certe semper est peccatum grave, quamvis transgressio sit in materia levi; juxta illud Proverb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Etenim objectum actus contemnentis legem, aut legislatorem non est quid leve: Quare quando quis contemnit præceptum Superioris, quia præceptum Superioris est, semper graviter peccat: Si vero illud contemnat, quia est in materia levi, venialiter tantum peccat.

III. Notandum secundo, peccare etiam mortaliter, sed majorem excommunicationem incurrere eum, qui scienter, hoc est sine ignorantia etiam crassa communicat cum excommunicato vitando in crimime criminoso, seu in illo, propter quod excommunicationem contraxit, præbendo illi auxilium, consilium, vel favorem, &c. relate ad tale delictum; dummodo ista participatio in crimine criminoso sit post contractam censuram ab excommunicato, & non sit in materia levi; ac demum sit cum excommunicato nominatim denunciato, non vero cum publico Clerici percussore. Ita habetur in cap. *Nuper, de sententia excommunicat.* Quare si Episcopus Clericum excommunicet ob ludum alearum, & deinde cum eo ipse Episcopus luderet, hic peccaret mortaliter, & majorem excommunicationem incurreret latam a jure ob communicationem in crimine criminoso. Solus Papa excommunicationem hanc non incurreret, quia, ut supra diximus, cum sit conditor juris, non est capax censuræ; nisi quando in hæresim incideret, ex cap. *Si Papa, disp.* 40. Porro ab excommunicatione contracta ob communicationem in crimine criminoso ille solum absolvere potest, qui potest absolvere ab excommunicatione principali.

Notandum tertio, peccare pariter mortaliter, & majorem excommunicationem incurrere eos, qui cum excommunicatis communicant, quando excommunicantur etiam ii, qui cum excommunicatis participant; ut habetur in cap. *Quod in dubiis, de sententia excommunicat.* Verum tamen est, quod Judex inferior Papa, ut valide excommunicet participantes in locutione, & convictu humano cum excommunicato ab eodem Judice, debeant prius nominatim illos monere, ne communicent cum tali excommunicato, & quidem triplici monitione canonica, vel una pro tribus: Ad excommunicandum vero participantes cum excommunicato ab alio Judice, seu a jure communi, vel statuto particulari non prærequiritur ista monitio specialis, sed sufficit illa generalis, videlicet, Excommunico omnes communicantes cum tali excommunicato. Ita Avil. 2. part. cap. 5. disp. 10. dub. 5. cum communi Doctorum ex Gloss. in Cap. *Statuimus.* Et ratio diversitatis est, quia Judices severius curant observari excommunicationes latas a se, quam latas ab aliis.

IV. Notandum quarto, peccare mortaliter, & majorem excommunicationem incurrere Cle-

ricum, qui scienter, & sponte (hoc est non ductus metu aliquo, aut vi, etiam levi) admittit ad officia divina excommunicatum nominatim a Papa, & denunciatum; ut habetur in cap. *Significavit*, *de sententia excommunicationis*? Ubi talis excommunicatio ipsi Papæ reservatur. Et in *Clement. I. de sepulturis* excommunicatur etiam, qui scienter, & propriæ temeritatis audacia præsumit sepelire in loco sacro excommunicatum vitandum.

Notandum ultimo, dari aliquando parvitatem materiæ in communicatione in divinis; ut si quis principium missæ usque ad Epistolam audiret cum excommunicato vitando; in quo casu tantum venialiter peccaret: Et ex Vasq., Sayr., Covarr., Hurt. disp. 9. diffic. 2. probabile est etiam venialiter peccare, qui recitat privatim officium cum excommunicato; quia nomine divinorum solum veniunt sacramenta, Ecclesiastica sepultura, & Officia Ecclesiæ solemnia; Officium autem privatum non est primario, & per se vi excommunicationis prohibitum; unde censetur in suo genere materia levis. Et idem dicendum ex Henr., Cajet, & aliis apud Hurt. loc. cit. de communicatione in rebus Ecclesiasticis, quæ sint humanæ; Verbi gratia, in collatione beneficii, ejusque receptione, in exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ, &c., Censetur enim esse venialis culpa talis participatio in ratione communicationis cum excommunicato; quamvis mortale sit; ex cap. *Nullitatis*, quæ inducitur ratione excommunicationis.

V. Quæritur secundo; An qui frequenter communicat in actionibus civilibus cum excommunicato vitando, peccet mortaliter; etiamsi id non faciat ex contemptu?

Respondent Avil., & Suar. negative, quia quod est de se veniale, per multiplicationem actuum non evadit mortale. Sed Bonac. quæst. 2. punct. 6. cum Suar., Filliuc., Con. dub. 14. affirmat, quia præceptum hoc non communicandi cum excommunicato obligat sub gravi, nisi materiæ parvitas, aut indeliberatio excusent, ut constat ex reliquis præceptis, & ex cap. *Si vero*, *de sententia excommunicationis*; atqui quando quis frequenter communicat cum excommunicato, quamvis singuli actus sint materia levis; at multitudo actuum, si sumatur per modum unius, constituit materiam gravem; non secus ac multa parva furta, & multæ parvæ negligentiæ, aut omissiones in recitatione officii, & observatione rubricarum in missa: ergo frequens hujusmodi communicatio probabilius est peccatum mortale.

VI. Quæritur tertio; In quibus casibus liceat cum excommunicato vitando communicare?

Respondeo, licere in quinque casibus comprehensis in eo versiculo a Gloss. relato in cap. *cum desideres*, *de sententia excommunicationis*, ubi dicitur:

Hæc anathema quidem solvunt, nec possunt obesse,
Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Primo itaque per verbum illud, *Utile*; denotatur, quod citra culpam, etiam venialem, & absque incursu in excommunicationem minorem possimus communicare cum excommunicatis vitandis, quando intervenit aliqua utilitas sive spiritualis, sive temporalis, sive propria, sive aliena; dummodo aliter ea haberi non possit. Quare possumus ab excommunicato petere consilium, eleemosynam, favorem, corporis curationem, ejus concionem audire, debitum exigere; necessaria emere, &c.

Præterea possumus illum ad concionem admittere, monere, ut resipiscat, quando speratur fructus, & eatenus solitam honorificam salutationem præmittere, legere coram illo librum pium, recitare cum eo privatam orationem, qua petatur a Deo ejus conversio: Possumus opem, consilium, & favorem illi præstare, ne grave aliquod damnum subeat; quia Ecclesia, ut notat August. in psalm. 114., injungendo separationem ab excommunicato, non præcidit dilectionem. Demum potest ipse excommunicatus licite non solum eleemosynam, vel consilium, &c. ab alio petere, sed etiam debitum exigere. Quamvis enim Medin., & Sayr., velint, quod possit debitor solutionem differre usque ad absolutionem excommunicati; hoc tamen communiter rejicitur, quia solutio debiti est juris naturalis, atque adeo differri non potest per jus positivum, quod est minus jure naturali.

Secundo per verbum illud *Lex* intelligitur, licitum esse uxori, quæ est sub lege viri, communicare cum suo conjuge excommunicato. Et eadem est ratio de marito relate ad uxorem excommunicatam; nt docent D. Th., Henr., Hurt. disp. 9. diff. 4. & alii communiter: Et sicut potest exigi debitum pecuniarium ab excommunicato, atque illi reddi, ita pariter debitum conjugale. Ratio est, quia difficilis est conjugum separatio. Quod tamen non militat de sponso de futuro relate ad sponsam; Unde si isti sint excommunicati, non possunt licite matrimonium contrahere; quamvis si contrahant, possunt licite communicare in iis, quæ ad domus gubernationem spectant, ut docet Bonac. quæst. 2. punct. 4. ex Ugolin. contra Suar., & Filliuc.

VII. Non possunt tamen conjuges excommunicati communicare in aliquibus casibus; Primo in crimine criminoso; unde si excommunicatio lata sit in causa matrimonii, eo quod dubitetur, an sit legitime contractum, non potest conjux petere, aut reddere debitum. Secundo non possunt communicare in divinis, ut docet

proba-

probabilior Doctorum sententia; quia in iis uxor non est subjecta marito: Quamvis alii Doctores hanc etiam communicationem permittant, ut dicemus de famulis; quia privilegium communicandi cum conjuge excommunicato late est interpretandum. Demum nec possunt communicare, quoties alter petit divortium ab altero; cum cesset pariter subjectio. Ita Bonac. loco citato.

Tertio per verbum *Humile* significatur licitum esse communicare cum excommunicatis causa subjectionis: Possunt itaque subditi cum suo Superiore, servi cum dominis, filii cum parentibus, milites cum suo Duce, Gener, Nurus, Privignus communicare communicatione usuali, & ordinaria; non tamen in crimine criminoso, ex cap. *Quoniam multos*, *quæst*. 3. Ratio est, quia per excommunicationem non eximitur subditus a subjectione sui Superioris: ergo debet illi quantumvis excommunicato præstare obsequia debita, ut prius.

Hinc infertur primo, non solum famulos, qui pretio inserviunt, sed etiam qui serviunt gratis, famulos rusticanos, seu agricolas posse cum suis dominis excommunicatis communicare; quia in cap. adducto *Quoniam multos* generaliter conceditur famulis communicatio in humanis: Immo probabile est juxta Bonac. & Con. contra Suar. & Filliuc. quod etiam famulus, qui necessitate non cogente cœpit inservire domino excommunicato, possit cum illo communicare, quamvis peccarit obligando se ad illi inserviendum; Non secus ac Sponsa contrahens matrimonium cum excommunicato peccat contrahendo, sed tenetur deinde cum illo in humanis communicare.

Infertur secundo, quod servus cum conservo, & frater cum fratre excommunicato (cum neuter sit alteri subjectus) non possint invicem communicare per se, & directe, possunt tamen per accidens, quatenus eidem domino debent inservire, vel cohabitare, & communicare cum eodem Patre.

Infertur tertio, Clericum posse suo Episcopo excommunicato inservire solum, dum est in ejus famulatu, non vero quando extra ejus familiam commoratur, ex cap. final. *de Exceptione Prælatorum*.

Infertur quarto, Vassallos posse quidem tributum solvere suis dominis temporalibus, quia per excommunicationem illorum a tali debito non eximuntur; non possunt tamen cum illis communicare, nec tenentur illis obedire; ut docent Henr. Filliuc. apud Bonac. num. 40. ex *cap. Nos Sanctorum* 15. *quæst*. 6. contra Pal. & alios. Ratio est, quia jus eximit tales subditos a subjectionis jurisdictione in *cap. ultim. de Pœnis*.

Dubium est; Utrum famuli, & aliæ hujusmodi personæ subjectæ communicare possint cum suis Superioribus in divinis? Communiter Doctores cum Suar. Avil. Con. Bonac. num. 38. docent, posse in iis tantum, quæ concernunt subjectionem, & famulatum; Unde famulus recitare potest officium cum domino excommunicato, & cum eo missam audire, si ad hoc vocetur; quia hæc spectant ad subjectionem famulatus; Et eadem est ratio de filiis relatis ad parentes; & ut supra innuimus, de uxore relate ad maritum, cui pariter est subjecta: Contra vero filius non potest Patri excommunicato ministrare Sacramenta; nec coram eo Sacrum facere; quia talis communicatio non spectat ad rationem subjectionis, quam habet erga Patrem.

VIII. Quarto per verbum *Res ignorata* significatur, excusare ab incurrenda censura per communicationem cum excommunicato ignorantiam sive juris, sive facti: Et quidem etiam ignorantia vincibilis excusat (modo non sit affectata, quæ comparatur scientiæ) ut docent Suar. Hurt. contra Bonac. & alios; qui putant, solam ignorantiam invincibilem, quæ excusat a culpa, excusare a censura. Ad ignorantiam revocatur dubium; unde qui dubitat, an aliquis sit excommunicatus, non tenetur illum vitare.

Quinto demum per particulam, *Necesse*, significatur excusare necessitatem sive spiritualem, sive temporalem, non solum extremam, & gravem, sed etiam communem; ut constaex dicto *cap. Quoniam multos*, & ex citatis Doctoribus; Unde licite possum excommunicato vitando dare eleemosynam, tradere illi equum ad iter agendum, si alioquin non soleat pedester iter agere; Et eodem modo possum ab illo petere eleemosynam, & equum ad iter agendum, consilium, auxilium, &c. Nec teneor contractum societatis cum eo initum dissolvere. Excusatur etiam, qui per vim cogitur interesse sacro cum excommunicato; quia hoc non est de se intrinsece malum; non potest tamen per metum ullum simulare administrationem Sacramenti; quia hoc est contra reverentiam Sacramentis debitam, ut constat ex propos. 29. damnata ab Innoc. XI.

ARTICULUS IV.

De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus.

I. Quid sit minor Excommunicatio? Et quam ob causam incurratur?

II. Ea non incurritur ob culpam ex imperfecta deliberatione venialem.

III. Per illam fidelis directe privatur passiva Sacramentorum participatione, & indirecte Beneficiorum collatione, necnon electione, ac præsentatione ad illa.

IV. Eam

IV. Eam violans celebrando missam, irregularitatem non incurrit.
V. Num ea innodatus valide Sacramenum Pœnitentiæ recipiat?
VI. Si hic ad Beneficium eligatur scienter, electio videtur non esse irrita, sed irritanda.
VII. Conferendo Sacramenta, nisi simul recipiat, probabilius non peccat.
VIII. Communius negant, posse simplicem Sacerdotem ab ea absolvere?

I. EXcommunicatio minor est *Censura Ecclesiastica separans fidelem a passiva Sacramentorum receptione*. Ita communiter definitur: Ea dicitur Minor relate ad Majorem, & ad effectus illius. Nunquam autem ab homine, sed duntaxat a jure ferri solet usu in Ecclesia recepto isthæc excommunicatio.

Quæritur nunc primo; Quam ob causam ncurratur?

Respondeo ex dictis, incurri propter participationem in rebus prohibitis cum excommunicato excommunicatione majore non tolerato; Unde fit, non incurri per participationem cum excommunicato tolerato, aut cum excommunicato excommunicatione minore: incurritur tamen non solum per participationem in divinis, atque adeo quando participatio est peccatum mortale, sed etiam per participationem in humanis, atque adeo quando participatio est peccatum veniale: quod si quandoque participatio excuset etiam a veniali culpa, excusat etiam ab incurrenda excommunicatione minore.

II. Advertit tamen Suar. cum aliis, participationem cum excommunicato vitando dupliciter posse esse peccatum veniale. Primo ex levitate materiæ, ut si quis salutet excommunicatum. Secundo ex imperfecta deliberatione, ut si quis audiat Sacrum cum excommunicato sine plena advertentia, & deliberatione. In primo casu non excusatur ab incurrenda excommunicatione minore, ex Cap. *Nuper de Sententia excommun.* In secundo vero casu probabilius excusatur; quia cum talis actus non sit perfecte humanus, non habetur consequenter per illum inobedientia, & contumacia proprie dicta, sine qua censura non incurritur.

III. Quæritur secundo; Quotuplex sit effectus excommunicationis minoris?

Respondeo, esse duplicem. Primum, qui directus est, & primarius, privare fidelem passiva Sacramentorum participatione, ita ut mortaliter peccet, qui hac excommunicatione innodatus Sacramentum aliquod recipit; Secundum, qui dicitur indirectus, privare fidelem electione, præsentatione, & collatione Beneficii Ecclesiastici cujuscumque, etiam simplicis, ita ut mortaliter peccet, qui cum ea ad Beneficium aliquod eligeretur. Ita communiter Doctores ex *Cap. Si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante*. Dicitur hic secundus effectus indirectus, quia cum excommuncatus minore excommunicatione privetur receptione Sacramentorum, privatur consequenter Beneficiorum susceptione, quæ ex intentione Ecclesiæ conferuntur, ut Ordines Sacros quis suscipiat, & missam celebret. Quamvis autem in dicto Cap. solum fiat mentio de electione ad Beneficia, extendunt tamen communiter Doctores decisionem ad præsentationem, & collationem; quia eadem est ratio in his omnibus.

IV. Ex dictis sequitur primo, excommunicatum excommunicatione minore sacrilegium committere, si Sacramentum ullum suscipiat; quia transgreditur legem in materia gravi; Si tamen cum tali excommunicatione celebret, non incurrit irregularitatem, aut aliam pœnam; cum id in jure non sit expressum; sed arbitrio Superioris puniendus est, ut notavit Glossa. Quare immerito Sylvest. V. *Excommunicatio* num. 4. docuit, quod si excommunicatui minore recipiat Ordines, privetur eorum usus. Nam, ut bene Suar. talis privatio non habetur, nisi per suspensionem, quæ in casu nostro non contrahitur.

Sequitur secundo, peccare etiam mortaliter, qui ministraret Sacramentum excommunicato minore; quandoquidem cooperaretur peccato gravi talis excommunicati indigne suscipientis Sacramenta.

Sequitur tertio, peccare etiam graviter qui scienter eligeret ad Beneficia hujusmodi excommunicatum, violaretur enim lex Ecclesiastica in re gravi. Ita Suar. Filliuc. & alii apud Bonac. num. 7.

V. Quæritur tertio; Utrum excommunicatus minore Sacramentam Pœnitentiæ valide recipiat?

Respondeo, convenire Doctores omnes in hoc, quod valide reciperet reliqua omnia Sacramenta; Negant id duntaxat de Sacramento Pœnitentiæ Sylvest. Hurtad. Vasq. Equidem cum Bonac. & aliis censeo, quod si iste intendat absolutionem peccatorum obtinere, non præmissa absolutione ab excommunicatione minore, certe invalidum esset Sacramentum Pœnitentiæ; quia committendo hoc grave peccatum careret dolore debito peccatorum; unde non darentur constitutiva Sacramenti, si tamen sine sua culpa absolveretur tantum a peccatis, non ab excommunicatione; quia, verbi gratia, Sacerdos ex sua malitia vult ab illis, non ab ista absolvere, non est ratio, cur Sacramentum deberet dici invalidum, siquidem per excommunicationem minorem pœnitentis non privatur Sacerdos jurisdictione sua, nec ille est incapax Sacramenti.

VI. Quæ-

VI. Quæritur quarto; An valida sit Electio ad Beneficium facta hujusmodi excommunicato?

Respondeo, Navar. Ugolin. & alios censere, esse irritam; Sed verius Vasq. Laym. Valent. Reginald. putant non esse irritam, sed irritandam, si facta fuerit cum scientia excommunicationis; secus vero neque esse irritandam: Quod colligitur ex dicto *cap. Si celebret*; ubi dicitur: Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.

VII. Quæritur quinto; An excommunicatus minore peccet administrando Sacramenta, sicut peccat ea suscipiendo?

Respondeo, Sylvest. Armil. & alios putare, quod mortaliter peccet; quia in eodem cap. dicitur, *Peccat conferendo Sacramenta*. Certum autem est, quod si celebret, peccet mortaliter, cum recipiat Sacramentum celebrando: Si autem pure administret Sacramentum, Avil. cap. 2. disp. 12. Con. dub. 17. Reginald. Sot. putant peccare tantum venialiter ob indecentiam quandam, quæ habetur in hoc, quod Sacramenta administret, qui sua culpa non potest ea recipere. Sed probabiliter cum Suar. Henr. Filliuc. Hurt. apud Bonac. quæst. 3. censeo, ne venialiter quidem peccare; quia excommunicatio minor passiva tantum, non activa participatione Sacramentorum privat, cum expresse in dicto Capite dicatur, sic excommunicatum non esse remotum a collatione Sacramentorum. Ubi autem dicitur, quod peccet conferendo Sacramenta, sensus est, quod peccet, quatenus ea recipit, non quatenus ea confert, ut dicti auctores interpretantur; quia textus loquitur de Episcopo conferente Sacramentum Ordinis, atque adeo celebrante, & simul suscipiente Sacramentum. Quod si Episcopus excommunicatus minore conferret Sacramentum Confirmationis, cum nullum tunc Sacramentum susciperet, non peccaret.

VIII. Quæritur ultimo; An possit simplex Sacerdos ab hac excommunicatione absolvere?

Respondeo, Navar. Tolet. Hurt. disp. 16. diff. 2. & alios cum Dian. part. 5. tract. 9. resol. 3. probabiliter affirmare, ut abunde diximus cum de censuris in genere art. 2. quæsit. 2. quia scilicet qui potest a venialibus sacramentaliter absolvere, potest pariter absolvere a censura, quæ de se non exigit mortale, ut incurratur: Sicuti qui potest a mortalibus sacramentaliter absolvere, potest pariter a censuris non reservatis, quæ propter mortale incurruntur.

Communior tamen, & probabilior sententia id negat cum Suar. Filliuc. Bonac. quæst. 3. Et ratio est, quia in cap. *Nuper, de sententia excommunicationis* habetur, quod possit ab excommunicatione minore absolvere proprius Sacerdos; nomine autem proprii Sacerdotis venit non solum qui ordinariam habet jurisdictionem, ut Papa, Episcopus, Parochus, sed etiam qui habet jurisdictionem delegatam, ut est quilibet Sacerdos approbatus ad audiendas confessiones; ut docent Suar. Con. Filliuc. apud eundem Bonac.: Qui etiam notat, quod Parochus, & Episcopus, etiamsi Sacerdotes non sint, possint ab excommunicatione minore absolvere; quia ad absolutionem a censura non requiritur ordo Sacerdotalis: In jure autem nomine proprii Sacerdotis venit Parochus, aut Episcopus, quia isti fere semper solent esse Sacerdotes. Quare quamvis posset simplex Sacerdos a venialibus absolvere, non per hoc debet posse absolvere ab excommunicatione minore; cum possint aliter, quam per Sacramentum pœnitentiæ tolli venialia, ut notavimus loc. cit. Notat etiam Cornejus apud Dian. loc. cit. quod ab hac excommunicatione possit etiam Diaconus, ac etiam clericus ex delegatione absolvere. Ut licite autem absolutio conferatur, requiritur in persona absolvenda propositum relabendi.

ARTICULUS V.

Quam ob causam, præsertim temporalem, ferri potest excommunicatio major?

I. Nonnisi ob gravem culpam externam, & propriam ea ferri potest; Et quando res, quæ sub pœna excommunicationis prohibetur, est levis de se, aut indifferens, debet esse gravis propter finem gravem, ut possit sic sub gravi prohiberi, etiamsi imponatur excommunicatio sententiæ ferendæ.

II. Ex Tridentino, ut possit ferri excommunicatio ob causam temporalem, requiritur causa gravis, & titulus, seu finis spiritualis.

III. Quando excommunicatio fertur contra non revelantes, quinam excusentur?

IV. In casibus Inquisitionis facienda est revelatio, etiamsi delictum probari non possit, etiamsi sub sigillo naturali, & sub juramento non revelandi sit cognitum, etiam non præmissa correctione fraterna, utpote inutili.

V. Num denunciandus sit reus, si sit emendatus, delictum tamen sit publicum, aut habeat effectum pendentem?

VI. Quandonam subditi teneantur denunciare delicta vi Edicti, etiamsi ad id non teneantur lege naturali?

VII. Quando ad denunciationem præcedere debet infamia, aut correctio fraterna?

VIII. Non denuncians furem, ad quod sub pœna excommunicationis obligatur, probabilius ad restitutionem tenetur.

IX. Quandiu durat obligatio denunciandi post Edictum Prælatorum.

I. UNice propter mortalem culpam propriam, & externam posse ferri excommunicationem majorem tam latæ, quam ferendæ sententiæ, docuimus quæst. 1. art. 4. Unde deduximus, quodcumque sub pœna excommunicationis prohibetur, si lex sit justa, & valida, sub mortali prohiberi, etiamsi res secundum se videatur levis, vel indifferens: Potest enim res levis, aut indifferens sub mortali prohiberi propter finem gravem; Verbi gratia, propter periculum proximum gravis culpæ, vel propter scandalum, vel propter grave damnum, quod alteri provenit. Quare quando multi, verbi gratia, grave damnum intulerunt Titio, singulis parum aliquid surripientibus, & sub excommunicationis pœna præcipitur restitutio, & damni reparatio, si singuli non restituant materiam illam parvam surreptam, peccabunt mortaliter, & excommunicationem incurrent, ut docent communiter cum Suar. hic sect. 2. Pal. disp. 2. de Censuris punct. 2. contra Covar. & Navar. cap. 17. num. 130. Quod tamen excusat a culpa gravi, excusat pariter ab excommunicatione; quia pœna debet esse proportionata culpæ. Pœna autem excommunicationis assimilatur pœnæ mortis, unde vocatur Gladius Ecclesiasticus; proinde requirit gravem culpam, ut incurratur. Docuerunt nonnulli cum Valent. & Salon. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 21. non prohiberi sub gravi, quod prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, eo quod talis excommunicatio sit comminatoria. Sed communis sententia docet, sub gravi prohiberi tam quod prohibetur sub pœna latæ, quam ferendæ sententiæ, cum in utroque casu pœna sit gravis, & indigeat prohibitionem fieri sub gravi.

II. Quæritur nunc primo; An possit excommunicatio ferri ob causam temporalem?

Respondeo cum communi apud Suar. disp. 20. sect. 1. posse; ut constat ex usu Ecclesiæ, dummodo adsit titulus spiritualis, & simul adsint moderationes requisitæ a Trident. sess. 24. cap. 3. Ubi habet: *Excommunicationis gladium sobrie exercendum; cum experientia doceat, quod si ex levibus causis incutiatur, magis contemnatur, quam formidetur; & perniciem potius pariat, quam salutem:* Proinde Trident. requirit primo, ut excommunicationes, quæ ad finem revelationis aut pro deperditis, aut pro subtractis rebus ferri solent, solum ab Episcopo decernantur; Ubi nomine Episcopi venit etiam Vicarius generalis, & quilibet habens Episcopalem potestatem. Secundo, ut ex re non vulgari, & causa diligenter, & magna maturitate examinata tales censuræ ferantur. Tertio, ut quando fieri potest executio realis, aut personalis, ab his censuris abstineatur. Præterea requiritur, ut diximus, titulus spiritualis; quia cum Ecclesia non habeat directam potestatem in temporalia, sed solum indirectam, videlicet quatenus ad spiritualia sunt necessaria, vel utilia, idcirco, ut possit Ecclesia uti censuris in causa temporali, opus est fine, seu titulo spirituali: Verbi gratia, ut malum aliquod commissum corrigatur, vel ut præcaveatur malum, quod timetur, vel ut pauperibus, aut decenti cultui Ecclesiæ subveniatur, præcipiendo sub excommunicatione aliquam contributionem; vel ut bono communi consulatur ad vitanda damna spiritualia, &c.

III. Quæritur secundo; Quando fertur excommunicatio contra non manifestantes aliquas scripturas, omnesne comprehenduntur, an aliqui excusantur? Et idem quæritur, quando censura fertur ad revelanda delicta, vel ad finem restituendi ablatum.

Respondeo cum Suar. sect. 2. & aliis communiter, comprehendi omnes subditos, nisi excusentur vel ex ignorantia invincibili talis præcepti, vel impotentia sive physica, sive morali, videlicet quia sine gravi damno aut in fama, aut in aliis bonis juste possessis id exequi non possunt, vel ex alia justa causa.

Unde infertur primo, excusari tam eos, qui erant extra Diœcesim, seu territorium Episcopi tempore Edicti, quam eos, qui fiunt subditi talis Episcopi post latam sententiam excommunicationis contra non manifestantes. Et ratio est, quia præceptum non obligat eos, qui non sunt subditi præcipientis, quando illud fertur.

Infertur secundo, quod nemo teneatur denunciare cum sua infamia seipsum, vel complices, seu socios delicti a se commissi, neque teneatur ferre testimonium contra personas sibi valde conjunctas, videlicet contra patrem, fratrem, & alios consanguineos, aut affines usque ad quartum gradum, ex Navar. & Avil. part. 2. cap. 5. disp. 4. dub. 2. nisi in causa fidei, aut læsæ Majestatis, aut simili pertinente ad bonum commune, ut notat Navar. cap. 14. Ratio doctrinæ est, quia hoc præceptum humanum non obligat cum tanto incommodo, ut docent communiter Doctores; malum autem consanguineorum, & affinium censetur malum proprium.

Infertur tertio, excusari eos, quos edictum non intendit comprehendere, quamvis illos comprehendere videatur; Verbi gratia, si præcipiatur revelari eos, qui acceperunt talem rem, & ego certo sciam, (non tamen ex solo raptoris dicto, nisi sit tantæ auctoritatis, ut merito possim omne dubium deponere, ut docet Avil. 3. part. cap. 5. disp. 5. ex Navar. & Guttier.) quod illam raptor acceperit ad compensandum aliquod

aliquod debitum, vel alio justo titulo; vel quamvis injuste rapuerit, excusari nunc a restituendo, vel ob impotentiam, vel ob usucapionem, &c., non teneor illum revelare, cum cesset finis præcepti. Pariter nec debeo regulariter revelare uxorem, filios, &c., quando maritus petiit excommunicationem contra eos, qui clam aliquid sibi rapuerunt, ut docent Sot., & Avil. loc. cit., nisi aliquando prudenter præsumatur velle maritum includere etiam uxorem, & filios, quia videlicet quantitas furti est magna.

Infertur quarto, excusari eos, qui non possunt id revelare; ut qui illud accepit ex confessione, aut per consultationem secretam sub sigillo naturali: Excusatur etiam Advocatus, & Procurator, quia ratione officii tenentur partes Rei agere; nisi tamen id vergeret in grave damnum Reipublicæ, aut proximi. Et ratio est, quia expedit ad bonum Reipublicæ, quod homines secure petant consilium sine timore revelationis.

Infertur demum, excusari illum, qui inutiliter denunciaret, Verbi gratia, qui cogeretur denunciare eum, contra quem nullum testem afferre posset; quia sic solum infamaret illum sine ulla alterius utilitate: Cum autem Judex non intendat primario punitionem, & infamiam, sed emendationem delinquentis, ideo in tali casu non adest obligatio denunciandi; Sicut nec adest obligatio revelandi delictum, etiamsi possit illud probare per alium integrum testem, quando, si præcedat correctio fraterna, spes est, quod reus corrigatur, ut docet Avil. ex Navar.

IV. Excipiuntur semper casus Inquisitionis, ad cujus Tribunal spectat posse inquirere etiam ex simplici denunciatione, ad quam tenetur etiam qui delictum novit non quidem ex petito consilio, aut sub sigillo Sacramentali, sed solum sub sigillo naturali, & sub juramento non revelandi, etiam non præmissa correctione fraterna, utpote inutili; cum agatur de bono publico fidei, ut mox dicemus; & fuse etiam diximus in Trutina exponendo 5. thesim ab Alex. VII. proscriptam.

Notandum tamen cum Avil. loc. cit., quod qui possidet scripturam alterius, & potest illam sine sua infamia, aut gravi detrimento revelare, teneatur ad revelandum sub pena excommunicationis. Quod si non possit sine gravi detrimento revelare, ex occultatione tamen talis scripturæ dominus ejus passurus sit æquale, aut majus detrimentum, pariter tenetur ad revelandum: Sicut debitor tenetur cum gravi detrimento restituere, quando, nisi restituat, æquale damnum patitur creditor. Notandum etiam, quod si scriptura sit propria possidentis, contineat tamen jus adversarii, accedente præcepto Prælati, tenetur possidens eam revelare; nisi timeat sibi grave damnum in bonis aliis, quæ juste possidet. Ita Sot., Cordub., & alii apud eundem Avil. Et ratio est, quia adversarius juste prosequitur jus suum, & Prælatus juste præcipit; ergo tenetur possidens scripturam ex justitia illam revelare.

V. Quæritur tertio; An posito præcepto denunciandi sub pœna excommunicationis, teneantur subditi denunciare delictum, etiam quando reus est jam emendatus?

Respondeo cum Avil. distinguendo; nam vel delictum non habet effectum pendentem in futurum, ut esset, verbi gratia, ludus illicitus; Vel habet, ut esset, verbi grátia, fornicatio, quæ quamvis emendata, impedit matrimonium cum aliquibus ratione affinitatis; Sicut etiam baptismus invalide susceptus, per quem manet impedimentum ad reliqua Sacramenta; Necnon Simonia, quæ annullat titulum Beneficii, & impedit rectam executionem legitimorum actuum. Rursus hujusmodi delicta possunt esse vel publica, vel secreta.

Nunc sic. Si delictum non habens effectum pendentem in futurum sit secretum, & reus sit jam emendatus, delictum non est denunciandum; quia intantum posset denunciari, inquantum intenditur emendatio delinquentis, vel satisfactio publica: uterque autem finis cessat in casu nostro; ergo tale delictum non potest denunciari. Si vero delictum non habens effectum pendentem in futurum sit publicum, & Reus solum sit emendatus coram Deo, quatenus pœnituit illum delicti, sed non sit emendatus publice, tunc delictum denunciandum est; quia Prælatus tenetur prospicere bono Reipublicæ, & exigere publicam punitionem delicti publici, ut satisfiat Reipublicæ læsæ. Quod si emendatio fuerit publica, delictum non est denunciandum; quia delinquentes per publicam emendationem satisfecerunt Reipublicæ per scandalum læsæ. Si tamen delictum habeat effectum pendentem in futurum, sive publicum sit, sive secretum, etiam post emendationem denunciandum est ad impediendum malum futurum; (qua de causa Hæreticus dogmatizans, quamvis emendatus, denunciandus est) Nisi tamen impediri possit per correctionem fraternam, aut nisi invincibiliter ignoretur a denunciando damnum imminens, & ex revelatione scandalum potius, quam remedium oriretur; ut communiter docent de Confessario, qui non debet monere feminam, verbi gratia, quæ ignorat, suum matrimonium esse nullum, quando ex monitione scandalum potius nascitur, quam remedium.

VI. Ex dictis sequitur ex Avil., Navar. contra Sot., quod in aliquibus casibus subditi tenentur denunciare delicta, quæ cæteroqui non teneren-

tenerentur denunciare ex lege naturali. Etenim quando delicta publica occulte sunt emendata, non tenentur subditi illa denunciare ante præceptum Prælati, sed post illud tenentur: Sic etiam quando ex punitione delicti non emendati publice sequitur bonum publicum, & ex non punitione non sequitur ullum damnum grave, non tenentur subditi illud denunciare ante mandatum Plælati, bene tamen post illud.

Notandum tamen, quod qui indiget consilio, ut sciat, an possit, aut teneatur denunciare, & non potest intra terminum præfixum capere consilium, potest prorogare tempus ad denunciandum, absque eo quod in excommunicationem incurrat; quia censetur tunc impeditus, & impedito non currit præscriptio; juxta Regulam Juristarum.

VII. Quæritur quarto; An, ut possit denunciari delictum, præcedere debeat infamia, & correctio fraterna?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 2., distinguendum esse: Aliqua enim delicta vergunt in damnum tertii, ut furtum, hæresis; Aliqua non, ut ludus illicitus. Quando feruntur excommunicationes ad revelanda delicta, quæ non vergunt in damnum tertii, denunciandus est delinquens Judici, si præcessit infamia delinquentis, quæ optime definitur in *cap. Inquisitionis, de Accusationibus*, quod sit *Rumor ortus de aliquo crimine a probis, & honestis sparsus per majorem partem viciniæ*. Nec est necesse, ut præcedat correctio fraterna; hæc enim requiritur ad consulendum famæ proximi; unde si præcessit ejus infamia, & supponitur diffamatus, cessat finis correctionis fraternæ: Si vero non præcessit talis infamia, ex Sylvest., Navar., Cordub., & aliis non est denunciandus; quia intantum posset Judex licite inquirere de hoc particulari, inquantum præcessit infamia; ergo si infamia non præcessit, sicut Judex non potest inquirere, ita nec tenetur subditus revelare, ne post correctionem quidem fraternam; quia esset diffamare proximum. Si tamen denunciatio fieret Judici tanquam Patri, non esset necesse, quod præcedat infamia, sec præcedere deberet correctio fraterna, juxta præceptum Christi Domini, *Si te non audierit, dic Ecclesiæ*.

Quod si excommunicatio feratur ad revelandum crimen, quod sit in damnum tertii: Vel hoc est contra bonum commune, ut hæresis, &c. proditio patriæ, &c.; Vel est contra bonum particulare, ut homicidium, furtum, &c.; Si sit contra bonum commune, denunciari debet, etiamsi non præcessit infamia, nec correctio fraterna, & etiamsi non poterit delictum per alium testem integrum probari. Non debet enim præcedere infamia, quia magis consulendum est bono communi, quam famæ alterius particularis: Nec debet præcedere correctio fraterna; quia ex D. Th. 2. 2. quæst. 32. art. 7., & aliis Theologis non speratur, quod per correctionem meam sit corrigendus, qui ausus est se opponere Ecclesiæ, aut Reipublicæ universali; Nec est opus, ut possit delictum per alium testem probari; nam damnata est ab Alex. VII. propos. 5. dicens: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis:* Si vero delictum sit contra bonum particulare, vel tale delictum est jam finitum, ut ludus illicitus; Vel est in fieri; ut furtum, quod exigit restitutionem; si primum, non potest denunciari, quando delictum est occultum, & non præcessit infamia, ut communiter Doctores docent ex ratione supra adducta, quia hoc esset proximum infamare; Si secundum, denunciatio facienda est, si potest crimen per alium testem integrum probari, etiamsi non præcessit infamia, quia finis excommunicationis est, ut delinquens exeat a delicto, & ut resarciatur damnum proximi; ergo quamvis infamia non præcessit, debet denunciari crimen, quod probari potest, saltem post correctionem faternam, si fructus per illam speretur. Quod si crimen probari non potest, neque potest delinquens denunciari, quia denuncians præsumeretur esse calumniator; si tamen Judex post semiplenam probationem præcipit sub excommunicatione, ut qui scit delictum, illud manifestet, illud scientes tenentur manifestare, etiamsi nec correctio præcedat, nec probare possint, ex Navar., quia per novam manifestationem conficitur plena probatio.

VIII. Notandum tamen primo cum Navar., Sot., & aliis communius contra Molin., & alios apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 68. quod qui tenentur denunciare furem, & non denunciant, non solum excommunicationem incurrant, sed etiam teneantur ad restitutionem.

Notandum secundo, quod quando in Edictis præcipitur sub excommunicatione, ut qui audivit delictum, denunciet, non tenetur denunciare is, qui delictum audivit a personis levibus non fide dignis, aut per vicos, & plateas a personis incognitis; quia exponeret reum periculo manifesto injustæ infamiæ. Ita Navar., Cordub. apud Avil. loc. cit. Nec tenetur denunciare, quando id audivit a personis fide dignis, si ad denunciandum tale delictum prærequiratur infamia, & hanc dari non audivit. Etenim sicuti non tenetur denunciare hujusmodi delictum, quod vidit, quando non præcedit infamia; ita nec si delictum audierit a personis fide dignis. Nec etiam tenetur denunciare, quando audivit illud a persona fide digna, si hæc jam prius denunciaverit; quia suum testimonium nihil adderet, unde inutiliter denunciaret.

Nec

Nec demum tenetur denunciare ex Avil.; Sylvest., Henr., quando scit, & est moraliter certus, quod Prælatus post denunciationem nullum remedium adhibebit, nec faciet justitiam. Ratio est, tum quia cessat finis, tum etiam quia nemo tenetur ad opus inutile.

IX. Quæritur ultimo; Quandiu durent hujusmodi Edicta Prælatorum?

Respondeo cum Avil. disp. 5. dub. 5., Henr. & aliis, Edicta, quæ fiunt a Prælatis regularibus tempore visitationis, quod scilicet durante visitatione denuncientur talia delicta, durant, quousque durat visitatio; ut constat tum ex intentione præcipientis, tum ex usu; Unde post visitationem nemo tenetur judicialiter denunciare: Edicta vero, quæ publicantur singulis annis ab Inquisitoribus, quod scilicet denuncientur hæretici, &c., durant, & obligant per totum annum; cum hæc sit intentio Inquisitorum, & sic practicetur a fidelibus. At Edicta, quæ publicantur ab Ordinariis tempore Quadragesimæ, quod scilicet denuncientur Concubinarii, &c., durant tantum per duos, vel tres menses; Unde qui post tale tempus novit concubinarium, non tenetur denunciare. Et eadem est ratio de similibus Edictis. Etenim cum hæc crimina non sint in perniciem publicam, Edicta non sunt tam stricte interpretanda, sicut Edicta Inquisitorum; Et ideo a fidelibus non accipiuntur cum eodem rigore. Qui tamen impeditus est intra terminum præfixum in Edicto denunciare, tenetur ex Suar., & aliis denunciare statim post cessationem impedimenti; Qui vero ignoravit Edictum, tenetur denunciare post notitiam Edicti; sed infra terminum æqualem illi, qui ab Edicto conceditur; quia non debet esse pejoris conditionis, quam reliqui.

QUÆSTIO IV.

De Effectibus Excommunicationis Majoris.

UNicus est effectus majoris excommunicationis, videlicet totalis privatio Ecclesiasticæ communicationis, juxta explicationem artic. 1. traditam. Verum quia pluribus diversis bonis tam Spiritualibus, quam temporalibus privatur fidelis per excommunicationem, ideo per respectum ad illa plures effectus distingui solent majoris excommunicationis tam immediati, & proximi, quam mediati, seu remoti; qui omnes varie a variis enumerantur. Examinabimus primo, Quinam dicantur effectus Excommunicationis proximi, quinam remoti? Deinde de singulis effectibus immediatis seorsim agemus.

ARTICULUS I.

De Effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis.

I. Effectus Excommunicationis immediati, & proximi undecim solent enumerari.

II. Quatuor ex his ad communicationem spiritualem spectant primario; tres autem secundario, utpote spectantes ad Beneficia, & rescripta Apostolica.

III. Reliqui quatuor spectant ad politicam, & temporalem participationem.

IV. Effectus vero remoti; & mediati sunt sex alii, qui recensentur.

I. QUæritur primo; Quinam sint effectus excommunicationis immediati, & proximi?

Respondeo, posse ad hos undecim reduci. Primus est privare excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis. Secundus privare participatione Sacramentorum tam activa, quam passiva. Tertius privare divinis officiis, Ecclesiastica sepultura, & aliis rebus sacris. Quartus, quod Ecclesiasticas personas suspendat tam ab officio quam a beneficio, ita ut impediat juxta aliquos Doctores non solum acquisitionem dominii proventuum Ecclesiasticorum, sed etiam eorum administrationem. Quintus, quod reddat personam non solum incapacem, & eligibilem ad Beneficia Ecclesiastica, sed etiam inhabilem ad alios eligendos ad hujusmodi beneficia. Sextus, quod privet excommunicatum quolibet usu jurisdictionis tam in foro Sacramentali, quam in foro externo non solum Ecclesiastico, sed etiam (ut probabilius Doctores docent) sæculari; unde si Princeps excommunicetur, absoluti maneant subditi a fidelitate illi præstanda, etiamsi juramento firmata sit. Septimus, quod excludatur excommunicatus ab omnibus actibus forensibus, excepta solum sui defensione, ita ut in judicio non possit esse Actor, neque Testis, neque Advocatus, neque Procurator, neque Tabellio, &c. Octavus, quod etiam probibeatur, ne ad dignitates temporales, aut ad officia, & ministeria publica assumatur, videlicet Judicis, Prætoris, Tutoris, Procuratoris, Curatoris, &c., quamvis non sit irrita talis electio, seu assumptio, si jurisdictionem non includat. Nonus, quod illi pariter prohibeatur omnis humanus, & civilis con-

tractus, necnon usus cujuslibet officii, seu ministerii publici, quod humanam communicationem requirat; quamvis nec sint invalida, quæ ab eo in hoc genere aguntur, nisi etiam jurisdictionem requirant. Decimus, quod privetur omni communicatione politica, & humana cum aliis fidelibus, ita ut non possit ab iis salutari, cum iis colloqui, &c. Ultimus, quod literæ Apostolicæ, seu Papæ rescripta in sui favorem impetrata ab excommunicato (etiam tolerato juxta communem contra Navar.) sint irrita, præterquam super excommunicationis, aut appellationis articulo.

II. Ex his aliqui effectus primario spectant ad spiritualem communicationem; aliqui secundario; & alii spectant ad communicationem temporalem, & politicam. Spectant primario ad spiritualem communicationem: Primo, privatio communium Ecclesiæ suffragiorum. Secundo, privatio participationis activæ, & passivæ Sacramentorum. Tertio, prohibitio, ne Ecclesiam ingrediatur excommunicatus, quando divina officia celebrantur, & ne donetur Ecclesiastica sepultura. Quarto, prohibitio, ne cum fidelibus in divinis communicet.

Spectant vero secundario ad communicationem spiritualem: Primo, suspensio ab officio, & beneficio. Secundo, quod excommunicatus sit incapax, & ineligibilis ad beneficia Ecclesiastica, nec possit alios ad ea eligere. Tertio, quod sit incapax ad obtinenda rescripta a Sede Apostolica. Huc etiam spectant duo illi effectus excommunicationis remoti, videlicet, & quod Clericus excommunicatus, si exerceat officium alicujus Ordinis Sacri, fiat irregularis; & quod excommunicatus quicumque, si per annum in excommunicatione persistat, sit suspectus de hæresi, & aliis pœnis puniri debeat.

III. Demum ad temporalem, & politicam participationem spectant: Primo, quod excommunicatus privetur usu cujuscumque jurisdictionis. Secundo, quod excludatur ab omnibus actibus forensibus, præterquam ob propriam defensionem. Tertio, quod repellatur ab omnibus dignitatibus, & officiis temporalibus. Quarto, quod privetur omni humana, & politica communicatione cum fidelibus.

IV. Quæritur secundo; Quinam sint præcipui effectus mediati excommunicationis?

Respondeo. Primus est, quod excommunicationem minorem incurrat illicite communicans cum excommunicato, & in aliquibus casibus incurrat excommunicationem majorem, ut diximus art. 3. Secundus, quod pœnam irregularitatis incurrat Clericus excommunicatus, qui solemniter, & ut minister Ecclesiæ exercet officium ordinis Sacri, quem habet, ex cap. *Is qui, de sententia excommunicationis in 6.* Tertius, quod pœnam suspensionis incurrat qui excommunicatus ob percussionem Clerici Ordines suscipit, ex cap. *Cum illorum, de sententia excommunicationis.* Quartus, quod incurrat privationem beneficii, quod forte habet, qui excommunicatus in contumacia perseverat per triennium. Quintus, quod qui in excommunicatione obdurato animo per annum perseverat, sit suspectus de hæresi, & ut talis possit puniri, ex Trident. sess. 24. cap. 3.; Videtur enim contemnere Ecclesiæ claves, suffragia, & Sacramenta; unde fit de hæresi suspectus, suspicione tamen levi; ut proinde purgare se teneatur, & nisi id faciat, habeatur pro convicto; Si tamen perseveret per annum, non obdurato animo, sed ex impotentia, aut ignorantia, non est suspectus de hæresi. Si demum per aliquod tempus infra annum obdurato animo perseveret, puniendus est aliqua temporali pœna, ut docet Covarr. cum aliis. Ultimus effectus remotus est infamia, ex cap. *Infamis, quæst.* 1.; ubi Stephanus Papa inter personas, quæ secundum Canones habentur infames, enumerat excommunicatos. Sed de effectibus immediatis sigillatim agendum.

ARTICULUS II.

De Primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.

I. Non privatur excommunicatus suffragiis, seu subsidiis spiritualibus, quæ habentur a Christo Domino per missæ Sacrificium, aut quæ ab aliquo fideli habentur, inquantum est persona particularis, sed solum iis, quæ habentur ab Ecclesia, dum publice orat, Sacrificium offert, & Indulgentias elargitur.

II. Minister Ecclesiæ, inquantum est persona publica, illicite simul, & invalide offert pro excommunicato Sacrificium, ac orationes, aut Indulgentias dispensat; valide tamen, & licite inquantum est persona privata pro eodem orat, ac offert actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis.

III. Fructus Sacrificii ex opere operato valide, sed illicite pro eo offertur a Sacerdote inquantum Christi ministro. Tres quippe veluti personas Sacerdos repræsentat.

IV. Cur Ecclesia die Parasceves pro hæreticis, & pro non baptizatis oret?

V. Probabilius etiam in divinis licitum est cum excommunicato tolerato communicare.

VI. At probabilius nullatenus licitum est publicas preces pro excommunicatis contritis offerre.

I. Quæritur primo; Quid sit, excommunicatum privari communibus Ecclesiæ suffragiis?

Respondeo, suffragia nihil aliud esse, quam spiritualia quædam subsidia, quibus fideles tam vivi, quam defuncti juvantur, sive quoad satisfactionem pro pena temporali, sive quoad meritum de congruo, seu impetrationem aliquorum bonorum vel spiritualium, vel quæ ad spiritualia conferunt. Triplex autem in Ecclesia datur suffragium, seu spirituale subsidium. Primum est a Christo Domino pro nobis offerente Sacrificium missæ ministerio Sacerdotis. Secundum est ab Ecclesia, quæ per suos ministros publice orat, Sacrificium offert, & de thesauro Ecclesiæ satisfactiones dispensat, ut diximus cum de Indulgentiis. Tertium est a quolibet fideli, inquantum persona particularis est; sæpe enim unus pro altero orat, suasque satisfactiones pro illo offert.

Certum est nunc, subsidio spirituali primi, & tertii generis non privari excommunicatum, cum ea non sint Ecclesiæ suffragia. Etenim independenter a qualibet dispositione Ecclesiæ & Christus Dominus offert pro nobis suum Sacrificium ministerio Sacerdotis, & quilibet offerre potest pro altero suas orationes, & satisfactiones Deo; Unde subsidium primi generis, licet sit suffragium commune, non est tamen commune suffragium Ecclesiæ; subsidium vero tertii generis est suffragium privatum; Quare solum subsidium secundi generis dicitur suffragium Ecclesiæ commune, & hoc tantum privatur excommunicatus; Unde non potest Ecclesia per suos ministros publice pro excommunicatis orare, nec pro iis Sacrificium offerre, aut indulgentias dispensare; ut communiter docent, ex cap. *A nobis, de sententia excommunicationis*.

II. Notandum hic primo, quod si minister Ecclesiæ inquantum talis velit pro excommunicato publicas orationes, aut indulgentias applicare, illicite simul, & invalide operabitur; sicut si servus divitias domini dispensaret in personas a domino exclusas, nullum jus transferret in illas, & invalida esset dispensatio. Si tamen minister Ecclesiæ non inquantum minister, sed ut persona privata pro excommunicato oret, aut recitet pro illo divinum officium, & licite, & valide operabitur, ita ut illi prodesse possint orationes privatæ.

III. Notandum secundo circa sacrificium ex Con., Bonac., Escobar, quod si Sacerdos offerat pro excommunicato actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, licite, & valide operabitur, & poterit excommunicato prodesse; non secus ac si aliæ personæ privatæ, quæ eidem Sacrificio circumstant, privatim pro eo orent. Si vero offerat Sacrificium pro excommunicato, inquantum est minister Ecclesiæ, illicite, & invalide, ut diximus, operabitur; hoc est nihil proderit Sacrificium excommunicato quoad impetrationem, cum Ecclesia non intendat pro illo orare. Si demum velit applicare excommunicato fructum Sacrificii, qui habetur ex opere operato, illicite, sed valide operatur. Illicite quidem, quia id ageret ut Christi minister dispensando fructum Sacrificii; atque adeo ageret tanquam persona publica, non privata; Ageret tamen valide, quia non applicat Sacrificium ut minister Ecclesiæ, sed ut minister Christi, ex cujus, & non Ecclesiæ institutione confertur fructus ex opere operato. Itaque in Sacerdote tres veluti personæ considerari possunt. Prima Christi Domini, quam repræsentat, & cujus est minister. Secunda Ecclesiæ, cujus est etiam minister. Tertia privata: Neque in persona Christi, neque in persona Ecclesiæ potest Sacerdos pro excommunicatis orare; licet enim Christus Dominus possit ad libitum offerre Patri pro quolibet suum Sacrificium, non potest tamen ejus minister, inquantum minister est, sed solum inquantum persona privata; sicut quilibet ex astantibus, de quibus in Canone dicitur: *Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Unde habes, in hoc differre Sacrificium a publico ministro oblatum nomine Christi, aut Ecclesiæ, ab eodem oblato nomine privato ipsius Sacerdotis; quod offerens nomine Christi, aut Ecclesiæ sustinet personam publicam, & offert illud secundum valorem operis operati: Contra vero, si offerat nomine proprio, sustinet personam privatam, & offert illud secundum valorem operis operantis. Ubi demum adverte cum Bonac., quod orationes privatæ, & quodcumque offertur secundum valorem operis operantis perdunt valorem ab indignitate, seu a peccato mortali offerentis: Secus vero orationes publicæ, & quodcumque offertur secundum valorem operis operati; quia universim non solum habent valorem ab ipso orante, & offerente, sed etiam ab Ecclesia, vel Christo Domino, cujus nomine offeruntur.

IV. Oppones: Ecclesia in die Parasceves orat publice pro hæreticis, & Schismaticis, qui absque dubio sunt excommunicati, quamvis tolerati: ergo falsum est, quod non possimus pro excommunicatis publice orare.

Respondent aliqui cum Sylvest., Covarr., & aliis, licitum esse orationes publicas, & sacrificium offerre pro excommunicatis in genere, quia non applicantur illis in tali casu bona opera Ecclesiæ, ut prosint illis etiam perseverantibus in excommunicatione, sed ut ab excommunicatione liberentur, & ad Ecclesiam, a qua fuerunt præcisi, confugiant. Alii respondent, licitum esse publicas preces, & sacrificium offerre pro excommunicatis toleratis, quod infra examinabimus. Communior tamen, & verior sententia docet cum Pal., & Avil., velle Ecclesiam

die

die solum Parasceves publicam illam orationem fieri pro hæreticis, necnon aliam pro non baptizatis, ut ostendat passionem Christi Domini, quæ eo die repræsentatur, quantum est ex se, esse pro omnibus; & ut ipsa Christum imitetur, qui tempore suæ passionis oravit pro inimicis; Unde alio die pro iis publice orare non licet neque in particulari, neque in generali, nec ut ab excommunicatione liberentur; hoc enim esset directe pro illis orare, quod est illicitum. Licitum tamen est indirecte pro illis publice orare, & sacrificium offerre, petendo scilicet a Deo extirpationem hæresum, exaltationem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & fidei dilatationem.

V. Quæritur secundo; An saltem pro excommunicato tolerato possint publice preces, & Sacrificium offerri?

Respondent negative Suar., Avil., Bellarm., Vasq., Bonac.; quia Ecclesia excludit omnes excommunicatos ab hujusmodi suffragiis, & quantum est ex parte sua, tradit eos potestati dæmonis, ex 1. ad Timoth. 1. Præterea Concil. Constant. solum ad vitanda scandala concessit communicationem externam cum excommunicatis toleratis, ut in audienda missa, in recitando officio, non vero internam; cum in hujus privatione consistat ratio excommunicationis; Adde, quod Concil. expresse dixit, nihil concedere in favorem excommunicatorum, maximus autem esset favor excommunicatorum toleratorum, si possent pro iis fideles suffragia offerre.

Sed probabilior est sententia affirmativa, quam sequuntur Con., Henr., Hurt., Laym., Pal.; quia Constant. absolute concessit, ut possint fideles communicare, etiam in divinis, cnm excommunicatis toleratis: ergo gratis limitatur ista concessio ad communicationem externam, & non internam per participationem suffragiorum. Præsertim quia hoc est proprie communicare in divinis, & talis communicatio in Ecclesia dicitur *Communio Sanctorum*; unde in Ecclesia idem est posse cum aliquo communicare, ac posse pro eo publicas orationes, & Sacrificium offerre. Ad id, quod objicitur, respondeo, quod sicuti dum permittit Ecclesia communicationem civilem cum excommunicatis toleratis, favet illis tantum indirecte, sed favet fidelibus directe; ita pariter dum permittit communicationem in divinis, non favet excommunicatis directe, siquidem non possunt a nobis petere hujusmodi suffragia; sed favet illis indirecte concedendo fidelibus, ut possint pro illis orare; sic enim magis vitatur omne scandalum, & tollitur omnis scrupulus; quod intendit Concilium.

Dices; in *Clement.* 1. *de Sepulturis* excommunicantur, qui scienter excommunicatum sepeliunt; ergo sicut quilibet excommunicatus, etiam toleratus, carere debet sepultura, ita etiam participatione suffragiorum Ecclesiæ.

Respondeo cum Pal. disp. 2. punct. 6., Henr. lib. 13. cap. 2., & aliis, post Concil. Constant. id intelligendum esse tantum de excommunicatis non toleratis; unde potest excommunicatus toleratus sepeliri in Ecclesia sine ulla culpa.

Hinc sequitur primo, quod si excommunicati tolerati sint dispositi, possit illis prodesse applicatio indulgentiarum; necnon fructus sacrificii, & orationis publicæ quoad valorem pendentem ex intentione Ecclesiæ; quæ tamen excommunicatis non toleratis prodesse non possunt.

Sequitur secundo, posse nos licite pro hæreticorum reductione Sacrificium offerre, non solum indirecte, petendo extirpationem hæresum, & fidei dilatationem, sed etiam directe; cum hæretici sint excommunicati tolerati, ut notant Pal. num. 10., Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 2.; Quamvis, ut advertit Laym., cavere debeat Sacerdos, ne contra Ecclesiæ morem hæreticos in missa nominet.

VI. Quæritur tertio; An licitum sit preces publicas, & Sacrificium offerre pro excommunicatis contritis, per quos non stetit, ne ab excommunicatione fuerint absoluti?

Respondeo, Avil., Reginald., & alios affirmare; quamvis enim illicitum sit pro iis nominatim publice orare, non videtur tamen illicitum secreto pro iis Sacrificium offerre, & publice orare pro iis in generali; quia non videtur credibile, quod pia Mater Ecclesia velit suffragiis suis privare eos, qui a contumacia recesserunt, & in Dei amicitiam sunt recepti. Communior tamen sententia negat cum Suar. disp. 9. sect. 5. Vasq., Con., Hurt., Bonac., quia quamvis potuisset Ecclesia, eos non excludere de facto tamen exclusit a participatione communium suffragiorum: Quod ex eo constat, tum quia in cap. *A nobis* non fit exceptio excommunicati contriti; tum etiam quia Innoc. III. in cap. *Sacro*, *de sententia excommunicationis* negat esse publicas preces offerendas pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa contritionis exhibuit, & petiit absolutionem, antequam ab excommunicatione absolvatur. Et ratio a priori est, quia excommunicatio non tollitur contritione, sed absolutione; Quare sicut non potest excommunicatus contritus ante absolutionem occulte celebrare, aut Sacramenta recipere, ita nec potest Ecclesiæ suffragiis frui.

Dices: Finis excommunicationis est emendatio delinquentis; ergo cum reus per contritionem sit emendatus, cessat finis excommunicationis, & consequenter cessat excommunicatio, ejusque effectus.

Res-

Respondeo, cessante fine excommunicationis cessare debet excommunicatio eo modo, quo cessare potest, videlicet per absolutionem; unde hac non præmissa non cessat excommunicatio, nec ejus effectus.

Dices secundo, per contritionem excommunicatus evadit membrum vivum Ecclesiæ; ergo debet aliorum membrorum subsidiis vegetari; non enim amplius est recisus ab aliis, nec debet haberi ut canis, cui non sit mittendus panis filiorum, ut notat Sayr., & Covarr.

Respondeo, quod quamvis per contritionem sit membrum vivum, est tamen adhuc recisum a corpore quoad participationem suffragiorum Eccclesiæ, donec absolvatur; Non est utique habendus tanquam canis; illi tamen non debetur panis filiorum, donec per absolutionem corpori Ecclesiæ iterum uniatur.

ARTICULUS III.

De Secundo effectu, qui est privare excommunicatum participatione Sacramentorum.

I. Quandonam possit per accidens Excommunicatus recipere, & administrare Sacramenta.

II. Num Excommuniratus vitandus post collatam moribundo in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem possit etiam Eucharistiam, ac Extremam Unctionem ministrare?

III. Valida sunt Sacramenta ab excommunicato collata, excepta Pœnitentia ab excommunicato vitando administrata extra casum necessitatis, nisi adsit error communis.

IV. Excommunicatus ignorans suam excommunicationem, si bona fide accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, valide illud suscipit.

V. Irregularitatem incurrit excommunicatus, si Sacramenta administret, aut Sacrum Ordinem exerceat, etiamsi invalide ex defectu jurisdictionis Sacramentum Pœnitentiæ administret.

VI. Excommunicatus non peccat per hoc, quod die festo Missam non audiat; peccat vero per hoc, quod sacram Synaxim in Paschate non recipiat.

I. Secundus effectus excommunicationis est Privatio tam activæ, quam passivæ participationis Sacramentorum; unde excommunicatus tam vitandus, quam toleratus illa nec administrare potest, nec recipere.

Quæritur nunc primo; An possit excommunicatus aliquando licite recipere, aut administrare Sacramenta?

Respondeo, posse aliquando per accidens pluribus de causis; Verbi gratia, ratione ignorantiæ, aut inadvertentiæ; vel ad vitandum scandalum, aut grave aliud damnum sive proprium, sive alienum, sive spirituale, sive temporale, sive in fama, sive in bonis aliis; dummodo valide possint Sacramenta suscipi, aut conferri; Sicut valide omnia suscipi, & conferri possunt, excepto Sacramento Pœnitentiæ, ut mox explicabimus; Unde fit, excommunicatum etiam vitandum posse licite in articulo mortis administrare moribundo Sacramenta, etiam Pęnitentiæ, si alius minister desit; Necnon Parochum excommunicatum assistere matrimonio, vel alteri Sacerdoti licentiam conferre ad assistendum pro ipso in simili casu necessitatis, ut notat Hurt. disp. 4. diff. 2.

II. Dubium est; An excommunicatus vitandus, postquam dedit moribundo absolutionem Sacramentalem, possit illi ministrare Eucharistiam, & Extremam Unctionem?

Negat Hurt. loc. cit.; quia cessat ratio necessitatis proximi, qui non tenetur obedire præcepto divino de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quando adest (ut in casu) ligitimum impedimentum. Sed probabilius affirmant Suar. disp. 1. sect. 2., Pal., & alii; quia quamvis non sit in moribundo sacramentaliter absoluto necessitas sumendi Eucharistiam, aut Extremam Unctionem, est tamen major necessitas obediendi præcepto positivo Christi Domini de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quam sit necessitas obediendi præcepto Ecclesiastico de non communicando cum excommunicato vitando; ergo potest ab isto suscipi Eucharistia; præsertim quia accidere potest, ut moribundus per absolutionem non sit justificatus, & per Eucharistiam bona fide susceptam justificetur, & sic salvetur. Et ob hanc rationem tempore interdicti non solum permittitur moribundo Sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiæ. Quia vero tempore interdicti non permittitur Extrema unctio, hinc Suar. putat, loc. cit., quod excommunicatus vitandus non possit Extremam unctionem conferre moribundo, cui ministravit Sacramentum Pęnitentiæ, & Eucharistiæ; possit tamen in defectum istorum Sacramentorum Extremam unctionem ministrare; quia probabile est, quod hoc Sacramentum conferat primam gratiam attrito putanti se non esse in mortali.

III. Quæritur secundo; An Sacramenta ab excommunicato suscepta, aut administrata sint invalida?

Respondeo, certum esse, quod sint valida sex alia Sacramenta præter Pęnitentiam; quia posita eorum materia, & forma independenter a voluntate Ecclesiæ perficiuntur ex institutione Christi Domini. Poterat quidem Ecclesia invalidare Sacramentum matrimonii, invalidando contractum matrimonialem celebratum inter excom-

excommunicatos; ſicut invalidat matrimonium clandeſtinum; ſed de facto noluit ipſum invalidare. Porro Sacramentum Pęnitentiæ, ſi miniſtretur ab excommunicato tolerato, eſt validum, quia hic non privatur juriſdictione; ſecus vero ſi miniſtretur a non tolerato, qui caret juriſdictione. Excipitur tamen caſus extremæ neceſſitatis proximi; ſiquidem in articulo mortis ex Trident. confertur illi ab Eccleſia juriſdictio; ſicuti etiam ſi ignoretur in aliquo loco ejus excommunicatio; tunc enim ſtante errore communi, ex Leg. *Barbarius*, propter commune bonum confertur pariter ab Eccleſia Sacerdoti excommunicato non tolerato jurisdictio.

IV. Dubium itaque ſolum eſt; An Sacramentum Pęnitentiæ valide recipiatur ab excommunicato ignorante ſuam excommunicationem, & bona fide ad illud accedente cum debita diſpontione? Sylveſt., Vaſq. de Excommunication. dub.4., Hurt. diff. 3.putant,invalide ſuſcipi etiam ab excommunicato excommunicatione minore; quia in Sacerdote non habetur juriſdictio relate ad pęnitentem non abſolutum ab excommunicatione. Sed verius Cajet. Avil., Suar. diſp. 10. ſect. 3. putant, valide ſuſcipi ab excommunicato non prius abſoluto bona fide ab excommunicatione etiam majore, quia in jure non irritantur Sacramenta ab excommunicato ſuſcepta. Præterea excommunicatio pœnitentis non tollit Confeſſario ſuam juriſdictionem; cum non ſit pœna confeſſarii, ſed pęnitentis; ergo ſi non caret in tali caſu Confeſſarius juriſdictione, validum erit Sacramentum Pęnitentiæ ab excommunicato ſuſceptum, non præmiſſa abſolutione a cenſura bona fide.

V. Quæritur tertio; Quam pęna incurrat excommunicatus illicite Sacramenta adminiſtrans?

Reſpondeo, præter culpam ſacrilegii, incurrere pęnam irregularitatis, ex *Cap. ult. de Clerico miniſtrante*: Sicut etiam irregularitatem incurrit, ſi Sacrum Ordinem, quem habet, exerceat; puta ſi Diaconus ſolemniter cantet Evangelium. Quod ſi cantet Evangelium, quin ſit Diaconus, irregularitatem non incurrit; Nec illam incurrit, ſi juſtis de cauſis excuſetur a culpa, aut ex probabili ratione putet, ſe non eſſe excommunicatum. In receptione vero Sacramenti excommunicatus nullam pęnam Eccleſiaſticam incurrit, niſi ſit excommunicatus ob percuſſionem Clerici; hic enim, ſi ſuſcipiat Ordines, manet ſuſpenſus ab Ordine ſuſcepto, ex cap. *Cum illorum, de ſententia Excommunicationis*.

Dubitatur; An irregularitatem incurrat excommunicatus vitandus, qui Sacramentum Pęnitentiæ adminiſtrat? Negat Richard., quia cum careat juriſdictione, attentat tantum Sacramentum miniſtrare, ſed revera illud non adminiſtrat. Affirmat tamen Suar. diſp. 2. ſect. 3., & Pal.; quia irregularitas iſta imponitur ob delictum fungentis, quantum eſt in ſe, poteſtate Ordinis; quod præſtat, qui etiam invalide Sacramentum Pęnitentiæ adminiſtraret: Aliter neque incurreret irregularitatem, quando ex indiſpoſitione pęnitentis Sacramentum eſt nullum, quod nemo dixerit.

VI. Quæritur ultimo; Utrum excommunicatus peccet omittendo auditionem Sacri die feſto, & annuam confeſſionem, & communionem in Paſchate?

Reſpondeo cum Avil. 2. part. cap. 6. diſp. 4., Medin. Navar., quod ſi eo fine negligat abſolutionem, ne audiat Miſſam, aut recipiat Sacramenta præcepta, procul dubio peccet mortaliter; Si vero ſit negligens in procuranda abſolutione, non tamen eo fine, non peccat non audiendo Miſſam; peccat vero non ſuſcipiendo in Paſchate Sacramenta. Non peccat non audiendo Miſſam die feſto, quia Eccleſia non obligat impeditos; nec videtur homo obligatus ſe diſponere ad audiendam Miſſam tollendo impedimentum cenſuræ: quia hæc diſpoſitio cenſetur valde remota; Et idcirco non peccat contra præceptum audiendi Miſſam infirmus, qui negligens eſt in procuranda ſanitate; aut qui ſua culpa in vinculis detinetur, verbi gratia, non ſolvendo debita, ut docet Laym. cap. 2. de Excommunicatione: Contra vero peccat non ſuſcipiendo in Paſchate Sacramenta; quia præcepta confeſſionis, & communionis annuæ non ſunt pure Eccleſiaſtica, ut præceptum audiendi Miſſam, ſed ſunt partim divina; unde quamvis Eccleſia prohibeat excommunicato accedere ad Sacramenta, non tollit tamen obligationem juris divini de recipiendis Sacramentis. Adde ex Laym., quod præceptum confeſſionis per ſe obligat ad mundandam conſcientiam, & ad tollenda vincula tum peccatorum, tum excommunicationis; ergo ſi excommunicatus negligat ea tollere, procul dubio peccat.

ARTICULUS IV.

De Tertio effectu, qui fert privationem Divinorum officiorum, Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & aliarum rerum ſacrarum.

I. *Quid veniat nomine divinorum officiorum, quorum celebratio excommunicatis inhibetur? In recitatione privata Horarum nonniſi veniale eſt ſocium adhibere, & dicere, Dominus vobiſcum.*

II. *Etiam toleratis vetitum eſt Miſſam audire, aut ad illam cooperari dando ſtipendium; ſed non toleratus ejiciendus eſt tempore divinorum officiorum, Quid ſi nequeat expelli?*

III. *Num prohibeatur excommunicatis uti rebus ſacris.*

IV. Cele-

IV. Celebrans coram excommunicato vitando quam pœnam incurrat?
V. Sepultura Ecclesiastica quibus excommunicatis sit neganda?
VI. Num excommunicatio lata contra sepelientes excommunicatum in loco Sacro incurratur a sepelientibus duntaxat, an etiam a comitantibus, & a non impedientibus?

I. JUxta tertium effectum excommunicationis prohibetur excommunicatis, etiam toleratis, divina officia celebrare, aut iisdem interesse, ex Cap. *Nihil. de Sententia excommunicat.* Nomine autem divinorum officiorum veniunt omnes Sacræ functiones, quæ ab Ecclesia publice, & solemniter fiunt, ut sunt Missæ Sacrificium, horæ Canonicæ, & omnis publica oratio; Sicut etiam processio, benedictio Chrismatis, consecratio, & similes cæremoniæ, quæ ex Ecclesiæ, vel Christi Domini institutione a ministris ad id ordinatis solemniter fiunt: Et similiter comitari Sacram Eucharistiam, quando cum pompa defertur ad infirmos. Licitum tamen est excommunicatis ingredi Ecclesiam, & privatim orare, immo & concionem audire; non enim excluduntur ab ingressu Ecclesiæ, nisi quando divina celebrantur; Nec solum possunt, sed etiam tenentur satisfacere privatim oneri, quod forte habebant recitandi horas Canonicas, ne commodum ex iniquitate reportent. Et ex Suar. disp. 12 sect. 2. veniale tantum esset adhibere socium in recitatione privata horarum, nisi quis ex aliqua necessitate etiam a veniali excusetur. Veniale etiam esset dicere, Dominus vobiscum, quamvis Avil., & Hurt. disp. 5. diff. 2. putent, ne veniale quidem peccatum esse; quia per hæc verba, Dominus vobiscum, non importatur communicatio cum aliis; Sicut nec per illa alia, Venite exultemus Domino; nam dicere absentibus, Dominus vobiscum, non est cum illis communicare, sed illis bene precari, quod non est illicitum.

II. Ex dictis sequitur, quod nullus excommunicatus, etiamsi toleratus, possit missam aut celebrare, aut audire; Immo si non toleratus interesse præsumat missæ, monendus est, ut discedat, ex *Clement. Gravis, de Sententia excommun.* Si tamen jussus discedere non pareat, novam excommunicationem incurrit, & sive per Clericos, sive per laicos expelli debet, absque tamen scandalo, & percussione. Quod si expelli nequeat, omnes alii recedere tenentur, ne cum illo communicent, & Sacerdos si Canonem, aut saltem, Qui pridie, incœperit, ut supra diximus, debet Missam cum solo ministro prosequi usque ad sumptionem Calicis, & quæ reliqua sunt Missæ, in Sacristia peragere, si detur locus aptus; aliter omittat: Si vero canonem non incœperit, debet Missam inchoatam relinquere; Hoc autem, ut notavit Suar. disp. 12. sect. 1., & Hurt., intelligendum est de Missa, cui excommunicatus moraliter assistit; nam si sit in templo, non causa audiendi Missam, aut divinum officium, nec ad ea attendens, non est ejiciendus, quamvis physice ea audiat. Immo si assistat Missæ Altaris A, non vero altaris B, qui audiunt Missam altaris B, non tenentur illum ejicere, aut Missam relinquere. Eodem modo dum dicuntur Horæ Canonicæ, aut fit Processio solemnis, &c., si excommunicatus non toleratus non discedat, ejiciendus est, aut divinum officium, vel processio omittenda: Quamvis Leand. putet esse tantum veniale, secluso scandalo, audire Missam, aut in eadem Missa communicare cum excommunicato vitando.

III. Quæritur nunc primo; An etiam vetitum sit excommunicatis uti rebus Sacris, verbi gratia, templo, aqua lustrali, reliquiis, indulgentiis, orationibus ab Ecclesia institutis?

Respondeo cum Suar. disp. 12. sect. 3. distinguendum; Nam vel vult excommunicatus his uti intentione participandi fructus ab Ecclesia intentos, videlicet impetrationis, remissionis culpæ, vel pœnæ, &c., & profecto non licet; nec si his utatur, proderunt, ut supra diximus: Vel vult iis uti, quatenus deservire poterunt privatæ devotioni, venerationi, ac religioni; & sic licent: Sicuti enim licet excommunicato munire se signo crucis, benedicere mensam, adorare Eucharistiam, imagines, &c., ita licitum est uti aqua lustrali, ut ad Dei privatum cultum, & ad peccatorum dolorem excitetur: Quare non potest excommunicatus ejici e templo Sacro, nisi quando divina officia celebrantur. Circa indulgentias patet, quod non possit eas lucrari; cum a participatione thesauri Ecclesiæ sit exclusus.

IV. Quæritur secundo; Quam pœnam incurrat Sacerdos celebrans coram excommunicato vitando?

Respondeo, incurrere solum excommunicationem minorem; si tamen Sacerdos sit exemptus a jurisdictione Ordinarii, incurrit etiam Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ut notat Covarr. in Cap. *Alma Mater*, 1. *part.* §. *6.* Irregularitas certe non incurritur, (ut notat Leand., & Pal. disp. 2. punct. *9.*) nisi a Sacerdote excommunicato, qui auctoritate sua faceret alium coram se celebrare; quia per fictionem juris celebrare ipse censetur.

V. Circa Ecclesiasticam sepulturam certum est, excommunicatum vitandum sepeliri non posse in templo, nec in cemeterio; imo neque in loco, ubi consuevit dici Missa, quamvis nulla alia benedictione sacro, ut notat Suar. sect. 4. Unde gravirer peccaret, qui excommuni-

catum vitandum in loco sacro sepeliret ante absolutionem, saltem in foro Sacramentali datam, etiamsi dederit ante mortem signa contritionis; Imo excommunicationem majorem incurreret, ex *Clement. I. de sepult.*, & Ecclesia remaneret polluta. Peccaret pariter, si Psalmos concineret, crucem deferret, &c. dum cadaver excommunicati vitandi defertur ad sepulturam; quia hæc quædam communicatio est cum excommunicato, & quidam honor prohibitus illi dari. Communiter tamen Doctores docent contra Avil., hæc dumtaxat in non toleratis locum habere; unde potest excommunicatus toleratus in Templo sepeliri.

VI. Dubium est; Num excommunicationem majorem latam contra sepelientes excommunicatos in loco Sacro incurrant solum hi, qui cadaver propriis manibus in sepulturam intrudunt, & terra obruunt, an etiam qui illud deferunt ad sepulturam, & pompam funebrem comitantur? Navar., Avil., Cajet. putant, solum incurri ab iis, qui propriis manibus sepeliunt, eo quod pœnæ sint stricte interpretandæ: Suar. tamen, & Con. docent comprehendi etiam eos, qui sepulturam procurant; quia isti etiam dicuntur sepelire: Reginald., & Ugolin. volunt comprehendi etiam non impedientes; Sylvest. comprehendi comitantes. Prima sententia videtur probabilior, aliæ etiam probabiles.

ARTICULUS V.
De Quarto, & Quinto effectu, qui ferunt suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

I. *Excommunicatus etiam toleratus privatur Beneficio post excommunicationem obtento, nec potest fructus illius facere suos, quamvis suæ excommunicationis sit ignarus.*

II. *Num privetur etiam fructibus Beneficii ante excommunicationem obtenti?*

III. *Num cujusvis Pensionis excommunicatus sit incapax?*

IV. *Probabilius invalide Beneficium tempore excommunicationis acceptat, qui ad illud ante censuram fuerat electus.*

V. *Collatio Beneficii facta tempore excommunicationis post absolutionem non revalidatur ipso facto.*

VI. *Quod dictum est de Excommunicato, dicendum etiam est de Suspenso, ac de personaliter Interdicto.*

I. DIximus juxta quartum, & quintum effectum, Ecclesiasticas personas per excommunicationem suspendi ab Officio, & Beneficio; & quemcumque excommunicatum esse inhabilem, ut eligatur, aut ut alios eligat ad Beneficia Ecclesiastica.

Quæritur nunc primo; An excommunicatio privet excommunicatum Beneficio, & fructibus ejus?

Respondeo, convenire Doctores in hoc, quod non privet excommunicatum beneficio jam obtento ante excommunicationem, sed solum privet beneficio post excommunicationem obtinendo; cum reddat excommunicatum beneficii incapacem: Et ratio est, quia cum excommunicatus non possit officium, & munus suum exercere, debuit Ecclesia irritare collationem beneficii illi factam; siquidem beneficium est propter officium: Idque verum est non solum de excommunicato vitando, sed etiam de tolerato, ut docent Suar., Sayr., Pal. disp. 2. punct. 8. contra Hurt. diff. 2. Etenim per *Extravag. Ad evitanda*, qua cæteris fidelibus permittitur communicare cum excommunicato tolerato, non intenditur ullus favor excommunicati, nec permittitur illi vicissim se in communicationem fidelium ingerere; atque adeo nec beneficium recipere, quod hujusmodi communicationem requirit. Et propter hanc rationem non solum irrita est collatio beneficii facta excommunicato, sed etiam electio, præsentatio, nominatio, necnon resignatio, ac permutatio beneficii; cum prohibita sit excommunicato omnis communicatio cum fidelibus: Et quia nulliter beneficium reciperet, ideo ejus fructus non faceret suos, ut notant communiter cum Hurt., & Suar. disp. 13. sect. 1.; qui etiam docet, propter eandem rationem excommunicatum inhabilem esse ad quascumque Ecclesiasticas dignitates, præter Papalem.

Addit etiam Con. disp. 14. dub. 9., quod acquisitio beneficii sit nulla, quamvis excommunicatus suæ excommunicationis sit ignarus. Et ratio est, quia quamvis ignorantia censuræ tollat culpam in acceptante beneficium, non tollit tamen inhabilitatem ad illud, ut communiter docent contra Navar. Utrum autem non solum passiva, sed etiam activa electio ad beneficia sit irrita? Dicemus art. sequenti, esse irritam, si fiat ab excommunicato vitando, secus si a tolerato.

II. Dubium est; An qui incidit in excommunicationem, pro tempore, quo durat excommunicatio, privetur etiam fructibus beneficii ante excommunicationem obtenti?

Respondeo, tres in eo esse sententias. Prima affirmativa Suar., Tolet., Covarr. ex cap. *Pastoralis, de Appellat.*; ubi dicitur, quod *Proventus Ecclesiastici merito illi subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Secunda negativa Avil. cap. 6. disp. 6., Vasq. de Beneficiis cap. 3., quia talis pœna nullo jure habetur expressa; etenim in cap. citat. *Pastoralis* sermo est de subtractione facienda a Judice per sententiam, non vero

vero de privatione proventuum, quæ per ipsammet excommunicationem fiat. Tertia sententia est Navar. in Manual. cap. 25. ubi docet, in eo tantum casu privari fructibus beneficii excommunicatum, in quo negligens sit in procuranda absolutione, ita ut per ipsum stet, ne absolvatur.

Secunda opinio negativa videtur probabilior. Quare solum post Judicis sententiam fructibus beneficii spoliari debet; si tamen officium suum præstet, videlicet si Canonicus in occulta excommunicatione persistens choro intersit, si Cappellanus missas persolvat, Parochus Sacramenta administret: Secus vero si culpabiliter officium suum omittat; tunc enim cum beneficium sit propter officium, ex naturali lege justitiæ ad restitutionem fructuum esset obligatus; non secus ac non excommunicatus, si ea, quæ officii sui sunt, non præstet, ut notat Con. dub. 9., Bonac. Vasq. Unde fit, quod cum missa Cappellani excommunicati non prosit ei, cui applicatur, quoad valorem, quem habet ab Ecclesia, non potest talis Cappellanus celebrans retinere omnes fructus sacrificii; cum non adimpleat adæquate officium suum, ut recte observat idem Bonac. quæst. 2. punct. 4.

III. Quæritur secundo; Utrum possit conferri excommunicato Pensio?

Respondeo ex Laym. part. 2. cap. 2., triplicem esse pensionem. Prima est spiritualis, quæ confertur ob ministerium spirituale, puta Concionatori, Coadjutori, Parocho, &c. Secunda est temporalis, seu laica, quæ etiam laicis conferri potest ob temporale aliquod obsequium præstitum, Verbi gratia, quia armis, aut alia ratione ipse pensionarius, aut majores sui Ecclesiæ jura defenderunt. Tertia dicitur mixta, quæ licet non conferatur ob ministerium spirituale, Clericis duntaxat tamen conferri potest, sicut pensio spiritualis; confertur enim pensio mixta, v. g. Pastori, aut Curato seni, quando beneficium ipsius, cui nequit amplius inservire, datur alteri; Confertur etiam resignanti, aut permutanti beneficium.

His explicatis; Nonnulli apud Dian. in Summ. V. *Beneficium* cum Præposit., Filliuc. & aliis docent, excommunicatum cujusvis pensionis esse capacem; quia solum incapax est beneficii; pensiones autem quamvis sint jus ad percipiendos fructus ex alieno beneficio, non sunt tamen in rigore beneficia; & idcirco pensionarius non tenetur recitare officium divinum, sed solum officium B. Virginis, ubi est recepta constitutio Pii V.; ergo excommunicatus non est incapax pensionis. Alii vero docent, nullius pensionis esse capacem, propter stylum Romanæ Curiæ, & praxim Datariæ. Communius tamen, & probabilius docent, pensionis spiritualis esse omnino incapacem; quia sicut beneficium, ita pensio spiritualis datur propter officium spirituale; cum autem excommunicatus officium spirituale præstare non possit, nec potest tali pensione gaudere: Contra vero pensionis laicalis esse capacem, cum hæc habeat rationem stipendii temporalis. Pensionis mixtæ majus dubium est, an sit capax? Con. disp. 14. dub. 9. negat esse capacem; quia hujusmodi pensiones beneficiis succedunt; & ideo beneficiorum naturam debent imitari. Probabilius tamen est, quod sit capax tam excommunicatus, quam irregularis, propter declarationem Cardinalium adductam a Laym. loc. cit., & Suar. disp. 44.

IV. Quæritur tertio; An electus ad beneficium ante excommunicationem, si tempore excommunicationis illud acceptet, valide acceptet?

Respondeo, Azor., Covar., Sayr., Garz. affirmare; quia jura ea solum irritant, per quæ acquiritur jus ad beneficia; sed jus ad beneficia non acquiritur per acceptationem, sed solum per collationem beneficii; ergo sola acceptatio beneficii facta tempore excommunicationis non irritatur. Minor probatur, quia nemo sibi ipsi jus confert; ergo, cum acceptatio sit ab ipso acceptante, non potest acceptans per acceptationem suam acquirere jus ad beneficia; quare acceptatio est solum conditio essentialiter requisita, ut collatio beneficii tribuat jus ei, cui confertur.

Probabilius tamen Suar., Vasq., Hurt. disp. 6. diff. 3., Con. loc. cit. negant; quia cum Sacri Canones declarent excommunicatum esse inhabilem ad acquirendum jus ad beneficia; & cum tale jus acquiratur per collationem, & acceptationem simul, sequitur, quod utraque pariter irritetur. Quamvis enim nemo sibi ipsi jus conferat; potest tamen per proprium actum acquiri jus in re; sicut acquiritur a donatario per acceptationem rei donatæ. Consonat quod dicitur in cap. *Si tibi absenti* 17., *de Præbendis*, videlicet per collationem solum acquiri jus ad rem; per acceptationem vero acquiri jus in re: ergo non acquiritur jus adæquatum per solam collationem, sed etiam per acceptationem; & consequenter cum jura irritent id, per quod acquiritur jus ad beneficia, tam collationem, quam acceptationem irritant.

V. Quæritur quarto; Utrum collatio beneficii facta alicui tempore excommunicationis statim post absolutionem revalidetur, an vero opus sit nova collatione post absolutionem, ut jus ad beneficium acquiratur?

Respondeo, tres esse hac in re Doctorum sententias. Prima Navar., & aliorum apud Sanch. de matrim. disp. 7. absolute affirmat revalidari: tum quia talis collatio valuit ex parte conferentis, & solum fuit invalida ex parte recipien-

tis ob ipsius inhabilitatem: atqui per absolutionem tollitur inhabilitas; ergo collatio per absolutionem fit adæquate valida: Tum etiam quia voluntas collatoris censetur semper perseverare, donec revocetur; ergo cum etiam post absolutionem moraliter perseveret, non requiritur nova collatio, ut jus ad beneficium post absolutionem acquiratur.

Secunda sententia Panormit. apud eundem Sanch. docet, valere collationem, posita absolutione, si Collator noverat vitium Collatarii; etenim cum in tali casu non censeatur velle conferre invalide beneficium, censetur illud conferre pro eo statu, in quo Collatarius non est inhabilis.

Tertia demum communissima cum Con. dub. 9., Pal., Hurt. disp. 6. diff. 3. tenet, nunquam revalidari priorem collationem; cum enim ab initio fuerit nulla, nequit per voluntatem conferentis quamvis perseverantem fieri valida; nam solum perseverat voluntas illa, quæ ab initio fuit nulla; atque adeo sicut initio nihil efficit ob incapacitatem subjecti, ita nihil tunc potest efficere, quamvis subjectum sit capax.

Neque dicas, Per absolutionem tolli inhabilitatem subjecti; ergo collatio validatur. Etenim ad valorem collationis nihil aliud requiritur, quam habilitas subjecti, quæ post absolutionem jam habetur.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens; Ad valorem collationis, quæ de novo fiat, tantum requiritur habilitas subjecti, concedo; ad valorem collationis factæ tempore inhabilitatis, nego antecedens, & consequentiam.

VI. Quæ diximus de excommunicato quoad impetrationem beneficii, æque militant de suspenso, & de personaliter interdicto, ut observant Azor., Ugolin., Pal. disp. 3. punct. 10. ex Gloss. cap. *Dilectus*, *de Consuetudine*. Ratio est, quia ideo collatio beneficii facta excommunicato irritatur, quia hic incapax est officium exercendi; atqui eandem incapacitatem habet suspensus, & personaliter interdictus; ergo idem de his omnibus hac in re sentiendum.

ARTICULUS VI.

De Sexto effectu, qui est Privatio jurisdictionis.

I. Quinam dicantur actus jurisdictionis, qui prohibentur excommunicato vitando, necnon tolerato, nisi fuerit hic a fidelibus requisitus?

II. Actus jurisdictionis, qui a tolerato non requisito exercentur, illiciti sunt post Concil. Constat., non invalidi: Possuntque a fidelibus per exceptionem repelli: Invalidi tamen sunt hujusmodi actus, si a vitando exerceantur.

III. Non irritantur tamen actus, qui non sunt jurisdictionis presse dictæ, qualis est, quod Parochus Matrimonio assistat.

IV. Probabilius sunt actus stricte jurisdictionales, atque adeo invalidi, si fiant ab excommunicato vitando, dare facultatem assistendi matrimonio, audiendi confessiones, administrandi Sacramenta, approbare Confessarios, & Concionatores, concedere dimissorias, & similes.

V. Electio, & Collatio Beneficii est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero si fiat a tolerato.

VI. Præsentatio pariter Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est indalida; est vero valida præsentatio laica, quamvis ab Episcopo possit repelli.

VII. Num possit Episcopus præsentatum ab excommunicato vitando in beneficio instituere.

VIII. Institutio facta ab Episcopo vitando est invalida. Similiter concessio possessionis, quando talis Episcopus juridice aliquem in Beneficium intromittit.

IX. Postulatio, & nominatio solemnis est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero simplex.

X. Resignatio beneficii libera valide fit ab Excommunicato vitando: non tamen in favorem Tertii.

I. Actus Jurisdictionis dicuntur, exempli gratia, legem ferre, præcipere, dispensare, judicium ferre tam in foro conscientiæ, quam in contentioso, dare licentiam ad munus aliquod Ecclesiasticum exercendum, indulgentias concedere, delegare jurisdictionem, & alii hujusmodi; Qui omnes actus cuilibet excommunicato etiam tolerato sunt saltem illiciti, ex cap. *Ad probandum*, *de sententia*, *& re judicata*. Quare nisi parvitas materiæ, aut inconsideratio excuset, peccat graviter excommunicatus hujusmodi actus exercendo, ut communiter docent cum Suar., Hurt. disp. 7. diff. 1.; quia talis communicatio cum fidelibus est præcipua communicatio, cnm sit in rebus spiritualibus. Potest tamen licite eos exercere excommunicatus toleratus, si fuerit a fidelibus requisitus, ut diximus art. 2. cum Filliuc., Pal. disp. 2. punct. 13.; quia excommunicatus toleratus privatur tantum jurisdictione in proprium commodum, non vero in commodum fidelium. Utrum autem excommunicatus privetur non solum jurisdictione Ecclesiastica, sed etiam sæculari? Examinabimus art. sequent. cum de Judice Sæculari.

II. Quæritur nunc primo; An prædicti actus jurisdictionis, si ab excommunicato tolerato exerceantur, quando a fidelibus is non est requisitus, sint non solum illiciti, sed etiam invalidi?

Respondeo, quicquid sit, an essent validi

ante Concilium Constantiense, in quo versant Doctores apud Suar. disp. 14. sect. 1., certum est, nunc non esse invalidos; quia cum Ecclesia post Constantiense permittat fidelibus communicationem cum hujusmodi excommunicatis, perinde ac si non essent excommunicati, consequenter relinquit iis jurisdictionem requisitam ad hujusmodi communicationem.

Hinc duo sequuntur. Primum est, posse fideles uti aliqua dispensatione, licentia, & facultate accepta ab excommunicato tolerato, exercere jurisdictionem ab ipso sibi delegatam, servare legem ab eo latam, illique obedire; Secndum est, posse a fidelibus omnes hujusmodi actus per excommunicationis exceptionem repelli, hoc est posse fideles excommunicato tolerato præcipienti, aut judicanti obijcere suam excommunicationem, & sic ejus prçceptum, seu sententiam eludere. Ratio est, quia quamvis fideles possint, non tamen tenentur cum excommunicatis toleratis communicare; Unde si legitimam, seu a jure approbatam exceptionem fideles adhibeant, possunt excommunicatorum jurisdictionem vitare; ut communiter docent cum Suar., Less., Avil., Bonac. quæst. 2. punct. 1. Tenetur tamen excipiens intra octo dies excommunicationis speciem, & Auctorem probare, aliter exceptio est nulla, ex *Cap.* 1. *de Excepion.*

Infertur ex dictis, quod excommunicatio lata ab excommunicato tolerato sit valida, (sicut etiam quælibet alia lex) nisi qui excommunicatur, excommunicationis exceptionem adhibeat, ut notat Con. dub. 10.: contra tamen excommunicatio lata ab excommunicato vitando sit omnino invalida, sicut etiam quælibet alia lex; cum careat iste usu jurisdictionis. Eodem modo facultas dispensandi in votis, administrandi Sacramentum pœnitentiæ, ferendi leges, &c., concessa ab Episcopo excommunicato tolerato est valida; Secus vero ab Episcopo vitando, necnon ab ejus Vicario, quamvis hic ab Episcopo ante excommunicationem acceperit jurisdictionem. Etenim unum & idem Tribunal est Vicarii generalis, & Episcopi, nec datur appellatio a Vicario ad Episcopum; Unde sublata jurisdictione ab Episcopo sive per mortem, vel per excommunicationem, aut suspensionem, tollitur etiam a Vicario: Contra vero qui ab Episcopo vitando ante ejus excommunicationem habuit facultatem absolvendi, administrandi Sacramenta, dispensandi in votis, &c., potest ea uti, sicuti post mortem, ita etiam post excommunicationem Episcopi; quia hujusmodi gratiæ non expirant morte concedentis. Demum qui ante excommunicationem Episcopi delegatus est ad aliquam causam judicandam in foro contentioso, superveniente excommunicatione, per quam Episcopus sit vitandus, si res sit integra, hoc est si causa nondum est incepta, cessat in Delegato jurisdictio; secus vero si non sit integra, seu si causa jam inceperit, ut notat Suar. ex *cap. Gratum, de Officio Delegati.*

III. Adverte tamen ex Bonac. quæst. 2. punct. 5., excommunicatum vitandum privari duntaxat usu jurisdictionis proprie dictæ; unde gesta ab excommunicato vitando, quæ non fiunt ex officio jurisdictionis proprie dictæ, non irritantur. Quare potest Parochus vitandus valide matrimonio assistere, cum hic non sit actus jurisdictionis: Similiter matrimonium ab excommunicato vitando celebratum validum est, etsi illicitum: quia est actus procedens a contrahente, tamquam a persona particulari, non secus ac contractus venditionis, emptionis, &c.; qui pariter validi sunt, quamvis peccet excommunicatus ineundo illos absque necessitate. Solum invalidatur in cap. *Significasti* testamentum factum ab eo, qui excommunicatus fuit proprer hçresim, vel propter percussionem Cardinalium.

IV. Dubium est; An sint actus jurisdictionis, atque adeo an sint validi, si ab excommunicato vitando fiant, approbare confessarios, & concionatores, dare facultatem audiendi confessiones, dare literas dimissorias; necnon a Parocho dari facultatem alteri assistendi matrimonio, administrandi sui subditis Sacramentum Baptismi, Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, &c.

Respondeo, Sylvest. V. *Unctio* cum aliis negare universim eos esse actus jurisdictionis; atque adeo docet esse validos: Alii putant, valide tantum dari licentiam administrandi Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & Extremam unctionem, necnon assistendi Matrimonio; quia hi actus non requirunt jurisdictionem.

Sed Con. dub. 10. putat, omnia ista invalide ab excommunicato vitando concedi; quia quamvis, baptizare, verbi gratia, & Eucharistiam administrare non sint actus jurisdictionis: at dare facultatem ad ista, actus est jurisdictionis: Sicuti quamvis egredi domo non sit actus jurisdictionis: at dare facultatem egrediendi domo, actus est jurisdictionis: & Religiosi a Prælato, tanquam a Superiore, licentiam hanc petunt. Addit Con., omnino improbabile videri, quod dare alicui veniam audiendi confessiones, approbare Confessarium, & concionatorem, concedere dimissorias, & alia hujusmodi, non sint actus jurisdictionis: Etenim cum hæc fieri possint etiam ab Episcopo nondum Sacerdote, constat non esse actus Ordinis: & cum sint actus alicujus potestatis, remanet, ut sint actus jurisdictionis. At probabiliter Martinus Perez cum Hurt., & aliis docet, ut diximus in de Matrimonio, quod dare licentiam Sacerdoti, ut Matrimonio assistat, non sit actus jurisdictionis: quia hoc nihil aliud est, quam substituere, qui assistat loco ipsius

co ipsius Parochi, designando talem Sacerdotem; hæc autem designatio non est actus jurisdictionis, sicuti si Episcopus det facultatem audiendi confessiones ei, quem Titius designabit, talis designatio non est actus jurisdictionis.

V. Quæritur secundo; An electio ad beneficium, & ejusdem collatio facta ab excommunicato sit valida?

Respondeo, tam electionem ad beneficium, quam collationem illius factam ab excommunicato tolerato esse validam; a vitando vero factam esse invalidam. Ratio ex dictis est manifesta, quia solus excommunicatus vitandus privatur usu jurisdictionis; hujusmodi autem actus procul dubio sunt jurisdictionis. Ita communiter cum Hurt., Pal., Bonac.

Hinc fit, ut excommunicato, verbi gratia, uno Canonico, cui simul cum aliis Canonicis competit jus eligendi, invalida sit electio ab illo facta cum aliis, quando votum illius excommunicati est necessarium ad numerum sufficientem suffragiorum ad electionem requisitorum; quia talis suffragii nulla ratio habenda est, perinde ac si non interfuisset Canonicus excommunicatus, & soli non excommunicati legitime elegissent: At si eo præciso adhuc habetur sufficiens numerus suffragiorum ad electionem, Electio est valida, ex *Regul.* 35. *juris in 6. Utile non debet per inutile vitiari*. Ita Suar. disp. 14. sect. 2., Con. dub. 10., Pal.. Sola tamen electio Pontificis est valida, etiamsi fiat a Cardinalibus excommunicatis, ex *Clement. Ne Romani, de election. in 6.* Idque ob gravissima inconvenientia, quæ sequerentur, si liceret electionem Papæ per oppositam Eligentium excommnicationem elidere, ut ponderat Suar.

Doctrinam hanc circa electionem putant aliqui cum Bonac. punct. 5. militare non solum in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, sed etiam ad laicalem; Necnon in præsentatione jurispatronatus Ecclesiastici, quæ vim habet electionis, ut mox dicemus; Et multi etiam illam extendunt ad præsentationem factam a laico, vel a Clerico ratione sui patrimonii; quamvis hoc communius negetur apud eundem Bonac.

VI. Quæritur tertio; An sicut electio, & collatio beneficii, ita pariter præsentatio facta ab excommunicato vitando sit invalida?

Respondeo, præsentationem aliam dici Ecclesiasticam, aliam laicam. Ecclesiastica fit a Clerico ratione alicujus jurispatronatus Ecclesiastici. Laica fit a laico, vel etiam a Clerico ex titulo patrimonii, aut jurispatronatus laicalis. Præterea per præsentationem præsentatus acquirit jus, ut beneficium sibi conferatur, si sit dignus; unde collator invalide illud conferret alteri non præsentato sine consensu Patroni; quia hoc fieret cum injuria talis Patroni.

His explicatis, Dico primo; Præsentatio Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida, nullum tribuens præsentato jus ad beneficium. Ita communiter cum Suar. loc. citat., Con., Pal., Filliuc. Ratio est, quia præsentatio Ecclesiastica de se confert jus ad beneficium; nullus autem excommunicatus vitandus potest conferre valide jus ad beneficium; cum talis collatio juris sit usus jurisdictionis.

Dico secundo; Præsentatio laica facta ab excommunicato vitando non est invalida; unde potest ejus intuitu valide conferri beneficium præsentato. Ita idem Pal., & alii. Ratio est, quia per præsentationem laicam non acquiritur a præsentato jus firmum ad beneficium, cum laicus non possit conferre jus ad beneficium; & ideo Patronus mutare potest, donec facta sit institutio, ut habetur in cap. *Cum autem, de jure patronat.* Ubi e contra præsentatio Ecclesiastica facta a clerico qua tali mutari non potest, eo quod per illam acquiratur jus firmum ad beneficium. Hinc est, quod præsentatio Ecclesiastica non differt substantialiter ab Electione: & consequenter utraque est invalida, si sit ab excommunicato vitando, cum utraque jus conferat ad beneficium. E contra præsentatio laica, sive hæc a laico fiat, sive a Clerico, juxta ea, quæ explicavimus.

Dico tertio; Quamvis præsentatio laica facta ab excommunicato sit valida, potest tamen ab institutore, seu ab Episcopo repelli. Ratio est, quia quamvis possit Episcopus valide illam admittere, & præsentatum in beneficio institue re, non tamen tenetur; cum non teneatur communicare cum præsentante excommunicato; Immo cum excommunicato vitando tenetur non communicare, ac proinde tenetur potius Laici præsentationem repellere, ut docent Garz., Suar., Hurt., Pal. disp. 2. punct. 13.; Nisi forte aliud exigat utilitas Ecclesiæ, sine cujus notabili detrimento beneficium diutius vacare non posset; tunc enim posset Episcopus sine peccato præsentationem admittere.

VII. Dico ultimo; Quamvis præsentatio Ecclesiastica facta a clerico excommunicato vitando sit invalida, potest tamen Episcopus valide præsentatum in beneficio instituere. Ita Con. dub. 10. cum Suar. Ratio est, quia nullo jure talis institutio irritatur: Quamvis enim præsentatio illa non tribuat ullum jus præsentato, valet tamen ad hoc, ut collatio fiat consentiente patrono, & consequenter non sit illi injuriosa; Peccat tamen Episcopus saltem venialiter ex Suar. acceptando talem præsentationem; quia non potest cum excommunicato vitando communicare, nisi utilitas Ecclesiæ id postulet, ut diximus.

VIII. Quæritur quarto; An Institutio, & con-

concessio possessionis facta ab Episcopo excommunicato vitando sit valida?

Respondeo circa Institutionem, non esse validam, ex cap. *Conquirente*, *de Officio Ordinarii* apud Henr. Ratio est, quia Institutio æquivalet collationi beneficii, unde requirit jurisdictionem, qua omnino privatus est Episcopus excommunicatus vitandus. Circa concessionem vero possessionis distinguendum est: siquidem si judex Ecclesiasticus excommunicatus vitandus utatur sua jurisdictione ad intromittendum aliquem in possessionem sui beneficii, procul dubio talis concessio, seu intromissio est nulla; cum excommunicatus vitandus privetur Ecclesiastica jurisdictione: Si vero sine usu jurisdictionis fiat talis concessio, ut plerumque accidit; quamvis sit illicita, utpote ferens communicationem prohibitam cum tali excommunicato; non est tamen invalida; etenim per talem concessionem non confertur ullum jus, sed solum possessori datur, quod suum est.

IX. Quæritur quinto; An Postulatio facta ab excommunicato sit invalida, sicut etiam nominatio?

Respondeo explicando prius terminos. Postulatio est concors Capituli facta petitio ejus, qui eligi non potest in Prælatum, ut in impedimento a Superiore dispensetur, puta in ætate, in natalibus, &c. Dividitur Postulatio in solemnem, & simplicem; Solemnis est, quæ fit a duabus saltem partibus Capituli apud Prælatum, & tribuit Postulato jus, non secus ac electio, & confirmatio: Contra vero Postulatio simplex. Hoc posito, respondeo cum Suar. disp. 14. sect. 2., Postulationem solemnem factam ab excommunicato vitando esse invalidam, non vero simplicem; & idem dicendum de Nominatione, quæ pariter in solemnem, & simplicem dividitur. Ratio doctrinæ constat ex dictis; siquidem sola Postulatio, & Nominatio solemnis conferunt jus, atque adeo requirunt jurisdictionem, qua caret excommunicatus vitandus; utraque tamen tam postulatio, quam nominatio, a tali excommunicato facta repelli potest ob rationes supra dictas, quia scilicet Episcopus non tenetur communicare cum excommunicatis; qnamvis si ea acceptet, valide acceptet. Ita Suar.

X. Quæritur ultimo; An Resignatio beneficii facta ab excommunicato vitando sit valida?

Respondeo, dupliciter posse beneficium resignari in manibus Prælati. Primo simpliciter, hoc est ita ut Prælatus possit libere illud conferre, cui maluerit. Secundo in favorem tertii. Primam resignationem esse validam, si fiat ab excommunicato vitando, certum est apud Doctores; siquidem talis resignatio est pura cessio beneficii, quæ & excommunicato expedit, & Ecclesiæ. De secunda resignatione dubium est. Putant esse pariter validam Bonac. punct. 5., Pal. punct. 13.; quia per talem resignationem nullum jus confertur resignatario; etenim jus in beneficium totum manet penes resignantem, donec resignatarius provisus sit a Pontifice. Negant tamen esse validam Covar., Filliuc., Suar. disp. 14. sect. 2., eo quod resignans concurrat hoc modo ad collationem beneficii, designando personam, cui conferatur, & participando quandam rationem præsentationis. Accedit, quod excommunicatus privatur omni usu sui beneficii; atqui resignatio est aliquis usus beneficii: ergo invalide illud resignat: Si tamen esset excommunicatus toleratus, valide illud resignaret, ob rationes supra dictas ex Suar.

ARTICULUS VII.

De reliquis Effectibus Excommunicationis.

I. Privatur etiam excommunicatus non solum civili communicatione, sed etiam forensi.

II. Ecclesiastici Judicis excommunicati acta sunt invalida. Num etiam Judicis sæcularis.

III. Similiter acta Arbitri constituti ad formam Judicis; non vero si tanquam vir prudens de consensu partium constituatur.

IV. Quandonam excommunicatus possit esse Actor in judicio? Solum privatim potest a suo debitore petere, quod sibi debetur.

V. Si in judicio sit reus involuntarius, potest semetipsum defendere tam per Procuratorem quam per seipsum.

VI. Tabellionis excommunicati acta valent, & fidem faciunt, nisi a partibus ille excipiatur.

VII. Testimonium Excommunicati quando sit validum?

VIII. Advocatus, & Procurator, si sint vitandi, a judice repellendi sunt; Si vero sint tolerati, possent munus suum exercere, si a partibus invitentur, & a Judice non repellantur.

IX. Graviter peccat qui ad dignitatem aliquam, quamvis jurisdictione carentem, promovet excommunicatum, etiam toleratum. Invalide autem hic promovetur ad dignitatem Ecclesiasticam, cui sit annexa jurisdictio, & probabiliter etiam ad secularem.

X. Acta Tutoris, & Curatoris excommunicati vitandi num sint invalida?

XI. Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi.

XII. Quænam rescripta sunt irrita, si cedant in favorem excommunicati?

I. Reliqui excommunicationis effectus reducuntur ad privationem communicationis Forensis, Civilis, & Politicæ, necnon ad annullationem rescriptorum. Circa communicationem

nem Civilem prohibitam excommunicato abunde diximus art. 2. ostendendo in quibusnam excommunicati sint vitandi, & quando liceat cum iis communicare.

Agendum nunc de communicatione forensi, ac de reliquis breviter. Et quoniam in foro judiciali concurrunt Judex, Actor, Reus, Notarius, Tabellio, Testis, Advocatus, & Procurator, de singulis inquirendum, an licite ea munia obeat excommunicatus? Deinde an valide ad officia, & ministeria publica Judicis, Gubernatoris, Principis, Prætoris, Curatoris, Tutoris, &c. assumatur; Tum an validi sint ejus contractus? Ac demum quænam rescripta in ejus favorem sint irrita?

II. Quæritur itaque primo; An acta Judicis excommunicati vitandi sint valida? Quod etiam quæritur de Actis Arbitri.

Respondeo negative. Ita Con. dub. 2. cum communi. Et quidem de Judice Ecclesiastico certum est ex cap. *Tantum*, *de Sententia*, *& re judicata*; siquidem privatur Judex Ecclesiasticus omni usu jurisdictionis. De Judice Sæculari dubium est, an privetur statim usu jurisdictionis, & an ejus acta sint invalida? Victor. docet, tunc privari, cum per annum in excommunicatione insorduerit. Communis tamen sententia tenet, etiam Judicem sæcularem vitandum privari statim usu jurisdictionis, ejusque acta esse invalida, etiamsi pars non excipiat. Probatur a Pal. punct. 14. tum ex communi sententia Doctorum; tum ex praxi, qua tam acta per Judicem Ecclesiasticum, quam per sæcularem vitandum annullantur. Quamvis enim jura tantum loquantur de Judice Ecclesiastico; ex praxi tamen recepta extenditur etiam ad Sæcularem.

III. Quæ diximus de actis Judicis, dicas de actis Arbitri constituti ad formam Judicis, ex *leg. 1. ff. de Arbitris*; talis enim Arbiter censetur Judex cum vera jurisdictione; unde pariter ejus acta invalida sunt: Secus vero dicendum de Arbitro, qui tanquam vir prudens de consensu partium sit constitutus. Ita Bona. punct. 7. ex Filliuc., & Suar.

IV. Quæritur secundo; An possit excommunicatus vitandus esse Actor in judicio?

Respondeo cum communi, non posse, nisi tantum in causa suæ excommunicationis, probando scilicet, se vel non esse excommunicatum, vel esse ab excommunicatione absolutum: In aliis autem causis omnino repellendus, ex cap. *Decernimus de sententia excommunicationis.* Quod si Judex sæcularis non eum repellat, potest ad id cogi a Judice Ecclesiastico, ad quem spectat efficere, ut leges Ecclesiasticæ in Sæculari judicio non violentur; ut notat Pal. hic. Quamdiu tamen non repellitur, acta valent, ex cap. *Pia*, *de Except. in 6.* Quod si post sententiam latam talis exceptio opponatur, impediet executionem, ut advertit Filliuc. cap. 7.

Hinc sequitur, quod si excommunicatus vitandus petat in judicio a suo debitore id, quod sibi debetur, omnino repellendus sit; ut notat Con. dub. 2. Potest solum illud privatim petere, & debitor tenetur solvere, cum excommunicatus vitandus non privetur dominio rerum suarum; & quamvis ad hoc requiratur aliqua communicatio, ea tamen propter necessitatem excusantem est licita, ut diximus art. 2. Si tamen excommunicatus sit toleratus, potest quidem a Judice repelli, si constat de excommunicatione, non tamen tenetur repellere, nisi debitor contra illum excipiat, & id infra octo dies probet.

Rogabis; An possit excommunicatus vitandus esse in judicio Actor, saltem per Procuratorem?

Respondeo negative; quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur; cum enim Procurator ageret nomine ipsius, consequenter ipse moraliter ageret.

V. Quæritur tertio; An possit excommunicatus vitandus esse in judicio Reus?

Respondeo, non posse esse reum voluntarium, seu reum, qui ex propria voluntate sistat se in judicio; nam sic compareret in proprium commodum, & favorem; ex Extravag. autem *Ad vitanda* nullus favor intelligitur factus excommunicato: Potest solum esse reus involuntarius, qui scilicet a parte, vel a Judice cogatur comparere; aliter ab excommunicatione commodum reportaret, ex cap. *Intelleximus*, *de judiciis*: Poterit tamen ad sui legitimam defensionem respondere objectis, testes, & instrumenta producere, Advocatum, Scribam, Procuratorem adhibere, & alia hujusmodi præstare; ut notat Con. loc. cit.: Quamvis enim aliqui cum Avil., & Hurt. putent, tantum per Procuratorem posse in judicio comparere ad se defendendum; probabilius tamen videtur, quod possit per seipsum immediate comparere, & respondere; ut probant Bonac., & Con.

VI. Quæritur quarto; An valeant acta Tabellionis excommunicati vitandi.

Respondeo, Avil., Henr., Hurt. disp. 8. diff. 5. putare, quod non valeant; sicuti non valent acta Judicis Sæcularis. Verum Con. dub. 2., Pal. & Bonac. putant valere, & facere fidem, nisi a partibus excipiantur; tum quia nullo jure Tabellionis acta irritantur; tum etiam quia Tabellio non habet jurisdictionem, sicut Judex; unde nihil mirum, quod acta Judicis sint invalida, non Tabellionis. Addunt Doctores citati, quod partes in foro conscientiæ non possint excipere contra talem Tabellionem, si consciæ excommunicationis illum ad scripturas conficien

ficiendas requisierunt: Si tamen Tabellio sit excommunicatus toleratus, quamvis peccet, etiam mortaliter, ut putat Escob.; si se ingerat, eo quod semper possit opponi exceptio ex capite excommunicationis, poterit tamen licite ad petitionem partium scripturas, & instrumenta conficere, dummodo hujusmodi scripturæ ad sui valorem non necessario exigant opus Tabellionis, sed solum illo indigeant, ut per has probari possit conventio partium, ut notat Con. loc. cit., & Pal., nam scriptura, quæ ad valorem actus exigit esse a Tabellione, (ut est testamentum, sententia definitiva Judicis, & alia hujusmodi) non valet, si a Tabellione excommunicato etiam tolerato fiat; cum semper etiam opponi possit exceptio ex capite excommunicationis.

VII. Quæritur quinto; An possit excommunicatus esse in judicio Testis?

Respondeo, in causa fidei esse & validum, & licitum testimonium excommunicati, etiam vitandi, ex cap. *In fidei favorem*, *de hæreticis.* In aliis vero causis testimonium tolerati est pariter validum, & licitum, si a partibus requiratur, & admittatur a Judice: quia permissum est fidelibus communicare cum ejusmodi excommunicatis in proprium commodum; poterit tamen & a Judice, & a partibus repelli; quia quamvis possint, non tenentur cum illo communicare.

Demum testimonium excommunicati vitandi illicitum est, ex cap. *Veniens* 2. *de testibus*. Est tamen validum, nisi excipiatur, siquidem nullo jure invalidatur, ut docent Sayr., Con. Bonac. contra Hurt. disp. 8. diff. 6., & Vasq., qui putant esse invalidum, eo quod non sit fides illi necessario adhibenda, in quo consistit valor testimonii. Ad quod tamen Con., & Bonac. respondent, fidem illi adhibendam, nisi excipiatur, & sic nisi excipiatur, est validum.

VIII. Quæritur sexto; An possit excommunicatus esse in judicio Advocatus, & Procurator?

Respondeo, Advocatum, (& eadem est ratio de Procuratore) si sit toleratus, debere ab advocando abstinere, quia tenetur non communicare cum fidelibus; poterit tamen ab iis invitatus, & a Judice non repulsus officium suum exercere in favorem fidelium. Si tamen sit vitandus, repellendus est tam a Judice, quam a partibus, ut communiter docent cum Pal. punct. 14. Quod si non repellatur, acta ejus valent; quia nullo jure inveniuntur irrita, adeoque potest pro iis licite stipendium accipere, donec repellatur, aut excipiatur.

IX. Quæritur septimo circa communicationem politicam; An excommunicatus possit eligi in Judicem, aut in aliud officium, & ministerium publicum, aut dignitatem assumi, puta in dignitatem Episcopi, Principis, Pastoris, aut in munus Curatoris, Tutoris, Procuratoris, Tabellionis, &c.?

Respondeo, ad dignitatem, & munus, quæ non ferunt annexam jurisdictionem neque Ecclesiasticam, neque temporalem, verbi gratia, ad gradum Doctoratus, ad munus Tabellionis, Procuratoris, Tutoris, etiam excommunicatum vitandum posse valide assumi; cum nullo jure ea irritentur: illicite tamen assumeretur non solum excommunicatus vitandus, cum quo non licet communicare, sed etiam toleratus, quia iis dignus est; & quia indecens est in dignitate, & publico ministerio constitui alienum a communione fidelium: Unde Con. dub. 2. putat esse id grave peccatum, nisi excusaret necessitas, aut magna utilitas Reipublicæ, quæ speraretur: Præsertim quia ejus acta sunt invalida, si excipiatur, ut diximus. Ad dignitatem vero Ecclesiasticam habentem jurisdictionem, puta ad Episcopatum, invalide eligitur excommunicatus, ex cap. *Venerabilem*, *de election.* Dubium tamen est inter Doctores, An invalide etiam assumatur ad dignitatem sæcularem, quæ fert secum jurisdictionem, puta ad dignitatem Judicis, Prætoris, Principis?

Docent, invalide assumi ad quodcumque officium habens jurisdictionem excommunicatum, etiamsi toleratum, Bonac. punct. 4. Avil. Ugolin. Reginald. Con. Sayr.: At Suar. disp. 16. Filliuc. & alii docent, invalide tantum assumi ad officium habens jurisdictionem Ecclesiasticam, non vero sæcularem. Ratio Bonac. est, quia prohibito uno, prohibitum pariter censetur id, per quod ad illud pervenitur, ex leg. *Oratio ff. de Sponsalibus*: atqui excommunicato prohibitum est actus dignitatis etiam sæcularis exercere; ergo prohibitum videtur ad dignitatem illam pervenire, per quam ad actus prohibitos posset descendere; Quod etiam insinuatur in cap. *Venerabilem*, *de election.* Suar. vero suam sententiam probat, quia nullus textus irritat ipso facto collationem dignitatis, cui est annexa jurisdictio sæcularis, factam excommunicato; Immo experientia constat aliquam hujusmodi dignitatem acquiri ab excommunicato jure hæreditatis, & successionis, ut est Principatus; siquidem excommunicatio non privat jure successionis: ergo si potest excommunicatus in tali dignitate succedere, poterit pariter ad illam valide eligi; quamvis illicite eligeretur, ex *cap. ultimo*, *de Clerico excommunicato ministrante*; quia dignitas illicite confertur ei, cui actiones talis dignitatis sunt prohibitæ. Utraque sententia est probabilis, sed probabilior videtur sententia Suar. quia in Cap. *Venerabilem* cit. solum dignitas Ecclesiastica habens jurisdictionem videtur irrita-

irritari; Quamvis nemo neget, posse a Pontifice sciente excommunicationem Titii valide illi Episcopatum, verbi gratia, conferri; Nec ullus neget, quod possit jure hæreditario acquiri ab excommunicato Officium sæculare habens annexam jurisdictionem, puta Principatum; esto non possit licite tales actus exercere.

X. Dubium hic est; An acta Tutoris excommunicati vitandi sint invalida? Nonnulli docent esse invalida; quia tutela est officium auctoritate publicum: acta autem ratione publici officii ab excommunicato vitando sunt invalida. Alii vero cum Filliuc. cap. 7. docent, esse valida, donec repellantur, ut diximus de actis Tabellionis. Et ratio est, quia acta ratione publici officii tunc sunt invalida, quoties officium non solum auctoritate, sed etiam utilitate est publicum; Officium autem Tutoris licet sit publicum auctoritate, at non utilitate; cum solum pupillis sit utile; & idem dicendum de Curatore, Procuratore, &c.

XI. Quæritur octavo; An contractus venditionis, emptionis, locationis, qui fiunt ab excommunicato vitando, sint validi?

Respondeo cum Suar. disp. 15. sect. 8. Sayr. & aliis, contractus celebratos ab excommunicato vitando ratione publici officii, puta a Prælato (immo etiam a Tutore, aut Curatore, juxta multorum sententiam contra Filliuc.) esse invalidos. Ratio est, quia talis excommunicatus est suspensus ab officio, & beneficio, & consequenter caret jurisdictione; ergo contractus ab eo celebrati, tanquam a non habente jurisdictionem, sunt invalidi.

Confirmatur, quia excommunicatus vitandus privatur omni actu legitimo; ergo etiam legitimo contractu. Quod si contractus non sint celebrati ratione officii publici, sed privati, cum nullo jure irritentur, sunt validi. Et ideo contractus Matrimonii est validus; necnon Professio religiosa, ac donatio; & idem dicas de aliis contractibus.

XII. Quæritur demum; Quænam Rescripta annullet excommunicatio?

Respondeo cum Bonac. Pal. punct. 12. contra Navar. irrita solum esse rescripta Pontificia, & processus virtute illorum habitos, excepto casu excommunicationis, & appellationis. Ratio est, quia solum de rescriptis Pontificiis est sermo in can. 1. *de rescript.* ut notat Suar. disp. 12. Quare non irritantur rescripta Imperatoria, ac Regia, nec licentiæ aliorum Superiorum, puta licentia egrediendi domo, quam habet Monachus a suo Abbate; Etenim facultates istæ proprie loquendo non dicuntur rescripta. Annullantur autem rescripta etiam pro excommunicatis toleratis, ut communiter docent contra Archidiac. quia per Extravag. *Ad vitanda* nullus favor factus est excommunicato tolerato.

Notat tamen hic Con. dub. 10. num. 87. cum Bonac. hunc effectum excommunicationis hoc tempore non magni pendi; quia in literis Apostolicis, quæ obtinentur, includi solet absolutio ab omnibus censuris ad hunc effectum, ut Rescripta, Privilegia, & Gratiæ Apostolicæ valeant, excepto casu excommunicationis ob hæresim, vel quod quis per annum in excommunicatione insorduerit, unde suspicionem hæresis incurrat.

QUÆSTIO V.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

Descendimus nunc ad excommunicationes majores in particulari. Quoniam autem de iis abunde agunt Summistæ, agemus dumtaxat de prima ex iis, quæ in Bulla Cœnæ reservantur; deinde perstringemus reliquas brevissime. Agemus pariter de Excommunicatione ob percussionem Clerici, ac de alia ob duellum, quæ uberem pro reliquis doctrinam subministrabunt: De excommunicatione autem, quæ fertur contra non denunciantes, quæ pariter obvia est, abunde diximus quæst. 3. art. 5.

ARTICULUS I.

De prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ.

I. Ad quinque capita reducuntur viginti illæ excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ feruntur, videlicet Ad fidem, ad Ecclesiam, ad Ecclesiæ hierarchiam, ad Sedem Apostolicam, ad Ecclesiæ caput; Verius illæ dicuntur latæ ab homine, quam a jure.

II. Prima Excommunicatio tangit decem genera Personarum in ordine ad hæreticos, & ad hæreticorum libros.

III. Hæresis fert tum errorem in intellectu, tum etiam pertinaciam in voluntate. Etiam dubius in fide est Infidelis.

IV. Non incurritur hæc censura per hæresim mere internam, sed per externam, etiamsi occultissimam, & etiamsi verbis ambiguis hæresim exprimeret.

V. Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere?

VI. Schismatici in quo differant ab hæreticis?

VII. Credentes hæreticorum dicuntur, qui illorum hæreses credunt; Receptatores, qui qua tales rece-

receptant, & occultans: Fautores, qui commissione, vel omissione in causa hæresis iis favent: Defensores, qui qua tales illos tuentur, etiamsi defendant ex motivo amicitiæ.

VIII. *In Bulla Cœnæ solum excommunicantur legentes, retinentes, imprimentes, ac defendentes libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Relate ad alios libros Hæreticorum, aut ob hæresis suspicionem damnatos excommunicatio quidem incurritur, sed non reservata; Qui vero alios libros prohibitos legis, peccat graviter, sed nullam censuram incurrit.*

IX. *Quid si quis legat vetitos libros, quin illos intelligat? Quid si paginam dumtaxat eorum legat? Quid si quis audiat legentem illos? Quid si quis non tradat tales libros Inquisitoribus, sed eos comburat?*

X. *Quinam possit facultatem dare legendi libros vetitos?*

I. IN Bulla Cœnæ viginti excommunicationes latæ sententiæ fulminantur, quæ, ut observat Filliuc. ad quinque capita reducuntur; Primo ad fidem catholicam; Secundo ad Ecclesiam christianam; Tertio ad ecclesiasticam hierarchiam; Quarto ad Sedem Apostolicam; Quinto ad Ecclesiæ Caput. Communiter Doctores docent, Bullam hanc incepisse tempore Martini V. quando viguerunt hæreses Bohemorum anno 1420. Ejus meminit Sixtus IV. in Extravag. *Etsi Dominici gregis*, & illam auxit Leo X. contra Lutherum, necnon Paul. III. & alii. Dubitatur, Num ejus excommunicationes dicendæ sint ab homine, an a jure? Communius censent cum Paludan. contra Sylvest. esse ab homine; Tum quia idcirco Sede vacante perdurant, quia jussu Pii V. declaratur in ipsa Bulla eas durare quousque alii hujusmodi processus, seu alia Bulla promulgatur; Sicut autem ante Pium V. mortuo Pontifice cessabant, ita nunc statim cessarent, nisi id declararetur: Tum etiam quia illæ statim cessant, quando alia Bulla promulgatur, etiamsi non revocentur.

II. Primo itaque excommunicatio fulminatur contra decem genera Personarum, videlicet contra Hæreticos, Schismaticos, Hæreticorum credentes, Fautores, Receptatores, Defensores, Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes quomodolibet scienter legentes, Domi retinentes, Imprimentes, ac Defendentes quocumque ingenio, colore, causa publice, vel occulte.

III. Quæres autem primo; Quinam dicatur Hæreticus?

Respondeo cum Bellarm. aliisque communiter hæreticum esse, qui errorem aliquem habet contra fidem cum pertinacia; necnon qui cum pertinacia dubitat de aliquo articulo fidei. Nam *ex cap.* 1. *de hæret.* Dubius in fide est infidelis. Dicitur autem pertinax, qui aut aliquid tenet, aut de aliquo dubitat contra religionem, ac fidem catholicam animo deliberato, seu ut explicat Busemb. postquam contrarium est sufficienter propositum, & scit teneri ab universali Ecclesia, cui non vult suum judicium submittere; tunc enim putat, judicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum credendi, in quo consistit vera pertinacia.

Notandum tamen primo, Apostatam a fide, seu qui ad Judaismum, seu Paganismum transiret, esse pariter hæreticum, quia retineret characterem baptismalem; & propterea subjectus esset jurisdictioni Ecclesiæ, & hanc excommunicationem incurreret.

IV. Notandum secundo, quod qui tantum interius est hæreticus, nec signo ullo externo manifestat errorem, aut dubium, quod pertinaciter habet, excommunicationem non incurrat; quia Ecclesia non punit suis censuris actus mere internos, ut diximus in de censuris in genere; secus tamen si signo externo occultissimo hæresim manifestaret.

Dubium est; An qui verbis ambiguis, & æquivocis manifestaret hæresim, excommunicationem incurreret?

Affirmat Bonac. ex Suar. disp. 4. & aliis; quia per verba sufficienter exprimentia internam hæresim manifestat hæresim suam.

V. Quæres secundo; Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere ex vi facultatis a Trident. illis concessæ sess. 24. cap. 6.

Respondeo probabilius esse quod non possint. Etenim ex tertia thesi ab Alex. VII. damnata videtur non obscure colligi, Episcopos vi hujus Bullæ non habere amplius facultatem ipsis a Tridentino concessam absolvendi ab hæresi, atque aliis criminibus in ea Bulla contentis, quando sunt occulta. Scio nonnullos Doctores apud Bonac. de legibus disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. docuisse universim decreto Trident. nunquam censeri derogatum, nisi quando expressa ejusdem Concilii, vel saltem Conciliorum Generalium fit mentio; præsertim quia Gloss. in *leg.* 2. §. *legati ff. de re vindicata* ait, Clausulam generalem privilegiorum non se extendere ad privilegia inserta in corpore juris. Verum Recentiores communius docent, decretis Trident. sufficienter censeri derogatum per clausulam illam generalem, Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, & quibusvis Concilii decretis, quod in Bulla Cœnæ habetur. Sed hac de re fusius diximus in Trutina exponendo thesim commemoratam.

VI. Quæres tertio; Quinam dicantur Schismatici?

Respondeo, cum Schisma idem sit, ac divisio, Schismatici dicuntur, qui divisi sunt a Pontifice per inobedientiam rebellem, ac pertinacem: Ubi adverte, quod si non recognoscant ipsum pro Capite Ecclesiæ habente plenam potestatem, sunt Schismatici simul, & hæretici; Si vero ipsum ut Ecclesiæ caput recognoscant, sed pertinaciter illi inobediant, sunt pure Schismatici, hoc est membra a suo capite separata; & hac excommunicatione feriuntur, ut videre est apud Bellarm. & Navar. cap. 27. num. 57. Dicuntur autem pertinaciter inobedire, qui scientes hoc, vel illud esse mandatum Pontificis, nolunt tamen illi obedire, non quia præceptum est difficile, sed quia volunt se omnino subtrahere ab obedientia Papæ, quamvis illum vere caput Ecclesiæ cognoscant; debet tamen tale Schisma verbis, vel factis exterius manifestari.

VII. Quæres quarto; Quinam dicantur credentes hæreticorum, receptatores, fautores, & defensores?

Respondeo; dicuntur primo Credentes hæreticorum ex Bellarm. qui quamvis non habeant expresse, habent tamen implicite errores hæreticorum, & exterius eos profitentur: Verbi gratia, qui diceret, Credo quod credit Calvinus, vel qui diceret, Calvinus fuit vir bonus, & injuste ab Ecclesia damnatus: Sicut enim multi rustici dicuntur Credentes Ecclesiæ Catholicæ, quia dicunt se credere, quod credit Ecclesia; ita qui dicit se credere quod credunt hæretici, dicitur credens hæreticorum, quamvis ad particulares articulos non descendat.

Secundo dicuntur Receptatores hæreticorum, qui receptant, vel occultant hæreticos, (etiamsi semel id faciant) non hospitii gratia, sed ne in manus Judicum veniant, & ut pœnas in hæreticos latas devitent; unde ex Bellarm. qui hæreticum recipit, & occultat, ne occidatur a latrone, immo ne capiatur a judice ob causam homicidii, vel alterius criminis ab hæresi, hanc excommunicationem non incurrit.

Tertio dicuntur fautores, qui vel omissione, vel commissione favent hæreticis in causa hæresis. Favent quidem omissione, qui omittunt facere, quod tenentur; Verbi gratia, si ii, ad quos ex officio pertinet, non inquirant, non incarcerent, non puniant. Favent commissione, qui in ordine ad hæresim verbis, aut scriptis, aut factis favent illis; ut si quis dicat, Isti hæretici non sunt bene damnati; vel si quis det consilium, aut præstet opem, ut fugiant.

Quarto dicuntur Defensores, qui suis viribus, ac potentia efficiunt, ne hæretici in manus Judicum veniant, aut ne puniantur, ne excommunicentur nominatim, &c. immo qui patrocinium iis in causa hæresis præstaret advocando pro illis; necnon Notarius, qui scienter pro iis suum ministerium præberet. Ita Bellarm.

Quid si hæreticum receptes, faveas, defendas, non quia est hæreticus, sed quia amicus, consanguineus, &c.?

Respondeo, si id facias in causa hæresis, procul dubio excommunicationem incurres; nam non requiritur, ut ea facias ex eo motivo, quia hæreticus est, sed satis est, quod ea facias in causa hæresis, etiamsi ex motivo amicitiæ. Debet tamen effectus sequi, ut incurratur excommunicatio. Quare si Titius occultet hæreticum, ne incarceretur, & tamen deinde incarceretur, non incurrit Titius excommunicationem ex Bonac. quia effectus non est secutus, sicut mandans percussionem Clerici excommunicationem non incurrit, si percussio non sequatur.

VIII. Quæritur quinto; Quinam hæreticorum libri per Bullam Cœnæ prohibentur legi, retineri, imprimi, defendi?

Respondeo, Libros duntaxat hæreticorum, qui vel hæresim contineant, vel de religione tractent, ad casum hujus Bullæ pertinere. Dicuntur autem de religione tractare, qui ex professo, & non obiter tractant de re sacra, Verbi gratia, de Sacra Scriptura, de Articulis fidei, de rebus ad cultum Dei, & Sanctorum spectantibus. Quare qui alios hæreticorum legit, aut retinet, non incurrit excommunicationem in Bullæ Cœnæ reservatam. Quamvis excommunicationem non reservatam incurrat; non secus ac qui legit, aut retinet libros cujusvis alterius auctoris non hæretici damnatos, atque prohibitos ob suspicionem hæresis, aut falsi dogmatis; ut habetur in Regul. 10. Indicis librorum prohibitorum. Quod si libri non sint pohibiti ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed ex alio titulo, nulla incurritur excommunicatio ab eo, qui eos legit, vel retinet, modo non sint libri hæreticorum. Et ratio est, quia excommunicatio non incurritur, nisi sit in jure expressa; exprimitur tamen a Sixto V. quod sub excommunicatione reservata prohibeantur libri Astrologiæ judiciariæ.

Ex dictis sequitur primo, Excommunicationem nulli reservatam incurrere illos, qui legunt, aut retinent libros, & scripta necromantiæ, seu continentia divinationes, sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, & incantationes artis magicæ, quibus traditur modus recedendi a fide catholica, adorandi dæmones, & similia contraria fidei; quia tales libri in Regula 9. Indicis prohibentur ob hæresim, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem. Quod si hujusmodi libri sint hæreticorum, (ut communiter sunt Auctores necromantiæ) excommunicatio, quæ incurritur a legentibus, aut retinentibus, est reservata in Bulla Cœnæ, quia sunt libri hæreticorum hæresim continentes.

Sequi-

Sequitur secundo, quod qui legit libros catholicorum vetitos, eo quod excitent ad veneream delectationem, peccet quidem graviter, sed nullam excommunicationem incurrat; quia non legit libros hæreticorum, nec prohibitos ob hæresim, aut falsi dogmatis suspensionem, sed prohibitos ob periculum succumbendi venereæ voluptati.

Sequitur tertio, quod legens Scholia, & Additiones hæreticorum, quæ continentur in libris catholicorum, incurrit excommunicationem nulli reservatam; quia legit libros damnatos ob hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem, ut dicitur in Regula 10. Indicis. Quod si hujusmodi scholia sint adeo copiosa, ut superent ipsum textum, Suar. apud Bonac. hic putat, legentem incurrere in excommunicationem in Bulla Cœnæ; quia talis liber potius est hæretici commentantis, quam Catholici; quod tamen negat Bonac.; non enim Summa, verbi gratia, D. Th., dicitur esse liber Cajetani, quamvis annotationes Cajetani superent textum D. Th.

IX. Dubium est hic primo; An excommunicationem dictam incurrat, qui legit non intelligendo ea, quæ legit, ut legit imperitus talis linguæ. Et idem quæritur de retinente libros, quos intelligere non potest, ut sunt vendentes thus, & odores, & quicquid chartis amicitur inunctis.

Respondet affirmative Bonac. hic; cum enim hæresis facile serpat; merito prohibetur etiam lectio materialis: quæ potest nocere audientibus, necnon qualiscumque retentio talium librorum, cum possit aliis pariter nocere. Sanch. tamen lib. 2. cap. 10. num. 51. verius cessante omni periculo excusat, non quia cessat finis, sed quia talis casus lege non comprehenditur.

Dubium est secundo; An in lectione, & retentione talium librorum detur parvitas materiæ?

Respondeo, Tolet., & alios apud Bonac. negare; quia etiam per lectionem unius, aut alterius lineæ potest error hauriri. Communior tamen sententia affirmat; quia nulla est ratio, quare sicut in aliis materiis, ita in hac non detur materiæ parvitas; quamvis enim aliquando possit hæresis in una, vel altera linea contineri; at hoc raro accidit; leges autem, præsertim pęnales, spectare debent, quod plerumque, & regulariter, non quod aliquando accidit. Quare Reginal. excusat, qui tres, vel quatuor lineas legit, etiamsi contineant hæresim., quia non statim ac propositionem hæreticalem quis legit, exponit se periculo imbibendi illam, nisi etiam fundamenta, & rationes percurrat. Sayr. excusat legentem decem lineas, & Sanch. cap. 10. legentem integram paginam: Quamvis Dian. in Sum. V. *Hæreticorum libri*, sententiam hanc putet parum probabilem; siquidem Sa idem docens expurgatus fuit; Quoad retentionem, Sanch. putat contra Suar., moram duorum dierum esse levem: Quamvis autem aliquis retineret librum prohibitum per levem moram animo retinendi diutius, non idcirco excommunicationem incurreret, licet graviter peccaret; quia, ut alias diximus, opus externum de se debet esse grave, ut censura incurratur.

Dubium est tertio; An excommunicationem incurrat audiens legentem hujusmodi libros, vel mandans, aut consulens talem lectionem?

Respondeo, universim censuram latam in facientes non incurri a mandantibus, & consulentibus, nisi exprimantur. Quare si Titius mandet Cajo, ut legat libros prohibitos, Titius non incurrit excommunicationem. Quod si Titius mandet Cajo, ut sibi audienti legat, communior sententia cum Laym., Azor., & aliis docet, excommunicationem a Titio etiam incurri; tum quia legens per alium moraliter ipse legit, ex *Regula illa juris in 6. Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur*; tum etiam quia esset quasi frustranea lex non legendi tales libros, si non prohiberet lectionem etiam per alios factam. Multi tamen probabiliter docent, quod neque in tali casu Titius excommunicationem incurreret; tum quia universim censura lata in facientes non incurritur a mandantibus; tum etiam quia lex sufficienter vitat lectionem librorum prohibitorum, dum solum prohibet, ne legantur: nam qui coram aliis legeret, vel non habet facultatem legendi, & sic ne incurrat excommunicationem, non legeret; vel habet facultatem, & consequenter, cum esset proinde vir prudens, non facile tales libros legeret coram audientibus non probis.

Dubium est quarto; An habens librum hæreticum possit illum comburere, an debeat Inquisitoribus tradere?

Respondeo, non solum prohiberi retentionem talis libri etiam apud alios tam nomine proprio, quam nomine alterius, sed etiam præcipi, quod tradatur Inquisitoribus in quodam motu Julii III. incipientis, *Cum meditatio*. Ita Sanch., Azor. Verum Filliuc., & alii apud Bonac. excusant eum, qui propria auctoritate combureret, aut traderet iis, qui facultatem habent legendi tales libros; Dato tamen, quod juxta priorem sententiam peccaret, certe excommunicationem non indireret, qui talem librum combureret.

X. Dubium est quinto; Quinam possit concedere facultatem legendi libros prohibitos?

Respondeo, libros prohibitos in Bulla Cœnæ legi non posse nisi de Pontificis facultate, ut constat ex ipsa Bulla; unde solum in casu magnæ necessitatis potest ab Episcopo, aut Inquisitore talis licentia concedi. Ex decreto tamen

Ur-

Urban. VIII., quod incipit, *Apostolatus*, præter Pontificem, potest etiam Congregatio Sancti Officii facultatem concedere legendi libros tam in Bulla Cœnæ, quam in Indice expurgatorio prohibitos. Ante tale decretum poterant Episcopi, Inquisitores, & Generales religionum suis subditis facultatem concedere legendi libros in Indice vetitos; Quod autem amplius nequeant etiam Privilegiarii hujusmodi facultatem suis subditis concedere, docent communius contra nonnullos ut diximus in Trutina exponentes thesim 45. ab Alex. VII. proscriptam.

ARTICULUS II.

Perstringuntur reliquæ excommunicationes in Bulla Cœnæ.

I. *Excommunicantur deinde Appellantes ad futurum Generale Concilium.*

II. *Pariter Piratæ deprædantes Christianos navigantes mare Ecclesiasticum.*

III. *Necnon surripientes bona naufragantium Christianorum, non tamen Hæreticorum.*

IV. *Item imponentes Pedagia, & Gabellas. Et quidem etiam Principes Supremi, si injuste illas imponant; possuntque ex multiplici capite injustitiam continere. Collectæ ab Universitatibus imponi possunt, non tamen a Principibus.*

V. *Falsarii etiam literarum Apostolicarum.*

VI. *Et qui arma, & alia hujusmodi deferunt ad Infideles in perniciem Catholicorum.*

VII. *Impedientes, ne victualia, & alia Romanæ Curiæ necessaria ad eam adducantur, idque sine causa legitima. Quid autem venit nomine Curiæ Romanæ?*

VIII. *Vexantes eos, qui ad Sedem Apostolicam ob causas ad illam pertinentes accedunt? & qui jurisdictionem sibi vindicant adversus commorantes in Romana Curia.*

IX. *Necnon vexantes Romipetas, qui ad Urbem principaliter causa devotionis accedunt.*

X. *Qui vexant Cardinales, Episcopos, Nuncios, &c. & qui Episcopos a suis Diœcesibus expellunt; necnon mandantes, ratum habentes, ac favorem, consilium, auxilium interponentes.*

XI *Molestantes, qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrunt.*

XII. *Pariter qui frivolam appellationem prætexendo, ab Ecclesiastica ad Curiam Sæcularem confugiunt, & literas Hortatorias, quæ potius sint comminatoriæ, procurant.*

XIII. *Qui prætextu exemptionum causas Spirituales, Beneficiales, decimarum, &c. a Judicibus Ecclesiasticis ad se evocant; sive etiam prætextu violentiæ prohibendæ.*

XIV. *Item qui ex prætenso officio Personas Ecclesiasticas ad sæculare Tribunal trahunt & libertati Ecclesiasticæ præjudicant.*

XV. *Et qui impediunt, ne Judices Ecclesiastici sua jurisdictione utantur sive directe, sive indirecte, carcerando consanguineos.*

XVI. *Similiter qui jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant, aut fructus pertinentes ad Ecclesiasticas personas ratione beneficiorum, aut Monasteriorum; aut si eos sequestrent.*

XVII. *Ac qui collectas imponunt; aut alia onera potestate laicali Ecclesiasticis sine licentia Pontificis; & qui a sponte dantibus sic imposita recipiunt; quin ex consuetudinibus excusentur.*

XVIII. *Quandonam Ecclesiastici in communibus necessitatibus tenentur ex justitia contribuere, & quomodo?*

XIX. *Judices, & alii, qui in causis Criminalibus adversus Ecclesiasticos procedunt.*

XX. *Et qui loca Pontifici subjecta invadunt, usurpant, detinent, atque eorum fautores, &c.*

I. Secunda excommunicatio comprehendit Appellantes ab ordinationibus Pontificis ad futurum Generale Concilium; necnon id consulentes, & auxilium præbentes. Qui enim appellat ad Concilium, censetur tollere a Papa privilegium illud a Christo Domino concessum, quod sit supra totam Ecclesiam; cum D. Petro dixerit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hinc damnata est ab Alex. VIII. propos. 29. dicens: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Additur in hac secunda excommunicatione Interdictum propter eandem causam pro Universitatibus, Collegiis, & Capitulis; nam Communitates interdici possunt, excommunicari non possunt, ut diximus qu. 1. art 3. Sed de hac inappellabilitate fuse diximus in proœmio tertiæ Editionis Trutinæ Antiquisnellianæ.

II. Tertio excommunicantur Piratæ, Cursarii, & latrunculi maritimi interficientes, mutilantes, deprædantes Christianos; qui mare Ecclesiasticum navigant, præcipue a Monte argentario ad Terracinam; necnon consulentes, & auxiliantes. Si quis tamen navim ipsorum Piratarum surripiat, excommunicationem non incurrit, quoties id non cedat in damnum aliorum fidelium, quia licita est deprædatio piratarum, ex cap. *Si quis* 23. *quæst.* 3.

III. Quarto excommunicantur surripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive ab iisdem ejecta, sive in litore inventa in quocumque mari. Requiritur tamen, ut acceptatio sit injusta, & ex certa scientia,

tia, quod ea bona sint naufragantium, & quod non occupentur animo ea conservandi, ac restituendi domino; ac demum requiritur, quod non præsumatur ex manifestis conjecturis, quod ea bona sint derelicta: Nomine autem Christianorum non veniunt hæretici, ut communiter Doctores docent; quia non est credibile, quod Papa per Bullam hanc voluerit favere hæreticis.

IV. Quinto excommunicantur, qui in terris suis sine ullo privilegio imponunt, vel augent pedagia, seu gabellas, necnon qui illas exigunt ut ministri, vel hæredes imponentis; Nomine autem Pedagii intelligitur tributum quoddam impositum ob transitum vel personarum, vel mercium per aliquem locum; sub quo nomine venit etiam Guidagium, quod est tributum pro custodia, & refectione viarum: Nomine vero Gabellæ venit tributum, quod exigitur pro delatione, translatione, venditione, & emptione mercium. Habent tamen privilegium ea imponendi, & augendi omnes supremi domini, qui in temporalibus superiorem non habent, ut Imperator, Reges, Respublica; non vero Marchiones, Principes, Comites, Duces, nisi de licentia Principis supremi. Adverte tamen, quod si supremi Principes injustas gabellas imponant; aut sine justa causa augeant, etiam excommunicationem hanc incurrant, ut docent Suar., Molin. contra Navar., & Tolet. Est autem Gabella de se injusta, Primo ratione personarum, quibus imponitur, ut si imponatur etiam a Clericis solvenda sine licentia Papæ. Secundo ratione materiæ, ut si imponatur rebus, quæ venduntur, & emuntur in propriam sustentationem. Tertio ex parte causæ, ut si non imponatur propter utilitatem publicam. Adverte demum ex Blundo, quod excommunicationem hanc etiam incurrant, qui imponunt collectas, talias, & alia onera præter pedagia, & gabellas; exceptis tamen universitatibus, & communitatibus; quia istæ quando collectas imponunt, libere sibi ipsis hæc imponunt onera, ut possint civium necessitatibus subvenire: Contra vero Principes illa imponunt civibus invitis, ad propriam utilitatem.

V. Sexto excommunicantur falsarii literarum Apostolicarum, sive falso eas fabricent, sive falsas signent sigillo vero; sive falsent illas immutando earum characteres, aut punctum aliquod; (quamvis aliquando ex levitate materiæ possit hæc actio esse peccatum veniale, ex quo excommmunicatio non incurritur) Qui tamen falsis literis Apostolicis utitur, excommunicationem hanc non incurrit; sicuti nec qui errorem Notarii corrigeret; ut si constet datam esse dispensationem in tertio gradu consanguinitatis, & Notarius per errorem scripsisset, in quarto gradu, non peccat, qui eum corrigit.

VI. Septimo excommunicantur, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, necnon ad hæreticos expresse, & nominatim per Sedem Apostolicam declaratos deferunt, vel transmittunt in damnum Catholicorum arma, & armorum materiam, scilicet ferrum, stannum, necnon funes, ac funium materiam, equos, ligamina, & alia hujusmodi, quibus in perniciem catholicorum utantur. Excusantur tamen Christiani coacti remigare in triremibus Turcarum; & qui eas res deferunt ad Saracenos non gerentes bellum cum Christianis. Excusantur etiam ex Navar., & Tolet. ab excommunicatione, (si non a peccato) qui deferunt vestes, & victualia, quia hæc non intelliguntur per illa verba Bullæ, & alia hujusmodi. Excommunicantur etiam qui per se, vel per alios in Christianorum perniciem certiores faciunt hæreticos, & alios fidei hostes de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus; aut qui illis consilium, auxilium, vel favorem præstant.

VII. Octavo excommunicantur injuste impedientes victualia ad Romanam Curiam deferri. Dicitur autem Curia Romana tam familia Papæ, seu Tribunal Pontificium, in quo negotia Ecclesiastica conficiuntur, ubicumque Pontifex resideat; quam locus, in quo Cardinales resident post obitum Pontificis. Verum, ut hæc excommunicatio incurratur, debent sine justa, & legitima causa impedire, seu prohibere, aut perturbare, ne victualia deferantur, aut defendere, qui id faciat. Quare si Princeps, vel Respublica, ut suis prospiciat, prohibet, ne triticum, vel vinum ex suis confinibus extrahatur, & Romam deportetur, excommunicationem non incurrit, ut notat Suar. tom. 5. disp. 21.

VIII. Non excommunicantur, qui mutilant, spoliant, capiunt, detinent accedentes, vel recedentes a Romana Sede. Quare non excommunicantur, qui ea faciunt in accedentes ad Urbem ad sua negotia sæcularia peragenda, sed qui ea faciunt in accedentes ad Sedem Apostolicam ob negotia, vel causas, quæ ad illam pertinent; etiamsi non in odium, & contemptum Sedis Apostolicæ, sed vel ob inimicitias, vel ob alias causas id faciant. Præterea excommunicatur, qui usurpata jurisdictione, hoc est sine ulla ordinaria, aut delegata jurisdictione, prætextu tamen illius læderet commorantes in Curia Romana, qui dicuntur Curiales, & ita Romæ morantur, ut Papæ, vel Cardinalibus, vel Episcopis inserviant.

IX. Decimo excommunicantur interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas, est hoc peregrinos, qui devotionis causa petunt Romam, & in ea morantur; Excommunicantur etiam, qui in his actionibus dant consilium, auxilium,

aut

aut favorem. Ubi adverte, quod excommunicationem non incurrat, qui occidit venientem ad Urbem sub habitu peregrini, non tamen devotionis causa, sed, ver. gr., ad vitandas expensas: Contra vero excommunicationem incurrit, qui occidit venientem ad Urbem devotionis, vel peregrinationis causa, etiamsi equester veniat, & sine habitu peregrini: Imo etiam si veniat ab alia negotia, dummodo veniat principaliter causa devotionis, vel peregrinationis.

X. Undecimo excommunicantur, qui mutilant, interficiunt, vulnerant, percutiunt, capiunt, detinent, & hostiliter insequuntur Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, &c. Excommunicantur etiam Principes, & Magistratus, & alii, qui Episcopos, Legatos, vel Nuncios a suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis (idest ubi suam jurisdictionem exercent) ejiciunt; & qui jussu Principum easdem Ecclesiasticas personas expellunt; Necnon mandantes, ratum habentes, auxilium, consilium, favorem præstantes in aliquam ex prædictis actionibus. Dicitur autem ratum habere, quando intervenit quoddam virtuale mandatum, non vero quando solummodo laudatur factum, seu approbatur ab eo, cujus nomine nullatenus est factum; ut notat Suar. loc. cit.

XI. Duodecimo excommunicantur, qui occidunt, percutiunt, bonis expoliant recurrentes ad Sedem Apostolicam, seu Romanam Curiam super suis negotiis; Necnon eorundem negotiorum gestores, advocatos, procuratores, agentes, seu etiam auditores, & Judices super dictis causis, seu negotiis deputatos? dummodo eos lædant occasione eorundem negotiorum. Nomine autem negotiorum Suar. contra Navar. putat venire non solum causas spirituales, sed etiam temporales, quæ ad Sedem Apostolicam spectant ratione sui dominii temporalis. In nona itaque excommunicatione excommunicantur, qui molestant accedentes, vel recedentes a Sede Apostolica; in hac vero excommunicantur, qui molestant recurrentes ad illam, & ea negotia pertractantes. Quare Princeps, vel Judex, qui spoliat bonis appellantem ad Romanam Curiam, hanc excommunicationem incurrit; quamvis ea bona, quibus spoliatur, domi reliquerit, qui ad Curiam habuit recursum. Excommunicantur etiam, qui ad has actiones auxilium, favorem, & consilium præstiterint.

XI. Decimotertio excommunicantur appellantes sub privato prætextu ad Curias Seculares in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem literarum Apostolicarum sive gratiam, sive justitiam continentium; necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, &c., sive talis appellatio, & recursus a Principibus admittatur, sive non. Excommunicantur etiam, qui a potestate laicali, etiam instante Fisci procuratore, vel Advocato, faciunt, ut hujusmodi appellationes admittantur, & qui faciunt, ut hujusmodi literæ a laica potestate capiantur, retineantur. Demum excommunicantur, ut notat Azor. l. 5. c. 12., qui post legitimam appellationem ad Judices Ecclesiasticos, quam illi admittere nolint, recurrunt ad laicam potestatem, ut faciant illam admitti, procurando literas Hortatorias, quæ quamvis videantur modeste loqui, mittuntur tamen sæpe auctoritative, & intentione præcipiendi, & comminandi, quod si ita se res habeat, tam eas obtinentes, quam mittentes excommunicationem incurrunt.

Notandum tamen nomine literarum Apostolicarum venire hic tantum eas, quæ emanant a Papa, Sede Apostolica, Nunciis, Legatis, Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, Auditoribus, Commissariis, Judicibus, & Delegatis Apostolicis, non tamen quæ emanant ab Episcopis, Archiepiscopis, &c.; quamvis qui has impediunt, decimam sextam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant.

XIII. Decimoquarto excommunicantur, qui auctoritate laica, & prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum, causas spirituales, & spiritualibus annexas, beneficiales, decimales, &c. ad se a Judicibus Ecclesiasticis avocant: Et qui partes actrices compellunt aut ad revocandas citationes, inhibitiones, aut alias literas in talibus causis decretas, aut ad consentiendum, ut absolvantur a censuris illi, contra quos tales inhibitiones emanarunt; Necnon qui impediunt executionem talium processuum, decretorum, & literarum Apostolicarum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum; Ac demum qui ad id præstant auxilium, assensum, aut favorem.

Certe multi putant, ut notat Navar. & Blund. in Relectionibus Bullæ Cęnæ disp. 75. licere Judicibus Sæcularibus tam ex vi juris communis, præsertim ex Cap. *Filiis*, *vel Nepotibus* 16. *q*. 7. quam ex vi consuetudinis, & ex tacito consensu Papæ, præsertim in Hispania, & Gallia, multa facere huic dispositioni contraria, ne aliquis sine justa causa, & absque mera Summi Pontificis informatione a suo beneficio deturbetur, aut aliam similem injuriam gravem patiatur, quam postea aut vix, aut nullo modo possit recuperare. Putant etiam, judicibus sęcularibus licere propter eandem rationem impedire, ne executioni mandentur sine suo assensu literæ Apostolicæ; necnon cognoscere causas Clericorum, præsertim beneficiatorum, quando sæcularis conqueritur se injuste opprimi a Judice, Ecclesiastico. An autem ea liceant?

ceant? Navar., & Suar. apud Blun dum definitioni Pontificis remittunt. Azor. tamen tom. 1. lib. 5. cap. 12. diserte, ac solide ostendit non licere; Nec pro Hispania, Gallia, Hungaria, Germania tale privilegium unquam concessum esse; cum debeat sæcularis a Judice Ecclesiastico oppressus ad Archiepiscopum, & ad Papam conqueri, non ad Judicem sæcularem; Et quando dubitatur veræne sint, an surreptitiæ literæ Apostolicæ, judicium in hac re non est ferendum a sæculari, sed ab Ecclesiastico.

Dices. In cap. laudato *Filiis*, *vel Nepotibus* habetur, quod si negligat Episcopus corrigere Sacerdotem fraudantem aliquid de rebus Ecclesiæ collatis, recurratur ad Metropolitanum; Quod si hic pariter erit negligens, recurratur ad Regem; ergo non est illicitum universim ad Regios ministros recurrere, quoties justitia ab Episcopo, & a Metropolitano denegatur.

Respondeo, id permitti causa defensionis, quando manifesta injustitia irrogatur, & non patet aditus ad Pontificem; ad quem non possit sine magno impendio haberi recursus. Cum enim solus Pontifex delicta Ecclesiasticorum tanquam legitimus Judex punire possit, ad Pontificem recurrendum pro manifesta injuria ab Ecclesiasticis irrogata, si id fieri possit: Quando autem id non licet, ad Regem nequit recurri tanquam ad Judicem Episcoporum, sed solum ut impediat hic & nunc manifestam injustitiam, quousque ad Pontificem tanquam legitimum Judicem causa deferri possit; ut notant communiter Doctores apud Azor. tom. p. p. 5. cap. 12. asserentes in Canone solum permitti, quod ad Regem in casu adducto recurri possit, non ut Metropolitanum corrigat, (quod certe nequit, ex cap. *Qualiter & quando*, & ex Cap. *Clerici*, *de Judiciis*) sed ut Metropolitanum admoneat; vel ut Rex ipse instet apud Pontificem legitimum Superiorem, ac Judicem Metropolitani.

XIV. Decimoquinto excommunicantur, qui ex prætenso officio trahunt ad seculare Tribunal personas Ecclesiasticas, & qui eas trahi faciunt, aut procurant quovis quæsito colore; necnon qui statuta, ordinationes, vel decreta faciunt, aut publicant, vel iis utuntur in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, & quorumcumque jurium Ecclesiæ, etiamsi prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii. Dicuntur autem statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam, quæ sunt contra privilegia Ecclesiæ concessa sive ab Imperatore, sive a Papa, &c., necnon quæ sunt contra privilegia concessa prædiis, possessionibus, &c. Ecclesiæ, & Clericorum. Esset etiam contra libertatem Ecclesiasticam, ut notat Suar., si temporales domini suis subditis præciperent, ne Clericis consueta obsequia exhibeant, idest ne eis quicquam vendant, panem coquant, & similia.

XV. Decimosexto excommunicantur, qui impediunt Prælatos, & Judices Ecclesiasticos, quominus sua jurisdictione utantur; necnon qui post sententiam fori Ecclesiastici ad Curias sæculares recurrunt, procurando prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Judicibus Ecclesiasticis decerni, & contra eosdem exequi: Excommunicantur etiam, qui ea decernunt, & exequuntur, seu dant consilium, patrocinium, & favorem in iisdem.

XVI. Decimoseptimo excommunicantur, qui usurpant jurisdictionem, & fructus ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, Ecclesiarum, aut monasteriorum pertinentes; necnon si eos sequestrant: Ubi duo advertit Suar. Primum est, non incurrere excommunicationem hanc, qui fructus monasteriorim, beneficiorum &c. furatur; nam usurpare proventus est illos capere tanquam ad se pertinentes; furari vero est rapere tanquam aliena bona. Secundum est, quod si beneficium aliquod, puta Episcopatus, habeat jurisdictionem etiam remporalem, qui talem jurisdictionem etiamsi temporalem usurpat, hanc excommunicationem incurrit.

XVII. Decimooctavo excommunicantur, qui potestate laicali imponunt collectas, decimas, & similia onera personis Ecclesiasticis, & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum bonis, eorumque fructibus sine speciali licentia Papæ; Necnon qui hujusmodi onera sic imposita a sponte dantibus recipiunt, & qui procurant prædicta exequi, aut ad id auxilium, consilium, favorem præstant. Et ratio est, quia sic læditur immunitas Ecclesiastica: Nec excusantur ab excommunicatione, qui hæc faciunt ex vi alicujus consuetudinis; quia talis consuetudo in multis juribus Canonicis damnatur; ut videre est apud Azor. lib. 5. cap. 12.

Similis excommunicatio lata est a Lateranensi sub Alex. III. in cap. *Non minus*, *de Immunitate Ecclesiast.*, & in cap. *Adversus*, ubi etiam prohibetur, ne Episcopus, vel Clericus possit conferre subsidium pro communi necessitate, vel utilitate sine licentia Papæ; Et revocatur quod in cap. *Non minus* cit. permittebatur, quod scilicet Ecclesiastici possint aliquid sponte dare in aliqua necessitate, quando facultates laicorum non suppetunt.

XVIII. Verum est, quod si in refectione pontium, fontium, viarum proxime, & directe oriatur commoditas ipsis Ecclesiasticis, teneantur ex justitia ad talem refectionem contribuere, ut notat Abb., & Molin. disp. 672. At primo utilitas Ecclesiasticorum debet esse directa, & immediata; aliter semper deberent contribuere, quia omnis contributio est ad publicam utilita-

tilitatem ordinata. Secundo, quod debet in his casibus solvi a Clericis, non debet decerni a laicis, sed laici simul cum Ecclesiasticis de communi consensu debent convenire; & si Clerici renuant, non possunt cogi a Judice seculari, sed solum ab Ecclesiastico, ad quem recurrendum est. Vide Molin. laudat.

XIX. Decimonono excommunicantur Magistratus, Judices, Notarii, Scribæ, executores, &c. quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, & criminalibus adversus personas Ecclesiasticas: Unde etiam id mandantes, capientes Clericos, &c., excommunicationem incurrunt. Hoc tamen fori privilegium amittit Clericus non beneficiatus, etiamsi initiatus minoribus Ordinibus, si non deferat habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ inserviat, ex Trident. sess. 23. cap. *6.*: Necnon Clericus, qui per assassinos fecit alium interficere: ac Clericus conjugatus bigamus.

XX. Vigesimo excommunicantur, qui destruunt, invadunt, occupant terras Romanæ Ecclesiæ, usurpando in illis supremam jurisdictionem, videlicet in alma Urbe, in Regno Siciliæ, in Insulis Sardiniæ, & Corsicæ, Beneventi, &c.

Demum qui ab his excommunicationibus extra mortis articulum absolveret, ipse excommunicationem incurreret, (quamvis non in Bulla, sed extra Bullam Cœnæ a Clem. VIII. an. 1602. reservatam) & absolutionem nullatenus impenderet.

ARTICULUS III.
De Excommunicatione ob percussionem Clerici.

I. *Quid venit nomine Clerici? Quid nomine Monachi? Num etiam Tertiarii? Num Eremitæ?*

II. *Quid sit manus violentas injicere? Quid si venenum Clerico propinetur?*

III. *Quandonam actio dicatur graviter injuriosa Clerico, & quando leviter?*

IV. *Quid si Clericus consentiat in sui percussionem? Quid si seipsum percutiat?*

V. *A quonam debeat verberari Clericus, qui talem pœnam meretur? Num possit a laicis capi Clericus delinquens, ut suo Superiori præsentetur?*

VI. *Quam excommunicationem incurrunt mandantes, consulentes, ratam habentes, & non impedientes Clerici percussionem? Et quandonam dicatur rata haberi?*

VII. *Plurimis de causis percussor Clerici ab excommunicatione excusatur.*

VIII. *Quænam dicatur percussio levis, ratione cujus potest Episcopus absolvere ab hac excommunicatione; quænam percussio gravis; & quænam enormis?*

IX. *In dubio an percussio sit levis, vel gravis, num possit Episcopus absolvere?*

X. *Quid si percussio sit enormis, sed occulta? Et num Religiosi a suo Superiore absolvi possint, etiamsi percussio fuerit enormis?*

I. HÆc sunt verba Canonis: *Si quis suadente Diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui compareat, ejusque mandata recipiat.*

Quæritur nunc primo; Quid intelligatur nomine Clerici, aut Monachi?

Respondeo, nomine Clerici venire initiatum saltem prima tonsura, etiamsi sit conjugatus, dummodo non sit bigamus bigamia vera, aut interpretativa, (quam explicabimus quæst. 9. art. 4.) ex cap. *Clericos*, *dist.* 21. Quod si sit bigamus bigamia similitudinaria, per hoc scilicet quod post susceptos Ordines Sacros matrimonium (quamvis invalide) contraxerit, & consummaverit, adhuc gaudet privilegio Canonis; Clericus tamen degradatus per degradationem privilegium amittit.

Nomine vero Monachi intelliguntur etiam Conversi, Novitii, & Moniales, dummodo non vivant domi propriæ more laicorum; ut notat Fill. & Pelliz. tr. 8. c. *6.* n. 15. Gaudent etiam privilegio Canonis, & fori, tanquam religiosi, Milites Commendatarii, seu Equites S. Jacobi, S. Joannis, Calatravæ, Alcantaræ, Ordinis Christi in Lusitania, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani in Florentia, etiamsi aliqui ex istis sint conjugati; sunt enim personæ Ecclesiasticæ, & tria vota religiosa emittunt: Quamvis ii dumtaxat dicantur vere religiosi, qui emittunt tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ perfectę, ut Equites S. Joannis: Alii vero, quia tria etiam hæc vota emittunt, sed non vovent perfectam castitatem, & paupertatem, non dicuntur vere religiosi. Ita communius cum Garz., Filliuc., Sanch. apud Bonac.

Dubium est de Tertiariis S. Francisci, vel S. Dominici. De quibus dicendum, quod si domi vivant, non gaudent eo privilegio, quamvis servent regulam S. Francisci, vel S. Dominici; secus vero, si assumpto habitu monachis inserviant in monasterio sub obedientia Prælati, aut eleemosynam petant per urbem; tunc enim censentur personæ Ecclesiasticæ, & religiosi, eo modo, quo Novitii: Etenim nomine religiosi non solum veniunt, qui tria vota emiserunt, sed etiam qui sunt participes ejus status, ut sunt Novitii, Tertiarii, & alii saltem late sumpto nomine religiosi, ut docent communiter contra Cajet. V. *Excommunicatio* cap. 10. Idem docent communiter etiam Doctores de

Ere-

Eremitis, qui in communitate vivunt in aliqua Congregatione; vel si vivant sub obedientia Prælati ex tacita, vel expressa auctoritate Papæ, quamvis in tali congregatione non fiat professio; isti enim censentur religiosi saltem late sumpto hoc nomine, ex Suar., Avil., Bonac. hic, & aliis.

II. Quæritur secundo; Quinam dicantur injicere manus violentas?

Respondeo, manus violentas injicere, quicumque actionem injuriosam violentam inferunt, etiamsi pede, vel alia corporis parte fiat, sive immediate, sive mediate, ita ut attingatur persona Ecclesiastica fuste, sagitta, &c., Sicuti etiam si sputum, vel pulverem in faciem projiciant, frænum equitantium detineant, aut cingulum ephippii incidant, aut rem aliquam ab iis per vim eripiant. Idem dicas si vis inferatur equo, cui insident; aut vesti, quam tenent; quia per has actiones mediate infertur vis personis Ecclesiasticis. Quod si projiciens, verbi gratia, lapidem in Clericum, non tangat illum, sed erret, excommunicationem non incurrit; quia nulla censura incurritur effectu non secuto: Si vero Clericum carcere inclusum teneat, vere vim infert, ex *cap. 29. de sententia excommunicationis*; quamvis illum non tangat: Sicuti etiam si sclopum explodat in Clericum, qui ob solum terrorem moriatur; aut si ita insequatur Clericum, ut is cogatur se in flumen projicere, equo decidere, &c. Secus vero si per accidens Clericus cadat inter fugiendum. Nec incurrit excommunicationem, qui metu mortis proposito prohibet, ne Clericus domo egrediatur; tunc enim non infert illi vim physicam, ut communiter docent cum Suar.. Nec incurrit excommunicationem, qui dolo, non vi aliquid ab eo surripit; neque si surripiat vestes Clerico dormienti; etiamsi id faciat eo animo, ut non possit domo egredi; ut communius docent contra Antonin.; nec qui per metum cogit Clericum, ut a suo feudo egrediatur.

Qui vero venenum propinat Clerico, videtur vere vim inferre magis, quam si alapam impingeret; ut communiter docent contra Avil. 2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 2., & Sà, qui putant, excommunicationem non incurri; quia sine manuum violentarum injectione propinatur venenum; ut videre est apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 36. Illud sane certum est, quod excommunicatio non incurratur, antequam venenum graviter noceat, quia nondum est secutus effectus.

Demum si Monialis gravida venenum bibat ut fetus necetur, actio hæc esset violenta fetui, non ipsi moniali, aut statui Ecclesiastico, ex Bonac., Avil. Molin. apud eundem Dian. Secus vero si invita moniali alter illi venenum propinaret, ut fetus necetur; tunc enim per vim illi surriperet fetum, quod est magis injuriosum, quam si vestem per vim illi auferret.

III. Dubium est primo; quandonam actio dicatur injuriosa graviter, prout requiritur ad incurrendam excommunicationem?

Respondeo, excommunicationem tunc incurri, quando est graviter injuriosa ipsa actio exterior. Quare si ex intentione graviter peccaminosa leviter percutiatur Clericus, peccatum mortale committitur, non tamen incurritur excommunicatio: Si vero percussio sit quidem levis, sed censeatur esse graviter injuriosa Clerico; ut si quis illum conspuat, includat in carcere, virga percutiat, &c. excommunicatio incurritur, dummodo percutiens peccatum mortale incurrerit. Censetur autem actio leviter injuriosa Clericis, juxta Avil., Sà apud Bonac., quoties illata laico ejusdem conditionis, ac est Clericus, non censetur esse peccatum mortale. Molin. vero, & Bonac. docent, quod si actio violenta seclusa excommunicatione censeretur arbitrio prudentis viri, quod esset peccatum mortale relate ad Clericum, tunc peccatum mortale, & censura contrahatur. Ex quibus sequitur, quod Clerici impuberes inter se rixantes excommunicationem non incurrant, quoties percussio, attenta qualitate personæ, & quantitate nocumenti, non pertingit ad mortale.

IV. Dubium est secundo; An percutiens Clericum permittentem se percuti excommunicationem incurrat?

Respondeo affirmative cum communi Doctorum apud Suar. disp. 22., & Bonac. hic. Etenim talis actio esset injuriosa, si minus Clerico, certe statui Clericali, & Ecclesiastico, in cujus præjudicium non potest Clericus privatus consentire: Sicuti peccatum homicidii committitur etiam quando qui occiditur, consentit in sui necem, quia fieret in tali casu injuria Reipublicæ; Idem dicas, si Judex detineat in custodia Clericum consentientem.

Hac etiam de causa communiter docent, excommunicationem incurri a Clerico percutiente seipsum præ ira, desperatione, tædio vitæ: quia per talem percussionem injuria irrogatur statui Clericali; non vero quando quis ex devotione se flagellat, aut si ob mortem parentum alapis se percutiat, & barbam evellat; quia talis actio non censetur statui Clericali injuriosa. Clericus tamen consentiens in sui percussionem non est ipso facto excommunicatus, sed excommunicandus, ex cap. *Contingit, de sententia excommunicat.* apud Bonac., Avil., Suar.

Demum si quis Clericum mortuum injuriose percutiat, putant aliqui cum Villalob., Nald. apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 39., quod excommunicationem incurrat; quia statui Clerica-

ricali fit injuria: Quod tamen communius negant cum Henr.; quia mortuus non est amplius homo, & consequenter nec persona Ecclesiastica.

V. Dubium est tertio; A quonam debeat Clericus verberari, quando verbera meretur?

Respondeo, ex cap. *Universitatis de sententia excommunicat.* puniendum esse jure communi a suis Prælatis, si hi sint inferiores Episcopo, & commode possint; aliter tam Prælati, quam percussores excommunicationem incurrunt; Urgente tamen necessitate possunt Prælati Clericos per alios Clericos verberare, & per laicos, quando Clerici deessent; Episcopi vero si per seipsos extra necessitatem Clericum verberarent, excommunicationem incurrerent, ex cap. *Non licet, dist. 86.*, Verum quamvis jure communi ita se res habeat, consuetudine tamen receptum est, ut Clerici etiam per laicos capiantur, verberentur, torqueantur; potuit autem ea consuetudo introduci, eo quod non deceat Clericum, vel Monachum adeo vile munus obire. Ita Bonac. hic, Molin., Suar., & alii.

Addunt communiter Doctores cum Con. & Avil., posse ministrum justitiæ sæcularis capere Clericum repertum in flagranti delicto, ut præsentet illum suo Superiori; quia præsumitur tacitus Superioris consensus, & videtur hoc ad commune bonum expedire; quamvis non debeat Clerico major vis inferri, quam sit necesse.

VI. Quæres tertio; An mandantes, consulentes, non obstantes, & ratam habentes Clerici percussionem, eandem excommunicationem incurrant?

Respondeo ex dictis quæst. 1. art. 4., mandantes, precibus, aut promissis incitantes, & consulentes Clerici percussionem, secuto effectu, incurrere excommunicationem majorem, non vi Canonis, *Si quis suadente*, sed vi cap. *Quantæ*, & cap. *Mulieres*, *de sententia excommunicat.*; Sicuti etiam non obstantes (si tamen ex officio, non sola charitate ad id teneantur) ex Bonac., Molin., & aliis contra Suar., & Filliuc.; Tales sunt Reges, Judices, Patres, Tutores, Parochi, Heri, Pædagogi, & similes respectu subditorum suorum. Idem dicas de ratam habente, seu approbante Clerici percussionem suo nomine factam; quia ratihabitio fictione juris retrotrahitur, & comparatur mandato; ut docent Bonac., Suar., Molin. Debet tamen ratihabitio, seu approbatio manifestari signo externo, videlicet per verba, aut nutus, &c., ita ut non solum illo ostendat de percussione facta gaudere, sed sciens factam esse suo nomine, hoc ipsum approbet; Requiritur etiam, ut talis percussio facta fuerit eo tempore, quo poterat mandari a ratihabente: Quare si tempore infantiæ, vel amentiæ Titii facta fuit ejus nomine percussio, non dicitur ratam habere Titius, si deinde illam approbet; & consequenter excommunicationem non incurrit: Secus vero si facta fuit, dum dormiebat, quia tunc facile poterat excitari, & interrogari num vellet suo nomine percussionem fieri, & sic illam mandare. Ex quibus sequitur, quod cum Clemens VIII. reservando sex illos casus intra Italiam extra Urbem, reservarit solum Clerici percussionem, Mendicantes ab hac tantum (nisi sit occulta) absolvere non possint, sed possint absolvere mandantes, consulentes, & ratam habentes hujusmodi percussionem vi suorum Privilegiorum.

VII. Quæritur quarto; Quandonam percussor Clerici ab excommunicatione excusetur?

Respondeo, Primo excusari, quando quis Clericum percutit in defensionem, seu quando in continenti vim vi repellit cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum se, vel sua, vel suos etiam amicos, necnon etiam extraneos innocentes; Vel ad defendendum proprium honorem, ex cap. *Si vero*, *de sententia excommunicat.*

Ratio est, quia defensio jure naturæ est licita: Et hoc valet ex Suar., & Bonac. etiamsi percutiens posset fugere, sed ea fuga fuisset illi ignominiosa. Dixi tamen *in continenti*; nam si Clericus rem tuam furatus ad alium locum se recepit, non potes ibi illum percutere; quia tunc esset ultio, non defensio: Contra vero, si dum fugit, percutis illum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut relinquat, quod furatus est; vel si debitor fugam parans detineatur, ut Superiori præsentetur, & sic creditum non amittatur.

Secundo, qui joco inter ludendum sine injuria se percutiunt.

Tertio, qui in subita rixa, vel colera Clericum percutit non advertendo ad id, quod facit, unde sine mortali id accidat.

Quarto, quando sine gravi injuria, quod sæpe accidit, ut notat Sot., pueri Clerici inter se rixantur, etiamsi sanguinem e naribus, aut capite projiciant. Non negatur tamen, quod aliquando etiam in istis sit injuria gravis, ut patet ex cap. *ultim. de sententia excommunicat.*

Quinto, quando quis percutit Clericum ignorans, aut non advertens ad Clericatum, ut diximus quæst. 1. art. 6. Unde fit, quod si quis volens occidere Joannem Clericum, adhibita omni diligentia, ne alius a Joanne occidatur, præter intentionem occidat Titium Clericum, nec excommunicationem, nec irregularitatem incurrat; ut probabiliter docent Portel. Fregosus, & alii apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 31. contra Vegam, & alios, quia talis actio relate ad Titium fuit omnino involuntaria:

Sex-

Sexto, si percutiatur Clericus causa correctionis ab habente potestatem, ita ut non excedatur graviter modus in percutiendo. Et hac de causa potest Pater fiilium etiam in Sacris constitutum cum debita moderatione verberare, Magister discipulum, ut communius Doctores docent. Sic etiam excusantur Clerici seniores, imo Laici, qui ratione officii ejiciunt Clericum minorum ordinum turbantem divina officia: Dominus pariter excusatur, si percutiat famulum Clericum, non tamen in Sacris constitutum. Notandum tamen, quod si quis principaliter ex odio, vel ira percutiat Clericum, & secundario causa correctionis, ita ut peccet mortaliter, excommunicationem incurrit; quia percutit suadente diabolo; Secus vero si principaliter percutiat causa correctionis, quamvis admisceatur peccatum mortale odii, ut Bonac. hic, Avil., Molin.

Septimo, quando Ostiarius, aut alius officialis Principum, arcendo turbam, simul Clericum arcet, ex cap. *Si vero* 3., *de sententia excommunicat.*; quia talis violentia respectu Clerici censetur casualis.

Octavo, quando percutitur Clericus, qui ter fuit admonitus vel in generali, vel in particulari, ut habitum, & tonsuram deferret, & tamen non defert; tunc enim amittit privilegium Canonis, ex cap. *Cum contingit* 2., *de sententia excommunicat.* Putant etiam Con. dub. 15., Suar. & alii apud Bonac. hic, Clericum minoribus initiatum privari privilegio Canonis, si habitum Clericalem non deferat, & beneficium non habeat, etiamsi non sit admonitus ferre habitum; quia iste ex Trident. sess. 23. cap. 6. privatur privilegio fori; quod ex Panormit. difficilius amittitur, quam privilegium Canonis: hoc tamen negant Bonac., Rodriq., & alii; quia ista privilegia sunt inter se diversa, & a diversis non fit illatio; præsertim quia pœnæ sunt strictæ interpretandæ.

Nono, si quis percutiat Clericum factum militem, ac sese in enormitatibus immiscentem, ut grassando, &c. Sic enim amittit privilegium Canonis, & juxta aliquos etiam fori.

Demum, si quis percutiat in continenti Clericum, quem reperit turpiter agentem cum sua matre, uxore, sorore, filia, ex cap. *Si vero*, *de sententia excommunicat.*, cum enim difficile sit in his casibus a furore temperare, excusatur a censura, etiamsi non excusaretur a peccato.

VIII. Quæritur ultimo; Quinam possit absolvere ab hac excommunicatione;

Respond., solum Pontificem; quamvis in multis casibus possit etiam Episcopus, & consequenter Mendicantes privilegiati, quippe qui absolvere possunt a casibus, quos jus reservat Episcopo, non vero quos Episcopus reservat sibi.

Primo itaque potest Episcopus percussorem Clerici absolvere, si percussio sit levis, ex cap. *Pervenit*, *de sententia excommunicat.* In quo casu potest etiam Vicarius generalis, quia facit unum Tribunal cum Episcopo; Et universim quando Pontifex dat aliquam facultatem Episcopo, quam non intendit conferre Vicario, id solet exprimere.

Dubitatur tamen; quænam dicatur percussio levis; quænam vero gravis, seu mediocris, & quænam enormis?

Respond., dici levem, non quæ sit peccatum veniale, aut quæ sit mortale, ita tamen ut actus externus in ratione percussionis habeat materiæ parvitatem; nam in neutro hoc casu incurritur ulla excommunicatio, ut diximus quæst. 1. art. 4. Quare in re præsenti percussio dicitur levis, quæ fit pede, pugno, baculo, vel lapide nullum relinquente vestigium, seu maculam, aut sugillationem carnium; Vel quæ fit absque effusione multi sanguinis, aut multorum capillorum evulsione, & quæ notabilem injuriam, & scandalum non parit; Et talis censetur esse apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 19. si quis percutiat Sacerdotem pugno, ita ut ex ore percussi aliquæ guttæ sanguinis defluant; Unde Papiæ resolutum fuit a Theologis, quod posset hic ab Episcopo absolvi: Contra vero, si quis publice percutiat Clericum in Ecclesia, vel in platea, etiamsi leviter, percussio non dicitur levis, cum fiat illi injuria gravis, ut docet Gloss. apud eundem Dian., resol. 45.

Dicitur percussio enormis, si magnum vulnus infligatur, non vero si magna copia sanguinis a naribus, vel e vulnere modico effundatur, quod indigeat Chirurgia, & Medicinalibus; Item si percussio sit valde ignominiosa, ut si quis manus injiciat in Episcopum, vel Abbatem, vel Superiorem, vel si vulneretur Clericus in oculo, in facie, &c. Vel ratione scandali, ut si Monachus percutiat Clericum sæcularem, & inde detur scandalum; Vel ex publicitate, ut si quis in platea, aut in publico concursu Clericum percutiat; Vel si officialis laicus percutiat Clericum auctoritative, quasi usurpans jurisdictionem Ecclesiasticam; Vel si percutiatur Sacerdos sacris vestibus indutus; Vel si Clericus diu detineatur in carcere teterrimo. Gravis demum, seu mediocris percussio dicitur, quæ nec enormis, nec levis est, quod tamen ab Episcopo est judicandum.

IX. Quod si dubitet Episcopus, sitne levis, an gravis, censere debet esse gravem, ex *Extravag. Joan. XXII.* ne detur occasio offendendi statum Ecclesiasticum; Quamvis contrarium doceat Bordon. apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 46., quia scilicet in dicta Extravag. habetur consilium potius, quam præceptum; Et in dubio

reser-

reservationis standum pro libertate absolvendi, quæ est in possessione.

X. Secundo potest Episcopus absolvere percussorem Clerici, etiamsi enormis fuerit percussio, quando delictum est occultum, & non deductum ad forum contentiosum, ex privilegio Trident. sess. 24. cap. 6., quod non constat esse revocatum, ut docet Bonac. hic, Dian. loc. cit. resol. 63., Reginald. lib. 30. num. 91., & alii contra Molin. disp. 64. Et ideo supra diximus nu. 6. quod possint etiam Regulares privilegiarii a percussione gravi Clerici absolvere, si sit occulta; cum possint absolvere a casibus, quos jus Episcopis reservat, non tamen ab iis, quos Episcopi reservant sibi, ut probabiliter multi docent apud Dian. par. 9. tract. 4. resol. 69.

Tertio, si Clerici in aliqua communitate viventes invicem se percutiant percussione mediocri, non enormi, possunt juxta Dianam resol. 56. a suo Episcopo absolvi; sicut pariter Religiosi a suo Superiore: Quod si Religiosus percutiat percussione mediocri alium religiosum alterius Claustri, non solum debet a proprio Superiore absolvi, sed etiam a Superiore percussi; quamis possit hic delegare vices suas alteri, ex cap. *Cum illorum*, *de Sententia excommunicat.* Cæterum Religiosos ex suis privilegiis posse ab hac excommunicatione absolvi, etiamsi percussio fuerit enormis, notat Pal., & Molin. apud Pelliz. tract. 8. cap. 6. num. 191.

Quarto potest Episcopus legitime impeditum adire Pontificem absolvere cum onere se præsentandi coram Pontifice, cessante impedimento, sub pœna reincidentiæ.

Quinto potest etiam absolvere impuberes, etiamsi enormiter Clericum percusserint, & etiamsi absolutionem post pubertatem petant, ut Molin., Suar., Filliuc. apud Bonac. ex *cap. ult. de Sententia excommunicat.*

Sexto mulieres quascumque, etiamsi homicidium commiserint. Septimo pauperes, qui Romam adire non possunt, nisi petendo ostiatim stipem, quod non consueverunt; necnon cæcos, senes, aliosque perpetuo impeditos, & quidem sine ullo onere; de quibus omnibus fuse agit Dian. part. 9. tract. 4. resol. 59.

ARTICULUS IV.
De Excommunicatione ob Duellum.

I. Quid sit Monomachia, seu Duellum presse dictum?

II. Etiam jure naturali, & divino Duellum est illicitum; & sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis ab Ecclesia vetitum.

III. Licitum tamen est, aut ad pugnam inter paucos terminandam, aut ad se, ac sua defendenda; si alia via non suppetat.

IV. Non licet tamen illud acceptare ad timiditatis notam declinandam.

V. Regularibus intra Italiam extra Urbem inhibetur absolvere provocantes, & pugnantes, nisi casus sit occultus.

I. DUellum est proprie Pugna deliberata inter duos, vel plures pari numero, sponte, & ex condicto suscepta statuto tempore, & loco, cum periculo mortis, aut vulneris gravis; unde non est proprie duellum conflictus, qui ex rixa nascitur; neque qui fit assignato loco, & non tempore, aut tempore, & non loco; imo neque si in Ecclesia rixantes ob reverentiam Ecclesiæ gladium non evaginant, sed continuata moraliter rixa egrediuntur, & extra Ecclesiam pugnæ finem imponunt: Secus vero, si in platea V. G. rixantes alter alteri dicat, ut inde exeat ad pugnandum; etenim videntur statim determinare locum; & tempus extra plateam, & ex condicto, & non ex rixa pugnare; ut docet Sanch. lib. 2. Summ. cap. 39., & Filliuc. contra Graff. apud Bonac.

II. Quæritur primo; Sitne semper illicitum Duellum?

Respondeo, Duellum non solum jure naturali, & divino esse illicitum, ut ostendit Peregrin. quæst. 2., tum quia temere exponitur periculo vita innocentis; tum etiam quia nemini licet auctoritate privata alium occidere; sed præterea prohiberi jure canonico sub excommunicatione, aliisque penis, ut habetur in Triden. sess. 24. cap. 19., & in constitutionibus plurimorum Pontificum jam inde a Julio II., ac deinde severius a Pio V., Gregor. XIII., & Clement. VIII. Hic autem excommunicationem etiam ad Reges, & Imperatores extendit, etiamsi sine patrinis, ac literis provocatoriis duellum commiserint; Imo etiam excommunicantur suadentes duellum, ac provocantes, quamvis ad defensionem proprii honoris, etiam pugna non secuta, necnon comitantes, (nisi comitentur ad impediendum) socii, Patrini, spectatores de industria, non vero qui obiter transeuntes, vel occultæ curiositatis gratia illud aspicerent. Pariter excommunicantur quomodolibet se ad illud intromittentes, etiamsi nec pugna, nec provocatio sequatur; non tamen ratihabentes, cum id non exprimatur. Demum excommunicantur Domini locorum, magistratus, duces militum, Locumtenentes, qui illud permittunt, aut non puniunt; Civitates vero, aut Oppida, aut Castra dominorum illud etiam tacite permittentium subjacent interdicto Ecclesiæ, & qui in conflictu moriuntur, privantur Ecclesiastica sepultura. Docet tamen Dian. part. 3. tract. 6. resol. 1. ex Volfan., quod si quis diffidat alterum, & ad pugnam accedat, non

animo

animo pugnandi, sed defendendi honoris, & cum morali securitate, quod nullum damnum sit secuturum, excommunicationem non incurrat, (quamvis peccet peccato scandali) quia ad rationem duelli spectat, quod fiat cum periculo mortis, aut vulneris gravis.

III. In duobus casibus videtur licitum duellum ex Azor., Sanch., & aliis apud Bonac. Primo ad sedandos duos exercitus contrarios; licet enim duello aliquorum pugnam dirimere, dummodo sic duellum finiatur; nam in tali casu vitarentur mortes plurimorum. Secundo licitum est, quando aliquis compellitur illud acceptare, nec potest sine vitæ periculo fugere acceptationem; tunc enim esset justa defensio propriæ vitæ; Imo etiam ad defendendas res familiares licitum est illud acceptare, si alia via non suppetat ad illas defendendas.

IV. At Acceptare, ne timiditatis nota incurratur, est prorsus illicitum; proscripta quippe est ab Alex. VII. prop. 2. dicens: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: In cujus expositione plurima huc spectantia diximus in Trutina.

V. Quæritur secundo; Quisnam possit absolvere ab excommunicatione ob duellum contracta?

Respondeo, Eminentissimo de Lugo in Respons. Moral. lib. 2. dub. 2. probabile visum fuisse, præter Papam, posse ab ea absolvere etiam Mendicantes privilegiatos, excepta dumtaxat excommunicatione contracta a provocantibus, & pugnantibus; cum hæc ex decreto Clem. VIII. intra Italiam extra Urbem a Regularibus absolvi non possit; unde tam provocantes pugna non secuta, quam consulentes, Patrini, & alii videntur posse ab illis absolvi. Et ratio ex eodem Lugo est, quia Clem. VIII. reservavit duellum juxta decretum Trident., & Gregor. XIII. qui excommunicaverant provocantes secuta pugna: dicunt enim, *Qui Monomachiam commiserint*; quare provocantes pugna non secuta, consulentes, Patrini, &c. videntur posse a Mendicantibus absolvi: non secus ac poterant ante decretum Clem. VIII. Sed dicendum cum Bonac. disp. 6. de Censuris punct. 2. quod isti omnes a Regularibus privilegiatis absolvi non possint, quia Clemens VIII. reservavit casum *provocantium, & pugnantium in duello juxta decretum Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionem Greg. XIII.* Cum autem a Tridentino, & a Greg. XIII. illi omnes subjaceant excommunicationi, sequitur, quod illi omnes intra Italiam extra Urbem a Regularibus privilegiariis absolvi non possint.

Potest tamen Episcopus ab hac excommunicatione absolvere, quando casus est occultus, ex privilegio Trident. sess. 24. cap. 6., quod non est ei reservatum, juxta ea, quæ diximus art. super. num. 10. cum de percussione Clericorum: Et hac de causa probabiliter possunt etiam Mendicantes privilegiati absolvere provocantes, & pugnantes, quando casus est occultus, ut ibidem diximus, contra nonnullos apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 65. Demum possunt Episcopi in casu impedimenti, ut pariter ibidem ostendimus. (a)

„ (a) Coronidis loco addenda est heic Benedicti „ XIV. Constitutio damnantis quinque de duello „ propositiones.

SS. D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO,

qua quinque propositiones de duello proscribuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

„ Detestabilem, ac divina naturalique Lege damnatum Duellorum abusum, a barbaris gentibus atque superstitiosis, non sine ingenti corporum, animarumque clade, in Christianam Rempublicam auctore Diabolo invectum, cum semper execrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum præcipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium cœtu longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Prædecessorum Nostrorum, Nicolai I. Cœlestini III., Innocentii II., Eugenii III., Alexandri III. Innocentii IV. adversus singulares pugnas decreta, extant recentiores Apostolicæ Sedis Constitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II., Leo X., Clemens VII. ac demum Pius IV. gravissimas pœnas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque causa, etiam per Sæculares Regionum aut Locorum Leges forsan permissa, adjecta infamia, bonorumque proscriptione etiam adversus complices ac participes, & qualemcumque operam iisdem præbentes.

„ Tridentina vero Synodus latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, & Reges, Duces, ac Principes, ceterosque Dominos temporales, si locum ad Monomachiam in terris suis concesserint, ac jurisdictione & dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesia obtineant, eo ipso privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Patrinos, excommunicationis ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere statuit; &, si in ipso conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

„ Cum vero præfatis saluberrimis Legibus judicialia dumtaxat, ac solemnia duella comprehensa, ac proscripta viderentur, piæ memoriæ Præ-

„ decef-

„ decessor noster Gregorius Papa XIII. hujusmodi pœnas adversus eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore, & loco, Monomachiam commiserint, etiamsi nulli Patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ Litteræ, aut denuntiationis Chartulæ præcesserint.

„ Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster, Apostolicas Romanorum ante se Pontificum Leges omnes, & pœnas in eis statutas, sua Constitutione, quæ incipit *Illius vices*. Data XVI. Kal. Septembris Anno MDXCII. diserte complexus, easdem extendit ad omnes non solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes; Chartulas, Libellos, Manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes, Socios, Patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam & impunitatem concedentes, quique se prædictis quoquomodo immiscuerint, etiamsi neque pugnæ effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus.

„ His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia, & ab Apostolica Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia, tam publica, quam privata, & naturali, & Divino, & Ecclesiastico jure, prorsus illicita, vetita, atque damnata censeri deberent. Sed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus æquo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes ac temperantes, *licere*, docuerunt, *Viro Equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat: Fas esse defensione occisiva, vel ipsis Clericis, ac Religiosis, tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via non suppetat; propulsare damna, quæ ex iniqua Judicis sententia certo imminent; defendere non solum quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus:* Quas quidem assertiones duellis faventes, Apostolica Sedes censura notavit, rejecit, proscripsit.

„ Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi Duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, & casibus, vel amittendi Officii, & substentationis, vel denegatæ sibi a Magistratu justitiæ, defensionis innoxiæ titulo, ea licere pronunciant. Laxas, & periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum Libris ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & quibusdam Dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magistris specialiter ad id per Nos deputatis, commisimus; qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce tum scripto suffragiis, infrascriptas Propositiones censura, & proscriptione dignas existimarunt.

PRIMA PROPOSITIO.

„ *Vir Militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad Officia Militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.*

II.

„ *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, Duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III.

„ *Non incurrit Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, & Officii.*

IV.

„ *Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

V.

„ *Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.*

„ Auditis itaque, super unaquaque earum Propositionum, dictorum Cardinalium & Consultorum judiciis, atque omnibus rite & mature consideratis, Nos ipsas, præsentium Litterarum tenore, & Apostolica Auctoritate, tamquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, itaut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

„ Insuper districte, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas Opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

„ Jam vero ut exitiosam Duellorum licentiam, in Christiana, ac præsertim Militari Republica, non obstantibus providis Legibus, a plerisque etiam Sæcularibus Principibus & Potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelus Apostolicæ districtionis gladio magis magisque

„ inse-

" insequamur, omnes & singulas dictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate confirmantes & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas & severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro Motu proprio, ac de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, earundem pręsentium Litterarum serie, statuimus atque decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo pręmeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Pędecessoris Nostri Benedicti Papę XIII., quę incipit *Ex quo Divina*, data VI. Idus Junii Anno Domini MDCCXXV., ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusus & repulsus omnino censeatur; ita ut a cujuscumque Sacri aut Religiosi loci Asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, & Judicis competentis Curię pro merito puniendus, tradi possit & debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, & pertinebit imposterum, necessarias & opportunas facultates pręsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum severitatem evadere posse prospiciatur; Volumus, & respective permittimus, ut, quatenus Periti ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse, pręvio semper Decreto Episcopi, & cum assistentia personę Ecclesiasticę ab eodem Episcopo deputatę, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesię restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quę de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem pœnas incidant, quę in memoratis Benedicti XIII. Litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

" Pręterea, simili motu & auctoritate decernimus ac declaramus, Sepulturæ sacræ privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante Sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta Pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis & censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, & Ordinariis Locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum prębeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ Legibus obedientiam præstandi.

" In hujus demum sollicitudinis nostræ societatem vocantes Carissimos in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, cunctosque Catholicos Reges, nec non Principes, Magistratus, Militiæ Duces, atque Præfectos, eos omnes, & singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate, enixe obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, & animis, exitiosæ duellorum licentiæ, qua Regnorum tranquillitas, populorum securitas, atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita certo periclitatur, omni nisu & constantia vehementer obsistant. Neque sibi, suæque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis Legibus, indictisque gravissimis pœnis, horrendum scelus proscriptum sit, nisi accuratam ipsarum Legum, pœnarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant; Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim falsique honoris Idolo humanas litari victimas non impune feret supremus omnium Judex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est Divina, & humana jura tueri, sibique Creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum Jesus Christus effudit.

" Volumus autem ut præsentium Litterarum Transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & Sigillo Personę in Ecclesiastica Dignitate constitutę munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter forent exhibitæ vel ostensę: Utque eædem præsentes in consuetis locis publicis hujus Almę Urbis per Cursores nostros, ut moris est, publicatæ & affixę, omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ & notificatæ fuissent.

" Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum prohibitionis, damnationis, præcepti, statuti, declarationis, facultatum impertitionis, obtestationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

" Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII., quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

QUÆSTIO VI.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

AGendum primo de natura, & multiplicitate Suspensionis. Secundo inquirendum, a quonam possit ferri Suspensio, & erga Quos? Tertio, Quam ob causam? Quarto, de ejus effectibus, ac violatione. Quinto, de ejusdem absolutione, & cessatione. Sexto, de Depositione, & Degradatione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Suspensio?

I. Suspensio est censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficii. Abbatissa ab officio suspendi potest; ea tamen Suspensio non est censura; Nec censuram incurrit is, cui Confessarius, vel Abbatissa prohibet, ne celebret.

II. Multifariam Suspensio dividitur, & subdividitur.

III. Suspensus ab officio non est eatenus a Beneficio suspensus; nec e converso. Num possit suspensus, aut excommunicatus percipere fructus Beneficii, si iis indigeat?

IV. Si Beneficiarius sit suspensus, cuinam applicentur Beneficii fructus? Et num privetur jure eligendi?

V. Suspensus ab ordine exercere potest actus jurisdictionis, & viceversa. Num autem Suspensus ab Ordine inferiore possit exercere actus Ordinis Superioris?

VI. Suspensus ab Officio Sacramenta potest recipere; quamvis ea administrare non possit.

VII. Quomodo Suspensio differat ab Excommunnicatione, ab Interdicto, & ab Irregularitate?

I. QUæritur primo; Quid veniat nomine Suspensionis?

Respondeo, Suspensionem in jure Canonico significare cujuslibet officii, vel actionis privationem; ut constat ex *Clement. Cupientes*, & ex Trident. sess. 22. cap. 10. Et juxta hanc latiorem significationem etiam Abbatissæ, & Priorissæ ab officio suspendi possunt: Suspensio tamen presse dicta definitur, quod sit *Censura Ecclesiastica, per quam Clericus privatur usu Ecclesiasticæ potestatis sibi convenientis aut ratione officii, aut ratione beneficii, aut utriusque simul*. Brevius definitur, quod sit *Censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficii*. Dicitur *Censura*, ut constet, eum, cui Confessarius, aut Abbatissa qui censuras ferre non possunt, interdixerunt, ne celebret, non esse revera Suspensum; unde nec irregularitatem incurret, si celebret; Et idem dicas de eo, cui illicitum est celebrare propter peccatum mortale, quod habet; Istorum enim suspensio, cum non sit censura, est pœnalis; suspensio vero proprie dicta, quæ est censura, non est pœnalis, sed medicinalis. Dicitur deinde, *Per quam Clericus*, ut constet, hujusmodi censuram in laicis non habere locum. Henr. lib. 13. cap. 31. putat, etiam Abbatissam posse incurrere censuram suspensionis ab officio; quia quamvis non sit Clericus, est tamen regularis, & quasi persona Ecclesiastica capax officii spiritualis, & cujusdam jurisdictionis, saltem ex commissione, ut docent Sylvest., & Laym. lib. 1. tract. 5. part. 1. c. 3.; quatenus scilicet potest Pontifex, vel Episcopus, vel Provincialis Ordinis, sub quo vivunt, committere Abbatissæ quemdam usum jurisdictionis, verbi gratia, dispensando Monialibus in lege jejunii. Communius tamen negat, posse Abbatissam stricte suspendi ab officio, quia talis jurisdictio ex commissione, quæ competit Abbatissis, competere etiam potest Laicis. Dicitur demum, quod per suspensionem Clericus *privatur usu officii, aut beneficii*, ut constet, suspensionem non tollere officium, aut beneficium; non tollit enim neque ordinem, neque jurisdictionem, neque jus beneficii Ecclesiastici, sed solum prohibet eorum usum, seu exercitium.

II. Quæritur secundo; Quotuplex sit Suspensio?

Respondeo, dividi primo in eam, quæ est solum ab officio, aut solum a Beneficio, quæ sunt suspensiones partiales; & eam, quæ est ab utroque, quæ dicitur suspensio totalis. Etenim cum in personis Ecclesiasticis hæc duo tantum reperiantur, officium, & beneficium, suspensio debet usum vel alterutrius, vel utriusque prohibere.

Nomine autem officii, ut advertit Suar., intelligitur omnis potestas spiritualis, sive sit Ordinis, sive Jurisdictionis, sive Ecclesiasticæ administrationis. Nomine vero Beneficii intelligitur jus perpetuum ad Ecclesiasticos fructus, seu proventus ob spiritualem aliquem titulum percipiendos. Quando autem absolute imponitur in jure Suspensio, intelligitur suspensio ab utroque, scilicet ab officio, & beneficio; ut docent communiter Doctores apud Suar., & Hurt. contra Felin. & Burgent, qui docent, intelligendum esse tantum de suspensione ab Officio. Ratio communis

munis sententiæ est manifesta, quia non est major ratio de uno, quam de alio; ergo ab utroque suspendi debet; nisi ex contextu habeatur limitatio ad unum tantum. Si tamen imponatur in jure Suspensio sententiæ ferendæ, relinquitur arbitrio Judicis, num debeat suspendere ab alterutro, an ab utroque, ut iidem Doctores docent.

Subdividitur deinde Suspensio partialis in plures alias partiales pro varietate officiorum, & beneficiorum; nam aliquando Episcopus in jure suspenditur tantum a consecratione alterius Episcopi, aliquando a collatione presbyteratus, aliquando a collatione solius primæ tonsuræ, aliquando simpliciter ab Ordine. Eodem modo alii Clerici aliquando suspenduntur tantum ab officio Sacerdotali simpliciter, aliquando a sola celebratione Missæ, vel a munere audiendi confessiones &c. Idem dicas de suspensione a jurisdictione; necnon de suspensione a beneficio. Interdum enim fertur suspensio tantum a quotidianis distributionibus, vel a dimidia parte fructuum; idque vel ad tempus, vel in perpetuum.

III. Infertur ex dictis primo, Suspensum ab officio non esse eatenus suspensum a beneficio; etenim si horas canonicas recitet, & per Vicarium satisfaciat muneribus sui officii, potest licite fructus beneficii percipere: Quamvis, ut notat Sanch., si suspensio ab officio ob delictum grave perpetuo duratura sit, privari debet Beneficiatus suo beneficio. Eodem modo suspensus a beneficio non est eatenus ab officio suspensus: Quare hic privatur tantum perceptione fructuum, & administratione temporali sui beneficii, ac proinde constituendus est ei œconomus; nam si ille se ingerat interdictæ administrationi beneficii, ipso jure eo privatur, ex cap. *Cupientes*, *de election. in 6.*, ut communiter docent cum Sayr., & Laym. Si tamen suspensus a beneficio, necnon excommunicatus sit in indigentia, nec per ipsum stet, quominus liberetur a censura, potest percipere fructus beneficii, qui ad se, & suos alendos necessarii sunt, ex Nav., Con., & aliis apud Laym. hic cap. 1. Imo potest omnes fructus sui beneficii percipere, si non sint copiosissimi, sed correspondentes labori, quem serviendo beneficio impendit; quia habent rationem stipendii, non fructus; ut docet Avil. apud Laym.

IV. Dubium est; Cuinam applicandi sint fructus beneficii, quando beneficiatus est suspensus?

Respondeo cum Bonac. hic punct. 2., applicandos esse in utilitatem Ecclesiæ; distributiones vero suspensi dandas esse aliis Clericis, qui Choro intersunt, ex cap. *Si quis* 17., *quæst.* 4. Idem dicendum ex Suar. de fructibus pensionis collatæ titulo Clericali, ac de fructibus beneficii, quia talis pensio nihil aliud est, quam jus percipiendi fructus ex bonis beneficii: Quicquid alii sentiant in contrarium.

Notandum tamen cum eodem Bonac. Suar. Con., quod suspensus a beneficio non privetur distributionibus; quæ non dantur intuitu beneficii, ut sunt Anniversaria, vel stipendia missarum.

Dubium est secundo; An suspensus a beneficio amittat jus conferendi, aut eligendi, quod ipsi ratione beneficii competit?

Respondeo cum Suar. disp. 27., Con., Laym. contra Sayr., Navar., Henr., probabilius esse quod non amittat; quia collatio, & electio non numerantur inter fructus beneficii, quorum perceptio suspenso interdicitur, sed potius sunt actus officii, & quasi jurisdictionis competentis Beneficiato ratione beneficii: Adde, quod quando in jure aliquis suspenditur a beneficio, & a jure eligendi, id ipsum exprimitur, ut in cap. *Cum in cunctis ultim.*, *de election.* ergo nisi exprimatur in Canone, tale jus non amittitur.

V. Infertur ulterius, quod suspensus ab Ordine possit exercere omnes actus jurisdictionis qui actualem usum Ordinis non requirunt: Exempli gratia, potest Episcopus suspensus ab Ordine delegare alteri potestatem absolvendi; quamvis ipse audire confessiones, seu absolvere non possit. Et e converso suspensus a jurisdictione potest exercere actus ordinis, & officii sui spiritualis, qui jurisdictionem non requirunt; Verbi gratia, potest sacrificare, & officium custodis, & administratoris Ecclesiastici exercere: Non potest tamen absolvere; cum absolutio jurisdictionem requirat: Et propter eandem rationem non potest Parochus ita suspensus ministrare ovibus suis Sacramenta tanquam Pastor ordinarius: nec Episcopus subditis suis Ordines conferre, aut alteri licentiam dare conferendi Ordines.

Dubium hic est; An suspensus ab Ordine inferiore (puta Episcopus ab Ordine Sacerdotali) possit exercere actus Ordinis superioris, puta Episcopalis, qui absque exercitio Ordinis Sacerdotalis qua talis exerceri possunt?

Respondeo, negare plerosque apud Suar. disp. 64. sect. 4.; quia cui non licet, quod minus est, non debet licere, quod est majus, *Arg. Leg. Legatorum* §. *ultimo ff. de Interdictis*. Verum idem Suar., Con., Sà, & alii apud Laym. probabilius docent, regulam istam, quod non liceat majus ei, cui non licet minus, intelligendam esse, quando majus, & minus inter se connectuntur. Quare Sacerdos suspensus ab officio Diaconi non potest celebrare, quia sic Evangelium legeret, quod est proprium Diaconi: Potest tamen confessiones audire, solemniter baptizare, &c., quia hæc ab officio Diaconi separantur, & sunt in diverso genere: Quamvis autem

ea exercere non deceat, si tamen exerceat, non sit irregularis. Addit Laym., posse aliquando prohiberi quod minus est, non prohibito quod est majus; præsertim si in usu minoris, non majoris sit commissum aliquod delictum; in quo casu licitum est exercere quod majus est, non quod minus: Exempli gratia, Si Episcopus suspendatur a collatione Ordinum minorum, licite confert majores, ex Suar., Avil., Con., & aliis.

VI. Infertur tertio, suspensum ab officio posse quidem Sacramenta recipere, non tamen administrare; quia solum administrando Sacramenta exercet officium, & jurisdictionem contra prohibitionem, ut notat Bonac. num. 15.

Dividitur demum Suspensio in eam, quæ est a jure, & quæ ab homine. Rursus in Temporalem, & Perpetuam; Illa est cum limitatione temporis, v. g. per triennium, donec reus satisfaciat: hæc vero sine temporis limitatione. Differt tamen a Depositione, & Degradatione, quia per has inducitur universalis privatio officii, & beneficii sine spe reconciliationis, & cum certa solemni cæremonia, non vero per suspensionem, ut communiter Doctores.

VII. Ex dictis patet, quomodo suspensio etiam ab Irregularitate, necnon aliis censuris differat. Nam Irregularitas privat susceptione Ordinis, ejusque usu: Suspensio vero privat tantum usu non solum Ordinis, sed etiam beneficii, & cujusvis Ecclesiasticæ potestatis. Differt præterea ab Excommunicatione minore, quia hæc privat solum perceptione passiva Sacramentorum: Suspensio vero privat perceptione activa pertinente ad Ordines, aliosque habet effectus: Differt etiam ab Excommunicatione majore: tum quia hæc plures alios habet effectus præter effectus suspensionis: tum etiam, quia Excommunicatio major privat actionibus, quatenus sunt quædam communicatio cum fidelibus; at Suspensio privat iis, quatenus sunt quædam functio officii, vel beneficii. Quibus adde, Episcopum non posse ferre excommunicationem dimidiate, seu relate ad hos tantum, non illos effectus: Verbi gratia privando excommunicatum Ecclesiæ suffragiis tantum, & non communicatione fidelium: quia effectus excommunicationis sunt a jure determinati: unde non possunt coarctari ab Episcopo, cum non possit hic dispensare in jure communi: Contra vero potest Episcopus suspendere dimidiate, videlicet ab officio, non a beneficio: ut constat ex usu, & juris permissione.

Ex quo sequitur, quod possit Episcopus suspendere effectus aliquos suspensionis, non vero excommunicationis; ut usu etiam receptum est.

Demum differt suspensio ab Interdicto, quia suspensio non inducit privationem tot rerum, sicuti Interdictum; hoc enim privat participatione omnium divinorum officiorum; illa vero privat tantum usu potestatis Ecclesiasticæ.

ARTICULUS II.

A quo ferri possit Suspensio, & Erga quos?

I. Qui potest excommunicare, potest etiam ferre Suspensionem, & e converso. At non eatenus juxta usum Ecclesiæ ferre poterit Interdictum.

II. Clerici duntaxat possunt hac censura irretiri. Suspensio generaliter lata contra Clericos non comprehendit Episcopos; & probabilius nec religiosos: Imperatores, & Reges solum improprie suspendi possunt, quatenus possunt ex concessione Apostolicæ Sedis Rectores Ecclesiarum nominare.

III. Potest tota Clericorum communitas suspendi, puta totum Capitulum, tanquam persona ficta; ac trifariam potest communitas isthæc suspendi, videlicet tum relate ad functiones proprias communitatis, tum ad functiones proprias singulorum, tum relate ad utrasque.

I. Quæritur primo; quinam possit ferre suspensionem?

Respondeo ex Navar., Sylvest., & aliis communiter apud Laym., Suspensionem ferri posse ab eo, qui potest excommunicare; Sicuti viceversa potest excommunicare, qui potest suspendere. Enumeravimus autem quæst. 1. articul. 2. eos omnes, qui excommunicare possunt, atque adeo suspendere. Et quamvis iidem possint etiam ferre interdictum tam personale, quam locale, dicemus tamen quæst. sequenti, non esse in usu, nec expedire, ut Prælati Ordinum, qui possunt excommunicare, & suspendere, pariter Interdictum locale ferant; Nisi tales sint, ut etiam in plebem jurisdictionem habeant, ex Suar. disp. 37. sect. 1., & Laym. Imo in aliquibus religionibus prohibitum etiam est Prælatis immediatis, seu localibus excommunicare, & suspendere. Parochum vero ferre non posse censuram ullam, diximus loc. laud. cum communi contra Archidiacon., quia jurisdictionem in foro externo non habet.

II. Quæritur secundo; Quinam possint censura suspensionis ligari?

Respondeo, præter ea, quæ diximus de Censuris in genere, omnes, & solos Clericos posse illam incurrere; quamvis Henr. putet, etiam Abbatissam suspendi posse. Illud hic notandum; In generali statuto, vel sententia Suspensionis, vel interdicti ex speciali privilegio non comprehendi Episcopos, (etiam electos, & confirmatos ante consecrationem, ut notat Suar.) nisi eorum expressa mentio fiat. Immo advertit

Laym. ex Henr., tale privilegium competere etiam Cardinalibus ob præstantiorem eorum dignitatem, necnon Imperatoribus, & Regibus, qui & ipsi possunt suspendi, licet improprie, quatenus Ecclesiastica jura ex Apostolicæ Sedis concessione participant, ut Ecclesiarum Rectores nominare, & præsentare possint.

Dubium tamen est; An sub suspensione generaliter lata contra omnes Clericos comprehendantur Religiosi? Suar. cum Pal. punct. 2. putat comprehendi saltem religiosos prima tonsura initiatos, qui vere Clerici sunt; Alii tamen cum Pal. negant; & idem docent de Interdicto; quia nomine Clerici solum in favorabilibus intelliguntur etiam religiosi, non in pœnalibus, quamvis etiam religiosi sint Clerici, siquidem diversis legibus, & constitutionibus reguntur.

III. Quæritur tertio; Possitne communitas Clericorum tota suspendi? Verbi gratia, totum Capitulum, aut Collegium.

Respondeo ex dictis de Censuris in genere affirmative, ut constat ex cap. *Qui sæpe, de election. in 6.* Quare quoties in statuto, aut sententia dicitur, Quicumque id fecerit, sit suspensus, comprehenditur etiam Capitulum, tanquam persona ficta, ut notat Laym. Verum Suspensio lata in Capitulum, si nihil aliud exprimatur, aut ex adjunctis colligatur, ligat tantum corpus Capituli, quatenus hæc vox, Capitulum, collectionem significat, non vero personas singulares, ut mox explicabimus distinguendo triplicem modum, quo possit Communitas suspendi.

ARTICULUS III.

Quam ob causam ferri possit Suspensio?

I. Suspensio partialis potest venialem culpam præsupponere: At totalis mortalem.

II. Totalis suspensio ob culpam alienam non incurritur: Nequit proinde propter delictum aliquorum tota communitas suspendi relate ad functiones proprias singulorum.

III. Potest Communitas suspendi solum relate ad functiones, quæ ad corpus Communitatis spectant.

IV. Cur possit Communitas interdici, ita ut etiam innocentes ea censura ligentur: non vero similiter suspendi?

V. Ob delictum præteritum suspensio ferri potest tanquam pœna vindicativa, non vero tanquam censura, & pęna medicinalis. Suspensio illa non requirit præviam monitionem, potestque oretenus imponi, ejusque violator per exercitium Ordinis Sacri non incurrit irregularitatem; Secus vero suspensio, quæ sit Censura.

I. Plura diximus huc spectantia quæst. 1. art. 4. Quare nunc breviter inquirimus; An suspensio ferri possit ob culpam venialem, aut alienam, aut præteritam?

Quæritur primo; An pro veniali culpa possit censura Suspensionis infligi?

Respondeo cum Laym. hic Avil., Suar. disp. 24. sect. 4., & aliis communiter contra Cajet. & Navar. apud Con., Suspensionem absolute dictam infligi non posse, nisi ob culpam mortalem; Cum enim sit gravis pęna, debet gravem culpam præsupponere: Suspensio vero partialis, quando est pœna levis, (ut est Suspensio ab uno electionis actu, lucrandis una, vel altera vice distributionibus, &c.) potest propter venialem culpam infligi. Ostendimus autem cum de Censuris in genere pœnam suspensionis totalis esse longe graviorem, quam sit excommunicatio minor; & ideo hæc tantum, non illa infligi potest pro veniali culpa.

II. Quæritur secundo; An possit quis suspendi propter culpam alienam?

Respondeo, certum omnino esse, quod possit aliquando tota aliqua Communitas suspendi propter culpam unius duntaxat, v. g., Prælati, ut diximus cum de Censuris in genere, & constat ex cap. *Si Sententia, de Excommunicat. in 6.* Et eodem modo potest aliqua Communitas interdici propter culpam aliquorum, in quo casu etiam innocentes videntur ligari suspensione, & interdicto propter culpam alienam: Non enim videtur absurdum ex Suar. & Hurt. diff. 9., quod innocentes, inquantum membra Communitatis sunt, per accidens participent pœnam Communitatis.

Dico tamen cum Sa V. *Suspensio*, Laym. c. 3., Con. dub. 3., & aliis, censuram Suspensionis totalis proprie dictæ, quæ scilicet sit suspensio ab omnibus functionibus Ecclesiasticis, non incurri, nisi ob culpam propriam. Ratio est, quia suspensio est gravis pœna, ut diximus, quippe quæ adimit usum omnem Ecclesiasticæ potestatis; gravis autem pœna requirit culpam in eo, qui punitur, *Argumento cap. 2.; de constitution.* ubi dicitur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non convenit*; ergo non potest quis sine propria culpa suspendi: Et ideo quando quis propter senectutem, vel lepram suspenditur a celebratione missæ, talis suspensio non est censura, nec incurreret irregularitatem, qui sic suspensus celebraret.

Sciendum tamen, Communitatem aliquam tripliciter posse suspendi. Primo, ut suspensio afficiat corpus Communitatis secundum functiones proprias illius, non vero secundum functiones proprias singulorum. Secundo, ita ut suspendantur singulæ personæ secundum functiones proprias ipsarum, non vero secundum functiones proprias Communitatis. Tertio, ita ut utroque modo suspendatur. Et ratio est, quia Com-

Communitas hoc triplici modo peccare potest. Hoc posito, quamvis possit primo modo suspendi Communitas propter peccatum aliquorum, immo & solius Prælati; (quod tamen Sà loc. cit., & Laym. etiam negant) in quo casu etiam innocentes participant pœnam Communitatis; cum non possint exercere functiones convenientes Communitati, cujus sunt membra; sicuti filius per accidens punitur infamia patris peccantis: nihilominus propter peccatum aliquorum non potest suspendi tota Communitas secundo, aut tertio modo, ita ut etiam innocentes priventur functionibus, quæ illis ut particularibus personis conveniunt; & ideo nemo proprie suspenditur propter culpam alienam in sensu explicato, ita ut scilicet privetur non solum functionibus Ecclesiasticis, quæ sunt propriæ Communitatis, sed etiam iis, quæ propriæ sunt personæ particularis.

III. Neque dicas primo; prohibitum est excommunicare totam Communitatem, ne propter culpam aliquorum etiam innocentes excommunicentur; non est tamen prohibitum suspendere totam Communitatem; ergo signum est, posse etiam innocentes propter aliorum culpam suspendi.

Nam Respondeo, posse Communitatem suspendi primo modo propter peccatum aliquorum; in quo casu innocentes suspenduntur tantum relate ad functiones proprias Communitatis, non vero relate ad proprias singulorum: Non posse tamen Communitatem secundo, & tertio modo suspendi, nisi propter peccatum singulorum; ergo semper stat, quod suspensio proprie dicta, quæ sit suspensio totalis, & omnium functionum, tam quæ sint Communitatis, quam quæ propriæ singulorum, infligi non potest propter culpam alienam.

IV. Neque dicas secundo; Possunt interdici innocentes alicujus Communitatis propter culpam non propriam; ergo etiam suspendi.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas ex Con. est, quia per interdictum innocentes proprie non puniuntur, sicut nec per cessationem a divinis; sed Ecclesia ex justa causa denegat illis certa sua officia, & Clericis prohibet, ne ea ipsis impendant, quod non habet rationem pęnæ, sed solum carentiam boni indebiti: Contra tamen per suspensionem, & excommunicationem habetur privatio bonorum, quæ jam possidentur, quod est pęnale.

V. Quæritur tertio; An possit suspensio ferri ob delictum mere præteritum?

Respondeo cum Laym., & aliis communiter, Suspensionem, quæ sit pęna vindicativa, posse ob delictum mere præteritum ferri, non vero suspensionem, quæ sit censura, & pęna medicinalis; Hæc enim Judicis canonicam monitionem, & contumaciam delinquentis requirit, ut explicavimus cum de censuris in genere art. 4. quæsit. 3. Quare potest quis nulla præcedente comminatione suspensionis, nec canonica monitione, statim ob delictum præteritum suspendi ab officio, & beneficio, primo in perpetuum, & sine spe relaxationis; secundo ad tempus, puta ad triennium, vel donec satisfecerit; tertio ad beneplacitum Superioris, ita ut eo mortuo suspensio expiret; quarto ad beneplacitum Sedis, quæ nunquam moritur: Sed omnes isti modi Suspensionis non haberent rationem censuræ proprie dictæ, sed mere pœnarum spiritualium, ut notat Laym. hic ex Abbat. in cap. *Sæpe contingit*, *num.* 16. *de Appellationib.* Etenim ad rationem censuræ requiritur contumacia, atque adeo comminatio censuræ, & canonica Judicis monitio. Non negaverim tamen, quæstionem hanc esse de voce, dicendane sit censura, an non, suspensio ab officio, & beneficio, quæ mere ob delictum præteritum fertur sine prævia monitione. Nam, ut dicemus art. seq., quando violatur talis suspensio per exercitium majoris Ordinis, incurritur etiam irregularitas, dummodo in scriptis, & per modum censuræ feratur: Secus vero si superior oretenus alicui præcipiat, verbi gratia, ne celebret ob culpam aliquam præteritam; talis enim suspensio nullatenus habet rationem censuræ, sed est pura pęna vindicativa. Certum tamen est, ut notat Suar., suspensionem, si minus ut censuram, saltem ut pœnam delicti ferri posse sine prævia monitione; ut constat ex cap. *Jam literas*, *de testib.*, & ex cap. *Romana*, ubi recensitis tribus censuris, Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, de sola Excommunicatione dicitur nunquam ferri posse sine monitione.

ARTICULUS IV.

De Suspensionis Effectibus, ejusque Violatione.

I. Suspensus a beneficio solum privatur ejus fructibus; & probabiliter non redditur incapax alterius beneficii. Universim Suspensus privatur usu Ecclesiasticæ potestatis.

II. Violans suspensionem graviter peccat, nisi materiæ parvitas excuset.

III. Suspensio ab ingressu Ecclesiæ quid ferat? Et num ea contineatur sub censura Interdicti?

IV. Non possumus sine gravi culpa cum suspenso nominatim denunciato communicare in iis actibus, a quibus est suspensus.

V. Irregularitas non incurritur a violante suspensionem, nisi ea violetur per exercitium Ordinis majoris. Et quinam dicantur actus Ordinis Sacri?

VI. Actus

VI. Actus jurisdictionis exerciti a Suspenso nominatim denunciato sunt invalidi.

I. Certum est, Suspensionis effectus esse dumtaxat Privationem usus Ecclesiasticæ potestatis, seu officii, & beneficii, vel totaliter, vel partialiter, prout art. 1. explicavimus. Quare suspensio non privat beneficio jam habito, sed tantum ejus fructibus; ac proinde tenetur Beneficiarius suspensus & officium recitare, & reliquis oneribus beneficii satisfacere; cum suspensio puniat, non relevet. Utrum autem suspensus reddatur inhabilis ad novum beneficium suscipiendum? Communius affirmant; sed probabilius negatur a Suar. disp. 27. sect. 1., Pal., Laym., Con.; quia beneficii collationem Suspenso ipso jure irritari ex nullo textu colligitur, etiamsi verum sit, quod per Judicem irritari possit.

II. Quæritur nunc primo; An violans suspensionem graviter peccet?

Respondeo cum communi apud Suar. disp. 27. sect. 2., quod Suspensus ex suo genere mortaliter peccet exercendo actum, a quo est suspensus; quandoquidem violat præceptum Ecclesiasticum in re gravi; Aliquando tamen parvitas materiæ excusat a mortali; ut si quis suspensus ab ingressu Ecclesiæ parvo tempore in ea commoretur, dum recitantur divina officia; aut si suspensus ab Ordine aliquod exercitium Ordinum minorum præstet.

III. Rogabis hic? Quid significet aliquem esse suspensum ab ingressu Ecclesiæ?

Respondeo cum communi apud Escob., significare, quod prohibeatur illi celebrare in Ecclesia, divinis officiis interesse, & in ea sepeliri, nisi prius dederit signa pœnitentiæ, & fuerit absolutus; Non prohibetur tamen in Ecclesia orare, & Sacramenta recipere, nec jurisdictionem exercere; Immo licitum est sic suspenso celebrare extra Ecclesiam, hoc est in loco non designato per Episcopum in perpetuum ad celebrandum, puta in Oratoriis privatis, ut docent Escob., & Laym. de Interdicto cap. 1.

Notandum tamen, aliquos cum Suar. docere, quod prohibitio ab ingressu Ecclesiæ contineatur sub censura Interdicti; Communior tamen sententia cum Sà docet esse speciem suspensionis, quod tamen examinabimus, cum de Interdicto art. 2.

IV. Quæritur secundo; An peccet graviter, qui cooperatur, & communicat cum suspenso in iis actibus, a quibus est suspensus?

Respondeo cum communi affirmative, si suspensus sit denunciatus; secus vero si non sit denuntiatus. Nam a Concil. Constantiensi, & a Martin. V. in Extravag. *Ad vitanda* conceditur facultas communicandi tam cum excommunicatis, quam etiam cum suspensis nondum denunciatis; unde possumus licite petere administrationem Sacramenti ab Excommunicato tolerato, necnon a suspenso ab officio, si non sit denunciatus; & hic potest Sacramenta licite administrare petenti, modo cum debita dispositione administret; Quamvis non possit ipse non rogatus se ingerere, ut fuse diximus, cum de excommunicatione art. 2. cum Pal., & aliis contra Avil., Sylvest. Non possumus tamen ab eodem petere sine ulla necessitate, ut celebret; quandoquidem sine culpa celebrare non potest, antequam absolvatur sacramentaliter a mortalibus, & consequenter antequam absolvatur a censuris, ut ibidem etiam notavimus.

V. Quæritur tertio; An violans suspensionem irregularitatem incurrat?

Respondeo, non incurri irregularitatem per quamcumque violationem suspensionis; sed solum incurri a violante suspensionem, aut aliam censuram per exercitium Ordinis Sacri, seu majoris. Quare fit irregularis, qui suspensus ab Ordine missam celebrat, sacramentaliter absolvit, baptizat solemniter, ordines confert, &c., Epistolam, aut Evangelium solemniter canit, ut habetur in cap. 1. *de Sententia, & re judicata in 6.*, & in Extravag. Pii II. *Cum ex Sacramentorum:* E contra non incurrit irregularitatem, qui suspensus a jurisdictione illam exercet; cum hujusmodi irregularitas seu pœna non sit in jure expressa; Nec qui suspensus ab Ordinibus minoribus actus illorum solemniter exercet; cum isti actus fieri possint etiam a laicis, ut docet Bonac. ex Sayr. contra Suar. & Filliuc. Nec qui suspensus ab Ordinibus majoribus actus illorum exercet non solemniter, verbi gratia, canendo Epistolam absque manipulo; tunc enim non censetur canere ex officio, ut communiter Doctores docent; Nec demum concionando etiam cum superpelliceo; quia hoc non est ita munus Diaconi, ut non possit a laicis exerceri de licentia Episcopi, ut communiter etiam Doctores contra Navar., & Valent.

Notandum tamen hic ex Bonac., Filliuc., Escob., & Suar. disp. 26. quæst. 2., irregularitatem incurri non solum, quando per exercitium Ordinis majoris violatur suspensio perpetua, quæ est proprie censura, sed etiam quando violatur suspensio, quæ est pura pęna, & lata ad tempus determinatum; ut si dicatur, Sis suspensus, donec satisfacias, ex cap. 1. *de re judicata, & de sententia excommunicat.* ; 6. Ratio ex Suar. est, quia utraque suspensio privat sacro ministerio; & ideo per violationem utriusque irregularitas incurritur. Id tamen intelligendum de suspensione pęnali, quæ in scriptis per modum censuræ imponitur; non vero de præcepto oretenus facto, ne quis celebret, etiamsi illi dicatur,

tur, Ego te suspendo a celebratione missæ. Notandum etiam, quod suspensus non denunciatus nominatim irregularitatem non incurrat, si ad petitionem fidelium exerceat actus Ordinis Sacri; tunc enim licite eos exercet, & ideo nullam pœnam incurrit.

VI. Quæritur demum, Sintne validi actus jurisdictionis præstiti a Suspenso?

Respondeo, esse invalidos, nisi adsit error communis, & titulus coloratus, ut alias diximus, supplente tunc Ecclesia defectum jurisdictionis in bonum commune, ex leg. *Barbarius*. Ita Doct. communiter. Ubi duo notanda sunt. Primum est, Ecclesiam annullare ea tantum, quę ab ipsa dependent; quare suspensus valide celebrabit, cum consecratio non dependeat ab Ecclesia: Contra vero invalide sacramentaliter absolvet, quia ad absolutionem sacramentalem requiritur, præter Ordinem, jurisdictio, quæ ab Ecclesia confertur, & suspenso denegatur. Secundum est, acta per suspensum a jurisdictione, non denuntiatum nominatim, sicuti etiam acta per excommunicatum toleratum esse valida, prout annotavimus quæst. 3. art. 5. Quinimmo sic suspensus, aut excommunicatus licite potest actus jurisdictionis exercere, si non se ingerat, sed rogetur: secus vero peccabit mortaliter.

ARTICULUS V.

De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.

I. *Quando fertur suspensio duratura per mensem, intelligitur mensis, qui tunc temporis labitur. Quid si eo mense, aut anno incidat bissextum.*
II. *Suspensio lata per mensem non est censura. Suspensio vero lata, donec satisfeceris, est censura, sed satisfacta parte non indiget nova absolutione; secus vero juxta usum, si quis excommunicetur, donec satisfecerit.*
III. *Quandonam possit Episcopus, & Privilegiarii absolvere a suspensione Papæ reservata?*
IV. *Quis possit universim a Suspensione absolvere? Num possint Parochus, & simplex Confessarius absolvere a Suspensione non reservata, eo modo quo possunt ab excommunicatione non reservata.*
V. *Suspensio, quæ sit pura pœna, est reservata infligenti illam. Num possit ab Episcopo relaxari post peractam a Reo pœnitentiam?*
VI. *Quænam sint suspensiones magis obviæ in Jure latæ?*

I. Recolenda hic sunt, quæ diximus de absolutione a censuris in genere.

Quæritur solum primo; Si primo die, verbi gratia, mensis Maji, suspendatur quis per mensem, quandonam cessabit suspensio, post trigintane dies, an post integrum mensem Maji?

Respondeo cum Bonac. punct. 3., Suspensionem statim incipere eodem primo die Maji, quia quod dicitur in cap. 1. *de restitution. Spoliatorum*, quod scilicet dies termini non computetur in termino, intelligitur de iis, quæ non trahunt statim executionem: quia vero censura secum trahit executionem, statim incurritur postquam est lata. Desinit autem trigesimo primo die talis mensis jam completo; quia nomine mensis venit ille, qui tunc labitur, sive habeat triginta, sive vigintiocto dies, ut docet Ugolin. cum aliis Doctoribus: Debet tamen ultimus dies esse completus, ex cap. *Cupientes* §. *Cæterum*. Probabile tamen est, quod idem Bonac. docet cum communiori sententia, videlicet, quod qui per annum est suspensus, satisfaciat obligationi servando suspensionem per dies tercentum sexaginta quinque; Unde si annus sit bissextilis, & primo die Junii inciderit in Suspensionem, liber ab ea sit die trigesimo Maji completo anni sequentis; quia in materia odiosa dies bissextilis rejicitur, ex leg. *Cum hæres, de statu liberor.* Unde sequitur, quod qui per mensem suspensus est die primo Februarii anni bissextilis, liber sit a suspensione die vigesimo octavo completo, ut docet Henr., Vasq. contra Bartol.

II. Quæritur secundo; Quando quis suspenditur per mensem, vel donec satisfaciat, cessatne suspensio sine absolutione post mensem elapsum, vel satisfacta parte, an debet Suspensus absolvi, ut cesset Suspensio?

Respondeo, nos annotasse quæst. 2. art. 1. non esse rigorose censuram, quæ fertur per tempus determinatum, puta per mensem; quia censura cum sit pęna medicinalis, debet reo correcto per absolutionem cessare; potest autem reus corrigi serius, vel ocyus: Quare suspensio, quæ sic fertur, est pœna vindicativa, & hæc post tempus determinatum elapsum statim sine alia absolutione cessat. At suspensio, quæ fertur, Donec satisfeceris, est vere censura; satisfacta autem parte statim cessat sine nova absolutione; sicut potest etiam cessare excommunicatio: hæc autem quamvis sine nova absolutione cesset, non tamen cessat sine ulla absolutione, ut explicavimus loc. laud.; confertur quippe absolutio quando fertur Suspensio, seu excommunicatio, at pro quando parti satisfactum est.

Notandum tamen, quod plerumque illa verba, *Sis excommunicatus, donec satisfeceris*, significent, quod excommunicatus non possit absolvi, nisi post satisfactionem, post quam sequi debeat absolutio: E contra illa alia verba, *Sis suspensus donec satisfeceris*, significare solent, quod post satis-

satisfactionem statim sine nova alia absolutione liber sis a suspensione. Ratio disparitatis ex Bonac. est ipse usus, & praxis recepta; Et quia Judices inferiores Pontifice majorem facultatem videntur habere circa ferendam suspensionem, & Interdictum, quam circa excommunicationem; unde ad hanc tollendam videtur requiri nova absolutio.

III. Quæritur tertio; An Episcopi possint absolvere subditos suos a Suspensione reservata Papæ?

Respondeo, si ea proveniat ex delicto occulto, & non sit deducta ad forum contentiosum, Episcopos posse tam per se, quam per suos Vicarios ab ea absolvere; ex Trident. sess. 24. cap. 6.; secus vero non posse. Præter Episcopos possunt alii ex privilegio absolvere, seu dispensare in omni suspensione, sive a jure, sive generaliter lata ab homine; inter quos Patres Societ. a Superioribus deputati, qui possunt a tali censura absolvere, illamque relaxare, & dispensare; Siquidem, ut notat Suar. disp. 29. sect. 3., ipsa relaxatio dici etiam solet absolutio; unde tam censura suspensionis, quæ absolvitur, quam pœna, quæ relaxatur, tolli solet eadem formula, dicendo: Absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen, & restituo te ad executionem tui muneris, ac ordinis, & ad beneficium tuum.

IV. Quæritur quarto; Quinam possit universim absolvere a suspensione?

Respondeo, a Suspensione lata ab homine specialiter contra aliquem nominatim non potest absolvere, nisi qui eam tulit, vel ejus Successor, vel Superior, vel Delegatus; aliter perturbaretur Tribunal Judicis illam ferentis. Contra tamen a suspensione lata a jure, sive sit generalis, qua Communitas aliqua suspendatur, sive specialis, qua suspendantur particulares personæ, potest absolvere Ordinarius Suspensi, (vel ejus Vicarius) si non sit reservata, ut patet; si enim Ordinarius Suspensi non posset tollere Suspensionem non reservatam, frustra esset reservatio, quando additur Suspensioni.

Dubium est; An Parochus etiam, & simplex Confessarius, qui non habet in foro externo jurisdictionem, possint pariter ab ea absolvere?

Bonac disp. 3. punct. 2. concedit, quia Superior statim ac absolutionem non reservat, videtur illam concedere cuilibet Confessario: Additque id verum esse non solum de excommunicatione, sed etiam de aliis censuris; Unde Suar. docet, posse simplicem Confessarium absolvere etiam ab interdicto personali speciali non reservato; quamvis non possit ab interdicto locali, aut generali personali, ad quod requiritur jurisdictio in foro externo.

Communior tamen sententia, quamvis concedat, posse Parochum, & simplicem Confessarium absolvere ab excommunicatione non reservata, negat tamen de Suspensione, & Interdicto, quia, ut notat Laym. hic cap. 4. ex Avil. 3. part. disp. 6., & Henr., Suspensio, & Interdictum non impediunt absolutionem a peccatis, sicut excommunicatio; & hac de causa Parochus, & simplices confessarii habent a jure delegatam facultatem ad absolvendum ab excommunicatione non reservata, ut possint a peccatis absolvere: secus vero a Suspensione, & Interdicto. Notat tamen Laym.; quod cui committitur facultas absolvendi a casibus Episcopalibus, delegatur pariter facultas absolvendi a suspensione non reservata; unde communiter Religiosi ex privilegiis suis possunt in foro conscientiæ ab omni suspensione non reservata absolvere, ut notat Busemb.

V. Quæritur ultimo; An dicenda sit reservata Suspensio, quæ fertur ut pura pœna ad tempus determinatum, puta per triennium, aut quæ fertur in perpetuum?

Respondeo cum Laym. loc. cit., & aliis communiter affirmative. Quare Episcopus non potest talem penam a jure latam relaxare, cum non possit inferior in lege Superioris dispensare, nisi in casibus specialiter concessis.

Dubium dumtaxat est apud Doctores; An quando fertur a jure Suspensio sine temporis determinatione, & sine expressione, quod in perpetuum duret, possit ab Episcopo absolvi post peractam a Reo pœnitentiam?

Negant Abb., & Navar., quia talis Suspensio habet rationem pœnæ; pœna autem absolute lata censetur esse perpetua, & irremissibilis a Judice inferiore, ex leg. *Servus Cod. de pœnis*. Sed communius affirmant cum Laym., Avil. 3. part. disp. 6., Suar. disp. 29. sect. 1.; quia talis pœna videtur esse imposita, non ut vindicativa, sed ut medicinalis ad tollendam contumaciam; qua sublata possit consequi absolutio; sicut dicitur de omnibus censuris: Præsertim quia si auctor Suspensionis voluisset illam perpetuam, & irremissibilem, id expressisset, ut sæpe solet.

VI. Demum qui scire velit; Quænam sint Suspensiones juris communiores? consulat Busemb. de Suspens. dub. 2. Inter eas tamen notatu digna est primo suspensio contra Clericos recipientes Ordines Sacros ab alieno, vel a proprio in aliena Diœcesi, vel sine ætate legitima, aut sine dimissoriis, vel titulo, aut extra tempora, non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura; qui omnes ab executione Ordinum sunt suspensi. Secundo, contra Sodomiam exercentes, simoniacos, provocantes ad duellum, vel acceptantes, contra raptores, vel præbentes

tes ad id auxilium. Tertio, contra Visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera, usque dum restituant duplum. Quarto, contra asserentes etiam in sermonibus, & scripturis privatis, quod Beatissima Virgo fuerit concepta in originali; & contra disserentes in alterutram partem de conceptione Beatæ Virginis in contione populari, ubi adest virorum, & mulierum multitudo, asserendo propriam sententiam rationibus, & auctoritatibus, & alteram repellendo; Necnon qui præsumit de hac ipsa quæstione vulgari sermone scribere, vel dictare, ex Bulla Pii V. apud Bonac. hic punct. 5. §. 1. Quinto, contra Episcopos, & Ordinantes non subditum, aut indignum, aut simoniace: Contra eosdem intrantes monasteria monialium sine necessitate; Contra admittentes resignationem adversus formam præscriptam, & contra delinquentes adversus Clericorum immunitatem; Ac demum in eosdem Episcopos non visitantes limina Apostolorum tempore præscripto a Sixto V.

ARTICULUS VI.

De Depositione, & degradatione.

I. Quid importet Depositio, quid Degradatio? Per priorem privatur Clericus omni officio, ac beneficio, retento solum privilegio fori, & Canonis; Per posteriorem vero etiam hoc privilegio cum quadam solemnitate privatur.
II. in quo differat Suspensio a Depositione, & Degradatione?
III. Degradatio verbalis confunditur cum Depositione; secus vero Realis.
IV. Plura gravia crimina trahunt Depositionem, & plura graviora Degradationem.
V. Depositio, & Degradatio Presbyteri spectat ad Episcopum; Episcopi autem ad Pontificem. Degradatus a solo Pontifice potest in pristinum statum restitui; Depositus vero aliquando etiam ab Episcopo.

I. QUæritur primo; Quid importent Depositio, ac Degradatio, & in quo differant a Suspensione?

Respondeo, Depositionem esse pœnam Ecclesiasticam non medecinalem, sed vindicativam, qua Clericus omni officio, vel beneficio in perpetuum privatur, retento solo privilegio fori, & Canonis: Degradatio vero non solum privat omni officio, & beneficio, sed etiam privilegio fori, & Canonis cum quadam solemnitate, unde degradatus traditur brachio sæculari, ut puniatur tanquam laicus.

II. Differunt itaque Depositio, & Degradatio a suspensione, quod suspensio privat tantum usu officii, & fructibus beneficii cum spe absolutionis; illæ vero privant officio ipso, ac beneficio, seu titulo & jure beneficii, & consequenter ejus administratione, & fructuum suspensione sine spe relaxationis.

III. Distinguunt aliqui Degradationem in Verbalem, & Realem, & dicunt, Verbalem confundi cum Depositione; Realem vero esse, quam diximus. Eaque fieri solet astantibus Abbatibus infulatis, idest habentibus jus mitræ, & baculi, atque assistentibus aliis in dignitate constitutis; & tunc inducitur ad conspectum Episcopi degradandus gestans vestes, & vasa sacra pertinentia ad Ordinem, a quo degradatur, atque ab Episcopo gradatim iis exuitur, & privatur; ac tandem tondetur prolatis quibusdam verbis terrorem incutientibus. Ita Bonac. hic.

IV. Quæritur secundo; Ob quæ crimina ferri possit Depositio, & Degradatio?

Respondeo, crimina, quæ depositionem merentur, sunt adulterium, stuprum, incestus, notorius concubinatus, furtum, perjurium, homicidium etiam solo consilio patratum, simonia notoria, necnon alia crimina enormia, quæ trahunt irregularitatem: Degradationem vero merentur homicidium qualificatum, puta parricidium, hæresis manifesta, sodomia sæpius exercita, falsificatio literarum Apostolicarum, calumnia proprio Episcopo irrogata, & quodvis crimen, in quo aliquis redditur incorrigibilis; necnon crimina valde Reipublicæ perniciosa. Ita communiter apud Laym. hic.

V. Quæritur demum; Quinam possit ferre, & tollere Depositionem, & Degradationem?

Respondeo cum Bonac. hic, Depositionem, & Degradationem presbyteri pertinere ad proprium Episcopum, vel ejus Vicarium generalem post Trident. sess. 13. cap. 14; Episcopi vero Depositionem, & Degradationem spectare ad Pontificem, sicut & Religiosorum exemptorum; nisi ex consuetudine, vel privilegio eorum Prælato talis potestas competat. Degradatum vero in pristinum statum restituere solus Pontifex potest, ex cap. *Lapsis*; quamvis raro, aut nunquam id fiat. Depositum autem potest etiam Episcopus in pristinum statum restituere, si crimina, ob quæ fuit depositus, leviora sint adulterio, ex cap. *At si Clerici, de judiciis*; quamvis non soleant Depositi ad Clerum restitui, ex cap. *Percutit, dist.* 50.

QUÆSTIO VII.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

QUæremus primo; Quid & Quotuplex sit Interdictum? Secundo, quinam ejus effectus? Tertio, quam ob causam feratur? A Quo, & erga Quos? Quarto, de ejus violatione, ac de participatione cum personis interdictis. Quinto, de ejusdem ablatione; Demum, de cessatione a Divinis: quæ Interdicto persimilis est.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Interdictum?

I. Per hanc censuram prohibentur omnia divina Officia, nonnullorum Sacramentorum administratio, & Ecclesiastica sepultura. In quo differat ab aliis censuris Interdictum?

II. Interdictum aliud est Personale, aliud Locale; & utrumque subdividitur in Generale, & Particulare; necnon in latum ab homine, & latum a jure.

III. Personale Interdictum non trahit locale, nec e converso, nisi forte per accidens.

IV. Interdictum locale ab omnibus omnino servari debet; esto possit Episcopus ferens hanc censuram etiam ad aliquos effectus illam suspendere, aut tollere.

V. Civitate interdicta intelliguntur etiam interdicta loca Religiosorum, Suburbia, & Ædificia continentia.

VI. Ex vi Interdicti personalis generalis quænam Personæ obligentur, & quænam excipiantur? Interdicto dumtaxat Clero, probabiliter non intelliguntur interdictæ Personæ religiosæ.

I. QUæritur primo; Quid veniat nomine Interdicti?

Respondeo, interdictum esse *Censuram Ecclesiasticam, qua prohibentur omnia divina officia, nonnullorum Sacramentorum administratio, & Ecclesiastica sepultura.* Ita communiter Doctores; Unde fit, convenire Interdictum cum reliquiss censuris in hoc, quod privet quibusdam bonis spiritualibus; Differt tamen ab iis, quia excommunicatio privat Sacramentis, necnon divinis officiis, &c. quatenus continent sacram communicationem cum fidelibus; Suspensio privat spiritualibus bonis, quatenus proveniunt ex potestate clericali, quæ per censuram impedita est: at Interdictum privat iisdem, quatenus continent participationem quandam, & dispensationem rerum sacrarum, quas Ecclesia justis de causis prohibet etiam aliquando innocentibus.

II. Quæritur secundo; Quotuplex sit Interdictum?

Respondeo, dividi primo in Personale, & Locale. Illud afficit immediate personam, prohibendo illi ubicumque sit participationem prædictarum functionum sacrarum: Locale vero afficit immediate locum, prohibendo ne in eo Sacræ illæ functiones fiant; Quando tamen tam locus, quam incolæ interdicuntur, tale Interdictum dicitur mixtum, complectens utrumque, Locale, & Personale.

Subdividitur utrumque in Generale, & Particulare. Primo itaque Interdictum Personale generale respicit communitatem aliquam, puta Civitatem, familiam, Collegium, Clerum, Capitulum, exercitum, &c., inquantum sunt unum corpus politicum, & constringit etiam innocentes, nisi eximantur. Secundo Personale particulare, seu speciale respicit Personas particulares, vel nominatim, verbi gratia, Episcopum, Gubernatorem, &c., vel in genere interdicendo, verbi gratia, omnes, qui tale facinus commiserunt; in quo casu personæ particulares, quamvis ignotæ, interdicuntur, inquantum personæ particulares sunt, & non inquantum sunt membra corporis politici. Tertio Interdictum locale generale est, quo interdicitur locus, qui a pluribus habitationibus occupatur, ut Regnum, Provincia, Diœcesis, Civitas, Oppidum; necnon Parochia, quæ plures sub se Ecclesias habeat, aut Villa. Quarto Interdictum particulare locale respiciat certum locum Sacrum, unum, vel plures, verbi gratia, Ecclesiam, aut Ecclesias parochiales; quo nomine comprehenduntur etiam Cappellæ, & Cœmeteria contigua. Quemadmodum nomine Civitatis intelliguntur etiam suburbia, licet ad alterius jurisdictionem sive temporalem, seu Ecclesiasticam spectent, ut sunt Ecclesiæ regularium, & Equitum Sancti Joannis, ex cap. *Si Civitas, de sententia excommunicat. in 6.* tum quia, ut notant Laym., & Avil., accessorium sequitur conditionem principalis; tum quia alioqui parvifieret Interdictum, si populus posset divina peragere in suburbiis: Et idem dicas ex Avil. de Ædificiis continentibus, seu propinquis Civitati, nisi a Civitate distent per aliquod milliare, ex Silvest. Præterea Interdictum locale generale, & particulare illud etiam habent discrimen, quod interdicta, verbi gratia, Civitate, neque intra, neque extra Civitatis Ecclesias licitum est divina celebrare:

 Con-

Contra vero interdicta, v. g., una, aut omnibus Ecclesiis Civitatis, licitum est extra tales Ecclesias in aliis Oratoriis ea celebrare.

Dividitur deinde Interdictum in Totale, & Partiale: Illud comprehendit omnes effectus Interdicti; hoc vero solum aliquos; ut si quis tantum interdicatur a Sacramentorum susceptione, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel ab Ecclesiastica sepultura.

Dividitur tertio in Latum ab homine, & Latum a jure. Demum in latum tanquam censuram, seu ut pœnam medicinalem ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipientis, & in latum ut puram pœnam vindicativam peccati præteriti.

III. Dubium est primo; An posito Interdicto locali censeatur simul positum personale; Aut e converso posito Interdicto personali Communitatis censeatur positum locale.

Respondeo negative cum communi apud Laym. & Hurt. diff. 3. Quare posito Interdicto locali etiam generali, verbi gratia, interdicta Civitate, non sunt interdictæ personæ Civitatis, nisi tantum illæ, ob quarum culpam positum est Interdictum locale, ex cap. *Si sententia*, *de sententia excommunicat. in 6.*; reliquæ vero possunt extra locum interdictum interesse Divinis. Eodem modo posito Interdicto personali generali non censetur locus interdictus, ut communiter docent cum Con., Suar., Hurt. contra Covar., & Henr.; cum unum non trahat alterum. Quare interdicto populo alicujus Urbis, possunt Clerici, qui non sunt interdicti, celebrare divina officia in Ecclesiis, etiam januis apertis, & pulsatis campanis, ut possint confluere alienigenæ, qui non sunt cives, sed vel negotii, verbi gratia, vel studiorum causa ibi commorantur; Nisi aliquando per accidens id non liceat, quia scilicet interdicti non possunt aliter a templo excludi. Ubi adverte, quod interdicta aliqua communitate, si quis desinat esse membrum illius communitatis, verbi gratia, per mutationem domicilii, desinit esse interdictus, si causam illi sua culpa non dederit, sicut e contra, si quis fiat de novo membrum communitatis interdictæ, tunc incipit ligari Interdicto talis communitatis, ut notant Laym., & Avil.

IV. Dubium est secundo; A quibusnam servari debeat Interdictum locale?

Respondeo, ab omnibus omnino, etiam ab Exteris, a Religiosis, ab Innocentibus, ab ipsomet ferente Interdictum, quia hæc non est prohibitio facta personis directe, sed est privatio divinorum officiorum loco imposita; & talis obligatio nascitur a jure communi, cui ferens Interdictum derogare non potest: Solum potest, qui Interdictum tulit, illud suspendere, vel tollere, aut simpliciter, aut ad aliquos effectus, & sic potest ipse divina officia celebrare.

V. Hic autem adverte, quod interdicta Civitate intelliguntur interdicta non solum loca Religiosorum, suburbia, & ædificia continentia, ut diximus; sed etiam Ecclesia Cathedralis, ut communiter docent contra Escob., Covar., & Henr.. aliter enervaretur vis Interdicti. Sic Interdicta Diœcesi intelligitur Civitas interdicta, & interdicta aliqua Ecclesia intelliguntur interdictæ ejus Cappellæ, & Cœmeterium: Contra vero interdictis Cappellis non intelligitur interdicta Ecclesia, & interdictis ab Ordinario omnibus Ecclesiis Civitatis per Interdictum speciale, non intelliguntur interdictæ Ecclesiæ exemptæ Religiosorum; quia hæ ab Ordinario interdici non possunt per Interdictum speciale, sed solum per generale.

VI. Dubium est tertio; Quinam obligentur per Interdictum personale generale?

Respondeo, interdicto populo, vel alia communitate, interdictas esse omnes personas talis communitatis, etiam innocentes, etiam habitantes in suburbiis, (modo sui juris non sint, nec habeant honores, & onera distincta) etiam Marchiones, Duces, &c., si censeantur esse de tali populo.

Primo tamen excipiuntur Episcopi, si non fiat de iis expressa mentio, ex cap. *Qui periculosum*, *de sententia excommunicationis in 6.*

Secundo, Clerici, & a fortiori Regulares; quia nomine populi non veniunt Ecclesiastici: Notat tamen Bonac., quod si aliqua familia interdicatur, etiam Clerici illius familiæ sunt interdicti; quia tale Interdictum est speciale relate ad omnes personas talis familiæ.

Tertio, Infantes, & Amentes, quippe incapaces obligationis; quamvis non debeant sepeliri in loco Sacro, ut dicemus, cum hæc obligatio cadat in eos, qui sepeliunt.

Quarto Exteri, qui studiorum, vel negotiorum causa ibi habitant, etiamsi longo tempore; quia non censentur membra talis communitatis, juxta satis probabilem opinionem.

Quinto, qui per mutationem domicilii desinunt esse illius populi.

Sexto, qui habent duplex domicilium, alterum in loco interdicto, alterum in non interdicto; quando non habitant in loco interdicto, si non dederint causam Interdicto.

Septimo, qui tulit Interdictum; quamvis enim subjiciatur Interdicto locali, non tamen personali generali, cum non possit seipsum punire: Quod si Interdictum feratur in Clerum, probabiliter non comprehenduntur Religiosi, ut diximus quæst. super. art. 2. cum Pal., & Avil.; Nec comprehenduntur Clerici, qui solum habent privilegium Canonis, & non fori; cum hi reputentur seculares.

ARTICULUS II.

De effectibus Interdicti.

I. Nonnisi tres sunt effectus Interdicti, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ. Plura tamen in cap. Alma Mater *permittuntur.*

II. Quænam Sacramenta vi Interdicti prohibeantur?

III. Qui privilegio gaudet audiendi Missam tempore Interdicti, num die festo teneatur illam audire?

IV. Quænam dicantur Divina officia tempore Interdicti vetita?

V. Quinam possint tempore interdicti Divinis officiis, quæ permittuntur, interesse? Num infantes? Num Clerici conjugati? Num familiares eorum, qui privilegio gaudent?

VI. Ecclesiastica sepultura quibusnam, & quando per Interdictum prohibeatur?

VII. Num possit Ecclesiastica sepultura dari Interdicto, aut Suspenso ab ingressu Ecclesiæ? Et quid interest inter Suspensionem, & Interdictum ab ingressu Ecclesiæ?

VIII. Interdictus nominatim denunciatus non privatur usu jurisdictionis in foro externo.

IX. Num sit invalidum, an solum illicitum Sacramentum Pœnitentiæ ab Interdicto administratum?

I. TRes sunt, ut diximus, Interdicti effectus, Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium officiorum Divinorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ. Bonifacius VIII. jure novo in cap. *Alma Mater* tria indulsit tempore Interdicti, (videlicet localis generalis, ut patet ex contextu) quæ jure antiquo erant prohibita. Primum circa Sacramentum Pœnitentiæ, quod possit ministrari omnibus, qui non dederunt causam culpabilem Interdicto; vel qui suo consilio, auxilio, aut favore non concurrerunt ad delictum, propter quod lata est sententia Interdicti; Istis tamen solum in articulo mortis permittitur Sacramentum Pœnitentiæ. Secundum, quod possint celebrari missæ, & alia divina officia a Clericis in singulis Ecclesiis, (quo nomine ex Bonac. veniunt etiam hospitalia erecta auctoritate Episcopi, & Oratoria privata approbata ad missas in iis celebrandas) necnon in monasteriis; sed januis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, exclusis laicis non habentibus privilegium, exclusis etiam excommunicatis, ac interdictis, scilicet denunciatis, cum hos tantum excludere teneamur, ut notat Pal. Qui tamen si nolint exire, non proinde tenetur Sacerdos omittere Sacrum, ut putant Suar. & Laym. cum non sit eadem ratio de excommunicato, ac de interdicto denunciato. Tertium, quod in quatuor festivitatibus præcipuis anni, videlicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, possint officia celebrari solemniter januis apertis, alta voce, pulsatis campanis, & interdictis admissis, dummodo altari non appropinquent, qui dederunt causam Interdicto, idest, ut exponit Suar. disp. 14. sect. 1. dummodo non communicent, nec ab iis oblationes accipiantur.

Hoc privilegium extendit Martinus V. ad festum Corporis Christi Domini; & Eugenius IV. ad totam ejus octavam; Et Leo X. extendit ad festum Conceptionis Beatæ Virginis, & ad ejus octavam, ut notat Avil. part. 5. disp. 4. sect. 2. ex Sylvest. Henr. cap. 40. num. 4. & aliis. Porro festum Paschæ, & Pentecostes incipit a Missa Vigiliæ, quia in earum Vigiliis missa fit de ipsis festivitatibus per anticipationem: Alia vero festa incipiunt a primis vesperis, & desinunt non in secundis vesperis, ut aliqui putant, sed in completorio festi, cum hoc pertineat ad celebritatem illius diei. Pal. Avil. Con. Hurt. putant, festum Nativitatis, Paschæ, & Pentecostes includere sequentes dies festivos; quamvis aliqui cum Glossa dicant durare primo tantum die. Præterea Gregorius IX. in cap. *Permittimus, de sententia excommunicat.* in Interdicto locali, sive generali, sive speciali concedit Clericis, Pastoribus (idest Parochis, qui id aliis committere possunt) semel in hebdomada celebrare ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis, servatis conditionibus præscriptis in dicto cap. *Alma Mater*. Permittitur etiam in cap. *Quod in te, de Pœnit. & Remission.* quod in Ecclesiis Collegiatis officium divinum a Clericis binis, vel ternis peragatur, non cantando, sed legendo sub iisdem conditionibus.

II. Quæritur nunc primo; Quænam Sacramenta prohibeantur per Interdictum?

Respondeo, prohiberi omnium Sacramentorum administrationem, & perceptionem, exceptis casibus in jure expressis, quos mox subjiciemus percurrendo per singula Sacramenta.

Primo itaque excipitur baptismus, qui omnibus ministrari potest cum solitis solemnitatibus; quamvis non a persona specialiter interdicta, nisi privatim in casu necessitatis.

Secundo excipitur Confirmatio, quæ baptismo est affinis, & illius quasi complementum: Quare omnibus pariter ministrari potest, & ideo potest confici Chrisma etiam in loco specialiter interdicto.

Tertio excipitur Sacramentum Matrimonii, quod in loco interdicto non solum a persona generaliter, sed etiam a specialiter interdicta celebrari potest, ut putant Pal. Hurt. contra Bonac. Ugolin. Sayr. & alios. Etenim matrimonium non cadit sub hac prohibitione, cum non sit

sit res pure spiritualis; sed sit quidam humanus, & politicus contractus, cui ex institutione Christi Domini ratio Sacramenti est annexa; nullus autem contractus humanus tempore Interdicti prohibetur; Verum tamen est, quod notarunt Navar. & Sanch. contra nonnullos, benedictiones nuptiales tempore Interdicti non licere, nisi in festivitatibus, in quibus permittuntur divina officia.

Quarto, circa Extremam unctionem, certum est ex cap. *Quod in te* citato, neque recipi, neque ministrari posse in Interdicto sive locali, sive personali: Utrum autem Mendicantibus moribundis Extrema unctio conferri possit? Consulantur eorum privilegia: Quando autem infirmus nullum aliud Sacramentum recipere posset, probabile est, posse hoc illi ministrari ex præsumpta Ecclesiæ voluntate, ut docent Laym. Pal. & alii.

Quinto, nullum Ordinis Sacramentum conferri, aut recipi potest in loco interdicto, aut Clericis etiam generaliter tantum interdictis; Prima autem tonsura cum non sit Sacramentum, sed sacramentale, prohibetur solum, inquantum per Interdictum prohibentur divina officia, ut dicemus quæst. sequenti.

Sexto Sacramentum Pœnitentiæ conceditur, ut diximus, jure novo in cap. *Alma Mater*, omnibus, præterquam iis, qui causam dederunt Interdicto, excepto mortis articulo; immo istis neque in articulo mortis Sacramentum Pœnitentiæ, neque extra mortis articulum Confirmatio ministrari potest, nisi præstiterint prius satisfactionem: Quam si dare non possent, debent prius præstare cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, aut saltem juratoriam. Sacramentum autem Pœnitentiæ administrari potest a persona generaliter, non tamen a specialiter interdicta; cum huic quælibet administratio Sacramentorum prohibeatur extra casum necessitatis: Quamvis si administretur, valide administretur, ut notarunt Bonac. Pal. & Filliuc.

Septimo, Eucharistia permittitur solum in articulo mortis cum solita solemnitate, & comitatu; non tamen specialiter interdictis, nisi cum conditionibus supradictis: Extra mortis vero articulum, ne innocentibus quidem generaliter interdictis permittitur Eucharistiæ susceptio; pro iis enim sola Missæ celebratio conceditur in cap. *Alma Mater*. Clericis tamen, & Religiosis communionem licere, etiam posito interdicto locali speciali, docet Escob. in summ. cap. 4. ex Tolet.

Præterea probabilius est, quod docent Suar. disp. 33. sect. 1. Pal. contra Bonac. & alios, quod hi, qui causam Interdicto non dederunt, nec sunt specialiter interdicti, possint Eucharistiam recipere in illis festitatibus exceptis. Nam in cap. *Alma Mater* tantum excluduntur, qui causam Interdicto dederunt, & specialiter interdicti. Præterquamquod hoc privilegium administrandi in iis festivitatibus Eucharistiam habent fere omnes Religiosi ex suis privilegiis: Si quis tamen vellet oppositam sententiam sustinere, non teneretur præcepto communionis in Paschate; sicuti quia non permittitur Missa die festo tempore Interdicti, nemo tenetur ad illam audiendam.

III. Rogabis: An qui ex privilegio posset tempore Interdicti missam audire die festo, aut communicare in Paschate ad id teneretur?

Respondet affirmative Bonac. hic punct. 4. cum Henr. contra Avil. & Con. Sicut qui in carceribus detentus obtinet a Judice facultatem audiendi missam, tenetur illam audire, cum cesset impedimentum, a quo excusabatur. Avil. tamen part. 5. disp. 4. sect. 2. putat, solum Religiosos, & Clericos, qui secundum jus commune eximuntur ab Interdicto, ad id teneri; non tamen habentes privilegium; cum nemo teneatur uti privilegio suo. Quod confirmat, quia si diceretur missa in tali distantia, ut non comprehendatur in continentia mœniorum, quamvis non sit tanta, ut deobligaret homines ab audienda missa, si non esset Interdictum, non tenerentur tamen homines illuc ire ad missam audiendam tempore Interdicti. Ad rationem in contrarium respondet; impedimentum carceris esse impedimentum ipsius personæ; sicuti impedimentum infirmitatis; unde eo cessante datur obligatio audiendi missam: E contra in casu nostro impedimentum est ipsius juris deobligantis a missa audienda, & dantis privilegium aliquibus personis; quæ tamen cum non teneantur uti privilegio, non tenentur missam audire tempore Interdicti. At Clerici, & Religiosi tenentur audire missam, quia in Interdicto non includuntur; unde non habent privilegium, sed obligationem audiendi missam.

IV. Quæritur secundo; Quid veniat nomine Divinorum officiorum, quæ per Interdictum prohibentur?

Respondeo cum communi apud Suar. Bonac. & alios, Divinorum officiorum nomine intelligi quæcumque fiunt in Ecclesia a Ministro Ecclesiastico, seu a persona consecrata, vel deputata ad illud; sive quæcumque a solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur; ut sunt sacrificium missæ, horæ Canonicæ, officium Beatæ Virginis cum Psalmis, & litaniis in loco ad id deputato cum sua solemnitate; unde etiam monialibus tempore Interdicti id prohibetur; Et universim omnia Sacramentalia prohibentur, seu omnia, quæ ad solemnem ritum Sacramentorum spectant, vel immediate, vel præparatorie, vel consecuti-

cutive; ut solemnis benedictio nuptiarum jam celebratarum, benedictio templi, vasorum, & vestium sacrarum, & candelarum in die Purificationis, & ramorum in die Palmarum, fontis baptismalis, aquæ lustralis, Chrismatis, altaris consecratio, fusio aquæ cum Asperges, solemnis benedictio Episcopi, professio solemnis in Religione, litaniæ processionaliter recitatæ, collatio primæ tonsuræ, &c. Contra tamen permittuntur, quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam; cum non censeantur officia Ecclesiastica communia, sed privata, ut benedictio mensæ, oratio pro itinere, adoratio Crucis die Parasceves, sine tamen orationibus ab Ecclesia pro eo actu institutis, quæ dicuntur officia illius diei. Permittitur pariter salutatio Angelica dici solita statutis horis diei, concio, lectio sacra, litaniæ in Ecclesia, vel extra Ecclesiam cantatæ, dummodo non cantantur solemniter, idest cum superpelliceo, & cum, Dominus vobiscum. Recitari etiam potest confessio generalis; quia hæc omnia etiam a laicis fieri solent; potest etiam qui ad officium tenetur, recitare illud cum sociis, modo non ita recitent, ut publicam orationem facere videantur.

Cum autem Divina officia non permittantur, nec permittitur pulsatio campanæ ad convocandos Sacerdotes ad missas celebrandas; immo aliqui putant, neque licitum esse uti tintinnabulo ad Sanctus, & in missæ elevatione, sed tabula cum matraca, seu tuba, quorum tamen sententiam non sequor, cum tintinnabulum non pulsetur ad populum convocandum, sed ad excitandum illum ad Christi adorationem; & ideo omnes docent, licitum esse pulsare campanas in solita salutatione Angelica; vel ad indicandam populo festivitatem alicujus diei, vel ad Eucharistiam comitandam, aut ad concionem, &c. cum hoc non sit ad Divina officia convocare.

V. Dubium est; Quinam possit tempore interdicti localis generalis admitti ad Divina officia, quæ permittuntur in cap. *Alma Mater* singulis Ecclesiis, & Monasteriis sive virorum, sive mulierum, januis clausis, voce submissa, & non pulsatis campanis?

Respondeo cum Bonac. punct. 3. posse admitti. Primo amentes, & infantes; quia cum careant usu rationis, non sunt capaces præcepti, & obligationis, nec possunt Divinis officiis moraliter interesse; Et ideo putat Henr. non esse peccatum admittere infantem ad Claustrum Monialium; quamvis in Trident. sess. 24. cap. 5. feratur excommunicatio in ingredientes Claustra Monialium. Secundo admitti possunt Clerici non conjugati, dummodo non sint excommunicati, aut specialiter Interdicti, nec dederint causam Interdicto; cum enim Divina officia permittantur, & hæc a clericis celebrentur, permittitur consequenter clericos ad ea admittere. Admitti etiam possunt propter eandem rationem Clerici conjugati, si sint addicti alicui Ecclesiæ, vel ministerio Sacro; aliter reputantur tanquam laici; quamvis, si gestent habitum, & tonsuram, gaudeant privilegio Canonis, & fori. Contra tamen non possunt admitti Primo excommunicati, & interdicti, videlicet nominatim denunciati, ut supra notavimus, quia istos tantum tenemur vitare. Secundo laici non habentes privilegium, ut docent communiter Doctores cum Suar. Avil. quia aliter frustra claudendæ essent januæ ad Divina celebranda.

Dubium est secundo; An qui tempore Interdicti habet privilegium assistendi Divinis officiis, possit secum adducere familiares?

Respondeo cum communi affirmative; dummodo causam non dederint Interdicto: Familiares autem dicuntur domestici, qui sunt de ejus familia, & eum solent comitari; atque adeo non solum uxor, filii, &c. sed etiam famuli, qui continue in ejus familia assistunt sustentati ejus sumptibus. Quod si quis famulorum, qui illum comitari solent, sit absens, aut infirmus, potest alter substitui: Isti tamen non possunt sine domino ad Divina officia admitti.

VI. Quæritur tertio; Quibus, & quando prohibeatur Ecclesiastica sepultura?

Respondeo, quodvis interdictum sive personale, sive locale privare Ecclesiastica sepultura tam personas, quam locum, ita ut scilicet in loco interdicto non possit sepeliri cadaver in Ecclesia, aut in Cœmeterio benedicto, nec in loco ubi Divina peraguntur, nec cum pompa funerali; Si tamen interdictum sit locale, possunt in alio loco sacro non interdicto sepeliri personæ, quæ non dederunt causam interdicto, nec sunt nominatim denunciatæ; cum nullum extet impedimentum neque ex parte personæ, neque ex parte loci non interdicti. Non possunt tamen in loco sacro interdicto sepeliri ne infantes quidem, & amentes; quia quamvis non extet impedimentum ex parte personæ, extat tamen ex parte loci interdicti: Quare sepeliri debent in campo, aut in Cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto.

Notat tamen Laym. ex Suar. Con. & aliis contra Sa, & Escob. in summ. cap. 4. in interdicto generali satis esse, ut tota communitas sit denunciata, ut singula ejus membra teneamur vitare relate ad officia Divina, & Ecclesiasticam sepulturam; cum sit moraliter impossibile omnes nominatim denunciari. Si tamen in loco Sacro sepeliantur, non eatenus sunt exhumandi; immo e contra qui tempore interdicti in loco non sacro sepeliuntur, ela-

pso

pso interdicto, exhumandi sunt, & in loco sacro sepeliendi.

A prædicta regula excipiuntur. Primo Clerici, qui si non dederunt causam interdicto, sicut possunt officia Divina celebrare januis clausis, ita possunt eodem modo in loco sacro etiamsi generaliter interdicto sepeliri, & in quatuor illis festivitatibus possunt etiam cum pompa funerali: Nomine autem clericorum veniunt etiam Religiosi, Moniales, & Clerici conjugati addicti servitio alicujus Ecclesiæ: Secundo excipiuntur laici, qui habent privilegium assistendi Divinis officiis; tum quia quibus communicamus vivis, possumus etiam mortuis communicare; tum etiam quia, si conceditur iis assistere Divinis officiis, quod est principale, conceditur pariter Ecclesiastica sepultura, quæ est accessorium: Tertio propter eandem rationem puto cum Bonac. Henr. Sylvest. contra Suar. Con. Avil. quod possint etiam laici in quatuor illis festivitatibus sepeliri in loco sacro publice; quamvis enim Ecclesiastica sepultura non sit Divinum officium, tamen quibus conceditur, quod est principale, intelligitur etiam illud accessorium concedi.

VII. Rogabis; An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in loco sacro sepeliri?

Respondeo, ex cap. *Is cui*, *de sententia excommunicat. in 6.* quod si dederit signa contritionis, possit absolvi, & in loco sacro sepeliri; secus vero non possit. Quid autem significet, aliquem esse interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & utrum talis censura sit dicenda suspensio, an vero Interdictum? diximus quæst. super. art. 4.

Notandum hic solum ex Avil. disp. 4. dub. 5. & Henr. per suspensionem ab ingressu Ecclesiæ solos Clericos ligari; per Interdictum vero ab Ecclesiæ ingressu ligari etiam laicos, ne Officiis Divinis intersint. Præterea talis suspensio ferri non potest pro culpa aliena; potest vero tale interdictum ferri; Et ideo aliquando in jure hæc censura vocatur suspensio ab ingressu Ecclesiæ, aliquando vero interdictum.

VIII. Quæritur quarto; An interdictus privetur usu jurisdictionis exterioris?

Respondeo cum Bonac. Avil. & aliis communiter negative; cum hoc non includatur in triplici effectu assignato interdicti. Quare interdictus, etiam nominatim denunciatus, poterit excommunicare, & absolvere in foro exteriori, etiam cum solemnitate, tam intra, quam extra Ecclesiam. Sacramentum vero Pœnitentiæ ministrare non potest, cum hoc includatur intra Divina officia, quæ per interdictum prohibentur.

IX. Utrum autem Sacramentum Pœnitentiæ ab interdicto ministratum sit solum illicitum, an etiam invalidum? Disputant Doctores. Bonac. putat, esse solum illicitum, sicuti si ab irregulari ministraretur. Suar. tamen censet, fore invalidum, quia interdictum privat rebus Divinis, quantum potest.

ARTICULUS III.

Quam ob causam? A Quo? Et erga Quos ferri potest Interdictum?

I. Interdictum personale speciale præsupponit culpam propriam; secus vero Interdictum generale, sive personale, sive locale.

II. Innocentes per Interdictum generale non puniuntur, sed solum Ecclesia ob justam sui defensionem subtrahit illis suum ministerium.

III. Interdictum generale prærequirit gravem culpam. Et probabilius etiam Interdictum speciale personale, nisi sit partiale.

IV. Interdictum generale, ac speciale locale imponi nequit ob debitum pecuniarium; potest tamen ob id imponi Interdictum speciale personale, non secus ac Excommunicatio, & Suspensio.

V. Ritus ferendi Interdictum quinam sit?

VI. Ferre possunt Interdictum, qui jurisdictionem habent in foro exteriori, demptis Prælatis regularibus ex desuetudine. Etiam excommunicatus vitandus interdicere potest.

VII. Quænam personæ, & quænam loca interdici possunt?

VIII. Interdictum locale etiam ab Interdicente servandum est; nisi velit illud ad tempus, vel simpliciter tollere.

I. QUæritur primo? Ob quam culpam possit Interdictum ferri?

Respondeo, Interdictum personale speciale ferri non potest, nisi ob culpam propriam, cum nullus innocens possit licite puniri. Ita communiter contra Avil. dub. 3. Ubi ex Henr. dicit, posse uxorem propter culpam mariti interdici; quia quamvis nemo possit puniri ob culpam alienam in bonis spiritualibus interioribus, potest tamen in bonis spiritualibus externis, quæ sunt externa adminicula spiritualia. Interdictum vero generale personale, sicut etiam locale, tam generale, quam speciale ferri potest propter culpam alienam, non tamen propter culpam personæ privatæ, nisi tantum a Pontifice. Etenim pœnæ communitatis debet supponere culpam etiam ipsius communitatis. Quare ferri potest propter culpam vel communitatis, vel ejus capitis, aut Domini temporalis, habetur in cap. *Si sententia*, *de sententia Excommunicat.*

II. Neque dicas, quod in tali casu innocentes punirentur. Nam, ut superius diximus, per Interdictum generale Personale, aut Locale non privantur innocentes bonis spiritualibus, ad quæ jus aliquod habeant; (sicut per Suspensionem

sionem privantur usu juris jam acquisiti) sed solum subtrahit Ecclesia interdictis suum ministerium; quod nocentibus cedit in pœnam, & ignominiam; innocentibus vero non vertitur in pœnam, sed id iis permittitur propter justam Ecclesiæ defensionem: Sicuti si Rex propter culpam perduellium tolleret ab aliqua civitate privilegia concessa, donec sibi satisfieret.

III. Dubium est; An propter venialem culpam ferri possit aliquod Interdictum?

Respondeo, certum esse, quod citra culpam gravem ferri non possit Interdictum Generale Personale, & Locale, quod etiam innocentes afficiat; cum sit pœna gravissima. Interdictum vero personale speciale ferri posse ob culpam venialem, putant Avil. Henr. Sa, Hurt. diff. 13. non secus ac ob levem culpam fertur excommunicatio minor, quæ est major pœna, quam Interdictum; Illa siquidem privat perceptione passiva omnium Sacramentorum, & electione passiva ad Beneficium; Interdictum vero solum aliquibus Sacramentis privat. Verum negat probabilius Suar. Vasq. Laym. Pal. tum quia privat Interdictum gravissimis bonis, quibus non privat excommunicatio minor, videlicet divinis officiis, Ecclesiastica sepultura, &c. Tum etiam quia difficilius tollitur, quam excommunicatio minor; cum hæc etiam a simplici sacerdote probabiliter tolli possit; illud saltem a Confessario approbato. Demum quia per violationem Interdicti incurritur sæpe irregularitas, non vero per violationem excommunicationis minoris. Non negaverim tamen, quod Interdictum partiale, quod sit levis pœna, (puta si sit Interdictum ab ingressu Ecclesiæ ad breve tempus) imponi possit ob culpam venialem.

IV. Quæritur secundo; An possit ob debitum pecuniarium poni Interdictum?

Respondeo cum Avil. dub. 3. Henr. & aliis, Interdictum locale generale, & a fortiori Interdictum personale generale imponi non posse propter debitum pecuniarium, ex Extravag. *Provide de sententia Excommunicat.* & probabilius per eamdem Extravagantem neque potest propter debitum pecuniarium poni Interdictum locale speciale; Potest tamen poni propter talem causam personale speciale; sicuti Excommunicatio, & Suspensio ob eandem causam ferri possunt.

V. Quæritur tertio; Quonam modo, seu ritu feratur Interdictum?

Respondeo, ferri, sicut fertur suspensio, videlicet sine determinatis verbis, sed in scriptis, & instrumentum debet dari intra mensem Interdicto, si petatur; aliter Judex erit suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ. Quando ponitur Interdictum ob contumaciam, præcedere debet monitio; secus vero si ponatur ob delictum præteritum. Etenim in cap. *Romana*, *de sententiæ excommunicat. in 6.* ubi fit mentio Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, de sola excommunicatione dicitur, nunquam ferendam esse sine monitione; atque adeo possunt Suspensio, & Interdictum ferri ob delictum præteritum. Quando tamen Judex fert Interdictum contra participantes cum Interdictis a se, debet monere ipsos participantes nominatim tribus vicibus, vel una pro tribus; alias erit nullum, ex cap. *Statutum de sententia Excommunicat.*

VI. Quæritur quarto; Quinam possint Interdictum ferre?

Respondeo, omnes illos, qui possunt excommunicare, & suspendere, ut diximus quæst. 3. art. 2. qui scilicet jurisdictionem habent in foro exteriori, & contentioso sive ordinariam, sive delegatam. Prælati tamen Religionum, quamvis possint ferre Interdictum personale, non tamen locale, ut notant Bonac. punct. 2. Suar. disp. 36. & alii; tum quia eorum jurisdictio magis est in personas, quam in loca; tum etiam quia interdictum locale ab iis ferri non solet; quod signum est, eos illud ferre non posse ex desuetudine; nisi forte in plebem habeant jurisdictionem, ut notant Doctores; Ubi etiam notandum, quod licet excommunicatus, vel suspensus non toleratus valide interdicere non possit, cum sit privatus omni usu jurisdictionis, toleratus vero possit valide interdicere; interdictus tamen, quamvis non toleratus, valide, & licite interdicere potest, cum per interdictum nec privetur jurisdictione, nec prohibeatur illam exercere.

VII. Quæritur ultimo; Quinam possit interdici?

Respondeo cum communi, interdici posse, excepto Papa, omnes baptizatos rationis compotes subditos Interdicenti, non solum ut singulares personæ sunt, sed etiam ut membra Communitatis. Ratio est, quia omnes isti habent Superiorem in foro exteriori, etiam quoad jurisdictionem coactivam; & in hoc Interdictum differt ab excommunicatione, quæ in communitatem ferri non potest. Interdici etiam possunt directe præter personas loca subjecta jurisdictioni Interdicentis; & indirecte loca non subjecta, sed exempta, per Interdictum locale generale; ne Interdictum a Judice positum enervetur. Denique quod est semel interdictum, potest iterum interdici.

VIII Rogabis; Possitne idem seipsum interdicere?

Respondeo negative; cum idem non sit sibimet subditus. Verum tamen est, quod in Interdicto locali ipsemet ferens edictum includatur;

ſicut etiam ſuperior, & æqualis; quia effectus Interdicti inſtituti ſunt a jure communi, a quo illi obligantur. Sicut enim Epiſcopus, ſi excommunicet Petrum, tenetur vi juris communis cum illo non communicare; ita ſi ferat Interdictum locale, tenetur in eo loco Interdictum ſervare; niſi velit illud aliquando vel ſimpliciter, vel ad tempus tollere.

ARTICULUS IV.

De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Perſonis interdictis.

I. *Interdicti violatio ſecundum ſe eſt culpa lethalis.*
II. *Etiam laici violando Interdictum in multis caſibus lethaliter peccant.*
III. *Quid ſi laicus miſſam audiret in loco ſacro ſine fraude, vi, aut ſcandalo?*
IV. *Quandonam laici Interdictum violantes excommunicationem incurrant?*
V. *Clerici Interdictum violantes quandonam incurrant irregularitatem?*
VI. *Religioſi non ſervantes Interdictum quam pœnam incurrant?*
VII. *Laici ne in Divinis quidem tenentur vitare Interdictos nominatim denunciatos: Clerici tamen tenentur eos vitare in iis rebus ſacris, a quibus ſunt Interdicti; quando ſcilicet Clericis regimen Eccleſiæ commiſſum eſt, ubi Divina officia celebrantur; aut ſi iis aſtantibus ea celebrent.*

I. QUæritur primo; Quale peccatum ſit Interdictum violare?

Reſpondeo cum communi apud Con. dub. 3. contra Cajet. eſſe peccatum mortale, niſi parvitas materiæ, aut inadvertentia excuſent. Aliquæ tamen actiones, etiamſi parvæ, propter ſuam dignitatem non dicuntur eſſe materia parva, ut ſi quis Sacramentum aliquod adminiſtraret, vel ſolemniter caneret Evangelium, &c. Quare etiam in his caſibus mortaliter per Interdicti violationem peccatur.

II. Aliqui numerantur caſus, in quibus mortaliter peccant etiam laici violando Interdictum. Primo quidem, ſi poſito Interdicto perſonali etiam generali ſe ingerant Divinis; cum hoc directe ipſis prohibeatur; præſertim ſi violenter ſe ingerant injuriam Clericis inferendo; aut ſi cum ſcandalo violent Interdictum.

Secundo, ut notat Avil. diſp. 5. dub. 2. contra Henr. ſi cum mendacio obtineant facultatem, ut poſſint Divinis intereſſe, vel fingendo ſe eſſe Clericos, vel privilegiatos, &c. Ratio eſt, quia mendacio inducunt Clericos ad faciendum, quod eſt illicitum; Sicut qui alium induceret ad comedendas carnes die jejunii mentiendo, quod non ſit dies jejunii, peccat mortaliter.

Tertio, ſi inducant Clericos, ut Divina coram ſe peragant, quod Clericis non licet.

Quarto, ſi non obtemperent miniſtris Eccleſiæ volentibus illos excludere a Divinis; nam cum Clerici teneantur ſub mortali illos excludere, illi ſub mortali tenentur Clericis obedire, aliter daretur bellum juſtum ex utraque parte.

Ultimo, quando laicus exercet ea officia Divina in loco interdicto, quæ ſi Clerici exercerent, violarent Interdictum: In quo caſu per Judicem Eccleſiaſticum puniendi ſunt, cum delictum ſit Eccleſiaſticum, ut notat Avil. loc. cit.

III. Dubium eſt; Peccetne laicus non interdictus, qui in loco interdicto audit Divina officia ſine ulla fraude, vi, aut ſcandalo?

Reſpondeo, Cajet. & Navar. putare, quod non peccet, eo quod non prohibetur illi intereſſe Divinis, ſed ſolum Clericis præcipitur, ut laicos a Divinis excludant: Henr. & alii putant peccare mortaliter, quibus adhæret Suar. diſp. 34. ſect. 4.: Qui tamen addit, hunc aſſiſtendo aliis Divinis officiis, præterquam Sacrificio Miſſæ, facile excuſari poſſe a mortali ob materiæ levitatem; cum non ita graviter Eccleſia prohibeat dictis officiis intereſſe; Con. pariter putat, hunc peccare mortaliter ſuſcipiendo Sacramenta ſibi prohibita in loco interdicto; cum hæc Sacramentorum participatio ſit valde gravis. Avil. tamen loc. cit. cum Sot. Reginald. & aliis media via incedit, dicendo probabilius eſſe, quod peccet venialiter; quia quamvis præceptum juris non dirigatur ad laicos, ſed ad Clericos, tamen ipſi faciunt contra virtualem intentionem Eccleſiæ, & Clericorum: Peccat tamen mortaliter, ſi ſuſcipiat Sacramenta, quia ſaltem inducit, & cooperatur cum Clerico ad id, quod ipſe ſine peccato mortali præſtare non poteſt; ut notat Laym. cap. 3.

Quod ſi laici violent Interdictum perſonale, etiamſi generale, procul dubio peccant mortaliter; ſicut violando excommunicationem; Utraque enim cenſura eodem modo privat Divinis officiis.

IV. Quæritur ſecundo; Quam pœnam incurrant violantes Interdictum?

Reſpondeo, laicos nullam pœnam incurrere ipſo facto; cum nulla ſit in jure expreſſa, præterquam in Clement. 2. *de Sententia excommunicat.* ubi excommunicantur laici cogentes aliquem celebrare Divina officia in loco interdicto, vel vocantes alios interdictos, ut aſſiſtant Divinis officiis, aut qui recuſant exire, quando a celebrantibus admonentur, aut qui pro-

prohibent, ne interdicti exeant, postquam fuerint a celebrantibus admoniti.

Incurritur etiam excommunicatio ab eo, qui aliquem sepelit in loco sacro interdicto, aut qui personam interdictam sepelit in loco sacro non interdicto. Ubi iterum adverto, solum interdictos denunciatos esse vitandos; Et præterea denunciata aliqua Communitate, singulos illius Communitatis censeri denunciatos, ut docent Doctores contra Sa, & Escob. in summ. cap. 4.

V. Clerici vero tam sæculares, quam regulares violantes Interdictum sive personale, sive locale per exercitium Ordinis Sacri incurrunt irregularitatem; etiam quando Interdictum non est censura, sed pœna ob delictum præteritum, ex cap. *Is cui; de Sententia Excommunicat. in 6.* Dixi, per exercitium Ordinis Sacri, nam violatio Interdicti per exercitium Ordinis minoris non videtur grave peccatum, ut possit proinde irregularitas incurri: Sicut nec si exerceretur Ordo sacer non solemniter, nec ex officio, ut si cantatur a Subdiacono Epistola sine manipulo, &c. Ita Bonac. Suar. & Avil. Ubi nota, tripliciter posse graviter violari Interdictum a Clerico. Primo, si ipse sit interdictus, & exerceat Ordines majores, verbi gratia, conferendo Sacramenta. Secundo, si in loco interdicto ea conferat, etiamsi ipse non sit interdictus. Tertio, si Sacramenta conferat personæ interdictæ, etiamsi nec ipse, nec locus sit interdictus. In primis duobus casibus incurrit irregularitatem, non vero in tertio, ut probabiliter censet Bonac. punct.7. cum non sit hoc in jure expressum.

Præterea Clerici violantes Interdictum privantur voce activa, & passiva, ex cap. cit. *Is cui*, & suspenduntur a jurisdictione, ut Avil. dub. 4. cum suspendantur ab officio, & beneficio, ex cap. *Tantæ, de Excessibus Prælator.*: immo possunt per sententiam privari etiam beneficiis.

IV. Religiosi vero non servantes Interdictum locale generale, aut cessationem a Divinis, quando servatur ab Ecclesia Cathedrali, seu a Matrice Oppidi, ipso facto sunt excommunicati, etiamsi Interdictum sit nullum, ex Clement. 1. *de Sententia excommunicat.*

Demum omnes, etiam exempti, qui scienter celebrant, aut celebrare faciunt Divina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos non toleratos ad eadem, vel ad Sacramenta, vel ad sepulturam Ecclesiasticam admittunt, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant ei, cujus sententiam violarunt, ex cap. *Episcoporum, de Privilegiis in 6.*

VII. Quæres ultimo; In quibusnam teneamur vitare interdictos denunciatos?

Respondeo, laicos non teneri vitare interdictos etiam nominatim denunciatos nec in humanis, nec in Divinis, præterquam in sepultura. Ita communiter apud Avil. dub. 5. contra Sayr. & alios apud Bonac. putantes, laicum teneri vitare interdictum in Divinis. Ratio communis est, quia id in jure non prohibetur laicis. Quare si Sacerdos admittat hujusmodi interdictos ad missam audiendam, laici non tenentur illos expellere, sicut tenentur expellere excommunicatos non toleratos. Et ratio a priori est, quia sola excommunicatio privat etiam Divinis officiis, inquantum sunt quædam communicatio cum fidelibus. Clericis vero sub mortali tenentur vitare nominatim interdictos in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti. Hoc tamen intelligendum solum de Clericis celebrantibus Divina officia, & de permittentibus in illa celebrari, quando illis est commissum regimen talis Ecclesiæ. Etenim in cap. *Non est vobis, de Sponsalib.* dicitur: *Ne celebretis, nec aliquem celebrare permittatis.* Quare si illis non sit commissum regimen Ecclesiæ, non dicuntur permittere, interdictos audire Divina officia, si illos non expellant; quia in tali casu Clerici se habent tanquam laici.

ARTICULUS V.

De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

I. Non est idem tollere ad tempus, ac suspendere interdictum.

II. Interdictum latum ad tempus, eo lapso, sine alia absolutione cessat; latum vero simpliciter, & absolute sine absolutione non cessat. Nec cessat interdictum locale per destructionem ædificiorum illius loci.

III. Interdictum personale generale latum contra Communitatem, hac dissoluta, cessat ligare solum innocentes, non vero eos, qui causam interdicto dederunt.

IV. Interdictum personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per Confessarium, qui possit absolvere a mortalibus.

V. Tacite reservatur interdictum, si feratur contra personam particularem; aut si hujus causa latum sit interdictum locale, aut generale personale.

VI. Solum interdictum locale generale relaxari non potest ad cautelam. Et nunquam relaxatur interdictum, nisi a Principali delinquente satisfactio offeratur.

VII. Non habetur determinata forma, qua tollatur, aut suspendatur interdictum.

VIII. Recensentur celebriores casus, in quibus a jure latum est Interdictum sive locale, sive Personale.

I. NOtat Avil. part. 5. disp. 4. dub. 4. non esse idem tollere ad tempus interdictum,

ctum, ac illud suspendere; Nam suspendere est manente Interdicto permittere, ne ejus effectus ponantur; quod solus Pontifex auctor juris communis facere potest, non vero inferiores Papa; cum effectus Interdicti sint a jure communi; in quo nemo inferior Papa dispensare potest: At Interdictum ad tempus tollere potest, qui illud tulit; Sicut potest illud tollere simpliciter, aut tollere ad aliquos tantum effectus, puta quantum ad dicendam aliquam missam, vel ad sepeliendum aliquem, ut notat Avil. loc. cit. eo quod sola excommunicatio habeat suos effectus inseparabiles secundum jus commune. Præterea, ut notat Laym. cap. 3. excommunicatio suspendi, seu ad tempus tolli non potest, ita ut elapso tempore, etiamsi satisfactio sit præstita a reo, reincidat: Contra vero Interdictum; argumento cap. *Cum desideres, de Sententia excommunicat.*

II. Quæritur nunc primo; An sine absolutione cessare possit Iterdictum?

Respondeo: Universim Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione cessat sine alia absolutione, elapso illo tempore, vel conditione purificata, juxta dicta quæst. præced. art. 5. Interdictum vero absolute latum non cessat sine absolutione. Ita communiter. Porro Interdictum locale non cessat per destructionem ædificiorum illius loci; non possunt enim sepeliri corpora in solo Ecclesiæ interdictæ destructæ; ut docet Suar. disp. 38. sect. 1.

III. Interdictum vero generale latum contra aliquam Communitatem, dissoluta communitate, cessat respectu innocentium, non vero respectu eorum, qui causam culpabilem Interdicto dederunt, quia tale Interdictum respectu istorum est speciale.

IV. Quæritur secundo; Quinam possit absolvere ab Interdicto?

Respondeo, interdictum locale, aut generale personale non reservatum relaxari posse ab Episcopo, aut ab alio habente in dictum locum, aut communitatem jurisdictionem Episcopalem, ex cap. *Nuper de sententia excommunicat.* non tamen ab Inferiore, quia requiritur ad hoc jurisdictio fori externi. Ita communiter apud Con. Interdictum vero personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per confessarium, qui possit absolvere a mortalibus, ut diximus quæst. *6.* art. 5. cum Bonac. & Suar. contra Avil. Laym. & alios. Interdictum autem reservatum relaxari potest a reservante, vel ab ejus Superiore, aut successore, ut patet. At Interdictum Papale contractum ob delictum occultum etiam ab Episcopo absolvi potest, ex Trident. sess. 24. cap. *6.*

V. Notandum hic tamen cum Pal. §. 2. dupliciter posse interdictum reservari, primo expresse, secundo tacite, si videlicet in aliquam personam determinatam feratur; alias perturbaretur tribunal Judicis; Vel si ejus causa latum sit interdictum locale, vel generale personale; quia in tali casu interdictum relate ad talem personam est speciale, & reservatum, non secus ac interdictum loci, vel Communitatis.

VI. Quæritur tertio; Possitne dari absolutio ab interdicto ad cautelam? Et quonam ritu illud relaxetur?

Respondeo; Interdictum locale generale non posse relaxari ad cautelam, ex cap. *Sententiam, de Sententia excommunicat. in 6.* posse vero alia interdicta, ut communiter Doctores docent; monendo interdictum nunquam esse relaxandum, nisi prius principalis delinquens offerat satisfctionem. Vide tamen quæ hac de re diximus cum de censuris in genere quæst. 2. art. 3.

VII. Præterea circa ritum tollendi, aut suspendendi interdictum non habetur ulla determinata forma, sed sufficit, quod voluntas interna absolventis exprimatur; Nec ullæ solemnitates, aut cæremoniæ præscribuntur, ne juramentum quidem delinquentis, ut notat Suarez disp. 38. contra Sayr. quia juramentum in jure solum injungitur pro absolutione ab excommunicatione.

VIII. Denique qui scire velit, quibus in casibus a jure latum sit interdictum sive locale, sive personale, consulat Escob. in summ. cap. 3. Celebriores sunt isti. Primo, si dominus terræ injuriose Episcopum percutiat, aut percuter e mandet, a jure latum est interdictum locale generale; Sicuti etiam si Civitas exigat gabellas a personis Ecclesiasticis de rebus ipsarum exportandis; necnon si personæ Ecclesiasticæ manifestis usurariis domos concedant. Secundo, latum est interdictum personale generale, si Capitulum dimissorias concedat infra annum; si ab Ecclesiasticis exigantur tributa: Si appelletur a sententiis Papæ ad futurum Concilium: Si Ecclesiasticis decimæ imponantur, vel ab iis exigantur: Demum incurrit interdictum personale speciale usurpans de redditibus Ecclesiæ vacantis; Necnon Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiastica contra Bullam Paulinam. Item violans Interdictum locale; & Prælatus in visitatione recipiens ultra concessa; Necnon Clericus in Sacris, qui in crimine fornicationis jacet.

ARTICULUS VI.

De Cessatione a Divinis.

I. Neque censura, neque pœna est Cessatio a Divinis, sed imponitur in signum mœroris ob gravem injuriam Ecclesiæ, aut Divino honori illatam.

II. In multis ea differt ab interdicto. Probabiliter

biliter tamen quæ permittuntur tempore interdicti localis, permittuntur etiam tempore cessationis a Divinis.

III. *Probabiliter tempore Cessationis non prohibetur Sacra sepultura, quæ sine funebri officio fiat.*

IV. *Præter causam gravissimam plurimæ conditiones requiruntur, ut indici possit Cessatio a Divinis.*

V. *Cessationem hanc indicere potest is, qui ferre potest interdictum; Eaque tolli solum potest ab eo, qui illam tulit, aut a Superiore, vel successore. Ejusque effectus, non secus ac effectus excommunicationis, vi juris communis sunt inseparabiles.*

I. QUæritur primo; Quid sit; Et in quo differat ab interdicto Cessatio a Divinis?

Respondeo, Cessationem a Divinis (quæ & Suspensio Organorum dicitur) non esse censuram, nec pœnam, sed meram prohitionem Ecclesiasticam, ob quam Clerici cessare debent a divinis officiis, & a Sacramentorum administratione in certo aliquo loco, excepto casu necessitatis; Idque in signum gravissimi mœroris ab Ecclesia concepti ob gravem aliquam injuriam Ecclesiæ, aut Divino honori illatam; ut sic injuriosus cogatur satisfacere Ecclesiæ læsæ; ut explicant Laym. & Suar. disp. 39. ex Clement. 1. *de Sententia excommunicat.*

II. Quare Cessatio a Divinis differt ab Interdicto. Primo quia non est censura, nec pœna proprie dicta, nec unquam a jure imponitur, sicuti Interdictum. Secundo, quia interdictum afficit immediate semper personam aliquam, quæ sua culpa dedit causam interdicto, non vero Cessatio a Divinis; Unde posita cessatione a Divinis, quilibet potest in aliis locis Divina celebrare. Tertio Clericus agens per exercitium Ordinis Sacri contra interdictum incurrit irregularitatem; at si agat contra cessationem a Divinis, peccat quidem mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem. Quarto, Privilegia concessa circa interdictum, verbi gralia, quod Clerici possint quotidie celebrare cum moderationibus in cap. *Alma Mater*, non habent locum in Cessatione a Divinis, ut communiter docent cum Suar. disp. 39. sect. 2., & Laym. contra quosdam Canonistas; etenim a diversis non tenet illatio. Ex æquitate tamen juris multi probabiliter docent, quod tempore cessationis possint Divina officia solemniter celebrari in quatuor illis festivitatibus, ac in Octava Corporis Christi Domini, & in festo Conceptionis; quia cap. *Alma Mater*, talis facultas videtur concessa tempore interdicti ob reverentiam istarum festivitatum; unde potest probabiliter extendi ad tempus cessationis. Et quamvis tempore cessationis videatur solum concessa facultas administrandi Sacramentum Baptismi parvulis, & Pœnitentiæ moribundis, adjuncto etiam Viatico; nihilominus etiam ex æquitate juris concedunt multi, posse tempore cessationis administrari ea omnia Sacramenta, quæ possunt tempore interdicti generalis: Immo certum est, posse in singulis Ecclesiis celebrari unum Sacrum per hebdomadam, ad renovandam Eucharistiam pro moribundis.

III. Quæritur secundo; An tempore Cessationis a Divinis prohibita sit Sacra Supultura, sicut tempore interdicti?

Respondeo, Avil. dub. 10., Henr., Bonac., & alios affirmare: Negant vero Suar. loc. cit., Con. dub. 7., & alii, cum nullo jure id prohibeatur tempore cessationis, ne laicis quidem, dummodo sine funebri officio fiat.

IV. Quæritur tertio; Quam ob causam, & sub qua forma indici possit cessatio a Divinis?

Respondeo, solum indici posse propter gravissimum delictum publicum, & contumaciter perseverans adversus cummune bonum Ecclesiæ, verbi gratia; adversus ejus immunitatem. Istæ autem conditiones requiruntur, ut notat Con., Prima, ut in Indicente sit legitima potestas. Secunda, ut causa sit evidenter justa, & proportionata. Tertia, ut evidenter constet talem causam esse datam; etenim cum cessatio a Divinis ferat gravissima incommoda, requirit causam gravissimam, & evidentem, quæ aliter emendari non possit; & ideo ferri non potest, nisi ad frangendam alicujus contumaciam; ac proinde jura volunt debere relaxari, statim ac delinquens paratus est satisfacere. Quarta, ut causa cessationis exprimatur aliquo instrumento munito publico sigillo. Quinta, ut hoc tradatur parti, contra quam fertur. Sexta, ut pars ita monita rogetur, quod velit satisfacere. Septima, ut posita cessatione, utraque pars saltem per Procuratorem ad Pontificem accedat, ut coram eo causa disceptetur, nisi pars intra mensem parata sit satisfacere: Si tamen is, qui tulit cessationem, mense elapso Romam non iverit, cessatio ipso jure relaxatur. Quamvis autem Con. putet, quod Prælatus non teneatur post mensem Romam mittere, ut Romana Sedes de remedio provideat, ne diu Ecclesia a Divinis cesset in detrimentum fidelium; Communius tamen Doctores contendunt, Episcopum ad id teneri. Octava conditio est ut quando Capitula, aut Conventus cessationem indicunt, omnes, qui habent vocem, convocentur, sicut in electionibus, ut convocati de re tota deliberent. Ultima, ut major pars Capituli judicet, cessationem esse indicendam. Istæ autem conditiones colliguntur ex cap. *Si Canonici 2.*, & ex cap. *Quamvis 8. de Officio Ordinarii in 6.*, ubi dicitur,

dicitur, cessationem non esse observandam, si is, qui cessationem tulit, ista omnia non servaverit.

Notandum tamen primo, ista omnia requiri, quando Conventus, aut Capitula cessationem indicunt, non vero, quando eam indiceret Prælatus; Qui tamen videtur sex priores conditiones ex natura cessationis debere observare, cum non possit aliter constare de contumacia ejus, pro quo fertur cessatio; quamvis non teneatur Prælatus monere partem per instrumentum publico sigillo munitum.

Notandum secundo, quod qui sine sufficienti causa cessationem indicit, privetur omnibus fructibus, quos tempore cessationis deberet percipere, & teneatur satisfacere parti læsæ. Quod si juste indicitur, pars, contra quam fertur cessatio, tenetur cessantibus satisfacere de damno, quod interim subeunt, cum non possint consueta officia peragere.

V. Quæritur demum; Quinam possit indicere, aut tollere cessationem a Divinis?

Respondeo, is, qui potest ferre Interdictum; atque adeo is, qui Episcopalem, aut similem Episcopali jurisdictionem habet in foro externo, potest indicere cessationem, ut communiter docent apud Suar. disp. 39. sect. 3. Aliquando tamen cessationem præcedit censura interdicti, ut prohibitio sit arctior; Aliquando vero imponitur pura cessatio sine interdicto.

Præterea cessationem tollere potest, qui illam tulit, aut Superior, aut Successor, ne Tribunalia turbentur; nam cessatio solum ab homine, & non a jure fertur. Tolli autem potest sive simpliciter, sive ad tempus pro beneplacito. Solus Papa potest illam quoad aliquos tantum effectus suspendere; quia effectus cessationis sunt a jure communi inseperabiliter connexi inter se, sicut effectus excommunicationis. Per legitimam appellationem suspenditur cessatio, antequam executioni mandetur, cum per appellationem impediatur jurisdictio imponentis: Post executionem vero nonnisi relaxatione tollitur, ut diximus de censuris in genere.

QUÆSTIO VIII.

De Irregularitate.

Quamvis Irregularitas non sit censura; de ea tamen communiter Doctores disputant post censuras, quibus valde affinis est, cum pariter sit actus clavium, seu Ecclesiasticæ potestatis. Quæremus itaque primo, Quid, & Quotuplex sit? Secundo, Quam ob causam incurratur? Tertio, Quinam possit Irregularitatem imponere? Et erga quos? Quarto, an dubium excuset ab Irregularitate? Quinto, quomodo tollatur? In postrema vero quæstione descendendo ad Irregularitates in particulari, agemus de Irregularitatibus tum ex delicto, tum ex defectu.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?

I. *Irregularitas est moralis inhabilitas personæ ad Ordines recipiendos, & exercendos.*
II. *In quo differat a censuris; & a Depositione, ac Degradatione.*
III. *Nonnisi duo sunt effectus Irregularitatis; Videlicet Ordinum susceptionem, & Usum impedire.*
IV. *Irregularis illicite quidem sacramentaliter absolvit, sed non invalide, si bona fide ad illum pœnitentes accedunt.*
V. *Beneficiarius irregularis ad quid tenetur? Illicita, & irritanda potius est, quam irrita Beneficii collatio facta Irregulari.*
VI. *Probabiliter Irregularitas non impedit susceptionem primæ Tonsuræ.*
VII. *Recensentur tam Irregularitates ex delicto, quam ex defectu.*
VIII. *Irregularitas alia est totalis, alia partialis.*

I. Quæritur primo; Quid veniat nomine Irregularitatis?

Respondeo cum communi apud Laym., & alios, Irregularitatem esse *Impedimentum canonicum ex aliqua indecentia proveniens, per se primo impediens Ecclesiasticorum Ordinum susceptionem, & secundario eorundem usum ob reverentiam Divinorum.* Explicatur per partes. Dicitur primo esse *Impedimentum canonicum*, ut ostendatur, Irregularitatem non esse inductam jure Divino, aut naturali, sed jure Canonico, quod est conforme juri naturali. Ratio enim naturalis dictat, non esse admittendos ad Ordines Sacros, nisi qui decenter accedant; & ideo jus Canonicum irregulares declarat, qui indecenter accederent: Quia vero fœminæ, sicut etiam homines nondum baptizati excluduntur ab Ordinibus jure Divino, ideo non dicuntur irregulares.

Dicitur secundo, *Proveniens ex aliqua indecentia*; hæc autem vel est culpabilis; ut quando quis fit irregularis ex delicto; Vel inculpabilis; ut quando fit irregularis ex defectu aliquo corporis, aut animi; sicut est notabiliter deformis, amens, &c. Illa irregularitas dici solet pœnalis; ista vero mixta.

II. Dicitur tertio, *Impediens per se primo, seu directe*

directe Ordinum susceptionem; Et in hoc irregularitas disconvenit a censuris; nam excommunicatio major impedit quidem Ordinum susceptionem, & eorundem usum, sed impedit hæc, quatenus sunt quædam communicatio cum fidelibus; unde excommunicatio major directe prohibet communicationem cum fidelibus, & indirecte impedit Ordinum susceptionem: Excommunicatio minor non impedit usum Ordinum, sed solum passivam eorum, ac reliquorum Sacramentorum participationem: Suspensio (sicut etiam Depositio, & degradatio) privat tantum directe usu Ordinum susceptorum, unde solis Clericis competit; Irregularitas vero cum directe impediat Ordinum susceptionem, competit etiam laicis. Interdictum demum impedit etiam Divinorum officiorum auditionem, Ecclesiasticam sepulturam, & certa quædam alia Sacramenta, quæ non impedit irregularitas. Differt præterea irregularitas a Censuris, quia Censura (quæ est sæpe ab homine) est pœna medicinalis, & habet pro fine emendationem, & resipiscentiam delinquentis: Irregularitas vero (quæ semper est a jure) non semper est pœna, sed solum est moralis inhabilitas personæ ad Ecclesiasticos Ordines; Et quando provenit ex delicto, habet rationem pœnæ vindicativæ, non medicinalis; habetque pro fine reverentiam Divinorum. Differt demum irregularitas a Depositione, & Degradatione, quod illa tantum non admittat laicos ad statum Clericalem; istę vero hominem a tali statu ejiciant.

Dicitur quarto, quod *Secundario impediat exercitium Ordinum susceptorum*; non enim semper impedit tale exercitium, sed solum quando indecenter exercerentur Ordines. Quare si Diacono amputetur pollex, ita fit irregularis, ut non possit ad Sacerdotium ascendere, possit tamen canendo Evangelium exercere Ordinem Diaconatus; ut notat Bonac., Con., & alii.

Dicitur demum, *Ob reverentiam Divinorum*; ut ostendatur causa finalis Irregularitatis; Sed brevius definiri potest irregularitas, quod sit *Moralis inhabilitas personæ ad Ordines suscipiendos, & exercendos*.

III. Sequitur ex dictis, duos tantum esse effectus irregularitatis, videlicet impedire susceptionem, & usum Ordinum. Unde fit primo, posse Clericos irregulares ea munera obire, quæ potest laicus; videlicet in Ecclesia canere, missæ ministrare, Sacramenta suscipere, Ordine excepto, ad quem inhabilis est, sed non incapax; unde illicite, non tamen invalide confertur Ordinis Sacramentum irregulari.

IV. Fit secundo, Clericos irregulares posse valide exercere omnes actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quamvis non licite illos, qui actus Ordinis requirunt, ut sunt absolutio a peccatis, realis degradatio, &c. Proinde docent communiter Doctores cum Con. dub. 1., Laym. cap. 1. contra Navar., & Avil. dub. 6., quod etiam irregularis denuntiatus, necnon suspensus ab Ordine, non denunciatus nominatim, & interdictus personaliter valide, quamvis illicite, sacramentaliter absolvant accedentes bona fide, cum non careant jurisdictione, sicut caret excommunicatus denunciatus: Immo suspensus a solo beneficio etiam licite sacramentaliter absolvit, cum non privetur usu Ordinis.

V. Fit tertio, irregularitatem non privare Clericum ipso jure fructibus, & administratione beneficii, dummodo officium saltem per Vicarium exerceat, ut docent Suar., Laym., Avil.; Qui tamen notant, quod si beneficium requirat officium, cui irregularis per seipsum satisfacere non possit, debeat beneficio privari, juxta cap. *Ex literis*, *de Exception. Prælator.* Immo sponte illud debeat resignare, si dispensatio brevi tempore impetranda non sit.

Dubium est; Utrum collatio beneficii facta irregulari sit ipso jure irrita, unde provisus teneatur in conscientia illud resignare?

Affirmant Henr., Bonac., & Avil. dub. 6. cum communiori; quia ex cap. ultim. *de Rescriptis in 6.* beneficium datur propter officium; ergo inhabilis ad officium est pariter inhabilis ad beneficium acquirendum, ex cap. ultim. *de Clerico excommunicato ministrante.* Verum Suar. disp. 40. sect. 2., & Laym. docent, talem collationem illicitam esse, & irritandam, non vero irritam: etenim beneficii collatio non debet censeri irrita sine ullo jure expresso; in casu autem nostro nullum jus expressum adducitur. Quibus adde, aliquod beneficium requirere officium, cui ipse irregularis satisfacere potest, puta si officim requirat tantum preces Canonicas: Quod si non possit irregularis per se satisfacere, satis est, si satisfaciat per Vicarium.

VI. Majus dubium est; An Irregularitas, quæ impediat Ordinum susceptionem, impediat etiam susceptionem primæ Tonsuræ?

Communior sententia cum Bonac., Suar., Avil. affirmat; quia quamvis prima Tonsura non sit Ordo, sed dispositio ad Ordines, tamen in jure Canonico venit nomine Ordinis, *Argumento cap. Cum contingat*, *de ætate*, *& qualitate*, *&c.* Verum P. Aloysius Bariola apud Bonac. negat; quia cum juxta communiorem Theologorum sententiam prima Tonsura non sit Ordo, Irregularitas non impedit susceptionem primæ Tonsuræ; sicut nec impedit ingressum in religionem: In odiosis enim non est facienda extensio de uno casu ad alium, ex cap. *Pœnæ*, *de Pœnit. dist.* 1.

Rogabis; An irregularis suscipiendo, vel exercendo Ordines, aliam irregularitatem, aut pęnam incurrat?

Respondeo negative; quamvis mortaliter pec-

peccet; nulla enim pœna in jure imponitur pro tali delicto.

VII. Quæritur secundo; Quotuplex sit Irregularitas?

Respondeo, esse duplicis generis; Alteram ex indecentia morali, seu ex delicto, aut facto, puta ex homicidio; Alteram ex indecentia physica, seu ex defectu inculpabili.

Irregularitates ex delicto istæ enumerantur apud Busemb. Prima, ex iteratione Baptismatis; estque irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus. Secunda, ex violatione censuræ, si scilicet censura innodatus actum aliquem Ordinis Sacri solemniter exerceat. Tertia, si Clericus actum Ordinis Sacri, quem non habet, solemniter exerceat. Quarta, propter indebitam susceptionem Ordinum; ut si quis suscipiat Ordines in excommunicatione, aut suspensione, aut ab Episcopo non habente jurisdictionem, aut per saltum, aut ante legitimam ætatem, aut sine dimissoriis, aut furtive, idest Episcopo nesciente, non approbante, nec examinante; Quamvis multi apud Bonac. quæst. 3. punct. 4., & Avil. putent, quod fere in his omnibus casibus suspensio potius, quam irregularitas incurratur. Quinta, ob enormia crimina, quæ a jure habent annexam infamiam, si sint notoria, & publica, ut sunt Infidelitas, hæresis, adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio. Ultima, quæ oritur ex injusta mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, quæ extenditur ad consulentes, & mandantes; Et quamvis Dian. part. 4. tract. 2. resol. 28. putet solum consulentes homicidium incurrere in irregularitatem, non autem consulentes mutilationem, cum hoc non habeatur in jure: communis tamen sententia est in contrarium, ut notat Molin. apud eundem Dian.

Irregularitates vero ex defectu sunt octo. Prima, ex defectu animi; unde sunt irregulares Amentes, Phrenetici, Epileptici, Illiterati, seu non habentes necessariam doctrinam pro Ordinibus, Neophyti, seu recenter ad fidem conversi, donec judicio Episcopi sint sufficienter instructi.

Secunda, ex defectu corporis. Quare irregulares sunt cæci, surdi, claudi, carentes pollice, aut indice, vel oculo sinistro, seu canonico. Item maxime deformes, ut si quis careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, paralyticus, leprosus, gigas, pigmæus, æthiops inter albos, ubi disparitas est ludibrio, hermaphroditus; non tamen ille, qui per vim, aut infirmitatem factus est eunuchus.

Tertia, ex defectu natalium: Illegitimi enim reputantur viles; & ideo sunt irregulares, donec legitimentur vel per professionem religiosam, vel per subsequens matrimonium inter parentes, dummodo tempore conceptionis potuissent valide contrahere; Vel demum per dispensationem Pontificiam; Etenim Principes sæculares possunt tantum legitimare in ordine ad officia sæcularia, & hæreditates.

Quarta, ex defectu ætatis, si scilicet ante legitimam ætatem quis ordinetur.

Quinta, ex defectu Sacramenti; seu significationis matrimonii, hoc est ratione bigamiæ. Bigamus enim cum carnem suam in plures diviserit, non apte repræsentat unionem Christi cum Ecclesia. Est autem bigamus, tum qui secundum matrimonium saltem præsumptum contraxit, & consummavit; tum qui viduam duxit, & cognovit; tum etiam qui uxorem prius ab alio per fornicationem cognitam duxit, & cognovit; necnon qui propriam uxorem cognoscit post ejus adulterium: ac demum qui post solemne votum castitatis matrimonium (licet invalide) contrahit, & consummat; nam interpretatione juris censetur duo matrimonia contraxisse, alterum spirituale cum Christo Domino, alterum carnale cum muliere.

Sexta, ex infamia; quæ etiam ex delicto enormi, & publico parentum, & ex vili conditione personæ oritur.

Septima, ex defectu libertatis. Proinde irregulares sunt servi proprie dicti, necnon originarii, ex Laym. hic cap. 8., donec plenam libertatem consequantur; Item conjugati, nisi uxores consentiant, & voveant castitatem; Curiales etiam, seu obligati juramento, vel stipendio Curiæ sæculari, ut Judices, Advocati, &c., quousque in his officiis detinentur; Milites pariter donec juramento tenentur; Thesaurarii, & Depositarii publici, & qui Rempublicam administrant; Ac demum Apparitores, & alii, qui sæva, aut turpia exercuerunt, aut in causa sanguinis ministrarunt, ut mox dicemus.

Octava, ex defectu lenitatis, videlicet ex licita mutilatione, aut homicidio in bello justo, aut in judicio: Quandoquidem Sacerdos repræsentat personam Christi, qui lenissimus fuit, & neminem unquam læsit. Non est autem irregularis ex defectu lenitatis, qui alium occidit in defensionem inculpatam sui, aut proximi; Nec qui hortatur ad fortiter pugnandum, sed solum qui in bello justo propria manu alium mutilat, aut occidit; & qui in judicio justo ad mutilationem, vel mortem alicujus cooperatur active efficaciter, & proxime, ut infra examinabimus.

VIII. Porro Irregularitas dividitur in totalem, & partialem: Totalis privat omni Ordine suscipiendo, & exercitio Ordinis suscepti; & talis est, quæ contrahitur ex homicidio, bigamia, &c. Partialis vero privat aliquo tantum exercitio Ordinis, & ascensu ad Ordinem superiorem; Verbi gratia, si Sacerdoti pollex amputetur, fit inhabilis ad sacrificandum, non tamen ad

audien-

audiendas Confessiones, &c. Et si amputetur pollex Diacono, fit inhabilis ad Sacerdotium, non vero ad exercendum munus Diaconi. Appellatur etiam ab aliquibus Irregularitas partialis, quæ non est in perpetuum, sed ad tempus; V. g., pro tempore durantis infantiæ, morbi, infamiæ, &c. Sed hæc improprie dicitur Irregularitas.

ARTICULUS II.

Quam ob causam incurratur Irregularitas ex delicto? Et Quomodo ignorantia excuset?

I. Irregularitas non incurritur, nisi propter delictum externum simul, & consummatum, ac in suo genere perfectum.
II. Negandum verius posse Pontificem pro veniali culpa Irregularitatis pœnam imponere.
III. Non requiritur, quod delictum, cui annectitur Irregularitac, sit publicum, aut quod probari possit.
IV. Excusat ab ea incurrenda ignorantia probabilis, seu non crassa tam juris, quam pœnæ.
V. Qui patrato homicidio excusatur ab Irregularitate ex delicto ob ignorantiam probabilem, non fit irregularis ex defectu lenitatis.
VI. Quamvis esset minus lenis Homicida, quam Minister justitiæ, non per hoc ille etiam contrahit Irregularitatem ex defectu lenitatis.
VII. Episcopus probabiliter potest dispensare in Irregularitate contracta ob homicidium occultum voluntarium, quod tamen in judicio probari nequit: Sed in Irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non potest. Quare universim homicida, qui ab Irregularitate ex delicto excusatur, non contrahit Irregularitatem ex defectu.

I. QUæritur primo; Quænam culpa requiratur ad Irregularitatem ex delicto incurrendam?

Respondeo, requiri culpam externam consummatam, & mortalem. Quod requiratur culpa externa, & consummata, nec satis sit sola culpa interna, aut exterius tantum inchoata, constat ex iis, quæ diximus quæst. 1. art. 4.. Unde fit, ut irregularitatem non incurrat, qui verbi gratia vulnerat aliquem lethaliter animo illum mutilandi, aut occidendi, si vere illum non mutilet, aut occidat. Ita communiter contra Glossam ultimam in cap. *Perniciose*, *de Pœnit. dist.* 1., & contra alios perpaucos Juristas. Et ratio est, quia de facto nullum jus fert irregularitatem, nisi propter delictum exterius consummatum, puta propter homicidium: Quicquid sit, utrum actus internus possit subjacere judicio Ecclesiæ? quod communiter etiam negatur.

II. Quod vero requiratur etiam culpa mortalis ad incurrendam irregularitatem ex delicto, communiter Doctores docent contra Cajet., Armil., Covar., & Cordub.; Etenim irregularitas censetur esse pœna gravis, cum privet magno bono in perpetuum sine spe restitutionis; ergo supponere debet culpam gravem; Quare quoties culpa est levis, aut ex levitate materiæ, aut ex defectu plenæ deliberationis, irregularitas non incurritur.

Putant aliqui apud Bonac. punct. 3. & Avil. disp. 2. dub. 3. posse Pontificem pro veniali culpa irregularitatem imponere; quamvis de facto solum pro mortali sit imposita: Sed negat verius Escob. cap. 1.; quia pęna esset improportionata culpæ.

III. Quæritur secundo; An requiratur, quod delictum, ob quod irregularitas incurritur, sit publicum, aut notorium; ita scilicet ut probari possit?

Respondeo negative; quicquid contradicat Castro, & Glossa in cap. *Ex tenore*, *de temporibus Ordinationum*. Ratio est, tum quia jura imponunt irregularitatem incurrendam ipso facto, ad quod probatio non est necessaria; tum etiam quia Trident. sess. 24. cap. 6. tribuit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto; ergo ex Trident. constat, etiam ob delictum occultum irregularitatem incurri.

IV. Ex dictis infertur cum Bonac. punct. 3. Irregularitatem ex delicto non incurri interveniente ignorantia probabili, seu non crassa; nam sicut ignorantia probabilis excusat a culpa; ita etiam a pęna; Immo non solum ignorantia juris, sed etiam ignorantia pœnæ excusat ab irregularitate incurrenda, ut constat ex iis, quæ diximus de Censuris in genere art. 6. num. 6. cum Sanch. lib. 9. de Matrim. disput. 32., Bonac., & Con. contra Suar. sect. 5., Reginal. Filliuc., Laym., Rationes, quas fuse adducit Con., sunt, tum quia cap. 2. *de Constitution. in 6.* dicitur, *Ignorantes non ligari constitutionibus Ordinariorum, nisi erorum ignorantia sit crassa, vel supina*; Et eadem est ratio de constitutionibus Pontificiis; Tum etiam quia cap. *Proposuisti*, *dist.* 82. habetur, Clericos, qui impure vixerunt, si ignorabant constitutionem Siricii id sub pęna depositionis prohibentis, venia dignos esse, nec hac pęna plectendos; Eadem autem est ratio de pęna depositionis, ac de pęna irregularitatis: Tum demum quia irregularitas ex delicto valde affinis est censuræ, præsertim in eo, quod reus illam in se teneatur exequi; cum ergo censura ignorata non incurratur, nec irregularitas. Et ratio a priori est, quia ignorans legem Ecclesiasticam prohibentem aliquid sub pęna irregularitatis, vel censuræ, quamvis aliquando peccet contra legem naturalem, verbi gratia,

patrando homicidium Clerici; at non peccat contra legem Ecclesiasticam, quam ignorat; ergo non est dignus, qui pęna ab Ecclesia imposita puniatur. Quamvis autem irregularitas ex delicto ignorata non incurratur, incurritur tamen irregularitas ex defectu, etiamsi ignoretur; hæc enim non imponitur ab Ecclesia tanquam pęna, ut patet, sed est impedimentum canonicum statutum ab Ecclesia ob aliquam indecentiam, ut homo cum tali defectu Altari ministret; & ideo etiam ignorata incurritur.

Neque dicas, hinc sequi homicidam ignorantem irregularitatem homicidis statutam melioris esse conditionis, quam sit Judex juste condemnans reum ad mortem; hic enim irregularitatem ex defectu lenitatis incurreret, ille nullam.

Nam quamvis homicida nullam irregularitatem incurrat, non per hoc est melioris conditionis, quam Judex; cum sit reus pęnæ æternæ: Sicuti qui mœchatur, quamvis non incurrat irregularitatem, quam incurrit Judex juste damnans reum, non per hoc dicitur melioris conditionis; cum sit reus pęnæ æternæ.

V. Mendo in Epitome V. *Censuræ* n. 7. quamvis censeat ignorantiam irregularitatis ex delicto excusare ab illa incurrenda, excipit irregularitatem ex homicidio; putat enim in tali casu incurri saltem irregularitatem ex defectu lenitatis. Sed rejicitur a triginta Doctoribus citatis a Dian. part. 11. tract. 2. resol. 63., & part. 3. tract. 5. resol. 79., quia irregularitas ex defectu lenitatis non imponitur a jure personis privatis, sed tantum ministris justitiæ ad mortem concurrentibus, necnon occidentibus in bello justo: ergo qui injuste aliquem occidit, ignorans impositam esse homicidio pœnam irregularitatis, nullam irregularitatem incurrit: Quod aperte etiam docet Cornejo apud Leand. de Irregularit. tract. 1. disp. 4. quæst. 6., & alii apud Dian. part. 12., & Less. cap. 9. dub. 21.

VI. Neque obstat, quod minus lenis sit, qui alium injuste occidit tanquam persona privata, quam minister justitiæ concurrens ad mortem: ergo si iste incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, a fortiori ille.

Nam contra est: quia Ecclesia irregularitatem ex defectu lenitatis duntaxat statuit pro ministris justitiæ: sicut etiam pro occidentibus in bello justo: in lege autem positiva non tenet argumentum a minori ad majus. Præsertim quia ministri justitiæ, & milites veluti ex habitu solent ad justas occisiones procedere, quod a lenitate, & mansuetudine Christi Domini videtur alienum. Qui vero alium culpabiliter occidit, non solet ex habitu sic delinquere, & irregularitatem incurrit ex delicto, nisi ignorantia excuset.

VII. Confirmatur, quia quamvis Episcopus ex Trident. (sicut etiam qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Generales, & Provinciales religionum) non possit dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario occulto, tamen potest dispensare in tali irregularitate, si homicidium voluntarium sit omnino occultum, (quod scilicet ad notitiam hominum, & ad judicium deduci non potest, & probari) ut multi probabiliter docent apud Dian. p. 7. tract. 2. resol. 15., & apud Mojam tract. 5. quæst. 2. ex Bruno, Tabien., Texeda, Rodriq. tom. 1. quæst. regular. quæst. 14. art. 2. Etenim Concilium dum negat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto, videtur loqui de eo homicidio occulto, quod non est probatum in judicio, potest tamen probari; non vero de homicidio omnino occulto, quod nec probatum est in judicio, nec potest probari: Et alia parte Episcopus nunquam potest dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis, ut docent communiter Doctores apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 69.; ergo homicida non contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis, & consequenter si ignoret, impositam esse pęnam irregularitatis homicidio, neque irregularitatem ex delicto contrahit.

ARTICULUS III.

Quisnam possit Irregularitatem imponere, & Erga Quos?

I. Irregularitas de facto a jure imponitur, & incurritur ipso facto in casibus duntaxat in jure expressis.

III. Non incurritur Irregularitas in casu simili, aut majori, si non sit id expressum.

III. Capax est Irregularitatis quicumque capax est Ordinis, aut exercitii Ordinis, dempto Pontifice.

IV. Episcopi, & Cardinales Irregularitatem incurrere possunt, quamvis de iis non fiat expressa mentio.

V. Potest ex multiplici capite multiplex Irregularitas incurri, ita ut una sublata, altera remaneat.

I. Quæritur primo; Quinam possit imponere Irregularitatem?

Respondeo, Irregularitatem a solo jure canonico imponi; Quo nomine venit tam corpus juris, quam Bullæ, vel decreta Pontificia, & Concilia approbata. Ita cap. *Is qui, de sententia excommunicat.* Potest etiam per sententiam, seu ab homine Irregularitatem ferre Pontifex, etiam pro delicto mere præterito; cum possit Pontifex in jure communi dispensare, ut notat Bonac. punct. 3., & Avil.

Hinc

Hinc sequitur primo, quod quando in Canone præcipitur, ut alicui pœna per judicis sententiam imponatur, talis pœna nunquam sit irregularitas; sed vel suspensio, vel depositio; cum irregularitas a judice, qui sit inferior Papa, infligi non possit.

Sequitur secundo, irregularitatem semper incurri ipso facto independenter ab executione judicis, & ab ejus sententia, etiam declaratoria criminis; quia ipsum jus immediate irregularitatem infert, & sententiam profert.

Sequitur tertio, non esse admittendam ullam irregularitatem ex consuetudine, nisi sit in jure scripto expressa. Ita Bonac. punct. 2. cum Suar. ex cap. *Is qui* citato contra Laym. cap. 1. dicentem, quod consuetudo per tacitum consensum Papæ sit constitutiva juris, etiamsi jus scriptum desideretur. Verum quia caput citatum *Is qui* requirit jus expressum, ideo non satis est tacitus consensus Ecclesiæ, & Pontificis habitus ex consuetudine.

II. Sequitur quarto, Irregularitatem non incurri in casu simili, aut majori, quam sit ille, cui annexa est excommunicatio; siquidem solum incurritur in casu a jure expresso.

III. Quæritur secundo; Quinam possit irregularitatem incurrere?

Respondeo, Omnem, & solum hominem capacem aut Ordinis, aut exercitii Ordinis esse pariter capacem irregularitatis, excepto Pontifice, qui in terris Superiorem non habet; unde a suis legibus obligari non potest quoad vim coactivam, sed solum quoad vim directivam. Ratio cur omnis capax Ordinis possit irregularitatem contrahere, est, quia potest illi prohiberi susceptio, aut exercitium Ordinis, & sic fieri irregularis. Ratio vero cur solus hujusmodi homo, & non alius possit irregularitatem contrahere, est, quia non potest cadere prohibitio, & privatio circa formam, cujus subjectum est incapax.

IV. Hinc fit, feminas, & infideles non baptizatos non posse fieri irregulares; omnes vero laicos, & Clericos posse irregularitatem contrahere, etiam Episcopos, & Cardinales, quamvis non fiat de iis expressa mentio; quia in cap. *Periculosum*, *de sententia exoommnnicat.* solum eximuntur a Suspensione, & Interdicto, quoties de iis non fit expressa mentio. Si quis esset irregularis, non deberet in Pontificem eligi, ut late ostendit Majol., utpote tali dignitate indignus: Si tamen eligeretur, eo quod irregularitas esset occulta, electio esset valida, ad vitanda schismata, ex cap. *Licet*, *de Election.* Quare ipso facto per electionem tolleretur ab eo irregularitas, necnon censura, si quam haberet, cum non posset amplius jure Pontificio ligari quoad vim coercitivam: Sicuti enim non potest Pontifex novam irregularitatem contrahere, etiamsi propria manu aliquem verbi gratia occideret; ita nec potest priorem irregularitatem in se conservare.

V. Irregularis ex uno capite potest iterum aliam irregularitatem ex alio capite, v. g. ex novo homicidio, incurrere, ita ut dispensatus in una, adhuc maneat alia irregularitate irretitus.

ARTICULUS IV.

An dubium de Irregularitate excuset ab illa incurrenda?

I. In juris dubio, ratione ipsius juris dubii, irregularitas non incurritur.

II. In dubio vero juris, ratione personæ, quæ dubitet de jure cæteroqui non ambiguo, incurritur irregularitas, si ignorantia sit crassa, non secus ac incurritur censura; non tamen si ignorantia sit invincibilis, aut non moraliter culpabilis.

III. Etiam dubium facti excusat ab incurrenda irregularitate, non secus ac dubium juris.

IV. Quod in tali dubio tutior pars eligatur, consilium est, non præceptum.

V. In dubio homicidii injusti incurritur irregularitas ex delicto; at in dubio homicidii justi non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis.

V. Incurritur in dubio homicidii irregularitas, quando constat tum de homicidio secuto, tum de causa culpabiliter adhibita de se sufficiente ad causandum hoc homicidium, & solum dubitatur num ex hac causa, an aliunde illud sit secutum.

VII. In dubio mutilationis non incurritur irregularitas, sicut in dubio homicidii.

VIII. Qui dubitat, an suo consilio influxerit ad homicidium Clerici, debet se gerere ut irregularem, non vero ut excommunicatum, nec tenetur saltem ad integram restitutionem.

IX. Procurans abortum, in dubio an fœtus sit animatus, probabiliter non est irregularis. Et quid si dubitetur, num fœtus sit mas, qui citius, an fœmina, quæ serius animatur?

I. DIximus art. 2., ignorantiam sive juris, sive penæ excusare ab incurrenda irregularitate; discutiendum nunc, an etiam excuset dubium sive juris, sive etiam facti. Dicitur autem dubium juris, quando quis dubitat, an lata sit lex aliqua sub pena irregularitatis. Dicitur dubium facti, quando quis dubitat, an commiserit factum, quod scit prohibitum esse sub pœna irregularitatis.

II. Quæritur itaque primo; An excuset dubium juris?

Respondeo, dubium juris aliquando haberi ratio-

ratione ipsius juris, quando scilicet fundamentum dubii est in ipso jure; quia videlicet ejus verba sunt ambigua; vel quia dubitatur, an tale jus extet, nec potest homo certificari post diligentem inquisitionem: Aliquando vero dubium juris habetur ratione personæ, quæ dubitat ex propria ignorantia, & negligentia, non quia jus sit in se ambiguum.

In primo casu non incurri irregularitatem, sive dubium sit negativum, sive positivum, docent communiter Doctores cum Suar. disp. 40. sect. 5., Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10., Bardi, Bonac. punct. 5. contra Garz. de Beneficiis cap. 1., & alios. Ratio est: tum quia lex non obligat subditos, nisi sit illis sufficienter proposita; quousque enim non habetur certitudo de lege prohibente, stat in possessione libertas; Tum etiam quia irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa, ex cap. cit. *Is qui*; In dubio autem juris non habetur jus expressum; ergo in tali dubio juris non incurritur irregularitas.

In secundo casu, in quo habetur dubium juris ratione personæ illud ignorantis, dicimus eodem modo discurrendum de ignorantia censuræ, ac de ignorantia irregularitatis, & cujusvis pœnæ extraordinariæ. Quare sicuti ignorantia invincibilis, non vero affectata, crassa, & supina, mortaliter culpabilis, excusat a censura incurrenda, (juxta dicta de Censuris in genere) ita & ab irregularitate, ut diximus art. 2. cum Pal., Con., Sanch. contra Suar., & alios existimantes diversimode discurrendum de censura, ac de irregularitate; Volunt enim, censuram non incurri ab ignorante invincibiliter sive jus, sive pœnam; quia est pœna medicinalis, quæ requirit contumaciam, quam excludit ignorantia: Irregularitatem vero volunt includi; quia est pœna vindicativa non præsupponens contumaciam.

III. Quæritur secundo; An etiam dubium facti excuset ab incurrenda irregularitate?

Respondeo cum communi contra nonnullos cum Vasq., Azor., Hurt., eodem modo discurrendum de dubio facti, ac de dubio juris, quia scilicet in utroque dubio melior est conditio possidentis. Excipitur tamen duntaxat homicidium; Nam in cap. *Significasti*, & in cap. *Ad audientiam* 2., *de homicidio*, imponitur irregularitas, etiam quando quis dubitat, an homicidium commiserit. Ratio doctrinæ ulterior ex Bonac. est, quia ad summum ambigitur, an in aliis factis, præter homicidium, quando ea sunt dubia, jus statuerit irregularitatem; & consequenter tale dubium est dubium juris; sed in dubio juris non incurritur irregularitas, ut jam ostendimus; ergo neque in dubio facti, præter homicidium.

Confirmatur, quia in dubio Voti, an scilicet sit emissum, non habetur obligatio illud servandi; ut communiter docent cum Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 9., & tamen est dubium facti; ergo neque in dubio facti incurritur irregularitas, nisi exprimatur, ut exprimitur in homicidio.

IV. Dices: Clemens III. in cap. cit. *Ad audientiam* assignat rationem universalem, cur in dubio homicidii debeat quis se gerere ut irregularem; quia scilicet tutior pars eligenda est; ergo in omni dubio facti incurritur irregularitas; cum in omni dubio facti militet eadem ratio. Sed contra est primo, quia hæc ratio probat, quod etiam in dubio juris incurratur. Secundo dico, Axioma illud, Quod tutior pars eligenda sit, non esse de præcepto, nisi tantum in casibus a jure expressis, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, sed esse tantum de consilio, ut notat Sanch. de matrim. disp. 41.

V. Notandum tamen primo ex Sanch. & Henr., illum duntaxat censendum esse irregularem, qui dubitat, an patraverit homicidium injustum; non vero qui dubitat, an patraverit homicidium justum in judicio, aut in bello justo, quia de homicidio injusto videtur esse sermo in capitibus citatis; sed dicendum verius cum Avila apud Bonac. punct. 5. esse irregularem; quia in cap. *Petitio tua*, *de homicidio* habetur, Eum, quem conscientia remordet de homicidio patrato in bello justo, censendum esse irregularem.

VI. Notandum secundo ex Escob., & Bardi de conscient. disp. 6. cap. 7. §. 4., & aliis apud Dian. p. 4. tract. 2. resol. 16., probabiliter irregularitatem solum incurri, quando constat de homicidio secuto, & de causæ applicatione, seu de cooperatione ad illud, & dubium solum est, an ex propria cooperatione illud secutum sit; talis enim est casus illorum textuum, ut notant Ostiens., & Zabarel. Quare si vel non constet de morte secuta, vel non constet de sufficienti cooperatione ad illam, probabiliter irregularitas non incurritur. Idem docent Dicastil. tract. 10. de Censur. dub. 3. dicens: *Accedit*, *quod jura loquuntur in casu*, *in quo constat de homicidio simul cum actione adhibita*, *quæ ex se posset influere*, *& juvare*.

VII. Hinc sequitur primo, non esse irregularem, qui dubitat, an aliquem mutilaverit, quia irregularitas non contrahitur in dubio mutilationis, sed solum in dubio homicidii.

Secundo, si quis in dubio juris de irregularitate homicidii, aut de alia censura suscipiat mala fide ordines, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam ad assequendam veritatem, potest deinde post adhibitam diligentiam Ordines exercere, etiamsi dubium perseverat. Ita Bonac.

quæst.

quæst. 1. punct. 5. contra Reginald. lib. 3. cap. 2.. Ratio est, quia quamvis peccaverit non adhibendo debitam diligentiam, at huic peccato non est annexa irregularitas. Ex alia parte adhuc remanet dubium juris, utrum irregularitatem, vel aliam censuram contraxerit; ergo non debet se gerere ut irregularem.

VIII. Terito sequitur, quod qui consilium dedit de homicidio, quod jam secutum est, si dubitet, an suo consilio cooperatus sit ad illud, debeat se gerere ut irregularem; quia in tali casu habetur dubium facti relate ad homicidium, quod vere est secutum, & ad quod meam actionem, seu concursum moralem applicavi: Et quamvis dubitem, an ego ad illud cooperatus sim; at satis est, quod ego actionem meam posuerim de se sufficientem ad cooperationem, in quo casu præsumit jus, me ad homicidium meo consilio cooperatum esse. Ita Bonac. loc. cit. ex Sanch., qui pariter putat, sic dubitantem teneri ad restitutionem. Avil. autem quamvis putet, si secutum jam sit homicidium Clerici, debere dubitantem, an suo consilio influxerit, etiam se gerere ut excommunicatum, negat tamen teneri ad restitutionem, eo quod in dubiis melior sit conditio possidentis. Equidem censeo, sic dubitantem in homicidio Clerici debere se gerere tantum ut irregularem, non vero ut excommunicatum, nec teneri saltem ad integram restitutionem; quia irregularitas duntaxat contrahitur in dubio homicidii, non vero excommunicatio, nec obligatio restituendi saltem adæquate, cum in dubiis possessio stet pro libertate; unde ad summum pro ratione dubii ad restitutionem teneretur.

Non me latet, Giballin. de irregularit. cap. 4. quæst. 1. docere, quod dubitans, an consilium, vel mandatum influxerit in homicidium, hoc etiam secuto, non incurrit irregularitatem in foro conscientiæ, quamvis in foro exteriori, si constaret de consilio, declaretur incurrisse. Et Henr. lib. 14. cap. 13. addit, quod dubitans, an homicidium sit secutum ex vi propriæ, an alterius actionis, non sit irregularis, quia ad incurrendam irregularitatem debet dubitans probabilius reputare, quod ipse commiserit homicidium. Quam sententiam non putant improbabilem Suar., Salas, Rebell., & alii apud Bardi in Bullam Cruciatæ part. 3. tract. 2. sect. 5., quia textus Canonici loquntur de foro externo. Sed hisce opinionibus meum calculum addere supersedeo.

IX. Quarto sequitur, quod qui dubitat, an sit secutum homicidium, ad quod dedit suum consilium, non debeat se gerere ut irregularem; quia non constat de homicidio secuto. Hinc qui feminæ gravidæ propinavit venenum ad abortum, & secuto abortu dubitatur, an fœtus fuerit animatus, probabiliter non incurritur irregularitas. Ita apud Mojam in selectis quæstion. tract. 5. quæst. 6. Præposit. Bardi, Pelliz., & alii apud Dian. loc. laud. part. 4. tract. 2. resol. 16. contra Sanch., Avil., Rodriq., Mendo, & alios. Ratio doctrinæ est, quia dubitatur de homicidio secuto. Et ratio a priori est, quia in dubio juris non incurritur irregularitas, ut communiter Doctores docent; sed in casu nostro dubium est juris, an scilicet sit imposita in jure irregularitas, quando dubium est de homicidio secuto, cum aliqui Doctores id asserant, alii negent, interpretantes varie textus Canonicos; ergo in tali casu irregularitas non incurritur; siquidem nunquam irregularitas incurritur, nisi sit in jure expressa.

Hinc nonnulli cum Præposit., Machad., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 24. docent, in dubio, an sit fœtus mas, vel femina, præsupponendum esse feminam, ac proinde non esse animatum ante octogesimum diem, juxta communem opinionem asserentem cum Aristot., & Plin., mares animari quadragesimo die, & feminas octogesimo; ut videre est apud Dian. part. 6. tract. 5. resol. 6. Verum benignis hisce opinionibus adversus hujusmodi scelestos non est facile utendum: Probabilior enim, & communior sententia docet cum Sanch. lib. 1. cap. 12. Avil., Molin., & aliis, irregularitatem incurri, etiamsi de homicidio non constet, quia universim in dubio talis delicti incurritur irregularitas.

ARTICULUS V.

Quomodo tollatur Irregularitas?

I. *Nonnullæ irregularitates cessant, cessante earum causa. At quæ proveniunt ex actu præterito qua tali, non qua moraliter perseverante, indigent dispensatione.*

II. *Non cessat irregularitas per absolutionem, ut censura, nempe per actum judicialem; sed per dispensationem, quæ est exceptio a lege communi, & dicitur vulnus legis.*

III. *Quænam irregularitates per Baptismum tollantur improprie; quænam vero proprie? Verius per Baptismum non tollitur irregularitas ex defectu lenitatis.*

IV. *Episcopi in nonnullis duntaxat irregularitatibus dispensare possunt.*

V. *Num possit Episcopus secummet dispensare in iis irregularitatibus, in quibus id potest cum subditis suis? Num etiam cum Religiosis exemptis? Num cum suis subditis extra propriam Diœcesim? Quinam hac in re dicantur subditi Episcopo?*

VI. *Num possit Episcopus simpliciter dispensare, quan-*

quando reus in judicio est punitus, aut est absolutus? Et num Episcopi dispensatio prosit pro foro externo?

VII. *Prælati regulares, qui gaudent quasi Episcopali jurisdictione, dispensare possunt cum suis subditis in iis irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum propris subditis.*

VIII. *Dispensatio in irregularitatibus, quæ fit a Pontifice sine justa causa, est illicita; quæ vero fit ab Episcopo, est etiam invalida.*

IX. *Etiam per verbum, Absolvo, dispensari potest irregularitas; quatenus ea est etiam quoddam vinculum, quo Irregularis irretitur, & per dispensationem dissolvitur.*

X. *Virtute Jubilæi non potest conferri dispensatio in irregularitatibus ullis, etiamsi irregularitates ex delicto essent censuræ, aut pœnæ Ecclesiasticæ.*

XI. *Dispensatio in Irregularitatibus non semper est totalis. Qui dispensatur indefinite ad Ordines, probabilius ad omnes Ordines, etiam majores, dispensatur.*

XII. *Probabiliter ratihabitio Superioris de præsenti, quæ sufficit ad jurisdictionem conferendam, satis est ad dispensandum in irregularitatibus.*

XIII. *Num ad obtinendam dispensationem in pluribus irregularitatibus exprimi debeat numerus delictorum, ob quæ sint contractæ?*

I. CErtum est primo, multipliciter tolli posse irregularitatem. Primo, si tollatur causa irregularitatis, juxta illud, Cessante causa cessat effectus; In quo differt a censura; hæc enim, etiam cessante contumacia, tolli debet per absolutionem, ut diximus. Quare qui est irregularis, verbi gratia, quia est illiteratus, acquisita scientia sufficienti, liber est ipso facto a tali irregularitate; sic qui recenter est baptizatus, elapsis decem annis post baptismum, non dicitur amplius Neophytus, & sic amittit talem irregularitatem. Et idem dicas de pluribus aliis irregularitatibus, præsertim quæ proveniunt ex defectu corporis, vel animi (excepta ea, quæ oritur ex morbo caduco, vel furia; quia etiam post sanitatem remanet talis irregularitas, ex *canon.* 3. & 4. & 5. *dist.* 33) Pariter cessante servitute, cessat irregularitas; Cessat etiam sublata illegitimitate per subsequens matrimonium: Irregularitas vero orta ex infamia facti cessat per mutationem vitæ, aut loci; Et quæ oritur ex infamia juris, cessat, si hæc per sententiam, aut aliter abeat: Irregularitates tamen, quæ oriuntur ex actu præterito qua tali, & non qua moraliter perseverante, ut sunt omnes irregularitates ex delicto, ex bigamia, ex defectu lenitatis, &c., nunquam cessant sine dispensatione.

Secundo per professionem religiosam tollitur irregularitas ex defectu natalium relate ad suscipiendos Ordines; quamvis non relate ad Prælaturas. Verum tamen est, plurimas Religiones habere privilegium, ut etiam illegitimi possint eligi in Prælatos. Sot. contendit, per professionem religiosam tolli omnem aliam irregularitatem, excepta bigamia, & homicidio voluntario: Sed hoc communiter negatur.

II. Tertio tollitur irregularitas per dispensationem, non vero per absolutionem; nam absolutio rigorose dicta importat actum judicialem liberantem reum a suo reatu; Contra vero dispensatio exceptionem a lege communi significat; Quando autem Pontifex dispensat in irregularitate, non exercet actum judicialem, sed solum eximit irregularem a prohibitione communi. Præterea absolutio est juxta jus, dispensatio vero est contra jus; unde fit, ut reum peracta pœnitentia debeat Judex absolvere, nunquam tamen tenetur Judex in irregularitate dispensare.

III. Quæritur nunc primo; An etiam per baptismum tollatur irregularitas?

Respondeo cum Avil. disp. 10. dub. 2., nullam irregularitatem proprie loquendo tolli per baptismum; siquidem ante baptismum nemo est irregularis, cum non sit subditus legibus Ecclesiasticis. Verum improprie loquendo irregularitates ex delicto per baptismum tolluntur, quatenus cum baptismo non consurgunt: Contra tamen irregularitates ex defectu per baptismum non tolluntur, quatenus cum baptismo consurgunt. Quare bigamus ex delicto, & homicida, si baptizentur, non sunt irregulares; sed sunt irregulares, si baptizentur cæci, claudi, &c., necnon bigami, quando bigamia oritur ex defectu significationis, & non ex delicto; ut notat Avil. ex August., D. Th., & aliis de irregularitate tamen ex defectu lenitatis varie sentiunt Doctores apud eundem Avil. Aliqui putant cum Covar. non tolli per baptismum, cum non fundetur in delicto; Alii probabilius cum Henr., Sylvest. putant tolli, quia licet non fundetur in peccato, fundatur tamen in illo titulo ministri justitiæ, vel militis, qui tollitur per baptismum, per quem homo mutatur in ovem mansuetam.

IV. Quæritur secundo; Quinam possit in irregularitatibus dispensare?

Respondeo, cum omnis irregularitas proveniat ex jure Pontificio, potest Pontifex in omnibus dispensare: Episcopus vero jure ordinario non potest; cum non possit inferior in lege superioris dispensare, nisi ei concedatur. Conceditur tamen Episcopis primo a Trident. cap. 6., ut dispensare possint cum suis subditis in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario. Præterea in cap. 1. *de fi-*

de filiis Presbyteror. in 6. conceditur Episcopis facultas dispensandi cum illegitimis ad ordines minores, & beneficium simplex, excepto Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ, qui requirit Ordinem Sacrum. Possunt etiam Episcopi dispensare juxta probabilem opinionem (ut videre est apud Dian. part. 4. tract. 29. resol. 65., & sequentibus, & part. 7. tract. 2. resol. 25., & sequentibus) tum in irregularitate veræ bigamiæ quoad Ordines minores, & simplex beneficium; tum in irregularitate occulta ex defectu natalium; tum in irregularitate ex defectu lenitatis; tum in ea ex mutilatione alicujus membri; tum demum in proveniente ex homicidio casuali etiam publico, & in orto ex repentina rixa, etsi directe volito, necnon in aliis casibus, ut constabit ex dicendis de irregularitatibus in particulari.

V. Dubium est primo; An possit Episcopus dare alteri facultatem, ut secum dispenset in iis irregularitatibus, in quibus potest ipse cum aliis dispensare?

Respondeo, ut diximus de Censuris, affirmative; tum quia non debet esse Episcopus inferioris conditionis, quam Clerici inferiores; tum etiam quia jurisdictio hæc non est contentiosa, sed gratiosa; ergo potest Episcopus alteri committere, ut eam exerceat in ipsummet: Immo propter eandem rationem potest ipsemet sibi dispensare: Et idem dicitur de dispensatione votorum, & aliarum legum, quando quæritur, an possit Episcopus immediate secum in iis dispensare. Ita Bonac., Avil., Suar., & alii communiter.

Dubium est secundo; An possit Episcopus dispensare cum religiosis existentibus in sua Diœcesi?

Respondeo cum Avil. part. 7. disp. 10. dub. 5., posse ex æquitate juris tam Prælatum monasterii exempti, quam Religiosum particularem de licentia sui prælati sponte quoad hoc se subjicere Episcopo, & sic ab eo dispensari; sicut etiam a Censuris Papæ reservatis ex delicto occulto provenientibus absolvi. Ratio est, quia per exemptionem non deperditur id, quod est favorabile.

Dubium est tertio; an possit Episcopus dispensare cum suis subditis extra propriam Diœcesim?

Respondeo cum eodem Avil. loc. cit., & Henr., quod licet possit Episcopus absolvere suos subditos extra territorium tam a peccatis, quam ab excommunicatione non reservata, eo quod talis jurisdictio sit gratiosa; non potest tamen dispensare in hujusmodi irregularitatibus, & aliis casibus Papæ reservatis, ut docent communius; quia id restringit Concilium sess. 24. cap. 6. dicens, quod id possint in Diœcesi sua per seipsos, sive per Vicarium ad id specialiter deputandum.

Dubium est quarto; Quid veniat hic nomine subditorum erga Episcopum?

Respondeo, venire tam eos, qui in ejus Diœcesi domicilium habent; quam qui in ea commorantur majori anni parte, ex Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 23.; necnon peregrinos, quales sunt scholastici, mercatores, &c. propriam Diœcesim habentes, ad quam brevi sunt redituri, ex Dian. part. 7. tract. 2. resol. 2.; Ac demum vagos, ex Sanch. loc. cit.

IV. Dubium est quinto; An possit Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex delicto deducto in forum contentiosum, quando judicium est jam finitum, & reus est punitus, aut absolutus?

Respondeo cum Avil. loc. cit dub. 7., Henr., Laym. contra Bonac., & Guttier. affirmative. Ratio est, quia intentum Concilii fuit conservare auctoritatem judicibus; hæc autem nihil imminuitur in casu nostro; cum jam judex functus sit officio suo.

Dubium est sexto; An dispensatio hujusmodi data ab Episcopo prosit etiam pro foro externo?

Respondeo cum Pal. affirmative. Ratio est ex Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 2.; quia illa verba apposita in Trident. *pro foro conscientiæ* non cadunt supra dispensationem in irregularitatibus, sed supra absolutionem a reservatis; ut intelligatur relinqui judicibus potestatem puniendi delicta, quoties in judicio probantur.

VII. Dubium est ultimo; Possintne Prælati Regulares dispensare cum suis subditis in iis casibus, in quibus potest Episcopus cum suis subditis?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia, ut docet Hurt., & alii apud Dian. part. 7. tract. 2. resol. 5., in Trident. loc. cit. nomine Episcoporum veniunt etiam Prælati Regulares, videlicet Generalis, & Provincialis, quippe qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent cum suis subditis: Et consequenter, sicut Episcopi, ut supra diximus art. 2., possunt probabiliter dispensare etiam in irregularitate proveniente ex homicidio omnino occulto, quod scilicet probari non possit in judicio; ita etiam dispensare possunt in eadem Generales, & Provinciales cum subditis suis.

VIII. Quæritur tertio; An ad licite dispensandum in irregularitate requiratur aliqua causa, & quænam?

Respondeo cum Avil. hic disp. 10. dub. 1. procul dubio requiri causam. Quod probatur tum ex Trident. sess. 23. cap. 14., quod dicit cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa poterit dispensare; tum ex D. Th. part. 2. quæst. 97. art. 4. ubi universim docet, quod dispensatio in quacumque lege, si fiat sine causa, est illegitima.

Notan-

Notandum tamen, quod si dispensatio fiat sine ulla causa a Pontifice, erit illicita, sed valida, ut docet idem Avil. contra Ananiam, & Cardinal. quia in iis, quæ pertinent ad jus humanum, Papa non est dispensator, sed legislator, & dominus: Contra vero Episcopus illicite, & invalide dispensabit, quando conceditur illi facultas dispensandi ex justa causa: Immo etiam quando datur illi facultas dispensandi absolute. Ratio est, quia, ut docent communiter Doctores in de legibus, invalida est dispensatio obtenta sine justa causa a Prælatis dispensantibus in jure communi. Verum tamen est, majorem causam requiri ad dispensandum in irregularitate graviori: Exempli gratia, ad dispensandum in bigamia requiritur magna causa, quia inducta est ab Apostolis, & est quædam imitatio juris divini; major etiam causa requiritur ad suscipiendos novos Ordines, quam ad ministrandum in susceptis.

IX. Quæritur quarto; Quanam forma dispensetur in irregularitatibus?

Respondeo, non requiri verba determinata, sed solum signum externum manifestans voluntatem Superioris. Solent tamen hujusmodi verba adhiberi: Dispenso in irregularitate, quam propter hanc causam contraxisti, teque habilem efficio ad susceptionem, & executionem Ordinum, & officiorum tuorum, quantum possum, In nomine Patris, &c. Si dicatur, Absolvo te ab irregularitate, &c., adhuc valida est dispensatio, ut communiter docent Recentiores; quia quamvis verbum, Absolvo, cadat potius supra censuras, adhuc tamen potest aliquo modo cadere supra irregularitatem, quatenus est vinculum quoddam, quod per dispensationem dissolvitur.

X. Quæritur quinto; An virtute Jubilæi possit quis dispensari in irregularitatibus ex delicto provenientibus?

Respondeo, Thomistas docentes, irregularitatem ex delicto esse censuram, id asserere cum Sot., Bagn., Medin., Can., Cordub., & aliis; quamvis Sot., & Medin. negent posse absolvi irregularitatem ortam ex homicidio; quia in tali casu non solum habetur irregularitas ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis; quod tamen falsum esse ostendimus art. 2. Quare Guttier. cap. 3. Canonic. quæst. asserit etiam irregularitatem ex homicidio posse per bullam Cruciatæ, atque adeo vi etiam Jubilæi dispensari.

Nonnulli vero, qui cum communi negant, irregularitatem esse censuram, adhuc asserunt posse vi Jubilæi absolvi. Ratio est, quia saltem irregularitas ex delicto est pœna Ecclesiastica; cum autem vi jubilæi possit quilibet absolvi a censuris, & aliis sententiis, & pœnis Ecclesiasticis, ut dicitur in Bulla; sequitur, quod possit etiam ab irregularitate ex delicto absolvi, seu dispensari. Ita nonnulli apud Summam Dian. V. *Censuræ* num. 1., & sententiam hanc probabilem docet Henr. de Indulgent. cap. 13.

Verum communis opinio negat cum Avil. part. 7. disp. 10. dub. 4., tum quia irregularitas non est censura, ut notavimus quæst. 1. art. 1.; tum etiam quia in Bulla Jubilæi, quando dicitur, quod possit quilibet absolvi ab omnibus censuris & aliis sententiis, & pœnis, nomine pęnæ non venit irregularitas ex delicto, sed vel suspensio imposita a Confessario, ne ad tempus aliquis celebret, vel communicet; vel pęna qua Canones mandant per aliquod tempus aliquem ad communionem non admitti; ut docet Navar. apud eundem Avil. Et ratio est, quia in eadem Bulla subduntur hæc verba: *Propter præsentes autem super aliqua irregularitate publica, vel occulta non intendimus dispensare*. Neque dicas, hæc verba debere intelligi de irregularitate ex defectu; Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quare etiam dato, quod irregularitas ex delicto dici possit non solum pœna Ecclesiastica, sed etiam censura; tamen adhuc vere, & proprie venit sub nomine irregularitatis; cum ergo Pontifex super ulla irregularitate non permittat dispensari, sequitur, quod nec super irregularitate ex delicto. Adde ex Bonac. quæst. ult., idcirco in Jubilæis concedi facultatem absolvendi ab omnibus censuris, & pœnis, ut possint fideles, sublato tali impedimento, lucrari jubilæum; atqui irregularitates non sunt impedimentum ad consecutionem jubilæi; ergo non est cur debeant per jubilæum dispensari. Unde Mendo in Epitome V. *Irregularitas* num. 11. dicit, non posse sine formidine fateri, certo probabilem esse sententiam contrariam; quamvis illam doctissimi viri teneant; quia stylus Curię, qui facit jus, tali sententię adversatur.

IX. Quæritur sexto; An dispensatio in irregularitate semper debeat esse totalis?

Respondeo cum communi negative; potest enim irregularis aliquando dispensari, v. g., ad unum Ordinem, non ad omnes, vel dispensari ad usum Ordinis suscepti, non vero ad alios suscipiendos. Unde dispensatus ad Ordines minores non potest promoveri ad majores, & dispensatio ad Ordines majores non includit dispensationem ad beneficia curata, seu quæ prælationem, & jurisdictionem habent: Immo dubium est apud Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 1., an dispensatio ad Ordines includat dispensationem ad beneficium simplex; Multi enim affirmant; Sed ipse Sanch. cum aliis negat, si dispensatio sit ad Ordines minores tantum; quia isti non necessario connectuntur cum beneficio simplici: Econtra, dispensatus ad Subdiaconatum, verbi gratia, censetur dispensatus ad Ordines minores, cum non possit ordinari per fal-

saltum; & dispensatus ad exercitium Ordinum majorum censetur etiam ad exercitium minorum; Sicut dispensatus ad beneficium, quod exigit aliquem Ordinem, censetur dispensatus ad talem Ordinem.

Qui tamen indefinite dispensatur ad Ordines, multi tenent apud Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 1., quod non possit nisi minores Ordines suscipere; eo quod dispensatio, utpote odiosa, (est enim odium juris, & veluti vulnus legis) stricte interpretanda sit, ex cap. 1. *de filiis Presbyterorum*. Suar. tamen sect. 3. existimat, regulam hanc non esse universaliter veram; cum propositio indefinita sæpe æquivaleat universali, ita ut idem sit dicere, Dispenso ad Ornines, ac Dispenso ad Ordines omnes. Quare, quando verba indefinita stricte debeant interpretari, judicandum est juxta materiam subjectam, & juxta receptum verborum sensum.

XII. Quæritur septimo; An sit signum, quod Superior dispenset in irregularitate, si videat irregularem exercere aliquem Ordinem; Verbi gratia, si videat aliquem publicum irregularem celebrare, & confessiones audire, & tamen taceat, cum possit illum cohibere?

Respondent communiter negative; quia superior in tali casu patitur potius, quam agit, seu tolerat trasgressionem potius quam dispensat. Sanch. tamen lib. 8. de matrim. disp. 1. cum aliis affirmant, quoties Prælatus facile contradicere potest, & non contradicit, sed tacet: talis enim taciturnitas est quædam ratihabitio de præsenti; quæ cum sufficiat ad confessiones audiendas, seu ad jurisdictionem communicandam, a fortiori sufficit ad dispensandum.

XIII. Quæritur ultimo; An ad obtinendam dispensationem oporteat exprimere numerum delictorum, propter quæ contracta est irregularitas?

Respondeo cum Avil. loc. cit. dub. 8. Bonac. & aliis contra Rodriq. part. 1. cap. 182. quod quamvis opus sit exprimere delicta diversæ rationis; (quandoquidem ob illa incurruntur diversæ irregularitates) non est tamen opus exprimere numerum delictorum ejusdem speciei. Quare si quis excommunicatus pluries celebravit, quamvis non possit dicere, quod semel censuram violaverit per exercitium Ordinis Sacri, tamen satis est, si dicat, se esse irregularem, quia celebravit excommunicatus. Ratio ex Navar. est, quia hic est stylus Curiæ. Et quamvis controversum sit apud Doctores, utrum qui propter eandem causam pluries repetitam incurrit excommunicationem, vel irregularitatem, plures, an unam tantum excommunicationem, aut irregularitatem incurrat; & communius cum Navar. doceant, quod pluries: Nihilominus quoad praxim parum refert, utrum sint una, an plures; quia censentur esse una gravior, & una sublata ex stylo Curiæ tolluntur omnes; ut fuse Avil. ostendit cum de excommunicat. part. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 3.

Con. tamen num. 112. ex Suar disp. 44. sect. 3. putat, quod qui plures homines occidit, debeat exprimere numerum homicidiorum. Avil. vero docet, quod si quis occidat Presbyterum, non satis sit dicere, quod occiderit hominem, quia jura jubent exprimi delictum, ob quod contracta est irregularitas; Presbytericidium autem est delictum gravissime qualificatum, & longe gravius homicidio; unde exprimi debet. Sic etiam qui suspensus, & excommunicatus celebravit, debet utramque censuram exprimere.

QUÆSTIO IX.

De Irregularitatibus in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu.

DEscendimus ad agendum de irregularitatibus in particulari; de iis præsertim, quæ magis usui sunt, & plus habent difficultatis. In primo articulo agemus de variis Irregularitatibus ex delicto, puta de Iteratione baptismi; de Violatione Censuræ per exercitium Ordinis Sacri; de Clerico exercente Ordinem Sacrum, quem non habet; de indigna Sacrorum Ordinum susceptione; de Hæresi, aliisque criminibus infamiam inducentibus. In secundo agemus speciatim de Homicidio, ac Mutilatione injusta. In tertio agemus de Irregularitate ex defectu lenitatis. In quarto demum de aliis Irregularitatibus ex defectu.

ARTICULUS I.

De variis Irregularitatibus ex delicto.

I. Irregularitas ex iteratione Baptismi a quibusnam incurratur? Ob iterationem Confirmationis, aut Ordinis irregularitas non incurritur.

II. Innodatus censura, quamvis toleratus, irregularitatem incurrit per exercitium Ordinis Sacri. Quinam dicatur Ordines Sacros exercere?

III. Clericus etiam ministrans in Ordine Sacro, quem non habet: requiritur autem, & quod exterius talem Ordinem exerceat, & quod habeat intentionem illum exercendi.

IV. Incurritur etiam irregularitas aliquando per indignam susceptionem Ordinis Sacri, puta si conjugatus Sacris Ordinibus initietur. Dubitatur autem in multis casibus, num Suspensio duntaxat, an vero Irregularitas incurratur?

V. Pariter incurritur propter enormia crimina, puta propter Hæresim, & Apostasiam tam a fide, quam a religione, & propter crimina infamiam inducentia. Hæresis tamen, & Apostasia occulta probabiliter Irregularitatem non inducunt.

VI. In Bulla Cœnæ casus Hæresis occultæ reservatur Pontifici quoad absolutionem a culpa, & censura, non vero quoad dispensationem in irregularitate: Et probabiliter etiam per Vicarium Episcopi potest talis dispensatio conferri, non tamen absolutio.

I. PRima irregularitas ex delicto habetur ex iteratione Baptismi. Certum autem est, irregularitatem hanc incurrere tam rebaptizatum, quam scienter rebaptizantem; sicut etiam qui solemniter, seu publice, & ex officio ministrat. Non incurrit tamen irregularitatem, qui sub conditione rebaptizat, etiamsi debitam inquisitionem non præmittat; nec qui metu adactus simulat Baptismi collationem; quamvis mortaliter peccet, ut notat Laym. hic.

Adde, quod etiam irregularitatem incurrit, qui citra necessitatem baptizari se sinit ab hæretico, ex cap. *Afros dist. 98.*, necnon qui differt baptismum usque ad ægritudinem mortalem; & qui adhuc est Neophytus, seu recenter baptizatus; hic enim quamdiu neophytus est, ne ad minores quidem Ordines potest promoveri. Ad Episcopum autem spectat decernere, quamdiu durat status neophyti, considerata qualitate, & doctrina personæ, quamvis universim per decennium durare soleat.

Hujusmodi irregularitates non tolli per susceptionem baptismi, manifestum est, cum imponantur ob ipsam baptismi susceptionem vel dilatam ad ægritudinem, vel recenter factam.

Pro iteratione aliorum Sacramentorum imprimentium characterem, puta Confirmationis, & Ordinis, pariformiter irregularitatem incurri docent nonnulli apud Laym.; Sed communior sententia negat, quia non est id in jure expressum.

II. Secunda irregularitas ex delicto contrahitur per exercitium Ordinis Sacri cum violatione censuræ. Certum quippe est, innodatum excommunicatione majori, vel suspensione, aut interdicto, etiamsi sit occultus, & toleratus, irregularitatem incurrere exercendo solemniter, seu ex officio actus Ordinis majoris; nisi excuset necessitas vitandi scandalum, aut ignorantia, &c., ex cap. *Is qui, de sententia excommunicationis.* Quare primo hanc irregularitatem incurrit, qui canit in choro, tamquam hebdomadarius cum Dominus vobiscum; quia hoc modo ab initiatis solum Ordinibus Sacris canitur. Secundo, Subdiaconus canens Epistolam cum manipulo, & Diaconus canens Evangelium cum Stola. Tertio, qui baptizat solemniter, & qui consecrat aquam ad aspergendos fideles; cum isti sint actus Ordinis Sacri: secus vero qui baptizat privatim. Quarto, qui absolvit sacramentaliter, etiamsi absolutio ex indispositione pœnitentis sit invalida. Quinto, Sacerdos benedicendo sponsos, faciendo solemnitates baptismi, necnon Sacerdos, vel Diaconus ministrando Eucharistiam; Non vero si Sacerdos assistat matrimonio, quia talis assistentia non est actus Ordinis, immo nec proprie jurisdictionis. Ac demum Episcopus exercendo Ordinem Episcopalem. Qui tamen duplicem censuram specie diversam violat, duplicem irregularitatem incurrit; sicut duplicem excommunicationem, qui excommunicatum vitandum in loco interdicto sepeliret.

In hac irregularitate, sicut & in superiore de iteratione baptismi, solus Pontifex dispensare potest, nisi delictum sit occultum; tunc enim ex privilegio Trident. potest etiam Episcopus.

III. Tertio imponitur in jure irregularitas Clerico ministranti in Ordine Sacro, quem non habet, modo scienter, serio, & ex officio ministret. Ita habetur cap. 1., & 2. *de Clerico non ordinato ministrante.* Hinc sequitur, quod nec laicus Ordinem Sacrum exercens, nec Clericus, qui per jocum, & repræsentationem, aut ex ignorantia crassa ministrat, irregularitatem incurrat: Sicut nec Clericus, qui Epistolam sine Manipulo, aut Evangelium sine Stola canit; cum sic non canat solemniter, seu ex officio, sed tantum dicatur uti officio Cantoris.

Præterea Clericus (non tamen subdiaconus) irregularitatem non incurrit, si canat Epistolam sine manipulo, etiamsi cum intentione exercendi Ordinem Sacrum, quem non habet; cum non sufficiat sola intentio, nisi etiam exterius exerceatur solemnitas Ordinis Sacri: Nec irregularitatem incurrit, si canat Epistolam cum manipulo sine intentione exercendi Ordinem Sacrum, sed solum ad supplendum defectum subdiaconi, ut docet hic Bonac.; quia ad irregularitatem incurrendam utrumque requiritur, & actus externus prohibitus, & intentio exercendi illum sub ea ratione, sub qua est prohibitus.

Sacerdos vero ministrans sine facultate debita Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis non incurrit irregularitatem; quia non exercet actum Ordinis, quem non habet, sed jurisdictionis: Contra tamen Clericus absolvens sacramentaliter serio, & scienter, quamvis Sacramentum non conficiat, illam incurrit, ut communiter docent cum Bonac., Avil., Filliuc. contra Sylvest.; sicut etiam

iam si referat in choro munus hebdomadarii, aut si benedicat Sponsos, aut si per saltum promotus exerceat Ordinem prætermissum; cum exerceat in his casibus actum Ordinis, quem non habet. Diaconus tamen si solemniter baptizet sine licentia Parochi, vel Episcopi, incurrit irregularitatem, ut notat Avil. ex Henr., Navar.; Si vero de licentia Parochi, vel Episcopi solemniter baptizet, nec peccat, nec est irregularis, quia ad Diaconi munus spectat de licentia Parochi id præstare.

In hac irregularitate solus Pontifex dispensare potest, ut ad superiores Ordines ascendatur: Ut vero in susceptis ministretur, etiam Episcopus, quamvis delictum sit publicum; ut notant hic Bonac., Avil., & alii.

IV. Quarta irregularitas ex delicto incurritur aliquando per indebitam susceptionem Ordinis sacri. Certum quidem est, eam incurri a coniugato recipiente Ordines Sacros: Dubium vero apud Doctores est primo, utrum irregularitatem, an suspensionem incurrat, qui ligatus aliqua censura recipit Ordines Sacros. Nam Avil., Henr., & alii apud Bonac. docent, hunc incurrere irregularitatem; Filliuc. vero, Suar., Con. incurrere suspensionem. Secundo idem dubium procedit apud Doctores de eo, qui eodem die recipit minores Ordines cum Subdiaconatu, inscio, & non advertente Episcopo; aut duos Ordines Sacros, aut ultimum minorum Ordinum cum Subdiaconatu. Notat tamen Busemb. ex Navar., Henr., Vasq., Suar., & aliis, quod non solum possit Episcopus dispensare, ut eodem die omnes Ordines minores recipiantur, sed etiam, si consuetudo alicubi sit, simul cum Subdiaconatu. Tertio dubium pariter est, suspensionem ne, an irregularitatem incurrat, qui recipit Ordines per saltum & qui ordinatur furtive, hoc est nesciente proprio Episcopo, non approbante, & examinante. Quarto idem etiam dubium recurrit de recipiente Ordines ab Episcopo, qui suæ dignitati hoc est jurisdictioni, & executioni Ordinis Episcopalis renuntiavit. In his omnibus dubiis fatendum potius suspensionem tantum incurri; quia irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa. Semper tamen Episcopus dispensare in iis potest, si delictum sit occultum, ex Trident. non vero si sit publicum.

V. Quinto certum est ex cap. *Saluberrimum quæst.* 1. *cap.* 2., *de hæret. in* 6., irregulares esse tam hæreticos, quam Apostatas a fide, & eorum fautores, ac defensores.

Unde sequitur primo, non esse irregularem qui exterius hæresim profert, sed interius bene sentit, ut docet Suar. contra Ugolin., quia non est vere hæreticus. Contra vero juxta sententiam probabliorem apud Bonac. est irregularis Apostata, qui exterius per metum adorat idolum, licet animo non adoret; quia revera peccat contra præceptum fidei negativum; unde vere est Apostata, & consequenter subjacet pœnis hæreticorum, ex cap. *Non potest* 2. *quæst.* 7.

Secundo sequitur, non esse irregulares ex hoc capite, qui dæmonem sine hæresi colunt, aut cum eo pactum ineunt; quamvis ex alio capite, videlicet ex suspicione hæresis, ex qua consurgit infamia, fieri possint irregulares, donec purgent suspicionem.

Tertio, nec esse irregulares Schismaticos, quando schisma non est conjunctum cum hæresi, ut communiter docent contra Ugolin. quia non est expressa in jure talis irregularitas.

Quarto, esse irregularem, qui cogitur in judicio abjurare ab hæresi probata; quia hic censetur vere hæreticus.

Adde, non solum Apostatam a fide, sed Apostatam a religione esse irregularem; ut docent Bonac. Ugolin. & alii ex cap. *Fini*, *de Apostatis*; ubi dicitur, Apostata a religione non esse admittendus ad Ordines durante eo statu.

Adde ulterius, esse etiam irregulares filios hæreticorum usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per maternam, ex cap. *Statutum* 2. *de hæreticis*; Quod tamen intelligendum, dummodo parentes mortui sint in delicto hæresis. Si tamen filius natus sit ante lapsum parentis in hæresim, putant probabilius Bonac. Sanch. contra Suar. Filliuc. quod non sit irregularis; tum quia versamur in materia odiosa, quæ benigne est interpretanda; tum a pari, quia filii reorum criminis læsæ majestatis non subjacent pœnis, quibus subjacent nati post delictum; ergo ita in casu nostro.

Dubium est; an Hæresis, & Apostasia occulta irregularitatem inducant?

Affirmant Bonac. Sylvest. Navar. Negant tamen Laym. Henr. Avil. quia non propter hæresim, & apostasiam secundum se, sed quatenus juris infamiam annexam habent, videtur irregularitas ista decreta: Præsertim cum dicatur in cap. *Abolendum*; *Quicumque manifeste fuerit in hæresi deprehensus*. Quænam autem crimina infamiam inducant, dicemus cum de irregularitatibus ex defectu; Etenim tam infamia juris, quam facti, quæ irregularitatem inducunt, stare possunt sine patrato delicto.

VI. Rogabis; Quisnam possit in irregularitate ob hæresim contracta dispensare?

Respondeo cum Suar. Sanch. Bonac. probabiliter posse etiam Episcopum, si crimen sit occultum, ex Trident. sess. 24. cap. 6. quia quamvis in Bulla Cœnæ reservetur hic casus Pontifici, reservatur tamen quoad absolutionem a culpa,

pa, & censura, non quoad dispensationem ab irregularitate: Et idcirco putat Sanch. contra Suar., quod possit Episcopus etiam per Vicarium dispensare; quia in Trident. sola absolutio ab hæresi occulta limitatur, ut Episcopus per seipsum illam concedat.

ARTICULUS II.

De Irregularitate, quæ incurritur propter homicidium, aut mutilationem injustam.

I. *In quo differat homicidium voluntarium a casuali? Quandonam casuale inducit irregularitatem?*

II. *Ut mutilatio injusta irregularitatem pariat, debet esse membri præcipui.*

III. *Irregularitas incurritur ab omnibus ad homicidium concurrentibus, etiam ab eo, qui ex officio tenetur illud impedire, & non impedit; non tamen a ratihabente.*

IV. *Mandans homicidium, morte non secuta, excommunicationem quidem incurrit, non vero irregularitatem.*

V. *Concurrens ad homicidium si doleat de culpa, antequam ille moriatur, morte secuta, irregularitatem incurrit; sed probabiliter non incurrit excommunicationem.*

VI. *Quid si mandatum de homicidio, aut consilium revocetur?*

VII. *Quid si plures ad homicidium concurrant ex subita rixa, sed unus tantum infligat vulnus lethale?*

VIII. *Si quis esset in causa, ut alter illicite exponatur periculo mortis, hac secuta, irregularitatem incurrit.*

IX. *Episcopus in irregularitate orta ex homicidio voluntario, quamvis occulto, dispensare non potest: potest tamen, si oriatur ex casuali; Quid si illud sit omnino occultum, ita ut in judicio probari non possit?*

X. *Homicidium casuale non parit irregularitatem, si sine gravi culpa patratum sit. Nec si patretur ab ebrio, vel dormiente, qui illud non prævidet.*

XI. *Qui dat operam rei illicitæ periculosæ, secuta alicujus morte, incurrit irregularitatem, quamvis diligentiam adhibuerit ad homicidium præcavendum.*

I. HOmicidium injustum, (& idem dicas de mutilatione) vel potest esse Voluntarium, vel Casuale, ut si quis volens Petrum duntaxat ferire, vel graviter percutere, illum casu, & præter intentionem occidat: Utrumque irregularitatem inducere potest; si tamen ex gravi culpa procedat; Quando autem inducat, hic examinandum. In articulo vero sequenti agemus de homicidio justo, sive fiat in bello justo, & ratione propriæ defensionis, quod dicitur necessarium; sive in judicio ratione publicæ potestatis, quod dicitur legitimum.

Quæritur primo; Quid sit homicidium voluntarium, prout differt a casuali?

Respondeo, voluntarium homicidium dici illud, quod directe intenditur ab homicida vel in se, vel in sua causa, ut si præbeat alteri venenum, aut ense illum percutiat in capite; sic enim ponit causam morali necessitate inductivam mortis. Quare in hoc differt a casuali, quod hoc non intendatur ab operante: Quamvis irregularitatem etiam inducat, ut videbimus, quando homicidium præter intentionem sequitur per hoc, quod operans non adhibuerit debitam diligentiam ad illud præcavendum; præsertim si dabat operam rei illicitæ.

II. Idem dicendum de mutilatione, quæ tamen debet esse membri præcipui, puta manus, pedis, oculi, &c. Immo etiam si dimidia manus amputetur, ut docet Suar., cum Communiore Canonistarum: Contra vero non incurritur irregularitas, si amputetur unus tantum digitus, quicumque sit, sive cartilagines, quæ deserviunt ad ornatum, & tutelam aurium, sive dentes, ungues, labia, nasus, testes, mamillæ, &c. Nec siquis excæcetur non eruendo oculum; aut si membrum tantum debilitetur sine amputatione.

Adde, dici etiam casuale homicidium voluntarium commissum in sui defensionem sine moderamine debito apud Dian. part. 9. tract. 7. resol. 22., sicut etiam si non sit factum ex industria, & per insidias, sed ex subita ira.

III. Quæritur secundo; An irregularitas propter homicidium voluntarium incurratur ab omnibus voluntarie ad illud concurrentibus?

Respondeo affirmative. Quare non solum est irregularis, qui vel directa intentione alium occidit, vel ponit actionem, ex qua morali necessitate consequitur mors jam prævisa; sed etiam mandans, hortans, consulens, incitans, comminans, nisi quis alium occidat, animans suo favore, & auxilio, ut constat ex cap. *Siquis viduam*, *dist.* 50. Immo probabile est, ut notat Con., & Avil., eandem irregularitatem incurrere, qui tenetur mortem alicujus, vel mutilationem ex officio, seu ex justitia (non vero ex charitate tantum) impedire, & tamen non impedit.

An etiam irregularis sit, qui ratum habet homicidium suo nomine patratum, quod antequam fieret, poterat mandari? Aliqui affirmant, quia ratihabitio in hoc casu comparatur mandato; ergo sicut mandans, ita ratum habens est irregularis. Sed Avil. cum Henr. negat; tum quia ratihabitio in tali casu non est causa homicidii, cum sit illo posterior; tum etiam quia non est hoc in jure expressum: Ratihabitio

bitio autem comparatur mandato quoad culpam, non vero quoad pœnas, nisi exprimatur.

IV. Notandum tamen primo, morte non secuta, non incurri irregularitatem neque a ponente causam mortis, neque a mandante, consulente, &c. nam quamvis mandans per assassinos, aliquem occidi, incidat in excommunicationem, effectu non secuto, non tamen in irregularitatem; quia solum ibi imponitur in jure excommunicatio etiam effectu non secuto, non tamen imponitur irregularitas in mandante homicidium effectu non secuto: Immo, ut notat Con. num. 60. neque incurrit irregularitatem, qui alium lethaliter vulneravit, si aliunde, puta ex fulmine, ille moriatur, ita ut vulnus nullo modo concurrat ad citius moriendum.

V. Notandum secundo, quod irregularitas, morte secuta, incurratur ab homicida, & a cooperantibus ad homicidium, etiamsi illos pœnituerit facti, antequam ille moriatur. Quamvis enim multi probabiliter putent, in tali casu non incurri excommunicationem, cum propter pœnitentiam cesset contumacia, adeoque cessat requisitum essentiale ad incurrendam censuram; At nemo dixerit, non incurri irregularitatem, quæ non præexigit contumaciam, cum sit pœna delicti vindicativa, non medicinalis.

VI. Notandum tertio, mandantem, & consulentem, &c. debere suo mandato, vel consilio influere in homicidium. Quare si mandatarius dicat, vel aliunde id constet, occidisse illum ex inimicitia privata, aut alia de causa, in tali casu mandans homicidium irregularitatem non incurrit; si tamen dubitet, an suo mandato, vel consilio influxerit, etiam est irregularis, cum versetur in dubio facti circa homicidium, ut diximus quæst.præcedent. art.4. Quod siquis volenti occidere suadeat mutilationem tanquam minus malum, cum non peccet juxta sententiam probabilem, nec irregularitatem incurrit: Immo si determinatum ad occidendum suo consilio, vel mandato moveat ad citius, vel crudelius occidendum. Hurt. diff. 6. cum aliis contra Suar. Pal. Avil. putat, quod neque irregularitatem incurrat, quia non influit in homicidium simpliciter; siquidem alter jam erat determinatus homicidium patrare.

Notandum quarto, mandantem homicidium teneri ante effectum serio revocare mandatum, ut cesset omnis influxus mandati, & sic irregularitatem devitet: Quod si mandatarius adhuc post revocationem persistat in voluntate occidendi, tenetur mandans etiam ex justitia illum, quem in periculo vitæ posuit per suum mandatum, monere, ut sibi caveat; aliter irregularitatem non vitabit. Nec satis est, ut notat Suar. disp. 44. sect. 3. quod mandatarius a principio non acceptaverit mandatum; quia mandatarius semper existimat, quod mandans optet homicidium; unde quamvis mandatum non influxerit a principio, potuit tamen influere in decursu. Eodem modo consulens tenetur consilium revocare validioribus rationibus in contrarium: Quod si is, cui datum est consilium, persistat in voluntate occidendi, tenetur pariter consulens monere occidendum, ut sibi caveat; aliter irregularitatem incurret, ex Suar. num. 13. Hurt. diff. 6. Nisi tamen ille dicat, non ex consilio accepto, sed ex alia causa persistere in voluntate occidendi, ut notat Rodriq. & Avil.

Neque dicas; Qui lapidem projecit ad Petrum occidendum, quamvis illum lapidem conetur detinere, antequam Petrum occidat, non proinde irregularitatem vitabit, si mors sequatur. Sic etiam qui venenum propinavit, quamvis conetur mortem impedire, si non impedit, est irregularis; ergo etiam qui mandat, aut consulit homicidium, quamvis pro virili conetur mandatum, aut consilium revocare, adhuc est irregularis, si homicidium sequatur.

Nam ex Suar. num. 7. negatur consequentia. Disparitas est, quia lapis, & venenum sunt causa physica mortis, ut proinde si mortem causant, illi tribuenda sit, a quo mota fuerunt: Contra tamen consilium, & mandatum sunt causa moralis; unde si mandatarius Petrum occidat, potest illum occidere ex alio capite, quam ex vi mandati; atque adeo si mandatum sit sufficienter revocatum, ita ut constet non ex vi mandati secutum esse homicidium, irregularitas non incurritur.

VII. Notandum ultimo, quod quando plures, præmisso consilio, concurrunt ad occidendum Petrum, secuta morte, omnes sunt irregulares, quamvis sciatur, quod ab uno tantum determinato sit occisus. Ita Avil.dub. 3. Ratio est, quia omnes illi fuerunt velut una causa moralis homicidii. Eodem modo est irregularis, qui homicidam associavit animo illum defendendi, si succumberet, quamvis dissuaderet illi homicidium. Ratio est, quia talis associatio auget animum delinquentis. Adde, quod si plures hominem talem occidant, non præmisso consilio, sed ex rixa, ita tamen ut Petrus ab uno vulnere sit occisus, & nesciatur quisnam tale vulnus inflixit, tunc omnes pariter sunt irregulares, si de omnibus dubium sit, quod tale vulnus inflixerint; Si vero sciatur, quod Titius Petrum occiderit, Covarr. putat, quod solum Titius sit irregularis. Sed verius cum Avil. existimo, omnes pariter esse irregulares; quia omnes simul, quamvis non præmisso consilio, Petrum oppugnarunt, & sic concursum præbuere, tanquam una causa totalis moralis.

VIII. Quæritur tertio; An qui consulit alteri,

teri, ut illicite se exponat probabili periculo mortis, sit irregularis morte secuta?

Respondeo cum Avil. affirmative; quia sicut censetur homicida suimet, qui injuste, & temere se exponit periculo mortis; ita est homicida alterius, qui illum suo consilio temere, & injuste exponit periculo mortis: Exempli gratia, si faciat præliantem ingredi per tectum domus, aut per alia loca periculosa. Eodem modo ex Avil. est irregularis, qui consulit Petro, ut occidat Paulum, & tamen Petrus occiditur a Paulo, quia exponendo Petrum periculo mortis injustę, reus est mortis Petri.

IX. Quæritur quarto; Quisnam possit in homicidio voluntario dispensare?

Respondeo, solum Pontificem. Episcopus enim potest quidem in aliis irregularitatibus ortis ex occulto delicto dispensare; sed excipitur duntaxat homicidium voluntarium; (diximus tamen quæst. 8. art. 3. num. 7., probabile esse, quod etiam in hoc homicidio possit Episcopus dispensare, si sit omnino occultum, adeo ut in judicio probari non possit) Ex quo sequitur, quod possit Episcopus dispensare, si irregularitas proveniat ex homicidio casuali occulto; Necnon si ex mutilatione injusta occulta, ut communiter docent cum Avil., Suar. contra Sanch. tom. 1. Summ. cap. 10., Medin., Henr., & alios apud Bonac. Immo potest etiam dispensare, si proveniat ex homicidio volito in se, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, dummodo sit occultum; ut docent communiter cum Avil., Valent., Con. apud eundem Bonac.; quia tale homicidium non censetur voluntarium; cum non fuerit ex proposito, & ex voluntate absoluta occidendi.

X. Quæritur ultimo; Quandonam incurratur irregularitas propter homicidium casuale?

Respondeo, homicidium omnino casuale, quod sine culpa accidit, non ferre secum irregularitatem; ferre vero illam homicidium casuale, quando non est adhibita debita diligentia ad illud præcavendum, sed lata culpa intercessit; præsertim si secutum est dando operam rei illicitæ. Dixi, si præcessit lata culpa; nam si levis tantum, aut levissima culpa intercessit, irregularitas non contrahitur; cum hæc supponat peccatum mortale, ut communiter docent contra Cajet., Armil., & alios. Est autem lata, seu gravis culpa, seu negligentia, omissio illius diligentiæ, quam adhibere solent in simili casu prudentes, ac diligentes; est vero levis, quam solent diligentiores; levissima, quam diligentissimi.

Hinc sequitur primo, homicidium commissum ab amente, vel furioso non inducere irregularitatem, cum non sit voluntarium, nec peccaminosum; Voluntarium enim ex Aristotele est a principio cognoscente singula. Secundo, neque irregularitatem inducit homicidium commissum ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud secuturum; censetur enim esse casuale. Tertio, neque si committatur a puero non habente usum rationis sufficientem ad peccatum.

XI. Dubium est apud Doctores celeberrimum; An universim qui dat operam rei illicitæ, morte secuta, sit irregularis, etiamsi adhibuerit diligentiam ad mortem præcavendam?

Respondeo, aliquos cum Sylvest. apud Avil. disp. *6.* sect. 1. absolute affirmare; Alios vero cum Henr. Cano, Less., Bonac., Con. dub. *9.* negare: Media via probabilius incedunt Avil., & Suar. disp. 45. sect. *6.* cum aliis, dicendo, irregularitatem incurri, si detur opera rei illicitæ periculosæ, etiamsi abhibita sit diligentia ad homicidium præcavendum; non vero si detur opera rei illicitæ non periculosæ. Ratio est, quia in eo casu nunquam censetur adhiberi debita diligentia, nisi cessetur a tali operatione periculosa, quæ est proxima occasio mortis; quamdiu enim quis vult tale opus, vult causam, & periculum ad homicidium, atque adeo vult ipsum homicidium; puta si explodatur bombarda ad arcem; non vero si quis illicite apros venetur, & alia hujusmodi, quæ sine proximo periculo homicidii fieri possunt.

Juxta varias has sententias decidendum est; Sint ne irregulares primo Aromatarii, qui ex rebus corruptis conficiunt medicinas? Secundo, qui præbet aliquid noxium infirmo contra medici præceptum, aut consulit, aut tradi mandat, etiamsi fiat titulo pietatis, ne infirmus diu patiatur? Tertio, magister, qui in ira percutiendo discipulum ob correctionem excedit modum percussionis, unde sequitur mors? Quarto, qui reficiendo, exempli gratia, tectum, projicit tegulam, unde viator occiditur? Quinto, qui niveis pallis glacie confectis hyemali tempore sese petunt, unde sequitur mors? Sexto, qui custodit domi feram, quæ alios occidit? Septimo, qui publicat adulterium Bertæ, unde occidatur a suis? Octavo, qui joci causa terrorem incutit Bertæ prægnanti, unde sequitur abortus? Nono, si quis intendens occidere Petrum, occidat Paulum? Decimo, si adulter deprehensus in adulterio est in causa, cur uxor a conjuge occidatur? Undecimo, qui immoderate rixatur cum muliere prægnante, unde abortiatur? Duodecimo, si quis aliquem non lethaliter vulneret, & tamen deinde moriatur? In quibns, & similibus casibus alii aliter juxta dictas opiniones respondent.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

I. *Qui ad homicidium, necnon ad mutilationem concurrit in bello justo; Necnon etiam in judicio, tanquam minister justitiæ, irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis.*

II. *Quinam excusentur ab hac irregularitate incurrenda?*

III. *Minoribus Ordinibus insignitus si se immisceat in causa sanguinis, quamvis Irregularitatem incurrat, non tamen peccat: secus vero Beneficiatus, aut in sacris constitutus.*

IV. *Accusator in causa criminali, secuta morte, quandonam incurrat hanc irregularitatem, si non protestetur, se non intendere pœnam sanguinis?*

V. *Quomodo fieri debeat talis protestatio?*

VI. *Pariter irregularitatem incurrunt Procurator, & Testis concurrentes ad mortem, non secus ac accusator. Probabiliter tamen excusatur Testis, quando jure naturali tenetur ferre testimonium.*

VII. *Judex irregularitatem incurrit, quamvis teneatur jure naturali reum damnare, quia sponte tale munus sumpsit; secus vero Testis, & accusator, quando jure naturali tenentur testificari, & accusare.*

VIII. *Clericus in causa sanguinis solum in sui favorem potest testificari, præmissa protestatione; non tamen in favorem alterius, etiamsi a Prælato id sibi præcipiatur.*

IX. *Qui in bello justo animant alios ad occidendum generatim hostes, irregularitatem non incurrunt. Num sint irregulares, qui ad bellum justum procedunt animo pugnandi, quamvis neminem occidant, aut mutilent, nisi in defensionem propriæ vitæ?*

X. *Alium occidens in sui, vel suorum rerum defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec peccat, nec irregularitatem incurrit. Quid autem requiratur, ut id fiat cum tali moderamine?*

XI. *In Sacris constituti, si Chirurgiam exerceant incidendo, & inurendo, peccant, sed irregularitatem ex defectu lenitatis non incurrunt. Num etiam Beneficiatis id vetetur?*

XII. *Num possit Episcopus in hac irregularitate dispensare?*

I. Irregularitates ex defectu recensuimus art. 1. quæst. præced. Sunt enim ex defectu vel animi, vel corporis, vel natalium, vel ætatis, & libertatis, vel Sacramenti, seu ex bigamia, vel ex infamia, vel demum ex defectu lenitatis. Incipimus ab hac ultima, ut luculentius appareat, in quo differat irregularitas ex homicidio, ac mutilatione injusta ab hac irregularitate, quæ nullum delictum præsupponit, & dicitur esse ex defectu lenitatis. In sequenti deinde articulo perstringemus reliquas irregularitates ex defectu.

Incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, qui concurrit ad homicidium, vel mutilationem, tanquam Minister publicus justitiæ, & qui in bello justo aliquem occidit; immo etiamsi mutilet, ut docent communiter apud Leand. de Irregularit. tract. 1. Unde fit, quemlibet Judicem Papa inferiorem ferentem sententiam mortis, vel mutilationis, ejusque assessores, cooperatores, satellites, comprehendentes, & torquentes reum, Notarium scribentem, vel legentem sententiam, &c. hanc irregularitatem incurrere; Non vero famulum transcribentem sententiam a Judice dictatam, nec Confessarium, aliumve, qui hortando, ut damnatus scalam ascendat, vel alio simili modo accelerat alicui mortem, ut aperte docet Escob. in summa cap. 5. cum in jure hæc irregularitas ministris tantum justitiæ imponatur: Nec Doctorem, qui interrogatus a Judice, an debeat reum morti tradere, respondet, quod debeat; Nec qui persuadet reo, ut justæ sententiæ acquiescat, quam non potest sine injusta appellatione differre; quamvis Bonac. & Avil. id non admittant.

II. Est tamen irregularis Judex Ecclesiasticus, qui Reo in carceribus detento cibum ita diminuit, ut citius moriatur; quia hujusmodi sententia æquivalet sententiæ sanguinis, & mortis, ut notat Bonac. ex Molin. Judex autem Ecclesiasticus, qui degradat Clericum, & eum tradit brachio sæculari puniendum, non est irregularis: Nec Inquisitores Sancti Officii, qui tradunt aliquos Judici sæculari comburendos, etiamsi nullam præmittant protestationem, ex Bonac. hic contra Con. Et idem dicas de Accusatoribus, & Testibus; cum in eo Tribunali id permittatur: Nec Princeps sæcularis, vel Clericus habens jurisdictionem temporalem, ratione patrimonii, aut beneficii, &c. si constituat Prætores, & alios Officiales, qui causas sanguinis inquirant, & delicta puniant; Immo nec si mandet in aliquo particulari casu justitiam fieri: Secus vero si mandet executionem sententiæ jam latæ; quia tunc directe juberet reum occidi.

III. Hic tamen adverte ex Bonac. quod si Laicus, vel Clericus minoribus Ordinibus insignitus immisceant se in causa justa sanguinis, non peccant; irregularitatem tamen incurrunt ex defectu lenitatis, eo quod non possint repræsentare Christum, qui lenissimus, & mitissimus fuit: Contra vero Clericus Beneficiarius, aut in Sacris constitutus non solum incurrit hanc irregularitatem, sed etiam peccat mortaliter, cum violet prohibitionem Ecclesiæ in re gravi.

IV. Quæ-

IV. Quæritur nunc primo; An Accusator in causa criminali, secuta morte, vel mutilatione, hanc irregularitatem incurrat?

Respondeo affirmative cum Bonac. Ugolin. & aliis, dummodo non accuset, petendo satisfactionem pro injuria sibi, vel suis propinquis illata, & protestetur expresse, se non intendere pœnam sanguinis. Etenim ad servandum seipsum indemnem, licitum est alterum juste accusare: Si enim Clericis permittitur alios in tali casu accusare absque incursu in irregularitatem, facta protestatione dicta, ex cap. *Prælatis*, *de Homicidio*, ne scilicet injuste patiantur injuriam; a fortiori id permittitur laicis; Quod si protestatio omittatur, procul dubio irregularitas incurritur, ut communiter docent Doctores: Immo etiam incurritur, secuta morte, irregularitas, si accusetur reus pro injuria non sibi, vel suis propinquis, &c. sed alteri extraneo illata, quamvis præmittatur protestatio, ut notat Avil. disp. 5. dub. 11.

V. Protestatio autem his, vel similibus verbis fieri debet coram Judice, apud quem deponitur querela: *Domine peto, cures satisfactionem, vel restitutionem exhiberi mihi a Petro, qui mihi damnum intulit, protestorque, me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem*; Quæ protestatio non est opus, ut scripto fiat; & satis est, ut sit solum externa, & ficta, ut docent communiter; quia Ecclesia non imponit irregularitatem ob internum animum, & desiderium mortis, sed propter omissionem protestationis; ut videre est apud Bonac. & Avil. Quod diximus de Accusatore, dicas de Advocato, & Testibus necessariis, ut accusatio habeat debitum effectum. Idem etiam dicas de clamante, detinente comprehensum malefactorem, & tradente illum Judici laico. Requiritur etiam dicta protestatio ex Avil. quando Prælatus vocat brachium sæculare in defensionem Ecclesiæ suæ; Non tamen quando quis alium accusat ad avertendum malum imminens sibi, vel suis, vel Reipublicæ; cum enim ad id teneatur jure naturali, non incurrit irregularitatem, si id faciat, & mors sequatur, quoties aliter tale malum præcaveri non potest; ut idem Avil. notat dub. 11.

VI. Rogabis hic primo; Utrum Advocati, Procuratores, & Testes, qui concurrunt ad mortem, non ad avertendam propriam, vel suorum injuriam, sed alienam, incurrant irregularitatem, quamvis protestationem præmittant?

Respondeo cum Bonac. & Avil. quod incurrunt, non secus ac Accusator; Quamvis probabiliter hanc irregularitatem non incurrat Testis, qui jure naturali tenetur testificari, exempli gratia, ad liberandum a morte injuste accusatum, vel ne puniatur pœna talionis, qui injuste accusavit reum machinantem contra Rempublicam, & deficit in probationibus; Nec qui ex metu gravi testificatur; sicut enim metus gravis excusat a censuris incurrendis, ita & ab irregularitate. Nec demum Consulens, ut plurimi docent apud Dian. part. 11. tract. 2. resol. 63.

VII. Neque dicas: Judex quamvis teneatur damnare reum, adhuc irregularitatem incurrit; ergo etiam testis, & accusator, quando jure naturali tenentur accusare, & testificari.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia Judex ipse se injecit voluntarie in eam obligationem, quando sponte sumpsit officium; secus vero testis, & accusator.

VIII. Rogabis secundo; An Clericus possit cogi ad testificandum in causa sanguinis a suo Prælato?

Respondeo, Clericum in sui favorem posse testificari, præmissa protestatione, etiam in causa sanguinis, citra irregularitatem; At contra reum testificari non potest in causa sanguinis; cum sit illi prohibitum; Quod si detur ei a Prælato licentia, immo si illi id præcipiatur, non debet obtemperare, ex D. Thom. apud Avil. cum nemo possit cogi ad illicitum.

IX. Quæritur secundo; Quomodo ex bello justo hæc irregularitas contrahatur?

Respondeo, pugnantem in bello justo, & alium Occidentem, vel mutilantem irregularitatem incurrere, ex cap. *Petitio tua*, *de homicidio*; immo quicumque ad bellum sive justum, sive injustum procedit animo pugnandi, videtur irregularitatem incurrere, cum exponat se periculo proximo homicidii; ut docet Bonac. & Suar. disp. 40. sect. 5. contra Con. & Avil. disp. 5. sect. 3. Qui tamen ad bellum justum procederet, sed non animo pugnandi, ac deinde alium in defensionem proprię vitę occideret cum moderamine inculpatæ tutelæ, irregularitatem non incurreret. Qui consulunt justum bellum Principi, & qui hortantur milites ad fortiter pugnandum in bello justo, non sunt irregulares, dummodo non hortentur ad occidendum aliquem in particulari. Præterea non sunt irregulares, qui assistunt bello justo, vel custodiendo sarcinas, vel animando alios, dummodo ipsi neminem mutilent: Contra vero, si id faciant in bello injusto. Disparitas est, quia quamvis in utroque casu, qui animant milites occidentes, sint causa moralis homicidii; At in cap. *Petitio*, *de homicidio* excipiuntur ab irregularitate incurrenda etiam qui in bello justo vulneraverunt, modo non occiderint, nec dubitent occidisse, ut notat Bonac. Præterea Clerici non possunt sine facultate etiam in bello justo pugnare, nisi cogat necessitas defendendi Rempublicam; si tamen de licentia Pontificis

pugnant,

pugnant, secuta morte, non evadunt irregulares, ut communiter Doctores docent, cum non sit credibile, pontificem velle, ut Clericus pugnet, & irregularitatem contrahat?

X. Quæritur tertio; An irregularitatem incurrat, qui in sui, vel proximi, vel rerum suarum defensionem, alium occidit, vel mutilat?

Respondeo, nec peccatum, nec irregularitatem incurri, si occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: secus vero si sine tali moderamine; Incurritur enim tunc præter peccatum irregularitas ex delicto. Ut fiat autem cum moderamine, requiritur Primo, quod vis ab altero injuste inferatur; Quare qui occidit satellites, a quibus juste invaditur, peccat, & irregularitatem incurrit. Secundo, ut occisio fiat in ipso actu aggressionis quando scilicet moraliter incipit aggressor aggredi, nec aliter potest proprium damnum evitari; tunc enim vis vi repellitur. Quare aggressor nec potest præveniri, cum non inceperit tunc vim inferre; nec potest post factam aggressionem occidi; quia tunc vis cessavit. Tertio requiritur, ut invasus probabiliter credat sibi vel periculosum vulnus, vel mortem, vel aliud grave damnum infligendum, nisi vim vi repellat; Quarto, quod non possit aliter se defendere; Si tamen potest vel clamore, vel fuga non ignominiosa, vel solo vulnere inflicto damnum sibi imminens declinare, peccat occidendo, & irregularitatem ex delicto incurrit; cum non servet moderamen inculpatæ tutelæ.

XI. Quæritur quarto; An incurratur irregularitas per exercitium medicinæ, vel chirurgiæ?

Respondeo, laicum non incurrere irregularitatem, si eam exerceat juxta regulas artis, quamvis membrum aliquod abscindat causa sanitatis, & quamvis mors sequatur sine culpa gravi.

Nec Clericus, etiam beneficiatus, peccatum, aut irregularitatem incurrit, si officium Medici, & Chirurgi exerceat juxta regulas artis citra abscissionem, & adustionem; cum id nullo jure sit ei vetitum. Prohibetur tamen Clericis majoribus Ordinibus initiatis mederi abscindendo, vel adurendo: Utrum autem id etiam prohibeatur Clericis minoribus Ordinibus insignitis, si beneficium habeant? Negant Bonac., & Molin. contra Avil. Si tamen Clerici in Sacris ordinati, necessitate compulsi, exempli gratia, tempore pestis, quando alius deest, incidant, vel adurant, irregularitatem non incurrunt, cum non peccent; Nec incurrunt, si secundum regulas artis jubeant incisionem, vel adustionem; Nec si applicent emplastrum mollificativum, quo apostema aperiatur, etiamsi mors sequatur sine gravi culpa; Nec qui adjuvat chirurgum abscindentem membrum infectum.

Addo ex Bonac. contra nonnullos, quod si Clerici in Sacris constituti exerceant officium medici, & chirurgi, incidendo, & inurendo, peccant quidem contra prohibitionem, sed non incurrunt irregularitatem, nisi mors ex propria culpa sequatur; cum irregularitas ex defectu lenitatis solum a ministris justitiæ incurratur; & ab iis qui occidunt, vel mutilant in bello justo.

XII. Quæritur demum; Quisnam possit in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare?

Respondetur, solum Pontificem, & Prælatos mendicantes, qui privilegium habent dispensandi in omni irregularitate cum suis religiosis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & mutilatione, ut dicemus de Bigamia. Putant tamen multi apud Dian. part. 4. tract.2. resol. *69.*, & part. 7. tract. 2. resol. *26.*, & *27.*, quod etiam Episcopus possit in hac irregularitate dispensare.

ARTICULUS IV.

Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu.

I. Qui ante legitimam ætatem ordinatur, non est irregularis, sed suspensus, si mala fide Ordines susceperit: Quod si bona fide, non incurrit suspensionis censuram: nequit tamen illos exercere.

II. Quinam dicantur ex defectu libertatis irregulares.

III. Num ex debito pecuniario incurratur aliquando irregularitas ex defectu libertatis.

IV. Triplex datur Bigamia inducens irregularitatem ex defectu significationis, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. Interpretativa habetur quadrupliciter: Similitudinaria vero per duplex matrimonium, alterum carnale, alterum spirituale cum Christo per votum solemne Castitatis, saltem in professione Religiosa, si minus in Ordine Sacro.

V. Potest Episcopus dispensare in Bigamia similitudinaria; At in interpretativa solum quando est occulta. Mendicantes ex suis privilegiis possunt in bigamia cum suis subditis dispensare.

VI. Irregulares sunt omnes infames tam infamia juris, quam infamia facti: Tollitur infamia facti per emendationem vitæ continuatam per triennium. Infamia juris raro admodum a Pontifice dispensatur.

VII. Solemnis pœnitentia olim irregularitatem inducebat.

VIII. Num illegitimus occultus sit irregularis ex defectu natalium? Tripliciter hæc irregularitas tollitur, per legitimationem factam a Pontifice, per Professionem Religiosam, & per dispensationem.

IX. Episcopus potest in hac irregularitate di-

ſpenſare, ſi delictum Parentum ſit occultum.

X. *Num expoſitus, cujus parentes ignorantur, præſumendus ſit legitimus?*

XI. *Num, & quando in amente, ac furioſo ceſſat irregularitas, ſi ſanitatem recuperent?*

XII. *Quinam illiteratus ſit irregularis ex defectu ſcientiæ?*

XIII. *Poteſt Pontifex diſpenſare in defectu ſcientiæ requiſitæ jure canonico, non vero requiſitæ juræ naturali.*

XIV. *Neophyti univerſim per decennium ſunt irregulares.*

XV. *Quinam defectus corporis irregularitatem inducat?*

XVI. *Ad Epiſcopum ſpectat judicare, num talis defectus corporis inducat irregularitatem? Ad Pontificem vero ſpectat in ea diſpenſare. Quid de Religioſis.*

XVII. *Carens pollice, cum non poſſit ad Sacerdotium aſcendere, neque poterit alios Ordines ſuſcipere.*

I. PRimo quidem ante legitimam ætatem, qua poſſit Ordines ſuſcipi, unuſquiſque dicitur irregularis ex defectu ætatis, ex cap. ultimo, *de temporibus Ordinationum*, quamvis Scotus apud Blundum dicat, pueros non eſſe proprie irregulares, ſed ſolum prohiberi, ne Ordines ſuſcipiant, ſicut prohibentur peccatores; qui tamen non ſunt irregulares. Quod ſi quis Ordines ante legitimam ætatem ſuſcipere preſumpſerit, incurrit ſuſpenſionem; Et ſi Ordines exerceat, incurrit irregularitatem: Si vero ante legitimam ætatem ignoranter Ordines ſuſcipiat, non poteſt illos ante debitam ætatem exercere; Quod ſi exerceat, irregularitatem non incurrit, cum non violet cenſuram.

II. Secundo, ſunt etiam irregulares ex defectu libertatis Conjugati, niſi uxores conſentiant, & voveant caſtitatem. Similiter mancipia; necnon ex Laym. cap. 8. Servi originarii, vel aſcriptitii, qui perſonaliter Domino ſuo ſunt obligati, ita ut diſcedere non poſſint, niſi ſoluto pretio, aut niſi manumittantur. Si tamen Domino ſciente, & non contradicente ordinentur, eo ipſo ſunt liberi. Si vero Domino neſciente, aut contradicente in minoribus ordinentur, poteſt illos ſibi vindicare: Quod ſi Sacro Ordine ſint initiati, tenetur Epiſcopus duplicatum pretium Domino ſolvere, ſi ſcienter ordinaverit: Si tamen bona fide id fecerit, tenentur ad duplicatum pretium illi, qui ſervum induxerunt ad Ordines ſuſcipiendos: Quod ſi a nullo ſit inductus, debet ſe redimere ex proprio peculio; & ſi nihil poterit offerre, poteſt Dominus illum ſibi intra annum vindicare; Niſi tamen Sacerdotium ſuſceperit, tunc enim ſolum in officiis ſpiritualibus tenetur Domino miniſtrare.

Sunt pariter ex defectu libertatis irregulares omnes obligati ad ratiocinia, hoc eſt obligati ad reddendam rationem adminiſtrationis, vel publicæ, (ut Theſaurarii, Depoſitarii æris publici, Advocati, Magiſtratus, Judices, Tabelliones, &c.,) vel privatæ, ut Tutores, Curatores, Procuratores, &c.) donec enim ratiocinium reddant, & deponant illius obligationem, ordinari non poſſunt; Non afficiuntur tamen tali impedimento, qui adminiſtrationem gerunt perſonæ Eccleſiaſticæ, vel perſonarum miſerabilium, ut pupillorum, viduarum, cauſarum piarum, &c.

Utrum autem in cauſis Eccleſiaſticis poſſint Clerici beneficiati Tabellionis munus exercere? dubium eſt apud Doctores. Laym. docet, attendendam eſſe Diœceſium conſuetudinem. Putat etiam, non eſſe prohibitum Eccleſiaſticis, etiam in Principum ſecularium Curiis fungi officio Conſiliarii, Cancellarii, & etiam Judicis; in cauſis tamen civilibus, non vero in criminalibus, etiamſi citra mortis, & mutilationis ſententiam: Et de facto multi Regii Conſiliarii ſunt Sacerdotes, ſaltem ex tacita Pontificis conceſſione, ſeu ex conſuetudine.

Deniq; ex defectu libertatis ſunt etiam irregulares Curiales, ſeu qui ex obligatione inſerviunt Curiis Principum ſecularium, ut Judices, Advocati, Milites, Apparitores, ſaltem quamdiu juramento tenentur; Non vero qui inſerviunt Curiæ Epiſcopali, vel qui obſequii cauſa, & non ex obligatione frequentant Curias Principum: Sunt etiam eadem ratione irregulares Feudatarii, qui ratione poſſeſſionis acceptæ tenentur obſequium perſonale præſtare Domino, donec vel feudum relinquant, vel facultatem recipiant a Domino directo.

III. Rogabis; An ex debito pecuniario incurratur irregularitas?

Reſpondeo, per ſe non incurri; conſurgit tamen per accidens, ſi periculum ſit litium, & conſurgat obligatio ad reddenda ratiocinia; quamvis poſſit ſe ab hac irregularitate eximere debitor facta bonorum ceſſione, & reſervata ſibi congrua ſuſtentatione, ex cap. *Odoardus*, *de Solut.* ut docent Suar. diſp. 51. ſect. 9., Bonac. & alii.

IV. Tertio, Bigamus eſt irregularis ex defectu Sacramenti, ſeu ſignificationis, eo quod non poſſit ſignificare, & repræſentare conjugium Chriſti cum Eccleſia, ideſt unius cum una. Eſt autem bigamus, ſeu digamus, qui binas contraxit nuptias, ſicut monogamus, qui unicas.

Notandum tamen primo, irregularitatem hanc non contrahi abſque matrimonio vero, vel præſumpto, & quidem conſummato, ex cap. *Debitum*, *de Bigamis*. Et ratio eſt, quia non conſummato duplici matrimonio, non habetur carnis

carnis divisio, & consequenter nec defectus Sacramenti, seu significationis.

Notandum secundo, triplicem dari bigamiam juxta Canones, quæ irregularitatem inducit, Veram, Interpretativam, & Similitudinariam. Vera habetur bigamia, quando quis duas uxores duxit successive unam post mortem alterius, dummodo cum utraque consummaverit; sive ante, sive post baptismum eas duxerit; sic enim habentur duo vera matrimonia. Bigamia interpretativa habetur, quando quis revera non contraxit cum duabus, sed ex juris interpretatione censetur cum duabus contraxisse; quod quadrupliciter accidit, juxta communiorem opinionem apud Suar. & Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 47. Primo, siquis duo ineat matrimonia, alterum validum, alterum invalidum, dummodo utrumque consummet affectu maritali; aliter si ficto animo contrahit, ut extorqueat copulam, non est bigamus, ut notat Bonac. contra Suar. Sic non est bigamus vir conjugatus, si cum aliis adulteratur. Secundo, si duo ineantur, & consumentur matrimonia, utrumque invalidum; Quamvis Avil. ex Henr. neget in tali casu haberi bigamiam, & irregularitatem. Tertio, si quis ducat viduam a priori viro cognitam; vel si ducat solutam per fornicationem ab alio corruptam; vel nuptam a marito repudiatam, dummodo cum ea consummet; non tamen si ducat solutam ab eo prius ante matrimonium per fornicationem cognitam; cum non habeatur in tali casu carnis divisio. Quarto, siquis ducat Virginem, & postquam ipsa cum alio adulteravit, illam cognoscat.

Bigamia vero similitudinaria habetur, quando non intercedit duplex matrimonium carnale, sed alterum spirituale cum Christo per votum solemne castitatis nuncupatum vel in Professione religiosa, vel in susceptione Ordinis Sacri; alterum carnale, quod consummentur: Quamvis Suar. disp. 49. sect. 4. Filliuc., & alii apud Bonac. putent, per votum Castitatis in Ordine Sacro non induci bigamiam, si initiatus Ordine sacro contrahat cum virgine; Siquidem talis irregularitas non est in jure expressa; Nec induci in Professo putat Henr. apud Avilam.

V. Inquires: Possitne Pontifex in tali irregularitate dispensare? Et ratio dubitandi est, quia talis irregularitas videtur inducta jure divino; cum Apost. 1. ad Timoth. 3. dicat, Episcopum debere esse *unius uxoris virum*.

Communiter tamen docent, irregularitatem hanc esse de jure Ecclesiastico; unde possit in ea a Pontifice justa de causa dispensari, quamvis raro dispenset. Apostolus præceptum illud non promulgavit tanquam conditum a Deo, sed tulit tanquam Episcopus particularis, ut communiter Doctores docent; Pontifex autem dispensare potest in legibus latis ab Apostolis tanquam particularibus Episcopis; Immo potest Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine; Exempli gratia, potest dispensare cum Diacono, vel Subdiacono, vel Professo, qui contraxit matrimonium cum virgine, ut suscipiat Sacerdotium; Cum enim hæc bigamia non sit propria, sed similitudinaria, mitius agitur cum ea in jure. Addit Præposit. apud Escob. in Summ. cap. 5., quod possit etiam Episcopus dispensare in bigamia interpretativa, quando est occulta. Præterea communiter docent, quod possit Episcopus cum bigamis dispensare ad suscipiendos Ordines minores tantum, & ad beneficium simplex, & quod utantur Ordinibus susceptis. Verum Bonac. notat, ne ad primam quidem tonsuram posse nunc Episcopum dispensare, ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium apud Garz. part. 7. cap. 6. Demum Prælati Mendicantium possunt universim in bigamia cum suis religiosis dispensare, ut notat Avil.; quia Sixtus IV. concessit Ordini Minorum, ut possint cum suis dispensare in omni rregularitate, excepto homicidio voluntario, & mutilatione.

VI. Quarto Irregularitas ex defectu incurritur ob infamiam; Potest enim, ut supra diximus, etiam innocens laborare infamia publica, & sic esse irregularis ex defectu. Est autem infamia, boni nominis, & æstimationis apud prudentes privatio, vel gravis diminutio: Et ea quidem duplex est, altera juris, altera facti. Infamia facti habetur, quando fama alicujus gravatur de aliquo crimine apud multos, etiam graves, per majorem partem viciniæ: Requiritur tamen, ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium, seu ita evidens majori parti viciniæ, vel Collegii, ubi ad minus sint decem, ut nulla possit tergiversatione celari, ut notant Castro, Hurt., & alii contra Suar., & Filliuc. ex Cap. *de Temporibus Ordinat.*; requiritur etiam, quod crimen vel sit qualificatum, ut hæresis, parricidium, exempli gratia; vel continuatum, ut concubinatus.

Infamia juris vel habetur per sententiam Judicis inurentem infamiam, quæ sit definitiva, & condemnativa, ut siquis ad publicam fustigationem damnetur; vel habetur ob crimen, cui ab ipso jure est annexa infamia, ut est usura ex officio, Lenocinium, Perjurium in judicio, bigamia simul sponte contracta, Raptus mulieris, Duellum, Proditio, Furtum, Rapina, Dolus, Crimen læsæ Majestatis, Crimen falsi, Sacrilegium, Adulterium, Sodomia, Concubinatus, Simonia relate ad Ordines, non vero relate ad beneficium, hostilis insectatio Cardinalium; ad quæ, ut diximus, requiritur notorietas facti, ut infamia hæc juris, seu legalis incurratur.

Præterea ex delicto alieno dicuntur etiam jure canonico infames filii, & nepotes injicientium in Cardinales manus violentas; filii etiam reorum læsæ Majestatis; non tamen filii hæreticorum, vel histrionum, aut carnificum, aliorumve vilia officia exercentium; nec illegitimorum, ut notat Pal. punct. 20. cum Suar., & Sanch. contra nonnullos: Sunt tamen infames infamia juris, qui officium infame exercent, ut Histriones, qui publice obscœna repræsentant; Nec videtur aliud officium, quamvis vile, infamiam juris habere; cum nullo jure scripto id probetur. Demum omnes in jure infames sunt etiam infames jure canonico, ut notat Avil. ex cap. *Omnes vero 6.*, *quæst.* 1.

His explicatis, Certum est, irregulares esse omnes infames tam infamia juris, quam facti; cum non debeant in sortem Domini puri, & immaculati nominis cooptari. Verum infamia facti impedit tantum a recipiendis Ordinibus, quamdiu homo non purgatur ab illa; etenim post emendationem non est amplius irregularis; ab usu vero Ordinum susceptorum eatenus impedit, quatenus ipsum crimen impedit, ut notat Avil. Ad hoc autem ut habeatur emendatio, quæ infamiam facti aboleat, requiritur universim ut saltem per triennium continuetur. Infamia vero juris tollitur dispensatione solius Pontificis, qui nunquam illam concedit, nisi purgata infamia. Episcopus etiam potest dispensare, ut infamis in susceptis Ordinibus ministret post peractam pœnitentiam, si delicta, ex quibus contracta est infamia, sint adulterio minora, ut notat Pal.

VII. Rogabis; An per solemnem pœnitentiam quis fiat irregularis?

Respondeo, Pœnitentiam esse aliam publicam, aliam solemnem. Solemnis quidem fieri solebat in principio Quadragesimæ cum certis quibusdam cæremoniis imposita ab Episcopo; Publica vero ex mandato Episcopi, vel alterius Superioris fieri solebat sine illis cæremoniis: Solemnis pœnitentia pariebat irregularitatem, non vero publica: Cum autem talis pœnitentia non sit amplius in usu, non habet amplius locum talis irregularitas.

VIII. Quinto, ex defectu natalium est irregularis, qui est illegitimus, quamvis occultus, ex cap. 1. *de filiis Presbyterorum*, ut docent communiter; quamvis Castro Pal. l. 1. de lege pœnali cap. ultim. apud Avil. aliter sentiat de illegitimo occulto: Est aut illegitimus, qui ex matrimonio non legitimo natus est, sed vel ex fornicatione, vel adulterio, &c. Si tamen ex adultero, & soluta natus est, dicitur Nothus; Si vero ex concubitu damnato, scilicet ex stupro, raptu, sacrilegio, incestu, vel ex fœmina conjugata, dicitur Spurius; at si ex soluto, & concubina domi retenta, dicitur filius naturalis; Si demum ex meretrice, appellatur Manser. Non est tamen illegitimus, qui procreatus est ex matrimonio propter aliquod impedimentum nullo, dummodo vel ambo parentes, vel saltem unus tale impedimentum ignoraverint, & contraxerint in facie Ecclesiæ; ut idem Avil. docet dub. 5. cum Bonac. Neque tenetur filius se gerere ut irregularem, nisi constet de mala fide parentum; Neque tenetur credere matri asserenti, ipsum esse illegitimum, etiamsi illa id asserat in articulo mortis cum juramento, ex Bonac., & Suar. disp. 50. sect. 4. Sunt autem legitimi filii infidelium nati ex matrimonio valido secundum leges ipsorum, quamvis secundum leges Canonicas invalido.

Tribus modis tolli potest hæc irregularitas, videlicet per legitimationem, per professionem religiosam, & per dispensationem. Quare legitimatus a Papa (non vero ab Imperatore, vel ab aliis Principibus secularibus) habilis est ad Ordines, & ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas: Sicut etiam qui per subsequens matrimonium legitimatur, dummodo parentes habiles essent ad matrimonium contrahendum, quando fiilius fuit conceptus, vel saltem quando natus est; Quamvis hic ad Cardinalatum sit inhabilis, ex motu proprio Sixti V. apud Sayr. Item per professionem religiosam filius illegitimus fit habilis ad Ordines, non tamen ad Prælaturam. Nihilominus Gregor. XIV. anno 1591. Societati concessit, quod P. Generalis possit cum illegitimis dispensare ad quælibet officia, gradus, & dignitates in Societate obtinendas.

Demum dispensatus fit habilis ad illum actum, ad quem est dispensatus, juxta verba dispensationis, quæ stricte interpretanda sunt, cum dispensatio sit odium juris. Hinc dispensatus ad Ordines non censetur dispensatus ad beneficium; nec dispensatus ad beneficium simplex censetur dispensatus ad beneficium curatum. Episcopus potest cum illegitimo dispensare solum ad Ordines minores, & ad unum beneficium simplex, & non requirens Ordinem Sacrum, (qualem requirit Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis) ut notat Bonac. punct. 3. n. 15. ex Suar., Filliuc., & aliis.

IX. Dubium est; An possit Episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex illegitimitate orta ex occulto delicto?

Negant Suar., Bonac., Ugolin., & alii. Etenim quamvis Tridentinum concedat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, hæc tamen irregularitas non dicitur esse ex delicto, cum non sit ex proprio ipsius illegitimi delicto. Affirmant vero Filliuc., Sylvest., & alii; quia quamvis

vis dispensatio, utpote odium juris, stricte interpretanda sit, ex cap. *final. de Simon.*, potestas tamen dispensandi, utpote favorabilis, est latissime interpretanda. Etenim beneficium Principis, quando non est in damnum tertii, est interpretandum latissime, ex cap. *Horum de verborum significatione*: Cum autem potestas dispensandi super irregularitate proveniente ex delicto occulto sit quoddam beneficium concessum Episcopis a Trident., debet latissime interpretari: Unde possunt Episcopi dispensare, sive irregularitas proveniat ex delicto occulto proprio, sive alieno.

Neque dicas, Privilegium, cum sit contra jus, vel saltem præter jus, esse stricte interpretandum, ex cap. *Cum dilectus, de consuetudine*. Nam potestas hæc in Episcopis non est proprie, & in rigore Privilegium, quod privat lege, & æquivalet dispensationi, sed est Privilegium late, seu beneficium, quod latissime interpretandum, & ampliandum est. Ratio est, tum quia Episcopus stando in jure divino, potest in omnibus irregularitatibus jure humano impositis dispensare; tum quia nullo jure habetur, quod Papa non possit suam facultatem aliis delegare; In quo casu beneficium conferret, quod latissime interpretandum est, non vero Privilegium, quod sit interpretandum stricte.

X. Dubitatur ulterius; Utrum expositus, cujus parentes ignorantur, præsumendus sit illegitimus, & irregularis? Affirmant communissime Doctores, quia in tali casu non haberetur solum dubium, sed moralis certitudo de illegitimitate; cum plerumque soleant illegitimi exponi; quæ vero plerumque accidunt, sunt credenda, ex *leg. Si possidentis*, *Cod. de probat.*; Raro autem exponuntur legitimi ratione paupertatis; cum ex hoc sequatur infamia parentibus. Con. tamen disp. 18. dub. 12., Leand. disp. 3. quæst. 6., & alii putant, probabilius esse, quod non sit irregularis; quia quilibet præsumendus legitimus, donec contrarium probetur.

XI. Sexto, Tres animæ defectus irregularitatem inducunt. Primo, defectus usus rationis. Secundo, defectus scientiæ. Tertio, defectus fidei.

Circa primum, jure etiam Divino, & naturali Amentes carentes usu rationis sunt inhabiles ad Ordines suscipiendos, quamvis si suscipiant, recipiant Characterem. Sunt etiam ex hoc capite irregulares pueri carentes usu rationis; quo acquisito irregularitas cessat. In amente tamen, vel furioso non cessat irregularitas, etiamsi perfectam acquirant sanitatem, ex cap. *Maritum, dist.* 33.; quia qui semel id passus, raro præsupponitur perfecte sanus sine metu relabendi in idem. Si tamen amentia superveniat jam ordinato, poterit Ordines exercere, si post diuturnum tempus prudentis judicio judicetur in sanitate confirmatus.

XII. Circa secundum, Defectus scientiæ necessariæ ad usum, & exercitium Ordinum, etiam jure naturali, & Divino, reddit hominem ineptum ad illos. Jus enim naturale dictat, non esse admittendos ad aliquod munus, qui nequeunt illud exercere. Si tamen quæras, quænam scientia requiratur?

Respondeo ex Tridentino sess. 23 cap. 4., quod initiandus prima tonsura debet esse confirmatus, callere rudimenta fidei, & scire legere, & scribere. Ad Ordines minores requiritur, ut intelligat linguam latinam; Ad subdiaconatum, & Diaconatum, ut habeat instructionem eorum, quæ pertinent ad tales Ordines exercendos; Ad Sacerdotium, ut habeat eam scientiam, qua possit populum docere mysteria fidei, & Sacramenta administrare; Ad Episcopatum, ut sit Doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, aut in jure Canonico, vel ut publico testimonio constet esse idoneum ad alios docendos: Docet tamen Henr. cap. 8. num. 21., licitum esse Episcopo religiosum, qui bene legit, & cantat, promovere ad Ordines sacros, quia sic videtur minister idoneus ad ministeria suæ religionis. Garz., & idem Henr. putant, defectum scientiæ (ut siquis ita sit illiteratus, ut nunquam gramaticam audierit) prohibere quidem susceptionem Ordinum, sed non parere irregularitatem; Communiter tamen docent parere irregularitatem, quæ, sublata ignorantia, tollatur.

XIII. Quæritur Quisnam possit in hac irregularitate dispensare?

Respondeo, multos putare, quod Pontifex in ea dispensare non possit; cum non possit in iis, quæ juris naturalis sunt, dispensare; Verius dicendum cum Suar. num. 11., Pontificem posse dispensare in eo, quod est juris canonici, non vero naturalis: quare cum jus Canonicum majorem scientiam requirat, quam requiratur ex natura rei, poterit in eo Papa dispensare. Immo potest dispensare, quod quis Ordines recipiat, modo illos non exerceat, antequam necessariam scientiam acquirat. Præterea ex Henr. apud Avil., qui non est omnino ignarus literarum, potest ex dispensatione Episcopi ministrare in Ordinibus susceptis.

XIV. Circa tertium; Sunt etiam irregulares Neophyti, *ex dist.* 48. videlicet qui ex lege Judaica, mahometica, aut ethnica nuper ad fidem conversi sunt. In qua irregularitate solus Pontifex dispensare potest, nisi in aliquo casu id detur Episcopis. Notat tamen Tolet., post decennium a suscepto baptismo cessare hanc irregularitatem, cum non sint amplius recenter conversi; si tamen intra hoc tempus ita profece-

rint

rint in fide, & in moribus, ut arbitrio Episcopi sint quasi veterani Christiani, poterunt pariter ordinari.

XV. Denique ille defectus, seu vitium corporis irregularitatem inducit, quod vel impedit usum, & exercitium Ordinum, vel notabilem deformitatem, aut horrorem gignit. Si hujusmodi defectus Presbyteratum præcedat, ad omnes Ordines inhabilem reddit, cum omnes ad illum referantur; Si vero jam ordinato superveniat, impedit tantum ministerium illi repugnans. Ita Suar. disp. 51. sect. 2.: Quare abscissio nasi irregularitatem parit propter deformitatem; sicut etiam si nasus sit nimis distortus, si insignes maculæ sint in oculo, si labia sint penitus corrosa, vel abscissa, aut si lingua ita nodum patiatur, ut verbum integrum proferri non possit; si dentes nimis extra os promineant; siquis careat uno oculo, aut visu utriusque, vel etiam solius sinistri, quo Canon legendus est; nisi polleat perfecto visu in dextero, itaut sine deformi conversione faciei possit legere Canonem; si sit surdus utraque aure, si pygmeus, vel gigas notabiliter; si magnus sit gibbus, semper habetur irregularitas. Qui caret utroque teste non est irregularis ex defectu; est autem irregularis ex delicto, qui ex indignatione amputavit sibi virilia, ex cap. *Significavit, de corpore vitiatis*; Quamvis enim siquis alteri testes abscindat, non sit irregularis, quia testes non sunt membrum, tamen si abscindat sibi ex indignatione, est irregularis; quia, ut docet Avil., severius ab Ecclesia hic punitur, quam ille. Docet tamen Bonac. punct. 2. num. 31., & 34., quod siquis ex justa causa permittat sibi amputari testes, & virilia, non sit irregularis; sit tamen irregularis, qui permittit sibi testes amputari causa castitatis, ex cap. *Siquis absciderit*, *dist.* 51. Immo docet, hunc esse irregularem, etiamsi permittat testes amputari sibi causa cantus; quod tamen Pal. negat num. 4.

Æthiops non videtur horrorem parere; unde nec esset irregularis. Hermaphroditus, etiamsi virili sexu polleat juxta communem sententiam apud Suar. est irregularis ob corporis defectum, seu vitium; Similiter est irregularis, qui non potest sine baculo ad altare ascendere, ibique functiones peragere, ex cap. *Si quis infirmitate*, *dist.* 55. Sic qui parte etiam pollicis aut indicis caret, & qui laborat debilitate digitorum, itaut notabiliter impediatur frangere Eucharistiam, illamque tractare; & qui continua febri laborat; non tamen qui sola quartana, aut levi febricula. Pariter qui laborant morbo gallico horrorem, & scandalum gerente, vel lepra, aut multa scabie deformitatem inducente; & qui laborant peste.

XV. Circa Dæmoniacos, seu Energumenos dicendum, esse irregulares, etiamsi semel eorum corpora a Dæmone fuerint obsessa. Idem dicas de Lunaticis, qui morbo caduco laborant; Idemque de Phreneticis, de Furiosis, & Amentibus, ex cap. *Maritum*, *dist.* 33., qui sunt perpetuo irregulares, etiamsi sanitatem recuperent, ut supra diximus, dummodo furor, amentia, & mentis alienatio fuerit frequens, nec raro, aut ex causa transeunte contigerit; puta ex vi morbi, vulneris, iræ, passionis brevis, &c.; Hic enim non dicitur amens, vel furiosus habitualiter, unde nec est irregularis: Secus vero, si sæpe id contingat; unde præsumatur habere organa læsa, vel humores, quamvis habeat lucida intervalla.

Porro tam Dæmoniaci, quam Lunatici, Amentes, & Furiosi, qui post susceptum Sacerdotium id patiuntur, possunt ex dispensatione Episcopi illud exercere, si per annum, vel diuturnum tempus judicio prudentis, vel Judicis fuerint liberi a Dæmonis obsessione, vel a morbo caduco, a furore, & amentia. In tali enim casu Episcopus potius declarat, impedimentum esse sublatum, quam dispensat: Lunatici tamen, qui raro, exempli gratia semel in mense, cadunt in terram absque clamore, spuma, aut horribili corporis agitatione, celebrare possunt adducto Sacerdote jejuno, qui perficiat sacrificium, si forte incepto Canone, morbo caduco corripiantur. Ita Bonac. loco cit. Idemque docet Avil. disp. 5. dub. 4. de Furiosis, & Amentibus, qui non habent frequentem furorem & insaniam.

Quæritur nunc primo, ad quem spectet in dubio de hac irregularitate judicare?

Respondeo cum communi, ad Episcopum pertinere, non vero ad confessarium, ex cap. 2. *de Corpore vitiatis*. Dubium est, an in Religiosis exemptis pertineat ad suum Prælatum, qui literas dimissorias potest concedere? Sylvest., & alii negant: Sed probabilius affirmant Angelus, Henr., & Avil. disp. 3. dub. 2. Certum est tamen, majorem requiri defectum ad impediendum exercitium Ordinis suscepti, quam ad impediendum Ordinis susceptionem.

XVII. Quæritur secundo; An carens pollice, exempli gratia, possit minores Ordines, aut etiam Diaconatum suscipere?

Respondeo cum communiori apud Bonacinam, Pal., & Palud. negative; tum quia est de facto irregularis, unde ad nullum Ordinem promoveri potest; tum etiam quia omnes Ordines ad Sacerdotium diriguntur; Si ergo Sadotium nequit suscipere, neque cæteros Ordines poterit.

Demum solus Pontifex dispensare potest in hac irregularitate, quando corporis defectus

fectus notabilem deformitatem inducit; Qui tamen numquam ſolet diſpenſare; quia talis deformitas ſcandalum ſolet gignere: Facilius tamen Religioſus diſpenſationem obtinebit: Immo multi apud Avil. diſp. 3. dub. 3. docent, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum Religioſo, ut celebret cum pede ligneo: Quod ſi tale impedimentum ſuperveniat Religioſo jam ordinato, poteſt ſuus Prælatus diſpenſare: Si tamen irregularitas hæc proveniat ex delicto, ut ſiquis propria culpa abſcindat ſibi membrum aliquod, poteſt Epiſcopus aliquando diſpenſare, ſi ſcilicet membrum, & delictum ſit occultum. Sed Opuſculis hiſce de ſacramentis, & Cenſuris tandem aliquando ſit (ſed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

A. M. D. G., & B. V.

SYNO-

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de Censuris habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag. 1

De censuris in Communi.

ARTICULUS I. 2

Quid, & Quotuplex sit Censura?

I. Censura est Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus II. Quatenus est pœna, infligitur etiam sine spe emendationis: & quatenus est medicina, emendato reo debet tolli. III. Triplex datur dumtaxat Censurarum species, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. IV. Irregularitas ex delicto non est inter Censuras recensenda; Nec Cessatio a divinis, Depositio, aut Degradatio. V. Censura alia est ab Homine lata, alia a Jure. Num possit pro peccatis futuris ab Homine censura ferri? Et num ea perseveret post mortem ferentis? VI. Quænam sit formula Censuræ latæ sententiæ, quænam ferendæ; Et quid in dubio, num sit latæ, an ferendæ sententiæ.

ARTICULUS II. 4

Quinam possit ferre Censuras?

I. Potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice: Potestas vero illas ferendi est etiam in aliis. Et quidem Ordinaria in iis, qui ratione sui muneris jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo; Delegatam vero habent illi, quibus ab habente Ordinariam ea committitur. II. Recensentur ii, qui Ordinariam habent potestatem ferendi Censuras. III. Necnon ii, quibus ea potest delegari. IV. Num possit ea delegari fœminis? V. Quinam delegatus possit potestatem hanc subdelegare? VI. Jurisdictio hæc cum sit contentiosa, non gratiosa, nequit extra propriam Diœcesim exerceri. VII. Quid requiratur ad valide ferendas Censuras? VIII. Valida est Censura metu extorta; non tamen hujusmodi absolutio a Censura. IX. Num in causa propria Censura ferri possit?

ARTICULUS III. 6

Erga quos ferri Censura possit?

I. Censuris ligari possunt, qui sunt præcepti capaces, ac Superiorem in Ecclesia habent in rebus spiritualibus. II. Mortuus solum potest declarari excommunicatus; & quomodo a Censuris absolvatur? III. Brutorum excommunicatio est potius maledictio, & imprecatio. IV. Impuberes non solent, licet possint, ab homine censurari; Censuras tamen a jure latas incurrunt. V. Amens potest solum declarari excommunicatus. VI. Communitas interdici, vel suspendi potest, non tamen excommunicari. VII. Ligatus una Censura potest & alia ligari, ac divisibiliter ab iis absolvi. VIII. Quandonam potest subditus unius Diœcesis ab Episcopo alterius Diœcesis excommunicari? IX. Quando Episcopus Censuris ligare potest suum subditum in aliena Diœcesi delinquentem? Et quid, si hic delinquat in loco exempto? X. Num Edictum ferens excommunicationem comprehendat illos, qui post promulgationem talis Edicti acquirunt in eo loco domicilium, vel quasi domicilium? XI. Quid requiratur, ut aliquis fiat subditus alicujus Episcopi in ordine ad recipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ? Quid in ordine ad suscipiendum Sacramentum Ordinis? Et quid relate ad Censuras, ita ut ab eo possit censuris ligari? Ubi de Peregrinis, & Vagis.

ARTICULUS IV. 11

Quam ab causam ferri possit Censura?

I. Excommunicatio ferendæ sententiæ quandonam indicitur pro culpa levi? & quando pariter suspensio, & Interdictum? II. Excommunicatio major incurri potest, si imponatur ob rem de se levem, quæ tamen ex circumstantiis, aut ratione finis sit gravis. III. Minor excommunicatio imponitur etiam pro culpa levi; cum sit pœna levis, quatenus facile tolli potest. IV. Pro peccato mere interno censura infligi non potest; Nec pro externo simpliciter levi. Potestas ferendi censuras cum resideat in hominibus, quamvis sit spiritualis, non respicit, nisi per accidens, actus internos. Cur possint peccata interna reservari; necnon vota interna dispensari? Ut puniatur censuris actus externus, debet hic de se esse malus, quamvis requiratur aliquis actus internus, ut censura incurratur. Cur censuris puniri possit, qui recitat horas sine attentione, aut celebrat sine intentione consecrandi? V. Nequit puniri censuris peccatum, quod præcise est contra jus naturale, aut divinum; nisi simul sit contra præceptum Ecclesiæ. Pro foro interno, ut censura incurratur, requiritur contumacia vera; pro foro autem externo sufficit præsumpta. Hinc pro peccato mere præterito censura infligi non potest, nisi inadæquate; Nec sine prævia monitione, & comminatione. Ut autem declaretur quis excommunicatus, prærequiritur citatio, quando delictum non est notorium. VI. Etiam, si Reus de crimine sit convictus, nequit sine prævia monitione excommunicari a Judice: Hinc nequit sub excommunicatione ferendæ sententiæ prohiberi peccatum, quod tractum successivum non habet, puta, Blasphemia. VII. Propter peccatum alienum potest quidem Suspensio, aut Interdictum ferri, non tamen Excommunicatio. VIII. Ut censura incurratur, requiritur Voluntarium sufficiens ad peccandum mortaliter; Hoc tamen non semper sufficit. IX. Peccatum, propter quod incurritur censura, debet esse in suo genere completum. X. Censura lata contra aliquid facientes non comprehendit Consulentes, aut Mandantes, nisi id exprimatur, & Consilium, aut Mandatum influant. Quando tamen dicuntur influere? Quid si eos pœniteat, antequam effectus sequatur? Cur mandans non æquiparetur in casu nostro facienti?

ARTICULUS V. 17

De forma, seu ritu in Censuris ferendis.

I. Ad censuram incurrendam prærequiritur contumacia, quæ haberi non potest sine prævia monitione. Hæc autem duplex est, Canonica,& non Canonica. Vim habet monitionis non Canonicæ lex prohibens aliquid sub Censura sententiæ latæ, non vero ferendæ. II. Ut quis declaretur excommunicatus, prærequitur citatio Rei, ut possit se defendere, nisi delictum sit notorium. III. Plura requiruntur, ut quis excommunicetur. Si nulla monitio præcedat, Censura, quæ infligitur, est invalida: Est vero injusta, si non præcedat monitio Canonica, saltem virtualiter trina. Quid si Reus non inveniatur? Quid si censura feratur die festivo? Quid si non feratur scripto? IV. Ad formam substantialem Censuræ plura spectant; videlicet Monitio, Citatio Rei, & quod signis externis exprimatur tum censura, tum persona determinata, necnon tempus præsens. V. Sub quanam conditione possit valide censura ferri? Et quandonam possint suspendi effectus Censuræ? VI. Quid requiratur, ut Appellatio suspendens effectus Censuræ sit legitima? Quandonam appellatio impedit sententiam declaratoriam Censuræ incursæ? VII. Ad accidentalem formam Censuræ plura etiam spectant; præsertim trina monitio, scriptura, denunciatio. Aliquando non tenetur per accidens Superior censuram denunciare, seu publicare. A quonam Judice denunciatio isthæc fieri debeat, aut possit? Ante denunciationem præire debet sententia declaratoria criminis, & citatio partis, si crimen non sit notorium, & inexcusabile.

ARTICULUS VI. 22

Quænam excusent ab incurrenda Censura?

I. Septem de causis excusari aliquis potest ab incurrenda Censura. II. Potest censura esse nulla ex quadruplici capite. Multipliciter etiam potest esse nulla sententia censuræ. III. Quænam injustitia causæ reddat nullam sententiam censuræ? Quid si appellatio, quam putas legitimam, a Judice ut frivola repellatur? IV. Quandonam innocens tenetur ad vitandum scandalum se gerere ut excommunicatum? Et quando tenetur obtemperare Judici sub censura aliquid præcipienti? Probabilius solum tenetur peccatum, & scandalum vitare. V. Num possit Judex ad instantiam partis excommunicare aliquem secundum allegata, & probata reum, si de illius innocentia certam habeat scientiam privatam? VI. Quænam impotentia excusat ab incurrenda censura? Qui culpabiliter redditur impotens ponere, quod sub censura præcipitur, ab ea non excusatur. VII. Ignorantia invincibilis sive juris Ecclesiastici, sive facti, sive pœnæ excusat ab incursu censuræ; sive ignorantia sit antecedens, sive concomitans. Num etiam excuset ab incurrenda Irregularitate? Ignorantia vincibilis quando excusat? VIII. In dubio sive juris, sive facti regulariter a censura excusaris. IX. Metus gravis excusat a censura, etiamsi hæc feratur pro crimine prohibito lege naturali, nisi in contemptum censuræ metus incuteretur.

ARTICULUS VII. 28

De Effectibus Censuræ.

I. Duplex est Censuræ effectus; alter Remotus, & extrinsecus, qui est Rei emendatio; alter Proximus, & intrinsecus; qui est privare hominem quibusdam bonis spiritualibus, ac temporalibus. II. Ante Judicis sententiam privatur iis bonis etiam excommunicatus toleratus; Cujus acta juridica ideo sunt valida, quia in bonum publicum Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, qua ille caret. III. Irretitus censura in aliqua Diœcesi ubique Gentium privatur iis bonis; nec aliter quam per absolutionem in integrum restituitur. IV. Appellatio non suspendit effectus censuræ jam latæ; nisi hæc lata sit sub conditione, & interim appelletur. V. Potest Pontifex, non tamen Episcopus in effectibus censuræ dispensare: Num possit Episcopus dispensare, ut valide retineatur Beneficium collatum tempore Excommunicationis?

QUÆSTIO II. 40

Quonam pacto censura tollatur?

ARTICULUS I. ibid.

An unice per absolutionem tollatur censura?

I. Censura neque tollitur per obitum ferentis illam, neque per obitum, aut emendationem censurati; sed unice per absolutionem; quæ mortuis etiam conferatur, quamvis indirecte. II. Quando quis suspenditur ad tempus determinatum, puta per mensem, talis Suspensio non est proprie censura; cum non possit ea sic ferri. III. Qui excommunicatur, donec satisfecerit, præstita satisfactione, immunis est a censura, quin tamen hæc dicatur tolli citra absolutionem.

ARTICULUS II. 53

Quisnam possit a Censuris absolvere?

I. Censuræ latæ per statutum alicujus Diœcesis, vel Provinciæ comprehenduntur sub censuris latis a Jure. II. Universim a censuris non reservatis absolvere potest, qui jurisdictionem erga censuratos habet pro foro externo. III. Parochus, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, solum ex delegatione juris absolvere possunt a censuris non reservatis. IV. Habens facultatem absolvendi a mortalibus reservatis potest absolvere etiam a censuris reservatis, quoad casus Pontificios, non vero quoad Episcopales. V. Probabiliter simplex Sacerdos potest ab excommunicatione minore absolvere, etiam extra confessionem sacramentalem. VI. A censuris Juris reservatis absolvere potest, qui eas reservavit, aut ejus Successor, vel Superior, ac Delegatus: & in multis casibus alii. VII. Mendicantes non possunt absolvere a casibus Episcopo in Tabella reservatis; possunt tamen a reservatis in Synodo; ac ab iis, quos jus commune Episcopo reservat. VIII. Quando absolutio conferenda est satisfacta parte, quænam satisfactio est præmittenda? Et an valide conferatur, parte nondum satisfacta? IX. A censura lata ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, si non sit reservata, quilibet Confessarius absolvere potest. X. A censura lata ab homine per sententiam sive specialem, sive generalem pro peccatis præteritis quinam, & quomodo absolvere possit? XI. Quid si excommunicatus ab Episcopo domicilium mutet, aut Religionem ingrediatur?

ARTICULUS III. 36

Quot modis absolutio a Censura conferri possit?

I. Absolutio a censuris dari potest vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam. II. Cur censura ferri possit sub conditione de futuro, non tamen absolutio a censura regulariter? III. Num sine nova culpa possit aliquis in priorem excommunicationem reincidere? IV. Qui tenetur adire Pontificem pro absolutione, si impedimento laboret, poterit adire per Procuratorem, vel per Epistolam, sed ad id non obligatur. V. Absolutus ad reincidentiam ab Inferiore, nisi intra mensem, verbi gratia, satisfaciat, num teneatur Papam adire pro absolutione, si satisfecerit intra illum mensem?

ARTICULUS IV. 38

Qandonam absolutio a Censuris valeat pro foro externo?

I. Num absolutio a censuris virtute Jubilæi, aut Privilegii collata valeat etiam pro foro externo? II. Si detur facultas absolvendi a censuris, Auditis confessionibus, vel pro foro conscientiæ, non præ. requiritur ad illam confessio Sacramentalis III. Neque si dicatur dari facultas absolvendi pro foro pœnitentiæ. IV. Mendicantes privilegiati non debent absolvere a censuris reservatis, si probabiliter deducendæ sint ad forum judiciale, aut cum offensione Ordinariorum.

ARTICULUS V. 40

De requisitis ad absolutionem a Censuris.

I. In absolvente a censuris requiritur Clericatus. II. Num possit Laicus moribundum a censuris absolvere, deficiente Clerico? III. Num quilibet Clericus, aut saltem Diaconus, id possit in absentia Sacerdotis? IV. Censura per metum gravem extorta est valida; non tamen absolutio a censura. V. Si absolutio extorquearur per dolum, & errorem circa causam finalem, est invalida; Secus vero si per errorem circa causam impulsivam. VI. In absolvendo nonnulla requiruntur, ut valida, nonnulla, ut licita sit absolutio. VII. Cur possit Superior secum met dispensare in votis, aut juramentis; sicut potest cum aliis; non possit tamen semetipsum a censuris absolvere eo pacto, quo potest alios? VIII. Absolutio regulariter requirit præsentiam absolvendi.

ARTICULUS VI. 42

De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

I. Ad ferendam absolutionem a censura non requiruntur verba determinata; conferri tamen ea debet vel verbis, vel scriptura, non tamen nutibus. II. Num possit his verbis, Absolvo te, conferri absolutio a censuris simul, & a peccatis? III. Aliquando exprimenda est causa censuræ ab Absolvente. IV. Plura spectant ad ritum accidentalem in judiciali absolutione a censuris. V. Quid servandum in foro Sacramentali?

ARTICULUS VII. 43

Expediuntur reliqua, quæ ad Absolutionem a Censuris spectant.

I. Num remaneat a Censuris absolutus, qui reticet in Confessione Sacramentali peccatum, cui censura est annexa? II Si præmittenda erat satisfactio partis, ea non præmissa, non est absolutus a censuris, quamvis ex oblivione peccatum illud omiserit. III. Potest Episcopus pro foro conscientiæ absolvere a casibus Papalibus occultis. Num etiam ab occultis reservatis in Bulla Cœnæ? Num Episcopus, & Mendicantes Privilegiati absolvere possint a sex illis casibus Clem. VIII., si sint occulti? IV. Quodnam delictum dicitur occultum; quodnam vero publicum? Quid si delictum in uno loco sit occultum, & in altero publicum? V. Impeditus adire Pontificem pro absolutione a casu Papali absolvi potest ab Episcopo. An possit etiam a confessario absolvi, si sit impeditus etiam adire pro absolutione Episcopum? Certe non potest a simplici Sacerdote absolvi directe, si neque Papam, neque Episcopum, neque Confessarium adire potest. VI. Solum de licentia sui Superioris potest ab Episcopo absolvi Religiosus impeditus adire Pontificem. VII. Prælati regulares possunt suos subditos absolvere ab occultis Papalibus, prout possunt Episcopi. Et ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici etiam enormem. VIII. Qui impedimento temporali laborant, ne possint Pontificem adire, ab Episcopo absolvi possunt, sed cum onere adeundi Papam cessante impedimento. IX. Quinam dicantur habere perpetuum impedimentum adeundi Pontificem, quinam vero temporale? Quinam possit absolvi cum onere per hoc præcise, quod aliter carere diu deberet gratia sacramentali?

QUÆSTIO III. 46

De Excommunicatione.

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio.

I. Excommunicatio quid sonet; & quomodo definiatur? II. Ecclesia per excommunicationem non privat hominem communione fidelium mere interna, qua fideles per fidem, & charitatem inter se copulantur, sed externa, seu politica, ac mixta, pura usu activo, & passivo Sacramentorum, orationibus publicis, & similibus. III. Dividitur excommunicatio in majorem, & minorem. Antonomastice denotatur major, quæ vocari solet Anathema, licet ab hoc differat penes accidentales solemnitates. IV. Pariter dividitur in Latæ, & Ferendæ sententiæ; In latam ab homine, & a jure, & in alia membra, non secus ac censura in communi.

ARTICULUS II. 47

Quinam excommunicati sint vitandi? Et in quibusnam teneamur eos vitare?

I. Excommunicati a proprio Prælato ubique Gentium privantur communicatione fidelium; & ab omnibus vitandi, si non sint tolerati. II. Non toleratus, seu vitandus dicitur, qui nominatim est denunciatus,

ciatus, excommunicatus, & publicus Clerici percuſſor. III. Tolerati eodem modo privantur ex parte ſua communicatione fidelium, ac ſi eſſent vitandi. IV. Fideles etiam in divinis communicare poſſunt cum excommunicato tolerato, poteſtque hic Sacramenta adminiſtrare ſolum, ſi petantur. At num licite peti ab eo poſſint? V. Quid requiratur, ut publicus Clerici percuſſor ſit vitandus? Certe raro vitandus eſt. VI. Si in uno loco excommunicatus ſit nominatim denunciatus, aut publicus Clerici percuſſor, eſtne vitandus, ubi denunciatio non eſt publica, nec percuſſio Clerici innoteſcit publice? VII. Num teneat vitare Petrum per hoc præciſe, quod aliquis fide dignus dicat illum eſſe excommunicatum vitandum? VIII. Vitari debent excommunicati non tolerati in iis omnibus, quæ denotantur eo verſiculo, *Os, orare, vale, communio, menſa negatur*. IX. Num liceat illos reſalutare, aut iis reſcribere? Num liceat iiſdem caput aperire, & alia ſigna urbanitatis præſtare citra ſalutationem verbalem?

ARTICULUS III. 50

Sub qua culpa, & pœna excommunicati vitandi ſint?

I. Communicatio in rebus civilibus fert de ſe veniale; in divinis vero mortale. II. Mortaliter peccat, qui communicat cum excommunicato in rebus civilibus ex contemptu. At non dicitur operari ex contemptu, qui frequenter delinquit, ſed qui ex motivo contemptus legis aut legislatoris delinquit. III. Sicut etiam qui cum excommunicato vitando communicat in crimine criminoſo; aut ſi excommunicentur communicantes cum excommunicato. IV. Communicatio in divinis cum excommunicato admittit materiæ parvitatem, quæ a mortali excuſet. Num ſit veniale cum illo privatim Horas recitare? V. Sitne mortale frequenter in actionibus civilibus cum eo communicare? VI. Excuſant a culpa communicantem cum excommunicato *Utile*, *Lex*, *Humile*, *Res ignorata*, *Neceſſe*. VII. In quibus caſibus conjuges excommunicati nequeunt invicem communicare? Et quid de famulis? Quid de Sponſis? Quid de filiis erga parentes excommunicatos? VIII. Quænam ignorantia, & quænam neceſſitas excuſat?

ARTICULUS IV. 53

De excommunicatione minore, ejuſque cauſa & effectibus.

I. Quid ſit minor Excommunicatio? Et quam ob cauſam incurratur? II. Ea non incurritur ob culpam ex imperfecta deliberatione venialem. III. Per illam fidelis directe privatur paſſiva Sacramentorum participatione, & indirecte Beneficiorum collatione, necnon electione, ac præſentatione ad illa. IV. Eam violans celebrando miſſam, irregularitatem non incurrit. V. Num ea innodatus valide Sacramentum Pœnitentiæ recipiat? VI. Si hic ad Beneficium eligatur ſcienter, electio videtur non eſſe irrita, ſed irritanda. VII. Conferendo Sacramenta, niſi ſimul recipiat, probabilius non peccat. VIII. Communius negant, poſſe ſimplicem Sacerdotem ab ea abſolvere.

ARTICULUS V. 55

Quam ob cauſam, præſertim temporalem, ferri poteſt excommunicatio major?

I. Nonniſi ob gravem culpam externam, & propriam ea ferri poteſt; Et quando res, quæ ſub pœna excommunicationis prohibetur, eſt levis de ſe, aut indifferens, debet eſſe gravis propter finem gravem, ut poſſit ſic ſub gravi prohiberi, etiamſi imponatur excommunicatio ſententiæ ferendæ. II. Ex Trident., ut poſſit ferri excommunicatio ob cauſam temporalem, requiritur cauſa gravis, & titulus, ſeu finis ſpiritualis. III. Quando excommunicatio fertur contra non revelantes, quinam excuſentur? IV. In caſibus Inquiſitionis facienda eſt revelatio, etiamſi delictum probari non poſſit, etiamſi ſub ſigillo naturali, & ſub juramento non revelandi ſit cognitum, etiam non præmiſſa correctione fraterna, utpote inutili. V. Num denunciandus ſit reus, ſi ſit emendatus, delictum tamen ſit publicum, aut habeat effectum pendentem? VI. Quandonam ſubditi teneantur denunciare delicta vi Edicti, etiamſi ad id non teneantur lege naturali? VII. Quando ad denunciationem præcedere debet infamia, aut correctio fraterna? VIII. Non denuncians furem, ad quod ſub pœna excommunicationis obligatur, probabilius ad reſtitutionem tenetur. IX. Quamdiu durat obligatio denunciandi poſt Edictum Prælatorum?

QUÆSTIO IV. 59

De Effectibus Excommunicationis Majoris.

ARTICULUS I. ibid.

De Effectibus immediatis, ac remotis Excommunicationis.

I. Effectus Excommunicationis immediati, & proximi undecim ſolent enumerari. II. Quatuor ex his ad communicationem ſpiritualem ſpectant primario; tres autem ſecundario, utpote ſpectantes ad Beneficia, & reſcripta Apoſtolica. III. Reliqui quatuor ſpectant ad politicam, & temporalem participationem. IV. Effectus vero remoti, & mediati ſunt ſex alii, qui recenſentur.

ARTICULUS II. 60

De Primo Excommunicationis effectu, qui eſt privare hominem ſuffragiis communibus.

I. Non privatur excommunicatus ſuffragiis, ſeu ſubſidiis ſpiritualibus, quæ habentur a Chriſto Domino per miſſæ Sacrificium, aut quæ ab aliquo fideli habentur, inquantum eſt perſona particularis, ſed ſolum iis, quæ habentur ab Eccleſia, dum publice orat, Sacrificium offert, & Indulgentias elargitur. II. Miniſter Eccleſiæ, inquantum eſt perſona publica, illicite ſimul, & invalide offert pro excommunicato Sacrificium, ac orationes, aut Indulgentias diſpenſat; valide tamen, & licite inquantum eſt perſona privata pro eodem orat, ac offert actionem ipſam ſacrificandi, prout pendet a merito privato operantis. III. Fructus Sacrificii ex opere operato invalide, ſed illicite pro eo offertur a Sacerdote inquantum Chriſti miniſtro. Tres quippe veluti perſonas

sonas Sacerdos repræsentat. iv. Cur Ecclesia die Parasceves pro hæreticis, & pro non baptizatis oret? v. Probabilius etiam in divinis licitum est cum excommunicato tolerato communicare. vi. At probabilius nullatenus licitum est publicas preces pro excommunicatis contritis offerre.

ARTICULUS III. 63

De Secundo effectu, qui est privare excommunicatum participatione Sacramentorum.

i. Quandonam possit per accidens Excommunicatus recipere, & administrare Sacramenta? ii. Num Excommunicatus vitandus post collatam moribundo in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem possit etiam Eucharistiam, ac Extremam Unctionem ministrare? iii. Valida sunt Sacramenta ab excommunicato collata, excepta Pœnitentia ab excommunicato vitando administrata extra casum necessitatis, nisi adsit error communis. iv. Excommunicatus ignorans suam excommunicationem, si bona fide accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, valide illud suscipit. v. Irregularitatem incurrit excommunicatus, si Sacramenta administret, aut Sacrum Ordinem exerceat, etiamsi invalide ex defectu jurisdictionis Sacramentum Pœnitentiæ administret. vi. Excommunicatus non peccat per hoc, quod die festo Missam non audiat; peccat vero per hoc, quod sacram Synaxim in Paschate non recipiat.

ARTICULUS IV. 64

De Tertio effectu, qui fert privationem Divinorum officiorum, Ecclesiasticæ sepulturæ, & aliarum rerum sacrarum.

i. Quid veniat nomine divinorum officiorum, quorum celebratio excommunicatis inhibetur? In recitatione privata Horarum nonnisi veniale est socium adhibere, & dicere, Dominus vobiscum. ii. etiam toleratis vetitum est Missam audire, aut ad illam cooperari dando stipendium; sed non toleratus ejicendus est tempore divinorum officiorum. Quid si nequeat expelli? iii. Num prohibeatur excommunicatis uti rebus sacris? iv. Celebrans coram excommunicato vitando quam pœnam incurrat? v. Sepultura Ecclesiastica quibus excommunicatis sit neganda? vi. Num excommunicatio lata contra sepelientes excommunicatum in loco Sacro incurratur a sepelientibus duntaxat, an etiam a comitantibus, & a non impedientibus?

ARTICULUS V. 66

De Quarto, & Quinto effectu, qui ferunt suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

i. Excommunicatus etiam toleratus privatur Beneficio post excommunicationem obtento, nec potest fructus illius facere suos, quamvis suæ excommunicationis sit ignarus. ii. Num privetur etiam fructibus Beneficii ante excommunicationem obtenti? iii. Num cujusvis Pensionis excommunicatus sit incapax? iv. Probabilius invalide Beneficium tempore excommunicationis acceptat, qui ad illud ante censuram fuerat electus. v. Collatio Beneficii facta tempore excommunicationis post absolutionem non revalidatur ipso facto. vi. Quod dictum est de Excommunicato, dicendum etiam est de Suspenso, ac de personaliter Interdicto.

ARTICULUS VI. 68

De Sexto effectu, qui est Privatio jurisdictionis.

i. Quinam dicantur actus jurisdictionis, qui prohibentur excommunicato vitando, necnon tolerato, nisi fuerit hic a fidelibus requisitus? ii. Actus jurisdictionis, qui a tolerato non requisito exercentur, illiciti sunt post Concil. Constant., non invalidi; Possuntque a fidelibus per exceptionem repelli: Invalidi tamen sunt hujusmodi actus, si a vitando exerceantur. iii. Non irritantur tamen actus, qui non sunt jurisdictionis presse dictæ, qualis est, quod Parochus Matrimonio assistat. iv. Probabilius sunt actus stricti jurisdictionales, atque adeo invalidi, si fiant ab excommunicato vitando, dare facultatem assistendi matrimonio, audiendi confessiones, administrandi Sacramenta, approbare Confessarios, & Concionatores, concedere dimissorias, & similes. v. Electio, & Collatio Beneficii est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero si fiat a tolerato. vi. Præsentatio pariter Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida; est vero valida præsentatio laica, quamvis ab Episcopo possit repelli. vii. Num possit Episcopus præsentatum ab excommunicato vitando in Beneficio instituere. viii. Institutio facta ab Episcopo vitando est invalida. Similiter concessio possessionis, quando talis Episcopus juridice aliquem in Beneficium intromittit. ix. Postulatio, & nominatio solemnis est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero simplex. x. Resignatio beneficii libera valide fit ab Excommunicato vitando; non tamen in favorem teriti.

ARTICULUS VII. 71

De reliquis Effectibus Excommunicationis.

i. Privatur etiam excommunicatus non solum civili communicatione, sed etiam forensi. ii. Ecclesiastici Judicis excommunicati acta sunt invalida. Num etiam Judicis sæcularis? iii. Similiter acta Arbitri constituti ad formam Judicis; non vero si tanquam vir prudens de consensu partium constituatur. iv. Quandonam excommunicatus possit esse Actor in judicio? Solum privatim potest a suo debitore petere, quod sibi debetur. v. Si in judicio sit reus involuntarius, potest semetipsum defendere tam per Procuratorem, quam per seipsum. vi. Tabellionis excommunicati acta valent, & fidem faciunt, nisi a partibus ille excipiatur. vii. Testimonium Excommunicati quando sit validum? viii. Advocatus, & Procurator, si sint vitandi, a judice repellendi sunt; Si vero sint tolerati, possunt munus suum exercere, si a partibus invitentur, & a Judice non repellantur. ix. Graviter peccat qui ad dignitatem aliquam, quamvis jurisdictione carentem, promovet excommunicatum, etiam non toleratum. Invalide autem hic promovetur ad dignitatem Ecclesiasticam, cui sit annexa juridictio; & probabiliter etiam ad sæcularem. x. Acta Tutoris, & Curatoris excommunicati vitandi num sint invalida? xi. Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi. xii. Quæ-

Quænam rescripta sunt irrita, si cedant in favorem excommunicati?

QUÆSTIO V. 74

De nonnullis excommunicationibus in particulari.

ARTICULUS I. ibid.

De Prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ.

I. Ad quinque capita reducuntur viginti illæ excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ feruntur, videlicet Ad fidem, ad Ecclesiam, ad Ecclesiæ hierarchiam, ad Sedem Apostolicam, ad Ecclesiæ caput: Verius illæ dicuntur latæ ab homine, quam a jure. II. Prima Excommunicatio tangit decem genera Personarum in ordine ad hæreticos, & ad hæreticorum libros. III. Hæresis fert tum errorem in intellectu, tum etiam pertinaciam in voluntate. Etiam dubius in fide est infidelis. IV. Non incurritur hæc censura per hæresim mere internam, sed per externam, etiamsi occultissimam, & etiamsi verbis ambiguis hæresim exprimeret. V. Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere? VI. Schismatici in quo differant ab hæreticis? VII. Credentes hæriticorum, dicuntur, qui illorum hæreses credunt: Receptatores, qui qua tales receptant, & occultant: Fautores, qui commissione, vel omissione in causa hæresis iis favent: Defensores, qui qua tales illos tuentur, etiamsi defendant ex motivo amicitiæ. VIII. in Bulla Cœnæ solum excommunicantur legentes, retinentes, imprimentes, ac defendentes libros Hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Relate ad alios libros Hæreticorum, aut ob hæresis suspicionem damnatos, excommunicatio quidem incurritur, sed non reservata; Qui vero alios libros prohibitos legit, peccat graviter, sed nullam censuram incurrit. IX. Quid si quis legat vetitos libros, quin illos intelligat? Quid si paginam duntaxat eorum legat? Quid si quis audiat legentem illos? Quid si quis non tradat tales libros Inquisitoribus, sed eos comburat? X. Quinam possit facultatem dare legendi libros vetitos?

ARTICULUS II. 78

Perstringuntur reliquæ excommunicationes in Bulla Cœnæ.

I. Excommunicantur deinde Appellantes ad futurum Generale Concilium. II. Pariter Piratæ deprædantes Christianos navigantes mare Ecclesiasticum. III. Necnon surripientes bona naufragantium Christianorum, non tamen Hæreticorum. IV. Item imponentes Pedagia, & Gabellas. Et quidem etiam Principes Supremi, si injuste illas imponant, possuntque ex multiplici capite injustitiam continere. Collectæ ab Universitatibus imponi possunt, non tamen a Principibus. V. Falsarii etiam literarum Apostolicarum. VI. Et qui arma, & alia hujusmodi deferunt ad infideles in perniciem Catholicorum. VII. Impedientes, ne victualia, & alia Romanæ Curiæ necessaria ad eam adducantur, idque sine causa legitima. Quid autem venit nomine Curiæ Romanæ? VIII. Vexantes eos, qui ad Sedem Apostolicam ob causas ad illam pertinentes accedunt, & qui jurisdictionem sibi vindicant adversus commorantes in Romana Curia. IX. Necnon vexantes Romipetas, qui ad Urbem principaliter causa devotionis accedunt. X. Qui vexant Cardinales, Episcopos Nuncios, &c., & qui Episcopos a suis Diœcesibus expellunt; necnon mandantes, ratum habentes, ac favorem, consilium, auxilium interponentes. XI. Molestantes, qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrunt. XII. Pariter qui frivolam appellationem prætexendo ab Ecclesiastica ad Curiam Sæcularem confugiunt, & literas Hortatorias, quæ potius sint comminatoriæ, procurant. XIII. Qui prætextu exemptionum causas Spirituales, Beneficiales, decimarum, &c. a Judicibus Ecclesiasticis ad se avocant; sive etiam prætextu violentiæ prohibendæ. XIV. Item qui ex prætenso officio Personas Ecclesiasticas ad sæculare Tribunal trahunt, & libertati Ecclesiasticæ præjudicant. XV. Et qui impediunt, ne Judices Ecclesiastici sua jurisdictione utantur sive directe, sive indirecte carcerando consanguineos. XVI. Similiter qui jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant, aut fructus pertinentes ad Ecclesiasticas personas ratione beneficiorum, aut Monasteriorum; aut si eos sequestrent. XVII. Ac qui collectas imponunt, aut alia onera potestate laicali Ecclesiasticis sine licentia Pontificis; & qui a sponte dantibus sic imposita recipiunt; quin ex consuetudinibus excusentur. XVIII. Quandonam Ecclesiastici in communibus necessitatibus tenentur ex justitia contribuere, & quomodo? XIX. Judices, & alii, qui in causis Criminalibus adversus Ecclesiasticos procedunt. XX. Et qui loca Pontifici subjecta invadunt, usurpant, detinent, atque eorum fautores, &c.

ARTICULUS III. 82

De Excommunicatione ob percussionem Clerici.

I. Quid venit nomine Clerici? Quid nomine Monachi? Num etiam Tertiarii? Num Eremitæ? II. Quid sit manus violentas injicere? Quid si venenum Clerico propinetur? III. Quandonam actio dicatur graviter injuriosa Clerico, & quando leviter. IV. Quid si Clericus consentiat in sui percussionem? Quid si seipsum percutiat? V. A quonam debeat verberari Clericus, qui talem pœnam meretur? Num possit a laicis capi Clericus delinquens, ut suo Superiori præsentetur? VI. Quam excommunicationem incurrunt mandantes, consulentes, ratam habentes, & non impedientes Clerici percussionem? Et quandonam dicatur rata haberi? VII. Plurimis de causis percussor Clerici ab excommunicatione excusatur. VIII. Quænam dicatur percussio levis, ratione cujus potest Episcopus absolvere ab hac excommunicatione: Quænam percussio gravis; & quænam enormis? IX. In dubio an percussio sit levis, vel gravis, num possit Episcopus absolvere? X. Quid si percussio sit enormis, sed occulta? Et num Religiosi a suo Superiore absolvi possint, etiamsi percussio fuerit enormis?

ARTICULUS IV. 86

De Excommunicatione ob Duellum.

I. Quid sit Monomachia, seu Duellum presse dictum? II. Etiam jure naturali, & divino Duellum est illicitum; & sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis ab Ecclesia vetitum. III. Licitum tamen est, aut ad pugnam inter paucos terminandam, aut ad se, ac sua defendenda, si alia via non suppetat. IV. Non licet tamen illud acceptare ad timiditatis notam declinandam. V. Regularibus intra Italiam extra

tra Urbem inhibetur absolvere provocantes, & pugnantes, nisi casus sit occultus.

QUÆSTIO VI. 90

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & Quotuplex sit Suspensio?

I. Suspensio est censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficii. Abbatissa ab officio suspendi potest; ea tamen Suspensio non est censura; Nec censuram incurrit is, cui Confessarius, vel Abbatissa prohibet, ne celebret. II. Multifariam Suspensio dividitur, & subdividitur. III. Suspensus ab officio non est eatenus a Beneficio Suspensus; nec e converso. Num possit Suspensus, aut excommunicatus percipere fructus Beneficii, si iis indigeat? IV. Si Beneficiarius sit Suspensus, cuinam applicentur Beneficii fructus? Et num privetur jure eligendi? V. Suspensus ab ordine exercere potest actus jurisdictionis, & viceversa. Num autem Suspensus ab Ordine inferiore possit exercere actus Ordinis Superioris? VI. Suspensus ab Officio Scramenta potest recipere; quamvis ea administrare non possit. VII. Quomodo Suspensio differat ab Excommunicatione, ab Interdicto, & ab Irregularitate?

ARTICULUS II. 92

A quo ferri possit Suspensio, & Erga quos?

I. Qui potest excommunicare, potest etiam ferre Suspensionem, & e converso. At non eatenus juxta usum Ecclesiæ ferre poterit Interdictum. II. Clerici duntaxat possunt hac censura irretiri. Suspensio generaliter lata contra Clericos non comprehendit Episcopos, & probabilius nec religiosos. Imperatores, & Reges solum improprie suspendi possunt, quatenus possunt ex concessione Apostolicæ Sedis Rectores Ecclesiarum nomine. III. Potest tota Clericorum communitas suspendi, puta totum Capitulum, tanquam persona ficta, ac trifariam potest communitas isthæc suspendi, videlicet tum relate ad functiones proprias communitatis, tum ad functiones proprias singulorum, tum relate ad utrasque.

ARTICULUS III. 93

Quam ob causam ferri possit Suspensio?

I. Suspensio partialis potest venialem culpam præsupponere: At totalis mortalem. II. Totalis suspensio ob culpam alienam non incurritur: Nequit proinde propter delictum aliquorum tota communitas suspendi relate ad functiones proprias singulorum. III. Potest Communitas suspendi solum relate ad functiones, quæ ad corpus Communitatis spectant. IV. Cur possit Communitas interdici, ita ut etiam innocentes ea censura ligentur; non vero similiter suspendi? V. Ob delictum præteritum suspensio ferri potest tanquam pœna vindicativa, non vero tanquam censura, & pœna medicinalis. Suspensio illa non requirit præviam monitionem, potestque oretenus imponi, ejusque violator per exercitium Ordinis Sacri non incurrit irregularitatem; Secus vero suspensio, quæ sit Censura.

ARTICULUS IV. 94

De Suspensionis Effectibus, ejusque Violatione.

I. Suspensus a beneficio solum privatur ejus fructibus, & probabiliter non redditur incapax alterius beneficii. Universim Suspensus privatur usu Ecclesiasticæ potestatis. II. Violans suspensionem graviter peccat, nisi materiæ parvitas excuset. III. Suspensio ab ingressu Ecclesiæ quid ferat? Et num ea contineatur sub censura Interdicti? IV. Non possumus sine gravi culpa cum suspenso nominatim denunciato communicare in iis actibus, a quibus est suspensus. V. Irregularitas non incurritur a violante suspensionem, nisi ea violetur per exercitium Ordinis majoris. Et quinam dicantur actus Ordinis Sacri? VI. Actus jurisdictionis exerciti a Suspenso nominatim denunciato sunt invalidi.

ARTICULUS V. 96

De absolutione, & Cessatione Suspensionis.

I. Quando fertur suspensio duratura per mensem, intelligitur mensis, qui tunc temporis labitur. Quid si eo mense, aut anno incidat bissextum? II. Suspensio lata per mensem non est censura. Suspensio vero lata, donec satisfeceris, est censura, sed satisfacta parte non indiget nova absolutione; secus vero juxta usum, si quis excommunicetur, donec satisfecerit. III. Quandonam possit Episcopus, & Privilegiarii absolvere a suspensione Papæ reservata? IV. Quis possit universim a Suspensione absolvere? Num possint Parochus, & simplex Confessarius absolvere a Suspensione non reservata, eo modo quo possunt ab excommunicatione non reservata. V. Suspensio, quæ sit pura pœna, est reservata infligenti illam. Num possit ab Episcopo relaxari post peractam a Reo pœnitentiam? VI. Quænam sint suspensiones magis obviæ in Jure latæ?

ARTICULUS VI. 98

De Depositione, & Degradatione.

I. Quid importet Depositio, quid Degradatio? Per priorem privatur Clericus omni officio, ac beneficio, retento solum privilegio fori, & Canonis; Per posteriorem vero etiam hoc privilegio cum quadam solemnitate privatur. II. In quo differat Suspensio a Depositione, & Degradatione? III. Degradatio verbalis confunditur cum Depositione; secus vero Realis. IV. Plura gravia crimina trahunt Depositionem, & plura graviora Degradationem. V. Depositio, & Degradatio Presbyteri spectat ad Episcopum; Episcopi autem ad Pontificem. Degradatus a solo Pontifice potest in pristinum statum restitui; Depositus vero aliquando etiam ab Episcopo.

QUÆ-

QUÆSTIO VII. 99

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

ARTICULUS I. Ibid.

Quid, & Quotuplex sit Interdictum?

I. Per hanc censuram prohibentur omnia divina Officia, nonnullorum Sacramentorum administratio, & Ecclesiastica sepultura. In quo differat ab aliis censuris Interdictum? II. Interdictum aliud est Personale, aliud Locale, & utrumque subdividitur in Generale, & Particulare; necnon in latum ab homine, & latum a jure. III. Personale Interdictum non trahit locale, nec e converso, nisi forte per accidens. IV. Interdictum locale ab omnibus omnino servari debet; esto possit Episcopus ferens hanc censuram etiam ad aliquos effectus illam suspendere, aut tollere. V. Civitate interdicta intelliguntur etiam interdicta loca Religiosorum, Suburbia, & Ædificia continentia. VI. Ex vi Interdicti personalis generalis quænam Personæ obligentur, & quænam excipiantur? Interdicto duntaxat Clero, probabiliter non intelliguntur interdictæ Personæ religiosæ.

ARTICULUS II. 101

De Effectibus Interdicti.

I. Nonnisi tres sunt effectus Interdicti; Privatio aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ. Plura tamen in cap. *Alma Mater* permittuntur. II. Quænam Sacramenta vi Interdicti prohibeantur? III. Qui privilegio gaudet audiendi Missam tempore interdicti, num die festo teneatur illam audire? IV. Quænam dicantur Divina officia tempore interdicti vetita? V. Quinam possint tempore Interdicti Divinis officiis, quæ permittuntur, interesse? Num infantes? Num Clerici conjugati? Num familiares eorum, qui privilegio gaudent? VI. Ecclesiastica sepultura quibusnam, & quando per Interdictum prohibeatur? VII. Num possit Ecclesiastica sepultura dari interdicto, aut Suspenso ab ingressu Ecclesiæ? Et quid intersit inter Suspensionem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ? VIII. Interdictus nominatim denunciatus non privatur usu jurisdictionis in foro externo. IX. Num sit invalidum, an solum illicitum Sacramentum Pœnitentiæ ab Interdicto administratum?

ARTICULUS III. 104

Quam ob causam? A Quo? Et erga Quos ferri potest Interdictum?

I. Interdictum personale speciale præsupponit culpam propriam; secus vero Interdictum generale, sive personale, sive locale. II. Innocentes per interdictum generale non puniuntur, sed solum Ecclesia ob justam sui defensionem subtrahit illis suum ministerium. III. interdictum generale prærequirit gravem culpam. Et probabilius etiam interdictum speciale personale, nisi sit partiale. IV. interdictum generale, ac speciale locale imponi nequit ob debitum pecuniarium; potest tamen ob id imponi interdictum speciale personale, non secus ac Excommunicatio, & Suspensio. V. Ritus ferendi interdictum quinam sit? VI. Ferre possunt interdictum, qui jurisdictionem habent in foro exteriori, demptis Prælatis regularibus ex desuetudine. Etiam excommunicatus vitandus interdicere potest. VII. Quænam personæ, & quænam loca interdici possunt? VIII. Interdictum locale etiam ab interdicente servandum est; nisi velit illud ad tempus, vel simpliciter tollere.

ARTICULUS IV. 106

De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis.

I. Interdicti violatio secundum se est culpa lethalis. II. Etiam laici violando interdictum in multis casibus lethaliter peccant. III. Quid si laicus missam audiret in loco sacro sine fraude, vi, aut scandalo? IV. Quandonam laici interdictum violantes excommunicationem incurrant? V. Clerici interdictum violantes quandonam incurrant irregularitatem? VI. Religiosi non servantes interdictum quam pœnam incurrant? VII. Laici ne in Divinis quidem tenentur vitare interdictos nominatim denunciatos: Clerici tamen tenentur eos vitare in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti; quando scilicet Clericis regimen Ecclesiæ commissum est, ubi Divina officia celebrantur; aut si iis astantibus ea celebrent.

ARTICULUS V. 107

De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

I. Non est idem tollere ad tempus, ac suspendere interdictum. II. interdictum latum ad tempus, eo lapso, sine alia absolutione cessat; latum vero simpliciter, & absolute sine absolutione non cessat. Nec cessat interdictum locale per destructionem ædificiorum illius loci. III. Interdictum personale generale latum contra Communitatem, hac dissoluta, cessat ligare solum innocentes, non vero eos, qui causam interdicto dederunt. IV. Interdictum personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per Confessarium, qui possit absolvere a mortalibus. V. Tacite reservatur interdictum, si feratur contra personam particularem, aut si hujus causa latum sit interdictum locale, aut generale personale. VI. Solum interdictum locale generale relaxari non potest ad cautelam. Et nunquam relaxatur interdictum, nisi a principali delinquente satisfactio offeratur. VII. Non habetur determinata forma, qua tollatur, aut suspendatur interdictum. VIII. Recensentur celebriores casus, in quibus a jure latum est interdictum sive Locale, sive Personale.

ARTICULUS VI. 108

De Cessatione a Divinis.

I. Neque censura, neque pœna est Cessatio a Divinis, sed imponitur in signum mœroris ob gravem injuriam Ecclesiæ, aut Divino honori illatam. II. In multis ea differt ab interdicto. Probabiliter tamen quæ permittuntur tempore interdicti localis, permittuntur etiam tempore cessationis a Divinis. III. Probabiliter tempore Cessationis non prohibetur Sacra sepultura, quæ sine funebri officio fiat. IV. Præter causam gravissimam plurimæ conditiones requiruntur, ut indici possit Cessatio a Divinis. V. Cessationem hanc indicere potest is, qui ferre potest interdictum; Eaque tolli solum potest ab eo, qui il-

lam tulit, aut a Superiore, vel successore. Ejusque effectus, non secus ac effectus excommunicationis, vi juris communis sunt inseparabiles.

QUÆSTIO VIII. 110

De Irregularitate.

ARTICULUS I. ibid.

Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?

I. Irregularitas est moralis inhabilitas personæ ad Ordines recipiendos, & exercendos. II. In quo differat a censuris, & a Depositione, ac Degradatione. III. Nonnisi duo sunt effectus irregularitatis; Videlicet Ordinum susceptionem, & usum impedire. IV. Irregularis illicite quidem sacramentaliter absolvit, sed non invalide, si bona fide ad illum pœnitentes accedunt. V. Beneficiarius irregularis ad quid tenetur? Illicita, & irritanda potius est, quam irrita Beneficii collatio facta irregulari. VI. Probabiliter irregularitas non impedit susceptionem primæ Tonsuræ. VII. Recensentur tam irregularitates ex delicto, quam ex defectu. VIII. Irregularitas alia est Totalis, alia Partialis.

ARTICULUS II. 113

Quam ob causam incurratur Irregularitas ex delicto? Et quomodo ignorantia excuset?

I. Irregularitas non incurritur, nisi propter delictum externum simul, & consummatum, ac in suo genere perfectum. II. Negandum verius posse Pontificem pro veniali culpa irregularitatis pœnam imponere. III. Non requiritur, quod delictum, cui annectitur irregularitas, sit publicum, aut quod probari possit. IV. Excusat ab ea incurrenda ignorantia probabilis, seu non crassa tam juris, quam pœnæ. V. Qui patrato homicidio excusatur ab irregularitate ex delicto ob ignorantiam probabilem, non fit irregularis ex defectu lenitatis. VI. Quamvis esset minus lenis Homicida, quam Minister justitiæ, non per hoc ille etiam contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis. VII. Episcopus probabiliter potest dispensare in irregularitate contracta ob homicidium occultum voluntarium, quod tamen in judicio probari nequit. Sed in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non potest. Quare universim homicida, qui ab irregularitate ex delicto excusatur, non contrahit irregularitatem ex defectu.

ARTICULUS III. 114

Quisnam possit irregularitatem imponere, & Erga quos?

I. Irregularitas de facto a jure imponitur, & incurritur ipso facto in casibus duntaxat in jure expressis. II. Non incurritur irregularitas in casu simili, aut majori, si non sit id expressum. III. Capax est irregularitatis quicumque capax est Ordinis, aut exercitii Ordinis, dempto Pontifice. IV. Episcopi, & Cardinales irregularitatem incurrere possunt, quamvis de iis non fiat expressa mentio. V. Potest ex multiplici capite multiplex irregularitas incurri, ita ut una sublata, altera remaneat.

ARTICULUS IV. 115

An dubium de Irregularitate excuset ab illa incurrenda?

I. In dubio juris, ratione ipsius juris dubii, irregularitas non incurritur. II. In dubio vero juris, ratione personæ, quæ dubitet de jure cæteroqui non ambiguo, incurritur irregularitas, si ignorantia sit crassa, non secus ac incurritur censura; non tamen si ignorantia sit invincibilis, aut non mortaliter culpabilis. III. Etiam dubium facti excusat ab incurrenda irregularitate, non secus ac dubium juris. IV. Quod in tali dubio tutior pars eligatur, consilium est, non præceptum. V. In dubio homicidii injusti incurritur irregularitas ex delicto; at in dubio homicidii justi non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis. VI. Incurritur in dubio homicidii irregularitas, quando constat tum de homicidio secuto, tum de causa culpabiliter adhibita de se sufficiente ad causandum hoc homicidium, & solum dubitatur num ex hac causa, an aliunde illud sit secutum. VII. In dubio mutilationis non incurritur irregularitas, sicut in dubio homicidii. VIII. Qui dubitat, an suo consilio influxerit ad homicidium Clerici, debet se gerere ut irregularem, non vero ut excommunicatum, nec tenetur saltem ad integram restitutionem. IX. Procurans abortum, in dubio an fœtus sit animatus, probabiliter non est irregularis. Et quid si dubitetur, num fœtus sit mas, qui citius, an fœmina, quæ serius animatur?

ARTICULUS V. 117

Quomodo tollatur Irregularitas?

I. Nonnullæ irregularitates cessant, cessante earum causa. At quæ proveniunt ex actu præterito qua tali, non qua moraliter perseverante, indigent dispensatione. II. Non cessat irregularitas per absolutionem, ut censura, nempe per actum judicialem; sed per dispensationem, quæ est exceptio a lege communi, & dicitur vulnus legis. III. Quænam irregularitates per Baptismum tolluntur improprie; quænam vero proprie? Verius per Baptismum non tollitur irregularitas ex defectu lenitatis. IV. Episcopi in nonnullis dumtaxat irregularitatibus dispensare possunt. V. Num possit Episcopus secummet dispensare in iis irregularitatibus, in quibus id potest cum subditis suis? Num etiam cum Religiosis exemptis? Num cum suis subditis extra propriam Diœcesim? Quinam hac in re dicantur subditi Episcopo? VI. Num possit Episcopus simpliciter dispensare, quando reus in judicio est punitus, aut est absolutus? Et num Episcopi dispensatio prosit pro foro externo? VII. Prælati regulares, qui gaudent quasi Episcopali jurisdictione, dispensare possunt cum suis subditis in iis irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi cum propriis subditis. VIII. Dispensatio in irregularitatibus, quæ fit a Pontifice sine justa causa, est illicita; quæ vero fit ab Episcopo, est etiam invalida. IX. Etiam per verbum, Absolvo, dispensari potest irregularitas; quatenus ea est etiam quoddam vinculum, quo irregularis irretitur, & per dispensationem dissolvitur. X. Virtute Jubilæi non potest conferri dispensatio in irregularitatibus ullis, etiamsi irregularitates ex delicto essent censuræ, aut pœnæ Ecclesiasticæ. XI. Dispensatio in irregularitatibus non semper est totalis. Qui dispensatur indefinite

finite ad Ordines; probabilius ad omnes Ordines, etiam majores, dispensatur. XII. Probabiliter ratihabitio Superioris de præsenri, quæ sufficit ad jurisdictionem conferendam, satis est ad dispensandum in irregularitatibus. XIII. Num ad obtinendam dispensationem in pluribus irregularitatibus exprimi debeat numerus delictorum, ob quæ sint contractæ.

QUÆSTIO IX. 121

De irregularitatibus in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu.

ARTICULUS I. ibid.

De variis Irregularitatibus ex delicto.

I. Irregularitas ex iteratione Baptismi a quibusnam incurratur? Ob iterationem Confirmationis, aut Ordinis irregularitas non incurritur. II. Innodatus censura, quamvis toleratus, irregularitatem incurrit per exercitium Ordinis Sacri. Quinam dicatur Ordines Sacros exercere? III. Clericus etiam ministrans in Ordine Sacro, quem non habet; requiritur autem, & quod exterius talem Ordinem exerceat, & quod habeat intentionem illum exercendi. IV. Incurritur etiam irregularitas aliquando per indignam susceptionem Ordinis Sacri, puta si conjugatus Sacris Ordinibus initietur. Dubitatur autem in multis casibus, num Suspensio duntaxat, an vero irregularitas incurratur? V. Pariter incurritur propter enormia crimina, puta propter Hæresim, & Apostasiam tam a fide, quam a religione, & propter crimina infamiam inducentia. Hæresis tamen, & Apostasia occulta probabiliter irregularitatem non inducunt. VI. In Bulla Cœnæ casus Hæresis occultæ reservatur Pontifici quoad absolutionem a culpa, & censura, non vero quoad dispensationem in irregularitate: Et probabiliter etiam per Vicarium Episcopi potest talis dispensatio conferri, non tamen absolutio.

ARTICULUS II. 124

De Irregularitate, quæ incurritur propter homicidium, aut mutilationem injustam.

I. In quo differat homicidium voluntarium a casuali? Quandonam casuale inducit irregularitatem? II. Ut mutilatio injusta irregularitatem pariat, debet esse membri præcipui. III. Irregularitas incurritur ab omnibus ad homicidium concurrentibus, etiam ab eo, qui ex officio tenetur illud impedire, & non impedit, non tamen a ratihabente. IV. Mandans homicidium, morte non secuta, excommunicationem quidem incurrit, non vero irregularitatem. V. Concurrens ad homicidium, si doleat de culpa, antequam ille moriatur, morte secuta, irregularitatem incurrit, sed probabiliter non incurrit excommunicationem. VI. Quid si mandatum de homicidio, aut consilium revocetur. VII. Quid si plures ad homicidium concurrant ex subita rixa, sed unus tantum infligat vulnus lethale. VIII. Si quis esset in causa, ut alter illicite exponatur periculo mortis, hac secuta, irregularitatem incurrit. IX. Episcopus in irregularitate orta ex homicidio voluntario, quamvis occulto, dispensare non potest: potest tamen, si oriatur ex casuali. Quid si illud sit omnino occultum, ita ut in judicio probari non possit? X. Homicidium casuale non parit irregularitatem, si sine gravi cul-

pa patratum sit. Nec si patretur ab ebrio, vel dormiente, qui illud non prævidet. XI. Qui dat operam rei illicitæ periculosæ, secuta alicujus morte, incurrit irregularitatem, quamvis diligentiam adhibuerit ad homicidium præcavendum.

ARTICULUS III. 127

De irregularitate ex defectu lenitatis.

I. Qui ad homicidium, necnon ad mutilationem concurrit in bello justo; Necnon etiam in judicio, tamquam minister justitiæ, irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis. II. Quinam excusentur ab hac irregularitate incurrenda. III. Minoribus ordinibus insignitus si se immisceat in causa sanguinis, quamvis irregularitatem incurrat, non tamen peccat: secus vero Beneficiatus, aut in sacris constitutus. IV. Accusator in causa criminali, secuta morte, quandonam incurrat hanc irregularitatem, si non protestetur, se non intendere pœnam sanguinis. V. Quomodo fieri debeat talis protestatio. VI. Pariter irregularitatem incurrunt Procurator, & Testis concurrentes ad mortem, non secus ac accusator. Probabiliter tamen excusatur Testis, quando jure naturali tenetur ferre testimonium. VII. Judex irregularitatem incurrit, quamvis teneatur jure naturali reum damnare, quia sponte tale munus sumpsit; secus vero Testis, & accusator, quando jure naturali tenetur testificari, & accusare. VIII. Clericus in causa sanguinis solum in sui favorem potest testificari, præmissa protestatione, non tamen in favorem alterius, etiamsi a Prælato id sibi præcipiatur. IX. Qui in bello justo animant alios ad occidendum generatim hostes, irregularitatem non incurrunt. Num sint irregulares, qui ad bellum justum procedunt animo pugnandi, quamvis neminem occidant, aut mutilent, nisi in defensionem propriæ vitæ? X. Alium occidens in sui, vel suarum rerum defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec peccat, nec irregularitatem incurrit. Quid autem requiratur, ut id fiat cum tali moderamine. XI. In Sacris constituti, si Chirurgiam exerceant incidendo, & inurendo, peccant, sed irregularitatem ex defectu lenitatis non incurrunt. Num etiam Beneficiatis id vetetur? XII. Num possit Episcopus in hac irregularitate dispensare.

ARTICULUS IV. 129

Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu.

I. Qui ante legitimam ætatem ordinatur, non est irregularis, sed suspensus, si mala fide Ordines susceperit; Quod si bona fide, non incurrit suspensionis censuram, nequit tamen illos exercere. II. Quinam dicantur ex defectu libertatis irregulares. III. Num ex debito pecuniario incurratur aliquando irregularitas ex defectu libertatis. IV. Triplex datur Bigamia inducens irregularitatem ex defectu significationis; Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. Interpretativa habetur quadrupliciter: Similitudinaria vero per duplex matrimonium, alterum carnale, alterum spirituale cum Christo per votum solemne Castitatis, saltem in professione Religiosa, si minus in Ordine Sacro. V. Potest Episcopus dispensare in Bigamia similitudinaria; At interpretativa solum quando est occulta. Mendicantes ex suis privilegiis possunt in bigamia cum suis subditis dispensare. VI. Irregulares sunt omnes infames tam

infamia juris, quam infamia facti. Tollitur infamia facti per emendationem vitæ continuatam per triennium. Infamia juris raro admodum a Pontifice dispensatur. VII. Solemnis pœnitentia olim irregularitatem inducebat. VIII. Num illegitimus occultus sit irregularis ex defectu natalium? Tripliciter hæc irregularitas tollitur, per legitimationem factam a Pontifice, per Professionem Religiosam, & per dispensationem. IX. Episcopus potest in hac irregularitate dispensare, si delictum Parentum sit occultum. X. Num expositus, cujus parentes ignorantur, præsumendus sit legitimus? XI. Num, & quando in amente, ac furioso cesset irregularitas, si sanitatem recuperent? XII. Quinam illiteratus sit irregularis ex defectu scientiæ. XIII. Potest Pontifex dispensare in defectu scientiæ requisitæ jure canonico, non vero requisitæ jure naturali. XIV. Neophyti universim per decennium sunt irregulares. XV. Quinam defectus corporis irregularitatem inducat. XVI. Ad Episcopum spectat judicare, num talis defectus corporis inducat irregularitatem? Ad Pontificem vero spectat in ea dispensare. Quid de Religiosis. XVII. Carens pollice, cum non possit ad Sacerdotium ascendere, neque poterit alios Ordines suscipere.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Morali Opuſculo de Cenſuris continentur.

Prior numerus denotat Quæſtionem; Alter Articulum; Tertius numerum marginalem.

A

Abbatiſſa nequit ferre Cenſuras. 2.2.5
Abbatiſſa num poſſit Suſpenſione preſſe dicta ſuſpendi? 6.1.1
Abſolvens a cenſuris debet ſaltem prima tonſura eſſe inſignitus. 2.5.1. Num poſſit laicus in abſentia Clerici moribundum abſolvere a Cenſuris? 2.5.2. Num poſſit quilibet Clericus in abſentia Sacerdotis moribundum a Cenſuris abſolvere. 2.5.3. Quid requiritur, ut abſolutio a Cenſuris ſit valida, & quid, ut ſit licita, tam in abſolvendo, quam in abſolvente? 2.5.6. Abſolvere ſemetipſum a Cenſuris nemo poteſt: Quamvis poſſit aliquis ſecummet diſpenſare in votis, aut aliis obligationibus, ſicut poteſt cum aliis. 2.5.7
Abſolvi num poſſit a Cenſuris abſens? 2.5.8. Moribundus quomodo abſolvatur a cenſuris reſervatis? 2.6.8
Abſolvere quinam poſſit a Cenſura lata ab homine per ſententiam ſive ſpecialem, ſive generalem pro peccatis præteritis? 2.2.10. A cenſura lata ab homine pro peccatis futuris per ſententiam generalem poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere, ſi ea non ſit reſervata. 2. 2. 9. Ab Excommunicatione minore probabiliter poteſt quilibet Sacerdos abſolvere, etiam extra Confeſſionem Sacramentalem. 2.2.5
Abſolvere quinam poſſit a Suſpenſione ſive lata ab homine, ſive lata a jure? 6.5.4. Num Parochus, & ſimplex Confeſſarius abſolvere poſſint a Suſpenſione non reſervata? ibid. Num ſaltem Religioſi ex ſuis Privilegiis? ibid. Num poſſint iidem Suſpenſionem, quæ pura pœna eſt, relaxare? 6. 5. 3. Num poſſit Epiſcopus relaxare pœnam Suſpenſionis a jure latam per tempus determinatum? 6.5.5
Abſolvere quinam poſſit ab Excommunicatione contracta ob percuſſionem Clerici? 5.3.8. Quinam ab Excommunicatione contracta ob duellum? 5.4.5
Abſolvere poteſt Epiſcopus ſubditum ſuum extra propriam Diœceſim. 2. 2. 11. Habens juriſdictionem ordinariam poteſt abſolvere a Cenſuris invitum, non tamen delegatus. 2.5.7
Abſolutio eſt omnino neceſſaria, ut cenſura tollatur. 2.1.1. Qui excommunicatur, donec ſatisfecerit, præſtita ſatisfactione, non indiget alia abſolutione; ea tamen cenſura etiam per abſolutionem tollitur. 2.1.3. Qui ſuſpenditur ad tempus determinatum, puta per menſem, eo lapſo, ceſſat Suſpenſio; ſed talis Suſpenſio ſic lata non eſt cenſura preſſe dicta. 2.1.3
Abſolutio a Cenſuris non requirit verba determinata. 2.6.1. Num per hæc verba; Abſolvo te, conferri poſſit abſolutio a Cenſuris ſimul, & a peccatis? ibid. Num valide conferatur per nutus? ibid. Num exprimenda ſit cauſa Cenſuræ, præſertim ſi præmittenda ſit ſatisfactio partis? 2.6.2. Abſolutio a Cenſuris reſervatis quandonam conferri debeat ab inferiore cum onere? 2.7.5. Num abſolvatur in Confeſſione a Cenſura, qui reticet peccatum, cui illa eſt annexa? 2.7.1
Abſolutio a Cenſuris dari poteſt vel abſolute, vel conditionate, vel ad reincidentiam, vel ad cautelam. 2.3.1. Quandonam dari ſolet abſolutio iſta ad cautelam? ibid. Nemo reincidere poteſt in eandem numero Cenſuram, ſed ſolum in ſimilem, & quidem ob novam culpam. 2.3.5. Quid ſi abſolutio a Cenſura concedatur ad reincidentiam ſolum in ordine ad aliquem tantum effectum? ibid.
Abſolutio a Cenſuris metu extorta eſt invalida; eſto valida ſit cenſura ob metum lata. 1.2.5., & 2.5.4. Invalida etiam eſt abſolutio extorta per dolum, aut errorem circa cauſam finalem, non vero circa impulſivam. 2.5.5. Num ſit invalida, ſi feratur ſub conditione ad cauſam impertinente, tanquam continens errorem intolerabilem; prout continetur in cenſura ſic lata? 2.3.2
Abſolutio ab Excommunicatione minore non confertur licite, ſi delinquens careat propoſito relabendi. 3.4.8
Abſolutio a cenſuris regulariter non confertur conditionate. 2. 3. 2. Impeditus adire Pontificem pro abſolutione non tenetur per epiſtolam, aut per Procuratorem ire. 2. 3. 4. Abſolutio ad reincidentiam quid ferat? 2.2.3. Abſolutio conferenda, Auditis confeſſionibus, aut pro foro Pœnitentiæ num prærequirat confeſſionem Sacramentalem? 2. 4. 3. Num poſſit virtute Jubilæi conferri abſolutio a cenſuris etiam pro foro externo? 2.4.1.
Abſolutionem a cenſuris non reſervatis univerſim impendere poteſt, qui juriſdictionem habet pro foro externo erga cenſuratos. 2. 2. 2. Parochus, & alii Confeſſarii ex delegatione juris ab iis poſſunt abſolvere. 2.2.3. Habens facultatem abſolvendi a mortalibus reſervatis, poteſt a cenſuris Papæ reſervatis abſolvere, non vero a cenſuris reſervatis Epiſcopo 2. 2. 4. A cenſuris juris reſervatis quiſnam poſſit abſolvere? 2.2.6. Si ſatisfacta parte conferenda eſt abſolutio, quænam ſatisfactio requiritur? 2.2.8. Quid ſi excommunicatus domicilium mutet? 2.2.11
Abſolutio a cenſura in quo ſenſu mortuis poſſit impendi? 1.3.2
Accuſator in cauſa ſanguinis, ſecuta morte, irregularitatem non incurrit, ſi accuſet petendo ſatisfactionem pro injuria ſibi, aut ſuis illata, & proteſtationem præmittat: Incurrit tamen illam, ſi injuria extraneis ſit illata, quamvis præmittat proteſtationem. 9.3.4. Poteſt pariter accuſare cum ea pro-

protestatione ad præcavendum damnum Reipublicæ. 8.3.5. Idem dicendum de Advocato, de Testibus necessariis, de Clamante, aut comprehendente reum, ac tradente illum Judici laico. ibid. Immo si malum Reipublicæ aliter præcaveri non potest, protestatio non est necessaria ad irregularitatem declinandam. ibid.

Acta juridica excommunicati tolerati cur sint valida? 1.7.2

Actor in judicio quandonam possit esse, qui est excommunicatus? 4.7.4. Num possit hic esse actor per procuratorem? ibid.

Actus interni non puniuntur censuris, nisi peraccidens ratione externorum. 1.4.4. Cur possint peccata mere interna reservari, & vota mere interna dispensari? ibid. Cur puniri possit censuris, qui recitat Horas sine ulla attentione, aut sine intentione celebrandi consecrat? ibid.

Amens nequit excommunicari, potest tamen declarari excommunicatus. 1.3.5. Et statim debet absolvi, si amentia sit perpetua. ibid.

Apostolica, Sedes quid denotet, dum excommunicat vexantes accedentes, vel recedentes ab illa? 5.2.8

Apostolicarum literarum nomine quid veniat, dum excommunicantur in Bulla Cœnæ impedientes eorum executionem? 5.2.12

Appellantes ad futurum Generale Concilium in Bulla Cœnæ excommunicantur. 5.2.1

Appellantes in causis Ecclesiasticis ad Curias sæculares quandonam incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ? 5.2.12

Appellatio non suspendit effectus censuræ jam latæ, nisi hæc feratur sub conditione, & interim appelletur. 1.7.4

Appellatio quandonam est legitima, itaut suspendat effectus censuræ? Et quando impedit sententiam declaratoriam censuræ incursæ? 1.5.6. Quid si appellatio, quæ putatur valida, a Judice repellatur ut frivola? 5.6.3

B

BEneficiarii num possint in causis Ecclesiasticis Tabellionis munus exercere? 9.4.2

Beneficiariis non vetatur officium Medici, aut Chirurgi exercere citra abscissionem, & adustionem. 9.3.11. Num vetetur iisdem tale munus exercere cum abscissione, & adustione, prout vetatur iis, qui Sacris Ordinibus initiati sunt? ibid.

Beneficii Ecclesiastici incapax est excommunicatus etiam toleratus, & quamvis suam excommunicationem ignoret: Unde non faceret fructus suos. 4.5.1. Num privetur fructibus beneficii ante excommunicationem obtenti? 4.5.2. Num sit etiam incapax Pensionis saltem Laicalis, aut Mixtæ? 4.5.3. Num Collatio beneficii facta excommunicato statim post absolutionem revalidetur? 4.5.5. Num sit valida Resignatio beneficii facta in favorem Tertii ab excommunicato vitando? 4.6.10 Electio ad beneficium facta a vitando est invalida; secus vero si fiat a tolerato. 4.6.5. Idemque dicas de Præsentatione ad beneficium, si sit Ecclesiastica, non vero si sit laica. 4.6.6. Idem etiam dicendum de Postulatione, ac Nominatione, quæ sit solemnis, & conferat jus; secus si sit simplex. 4.6.9

Beneficium tempore excommunicationis collatum num possit per dispensationem Episcopi valide retineri? 1.7.5

Bigamus quando est irregularis? 9.4.4. Bigamia inducens irregularitatem triplex est, Vera, Similitudinaria, & Interpretativa. ibid.

Bruta in quonam sensu excommunicentur? 1.3.3.

Bulla Cœnæ viginti continet excommunicationes, quæ ad quinque capita reducuntur; Ad fidem: Ad Ecclesiam; Ad Ecclesiasticam Hierarchiam; Ad sedem Apostolicam: Ad Ecclesiæ Caput. 5.1.1. Prima excommunicatio fertur ad decem genera Personarum circa hæresim, & hæreticorum libros. 5.1.2. Reliquæ seorsim recensentur, & discutiuntur. 5.2.8

C

CApitulum, seu communitas aliqua Clericorum si suspendatur, solum suspenditur totum corpus, non singulæ personæ. 6.3.4.

Censura est pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus. 1.1.1. Etiamsi ex illa non speretur emendatio, adhuc in bonum publicum infligi potest. 1.1.2. In tres species ea dividitur; & ideo irregularitas non est censura. 1.1.4. Nec cessatio a Divinis, quæ est affinis Interdicto. ibid. In quo differant Censura lata a Jure, & lata ab homine; necnon Censura Generalis, ac specialis? 1.1.5. Quid ferat censura latæ sententiæ, ac ferendæ? 1.1.6. Quibus verbis ea ferri soleat? ibid. In dubio dicenda est ferendæ potius, quam latæ sententiæ. ibid.

Censura num possit contrahi ob culpam levem? 1.4.1. Num ob culpam mere internam, aut ob culpam interius gravem, & exterius levem? 1.4.4. Nequit infligi ob culpam, quæ præcise sit contra jus divinum naturale. 1.4.5. Nequit infligi adæquate pro peccato præterito; nec sine monitione, & comminatione. ibid. Propter peccatum alienum infligi potest Interdictum, aut Suspensio; non vero excommunicatio. 1.4.7. Ad censuram incurrendam requiritur voluntarium sufficiens ad peccandum lethaliter; & quod peccatum sit in suo genere completum. 1.4.8.

Censura quonam ritu ferri debeat. *V. Ritus*.

Censura passim non incurritur multis de causis; pura ob ejus nullitatem, ob injustitiam causæ, ob hominis innocentiam, ob impotentiam, ob ignorantiam, ob metum. 1.6.1. Multifariam pariter potest esse nulla tam censura, quam sententia censuræ. 1.6.2. Quænam causæ injustitia excuset ab incurrenda censura? 1.6.3. Quænam ignorantia; Quænam impotentia; Quinam metus? 1.6.6

Censura unice tollitur per Absolutionem. 2.1.1. Etiam relate ad mortuos, licet indirecte absolvantur. ibid. Ea nequit pro tempore determinato ferri, puta per mensem. 2.1.2. Si feratur, Donec satisfecerit reus, non tollitur sine absolutione, sed non requiritur post satisfactionem nova absolutio. 2.1.3

Censura ferri potest sub conditione de futuro, non tamen regulariter absolutio ab illa. 2.3.2.

Censura sub conditione pertinente ad causam licite fertur; At sub conditione impertinente est illicita, imo sub tali conditione de futuro est invalida. 1.5.5

Censuras instituendi, ac ferendi potestas penes quem sit? 1.1.2. *V. Potestas*. Quænam conditiones requirantur in ferente censuram, ut ea sit valida? 1.2.7. Erga quos censura ferri possit? 1.3.1. Num erga

ga Impuberes? 1. 3. 4. Num erga amentes. 1. 3. 4. Num erga subditos alterius Diœcesis, aut erga subditos proprios in aliena Diœcesi delinquentes? 1. 3. 8 Num erga totam aliquam Communitatem? 1. 3. 6
Censuras quisnam possit tollere? *V. Absolutio*.
Censuræ effectus. *V. Effectus Censuræ*.
Cessatio a divinis neque censura est, neque pœna. 1. 1. 4. 3 & 7. 6. 1. In quo differat ab interdicto? 7. 6. 2. Ex æquitate juris possunt divina officia celebrari tempore cessationis in iis solemnitatibus, in quibus id licitum est tempore interdicti. ibid. Sepultura Sacra non prohibetur, dummodo fiat sine officio funebri. 7. 6. 3 Quid requiratur, ut possit imponi Cessatio a divinis? 7. 6. 4.
Qui potest ferre interdictum, potest Cessationem hanc imponere. 7. 6. 5. Quinam possit illam tollere? ibid.
Citatio Rei prærequiritur, ut quis declaretur excommunicatus, si delictum non sit notorium. 1. 4. 5. Aliter censura est invalida. 1. 5. 7
Citatio Rei pertinet ad formam substantialem censuræ. 1. 5. 4.
Clericatus requiritur in eo, qui censuras fert, 1. 2. 7. Necnon in eo, qui absolvit a censuris. 2. 5. 1. Num possit laicus moribundum a Censuris absolvere deficiente Sacerdote? 2. 5. 2. Num saltem quilibet clericus in tali casu? 2. 5. 3.
Clericus in causa sanguinis solum in sui favorem potest testificari præmissa protestatione; non vero in favorem alterius, etiamsi ad id cogatur a suo Prælato. 9. 3. 8
Clerici percussor. *V. Percussor Clerici*.
Clericus quandonam amittit fori privilegium? 5. 2. 19. Clericum capiens, aut mandans capi in causis capitalibus, & criminalibus incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ. ibid. Quinam dicatur manus violentas in Clericum injicere? 5. 3. 2. Quid si quis venenum illi propinet? ibid. Quænam sit actio graviter injuriosa Clerico, ob quam excommunicatio incurratur? 5. 3. 3. *V. Percussor Clerici*.
Collectas, decimas, & alia onera imponentes super bonis Ecclesiasticorum, aut ea a sponte dantibus recipientes quandonam excommunicationem incurrunt Bullæ Cœnæ? 5. 2. 17. Quandonam possunt Ecclesiastici concurrere ad refectionem pontium, fontium, & viarum? 5. 2. 18.
Communicatione forensi qualiter privetur excommunicatus? 4. 7. 1.
Communitas tota num possit excommunicari? 1. 3. 6.
Conditio nequit apponi in collatione Sacramentorum; esto apponi possit in contractu matrimoniali. 2. 3. 1. Conditio licite sæpe apponitur, quando fertur censura: sed non licite per se loquendo, quando datur absolutio a censuris. 2. 3. 2. Num sit invalida absolutio a censuris sub conditione impertinente ad causam, tanquam continens errorem intolerabilem? 2, 3. 2, Censura sub tali conditione lata certe continet errorem intolerabilem, & est invalida. ibid.
Confessarius quandonam potest a censuris absolvere absentem? 2. 5. 8. Probabiliter potest Confessarius absolvere a casibus Papalibus impeditum adire tum Pontificem, tum Episcopum, licet cum onere; At simplex Sacerdos non potest ab iis absolvere impeditum adire tum Pontificem, tum Episcopum, tum etiam Confessarium. 4. 6. 5
Consulentes delictum non ligantur censura lata contra perpetrantes illud, nisi exprimantur, & consilium influat. 1. 4. 10. Quandonam consilium dicatur influere? ibid. Quid si consilium revocetur? ibid.
Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi. 4. 7. 11
Contumacia vera prærequiritur, ut feratur censura pro foro interno; sed sufficit præsumpta pro foro externo. 1. 4. 5.
Creditor vitandus non potest in judicio petere, quod sibi debetur. 4. 8. 4. Nec potest agere per Procuratorem. ibid.
Curatoris excommunicati acta. *V. Tutor*.
Curia Romana quid denotet, dum excommunicantur, qui impediunt, victualia ad illam deferri? 5. 2. 7. Nec non qui lædunt commorantes in Curia Romana? 5. 2. 8.

D

Dæmoniaci, lunatici, furiosi quandonam, & quomodo celebrare possunt? 9. 4. 15
Degradationem meretur homicidium qualificatum, hæresis, sodomia sæpius exercita, falsificatio literarum Apostolicarum, Calumnia proprio Episcopo irrogata, & similia. 6. 6. 4. Depositionem vero meretur Concubinatus, Adulterium, Stuprum, Perjurium, Simonia notoria, & similia. ibid.
Delegata jurisdictio expirat morte delegantis, si res sit integra 1. 5. 5
Delegatam habens jurisdictionem non potest a censuris absolvere invitum; sicut potest habens jurisdictionem ordinariam. 2. 5. 7. Delegatus non potest a Censuris absolvere pro quando cessavit jurisdictio in delegante. 2. 2. 10.
Delegatus ad universitatem causarum num possit subdelegare? 1. 2. 5.
Delinquens in aliena Diœcesi a quonam cogi possit ad satisfaciendum, & quomodo? 1 3. 8. Delinquens in loco exempto ab Episcopo, sed intra Diœcesim Episcopi, num excomunicationem incurrat ab Episcopo latam? 1. 3. 10.
Denunciatio Rei in casibus Inquisitionis facienda est, etiamsi delictum probari non possit, etiamsi sub secreto naturali delictum sciatur, & cum juramento non revelandi, ac etiam non præmissa correctione fraterna. 3. 5. 4. Num denunciandus sit reus, si sit emendatus? 3. 5. 5. Quandiu durat obligatio denunciandi post Edictum Prælatorum? 3 5. 9. Num debeat præcedere infamia, ut reus denuncietur? 3. 5. 7.
Denunciatio, seu Publicatio Censuræ quonam ritu feratur? 1. 5. 7. A quonam Judice ea fieri debeat? ibid. Ante denunciationem præcedere debet sententia declaratoria criminis. ibid.
Denunciationem furis, ad quam tenetur, omittens num teneatur ad restitutionem? 3. 5. 8.
Depositio, & degradatio quid ferant? 6. 6. 1. Degradatio verbalis confunditur cum depositione; secus vero Realis. 6. 6. 3. Ad Episcopum spectat deponere, aut degradare Presbyterum; Ad Pontificem vero Episcopum. 6. 6. 5. Depositus potest ab Episcopo aliquando in pristinum statum restitui; non tamen Degradatus. ibid. Plura gravia crimina ferunt depositionem; sed graviora degradationem. 6 6 4
Depositio, ac degradatio quomodo differant a suspensione? 6. 1. 6., & 6. 6 2.
Dispensare num possit Episcopus in Censuræ effectibus eo pacto, quo potest Pontifex? 1. 7. 6.
Domicilium, & quasi domicilium quomodo acquirantur? 1. 3.
Domicilium mutans excommunicatus a quonam possit absolvi? 2. 2. 11.

Dubium sive juris, sive facti num excuset ab incurrenda Censura? 1. 6. 8. Num etiam ab incurrenda irregularitate? 1. 6. 7.
Duellum solum in duobus casibus est licitum. 5. 4. 3. Secundum se etiam jure naturali est illicitum; & sub pœna excomunicationis sæpe vetitum, etiam relate ad patrinos, socios, spectantes de industria; ac pariter effectu non secuto. 5. 4. 2. Num possint Mendicantes ab ea absolvere; saltem si casus est occultus? 5. 4. 5.

E

Ecclesia cur oret die Parasceves pro hæreticis, & pro non baptizatis? 4. 2. 4.
Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem lædentes quandonam incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ? 5. 2. 14.
Ecclesiastici quandonam, & quomodo possunt concurrere ad refectionem pontium, fontium, & viarum? 5. 2. 18. Num possint aliquid sponte dare pro communibus necessitatibus, quando non suppetunt facultates laicorum? 5. 2. 17.
Ecclesiastici num possint in Curiis Principum Cancellarii, Consiliarii, ac Judicis munus in causis tantum civilibus exercere? 9. 4. 2
Edicta Prælatorum quamdiu durent? 3. 5. 9.
Effectus censuræ alter proximus, & intrinsecus, alter remotus, & extrinsecus? 1. 7. 1. Privatur ubique Gentium quibusdam bonis spiritualibus, & temporalibus etiam excommunicatus toleratus, ante Judicis sententiam. 1. 7. 2. Effectus censuræ perseverant, donec per absolutionem hæc tollatur. 1. 2. 3. Pontifex in Censuræ effectibus qualiter possit dispensare? 1. 7. 5. Num pariter possit Episcopus? ibid.
Effectus censuræ quandonam suspendi possint? 1. 5. 5., & 1. 7. 4. Excusant plurima ab incurrenda censura; Præsertim ejus nullitas, injustitia causæ, metus, ignorantia, impotentia, &c. 1. 6. 1
Episcopi a quibusnam censuris absolvere possint? 2. 6. 3. Num a casibus occultis Bullæ Cœnæ? ibid. Num etiam ab hæresi occulta? 5. 1. 5.
Episcopi, & Cardinales irregularitatem incurrere possunt, quamvis de iis expressa mentio non fiat. 8. 3. 4. At Interdictum, & Suspensionem non incurrunt, si non exprimatur. 6. 3. 2
Episcopus quandonam possit subditos alterius Diœcesis excommunicare? 1. 3. 8. Num possit censuris ligare subditum in aliena Diœcesi delinquentem? 1. 3. 9. Quinam dicatur Episcopi subditus, ita ut ab eo excommunicari possit? 1. 3. 11. Num peregrini, & vagi dicantur subditi quoad hunc effectum. ibid.
Episcopi statutum generale quosnam comprehendat? 1. 3. 10. Episcopus nequit subditum excommunicare extra propriam Diœcesim; Prælatus vero Regularis potest ubique Gentium. ibid.
Episcopus potest suspendere aliquos effectus suspensionis, non vero excommunicationis. 6. 1. 7. In sententia generali suspensionis, aut interdicti non comprehenduntur Episcopi, neque Cardinales, nisi exprimantur. 6. 3. 2
Episcopus potest aliquando interdictum tollere ad tempus. Ac solus Pontifex potest illud suspendere. 7. 5. 1. Excommunicationem autem Episcopus neque suspendere potest, neque ad tempus tollere. ibid. Num possit Episcopus dispensare in irregularitate orta ex homicidio, quod sit omnino occultum, ut non possit in judicio probari? 8. 2. 7. In quibus irregulatitatibus potest universim Episcopus dispensare? 8. 5. 4. Sine justa causa non solum illicite, sed etiam invalide in iis Episcopus dispensat. 8. 5. 8. Num possit secummet in irregularitatibus dispensare? 8. 5. 5. Num cum suis subditis extra propriam Diœcesim? ibid. Num isthæc Episcopi dispensatio prosit pro foro externo? 8. 5. 6. Num possit Episcopus dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis? 9. 3. 12. Num in irregularitate ex defectu natalium, si illegitimatio proveniat ex delicto occulto? 9. 4. 9
Episcopus num possit dispensare, ut valide retineatur Beneficium tempore excommunicationis collatum? 1. 7. 5. Num possit in Censuræ effectibus dispensare, prout potest Pontifex? ibid. Potest suum subditum extra propriam Diœcesim a censuris absolvere. 2. 2. 11
Eremitæ, si vivant in communitate sub obedientia Prælati, quamvis professionem non emittant, censentur personæ Ecclesiasticæ. 5. 3. 1
Error circa causam finalem reddit absolutionem a censuris invalidam; non tamen error circa causam impulsivam. 2. 5. 5
Excommunicatio quid sit? 3. 1. 1. Quibus bonis privet? 3. 1. 2. Quotuplex sit? 3. 1. 1. In quo differant excommunicati vitandi a toleratis? 3. 2. 4 Num sit vitandus publice denunciatus, aut publicus Clerici percussor, ubi id est occultum? 2. 3. 6. Quid requiratur, ut percussor Clerici sit vitandus? 2. 3. 5. Vitandi in quibusdam vitari debeant? 2. 3. 8. Num possint resalutari, aut etiam salutari? 2. 3. 9. Num Petrus sit vitandus per hoc præcise, quod aliquis fide dignus dicat, illum esse publice denunciatum? 3. 2. 7
Excommunicatio minor quid ferat, & quam ob causam incurratur? 3. 4. 1. Directe privat participatione passiva Sacramentorum, & indirecte privat electione, præsentatione, & collatione Beneficiorum. 3. 4. 3. Ea non incurritur ob culpam venialem ex imperfecta deliberatione. 3. 4. 2. Nec trahit irregularitatem, si violetur per exercitium Ordinis Sacri. 3. 4. 4. Num valide possit ea innodatus Sacramentum Pœnitentiæ suscipere? 3. 4. 5. Num valide ad Beneficium eligatur? 3. 4. 6. Probabiliter non peccat, si Sacramenta conferat, sed non recipiat. 3. 4. 7. Num possit simplex Sacerdos ab ea absolvere? 3. 4. 8., & 2. 2. 5. Non confertur licite absolutio hæc, si delinquens careat proposito non relabendi. ibid.
Excommunicatio minor num privet minoribus bonis, quam interdictum, & Suspensio. 1. 4. 3. Cur etiam ob culpam levem ea incurratur, non vero ista? ibid.
Excommunicatio major etiam sententiæ ferendæ non imponitur, nisi aliquid sub gravi prohibeatur. 3. 5. 1. Ob causam temporalem non fertur, nisi ob finem spiritualem. 3. 4. 2. Si feratur contra non revelantes, quinam excusentur. 3. 4. 3
Excommunicationis effectus immediati sunt undecim. 4. 1. 1. Remoti vero sex. 4. 1. 4. Ex immediatis quatuor spectant primario ad communicationem spiritualem, tres ad eandem secundario; puta ad Beneficia, &c. Alii quatuor ad politicam, & temporalem communicationem. 4. 1. 2. Quibusnam subsidiis spiritualibus privetur excommunicatus? 4. 4. 1. Num invalide pro eo sacrificium offeratur? 4. 2. 2. Num liceat cum tolerato in divinis communicare? 4. 2. 5. Num liceat Sacrificium, & publicas preces offerre pro excommunicatis toleratis? 4. 2. 5. Num pariter pro excommunicatis contritis, per quos non stat, ne absolvantur? 4. 2. 6
Excommunicatio num possit cadere in mortuos? 1. 3. 2.

In quonam sensu mortui ab excommunicatione absolvuntur? ibid. Et in quonam sensu Bruta excommunicantur? 1. 3. 3. Excommunicari num possint impuberes post septennium? 1.3.4. Num amentes? 1.2.5. Num Communitas tota? 1.3.6
Excommunicatio ferendæ sententiæ num semper præsupponat præceptum obligans sub gravi? 1.4.1. Num possit Excommunicatio major ferri ob materiam levem? 1.4.2
Excommunicatio privat hominem communione fidelium. 3.1.1. At in civilibus communicare est veniale; non tamen si id fiat ex contemptu. 3. 3.2. Operari ex contemptu non est frequenter labi, sed ex motivo contemptus legis, aut legislatoris delinquere. ibid. Num sit mortale frequenter in actionibus civilibus communicare cum excommunicato? 3.2.5 Quid sit communicare in crimine criminoso, quod de se est mortale? 3.3.3. Num detur materiæ parvitas in commuuicatione in divinis? 3. 3. 4. Num sit veniale privatim Horas recitare cum excommunicato? ibid. Quomodo excusent *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*? 3.3. 6. Quandonam possunt conjuges, filii, famuli, sponsi, subditi communicare cum excommunicato? 3.3.7
Excommunicatus, etiam toleratus, ante Judicis sententiam privatur quibusdam bonis spiritualibus, & temporalibus. 1.7.2
Excommunicatus num possit socium adhibere in recitandis Horis privatim? 4.4.1. Nequit stipendium dare ad faciendum Sacrum. ibid. Excommunicatus negligens absolutionem non peccat contra præceptum audiendi missam die festo, illam non audiendo; peccat vero non suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ,necnon Eucharistiæ in Paschate. 4.3.6.Quomodo expellendus, si nolit recedere, dum fit Sacrum? 4.4.2. Quibus rebus sacris possit uti? 4.4.3. Ubi, & quomodo sepeliendus sit? 4.4.5
Excommunicatus invalide promovetur ad dignitatem Ecclesiasticam, cui sit annexa jurisdictio, & probabiliter etiam ad secularem. 4.7.9. Peccat graviter, qui illum promovet ad aliquam dignitatem, quamvis jurisdictione carentem. ibid. Illicite, sed valide promovetur excommunicatus vitandus ad munus, ac dignitatem, cui nulla est annexa jurisdictio. ibid.
Excommuuicatus, donec satisfecerit, adhuc præstita satisfactione, indiget absolutione; At suspensus, Donec satisfecerit, non indiget deinde nova absolutione. 6.5.3
Excommunicationes in Bulla Cœnæ. *V. Bulla Cœnæ*.
Excusantur multis de causis, qui communicant cum excommunicato vitando. 3. 3. 6. Sicut etiam qui non denunciant, quando id præcipitur. 3.5.5. Et qui Clericos percutiunt. 5.3.7
Expositi num præsumendi sint illegitimi, & irregulares? 9.4.8
Eunuchus num sit irregularis? 9.4.15

F

FÆminis nequit probabilius delegari potestas ferendi censuras. 5.2.4
Forma, seu ritus servandus in ferendis censuris. 1. 5.1. Quænam spectent ad formam substantialem, quænam ad accidentalem in absolvendo a censuris? 2.6.1., & 2.6.4

G

GAbellas imponentes quandonam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant? 5.2.4. Gabella multifariam potest esse injusta; videlicet ratione personæ, ratione materiæ, & ex parte causæ. ibid.
Generales Religionum num possint subditis suis facultatem concedere legendi libros vetitos? 5.1.10
Generalis Societatis potest cum illegitimis dispensare ad dignitates in Religione obtinendas. 9.4.8

H

HÆresis occulta reservatur Pontifici quoad absolutionem a culpa, & censura, non vero quoad dispensationem in irregularitate. 9.1.6
Hæreticorum credentes, Receptatores, Fautores, Defensores quinam dicantur? 5. 1 7. Num incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, qui hæreticum protegit, inquantum amicus est, non inquantum hæreticus? ibid. Hæreticorum libri non spectant ad Bullam Cœnæ, nisi vel hæresim contineant, vel ex professo tractent de Religione. 5.1.8
Hæreticus fingens se conversum ad fidem, invalide a censuris absolvitur. 2.5.6
Hæreticus quinam dicatur? 5.1.3. Apostata a fide, qui transit ad Judaismum, aut Paganismum, est etiam hæreticus. ibid. Excommunicationem non incurrit, qui hæresim non manifestat signo externo. 5.1.4. At quid si verbis ambiguis illam manifestet? ibid. Ob hæresim externam, licet occultissimam, incurritur excommunicatio. ibid. Dubitans pertinaciter de rebus fidei est hæreticus, non secus ac errans pertinaciter. ibid. Hæreticus pariter, & schismaticus est, qui non agnoscit in Pontifice plenam potestatem in rebus spiritualibus; Est vero solum schismaticus, qui agnoscens illum ut Caput Ecclesiæ, pertinaciter renuit illi obtemperare. 5.1.6. Num possit Episcopus ab hæresi occulta absolvere? 5.1.5
Homicida ignorans pœnam irregularitatis ex delicto, num saltem incurrat illam ex defectu lenitatis? 8.2.5
Homicidium, quod patratur cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fert ullam irregularitatem. 9.3.10. Quid requiritur, ut dicatur fieri cum tali moderamine? ibid.
Homicidium si sit omnino occultum, itaut non possit in judicio probari, trahit irregularitatem, quæ probabiliter potest ab Episcopo dispensari. 8.2.7

I

IGnorantia vincibilis num excuset ab incurrenda censura? 1. 6. 7. Num etiam dubium sive juris, sive facti, sive solius pœnæ? 1.6.8. Num ignorantia invincibilis excuset ab incurrenda irregularitate ex delicto. 1.6.7
Illegitimus est irregularis ex defectu natalium. 9. 4. 8. Quid si sit occultus? ibid. Cum eo potest Generalis Societatis etiam ad Prælaturas in Religione obtinendas dispensare. ibid.
Illiteratus quando dicendus sit irregularis? 9.4.12
Impeditus adire Superiorem suum, ut a censuris absolvatur, poterit ab æquali, vel ab inferiore judice absolvi, præstita satisfactione, & juramento, quod quamprimum poterit, se præsentabit Superiori suo. 2.2. 11
Impeditus adire Pontificem pro absolutione a censura non tenetur, licet possit, ire per Procuratorem, aut per Epistolam. 2. 3. 4. Sicut impeditus adire Pontificem pro absolutione a reservatis potest absolvi cum onere ab Episcopo; ita probabiliter, si sit etiam impeditus adire Episcopum, poterit a Con-

Confessario absolvi cum eo onere. At si sit etiam impeditus adire Confessarium, non poterit a simplici Sacerdote absolvi. 2.7.5. Quodnam dicatur impedimentum perpetuum, quo posito, absolutio sine ullo onere conferatur? Quodnam vero temporale, quo posito, absolutio cum onere conferatur? 2.7.9
Impotentia excusans a censura incurrenda quænam sit? 1.6.6. An qui culpabiliter redditur impotens, ab ea excusetur? ibid.
Impuberes post septennium num possint excommunicari? 1. 3. 4. Non expedit eos censuris ab homine latis ligari. ibid.
Impuberes absolvi possunt ab Episcopo ab excommunicatione contracta ob enormem Clerici percussionem, quamvis absolutionem petant post pubertatem. 5. 3. 10.
Indulgentia plenaria per modum jubilæi num ferat facultatem, ut quis a reservatis absolvatur? 2. 2. 6
Infamia quid sit? 3. 5. 7. Num ea præcedere debeat, ut possit delinquens denunciari? ibid.
Infamia juris, aut facti, quæ trahit irregularitatem, quænam sit? 9. 4.6
Injustitia causæ quandonam excuset ab incurrenda censura? 1. 6. 4.
Innocens judici præcipienti aliquid sub censura quonam pacto teneatur obtemperare? 1. 6. 4
Innocens in foro tantum externo nequit nominatim censura ligari a judice, quamvis hic pro comperto habeat ejus reatum. 1. 6. 4.
Inquisitor, aut Episcopus num possint facultatem concedere legendi libros vetitos? 5. 1. 10.
Interdici cur possint innocentes alicujus communitatis, non vero excommunicari, nec totaliter suspendi? 6. 3. 4
Interdictum quomodo differat ab aliis censuris, & a cessatione a divinis? 7. 1. 1., & 7. 6. 1 Aliud est locale, aliud personale; & utrumque aliud generale, aliud particulare. 7. 1. 2. Aliquando fertur ut pœna vindicativa ob delictum præteritum. ibid. A quibus servari debeat interdictum locale? 7. 1. 4. Quinam ligentur per interdictum generale personale? 7. 1. 6
Interdicti effectus sunt tres, Privatio aliquorum Sacramentorum, Omnium divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ. 7. 2. 1. In nonnullis festivitatibns divina officia permittuntur. ibid. Quænam Sacramenta prohibentur? 7. 2. 2. Num teneatur audire missam die festo tempore interdicti, qui ad id obtinuit Privilegium? 7. 2. 3. Quid veniat nomine divinorum officiorum? 7. 2. 4. Quinam possint ad ea admitti? 7.2.5. Quibusnam permittatur Ecclesiastica sepultura tempore interdicti? 7.2.6
Interdictum personale speciale prærequirit culpam propriam. 7. 3. 1. Num prærequirat gravem culpam? 7. 3. 3. Quomodo possint innocentes ligari per Interdictum locale, aut per generale personale? 7. 3. 2. Interdictum num possit ferri ob debitum pecuniarium? 7. 3. 4. Quonam ritu ferri debeat? 7. 3. 5. Quinam possit Interdictum ferre? 7. 3. 9. Quinam possint interdici? 7. 3. 7.
Interdictum violare de se est mortale. 7. 4. 1. Quibus in casibus etiam laici mortaliter peccant violando Interdictum? 7. 4. 2. Quam pœnam incurrant violantes Interdictum? 7. 4. 3. In quibus casibus tenemur vitare Interdictos nominatim denunciatos? 7. 4. 7
Interdictum potest aliquando ab Episcopo ad tempus tolli; non potest tamen illud suspendi, nisi a Pontifice. 7. 5. 1. Latum ad tempus, vel sub conditione cessat deinde sine alia absolutione. 7. 5. 2. Quisnam possit ab eo absolvere; 7. 5. 5 Quonam ritu relaxetur? 7. 5. 7. Recensentur celebriores causæ, ob quas incurritur. 7. 5. 8
Interdictus ab ingressu Ecclesiæ poterit in loco Sacro sepeliri, si prius dederit signa Pœnitentiæ. 7. 2. 2. Quid significet Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & num coincidat cum suspensione ab ingressu Ecclesiæ? ibid.
Irregularitas ex indecentia morali, seu ex delicto non incurritur, nisi per culpam mortalem externam, & consummatam. 8. 2. 1. Ea non incurritur interveniente ignorantia probabili, seu quæ non sit crassa. 8. 2. 4. Irregularitas tamen ex indecentia physica, seu ex defectu etiam ab ignorante illam incurritur. ibid. Num homicidia ignorans pœnam irregularitatis ex delicto incurrat illam ex defectu lenitatis? 8 2. 5
Irregularitas ex delicto non est censura. 1. 1. 4. Nec est pœna Ecclesiastica, quæ virtute jubilæ tolli possit. ibid. Num excuset ab ea incurrenda ignorantia invincibilis talis pœnæ? 1. 6. 7
Irregularitas non incurritur in dubio juris ratione ipsius juris; nec in dubio facti, nisi solum in dubio homicidii injusti; quando scilicet constat de homicidio, & de causa culpabiliter apposita ad illud causandum, & dubitatur num ex tali causa sit secutum? 8. 4. 1. Dubitans, an ex suo consilio secutum sit homicidium Clerici, debet se gerere ut irregularem. 8. 4. 8. An etiam debeat is se gerere ut excommunicatum, & teneatur ad restitutionem? ibid. Num debeat probabilius esse, quod ex tali actione secutum sit homicidium? ibid. Num secuto abortu, in dubio, an fœtus fuerit animatus, irregularitas incurratur? 8. 4. 9. Num in dubio an fœtus fuerit masculinus, censendus sit fœmininus, qui tardius animatur? ibid. In dubio an secutum sit homicidium, irregularitas probabiliter non incurritur. ibid. Nec in dubio an quis aliquem mutilaverit. 8. 4 7.
Irregularitas tripliciter tolli solet, per cessationem causæ, per professionem religiosam, per dispensationem. 8. 5. 1. Num etiamper Baptismum? 8. 5. 3. Quandonam possit Episcopus in irregularitatibus dispensare? 8. 5 4 Quandonam Prælati Regulares cum subditis suis? 8 5. 7. Quænam causa requiritur ad dispensandum in irregularitate? 8. 5 8. Episcopus sine justa causa non solum illicite, sed etiam invalide dispensat. ibid. Quanam forma dispensatio conferatur? 8. 5. 9. Virtute jubilæi nulla potest irregularitas tolli. 8.5. 10. Potest ea tolli partialiter; At quid si indefinite tollatur? 8. 5.. 11. Num ea tollatur per ratihabitionem de præsenti? 8 5.12.
Irregularitas ex iteratione Baptismi quid ferat? 9. 1.1. Quid irregularitas ob exercitium Ordinis Sacri cum violatione censuræ? 9.1.2. Quid ea, quæ imponitur Clerico ministranti in Ordine Sacro, quem non habet? 9.1.3. Quid ea, quæ imponitur per indebitam susceptionem Ordinis Sacri? 9. 1. 4. Verius sæpe sola suspensio in his casibus incurritur. ibid. Quid de ea, quæ imponitur ob hæresim, aut apostasiam? 9 1.5
Irregularitas ex homicidio sive voluntario, sive casuali, nec non ex mutilatione incurritur etiam a concurrentibus ad illa. 9.2.3. Num etiam a ratihabentibus? ibid. Quid si quem pœniteat mandati, aut consilii dati? 9.2.6. Quisnam possit in hac irregularitate dispensare? 9. 2. 9. Quandonam per homicidium casuale irregularitas incurratur? 9.2. 10. Quid

10. Quid si homicidium per accidens sequatur, quando quis dat operam rei illicitæ? 9.2.11

Irregularitas ex defectu lenitatis quandonam incurritur? 9.3.1. Num incurratur ab homicida, qui ratione ignorantiæ excusetur ab irregularitate ex delicto? 9.2.5. Num accusator in causa sanguinis, secuta morte, fit irregularis? 9.3.4. Quænam protestatio requiratur ad evadendam irregularitatem? 9.3.5. Minoribus ordinibus initiatus, ac laicus non peccant, sed irregularitatem ex defectu lenitatis incurrunt, si se immisceant in causa sanguinis. Peccat tamen, si se ad id immisceat initiatus Sacris Ordinibus, ac Beneficiatus. 9.3.3. Clericus non peccat, si in causa sanguinis testatur in sui favorem, secus vero si testatur contra reum, nec ad id potest a suo Prælato cogi. 9.3.9

Irregularitas ex defectu ætatis non est proprie irregularitas, & qui ante legitimam ætatem ordinatur, non fit irregularis, sed suspensus. 9.4.1. Ex defectu libertatis quinam est irregularis? 9.4.2. Quinam ratione bigamiæ? 9.4.4. Quinam ob infamiam? 9.4.6. Quinam ex defectu natalium? 9.4.8. Num illegitimus occultus sit irregularis? ibid. Num expositus præsumendus sit illegitimus, & irregularis? ibid. Quinam dicatur irregularis ex defectu usus rationis, aut scientiæ, aut fidei? 9.4.11. Quinam ex defectu corporis? 9.4.15. Quid de energumenis, & lunaticis? ibid.

Irregularitas solum a jure imponitur. 8.3.1. Pontifex, utpote jure superior, incapax est irregularitatis. 8.3.3. Nec illius capax est fœmina, nec infidelis. 8.3.4

Irregularitatem incurrit, qui ad bellum, etiam justum, procedit animo pugnandi, cum se exponat proximo periculo occidendi, aut mutilandi. 8.3.9. Illam non incurrit, qui alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ. 8.3.10. Quid requiritur, ut occisio cum tali moderamine fiat? ibid. Nec irregularitatem incurrunt, qui alios animant ad fortiter pugnandum in bello justo. 9.3.9. Peccant, qui Sacris ordinibus initiati citra necessitatem officium medici, aut chirurgi exercent incidendo, aut adurendo, sed irregularitatem non incurrunt, si citra culpam mors sequatur. 9.3.11. Num etiam id vetetur Beneficiariis? ibid. Num possint Episcopi in hac irregularitate dispensare? 9.3.12. Possunt certe Prælati Regulares ex suis subditis in ea dispensare. ibid.

Irregularitatem num incurrat, qui per exercitium Ordinis Sacri violat suspensionem, quæ sit pœna vindicativa ob delictum præteritum? 6.4.5. Judicis excommunicati vitandi acta num sint invalida? Num Arbitri ad formam Judicis constituti? 4.8.2.

Irregularitatem non incurrit per exercitium Ordinis Sacri, qui censura est irretitus, si non sit nominatim denunciatus, & Ordines exerceat ad petitionem fidelium. 6.4.5. Incurritur tamen Irregularitas, si per exercitium Ordinis Sacri violetur suspensio pœnalis lata ad tempus indeterminatum, puta, Donec satisfeceris, dummodo in scriptis ad modum censuræ ea imponatur. ibid. Suspensio lata per tempus determinatum, puta per mensem, non est censura; & ideo non trahit irregularitatem, si per exercitium Ordinis Sacri violetur. 6.1.2

Irregularitatem non incurrit, qui excommunicationem minorem violat celebrando missam. 3.4.4.

Irregularitatis effectus sunt duo, impedire Ordinum susceptionem, & eorundem usum. 8.1.3. Potest irregularis actus jurisdictionis exercere, & fructus Beneficii percipere, si illud possit saltem per Vicarium exercere. 8.1.4. Num sit invalida Beneficii collatio facta irregulari? 8.1.4. Probabiliter irregularitas non impedit susceptionem primæ tonsuræ. 8.1.6. Enumerantur sex irregularitates ex delicto, & octo ex defectu. 8.1.7. Irregularitas aliquando est solum partialis. 8.1.8

Judex Ecclesiasticus impediri non potest a potestate laica, quo minus sua jurisdictione utatur. 5.2.15.

Judex sæcularis num, & quomodo defendere possit oppressos a Judice Ecclesiastico, quin excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrat? 5.2.13. Num possit uti literis Horatoriis? 5.2.12. Ecclesiasticas personas nequit ad suum tribunal trahere prætextu consuetudinis, aut privilegii. 5.2.14

Judex num possit secundum allegata, & probata tanquam reum aliquem excommunicare, si certo sciat, illum esse innocentem? 1.6.5.

Jurisdictio delegata per mortem delegantis expirat si res sit integra. 1.2.

Jurisdictio gratiosa potest extra Diœcesim exerceri secus vero contentiosa. 1.2.6.

Jurisdictione privatur excommunicatus vitandus. 4.6.1. Toleratus licite actus jurisdictionis exercet, si ab eo petantur; illicite tamen, sed valide, si non petantur. 4.6.2. Illi tamen possunt per exceptionem repelli. ibid. Num valide Episcopus vitandus det facultatem alteri audiendi confessiones, baptizandi, aut assistendi matrimonio? 4.6.4. Electio ad Beneficium facta a vitando est invalida. 4.6.5. Necnon præsentatio Ecclesiastica. ibid.

Jurisdictionis exterioris usu num privetur Interdictus? 7.2.8

L

Laicus num possit moribundum a Censuris absolvere, deficiente Sacerdote, aut Clerico? 2.5.2

Lex indicens censuram potest multiplici ex capite esse nulla. 1.6.2

Libri hæreticorum ad Bullam Cœnæ spectantes debent aut hæresim continere, aut de Religione tractare, non tamen obiter. 5.1.8. Excommunicationem quidem, sed non reservatam in Bulla Cœnæ incurrit, qui legit, aut retinet alios hæreticorum libros; necnon aliorum Auctorum, qui ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem sunt prohibiti. ibid. Nullam vero excommunicationem incurrit, quamvis mortaliter peccet, qui alios libros vetitos legit, aut retinet. ibid. Ob libros Necromantiæ, & similes incurritur excommunicatio non reservata, quippe damnatur ob suspicionem hæresis. At si hujusmodi libri sint Auctoris hæretici, pertinent ad Bullam Cœnæ. ibid. Quid si liber damnatus ob hæresis suspicionem sit Auctoris Catholici, sed contineat Scholia, ac notas Auctoris hæretici? ibid. Quid si quis eos legat, sed non intelligat? 5.1.9. Quid si quis audiat legentem? Num detur hac in re materiæ parvitas, & quænam sit? ibid. Quid si quis eos comburat, aut apud alios retineat? Num possit Episcopus, aut Inquisitor facultatem dare eos legendi? 5.1.10.

Literas de obscænis mittens ad Moniales non incurrit excommunicationem latam contra mittentes, nisi literæ ad Moniales perveniant. 1.4.9

Lunatici, dæmoniaci, furiosi, quandonam possint celebrare? Et quomodo? 9.4.15.

M

Mandantes non ligantur censura lata contra facientes, nisi exprimantur, & mandatum influat. 1.4.16. Quid si mandatum revocetur? ibid. Quandonam mandans æquiparatur facienti? ibid.
Mendicantes absolvere possunt a censuris in Synodo reservatis, si non reservantur in tabella; Necnon a censuris, quas jus Episcopis reservat. 2.2 7. Non debent absolvere a censuris reservatis, si probabiliter deducendæ sint ad forum judiciale. 2.4.4. Num possint absolvere a sex casibus Clem. VIII. si sint occulti? 2.7.3. An possint ab iis absolvere, ubi sunt occulti, licet alibi sint publici? 2.7.4. Num possint a suo Generali facultatem obtinere legendi libros vetitos? 5.1.10. Num possint aliquando absolvere ab excommunicatione ob duellum contracta. 5.4.5
Metus gravis excusat a censura incurrenda, nisi in contemptum Ecclesiæ ferentis Censuram compellatur quis operari. 1.6.9.
Metus gravis injuste incussus, ut censura feratur, non reddit istam invalidam, at invalida est absolutio per talem metum extorta. 2.5.5
Monitio alia est canonica, alia non canonica. 1.5.1. Monitio non canonica per quid habeatur? ibid. Monitio saltem virtualiter trina prærequiritur, ne censura sit injusta; non vero ne sit invalida. 1.5.3. At si nulla præeat monitio, probabilius est invalida. ibid.
Moribundus num possit a censuris absolvi a Laico, aut saltem a Clerico, deficiente Sacerdote? 2.5.2.
Moribundus, si non sit publice denunciatus, aut publicus Clerici percussor, potest a quolibet Sacerdote sine ullo onere ab omnibus omnino censuris, & peccatis absolvi. 2.6 8. Num possit moribundo, aliis deficientibus, a Sacerdote excommunicato vitando post collatam absolutionem ministrari etiam Eucharistia? Et num etiam Extrema Unctio? 4.3.2
Mortui solum possunt declarari excommunicati, non vero excommunicari. 1.3.2. In quo sensu ab excommunicatione absolvantur? ibid.

N

Naufragantium bona surripientes quinam excommunicentur in Bulla Cœnæ? 5 2.3.
Neophytus quousque dicendus est irregularis? 9.4.14.
Nulla est censura quadruplici ex capite. 1.6.2. Similiter nulla esse potest sententia censuræ. ibid.

O

Occultus casus quinam dicatur? 2.6.4. Num possit Episcopus, aut Privilegiatus absolvere a casu Papali, ubi est occultus, quamvis alibi sit publicus? ibid.
Officia divina celebrare vetatur excommunicatis. 4.4.1. Quid veniat nomine divinorum officiorum? ibid.
Ordinis Sacri actus quinam dicantur; qui scilicet ferant irregularitatem, si exerceantur ab irretito aliqua censura? 6.4 5., & 9.1.2. Non incurrit tamen irregularitatem, qui ad petitionem fidelium exercet Ordines Sacros, quando non est nominatim denunciatus. 6.4.5.

P

Parochus excommunicatus vitandus valide assistit matrimonio. 4.6.3. Num etiam valide det licentiam alteri administrandi baptismum, & assistendi matrimonio? 4.6.4.
Percussor Clerici aliam excommunicationem incurrit magis reservatam, quam mandans Clerici percussionem, aut illam non impediens, si ad id tenetur ex officio. 1.4.10. Personaliter debet se præsentare Pontifici pro absolutione, si non sit legitime impeditus. 2.3.4. Potest a suo Prælato absolvi Religiosus Clerici percussor, quamvis percussio fuerit enormis. 2.7.6. Quid requiritur, ut percussor Clerici sit vitandus? 2.3.5.
Percussor Clerici, aut monachi quinam dicatur? 5.3.1. Quid si venenum Clerico propinetur? 5 3.2. Quænam sit actio graviter Clerico injuriosa? 5.3.3. Quid si Clericus seipsum percutiat? 5.3 4. Num possit Clericus delinquens a Laicis capi, ut suo Superiori præsentetur? 5.3.5. Num, & quomodo possit a suo Superiore verberari? ibid. Quam excommunicationem incurrant mandantes, consulentes, non impedientes, aut ratam habentes clerici percussionem? 5.3.6. Quibus de causis Clerici percussor excusetur ab excommunicatione incurrenda? 5.3 7. Quænam dicatur percussio levis, quæ sit Episcopo reservata? 5.3.8. In dubio, num sit dicenda, gravis, an levis? 5.3.9. Quid si percussio sit enormis, sed occulta? 5.3.10. Num Religiosi absolvere possint suo subditos, quamvis percussio fuerit enormis? ibid.
Peregrini, & Vagi a quonam possint Sacramenta recipere? 1.3.11.
Piratæ quinam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant? 5.2.2.
Pœna punitiva, ac ordinaria incurritur etiam ab ignorante illam invincibiliter? secus vero pœna medicinalis, ut est censura; & probabiliter nec pœna extraordinaria, ut est irregularitas. 1.6.7.
Pœnitentiæ Sacramentum valide suscipitur ab excommunicato nesciente suam excommunicationem. 4.3.4. Valide etiam administratur ab excommunicato tolerato; necnon a vitando in casu necessitatis extremæ. 4.3.3. Quod si extra hunc casum illud administret, quamvis invalide, adhuc verius irregularitatem incurrit. 4.3 5.
Pœnitentiæ Sacramentum ab interdicto ministratum num sit etiam invalidum? 7.2 9.
Pontifex incapax est irregularitatis. 8.3.3. Quid si irregularis in Pontificem eligatur? ibid. Protestatio, quæ præmitti debet ad declinandam irregularitatem ab eo, qui accusat in causa sanguinis, quænam sit? 9.3.5. Ea potest esse solum externa, & ficta. ibid.
Pontifex num possit in irregularitate bigamiæ dispensare? 9.4 5.
Postulatio, ac Nominatio ad Beneficium facta ab excommunicato vitando, si sit solemnis, est invalida. 4.6.9. Est vero valida, si sit simplex, sed potest per exceptionem repelli. ibid.
Potestas ferendi censuras non extenditur ad actus mere internos; secus vero potestas reservandi peccata, & dispensandi in votis. 1.4 4.
Potestas instituendi censuras est in solo Pontifice; potestas vero eas ferendi est etiam in aliis; & quidem ordinaria iis, quibus competit jurisdictio Ecclesiastica in foro externo; Delegata vero iis, quibus

bus ea committitur ab habente ordinariam. 1.2.1. Quibusnam competit potestas hæc ordinaria? 1.2. 2. Quibus delegata? 1.2.3. Num possit delegari fœminis? 1.2.4. Num possit delegatus subdelegare? 1.4.5. Nequit hæc potestas exerceri extra propriam Diœcesim. 1.2.6.
Prælatus regularis potest ubique Gentium excommunicare subditum suum: Episcopus vero nonnisi intra suam Diœcesim. 1.3.9
Prælati regulares possunt cum suis subditis dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. 9.3.12
Primæ tonsuræ susceptio probabiliter non impeditur ab irregularitate. 8.1.6.
Prohibitio sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ num sit sub gravi? 3.5.1

R

Ratam habere Clerici percussionem quid importet? 5.3.6
Regulares Prælati habentes quasi Episcopalem jurisdictionem veniunt sæpe nomine Episcopi. 2.7.6
Religiosi non servantes interdictum quam pœnam incurrant? 7.4.6.
Religiosus, qui ante ingressum in Religionem est excommunicatus per sententiam specialem, nequit a Prælato Religionis absolvi. 2.2.11.
Religiosus solum de licentia sui Prælati potest ab Episcopo absolvi a reservatis Papalibus, si non possit adire Pontificem, ac in votis dispensari. 2.6. 6. Si Religiosus enormiter Clericum percusserit, poterit a suo prælato absolvi. 2.6.6
Religiosi num comprehendantur in sententia generali Suspensionis, aut Interdicti, si non exprimantur? 6.3.3. Certe in favorabilibus nomine Clerici veniunt etiam Religiosi. ibid.
Reges, & Imperatores nonnisi improprie suspenduntur, ita ut nequeant ad Beneficia præsentare. 6.2.2
Reincidere in censuram priorem num quis possit sine nova culpa? 2.3.3
Resalutare, aut rescribere excommunicato num liceat? 2.3.9. Num liceat etiam illum salutare? ibid.
Rescripta quænam sint irrita, si cedant in favorem excommunicati? 4.7.12
Resignatio Beneficii facta in favorem tertii ab excommunicato num sit valida? 4.6.10
Restituere num teneatur, qui omittit denunciare furem, quando id sub pœna excommunicationis præcipitur? 3.5.8
Restitutio rei alienæ levis quandonam possit sub censura præcipi? 1.6.2
Reus voluntarius nequit esse in judicio, qui est excommunicatus; si tamen sit reus involuntarius, potest se defendere. 4.7.5
Ritus in ferendis censuris quinam sit? 1.5.1. Prærequiritur præter contumaciam Rei monitio sive canonica, sive non canonica (quæ habetur per legem vetantem aliquid sub censura latæ sententiæ) ibid. ut vero quis declaretur excommunicatus, prærequiritur citatio Rei 1.5.2. Plura requiruntur ad formam Censuræ substantialem. 1.5.4. Plura etiam ad accidentalem. 1.5.7

S

Sacerdos offerens Sacrificium tres personas repræsentat, Ministri Christi, Ministri Ecclesiæ, & privatam. 4.2.3. Tanquam Minister Christi, illicite, sed valide offert illud pro excommunicato vitando; tanquam Minister Ecclesiæ, illicite, & invalide; tanquam persona privata, licite, & valide. ibid.
Sacerdos simplex num possit ab excommunicatione minore absolvere? 2.2.5., & 3.4.8
Sacramenta administrare, aut percipere excommunicatus, etiam toleratus, non potest. 4.3.1. Potest tamen sæpe per accidens pluribus de causis. ibid. Sacramenta administrare potest excommunicatus toleratus, si id petatur. 3.2.4. Num possit id licite ab eo peti? ibid.
Sacrificium, & publicas preces offerre pro excommunicato tolerato probabilius licet. 4.2.5
Satisfacta parte si conferenda sit absolutio a censura, quænam satisfactio requiratur? Et an valide conferatur parte non satisfacta? 2.2.8. Et quid veniat nomine Partis? ibid.
Schismatici quinam dicantur? Et quando Schismatici sunt etiam hæretici? 5.1.5
Scripto ferri debet censura. 1.5.3. Num sit invalida, si solo verbo feratur? ibid.
Sententia Censuræ multiplici ex capite potest esse nulla. 1.6.2
Sepultura Ecclesiastica dari potest excommunicato tolerato. 4.2.5
Statutum generale Episcopi quosnam comprehendat? 1.3.10.
Subditi quinam dicantur alicui Episcopo relate ad suscipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ? Quinam relate ad Sacramentum Ordinis? Quinam relate ad Censuras? 1.3.11
Subditus quandonam teneatur non obedire Judici præcipienti aliquid sub censura? 1.6.4.
Suspensio est censura, per quam Clericus privatur usu officii, vel beneficii. 6.1.1. Ea multiplex est. 6.1.2. Suspensus ab officio non est eatenus suspensus a beneficio, nec e contra. 6.1.3. Quandonam suspensus a beneficio potest fructus beneficii percipere? ibid. Num possit eligere alium ad beneficium? 6.1. 4. Suspensus ab Ordine potest exercere actus jurisdictionis, qui usum Ordinis non requirunt. Et e converso suspensus a jurisdictione potest actus Ordinis exercere. 6.1.5. Num Sacerdos suspensus ab Ordine Diaconatus possit actus Ordinis Sacerdotalis exercere? Et quomodo explicandum est illud Axioma, *Qui non potest quod est minus, nec potest quod est majus*? ibid.
Suspensio quomodo differat ab Irregularitate? Et quomodo ab aliis censuris? 6.1.7. Et quomodo a Depositione, & Degradatione? 6.1.6. Potest Episcopus aliquos effectus suspensionis suspendere, non tamen excommunicationis. 6.1.7. Suspendere potest, qui facultatem habet excommunicandi. 6.2.1. Parochus nec potest suspendere, nec excommunicare. ibid.
Suspensionis præsse dictæ Clericus duntaxat est capax. 6.3.2. Quid de Abbatissa? 6.1.2. In sententia generali Suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur Episcopi, nec Cardinales, nisi exprimantur. ibid. Quid de Religiosis? Num in favorabilibus duntaxat veniant isti nomine Clerici? ibid. Quando suspenditur tanquam persona ficta totum Capitulum, solum ligatur totum corpus, non vero singulæ personæ. 6.3.4. Reges, Imperatores in quonam sensu dicantur suspendi, ita ut non possint ad Beneficia nominare? 6.2.2. Communitas trifariam potest suspendi, videlicet quoad functiones totius corporis, quoad functiones singulorum, & quoad utrasque. 6.2.3.
Suspensio partialis ferri potest ob culpam venialem; sed totalis ob mortalem. 6.3.1., & 1.4.1. Ob culpam alienam nemo potest suspendi totaliter; sicut nec excommunicari: Potest tamen tota suspendi
quoad

quoad functiones proprias Communicatis ob culpam aliquorum, vel solius Prælati. 6.3.2. Cur possunt innocentes alicujus Communitatis interdici, non vero totaliter suspendi. 6.3.4. Ob delictum præteritum potest ferri suspensio tanquam pœna vindicativa; non vero ut censura, & pœna medicinalis. 6.3.5

Suspensio ab ingressu Ecclesiæ quid importat? Et an ea includatur sub censura Interdicti? 6.4.3. Suspensio lata per tempus terminatum non est censura, nec trahit irregularitatem, si violetur per exercitium Ordinis Sacri; Trahit vero, si feratur in scriptis per modum censuræ ad tempus indeterminatum, puta, Donec satisfeceris. 6. 5. 2. Suspensio pœnalis imposita per tempus determinatum, eo elapso, cessat, nec indiget absolutione; imposita vero ad tempus indeterminatum, impleta conditione, cessat, non quidem sine absolutione, sed sine nova absolutione. ibid.

Suspensio, quæ sit censura, unice per absolutionem tollitur; sed quisnam possit ab ea absolvere *V. Absolvere*.

Suspensio, si feratur pro tempore determinato, puta per mensem, non est rigorose censura. 2.1.2.

Suspensionis violatio per exercitium Ordinis Sacris trahit irregularitatem, si ea sit censura, & pœna medicinalis. 6.3.5. Num etiam si ea sit pœna vindicativa ob delictum præteritum? 6.4.5. Violans suspensionem graviter peccat, nisi materiæ parvitas excuset. 6.4.2

Suspensiones juris communiores quænam sint? 6.5.6.

Suspensus universim privatur usu Ecclesiasticæ potestatis. 6.4.1. Suspensus a beneficio privatur ejus fructibus; & probabilius redditur incapax alterius beneficii. ibid. Actus jurisdictionis exerciti a suspenso nominatim denunciato sunt invalidi. 6.4.6. Peccat graviter, qui Suspenso nominatim denunciato communicat in iis casibus, a quibus est suspensus. 6.4.4.

T

Tabellionis excommunicati acta valent, & fidem faciunt, nisi a parte excipiantur. 4.7.6

Tertiarii S. Francisci, si inserviant Conventui, & eleemosynam petant per Urbem, censentur personæ Ecclesiasticæ. 5.3.1

Testimonium excommunicati quando sit validum. 4.7.7

Testis irregularitatem non incurrit, morte secuta, quando jure naturali tenetur testificari in causa sanguinis. Idemque dicendum de Accusatore: Secus vero de Judice, quippe qui sponte sua tale munus acceptavit. 9.3.7

Tutoris, & Curatoris excommunicati acta num sint valida? 4.7.10

V

Vagi, ac Peregrini a quonam possint Sacramenta recipere? 1.3.11

Vicarius Generalis Episcopi eandem facultatem habet relate ad casus Papales, ac ipse Episcopus, nisi aliter exprimatur. 2.6.4.

FINIS.

239.02
V837
51486
VIVA, S. J., DOMINICUS
AUTHOR
Opera Omnia Theologico-Moralia
TITLE Editio Novissima
Tomi III, IV et V.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETU
	STORAGE - CBPL	

51486
55